R. 1033

PONTIFICIARUM CONSTITUTIONUM

In Bullariis Magno, et Romano Contentarum, et aliunde Desumptarum

EPITOME,

ET SECUNDUM MATERIAS DISPOSITIO

cum indicibus locupletissimis

opera et studio

ALOYSII GUERRA S. T. D.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS,
Sumptibus Heredis Nicolai Pezzana.

M D CC LXXII.

superiorum permissu, ac privilegio.

R. 1033

PONTIFICIARUM CONSTITUTIONUM

In Bullariis Magno, et Romano Contentarum, et aliunde Desumptarum

EPITOME,

ET SECUNDUM MATERIAS DISPOSITIO

CUM INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

OPERA ET STUDIO

ALOYSII GUERRA S. T. D.

TOMUS SECUNDUS.

VENETIIS,
Sumptibus Heredis Nicolai Pezzana.

M D CC LXXII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

A. 4033

PRÆFATIO.

COntinet Tomus hic Secundus Bullas, quæ ad Imperium, Regna, Reſp. Ducatuſque pertinent. Quia vero omnia regna eccleſiaſticas peculiares conſuetudines habent, haud alienum nobis viſum eſt ſingulis regnis, ſtatubuſque conſtitutiones ad eorum Eccleſias ſpectantes ſubdere. Ita Lector uno intuitu civile, eccleſiaſticumque ſingulorum regimen videt. Quaſdam tamen Bullas, quæ quid genericum continent, alia in loca rejecimus, ut paſſim Lector videbit.

Pauciſſimæ Bullæ ad hæc regna attinentes ſunt in Utroque Bullario. Sed cum duxerimus omnino neceſſum eſſe quæ antiquitus inter ſingula regna hinc, & Pontifices inde evenerint, Lectorem docere, eos adivimus Libros, unde conſtitutiones huc ſpectantes deſumere poſſemus. Codicem Diplomaticum Italiæ Joannis Chriſtiani Lunig, Annales Eccleſiaſticos Card. Cæſaris Baronii, & Odorici Raynaldi, Petri de Marca, Stephani Baluzii, aliorumque opera pervolutavimus, unde plurimas Bullas deſumpſimus, ita ut quorumdam Regnorum hiſtoria e Bullis Pontificiis confecta eſſe videatur. Ubi enim Bulla aliqua deficiebat, ſupplevimus ex hiſtoriis. Ut autem facilius quædam quo tenderent, Lector intelligeret, iis lumen ex hiſtoria attulimus. Quaſdam Epiſtolas Imperatorum, Regumque ſummatim produximus, ut totius controverſiæ ſtatum Lector comprehendere poſſet. Non tamen omnes Pontificias conſtitutiones indiſcriminatim collegimus; multas enim nullius frugis, quales ſunt officioſæ pene omnes, præterivimus. Multas etiam reliquimus, quæ de eodem argumento agebant, contenti unam, alteramve afferre; quod etiam innuimus, ut ſi Lector eas legere velit, adeat loca, ubi habere illas poſſit.

Neque ſatis hic mirari poſſumus, fatemurque nos latere cauſam, cur Carolus Cocquelines, qui Bullarium Romanum edidit, ut ipſe in ſua præfatione teſtatur, locupletiſſimum, qui ideo Pontificia regeſta omnia pervolutaſſe ſe dicit, multitudinem tantam Bullarum tacitus prætermiſerit; quas & Baronius, & Raynaldus ſe ex iiſdem regeſtis exſcripſiſſe aſſerunt. Sponte ne, an ex compoſito illas tacitus præterierit, nec ſedulus inquiram, nec dijudicare auſim. Cum quorumdam argumentorum Bullas præterierit, quis fortaſſe ſuſpicari non injuria poſſet, eum data opera illas fuiſſe prætergreſſum. Nefas ego duxi eas non colligere, eas non redigere in compendium, ratus ex iis magnam utilitatem percepturum eſſe Lectorem, ſi tempora illa cum his, quibus vivimus, comparationem inſtituere voluerit. Quod ſi nullum alium fructum perciperet, vel hic unus uberrimus eſſet; breviſſimo temporis ſpatio hujus, illiuſque regni eccleſiaſticam addiſcet hiſtoriam, & quas contentiones cum Romana Aula, quæ negotia unumquodque habuerit videbit: videbit etiam iis ignorantiæ ſæculis quantum Romana Aula auctoritatis in reges, regnaque ſibi arrogabat.

Ut Eccleſiam Batavam illuſtraremus, quoniam iiſdem gaudet privilegiis, quæ Eccleſia Germana habet, & in ea comprehenditur, addidimus litteras Archiepiſcopi Ultrajectenſis Petri Joannis Meindarts ad Bened. XIV. miſſas, in quibus Batavæ Eccleſiæ continetur hiſtoria. *In initio hujus ſæculi quot & quantas contentiones excitarit ejus Eccleſiæ ſuppreſſio a Clem. XI. a quibuſdam, in quos ſummo amore ferebatur, permoto facta, nemo adeo hoſpes eſt, & peregrinus in hiſtoria, qui neſciat.* Quanto cum animi ardore, quam invictis argumentis Doctiſſimæ Academiæ pro Eccleſia Batava ſteterint, nemo ignorat; quam erudite autem, quanta arte, quam valide ejus cauſam propugnarit præclariſſimus Van-Eſpenius, ejus ſcripta oſtendunt. Verum de hoc ſatis: collector enim ſum, non judex.

Nullam omnino de Tartaria afferunt Bullaria conſtitutionem. Eratne hæc regio ita contemnenda? Non paucas ego hinc inde hauſi. Mirum quantum caput hoc oſtendet, quomodo miſſiones in iis regionibus exercuerint duo de Eccleſia ita benemeriti ordines Prædicatorum, & Minoritarum; ſimulque patefaciet quantum inter illas, recenteſque in novo orbe factas interfuerit.

De Imperio Græco, de Græca Eccleſia, de Ruthena, de Armena, Coptica &c. in Cherubinorum, & Cocquelines Bullariis pauciſſimas conſtitutiones reperiet Lector; ita ut ex earum lectione doctior fieri nequeat. Placuit ergo Bullas colligere, e quibus poſſet ejus Imperii, earumque Eccleſiarum notitia haberi. Neque eruditorum hominum judicio illius Imperii, illarumque Eccleſiarum hiſtoria eſt contemnenda. Viciſſitudines, quas imperium illud paſſum eſt, ſunt illuſtres, illuſtres Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali contentiones.

Studioſius fortaſſe quibuſdam conſtitutiones ad Venetam Remp. attinentes perſequutus fuiſſe videbor. Utinam mihi tantum otii a reliquis curis ſuperfuiſſet, ut ſingula regna, Eccleſiaſque illuſtrare ſimili modo potuiſſem. Multa cur ita agerem, me moverunt. Movit me Bened. XIV. ſapientiſſimi Pontificis auctoritas, qui in epiſtola, quam Clariſs. Flaminio Cornelio Senatori Veneto de illius præſtanti opere de Eccleſiis Venetis ſcripſit, hæc habet (in tomo Indicum p. 366.): *Plurima in eo* (Cornelii opere) *antiquitatis monumenta e ſecretioribus tabulariis, ubi neglecta obſoleſcebant, eruta animadvertimus, quæ cum nobis perquam inſignia, ac præclara viſa ſint, tum magno, ac multiplici uſui omnigenæ eruditionis ſtudioſis hominibus eſſe poterunt..... Quin etiam futurum exiſtimamus, ut ii etiam, qui ad legendum mirificam legendarum in eo genere rerum opinionem afferent, earumdem copia, atque excellentia obruantur, pluraque, ac præſtantiora inter legendum offendant, quam quot, aut quanta animo præconcipere, atque expectare potuerunt.* Movit me dignitas, antiquitaſque Reip. pietatis, religionis, ſapientiæ, prudentiæque laudibus ab incunabulis uſque ad hæc tempora florentis, plurimique ab omnibus æquis rerum æſtimatoribus ſemper factæ, cujus veſtigia Reges, Principeſque magni nominis, & exquiſitæ prudentiæ fama nobiles, & antiquitus ſæpe, & nuperrime ſequi tanquam rectiſſima voluerunt. Movit me demum exemplum aliarum nationum, quæ quæcumque monumenta in ſuorum regum regnorumque laudem facere potuerunt, collegere anxiæ, illuſtrarunt annotationibus, commentariiſque, certatimque emiſerunt in vulgus. Teſtes cuique eſſe poſſunt tot auctores Angli, Hiſpani, Germanique, & Galli præcipue, quorum opera præ manibus habemus. Quamquam ecquis unquam ſtudium hoc noſtrum in res patrias, in Principem, ſub quo nati ſumus, vivimuſque jure reprehendat, nimiumque dicat?

Cur quaſdam Bullas, quæ in duo, triave loca rejici poſſe videbantur, potius hic quam illic poſuerim, rationem in Præfatione Tomi I. attuli.

Quia quædam Bullæ impreſſæ fuerunt ordine alio ab eo quo fuerunt diſpoſitæ in ſcriptis, quo ordine legi debeant, index argumentorum Bullarum oſtendet.

NOMINA PONTIFICUM,

Qui in hoc Tomo II. Bullas habent, & quot habeant.

Anni Christi.		Bull. num.
1061.	*Alexander II.*	7
1159.	*Alexander III.*	22
1254.	*Alexander IV.*	35
1409.	*Alexander V.*	4
1492.	*Alexander VI.*	22
1655.	*Alexander VII.*	82
1689.	*Alexander VIII.*	2
1030.	*Anacletus II.* Antipapa.	1
496.	*Anastasius II.*	1
1153.	*Anastasius IV.*	1
1033.	*Benedictus IX.*	1
1303.	*Benedictus XI.*	7
1334.	*Benedictus XII.*	62
1389.	*Benedictus XIII.* Antipapa.	1
1724.	*Benedictus XIII.*	21
1740.	*Benedictus XIV.*	47
1294.	*Bonifacius VIII.*	77
1389.	*Bonifacius IX.*	23
423.	*Cælestinus I.*	1
1191.	*Cælestinus III.*	4
1294.	*Cælestinus V.*	1
1118.	*Callixtus II.*	8
1455.	*Callixtus III.*	25
1187.	*Clemens III.*	8
1265.	*Clemens IV.*	39
1305.	*Clemens V.*	33
1342.	*Clemens VI.*	107
1378.	*Clemens VII.* Antipapa.	2
1523.	*Clemens VII.*	68
1592.	*Clemens VIII.*	63
1667.	*Clemens IX.*	32
1670.	*Clemens X.*	4
1700.	*Clemens XI.*	93
1730.	*Clemens XII.*	12
1758.	*Clemens XIII.*	18
1769.	*Clemens XIV.*	4
824.	*Eugenius II.*	1
1145.	*Eugenius III.*	5
1431.	*Eugenius IV.*	97
715.	*Gelasius I.*	1
590.	*Gregorius I.* Magnus.	2
590.	*Gregorius II.*	8
731.	*Gregorius III.*	4
996.	*Gregorius V.*	1
1044.	*Gregorius VI.*	1
1073.	*Gregorius VII.*	62
1187.	*Gregorius VIII.*	1
1227.	*Gregorius IX.*	121
1271.	*Gregorius X.*	35
1370.	*Gregorius XI.*	42
1406.	*Gregorius XII.*	4
1572.	*Gregorius XIII.*	13
1590.	*Gregorius XIV.*	5
1621.	*Gregorius XV.*	19
770.	*Hadrianus I.*	1
827.	*Hadrianus IV.*	13
1124.	*Honorius II.*	1
1216.	*Honorius III.*	112
1285.	*Honorius IV.*	11
1130.	*Innocentius II.*	6
1198.	*Innocentius III.*	127
1243.	*Innocentius IV.*	132
1352.	*Innocentius VI.*	43
1407.	*Innocentius VII.*	3
1484.	*Innocentius VIII.*	23
1644.	*Innocentius X.*	45
1676.	*Innocentius XI.*	4
1691.	*Innocentius XII.*	4
1721.	*Innocentius XIII.*	6
872.	*Joannes VIII.*	3
956.	*Joannes XII.*	1
1024.	*Joannes XIX.*	1
1276.	*Joannes XXI.*	2
1316.	*Joannes XXII.*	200
1410.	*Joannes XXIII.*	6
1503.	*Julius II.*	28
1550.	*Julius III.*	37
956.	*Leo VIII.* Antipapa.	2
1049.	*Leo IX.*	2
1513.	*Leo X.*	50
1114.	*Lucius II.*	2
1181.	*Lucius III.*	2
1281.	*Martinus IV.*	17
1417.	*Martinus V.*	44
1058.	*Nicolaus II.*	1
1277.	*Nicolaus III.*	21
1288.	*Nicolaus IV.*	44
1318.	*Nicolaus V.* Antipapa.	3
1447.	*Nicolaus V.*	30
1099.	*Paschalis II.*	4
1464.	*Paulus II.*	11
1534.	*Paulus III.*	74
1555.	*Paulus IV.*	10
1605.	*Paulus V.*	66
1458.	*Pius II.*	35
1559.	*Pius IV.*	57
1566.	*Pius V.*	8
999.	*Silvester II.*	1
1471.	*Sixtus IV.*	32
2585.	*Sixtus V.*	19
885.	*Stephanus V.*	1
1055.	*Victor II.*	1
1088.	*Urbanus II.*	5
1185.	*Urbanus III.*	2
1261.	*Urbanus IV.*	28
1302.	*Urbanus V.*	53
1378.	*Urbanus VI.*	7
1623.	*Urbanus VIII.*	172
	Bullæ omnes sunt	2773

INDEX SUMMORUM CAPITUM.

1. De Sacro Romano Imperio, Pag. 1
De Electoribus. 70
De Ducibus (Archiducibus nunc) Austriæ. 71
De Ducibus Bavariæ. 72
De Ducibus Saxoniæ. 75
De Ducibus Brunsvicensibus, & Luneburgensibus. ib.
De Marchionibus Brandemburgi. ibid.
De Duce Mekelburgensi. 77
De Wormatiensibus. ibid.
De Magdeburgensibus. ibid.
De Leodiensibus. ibid.
De Colonensibus. ibid.
De Argentinensibus. 78
De Ducatu Cliviæ. ibid.
De Monasteriensibus. ibid.
2. De Ecclesia Germanica. 79
3. De Ducatu Flandriæ. 85
4. De Ecclesia Flandro-Belgica. 87
5. De Ecclesia Batava. 88
6. De Regno Galliæ. 98
7. De Ecclesia Gallicana. 129
De Parlamento Parisiensi. 139
De Ruthenensi Comitatu. ibid.
De Ducibus Britanniæ. ibid.
De Comitatu Tolosano. 140
De Ducibus Aquitaniæ. 141
De Ducatu Burgundiæ. ibid.
De Civibus Lugdunensibus. 142
De Massiliensibus. ibid.
De Navarræ Regno. ibid.
De Ecclesiis Lotharingiæ. 145
8. De Hispaniarum Regnis. 146
De Cruciatis. ibid.
De Regno Castellæ, & Legionis. 148
De Regno Aragoniæ. 155
De Valentinis. 163
De Pampilonensibus. 164
9. De Ecclesia Hispanica. ibid.
De Regno Majoricano. 173
De Ecclesia Majoricana. 175
De Nunciis Apostolicis in Hispania. 176
10. De Regno Portugalliæ. 177
De Capella Regia. 187
De Ducibus Bragantiæ. 186
De Ecclesia Portugalliæ. ibid.
De Principatu Insularum Fortunatarum. 193
11. De Regno Angliæ. 195
De principatu Walliæ. 208
De Regno insularum. 209
12. De Ecclesia Anglicana. ibid.
13. De Regno Scotiæ. 212
De Ecclesia Scotica. 216
14. De Regno Hiberniæ. ibid.
De Ecclesia Hiberniæ. 217
15. De Regno Siciliæ ultrà pharum. 219
De Regia Capella Imperiali Panormi. 241
De S. Rosalia Regni Siciliæ patrona. ibid.
16. De Ecclesia Sicula. 244
17. De Regno Siciliæ citra pharum, vel Neapolitano. 248.
De Regno utriusque Siciliæ. 254
18. De Ecclesia Sicula citra pharum. 262
19. De Sardinia, & Corsica. 264
20. De Ecclesia Sarda. 266
21. De Regno Corsicæ. 268
22. De Ecclesia Corsica. ibid.
23. De Regno Hungariæ. 269
24. De Ecclesia Hungarica. 281
25. De Regno Bohemiæ. 282
De Capella regia. 289
26. De Ecclesia Bohemica. 290
27. De Regno Poloniæ. 291
28. De Ecclesia Polona. 298
29. De Magno Ducatu Lithuaniæ. 302
30. De Ducatu Prussiæ. 304
31. De Ducatu Livoniæ. 305
32. De Ragno Svetiæ. 307
33. De Ducatu Pomeraniæ. 310
34. De Regno Daniæ. 311
35. De Regno Norvegiæ. 315
36. De Ducatu Sabaudiæ. 317
De Principatu Masserani. 329
37. De Republica Veneta. 331
De Civibus Brixianis. 349
De Civibus Patavinis. 350
De Civibus Tarvisinis. ibid.
De Basilica Ducali Sancti Marci. 355
De Primicerio. 359
38. De Ecclesia Cathedrali. 360
De Canonicis. 364
De Clero Veneto. 367
De Ecclesiis minoribus. 373
39. De Republica Januensi. 383
De Savona urbe. 386
40. De Ecclesia Januensi. 387
De Capitulo Januensi. 388
41. De Republica Lucana. 389
De Ecclesia Lucana. 391
42. De Republica Ragusina. 393
43. De Ducibus Estensibus. 394
De Urbe Mutina. 397
44. De Pisana olim Republica. 398
45. De Ecclesia Pisana. 400
De Canonicis Pisanis. 401
46. De Senensi olim Republica. 402
47. De Ecclesia Senensi. 403
De Canonicis Senensibus. ibid.
48. De Florentina quondam Republica, nunc Magno Hetruriæ Ducatu. 404
49. De Ecclesia Florentina. 406
De Canonicis Florentinis. 407
50. De Ducatu Mantuano. 408
De Episcopatu Mantuano. 402
51. De Ducatu Montisferrati. ibid.
52. De Ducatu Mediolanensi. 410
De Ecclesia Mediolanensi. 412
De Urbe Cremona. 413
De Urbe Laudi. ibid.
53. De Ducatu Parmensi, & Placentino. 414
De Ecclesia Parmensi. 430
De Ecclesia Placentina. ibid.
54. De Burgo vallis Tari. 432
De Urbe Massa. ibid.
De Regno Adriæ. ibid.
55. De Helvetiis. 433
56. De Regno, & Ecclesia Sclavorum. 439
57. De Gebennensibus. 440
De Ecclesia Gebennensi. 441
58. De viris ense, & pileo a Pontificibus insignitis. 443
59. De factionibus, & viris illustribus. 446
60. De Russorum Regno. 451
61. De Tartaria. 453
62. De Ecclesia Persica. 462
63. De Imperio Græco. 463
64. De Ecclesia Græca. 501
65. De Ecclesia Græco-Melchita. 510
66. De Ecclesia Græco-Ruthena. 511
67. De Imperio Nicæno. 517
68. De Imperio Trapezuntino. 518
69. De Achaja. ibid.
70. De Insula Smyrnæ. 519
71. De Regno Cypri. ibid.
De Ecclesia Cypri. 525
72. De Regno Georgiæ. 528
73. De Bulgariæ Regno. 529
74. De Valachia. 531
75. De Moldavia. ibid.
76. De Regno Rasciæ. 532
77. De Regno Bosniæ. 533
78. De Regno Serviæ. 535
79. De Albania. 537
80. De regionibus in Africa. 539
De Babilonia Ægyptoque. ibid.
De Ecclesia Marrochitana. 540
81. De Ecclesiis in partibus infidelium. 541
82. De Armeniæ Regno. 545
De Ecclesia Armena, vel Patriarchatu Antiocheno. 548.
De Ecclesia Armena Maronitica. 549
De Ecclesia Armena Caphensi. 560
De Ecclesia Jacobitica Maronitica. 562
83. De Ecclesia Ægypto-Coptica. 564
84. De Regno Æthiopiæ. 566
De Ecclesia Æthiopica. 567

BULLARUM ARGUMENTA.

DE SACRO ROMANO IMPERIO.

1. Restituuntur omnia Imperii bona Othoni Imperatori. *Leo VIII.* Pag. 1
2. Confirmatur Hadriani III. Pontificis decretum de cognoscendo Romanorum Imperatore pro Rege Italiæ, ad quem potestas eligendi Pontificem, & investiendi Archiepiscopos, & Episcopos pertineat. *Leo VIII.* ibidem.
3. Hortatio ad pacem cum Imperatore Henrico IV. *Gregorius VII.* ibid.
4. Laudatur Henricus quod promiserit, se obtemperaturum justis Pontificiis. *Gregorius VII.* 2
5. Agnetem Imperatricem laudat *Gregorius VII.* ib.
6. Respondetur Henrici litteris, & de victoria Saxonica. *Gregorius VII.* ibid.
7. Henricus (IV.) Imperator excommunicatur. *Greg. VII.* ibidem.
8. Causa excommunicationis Henrici. *Gregorius VII.* ib.
9. Querelæ Pontificis contra Imperatorem Henricum. *Gregorius VII.* ibid.
10. Significat Germaniæ principibus Gregorius, se venturum in Germaniam ad dirimendam litem de Imperio inter Henricum, & Rodulphum. *Gregorius VII.* 3
11. Expositio quam patienter Gregorius sustinuerit Henricum, & adhortatio, ut benigne recipiantur ausugientes ab Henrico. *Gregorius VII.* ibid.
12. Hortatio ad Germaniæ principes, ut reducant ad pœnitentiam Henricum, aut eo nolente reduci, alium eligant in Imperatorem. *Gregorius VII.* 4
13. Absolutio Imperatoris Henrici, *Gregorius VII.* ib.
14. Henrici juramentum. ibid.
15. De tentanda pace inter Henricum, & Rodulphum. *Gregorius VII.* ibid.
16. Mandat Gregorius, ut sibi salvus conductus detur, ut tutus in Germaniam pervenire possit. *Greg. VII.* ibidem.
17. Narratur, quomodo Henricus Legatos ceperit, & juramento non steterit. *Gregorius VII.* ibid.
18. Citatur Romam Guilbertus Archiepiscopus Ravennas princeps adhærentium Henrico. *Gregorius VII.* 5
19. Deponitur Archiepiscopus Ravennas, jubeturque clerus, & populus ei non parere. *Gregorius VII.* ib.
20. Faventes bello excommunicati declarantur. *Greg. VII.* ibidem.
21. Purgat se Gregorius, quod favere diceretur Henrico. *Gregorius VII.* ibid.
22. Iterum excommunicatur Henricus. *Gregorius VII.* ib.
23. De Henrico rege ad Episcopos per Apuliam, & Calabriam constitutos. *Gregorius VII.* 6
24. De expeditione adversus schismaticum Papam Clementem III. *Gregorius VII.* ibid.
25. Quibus auxiliis fidendum sit de superando Henrico. *Gregorius VII.* ibid.
26. De Duce Welphone excitando ad fidelitatem erga S. Sedem. *Gregorius VII.* ibid.
27. De rege Henrico. *Gregorius VII.* 7
28. Excitantur fideles ad constantiam. *Gregorius VII.* ib.
29. De rege Rodulpho, & rege Henrico. *Gregorius VII.* ibidem.
30. Violenta concessio Henrico investiendi de beneficiis. *Paschalis II.* ibid.
31. Ne Ecclesiastici investituras a Laicis accipiant. *Paschalis II.* ibid.
32. Absolutio Henrici. *Callixtus II.* ibid.
33. Restitutio investiturarum facta ab Henrico. 8
34. Aliqua privilegia conceduntur Henrico. *Callixtus II.* ibidem.
35. Investitur Imperator Lotharius de allodio Comitissæ Mathildis. *Innocentius II.* ibid.
36. Consolatur Pontifex Imperatorem Conradum. *Eugenius III.* ibid.
37. De Archiepiscopo Londinensi, & de beneficiis ab Ecclesia Friderico collatis. *Hadrianus IV.* ibid.
38. Germaniæ præsules rogantur, ut Fridericum placent. *Hadrianus IV.* ibid.
39. Litteras ad Imperatorem missas excusat Pontifex. *Hadrianus IV.* 9
40. Reprehenditur Fridericus, quod ab Episcopis juramentum fidelitatis exigat. *Hadrianus IV.* ib.
41. De pace Venetiis facta cum Imperatore Friderico. *Alexander III.* ibid.
42. Significantur Episcopo Moguntino, quæ acciderint in electione Imperatoris. *Innocentius III.* ibid.
43. Hortatio ad pacem, & concordiam. *Innocentius III.* ib.
44. Philippo respondetur. *Innocentius III.* 10
45. Hortatio ad Angliæ regem, ut Imperatori Othoni faveat. *Innocentius III.* ibid.
46. Angliæ rex monetur ut legatam pecuniam det Othoni. *Innocentius III.* ibid.
47. Discussio quis e tribus sit eligendus Imperator. *Innocentius III.* ibid.
48. Gratulatio, quod Otho fuerit electus Imperator. *Innocentius III.* ibid.
49. Hortatio ad principes Alemanniæ, ut Othonem IV. prosequantur obsequio, & reverentia. *Innoc. III.* ib.
50. Excitatur Joannes ad dandam pecuniam Othoni. *Innocentius III.* 11
51. Archiepiscopus Colonienſis, ejusque suffraganei, & principes in districtu Colonienſi excitantur ad concordiam. *Innocentius III.* ibid.
52. Ad Galliæ regem litteræ de electione Othonis. *Innocentius III.* ibid.
53. Contra principum accusationes purgatio. *Innocent. III.* ibidem.
54. Regi Galliæ stanti pro Philippo respondetur. *Innocentius III.* 12
55. A levitatis objecto crimine se purgat *Innocentius III.* ibidem.
56. Fraus Philippi Ducis detegitur. *Innocentius III.* ib.
57. Alia fraus fautorum Philippi detegitur. *Innocent. III.* ibidem.
58. Consilium Insubrium præcipue exquiritur a Pontifice in negotio Imperii. *Innocentius III.* ib.
59. Reprehenditur Magdeburgensis Archiepiscopus, quod non adhæreat Othoni. *Innocentius III.* 13
60. Othonis litteris respondetur. *Innocentius III.* ibid.
61. Coarguitur Adolphus Archiepiscopus Colonienſis, quod defecisset ab Othone, jubenturque Canonici ei non parere. *Innocentius III.* ibid.
62. Gratulatur Pontifex Philippo de ejus absolutione. *Innocentius III.* ibid.
63. Litteris Othonis respondet Pontifex. *Innocentius III.* ibidem.
64. Ad regem Galliæ Philippum pro Othone. *Innoc. III.* ibidem.
65. Respondetur Othonis litteris. *Innocentius III.* ib.
66. De pace Theutoniæ illius prælatis gratulatio. *Innocentius III.* 14
67. De Friderico Siciliæ Rege Imperium ambiente. *Innocentius III.* ibid.
68. Sententiam excommunicationis latam in Othonem jubet Pontifex innovari. *Innocentius III.* ibid.
69. De coronatione Friderici, de ejus expeditione in Terram Sanctam. *Honorius III.* ib.
70. Scissio actorum ab Othone in Episcopum Cumanum. *Innocentius III.* ibid.
71. Reprehenditur Fridericus, quod ire in Terram Sanctam distulerit. *Honorius III.* ibid.
72. Saxoniæ Duci mandatur, ut signa Imperialia tradat Friderico. *Honorius III.* ibid.
73. Friderici in Imperatorem coronatio. *Honorius III.* 15
74. Querelæ Pontificis ad Fridericum de amisso exercitu, & Damiata. *Honorius III.* ib.
75. Reprehenditur Fridericus de impedita Canonica Episcopali electione. *Honorius III.* ibid.
76. Impedimentum matrimoniale in favorem Friderici tollitur. *Honorius III.* ibid.
77. Nunciatur Friderico provisio quarumdam Ecclesiarum. *Honorius III.* ibid.
78. Reprehenditur Fridericus, quod ecclesiasticam libertatem violarit. *Honorius III.* ibid.
79. De quibusdam male factis reprehenditur Fridericus. *Honorius III.* 16
80. De pace inter Fridericum, & Lombardos. *Honor. III.* ibidem.
81. De juribus Imperii in partibus provinciæ, & regni Arelatensis. *Honorius III.* ibid.
82. Hortatio ad Fridericum, ut in regno Hierosolymitano Socerum conservet. *Honorius III.* 17
83. Quædam monita ad Fridericum ut ad bonam frugem redeat. *Honorius III.* ibid.
84. Significatur Ecclesiarum prælatis in Fridericum sententia. *Gregorius IX.* ibid.
85. Multorum criminum incusatur Fridericus. *Gregorius IX.*

Hic apponenda erat hæc Bulla, quæ ex errore impressa fuit pagina 16.

86. Paterna monita ad Fridericum. *Gregorius IX.* 18
87. Episcopis, &c. per Apuliam significatur sententia in Fridericum. *Gregorius IX.* ibid.
88. Rursus monetur Fridericus. *Gregorius IX.* ib.
89. De Friderico, qui moverat bellum in Pontificem. *Gregorius IX.* ibid.
90. A Rege Suetiæ imploratur auxilium contra Fridericum. *Gregoorius IX.* ibid.
91. Archiepiscopo Mediolanensi, & ejus suffraganeis narrantur crimina Friderici in Terra Sancta. *Gregorius IX.* 19
92. De Friderici flagitiis. *Gregorius IX.* 20

93. Archiepiscopus Lugdunensis jubetur auxilium Ecclesiæ ferre. *Gregorius IX.* ibid.
94. Propositiones pacis Friderico propositæ. *Gregorius IX.* ibidem.
95. Oratur Fridericus liberare aliquos in carcere detentos. *Gregorius IX.* ibid.
96. Ad regem Franciæ de pace cum Imperatore facta. *Gregorius IX.* 21
97. Excitatur Fridericus ad clementiam. *Gregorius IX.* ib.
98. Admonetur Fridericus, ut leges latas contra ecclesiasticam libertatem revocet. *Gregorius IX.* ib.
99. Mitigare Fridericum studet *Gregorius IX.* ib.
100. De titulis prætermissis in suis litteris a Pontifice. *Gregorius IX.* ibid.
101. Hortatio ad Fridericum, ut Persis semet opponat. *Gregorius IX.* ibid.
102. Commendatur Fridericus pollicitus, se Ecclesiæ defensionem susceperum. *Gregorius IX.* 22
103. Increpatur Fridericus, quod Saracenos foveat. *Gregorius IX.* ibid.
104. Friderici querelis satisfit. *Gregorius IX.* ibid.
105. Ad clementiam studet Pontifex inducere Fridericum. *Gregorius IX.* ibid.
106. Ad Germaniæ principes, ut Henrico filio Imperatoris ambienti contra Patrem imperium resistant. *Gregorius IX.* ibid.
107. Dissuadetur Fridericus, ne bellum Insubribus moveat. *Gregorius IX.* 23
108. Se purgat a criminationibus Friderici *Gregorius IX.* ib.
109. Reprehenditur Imperator ob Ecclesias Siciliæ oppressas. *Gregorius IX.* ibid.
110. Respondet Gregorius litteris Friderici. *Gregorius IX.* ibidem.
111. De tuendis juribus Imperii. *Gregorius IX.* 24
112. Excitatur Fridericus ad expeditionem in Terram S. *Gregorius IX.* ibid.
113. Excommunicatur Fridericus, & quibus de causis. *Gregorius IX.* ibid.
114. Publicatur pars litterarum Friderici, & excitantur præsules ad Ecclesiæ defensionem. *Gregorius IX.* ib.
115. Monentur Episcopi, ut populos suos moneant, ne audiant blasphemias Friderici. *Gregorius IX.* 25
116. Mandatur, ut Episcopi Germaniæ publicent excommunicationem in Fridericum latam. *Gregorius IX.* ib.
117. Mandatur, ut denuntientur absoluti populi ab juramento fidelitatis in Fridericum. *Gregorius IX.* ib.
118. Labefactantur objecta Friderici. *Innocentius IV.* ib.
119. Contractus initus a Frajapanibus cum Friderico reprehenditur. *Innocentius IV.* 26
120. De Friderici inconstantia. *Innocentius IV.* 27
121. Offertur pax Friderico. *Innocentius IV.* ibid.
122. Scribitur eidem Patriarchæ. *Innocentius IV.* ib.
123. Confirmatio excommunicationis, *Innocentius IV.* ib.
124. De ratione, qua sententia in Fridericum lata fuit. *Innocentius IV.* 28
125. Proponitur Lantgravius Thuringiæ eligendus in Imperatorem. *Innocentius IV.* ibid.
126. Suadetur Regi Bohemiæ electio Lantgravii. *Innocentius IV.* ibid.
127. Moguntinus Archiepiscopus laudatur, quod promoverit electionem, rogaturque ut regi faveat, & assistat. *Innocentius IV.* ibid.
128. Gratulatio de electione Henrici, & hortatio. *Innocentius IV.* ibid.
129. Mandatur Legato A. ut renuentes principes agnoscere Regem Henricum, ad id adigat. *Innocent. IV.* 29
130. Hortatio ad Germaniæ principes, ut Henrico pareant. *Innocentius IV.* ibid.
131. Excitantur Siculi ad excutiendum jugum Friderici. *Innocentius IV.* ibid.
132. De audiendo Friderico se volente de hæresis suspicione purgare. *Innocentius IV.* ibid.
133. Ad Regem Galliæ de Friderico. *Innocentius IV.* 30
134. Mittit in Germaniam legatum suum cum facultatibus *Innocentius IV.* ibid.
135. Guillelmo ut faveant, hortatur Pontifex principes. *Innocentius IV.* ibid.
136. Gratiæ aguntur Colonienſibus, quod receperint Guillelmum. *Innocentius IV.* ibid.
137. Episcopos Germaniæ cogat Legatus assistere Guillelmo. *Innocentius IV.* ibid.
138. Quidam prælati subsidia negantes citantur in judicium. *Innocentius IV.* ibid.
139. De excommunicatione lata in Fridericum. *Innocentius IV.* 31
140. Cruciata in Fridericum, & Conradum indicitur. *Innocentius IV.* ibid.
141. In Ratisponenſes adhærentes Friderico censuræ. *Innocentius IV.* ibid.
142. De morte Friderici, & de Siculis. *Innocentius IV.* ibidem.
143. Imperatori Guillelmo pollicetur Pontifex imperialia ornamenta. *Innocentius IV.* ibid.
144. Cruciatæ publicatio in Conradum in Germania jubetur. *Innocentius IV.* ibid.
145. Declaratio, nunquam Ecclesiam Romanam passuram Conradum futurum Imperatorem, & Ducem Sueviæ. *Innocentius IV.* 32
146. Sententia Guillelmi confirmatur. *Innocentius IV.* ib.
147. Sententia Guillelmi in Conradum communitur. *Innocentius IV.* ibid.
148. De cæde aliquot copiarum Imperatoris, *Innocentius IV.* ibidem.
149. Ne eligatur in Imperatorem Conradus Friderici II. Imperatoris Nepos. *Alexander IV.* ibid.
150. Se excusat Pontifex, si statim in Imperatorem non agnoscit Alphonsum. *Urbanus IV.* ibid.
151. Ne eligatur Conradinus in Imperatorem. *Urbanus IV.* 33.
152. Ad Regem Bohemiæ de eodem argumento litteræ. *Urbanus IV.* ibid.
153. Disquisitio uter nominandus sit Imperator Cornubiæ Comes, an Alphonsus. *Urbanus IV.* ibid.
154. Nimii studii in Alphonsum suspicionem a se removere nititur *Urbanus IV.* ibid.
155. Discussio ad utrum supradictorum spectet imperium. *Urbanus IV.* ibid.
156. Rogatur Richardus, ut Regi Fratri opituletur. *Urbanus IV.* 34
157. Dies dicendæ causæ Richardo prorogatur. *Urbanus IV.* ibidem.
158. Mandatum, ne Conradinus eligatur in Imperatorem. *Clemens IV.* ibid.
159. Citatur Alphonsus ad proferendas rationes suas. *Clemens IV.* 35
160. Reprehenditur Alphonsus, quod authentica instrumenta non miserit. *Clemens IV.* ibid.
161. Negat Pontifex se posse coronare Alphonsum. *Clemens IV.* ibid.
162. Respondetur Regi querenti de brevitate termini. *Clemens IV.* ibid.
163. Ad eumdem litteræ gratulatoriæ de recuperata urbe Granatæ. *Clemens IV.* ibid.
164. Decidendæ controversiæ terminus producitur. *Clem. IV.* 36.
165. Ad Bohemiæ Regem de eligendo Imperatore. *Clemens IV.* ibid.
166. Ad populum Alphonsi respondetur. *Gregorius IX.* ib.
167. Respondetur litteris regis Alphonsi. *Gregorius X.* ib.
168. De electione Rodulphi in regem Romanorum. *Gregorius X.* 37
169. Edocetur Nuntius Pontificis, quæ argumenta afferre Alphonso debeat, ut Imperatoris titulum deponat. *Gregorius X.* ibid.
170. De eodem argumento litteræ. *Gregorius X.* ib.
171. Se paret Rodulphus ad accipienda imperialia insigna. *Gregorius X.* ibid.
172. Episcopi Germaniæ excitantur ad comitandum Imperatorem coronandum. *Gregorius X.* ibid.
173. Monetur Rodulphus de militia Hispana in Insubriam ab Alphonso missa contra eumdem. *Gregorius X.* ibidem.
174. Rursus monetur Imperator ut milites mittat. *Gregorius X.* 38
175. Ad Archiepiscopum Hispalensem, quid agere debeat in Alphonsum. *Gregorius X.* ibid.
176. Dissuadetur Imperator Rodulphus ab ingressu in Italiam. *Nicolaus III.* ibid.
177. Imperator Rodulphus I. rogatur, ut ratificet quæ sponderat. *Nicolaus III.* ibid.
178. Joannes Elector Brandeburgicus rogatur, ut præstet suum assensum Rodulpho privilegia S. Sedis confirmanti. *Nicolaus III.* ibid.
179. Suadetur Imperatori pax cum Carolo Siciliæ Rege. *Nicolaus III.* 39
180. Petitionibus Imperatoris respondetur. *Nicolaus III.* ib.
181. Statuitur dies coronationis Rodulphi. *Honorius IV.* ib.
182. De adventu Rodulphi in Italiam pro coronatione. *Nicolaus IV.* ibid.
183. De decimis concessis Regi Galliæ super Imperii Ecclesiis. *Nicolaus IV.* ibid.
184. Commendatur Imperatori Hungariæ regnum. *Nicolaus IV.* ibid.
185. De Regno Hungariæ. *Nicolaus IV.* ibid.
186. Rogatur Rodulphus, ut expellat e sua aula Comitem Tyroli Brixiensem, & Tridentinam Ecclesiam vastantem. *Nicolaus IV.* 40
187. Adolphus excitatur ad pacem. *Bonifacius VIII.* ibidem.
188. Reprehenditur Adolphus quod bellum moverit Regi Galliæ. *Bonifacius VIII.* ibid.
189. Induciæ indicuntur. *Bonifacius VIII.* ibid.
190. De occiso Imperatore Adolpho ab Alberto. *Bonifacius VIII.* ibid.
191. Confirmatur electio Alberti in Imperatorem. *Bonifacius VIII.* 41

192. De electione Alberti in regem Romanorum. *Bonifacius VIII.* ibid.
193. Carolus Hungariæ rex commendatur Alberto. *Bonifacius VIII.* ibid.
194. Henrici VII. in Imperatorem electio confirmatur. *Clemens V.* 42
195. Juramentum ab Henrico præstitum Ecclesiæ. *Clemens V.* ibidem.
196. Coronatio Henrici. *Clemens V.* ibid.
197. Ludovico Bavaro Imperatori electo suadetur pax. *Joannes XXII.* ibid.
198. Ne quisquam sibi in Italia Vicariatum Imperatore mortuo sumat. *Joannes XXII.* ibid.
199. Suadetur Friderico in Romanorum regem electo fœdus cum Carolo Hungariæ rege. *Joannes XXII.* ibid.
200. Contra Ludovicum Bavarum ejusque asseclas in Italia. *Joannes XXII.* 43
201. Contra Ludovicum, & alios sententia. *Joannes XXII.* ibidem.
202. Excommunicatio in Imperatorem Ludovicum Bavarum ejusque asseclas Lombardiam devastantes. *Joan. XXII.* ibidem.
203. Ne Fridericus fœdus cum Ludovico ineat. *Joan. XXII.* ibidem.
204. Germanis postulantibus, ut Pontifex declaret regem Fridericum Austriæ respondetur. *Joannes XXII.* ib.
205. Archiepiscopo Magdeburgensi mandatur, ut processus contra Ludovicum in sua provincia publicet, & observari faciat. *Joannes XXII.* 44
206. Privatur Ludovicus dignitatibus, & honoribus, citaturque Avenionem tanquam hæreticus. *Joannes XXII.* ibidem.
207. Hortatio ad populum Romanum, ut expellat Ludovicum, ejusque asseclas Roma, neque illi pareat. *Joannes XXII.* ibid.
208. Coronatio Ludovici Bavari facta, Ducalis dignitas collata ab illo Castruccio Castracani reprobatur. *Joannes XXII.* ibid.
209. Declaratur rursus hæreticus Ludovicus, Italiæque provinciæ jubentur eum, ejusque partes deserere. *Joannes XXII.* ibid.
210. Dies electionis Imperatoris prorogatur. *Joan. XXII.* 45
211. Alius locus præter Franchofurtum permittitur pro electione Regis. *Joannes XXII.* 46
212. Sententia prolata a Ludovico Bavaro contra Joannem XXII. confirmatur ab Antipapa. *Nicolaus V.* ib.
213. Ne populus pareat Jacobo de Cadurco. *Nicolaus V.* ibidem.
214. Minatur Antipapa se usurum pœnis in inobedientes. *Nicolaus V.* ibid.
215. Joannes decernit recipere Petrum de Corbario resipiscentem. *Joannes XXII.* ibid.
216. Modus præscribitur Archiepiscopo Pisano recipiendi ad Ecclesiam Petrum. *Joannes XXII.* ibid.
217. Gaudium suum explicat Pontifex. *Joannes XXII.* 47
218. Excommunicatio quorumdam Fratrum Ord. MM. de Observantia Ludovici Bavari Imperatoris fautorum. *Joannes XXII.* ibid.
219. Supradictorum absolutio. *Clemens VI.* ib.
220. De Imperio non dando Ludovico. *Joannes XXII.* ib.
221. Tractatus pro Bavaro refellitur, & Rex objurgatur. *Joannes XXII.* 48
222. De reditu Ludovici Bavari ad Ecclesiam. *Joan. XXII.* ibidem.
223. De Legatis Ludovici, & de visione Beatifica. *Benedictus XII.* ibid.
224. De fœdere inito cum Rege Angliæ contra Regem Franciæ. *Benedictus XII.* 49
225. Querelæ de violatis sponsionibus. *Benedictus XII.* ib.
226. Novæ querelæ Pontificis ad Ludovicum. *Benedictus XII.* ibidem.
227. Expositio malorum a Ludovico Imperatore patratorum. *Benedictus XII.* 50
228. Hortatio ad Angliæ Regem, ne velit esse Vicarius Ludovici Imperatoris. *Benedictus XII.* ibid.
229. Decanus Ecclesiæ Tarvisinæ absolvitur ab excommunicatione. *Benedictus XII.* ibid.
230. Se admissurum ad Ecclesiæ sinum Ludovicum testatur. *Benedictus XII.* ibid.
231. Monitorium ad Ludovicum Bavarum. *Clemens VI.* 51
232. Sententia in Ludovicum. *Clemens VI.* ibid.
233. Electores invitantur ad electionem Regis: Brandeburgicus excluditur. *Clemens VI.* ibid.
234. Gratulatur Pontifex Carolo de ejus electione. *Clemens VI.* ibid.
235. Confirmatio electionis Caroli IV. Bohemiæ Regis, & Moraviæ Marchionis in Imperatorem. *Clemens VI.* ibidem.
236. Modus præscribitur admittendi ad absolutionem fequaces Ludovici Bavari. *Clemens VI.* ibid.
237. Gratiæ aguntur Carolo, quod Nicolaum Laurentii comprehendi jusserit: rogaturque ut eum ad curiam mittat. *Clemens VI.* 52
238. Imperatoris gratulatoriis litteris respondetur. *Innocentius VI.* ibid.
239. De adventu Caroli in Italiam, ejusque coronatione. *Innocentius VI.* ibid.
240. Substituuntur tres Patriarchæ Archiepiscopo Mediolanensi, si nolit, aut non possit Modoetiæ Carolum coronare. *Innocentius VI.* ibid.
241. Ritus coronationis Caroli. *Innocentius VI.* ib.
242. Mandatur Carolo, ut fidelitatem juret. *Innocentius VI.* ibidem.
243. De consilio Ecclesiæ terras recuperandi grates aguntur Carolo. *Innocentius VI.* 53
244. Rogatur Carolus ut pacem inter Reges Galliæ, & Angliæ conciliet. *Innocentius VI.* ibid.
245. Gratiæ actæ Carolo de oblato auxilio. *Innocentius VI.* ibidem.
246. Ad regem de cleri moribus corrigendis. *Innocent. VI.* ibidem.
247. De pace, & de suo in Italiam itinere. *Urbanus V.* ibidem.
248. Rogatur Carolus ut componat Rodulphum, & Stephanum Bavarum. *Urbanus V.* ibid.
249. Consulitur Carolo, ut præeat in Italiam cum exercitu. *Urbanus V.* ibid.
250. De oblato auxilio grates aguntur Carolo. *Urbanus V.* 54.
251. De damnatione libri *Speculum Saxonum* inscripti. *Gregorius XI.* ibid.
252. De suo desiderio restituendi sedem Romæ. *Gregor. XI.* ibidem.
253. Facultas datur Carolo eligendi per electores Filium suum VVenceslaum in Regem Romanorum. *Gregorius XI.* ibid.
254. Ad Carolum, ut fœdera facta cum hæreticis dissolvat. *Urbanus VI.* ibid.
255. Objurgatur VVenceslaus quod cum hæreticis fœdus fecerit. *Urbanus VI.* ibid.
256. De VVenceslai coronatione, & de decimis illi concessis. *Bonifacius IX.* 55
257. Confirmatur VVenceslai depositio, & electio Ruperti. *Bonifacius IX.* ibid.
158. Gratulatur Pontifex Sigismundo de coronatione ejus Aquisgrani facta, invitaturque Constantiam. *Joannes XXIII.* ibid.
259. Laudatur Imperator, quod se devoverit bello in Hussitas. *Martinus V.* ibid.
260. De eodem argumento. *Martinus V.* ibid.
261. De Polono, & Lithuano paratis in Hussitas arma movere. *Martinus V.* 56
262. Impediat Imperator certamen inter Ducem Burgundiæ, & Ducem Glocestriæ. *Martinus V.* ib.
263. De colloquio habendo cum Imperatore. *Eugen. IV.* ib.
264. Rogatur Imperator, ut factiosos coerceat. *Eugen. IV.* ibidem.
265. De concilii decreto approbato. *Eugenius IV.* ibid.
266. Grates aguntur Imperatori, quod causam Ecclesiæ contra Ducem Mediolani susceperit. *Eugenius IV.* 57
257. De unione Ecclesiæ Græcæ cum Latina. *Eugenius IV.* ibidem.
268. De Rege Poloniæ ad pacem sollicitato. *Eugenius IV.* ibidem.
269. Gratulatio de Alberti electione in Imperatorem. *Eugenius IV.* ibid.
270. Monetur Albertus ut strenue Ecclesiam defendat. *Eugenius IV.* ibid.
271. De eodem argumento. *Eugenius IV.* ibid.
272. Mandata data Nuntiis AA. ituris ad electionem Imperatoris Francfurtum. *Eugenius IV.* ibid.
273. Ex eo quod Fridericus Mediolani coronatus non fuerit nullum præjudicium illi Ecclesiæ generari debet. *Nicolaus V.* 58
274. Coronatio ejusdem Friderici Romæ facta. *Nicolaus V.* ibidem.
275. Hortatio ad Fridericum, ut opituletur Ladislao Hungariæ Regi contra Turcas. *Callixtus III.* ib.
276. Ad pacem cum Hungariæ Rege excitatur Imperator. *Callixtus III.* ib.
277. Germanorum querelæ in Pontificem refutantur. *Callixtus III.* ibid.
278. Excitatur Imperator ad concordiam cum Hungaro ineundam. *Pius II.* 59
279. Suadetur Imperatori ut permittat eligi in supremum exercitus in Turcas Ducem Electorem Palatinum. *Pius II.* ibid.
280. Gratulatio de pace facta cum Hungariæ Rege, & de pace Italiæ. *Paulus II.* ibid.
281. Hungariæ Regi auxilietur Imperator. *Sixtus IV.* ib.
282. Gratulatio de electione Maximiliani in Regem Romanorum. *Innocentius VIII.* ibid.
283. Mittitur Legatus ad Imperatorem, & Germanos, ut accendantur in Carolum VIII. Galliarum Regem. *Alexander VI.* ibid.
284. De Cardinalibus schismaticis reconciliatis. *Leo X.* 60
285. De

285. De Morte Ferdinandi Regis Catholici. *Leo X.* ib.
286. Gratulatio de Caroli electione in Imperatorem. *Leo X.* ibidem,
287. De comprimendo Martino Luthero. *Clemens VII.* ib.
288. Observantia jejuniorum remittitur Carolo. *Clemens VII.* ibidem.
289. De Alberto Magno Magistro Theutonicorum in Prussia, *Clemens VII.* 61
290. Confirmatur electio Caroli V. in Romanorum Imperatorem. *Clemens VII.* ibid.
291. Criminationes in Carolum V. Imperatorem, & Hispaniarum Regem. *Clemens VII.* ibid.
292. Præoccupat Clemens Cæsarem, si necessitate adductus quædam consilia sequi cogitur. *Clemens VII.* 62
293. Coronatio ejusdem Imperatoris. *Clemens VII.* ibid.
294. Confirmatur electio Ferdinandi in Romanorum Regem. *Clemens VII.* ibid.
295. Gratulatur Pontifex Ferdinando de adepta dignitate. *Clemens VII.* ibid.
296. De Concilii celebratione. *Clemens VII.* ibid.
297. Hortatio ad Imperatorem, ut succurrat Sabaudo impugnato ab Hæreticis Helvetiis. *Clemens VII.* ib.
298. Commendat moriturus Pontifex suam familiam Imperatori, *Clemens VII.* ibid.
299. De morte Cardinali Roffensi ab Henrico Angliæ Regi illata. *Paulus III.* 63
300. Litteræ gratulatoriæ de capto Tunetano regno. *Paulus III.* ibid.
301. Ne jura Aquilejensis Ecclesiæ lædi permittat Ferdinandus. *Paulus III.* ibid.
302. Improbatur recessus conventus Spirensis. *Paulus III.* 64
303. Ne in Conventu VVormatiensi quicquam agatur de Religione. *Paulus III.* ibid.
304. Gratulatur Pontifex Cæsari de relatis e Lutheranis victoriis. *Paulus III.* ibid.
305. Gratulatio de sedata Bohemia. *Paulus III.* ibid.
306. Auxilium Imperatoris imploratur contra Gallos. *Julius III.* 65
307. De nuptiis Philippi cum Maria Angliæ Regina conciliatis gratulatio. *Julius III.* ibid.
308. Laudatur Rex Ferdinandus, quod in Comitiis Augustanis fidem defenderit, & de instituenda Academia Pragæ. *Paulus IV.* ibid.
309. De convocatione Concilii Tridentini. *Pius IV.* ib.
310. Postulatis Imperatoris respondet *Pius IV.* ib.
311. Aliis postulatis Cæsaris respondetur. *Pius IV.* 66
312. Responsa ad postulata Principum Germaniæ. *Pius IV.* ibidem.
313. Confirmatur electio Matthiæ in Romanorum Regem. *Paulus V.* 68
314. Primariarum precum concessio Matthiæ. *Paulus V.* ib.
315. Ferdinandus Imperator absolvitur a censuris ob remotionem Cardinalis Ceselii. *Paulus V.* ibid.
316. Confirmatio electionis Ferdinandi in Imperatorem. *Paulus V.* ibid.
317. Concessio primariarum precum. *Paulus V.* ibid.
318. De electione facienda alicujus probi, & strenui viri in Romanorum Imperatorem. *Urbanus VIII.* 69
319. Consulit Urbanus juribus S. R. E. in electione, & confirmatione Imperatoris. *Urbanus VIII.* ibid.
320. Confirmatio electionis Ferdinandi III. *Urbanus VIII.* ib.
321. Concessio primariarum precum. *Urbanus VIII.* ibid.
322. Declaratio super actibus occasione Leopoldi Archiducis Austriæ in Imperatorem. *Alexander VII.* ib.
323. Conqueritur Pontifex, milites Imperatoris Josephi in ditionibus Ecclesiæ hyemare. *Clemens XI.* ibid.
324. Reprehenditur Josephus I. Imperator, quod quædam loca S. R. E. occuparit. *Clemens XI.* ibid.
325. Gravior objurgatio ad eumdem Imperatorem. *Clemens XI.* ibid.
326. Declaratur nullitas primariarum precum Vicariorum Imperialium. *Clemens XI.* 70
327. Declaratio super actibus a Pontifice factis occasione electionis Caroli VI. in Imperatorem. *Clemens XI.* ibidem.
328. Confirmatio electionis Caroli VI. in Imperatorem. *Clemens XI.* ibid.
329. Concessio eidem Carolo primariarum precum. *Clemens XI.* ibid.

DE ELECTORIBUS.

330. De Concilii OEcumenici celebratione. *Clemens VII.* ibidem.
331. De custodia arcis Niciæ, & de pace. *Paulus III.* 71
332. Respondetur statibus Imperii posscentibus, ut Concilium Tridentum transferatur. *Paulus III.* ibid.

DE DUCIBUS (ARCHIDUCIBUS NUNC) AUSTRIÆ.

333. Ne assentiatur Leopoldus conditionibus Ludovici Bavari. *Joannes XXII.* ibid.
334. De Friderici electionis confirmatione. *Joannes XXII.* ib.

335. Othonem Austriacum in partes suas pertrahere nititur *Joannes XXII.* 72
336. Albertus rogatur ut ad rectum tramitem reducat Ludovicum Bavarum. *Benedictus XII.* ibid.
337. De Ludovico Bavaro. *Clemens V.* ibid.
338. Monetur Philippus, ut in Ducatu Brabantiæ abusus tollat. *Alexander VI.* ibid.
339. Gratulatio de adita hereditate, & de pace componenda. *Julius II.* ibid.
340. Populis Austriæ, &c. auxilium pollicetur *Clemens VII.* ibidem.

DE DUCIBUS BAVARIÆ, ET PALATINIS.

341. Solvitur Henricus ab jurato fœdere cum Ludovico Bavaro. *Benedictus XII.* ibid.
342. Absolvendi a censuris Albertum Ducem Bavariæ facultas. *Innocentius VI.* 73
343. Stephanus Bavariæ Dux a censuris absolvitur cum aliis Fratribus, *Innocentius VI.* ibid.
344. Datur ampla facultas Stephano agendi cum Antipapa Clemente VII. *Bonifacius IX.* ibid.
345. Excitatur Dux in Bohemos. *Martinus V.* ibid.
346. Hortatio ad pacem. *Sixtus IV.* ibid.
347. Hortatur Leo Palatinum Comitem, ut probum Imperatorem eligat. *Leo X.* 74
348. De Smalcaldica Lutheranorum conjunctione, *Paulus III.* ibidem,
349. Laborent iidem Duces restitui Catholicam religionem. *Paulus III.* ibid.
350. Causa, cur differendum sit Concilium. *Paulus III.* ib.
351. De instaurata Academia Ingolstadii. *Julius III.* ib.
352. Rogatur Albertus, ut in Comitiis Augustanis Catholicam fidem tueatur. *Paulus IV.* ibid.
353. Laudatur Albertus, quod sit religionem turatus. *Paulus IV.* 75

DE DUCIBUS SAXONIÆ.

354. Dissuadet Pontifex Duci, ne interveniat conventui habendo a Ludovico Bavaro. *Joannes XXII.* ib.
355. Rogatur Dux, ut Concilium Basileense protegat. *Eugenius IV.* ibid.
356. Hortatio ad Ducem ut perstet in fide. *Clemens VII.* ibidem.

DE DUCATU BRUNSVICENSI, ET LUNEBURGENSI.

357. Gratulatur Pontifex Duci Brunsv. quod liberatus fuerit e carcere. *Paulus III.* ibid.
358. Litteris Ducis respondet *Paulus III.* ib.

DE MARCHIONIBUS BRANDEMBURGI.

359. Gratulatur Marchioni Pontifex, quod electus dux fuerit exercitus in Bohemos. *Martinus V.* ibid.
360. Rogatur Marchio, ut mittat Pontificias litteras ad Regem Poloniæ, Ducemque Lithuaniæ. *Martinus V.* ibidem.
361. Hortatio ad Marchionem, ut virum probum eligat in Imperatorem. *Eugenius IV.* 76
362. Laudatur Marchio de pace facta, invitaturque Mantuam. *Pius II.* ibid.
363. Excitatur ad pacem faciendam inter Comitem Palatinum, & Bavariæ Ducem idem Marchio. *Pius II.* ibidem.
364. Commendatur Elector quod in conventu Augustano tutatus est Catholicam religionem. *Clemens VII.* ib.
365. Rursus idem Elector laudatur. *Clemens VII.* ibid.
366. Ne permittant Brandemburgenses Marchionatum Brandemburgi dari Filio Ludovici Bavari. *Joannes XXII.* ibidem.

DE DUCE MEKELBURGENSI.

367. Mandatur Cardinali Antonio Barberino absolvere ab hæresi Christianum Ducem Mekelburgi. *Alexander VII.* 77

De VVormatiensibus.

368. Dantur privilegia VVormatiensibus. *Alexander VII.* ibidem.

De Magdeburgensibus.

369. Absolvuntur Magdeburgenses a censuris ob illatam Buchardo Archiepiscopo necem. *Joannes XXII.* ib.

De Leodiensibus.

370. Ne permittant Leodienses Episcopum suum parere Ludovico. *Benedictus XII.* ibid.

De Colonienſibus.

371. Laudatur Colonienſium conſtantia in fide. *Clemens VII.* ibidem.
372. Hortatio ut *in* fide perſtent. *Paulus III.* ib.
373. Ne permittant Lutheranos in Dioeceſi Colonienſi prædicare. *Paulus III.* 78
374. Acta judiciaria contra Archiepiſcopum mittuntur ad Colonienſes. *Paulus III.* ibid.

De Argentinenſibus.

375. Invitantur ad Concilium Argentinenſes. *Pius IV.* ib.

De Ducatu Cliviæ.

376. Loca Ducis Cliviæ in Epiſcopatibus Colonienſi, & Monaſterienſi ſubjiciuntur alii Epiſcopo. *Eugenius IV.* ibidem.
377. Abſolvuntur ſubditi Clivienſes a fidelitate præſtanda prædictis prælatis. *Eugenius IV.* ibid.

De Monaſterienſibus.

378. Laudantur Monaſterienſes de conſtantia in fide. *Paulus III.* ibid.
379. Abſolvitur Comitiſſa de Spaneheym quod in carcere detinuerit Archiepiſcopum Trevirenſem. *Joannes XXII.* ibidem.

DE ECCLESIA GERMANICA.

1. DEputatur Bonifacius in Verbi Dei præconem per Germaniam. *Gregorius II.* 79
2. Bonifacius commendatur Epiſcopis, & principibus. *Gregorius II.* ibid.
3. Commendatur Bonifacius Clero, & plebi. *Gregorius II.* ibidem.
4. Commendatur nobilibus Thuringis. *Gregorius II.* ib.
5. Ad populum Thuringum adhortatio. *Gregorius II.* 80
6. Monita ad populum provinciæ Alt-Saxonum. *Gregorius II.* ibid.
7. Approbatio actorum a Bonifacio, reſponſioque ad ejus dubia. *Gregorius III.* ibid.
8. Monita ad recens conſtitutos Epiſcopos. *Gregorius III.* ibidem.
9. Confirmatio erectorum Epiſcopatuum, & monita, quomodo ſe gerere debeat Bonifacius in quibuſdam caſibus. *Gregorius III.* ibid.
10. Duobus primis poſtulatis nationis Germanicæ ſatisfit. *Eugenius IV.* ibid.
11. Reliqua duo poſtulata ſe adimpleturum ſpondet. *Eugenius IV.*
12. Reintegratio proviſionum male factarum in Germania ſententiarum judicum non competentium *Eugenius IV.* ibid.
13. Quidam Epiſcopi, & principes Germaniæ recipiuntur in gratiam, & abſolvuntur. *Nicolaus V.* ib.
14. Conventiones inter S. Sedem, & Germanos ſuper collatione beneficiorum. *Nicolaus V.* ibid.
15. Capitula pro beneficiorum proviſionibus, cauſis eccleſiaſticis, &c. hujus nationis. *Nicolaus V.* ibid.
16. Declaratio ſuper beneficiis Germaniæ S. Sedi reſervatis. *Clemens VII.* 82
17. Declaratio de ſpatio trium menſium ad proviſionem beneficiorum a S. Sede faciendam. *Gregorius XIII.* ibidem.
18. Declaratio dubii ſuper Gregorii conſtitutione enati. *Sixtus V.* ibid.
19. Facultates Cardinalis Legati a Latere in Germania. *Paulus V.* ibid.
20. Impoſitio decimæ in Germania. *Paulus V.* ibid.
21. Hortatio ad Epiſcopos, ut ipſi, & eorum ſubditi Deum orent, ut Catholicorum arma in Germania contra hæreticos protegat. *Urbanus VIII.* ibid.
22. Eadem hortatio. *Urbanus VIII.* 83
23. Jubetur Nuntius Ap. Germaniæ fructus Palatinatus dare fœderi Catholico. *Urbanus VIII.* ibid.
24. Nuntio mandatur, ut fœderatis principibus det meditatem bonorum Eccleſiaſticorum Germaniæ. *Urbanus VIII.* ibid.
25. Aſſignatio fructuum bonorum Palatinatus Inferioris facta Ferdinando Imperatori datur Bavariæ Duci. *Innocentius X.* ibid.
26. Declaratio jurium S. Sedis ſuper Eccleſias Metenſem, Tullenſem, & Virdunenſem. *Innocentius X.* ib.
27. Nuntius A. Coloniæ mittitur ad pacem Monaſterienſem. *Urbanus VIII.* ibid.
28. Proteſtatio contra pacem VVeſtphaliæ. *Innocentius X.* ibidem.
29. Nuntius Coloniæ mittitur ad congreſſum pacis faciendæ inter Reges Franciæ, & Hiſpaniarum. *Clemens IX.* 84
30. Ad Cardinalem de Lamberg, ut curet nullius Epiſcoparus in Germania fieri ſæcularizationem. *Benedictus XIV.*
31. Bona Eccleſiaſtica in Electoratu Saxoniæ retenta ab Hæreticis illis condonantur etiamſi redierint ad Eccleſiam. *Clemens XII.* ibid.
32. Eorumdem bonorum remiſſio poſſeſſoribus in Palatinatu fit. *Clemens XII.* ibid.
33. Nuntio A. Coloniæ datur facultas menſibus reſervatis conferendi beneficia in VVeſtphalia, Imperio vacante. *Paulus V.* ibid.
34. Nuntii AA. inferioris Germaniæ jubentur tradere chartas ad Nuntiaturam ſpectantes ſuis ſucceſſoribus ad officium. *Urbanus VIII.* ibid.
35. Eccleſiaſtici in dominiis Auſtriacis ne locent bona Eccleſiaſtica hæreticis. *Paulus V.* 85
36. Commiſſio Cardinali Caraffæ, ut cogat Eccleſiaſticos domus Auſtriacæ ad tradenda vaſa argentea pro bello in Turcas. *Alexander VII.* ibid.
37. Eadem commiſſio Cardinali ab Harrach fit. *Alexander VII.* ibid.
38. Confirmatio emptionis quorumdam locorum a Lotharingiæ Duce facta. *Urbanus VIII.* ibid.
39. Facultas datur Bavariæ Duci tradendi octo Monaſteria in Palatinatu recuperata ab Hæreticis Religioſis cujuſque ordinis, & ex duobus Monialium conficiendi unum Ambergæ. *Clemens IX.* ibid.
40. Permiſſio Religioſis Monaſteriorum Palatinatus Superioris ſolvendi 80. mil. Floren. in extinctionem debitorum Eccleſiæ Ratiſponenſis. *Clemens IX.* ibid.

DE DUCATU FLANDRIÆ.

1. PRivilegium datum Comiti, & Comitiſſæ Flandriæ. *Innocentius III.* ibid.
2. Arguitur Flandriæ Comes, quod bellum cum Rege Galliæ nolit componere. *Joannes XXII.* ibid.
3. Rurſus Comes excitatur ad pacem. *Joannes XXII.* 86
4. Objurgatur Comes quod inſectetur Fratrem ſuum. *Joannes XXII.* ibid.
5. Principem Philippum permittant Status educari a Patre. *Sixtus IV.* ibid.
6. Commendatur Card. Polus Legatus in Anglia Gubernatrici Flandriæ. *Paulus III.* ibid.
7. Belgæ ſolvuntur a cenſuris. *Joannes XXII.* ibid.
8. Facultas datur abſolvendi Clericorum homicidas. *Bonifacius IX.* ibid.
9. Gandenſes monentur, ut fidem Regi Gallorum datam ſervent. *Benedictus XII.* 87
10. Confirmatio privilegiorum civium Lovanenſium. *Bonifacius IX.* ibid.

DE ECCLESIA FLANDRO-BELGICA.

1. COnfirmatio ſtatutorum ab Eccleſiis Flandro-Belgicis Collegiatis decretorum. *Nicolaus V.* ibid.
2. Erectio in Belgio Archiepiſcopatuum trium. *Sixtus V.* ibidem.
3. Jus nominandi ad beneficia in Belgio, & Burgundia datur Regi Philippo. *Urbanus VIII.* ibid.
4. Confirmatur idem jus. *Clemens IX.* ibid.
5. Nuntius apud Belgas deputatur judex ordinarius ſubditorum Dioeceſis Leodienſis in Ducatu Brabantiæ. *Clemens VIII.* 88
6. Indictio Jubilæi in Belgio. *Innocentius X.* ibid.
7. Irritatio decreti Conſilii Brabantiæ contra Archiepiſcopum Mechlinenſem. *Clemens XI.* ibid.
8. Abſolutio eorum, qui contra Eccleſiam egerunt. *Gregorius XIII.* ibid.

DE ECCLESIA BATAVA.

1. COnfirmantur privilegia Eccleſiæ Ultrajectenſis. *Eugenius III.* ibid.
2. Privilegium ne cives, & incolæ urbis, & agri Trajectenſis extra eam dioeceſim litigare cogantur. *Leo X.* ibid.
3. Electio ad hanc Eccleſiam ſit de jure patronatus Comitum Hollandiæ, & Ducum Brabantiæ. *Clemens VIII.* 89
4. Epiſcopatus Ultrajectenſis erigitur in Archiepiſcopatum. *Pius IV.* ibid.

Epiſtola Archiepiſcopum Ultrajectenſem ſe dicentis ad Benedictum XIV. de ſtatu Eccleſiæ Batavæ.

5. Damnatio duorum librorum Petri Coddæi Epiſcopi Sebaſteni, ejuſque remotio a Vicariatu Ultrajectenſi. *Clemens XI.* 91
6. Vicariis AA. in Hollandia juriſdictio adimitur. *Clemens XI.* 92
7. Quorumdam opuſculorum pro Petro Coddæo damnatio. *Clemens XI.* ibid.

8. Juſſu Pontificis denuntiat Cardinalis Paulucius ſuſpenſos Vicarios in Hollandia. *Clemens XI.* 93
9. Declaratio, Epiſcopo Sebaſteno eſſe deneganda Eccleſiæ ſuffragia, & eccleſiaſticam ſepulturam. *Clemens XI.* ibid.
10. Cornelii Steenoven in Archiepiſcopum Ultrajectinum electio, & conſecratio irrita declaratur. *Benedictus XIII.* 94
11. Cornelii Berkman in Archiepiſcopum Ultrajectinum irritatur electio. *Benedictus XIII.* ibid.
12. Petri Joannis Meindarts electio in Archiepiſcopum Ultrajectinum declaratur nulla. *Clemens XII.* ib.
13. Petri Joannis Meindarts conſecratio damnatur, & ipſe excommunicatur. *Benedictus XIV.* 95
14. Erectio Eccleſiæ Harlemenſis. *Pius IV.* ibid.
15. Hieronymi de Bock in Epiſcopum Harlemenſem electio declaratur nulla. *Benedictus XIV.* ibid.
16. Hieronymi de Bock conſecratio damnatur; ipſe, & Petrus Joannes Meindarts excommunicantur. *Benedictus XIV.* ibid.
17. Joannis Van-Stiphout electio in Epiſcopum Harlemenſem irritatur. *Benedictus XIV.* 96
18. Damnatio libri a ſupradictis Pſeudo-Epiſcopis compoſiti. *Benedictus XIV.* ibid.
19. Damnatur conſecratio Pſeudo-Epiſcopi Van-Stiphout. *Benedictus XIV.* ibid.
20. Damnatur electio Gualterii Michaelis Nienvvenhuyſem in Archiepiſcopum Ultrajectenſem. *Clem. XIII.* 97
21. Concilium in Hollandia habitum damnatur. *Clemens XIII.* ibid.

Cui Pontificis Brevi reſpondent Pſeudo-Epiſcopi.

De Stodinghis.

22. Impia horum hæreticorum dogmata. *Gregorius IX.* ib.
23. Ad Epiſcopos, principeſque Germaniæ, ut in Stedinghos arma capiant. *Gregorius IX.* 98

DE REGNO GALLIÆ.

1. GRatulatio Clodoveo, quod Chriſtianæ Religioni nomen dederit. *Anaſtaſius II.* ibid.
2. Significatur Carolo Martello, Bonifacium mitti ad prædicandum Evangelium in Germaniam. *Gregorius II.* ibid.
3. Opem Caroli Subreguli implorat Pontifex, eumque titulo Chriſtianiſſimi appellat. *Gregorius III.* ibid.
4. Ravennatis Palatii muſiva ad Carolum M. mittuntur. *Hadrianus I.* 99
5. Nullus Epiſcopus, &c. poſſit excommunicare Regem Franciæ, ejuſque uxorem. *Alexander IV.* ibid.
6. Significatio ſalute, & lætitia de matrimonio Mariæ Filiæ Calabriæ Ducis. *Clemens VI.* ibid.
7. Privilegium de audienda Miſſa in locis interdictis. *Clemens VI.* ibid.
8. Privilegium electionis confeſſarii. *Clemens VI.* ib.
9. Confeſſarius poſſit commutare vota. *Clemens VI.* ib.
10. Et dare licentiam veſcendi carnibus diebus &c. *Clemens VI.* ibid.
11. Et diſpenſare ab jejuniis. *Clemens VI.* ibid.
12. Privilegium ingrediendi Monaſteria. *Clemens VI.* 100
13. Privilegium altaris portatilis. *Clemens VI.* ibid.
14. Indulgentia datur audientibus Miſſam &c. *Clem. VI.* ib.
15. Confeſſarius poſſit abſolvere eos plenarie. *Clemens VI.* ibidem.
16. Neque filii, neque filiæ regum poſſint excommunicari. *Clemens VI.* ibid.
17. Privilegium audiendi Miſſam ante auroram. *Clemens VI.* ibidem.
18. Clerici regum converſantes cum excommunicatis excommunicationem non incurrant. *Clemens VI.* ib.
19. Rectores Eccleſiarum, ubi eſt aula, cenſeantur parochi ordinarii aulæ. *Clemens VI.* ibid.
20. Indulgentia datur orantibus pro rege. *Clemens VI.* ib.
21. Reges excommunicati ob percuſſionem Clericorum poſſunt a quolibet abſolvi confeſſario. *Clemens VI.* ibidem.
22. Terræ regum non poſſint interdici. *Clemens VI.* ib.
23. Reges non tenentur reſtituere bona tradita a majoribus. *Clemens VI.* ibid.
24. Confeſſarii in bello poſſint abſolvere milites, &c. *Clemens VI.* ibid.
25. Capellæ regiæ non poſſunt interdici. *Clemens VI.* ib.
26. Indulgentiæ regibus intervenientibus dedicationi Eccleſiæ. *Clemens VI.* 101
27. Aſſiſtentes prædicationi verbi Dei, quæ fit regi, indulgentiam conſequuntur. *Clemens VI.* ibid.
28. Religioſi ex inſtituto non veſcentes carnibus regum confeſſarii eas edere poſſunt. *Clemens VI.* ibid.
29. Aulici ſequentes aulam a quacumque Eccleſia poſſunt petere ſacramenta. *Clemens VI.* ibid.
30. Clerici addicti regibus poſſunt ordinari a quovis Epiſcopo. *Clemens VI.* ibid.
31. Aulici ſequentes regiam poſſunt ſibi eligere confeſſarium. *Clemens VI.* ibid.
32. Clerici regii dicant officium juxta Eccleſiam Pariſienſem. *Clemens VI.* ibid.
33. Indulgentia orantibus pro pace regni Galliæ. *Clemens VI.* ibid.
34. Clerici infervientes regibus percipiant fructus beneficiorum non reſidentes. *Clemens VI.* ibid.
35. Deputatio ad colligendos fructus beneficiorum clericorum addictorum regibus. *Clemens VI.* ib.
36. Reges Galliæ poſſint tangere res ſacras, & ſumere Euchariſtiam ſub utraque ſpecie. *Clemens VI.* ibidem. ibid.
37. Facultas data Regi non ſtandi juramento de non alienandis bonis Coronæ. *Clemens VI.* ibid.
38. Pœnæ in ſeditioſos contra Regem, & regnum. *Urbanus V.* 102
39. Excommunicatio denuntiatur Galliæ proceribus, ſi rebellibus regis faverint. *Gregorius XV.* ibid.
40. Epiſcopi orent pro rege pugnante contra hæreticos. *Gregorius XV.* ibid.
41. Facultas datur quibuſdam prælatis procedendi in Eccleſiaſticos *molientes* in Ludovicum Regem, & regnum. *Urbanus VIII.* ibid.
42. In cudentes falſam monetam in hoc regno. *Clemens VI.* ibidem.
43. Confirmatio. *Clemens VI.* ibid.
44. Alia confirmatio. *Gregorius XIII.* ibid.
45. Reſponſio ad Philippum aventem Fratrem ſuum eligi Imperatorem. *Clemens V.* ibid.
46. Reſponſio ad eumdem Regem de Caroli electione ad Imperium Conſtantinopolitanum. *Clemens V.* 103
47. Deputatio duorum Cardinalium, ut pacem firment inter Reges Angliæ, & Galliæ. *Alexander III.* ib.
48. Confirmatio conventionis Ludovici Regis cum Henrico Angliæ Rege. *Alexander VI.* ibid.
49. Confirmatio fœderis initi inter Regem Galliæ, & Comitem Flandriæ. *Innocentius III.* ibid.
50. Archiepiſcopo Rhemenſi mandatur ut caſtiget Regem Henricum. *Nicolaus II.* ibid.
51. Rex Galliæ Philippus admoneatur, ut niſi pareat Apoſtolicæ Sedi privandus fuerit regno. *Gregorius VII.* ibidem.
52. Ad Comitem Pictavienſem de exceſſibus Philippi Regis. *Gregorius VII.* ibid.
53. Adhortatio ad Philippum, ut acta corrigat; & de Archiepiſcopo Rhemenſi. *Gregorius VII.* 104
54. Significat Pontifex Regi deſiderium ſuum, ut ſervet pacem cum Imperatore. *Clemens VI.* ibid.
55. Jubetur Archiepiſcopus Rothomagenſis inducere Regem ad parcendum Jacobo Majoricarum Regi. *Clemens VI.* ibid.
56. Ratio, cur Urbanus velit excommunicare Regem Franciæ. *Urbanus II.* ibid.
57. Reprehenduntur quidam Epiſcopi, qui volebant converſari cum Rege, eumque abſolvere. *Urbanus II.* ibidem.
58. Abſolutio regis ſi vere reſipiſcat jubetur. *Paſchalis II.* ibidem.
59. In his litteris probare vult Innocentius, Pontificis eſſe munus principes ad pacem excitare. *Innocent. III.* 105.
60. Hortatur Pontifex Philippum ad ignoſcendum Epiſcopis Antiſſiodorenſi, & Aurelianenſi. *Innocentius III.* ibidem.
61. Abbati Ciſtercienſi, & Abbati Clarævallenſi mandatur, ut ſuadeant Regi pacem. *Honorius III.* ib.
62. Laudes regni Galliarum. *Honorius III.* ibid.
63. Suadetur Regi, ut revocet filium Ludovicum ex Anglia. *Honorius III.* ibid.
64. Gratulatio de Regis conſecratione. *Honorius III.* 106
65. Commendatur duplici ex cauſa Rex Ludovicus. *Honorius III.* ibid.
66. Hortatio ad regem, ut armis domet Albigenſes. *Honorius III.* ibid.
67. Querelæ ad regem, quod inducias reſpuerit. *Honorius III.* ibid.
68. Hortatio ad regem, ne bello perſequatur Angliæ regem, & ut arma in Albigenſes convertat. *Honorius III.* ibid.
69. Rogatur rex, ne velit bellum in Angliæ regem proſequi. *Gregorius IX.* 107
70. Hortatio ad regem ad perſequendos Albigenſes. *Gregorius IX.* ibid.
71. In idem argumentum. *Gregorius IX.* ibid.
72. Epiſcopus Carnotenſis rebellantes magnates compeſcat. *Gregorius IX.* ibid.
73. Pontifex controverſiam inter Regem, & Archiepiſcopum Rothomagenſem componere ſtudet. *Gregorius IX.* ibidem.
74. Diſpenſatio ſuper quarto conſanguinitatis gradu pro ineundo matrimonio conceſſa Regi pro Fratre. *Gregorius IX.* ibid.

75. Ad Regem de treguis cum Rege Angliæ, *Gregorius IX.* 108,
76. Admonetur Rex, ut revocet legem latam contra Eccleſiaſticam libertatem, *Gregorius IX.* ibid,
77. Rogatur Ludovicus, ne bello petat Navarræ Regem. *Gregorius IX.* ibid,
78. Privilegia dantur Capellæ regiæ, *Innocentius IV.* ib,
79. Regi gratiæ aguntur, quod velit bellum in Fridericum movere. *Innocentius IV.* ibid,
80. Eadem de cauſa gratiæ aguntur Reginæ, *Innocent. IV,* 109.
81. Reginæ grates aguntur de beneficiis in Pontificem collatis in ſua Lugduni mora facta, *Innocentius IV,* ibidem,
82. Conſolatur Pontifex Regem de ejus primogeniti morte. *Alexander IV.* ibid,
83. Laudatur Rex, quod nolit affinitatem cum Aragonum rege contrahere, *Urbanus IV,* ibid.
84. De concordia inter Reginam, & ejus Levirum Comitem Andegavenſem. *Urbanus IV.* ibid,
85. Clemens expoſcit auxilium Regis. *Clemens IV.* 110
86. Commendat Regi Angliæ Regem *Clemens IV.* ib.
87. Hortatio ad Regem, ut Patrem imitetur. *Gregorius X,* ibidem.
88. Suadetur Regi pax cum Imperatore Rodulpho. *Gregorius X,* ibid.
89. Hortatio ad pacem cum Caſtellæ rege. *Nicolaus III.* ibidem,
90. Placatur Philippus erga Caſtellæ regem, *Nicolaus III,* ibidem.
91. De morte regis Philippi, & indulgentia data orantibus pro illo. *Honorius IV.* 111
92. Hortatio ad regem, ut legem tollat de præſentia Epiſcoporum in ſuis cauſis. *Nicolaus IV.* ibid,
93. Permittitur clero Galliæ, ut ſubveniat Regi, *Bonifacius VIII.* ibid,
94. Declaratio conſtitutionis, qua vetabatur laicis imponere exactiones bonis Eccleſiaſticis. *Bonifacius VIII,* ibidem,
95. Facultas datur Regi in Cathedralibus, & Collegiatis Regni beneficium unum clerico conferre. *Bonifacius VIII.* ibid,
96. Si rex hanc neceſſitatem non poteſt ob ætatem videre, decernant Eccleſiæ Prælati, Conſiliarii, &c, *Bonifacius VIII.* 112
97. Ut rex liberetur a captivitate, poſſit exactio imponi. *Bonifacius VIII,* ibid.
98. Abrogare legem, ne Eccleſiaſtici pecuniam extra regnum mittant, Rex rogatur. *Bonifacius VIII,* ib.
99. Mandatur duobus prælatis cenſuras jacere in regem, ſi eo edicto teneri etiam eccleſiaſticos vult. *Bonifacius VIII.* ibid.
100. Rex monetur, ne intolerabilia onera Eccleſiis imponat. *Bonifacius VIII.* ibid,
101. De electione Archiepiſcopi Rhemenſis, & de juramento clientis dando ab illo Regi. *Bonifacius VIII,* ibidem,
102. Mandatur Regi, ut Apamienſi Eccleſiæ bona reſtituat. *Bonifacius VIII.* ibid.
103. Invitantur Prælati, Doctoreſque Galliæ ad ſynodum habendam coram Pontifice. *Bonifacius VIII.* 113
104. Abbates etiam invitantur. *Bonifacius VIII.* ib.
105. De excuſationibus admittendis abſentium, & de Academicis. *Bonifacius VIII.* ibid.
106. De his omnibus admonetur Rex, *Bonifacius VIII.* ib.
107. Reprehenduntur multa regis crimina. *Bonifacius VIII.* ibidem.
108. Exemplum proxime ſuperiorum litterarum mittitur ad clerum Gallicanum. *Bonifacius VIII.* 114
109. De Epiſcopo Apamiarum in carcerem detruſo. *Bonifacius VIII,* ibid.
110. Querela Bonifacii, quod Epiſcopi Galliæ nolint Romam venire. *Bonifacius VIII.* ibid.
111. Excommunicantur impedientes eos, qui Romam venire volunt, ne veniant. *Bonifacius VIII.* 115
112. Ab impactis in ſe criminibus ſe purgat Pontifex. *Bonifacius VIII.* ibid.
113. Mittitur Cardinalis Legatus in Galliam cum facultate abſolvendi regem. *Bonifacius VIII.* ibid,
114. Pontifex defert querelas ſuas Carolo Comiti Alanzonenſi. *Bonifacius VIII.* ibid.
115. Archiepiſcopus Nicoſienſis exſtimulator Philippi privatur dignitate. *Bonifacius VIII.* 116
116. Magiſtri ne dent lauream in Academia Pariſienſi. *Bonifacius VIII,* ibid,
117. Vacantibus Eccleſiis providendi jus ſibi reſervat *Bonifacius VIII.* ibid.
118. Sanctio de citatione reorum. *Bonifacius VIII.* ib.
119. Præcedens conſtitutio mitigatur. *Clemens V.* ib.
120. Expoſitio criminum Philippi ejuſque excommunicatio, *Bonifacius VIII.* ibid.
121. Reſtitutio privilegiorum ab anteceſſore Bonifacio abrogatorum regi. *Benedictus XI.* 117
122. A cenſuris Bonifacianis abſolvuntur Galli. *Benedictus XI.* ibidem.
123. Litteræ conſolatoriæ ad regem de morte filii. *Joannes XXII,* ibid.
124. De duobus viris a Rege commendatis promotis ad Cardinalatum, *Joannes XXII.* ibid.
125. De modo ſtandi in Eccleſia, & ſanctificandi dies feſtos. *Joannes XXII,* ibid.
126. Conſolatur Pontifex regem Carolum de morte Fratris. *Joannes XXII.* 118
127. De diviſione ſtatuta inter Ludovicum Bavarum, & Fridericum Auſtriacum. *Joannes XXII.* ibid.
128. De pace inita inter regem Galliæ, & Angliæ, *Joannes XXII,* ibid.
129. De legatione Friderici Auſtriaci petentis confirmationem Imperialis electionis. *Joannes XXII.* ib.
130. De pace cum rege Angliæ. *Joannes XXII.* ib.
131. De exitu ab urbe Ludovici Bavari, & de Populo Romano. *Joannes XXII.* ibid,
132. Conſolatur Pontifex Reginam de morte Regis. *Joannes XXII,* 119
133. Gratulatio de victoria e Belgis relata, *Joannes XXII.* ibidem,
134. De lectione Sacræ Scripturæ, & de tuenda Eccleſia. *Joannes XXII.* ibid.
135. De nuntiis Ludovici, & Populi Romani. *Benedict. XII.* ibidem,
136. De conciliatione Ludovici, & de quæſtione de viſione Beatifica. *Benedictus XII.* ibid.
137. De fœdere cum Ludovico non faciendo. *Benedictus XII,* ibidem,
138. Multa nota fiunt regi. *Benedictus XII,* 120
139. Reprehenditur Rex, quod orator Eduardi Angliæ Regis in aula Pontificia fuerat captus. *Benedictus XII.* ibidem.
140. Reprehenditur Rex, quod fœdus cum Ludovico Bavaro inierit. *Benedictus XII.* ibid.
141. De Ludovico Bavaro. *Clemens VI.* ibid.
142. Reprehenditur Rex quod abſentium prælatorum reditus beneficiorum uſurpaſſet. *Clemens VI.* ib.
143. Rogat Pontifex regem, ut prædonum excurſiones comprimat. *Innocentius VI.* 121
144. Hortatio ad Delphinum, ut Patrem liberet. *Innocentius VI.* ibid.
145. Gratulatio de inita pace. *Innocentius VI.* ibid.
146. Excitatur Rex ad exſtirpandos Turlupinos e ſuo regno, *Gregorius XI,* ibid.
147. Rogatur Rex, ut impium morem negandi pœnitentiam reis afficiendis morte tollat. *Gregorius XI.* ib.
148. De jurjbus Romanæ Eccleſiæ in quadam loca in Delphinatu Viennenſi ſita. *Gregorius XI.* ibid.
149. De morte Caroli Regis, & monita novo Regi. *Martinus V,* 122
150. Se purgat Pontifex, ſi Rex Angliæ movet bellum in Carolum. *Martinus V.* ibid.
151. De tollendo Conciliabulo Baſileenſi. *Eugenius IV.* ib.
152. De eodem argumento. *Eugenius IV.* ibid.
153. Laudatur Rex quod facinus Concilii Baſileenſis improbarit. *Eugenius IV.* ibid.
154. Reprehenditur Rex quod nolit fœdus contra Turcas inire. *Callixtus III.* 123
155. Invitatur Rex vel Utinum, vel Mantuam, rogaturque, ut in Turcas bellum paret, *Pius II.* ib.
156. De Zizimo in Gallias perducendo. *Sixtus IV.* ib.
157. Mittitur Breve Regi, quod det Franciſco a Paula. *Sixtus IV.* ibid.
158. Regis vota in opera pia mutantur; de calice aureo dato Eccleſiæ Lateranenſi. *Sixtus IV.* ibid.
159. De morte ejuſdem Ludovici. *Sixtus IV.* ibid.
160. Uxor Friderici de Aragonia commendatur Regi, *Julius II,* 124
161. Rogatur Rex, ut Genuenſes perturbantes Saonenſes compeſcat. *Julius II.* ibid.
162. Laudatur Rex quod aſſenſus fuerit populis ſuis. *Julius II,* ibidem.
163. Excommunicantur Galli, & Dux Eſtenſis, quod fœdus contra Pontificem iniverant. *Julius II.* ib.
164. Sententia excommunicationis in Franciſcum I. Galliarum Regem. *Leo X.* ibid.
165. De fœdere inter Regem, & Pontificem. *Leo X.* 125
166. Fruſtulum S. Crucis dat Pontifex dono Regi. *Leo X,* ibidem.
167. Gratulatio de redditis Regi liberis. *Clemens VII.* ib.
168. Hortatio ad Regem, ut affinitatem cum Scoto jungat, & arma in Anglum moveat. *Paulus III.* ib.
169. Rogatur Rex, ut cum fœderatis contra Lutheranos arma ſua conjungat. *Paulus III.* ibid.
170. Oratur Galliæ Rex, ut auxilium ferat Scotis. *Paulus III.* ibid.
171. Conſolatur Paulus Henricum de morte Patris, *Paulus III.* 126
172. De conſilio reaſſumendi Concilium. *Julius III.* ibidem. 173. Ro-

173. Rogatur Rex, ut dimittat e carcere Baronem Oppedæ. *Julius III.* ibid.
174. De pace cum rege Ferdinando. *Julius III.* ibi
175. Regina oratur ut ad pacem inducat virum ſuum. *Julius III.* ibid.
176. Commendatur Regi Cardinalis Polus, & res Angliæ. *Julius III.* ibid.
177. Hortatio ad regem, ut auxilium Sabaudiæ Duci promiſſum det. *Pius IV.* 127
179. Conſolatur Carolum Pius de morte regis Franciſci II. *Pius IV.* ibid.
180. De morte Antonii Navarræ regis. *Pius IV.* ib.
181. Excommunicatio Henrici Borbonii. *Sixtus V.* ib.
182. Abſolutio Henrici IV. regis Francorum. *Clemens VIII.* ibidem.
183. Gratulatio Pontificis Regi de ejus converſione. *Clemens VIII.* 128
184. De Duce Parmenſi, de abolenda Societate Jeſu, de reſtituendo Avenione, & Benevento. *Clemens XIV.* ibidem.

DE ECCLESIA GALLICANA.

1. Reſponſio ad Epiſcopos Galliæ querentes nimias expenſas a ſe fieri, ut litigent in Romana Curia, *Honorius III.* 129
2. Quomodo ſe gerere debeant prælati in promulgatione legum factarum a Baronibus regni contra libertatem Eccleſiaſticam. *Innocentius IV.* ibid.
3. Mandatur Legato quid agere debeat in attentantes contra Eccleſiaſticam libertatem. *Innocentius IV.* ib.
4. Regis reſponſum ſignificatur Galliæ prælatis. *Innocentius IV.* ibid.
5. Pro Eccleſiaſtica libertate in Galliis aſſerenda. *Alexander IV,* ibid.
6. De Conciliabulo Baſileenſi. *Eugenius IV.* 130
7. Cleri Gallici mores corrigat Legatus A. *Sixtus IV,* ibidem,
8. Dux Borbonius oratur efficere, ut revocetur quod contra Eccleſiam ſtatutum fuerat. *Sixtus IV.* ib.
9. Ne permittat Rex aliquid contra A. Sedem in habendis cleri comitiis agi. *Innocentius VIII.* ib.
10. Ad clerum Gallicanum de decima. *Clemens IV.* ib.
11. Ne clerici in regno Galliæ nec per ſe, nec per alios pugnent in duello. *Innocentius IV.* 131
12. Laudatur regium decretum de admittendis ad beneficia in Galliis alienigenis, & de pace Anglica. *Clemens VI.* ibid.
13. Gabella ſuper vino vendito ab Eccleſiaſticis denegatur regi. *Nicolaus V.* ibid.
14. Denegat Nicolaus regi exemptionem quorumdam onerum. *Nicolaus V.* ibid.
15. Rogatur Rex abolere pragmaticam ſanctionem. *Eugenius IV.* ibid.
16. Rurſus rogatur Rex tollere ſanctionem pragmaticam. *Eugenius IV.* 132
17. Laudatur Ludovicus (XI.) quod velit abolere pragmaticam ſanctionem. *Pius II.* ibid.
18. Decreta ad ſubvertendam pragmaticam ſanctionem. *Sixtus IV.* ibid.
19. Hortatio ad regem, ut ratificationem concordatorum Romam mittat. *Sixtus IV.* ibid.
20. Inhibitio, ne quiſquam agat juxta capitula pragmaticæ ſanctionis. *Leo X.* 133
21. Pacta inita inter Pontificem, & Franciſcum I. Galliæ regem. *Leo X.* ibid.
22. Confirmatio approbationis Concilii prædictorum conventorum. *Leo X.* 134
23. De tempore exprimendi verum valorem beneficii. *Leo X.* ibid.
24. Damnatio beneficiorum confidentialium. *Sixtus V.* ib.
25. Ne obſerventur decreta contra immunitatem eccleſiaſticam. *Alexander IV.* ibid.
26. Solutio decimæ imponitur eccleſiaſticis pro expeditione Franciſci I. in Turcas. *Leo X.* ibid.
27. Ne permittat Archiepiſcopus Senonenſis hæreſim Calvinianam propagari. *Paulus III.* ibid.
28. Deputantur duo Cardinales, qui mores, &c. corrigant, &c. *Pius IV.* ibid.
29. De quibuſdam Galliæ Epiſcopis vel hæreticis, vel de hæreſi ſuſpectis. *Pius IV.* 135
30. Bona eccleſiaſtica vendantur quammaximo pretio. *Pius IV.* ibid.
31. Permiſſio, ut vendantur bona eccleſiaſtica in ſubſidium regis. *Pius V.* ibid.
32. Subſidium regi dandum decernitur. *Gregorius XIII.* ib.
33. Aliud ſubſidium imponitur clero. *Gregorius XIII.* ibidem.
34. Permiſſio, ut vendantur quædam bona eccleſiaſtica in ſubſidium regis. *Sixtus V.* ibid.
35. Similis alia permiſſio. *Sixtus V.* 136
36. Similis permiſſio. *Gregorius XV.* ibid.
37. Collectio ſubſidii. *Gregorius XV.* ibid.
38. Permiſſio collectionis duarum decimarum, *Gregorius XV.* ibidem.
39. Decernitur ſubſidium Regi. *Urbanus VIII.* ib.
40. Impoſitio alius ſubſidii. *Urbanus VIII.* ib.
41. Franciſco II. conceditur jus nominandi ad quaſdam Eccleſias. *Pius IV.* ibid.
42. Confirmatio indulti dati Regi nominandi ad quaſdam beneficia. *Paulus V.* ibid.
43. Conceſſio ejuſdem facultatis. *Paulus V.* ibid.
44. Confirmatio. *Urbanus VIII.* ibid.
45. Indultum Regi nominandi ad Eccleſias Cathedrales Metenſem, Tullenſem, Virdunenſem, *Alexander VII.* 137.
46. Indultum nominandi ad monaſteria, prioratus, dignitates prædictarum diœceſium Regi. *Clemens IX.* ibidem.
47. Conceſſio regi, & ſucceſſoribus nominandi ad Eccleſiam Atrabatenſem. *Clemens IX.* ibid.
48. Jus præſentandi ad Eccleſiam Eluenſem. *Clemens IX.* ibidem.
49. Et ad dignitates, &c. *Clemens IX.* ibid.
50. Et ad Eccleſiam Tornacenſem. *Clemens IX.* ibid.
51. Et ad beneficia in ditionibus Belgicis. *Clemens IX.* ibidem.
52. Admonitiones ad Epiſcopos Galliæ. *Clemens VIII.* ib.
53. Quidam Epiſcopi jubentur admonere quoſdam prælatos ut ſe corrigant. *Urbanus VIII.* ibid.
54. Publicatio Jubilæi in Francia. *Clemens VIII.* ib.
55. Jubilæum pro urbe, & diœceſi Pariſienſi. *Urbanus VIII.* 138.
96. Publicatio Jubilæi in locis Fontis Belanſii, & Moreti diœceſis Senonenſis. *Alexander VII.* ib.
57. Publicatio Jubilæi in Gallia, collectæque inde pecuniæ inſumantur in bellum contra Turcas. *Clemens IX.* ibidem.
58. Jubilæum in Gallia pro ſalute regis. *Benedictus XIV.* ibidem.
59. Hortatio ad regem, ut recipiat in ſuum regnum Inquiſitores fidei. *Gregorius XI.* ibid.
60. Hortatio ad regem, ne patiatur imprimi in ſuo regno libros contra Catholicam fidem. *Gregorius XV.* ibidem.
61. Hortatio ad prælatos Galliæ, ut aliquid impendant in ſubſtentationem hæreticorum converſorum. *Paulus V.* ibid.
62. Facultas datur Card. de Richelieu abſolvendi hæreticos. *Urbanus VIII.* ibid.
63. Jubetur Legatus A. abſolvere a cenſuris Ducem de Eſpernon. *Urbanus VIII.* ibid.
64. Confirmatio actorum ab Epiſcopo Malleacenſi in Valle Pragellæ. *Urbanus VIII.* ibid.

De Parlamento Pariſienſi.

1. Confirmatio indulti Cancellarii, & Præſidentium Parlamenti Pariſienſis. *Clemens IX.* 139

De Ruthenenſi Comitatu.

2. Confirmatio ſtatutorum pro hoc Comitatu. *Alexander III.* ibidem.
3. Privilegium Comitis Ruthenenſis. *Clemens IV.* ib.

De Ducibus Britannie.

4. Confirmatio excommunicationis in Ducem. *Gregorius IX.* ibidem.
5. Decreta a Gregorio obſerventur. *Gregorius IX.* ib.
6. Conventiones inter Ducem, & Clerum. *Clemens V.* ibidem.

De Comitatu Toloſano.

7. Raymundus Toloſanus Comes excommunicatur. *Innocentius III.* 140
8. Reprehenditur Raymundus filius. *Honorius III.* ib.
9. Filius Comitis Montfortis inveſtitur de Toloſano Comitatu. *Honorius III.* ibid.
10. Excitantur Epiſcopi ad opem ferendam Almarico. *Honorius III.* ibid.

De Ducibus Aquitanie.

11. Aquitaniæ Dux ſervet fidelitatem Angliæ Regi. *Honorius III.* 141
12. Monita ad Aquitaniæ Ducem. *Joannes XXII.* ib.

De Burgundie Ducatu.

13. Hortatur Pontifex Ducem, ut a fœdere cum Anglis diſcedat. *Martinus V.* ibid.
14. Suadetur Philippo, ut Renatum Andegavenſem Comitem e vinculis emittat. *Eugenius IV.* ibid.

15. Rur-

15. Rursus rogatur Burgundus, ut Renatum dimittat. *Eugenius IV.* ibid.
16. Sententia lata in Basileenses ad Ducem mittitur, oraturque Ecclesiam tutari. *Eugenius IV.* ib.
17. Laudatur Regius Præfectus Ducatus, quod hæreticos represserit. *Pius IV.* ibid.

De Civibus Lugdunensibus.

18. Lugdunum suscipitur in protectionem Sanctæ Sedis. *Innocentius IV.* 142
19. Commendantur Lugdunenses omnium Ecclesiarum prælatis. *Innocentius IV.* ibid.

De Massiliensibus.

20. Privilegium datur Massiliensibus. *Gregorius IX.* ib.

De Navarræ regibus.

1. HOrtatio ad Navarræ Regem, ut revocet quædam decreta contra libertatem Ecclesiasticam. *Gregorius IX.* ibid.
2. Rex Navarræ suscipitur in protectionem Ap. Sedis. *Innocentius IV.* ibid.
3. Mandatur Episcopo Pampilonensi inungere, & coronare regem. *Alexander IV.* 143
4. Navarræ Domini vix ac clypeo sunt elati, gaudeant titulo regis. *Alexander IV.* ibid.
5. In absentia Episcopi Pampilonensis possint Reges inungi a quovis Episcopo. *Alexander IV.* ibid.
6. Oblationibus Reginæ Navarræ respondet Pontifex. *Joannes XXII.* ibid.
7. Laudatur Rex quod arma paret in Mauros. *Joan. XII.* ibidem.
8. Solatur Pontifex Reginam de morte viri. *Clemens VI.* ibidem.
9. Liberatur Rex a suspicione necati veneno Legati Ap. *Gregorius XI.* ibid.
10. Rogatur Regina ut foveat pacem inter Imperatorem, & Franciscum. *Paulus III.* 144
11. Gratulatio quod ad fidem Catholicam Regina redierit, *Paulus III.* ibid.
12. De obsequio præstito grates aguntur. *Julius III.* ib.
13. Constantia Regis, Reginæque laudatur. *Paulus IV.* ib.
14. Hortatur Pius Regem, ne conciones hæreticorum audiat. *Pius IV.* ibid.
15. Regina de iisdem rebus admonetur, *Pius IV.* ib.
16. Laudantur Rex, Reginaque: Regi commendatur Carolus IX. Galliæ Rex. *Pius IV.* ibid.
17. De sancito fœdere gratulatur Pontifex. *Pius IV.* 145

De Ecclesiis Lotharingiæ.

1. FAcultas datur Ludovico Regi Christianissimo nominandi ad Lotharingiæ beneficia. *Clemens XII.* ibidem.

DE HISPANIARUM REGNO.

De Cruciatis.

1. HOrtatio ad principes, ut Comitem Evolum de Rocejo adjuvent in expulsione Paganorum ab Hispaniis. *Gregorius VII.* 146
2. Callixtus concedit pugnantibus contra Saracenos in Hispaniis indulgentias Crucesignatorum Terræ Sanctæ. *Callixtus II.* ibid.
3. Hortatio ad Christi fideles, ut Regem Castellæ, & Legionis adjuvent in expulsione Agarenorum. *Gregorius IX.* ibid.
4. Indulgentia Cruciatæ extenditur ad sæculares, & regulares Ecclesiasticos in Hispaniis. *Urbanus VIII.* ib.
5. Pro anno Sancto 1625. non suspenduntur indulgentiæ Cruciatæ. *Urbanus VIII.* ibid.
6. Indulgentiæ Cruciatæ typis edi possunt. *Urbanus VIII.*
7. Extentio indulti de ovis, &c. ad clerum sæcularem. *Urbanus VIII.* ibid.
8. Prorogatur idem indultum, *Innocentius X.* ib.
9. Ne Commissarius Cruciatæ vendat officia Notariatuum Cruciatæ. *Urbanus VIII.* 147
10. Nullæ declarantur venditiones officiorum Cruciatæ. *Urbanus VIII.* ibid.
11. Nuntius exigat scuta 1500. pro fabrica Ecclesiæ Lateranensis ratione Cruciatæ. *Urbanus VIII.* ib.
12. Colligere jubetur Nuncius a clero pecuniam ob Cruciatam. *Innocentius X.* ibid.
13. Jussio ejusdem exactionis. *Innocentius X.* ibid.
14. Bulla Cruciatæ publicetur quovis anno in Indiis. *Innocentius X.* ibid.
15. Suspensio indulgentiarum Cruciatæ. *Clemens XI.* ib.
16. Relaxatio suspensionis. *Clemens XI.* ibid.
17. Nova revocatio suspensionis. *Clemens XI.* ibid.

De Regno Castellæ, & Legionis.

1. HIspaniarum prælatis mandatur, ut assistant Primogenito Regis Castellæ. *Innocentius III.* 148
2. De auxilio mittendo ad Regem Castellæ. *Innocent. III.* ibidem.
3. Ferrandus suscipitur in protectionem Sanctæ Sedis. *Honorius III.* ibid.
4. Ferrandus legitimatur, ut possit esse rex Legionis, & Castellæ. *Honorius III.* ibid.
5. Admonetur Ferdinandus, ne Episcopum Segobiensem perturbet. *Honorius III.* ibid.
6. Ad prosequendum bellum in Saracenos accenditur Ferdinandus. *Honorius III.* ibid.
7. Archiepiscopo Toletano, Episcopis Burgensi, & Oxanensi mandatur, ut partem redditauum dent Regi. *Gregorius IX.* ibid.
8. Excitantur fideles ad opem ferendam Alphonso filio regis. *Innocentius IV.* ibid.
9. De regni Portugalliæ administratione. *Innocentius IV.* 149.
10. De eodem argumento ad regis filium. *Innocentius IV.* ibidem.
11. Hortatio ad Regem, ut Ecclesias locupletet. *Innocentius IV.* ibid.
12. Pro Alphonso Rege ad Præsules Svetiæ. *Alexander IV.* ibidem.
13. Laudatur consilium regis de construendis sepulcris in insula Gaditana. *Urbanus IV.* ibid.
14. Increpatur Rex, quod Oratores suos Tolosam non miserit. *Nicolaus III.* ibid.
15. De pace eadem de qua superius. *Nicolaus III.* 150
16. De usurpatis juribus Ecclesiæ Compostellanæ castigatur Alphonsus. *Nicolaus III.* ibid.
17. De non violandis Ecclesiarum juribus. *Nicolaus III.* ibidem.
18. Regem consolatur Pontifex de sua expulsione e Regno facta a filio, *Martinus IV.* ibid.
19. Hispanis mandatur ut redeant ad obedientiam. *Martinus IV.* ibid.
20. Nuptias cum Maria jubetur solvere Sancius. *Martinus IV.* 151
21. Mandatur, ut pœnæ ecclesiasticæ in regnis Castellæ, & Legionis tollantur. *Honorius IV.* ibid.
22. De pace inita cum Rege Galliæ, & de dispensatione matrimonii. *Nicolaus IV.* ibid.
23. Filii regis Sancii natalium honore decorantur. *Bonifacius VIII.* ibid.
24. Monita ad regem Ferdinandum. *Bonifacius VIII.* ib.
25. Jubetur regnum Castellæ Alphonso restitui. *Joannes XXII.* ibid.
26. Conventiones propositæ pro expeditione in Mauros. *Joannes XXII.* ibid.
27. De postulatis Regis Castellæ quoad decimas, & quoad beneficia regni non danda exteris. *Joannes XXII.* 152.
28. Hortatur Pontifex regem ut vitia e suis regnis eliminet. *Benedictus XII.* ibid.
29. Gratiæ regi aguntur de missis ad Pontificem hostium spoliis. *Benedictus XII.* ibid.
30. Externi præfici possunt Ecclesiis. *Clemens VI.* ib.
31. De oblato auxilio grates aguntur Regi. *Urbanus V.* ibidem.
32. De suo discessu e Gallia Regem consolatur *Gregorius XI.* 153
33. De Jacobo Aragonum Rege querelæ. *Martinus V.* ib.
34. Causam reddit Pontifex, cur Nuntios de sua electione ad principes non miserit. *Eugenius IV.* ib.
35. Filius regis monetur, ut arma contra patrem deponat. *Eugenius IV.* ibid.
36. Hortatio ad Reginam, ne bello persequatur virum. *Eugenius IV.* 154
37. Regis Castellæ oratores locum habeant super oratoribus Regis Aragoniæ. *Eugenius IV.* ibid.
38. Valida declaratur Joannæ professio. *Innocentius VIII.* ibidem.
39. Studium Religionis Catholicæ Philippi commendatur. *Paulus IV.* ibid.
40. Rex suadeat Reginæ Angliæ Elisabethæ, ut fidem Catholicam profiteatur. *Pius IV.* ibid.
41. Imperator Carolus V., & Philippus Hispaniarum reges declarantur innocentes a calumniis conflictis a Cardinali Carolo Caraffa. *Pius IV.* ibid.

De Regibus Aragoniæ.

42. Reges Aragoniæ coronentur Cæsaraugustæ ab Archiepiscopis Tarraconensibus. *Innocentius IV.* 155
43. Confirmatio privilegii Urbani II. concessi regi Aragoniæ. *Innocentius III.* ibid.
44. Aragonum Rex jubetur, ne opem Tolosanis ferat. *Honorius III.* ibid.

45. Susceptio regni Aragoniæ, & terræ Catalauniæ in tutelam S. Sedis. *Honorius III.* ibid.
46. Excusatio, cur non possit nunc Pontifex Regem coronare. *Gregorius IX.* ibid.
47. Respondetur Regi de insulæ Majoricæ Ecclesia. *Gregorius IX.* ibid.
48. Alphonsus ex injusto matrimonio susceptus justorum natalium dignitate augetur. *Gregorius IX.* ib.
49. Gratulatio de regno Valentiæ e Saracenis recuperato. *Gregorius IX.* 156
50. Rex asperrime reprehenditur, quod Gerundensi Episcopo linguam amputari jusserit. *Innocentius IV.* ib.
51. Dehortatur Pontifex Jacobum a contrahenda affinitate cum Manfredo. *Urbanus IV.* ibid.
52. De Murcia capta, & de frænanda libidine. *Clem. IV.* ibidem.
53. Negat Pontifex, se posse dissolvere Regis matrimonium. *Clemens IV.* ibid.
54. Ad numinis cultum, ad Saracenos expellendos, ad sublevandas Ecclesias, ad coercendos Judæos excitatur Jacobus. *Clemens IV.* 157
55. De expeditione in Terram S. & de dimittenda pellice. *Clemens IV.* ibid.
56. De corrigenda libidine. *Gregorius X.* ibid.
57. Censuras minitatur Pontifex Regi Jacobo. *Gregorius X.* ibidem.
58. Decimæ conceduntur ad biennium pro bello in Saracenos regi. *Joannes XXII.* ibid.
59. Conditiones Regi appositæ. *Joannes XXII.* ib.
60. De remedio contra maleficorum insidias. *Joan. XXII.* 158.
61. Hortatio ut regnum regi Balearico restituatur, *Clem. VI.* ibidem.
62. Suadetur Regi, ne pacem Venetorum cum Januensibus impediat. *Clemens VI.* ibid.
63. De bonis restituendis Jacobo Balearium regi, *Urban. V.* ibidem.
64. Rogatur Rex, ne schisma foveat. *Martinus V.* ib.
65. Causa odii in Pontificem injusta ostenditur. *Martinus V.* ibid.
66. Alphonsi crimina narrantur, cicaturque, &c. *Martinus V.* 159
67. Gaudium Pontificis de regis voluntate redeundi ad Ecclesiam. *Martinus V.* ibid.
68. De provisione Ecclesiæ Majoricensis. *Martinus V.* ib.

Male in libro 71. p. 160.

69. Novo detecto orbe investiuntur Ferdinandus, & Elisabeth Castellæ, & Aragoniæ Reges. *Alexander VI.* ibidem.

In libro 69. p. 159.

70. Possessio occidui orbis datur Elisabethæ, & Ferdinando. *Alexander VI.* ibid.

In libro 72. p. 160.

71. Confirmatio tituli *Catholici* dati Ferdinando. *Leo X.* ibidem.

In libro 70. p. 159.

72. Consilium Hispaniarum jubetur revocare leges contra Eccles. libertatem. *Clemens VII.* ibid.
73. Damnatur consuetudo in Hispaniis de honore tuendo. *Gregorius XIII.* 160
74. Annullatio pœnarum spiritualium inflictarum Bandoleriis in hoc regno. *Sixtus V.* ibid.
75. Centumviri Barchinonenses nihil accipiant pro conferendis officiis. *Urbanus VIII.* ibid.
76. Abrogatio quorumdam statutorum in præjudicium Ecclesiarum. *Gregorius XI.* ibid.
77. Pœna exilii statuitur in Clericos archibusios brevioris mensuræ ferentes. *Sixtus V.* 161
78. Confirmatio, vel abrogatio concordiæ inter Regem, & Archiepiscopum Cæsaraugustanum concessa Nuntio A. *Clemens VIII.* ibid.
79. Confirmatio supradictæ concordiæ. *Paulus V.* ib.
80. Absolvitur Archiepiscopus quod coegit clerum solvere gabellam, quin prius haberet licentiam a S. Sede. *Alexander VII.* ibid.
81. Archiepiscopus pro solutione gabellæ cleri petat assensum sui Capituli. *Alexander VII.* ib.
82. Archiepiscopus jubeat clero solutionem gabellæ. *Alexander VII.* ibid.
83. Ecclesiastici urbis, & diœcesis Oscensis solvant cum Laicis gabellam. *Alexander VII.* ibid.
84. Facultas data Regi Catholico componendi lites. *Clemens VIII.* ibid.
85. Eadem facultas quoad milites de Montesia. *Clem. VIII.* ibidem.
86. Initio regni Philippi III. Jubilæum indicitur in omnibus ejus dominiis. *Clemens VIII.* 162
87. Absolutio data regi, quod verterit in alios usus, quam in quos datæ fuerant, decimas. *Clemens VIII.* ibidem.
88. Absolutio animæ Philippi II. ob divendita bona ecclesiastica. *Clemens VIII.* ibid.
89. Absolutio regis, & ministrorum ob exactum ab ecclesiasticis tributum inconsulta S. Sede. *Urbanus VIII.* ibidem.
90. Alia absolutio. *Urbanus VIII.* ibid.
91. Alia absolutio. *Urbanus VIII.* ibid.
92. Impartitio absolutionis eidem Philippo. *Innocentius X.* ibidem.
93. Absolutio ob collectam ex Cruciata pecuniam in alios usus insumptam. *Innocentius X.* ibid.
94. Facultates Capellani Majoris Regis. *Gregorius XIV.* 163.
95. Confirmatio. *Paulus V.* ibid.
96. Alia confirmatio. *Gregorius XIV.* ibid.
97. Nova confirmatio. *Innocentius X.* ibid.
98. Confirmatur modus probandi puritatem sanguinis jussus a Rege Philippo. *Urbanus VIII.* ibid.
99. Ecclesiastici in Hispaniis compellantur ad testificandum de puritate sanguinis. *Urbanus VIII.* ib.
100. Nuntius deputet aliquem in classibus regiis, qui jurisdictionem ecclesiasticam exerceat. *Clemens VIII.* ibidem.
101. Inquisitor deputet aliquem in classibus regis contra hæresim. *Clemens VIII.* ibid.

De Valentinis.

102. Laudantur Valentini. *Martinus V.* ibid.

De Pampilonensibus in Regno Navarræ.

103. Pampilonenses solvantur a voto. *Benedictus XIII.* ib.

DE ECCLESIA HISPANICA.

1. LIbera decernitur Episcoporum electio in Aragoniæ regno. *Innocentius III.* 164
2. Carolo V. datur facultas nominandi ad beneficia. *Clemens VII.* ibid.
3. Hortatio ad Hispanos omnes, ut amplexentur ritus Romanæ Ecclesiæ. *Gregorius VII.* ibid.
4. Hispaniarum Episcopi Archiepiscopo Toletano ut Primati subsint. *Eugenius III.* ibid.
5. Prælati Hispaniarum ne publicent indulgentias ad quæstum. *Pius V.* 165
6. Admonitio ad Philippum, ut ad Episcopatus nominet viros probos. *Clemens VIII.* ibid.
7. Acta consilii Regii Castellæ declarantur nulla. *Innocentius XI.* ibid.
8. Irritatio actorum a Canonicis Ecclesiæ Abulensis. *Clemens XI.* ibid.
9. Irritatio actorum contra Archiepiscopum Tarraconensem a potestate laicali, *Clemens XI.* ibid.
10. Rescinduntur omnia acta contra ecclesiasticam libertatem in Hispaniis. *Clemens XI.* ibid.
11. Facultas data Nuntio absolvendi ecclesiasticæ immunitatis violatores. *Clemens XI.* ibid.
12. Jubetur restitutio monasticæ disciplinæ in Hispaniis. *Innocentius VIII.* 166
13. Restitutio disciplinæ quoad clerum sæcularem, & beneficia. *Innocentius VIII.* ibid.
14. Decreta ad restituendam regularem, & ecclesiasticam disciplinam collapsam in Hispaniis. *Innocentius XIII.* ibidem.
15. Confirmatio. *Benedictus XIII.* ibid.
16. Cadavera privatorum sepeliri non possint intra claustra Monasteriorum, sed solum regum. *Sixtus V.* 167.
17. Prorogatio pro collectione subsidii ad aliud triennium. *Paulus V.* ibid.
18. Redditus unius mensis a provisis de beneficiis a Philippo rege ei sunt persolvendi. *Urbanus VIII.* ib.
19. Prorogatio concessionis fructuum unius mensis beneficiorum Hispaniæ, & Sardiniæ. *Alexander VII.* ib.
20. Impositio decimæ clero dominiorum Regis Hispaniæ. *Urbanus VIII.* ibid.
21. Nuntius acceptet modum propositum a clero pro solutione decimæ. *Urbanus VIII.* ibid.
22. Nuntius det facultatem regi exigendi decimam. *Urbanus VIII.* ibid.
23. Qui pensionarii teneantur solvere decimam. *Urb. VIII.* ibidem.
24. Facultas exigendi prædictam decimam datur clero. *Urbanus VIII.* ibid.
25. Impositio decimæ bonis Ecclesiasticis Philippo IV. subjectis pro Ferdinando Imperatore. *Urbanus VIII.* ibidem.

26. Prorogatio subsidii xx. millionum super Ecclesiis Hispaniarum, & Sardiniæ. *Alexander VII.* 168
27. Prorogatio supradicti subsidii. *Alexander VII.* ib.
28. Impositio decimæ. *Alexander VII.* ibid.
29. Declaratio circa solutionem decimæ pro regno Aragoniæ. *Clemens IX.* ibid.
30. Castellæ, & Legionis Episcopis mandatur, ut clerum corrigant. *Benedictus XII.* ibid.
31. Procuratores Ecclesiarum regnorum Castellæ, & Legionis absentes possunt percipere fructus præbendarum. *Clemens VIII.* ibid.
32. Officiales Episcoporum horum regnorum sint Ecclesiastici juxta constitutionem Clementis VIII. *Paulus V.* ibidem.
33. Dignitates majores in Cathedralibus, & Collegiatis, & Rectores Ecclesiarum cum cura animarum non possunt esse familiares, &c. in regnis Castellæ, & Legionis, *Urbanus VIII.* ibid.
34. Confirmatio. *Innocentius X.* 169
35. Pœnitentiarii, Theologales, & Doctorales Canonici Ecclesiarum Cathedralium in regnis C. & L. non absint a suis Ecclesiis. *Urbanus VIII.* ibid.
36. Parochi possunt ingredi in Ecclesias Regularium cum Cruce, non tamen queunt functiones facere circa cadavera in regnis C. & L. *Alexander VII.* ib.
37. De associatione cadaverum in regnis C. & L. *Alexander VII.* ibid.
38. Ecclesiastici regni Castellæ solvant ut statutum est in comitiis, & hæc contributio per triennium post sexennium extenditur. *Clemens VIII.* ibid.
39. Concordia inter Clerum C. & L. & regem super solutione primæ decimæ. *Paulus V.* ibid.
40. Confirmatur conventio Cleri C. & L. pro solutione subsidii præstandi regi. *Paulus V.* ibid.
41. Subsidium XVIII. millionum concessum regi ab utroque Clero C. & L. *Gregorius XV.* ibid.
42. Conventio cleri C. & L. cum rege de persolvenda decima, *Urbanus VIII.* ibid.
43. De solutione subsidii. *Urbanus VIII.* 170
44. Approbatio concordiæ, &c. *Urbanus VIII.* ib.
45. Oblatio XIX. millionum regi a clero facta. *Urb. VIII.* ibidem,
46. Clerus prædictus eximitur a solutione decimæ. *Urbanus VIII.* ibid.
47. Declarantur exactores incurrisse censuras ob exactum tributum ante placitum Sedis Apostol. *Urbanus VIII.* ibidem.
48. Jubetur Nuntius A. in Hispaniis admonere Commissarium Cruciatæ, eum gravasse clerum C. & L. illum cogendo ad solutionem *Excusati* post quinquennium. *Urbanus VIII.* ibid.
49. Concordia inter clerum C. & L. & regem super subsidio. *Innocentius X.* ibid.
50. Extensio ejusdem gabellæ ad annos tres. *Innocent. X.* ibidem.
51. Impositio XIX. millionum clero C. & L. *Innocent. X.* ibidem.
52. Aliud simile subsidium permittitur. *Alexander VII.* ib.
53. Aliud subsidium ejusmodi. *Alexander VIII.* 171
54. Confirmatio reductionis decimarum quoad quantitatem, & quoad tempus exactionis in regnis C. & L. *Alexander VII.* ibid.
55. Imponitur contributio XIX. millionum cum dimidio Ecclesiasticis C. & L. *Clemens IX.* ibid
56. Impositio clero C. & L. XII. millionum, *Clemens IX.* ibidem,
57. In principatu Cataloniæ, & comitatu Rossilionis Ecclesiastici ne ferant archibusios ad rotam. *Paulus V.* ibidem.
58. Confirmatio constitutionis Gregorii XIII. *Urbanus VIII.* ibidem.
59. Deputati duo Ecclesiastici de principatu Cataloniæ absentes possint percipere fructus, & distributiones quotidianas suorum beneficiorum. *Gregorius XIII.* ib.
60. Prædicti deputati possunt interesse causis criminalibus. *Gregorius XIII.* ibid.
61. Beneficiati Ecclesiæ Barchinonensis excluduntur a perceptione distributionum, si sint deputati. *Greg. XIII.* ibidem.
62. Episcopi Cataloniæ absolvant a censuris violatores immunitatis ecclesiasticæ. *Alexander VII.* ib.
63. Constitutio Gregorii XV. de dandis Canonicatibus Pœnitentiariæ per concursum extenditur ad Ecclesias principatus Cataloniæ. *Alexander VII.* 175
64. Ecclesiasticis in principatu Cataloniæ prohibentur excommissæ. *Alexander VII.* ibid.
65. Confirmatio concordiæ inter Philippum, & Clerum Cataloniæ super decimis. *Clemens VIII.* ib.
66. Exactio a Clero regni Valentiæ. *Urbanus VIII.* ibidem.
67. Ecclesiastici regni Valentiæ possunt simul cum laicis pro duobus militum millibus solvere. *Urbanus VIII.* ibidem.
68. Eadem facultas alendi milites datur iterum clero regni ejusdem. *Innocentius X.* ibid.
69. Eadem licentia. *Innocentius X.* ibid.
70. Subsidium collatum ab Ecclesiasticis regni Galliciæ. *Gregorius XV.* ibid.
71. Commissio, ut erigantur, & dotentur Ecclesiæ pro Mauris in regno Valentiæ. *Clemens VIII.* ib.
72. Occasione litium motarum super dotatione Ecclesiarum pro Mauris erectio non est retardanda. *Clemens VIII,* 173
73. Solvantur taxæ juxta constitutionem Gregorii XIII. *Paulus V.* ibid.
74. Erectio Ecclesiarum parochialium pro Mauris in Diœcesi Dertusensi. *Clemens VIII.* ibid.
75. In Diœcesi Segorbiensi erectio similis. *Clemens VIII.* ibidem.
76. Similis erectio in Diœcesi Oriolensi. *Clemens VIII.* ib.
77. Prorogatio indulti Clementis VIII. *Paulus V.* ib.
78. Ampliatio Collegii pro Mauris, & Seminarii pro puellis Mauris, *Clemens VIII.* ibid.

De Regno Insula Majorica.

1. PEtrus Lusitanus in protectionem S. Sedis recipitur. ibid.
2. Excitantur fideles ad liberandam insulam Yvicam a Saracenis. *Gregorius IX.* 174
3. Episcopalem sedem Majoricæ erigi mandat *Greg. IX.* ibidem.
4. Privilegium agendi lites in insula. *Innocentius IV.* ib.
5. Conceduntur decimæ triennales Regi. *Honorius IV.* ib.
6. De restitutione Regis Jacobi in hoc regnum, & de valle Aragnes deponenda in manu Pontificis. *Bonifacius VIII.* ibid.
7. De restitutione Jacobi in suum regnum facienda. *Bonifacius VIII.* ibid.
8. Rescinditur pactum de uniendo regno Majoricano cum comitatu Barcinoniæ. *Bonifacius VIII.* 175
9. Consiliariis commendatur Jacobus Rex. *Joannes XXII.* ibidem.
10. Laudatur Rex, quod e suo regno proscripserit hæreticos. *Joannes XXII.* ibid.
11. Hortatio ad regem, ut præstet clientelarem sponsionem Regi Aragonio. *Benedictus XII.* ibid.
12. Sollicitatur Rex ad pacem. *Benedictus XII.* ibid.

De Ecclesia Majoricana.

1. STatuta pacta de clericis in Catalaunia serventur in insulis Balearibus. *Julius III.* ibid.
2. Canonici Majoricani eximuntur ab Inquisitoribus in iis, quæ non spectant ad fidem. *Urbanus VIII.* 176
3. Etiam simplices Sacerdotes eximuntur, &c. *Urb. VIII.* ibidem.
4. Absolutio Regularium Majoricæ ob recursum factum ad judices laicos. *Innocentius X.* ibid.
5. Gregorii constitutio de dandis Canonicatibus Pœnitentiariorum per concursum extenditur ad hanc insulam, *Alexander VII.* ibid.

De Nuntiis AA. in Hispaniis.

1. IRritat Urbanus quædam decreta, & gesta Nuntii Ap. in Hispania. *Urbanus VIII.* ibid.
2. Facultas datur Nuntiis in Hispaniis exercendi suam jurisdictionem extra ea regna. *Urbanus VIII.* ib.

DE PORTUGALLIÆ REGNO.

1. SUsceptio Portugalliæ Ducum in tutelam S. Sedis. *Lucius II.* 177
2. Alphonsus declaratur Rex. *Alexander III.* ib.
3. Reprehenditur Portugalliæ Rex. *Innocentius III.* ib.
4. Ejusdem regis confirmatur testamentum. *Innocentius III.* ibidem.
5. Confirmatio tituli regii. *Innocentius III.* ibid.
6. Nova confirmatio. *Honorius III.* ibid.
7. Ob violata ecclesiastica jura coarguitur Rex. *Honorius III.* ibid.
8. Monetur Rex ut se corrigat. *Honorius III.* ib.
9. Monita facienda regi. *Honorius III.* 178
10. Laudatur Portugalliæ infans, quod opem ferre Ecclesiæ velit. *Gregorius IX.* ibid.
11. Regis Frater ob scelera in Ecclesiasticos patrata excommunicatur. *Gregorius IX.* ibid.
12. Admonetur Rex, ut acta contra Ecclesiam a se corrigat. *Gregorius IX.* ibid.
13. De absolutione, & pœnitentia Ferrandi e Serpa Regis Fratris. *Gregorius IX.* ibid.
14. Sanctius Rex de inertia reprehenditur. *Innocentius IV.* ibidem.
15. Depositio regis, jussioque, ut alius eligatur. *Innocentius IV.* ibid.

16. Minitatio regi facta, ni se corrigat. *Innocentius IV.* ibidem.
17. Corripitur Rex Portugalliæ Alphonsus. *Clemens IV.* 180.
18. Alia flagitia Regi exprobrantur. *Gregorius X.* ib.
19. Decreta de regno Portugalliæ. *Gregorius X.* ib.
20. De sua electione in Pontificem, & de Ecclesiæ libertate. *Joannes XXI.* ibid.
21. Quidam prælati jubentur suadere Regi Dionysio, ut se æquitati accommodet. *Martinus IV.* ibid.
22. Confirmatio prædictorum articulorum. *Nicolaus IV.* 181.
23. Lusitani populi absolvuntur a censuris. *Nicolaus IV.* ibidem.
24. Castigatur regius Infans, quod arma contra Patrem sumpserit. *Joannes XXII.* ibid.
25. Testatur Pontifex, se non fuisse requisitum a rege Dionysio, ut transferret regnum in Sanctium. *Joannes XXII.* ibid.
26. Absolutio regis demandatur Episcopo Ulixbonensi. *Joannes XXII.* ibid.
27. Consolatur Pontifex Reginam de morte viri Regis Dionysii. *Joannes XXII.* ibid.
28. Facultas datur Reginæ Elisabethæ construendi hospitale. *Joannes XXII.* 182
29. Exigitur annuus census. *Benedictus XII.* ibid.
30. Gratulatio de parta victoria; hortatio ad bellum prosequendum. *Benedictus XII.* ibid.
31. Sacerdotiorum decimæ in usus belli conceduntur regi. *Benedictus XII.* ibid.
32. De violata libertate Ecclesiastica corrigitur Rex. *Clemens VI.* ibid.
33. Consolatur Petrum Pontifex de morte Patris. *Innocentius VI.* ibid.
34. De morte Regis Petri, & monita. *Urbanus V.* ib.
35. Mandatur omnibus, ut Joanni pugnaturo contra Afros assistant. *Martinus V.* 183
36. Moneatur Rex, ne jura Ecclesiastica perturbet. *Martinus V.* ibid.
37. Insulæ Canariæ quomodo adjudicentur Regi Portugalliæ. *Eugenius IV.* ibid.
38. Ne Ecclesiasticam immunitatem Rex violet. *Eugenius IV.* ibid.
39. Ex oratorum Regis inadvertentia nullum præjudicium debet in regem redundare. *Nicolaus V.* ib.
40. Potestas datur regi subjiciendi regna extera infidelium, & subjecta eidem confirmantur. *Nicolaus V.* ibidem.
41. Confirmantur regi regiones acquisitæ armis in Africa. *Nicolaus V.* 184
42. De eodem argumento. *Nicolaus V.* ibid.
43. Supremus Magister ordinis militiæ Jesu Christi Rex constituitur. *Pius II.* ibid.
44. De Turcis victis, de colloquio habendo cum Cæsare. *Paulus III.* ibid.
45. Anna Bolena conjicitur in carcerem a Rege. *Paulus III.* ibidem.
46. Gratulatio quod in Indiis fides Catholica augeatur. *Julius III.* 185
47. Reges Portugalliæ perpetui administratores militiarum S. Jacobi de Spatha, & de Avis in suis regnis declarantur. *Julius III.* ibid.
48. Rogatur Rex, ut pacem conciliet inter Imperatorem, & Regem Galliæ. *Julius III.* ibid.
49. Consolatur Regem Pontifex de morte filii. *Julius III.* ibidem.
50. Recensitis Regum Lusitanorum in Ecclesiam meritis, subsidium ad quinquennium Sebastiano conceditur. *Pius IV.* ibid.
51. Reginæ Portugalliæ inhibetur ingressus in monasterium. *Pius IV.* 186
52. Excitatur Rex ad ferendam opem Abyssinis. *Pius IV.* ibidem.
53. Laudatur, quod Abyssiniæ succurrerit. *Pius IV.* ibidem.
54. Facultas datur Regi Portugalliæ habendi commercia cum infidelibus. *Gregorius XIII.* ib.
55. Titulus *Fidelissimi* datur Regi, & successoribus. *Benedictus XIV.* ibid.
56. Legatio Hispaniarum comprehendit & legationem Portugalliæ. *Urbanus VIII.* ibid.
57. Confirmantur litteræ de venia Neophytis in Portugalliis data. *Clemens VII.* 187
58. Monetur Rex ut velit Neophytos non ita vexari. *Paulus III.* ibid.

De Regia Capella.

59. Uniuntur Capellæ Regiæ redditus trium Ecclesiarum Parochialium. *Clemens XI.* ibid.
60. Erectio hujus Collegiatæ in Ecclesiam Patriarchalem occidentalem. *Clemens XI.* ibid.
61. Confirmatio actorum a Delegato A. circa hanc Ecclesiam. *Clemens XI.* 188
62. Subtana talaris rubea conceditur Canonicis hujus Ecclesiæ. *Clemens XI.* ibid.
63. Oratio quadraginta horarum incipiat ab Ecclesia occidentali. *Clemens XI.* ibid.
64. Electus ad Ecclesiam hanc occidentalem censeatur nominatus a Rege ad Cardinalatum. *Clemens XII.* ibidem.
65. Augentur redditus dignitatum, & Canonicatuum, permittiturque Patriarchæ erigere novos Canonicatus. *Clemens XII.* ibid.
66. Indultum celebrationis Missæ ante auroram; vel post meridiem horam unam Canonicis utriusque Ecclesiæ datur. *Clemens XII.* ibid.
67. Facultas datur Patriarchæ edendi novum Calendarium pro divino servitio hujus Ecclesiæ. *Clemens XII.* ibidem.
68. Jus nominandi ad dignitates, Canonicatus, & beneficia Ecclesiæ orientalis datur Regi. *Clemens XII.* 189.

De Ducibus Bragantiæ.

69. Facultas data Duci utendi Ecclesiasticis in regimine suorum subditorum. *Clemens VIII.* ibid.
70. Indultum datum Capellanis Ducis, *Clemens VIII.* ibidem.
71. Exemptio Capellanorum Ducis ab jurisdictione Ordinariorum. *Clemens VIII.* ibid.

DE ECCLESIA PORTUGALLIÆ.

1. POrtugalliæ Episcopis mandatur Monialium visitatio, & correctio. *Sixtus V.* ibid.
2. Officia in Hebdomada Majori, ne fiant intempesta nocte. *Paulus V.* ibid.
3. Indultum datum Ecclesiis Cathedralibus. *Innocentius X.* ibidem.
4. Filii ex genere Maurorum declarantur incapaces Canonicatuum mediorum, &c. in Cathedralibus. *Clemens VIII.* 190
5. Declaratio Clementis, innovationes a se factas circa provisiones beneficiorum nihil læsuras jura regia circa eadem beneficia. *Clemens X.* ibid.
6. Innovationes neque juribus Ecclesiæ nocere debent. *Clemens X.* ibid.
7. Hortatio ad regem Philippum, ne bona Ecclesiarum hujus regni dissipari sinat. *Urbanus VIII.* ib.
8. Irritatio actorum contra bona ecclesiastica. *Urb. VIII.* ibidem.
9. Christiani in Hebraismum relapsi, hæretici pœnitentes absolvantur. *Paulus III.* ibid.
10. Absolutio, & venia pro conversis ab Judaismo, & eorum descendentibus. *Clemens VIII.* ibid.
11. Inquisitor absolvat Neophytos in insulis transmarinis subjectis Portugalliæ intra quinquennium. *Urb. VIII.* ibidem.
12. Quinquennium incipiat a die publicationis harum literarum in iis regionibus. *Urbanus VIII.* 191
13. Impositio subsidii clero Portugalliæ. *Gregorius XV.* ibidem.
14. Collector spoliorum absolvat officiales Cameræ Portugalliæ ob exactam a clero pecuniam in alios usus ab justis insumptam. *Urbanus VIII.* ibid.
15. Ecclesiastici jubentur conferre pecuniam pro derivatione aquarum in urbem Ulyssiponem. *Urbanus VIII.* ibidem.
16. Rex possit exigere gabellam super carne, & vino. *Urbanus VIII.* ibid.
17. Extensio prædictæ gabellæ. *Urbanus VIII.* ib.
18. Confirmatio concordiæ inter clerum, & regem. *Urbanus VIII.* ibid.
19. Prorogatio gabellæ super carne, & vino ad sexennium. *Urbanus VIII.* ibid.
20. Concessio subsidii regi, ut opem ferat Venetis. *Clemens XI.* ibid.
21. Conceditur tertia pars redditum omnium Ecclesiarum Ulyssiponis Regi. *Benedictus XIV.* 192
22. Avocatio ad Sanctam Sedem litium inter Commissarium Cruciatæ, & collectorem spoliorum. *Urb. VIII.* ibidem.
23. Commissio, ut juridicam informationem de erroribus Commissarii capiat collector. *Urbanus VIII.* ibidem.
24. Definiuntur facultates Commissarii Cruciatæ. *Urb. VIII.* ibidem.
25. Confirmatio. *Urbanus VIII.* ibid.
26. Decem millia scuta ex indulgentiis Cruciatæ assignantur Fabricæ Basilicæ Sancti Petri. *Paulus V.* ibidem.
27. Eadem. *Paulus V.* ibid.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

28. Decem millia ſcuta pro eadem fabrica imponuntur. *Gregorius XV.* ibid.
29. Decem millia ſcuta imperantur. *Urbanus VIII.* 193
30. Nuntius Apoſt. deputatur ad accipienda c. m. ſcuta. *Innocentius X.* ibid.
31. Nova conceſſio Cruciatæ in Portugallia. *Clemens IX.* ibidem.
32. Damnatio duorum librorum de indulgentiis Cruciatæ in Portugallia. *Clemens XI.* ibid.

De Principatu Inſularum Fortunatarum.

1. LUdovicus de Hiſpania inveſtitur Inſulis Fortunatis. *Clemens VI.* ibid.
2. Cruciata pro iis inſulis mandatur publicanda. *Clemens VI.* ibid.
3. Ne exigatur a Neophytis earum inſularum quidpiam ultra conſuetudinem. *Eugenius IV.* 194
4. Pecuniæ quædam quantitas ad Apoſtolicam Sedem ſpectans pro incolis harum inſularum inſumitur. *Eugenius IV.* ibid.
5. Avarorum in Canarienſes latrocinia reprimuntur. *Eugenius IV.* ibid.

DE REGNO ANGLIÆ.

1. HAbertus Legatus Ap. in Anglia jubetur monere Regem Villelmum. *Gregorius VII.* 195
2. Permiſſio fit regi, ut ingrediatur in Hiberniam. *Hadrianus IV.* ibid.
3. Suſpenſio eorum Epiſcoporum, qui aſtiterunt coronationi Regis. *Alexander III.* ibid.
4. Suſpenſio Epiſcoporum Londonenſis, & Saresberenſis. *Alexander III.* ibid.
5. Filius regis non coronetur, niſi juret, ſe ſervaturum jura Eccleſiæ. *Alexander III.* ibid.
6. Angliæ nullus Epiſcopus coronet Regem. *Alexand. III.* ibidem.
7. Donum mittitur ad Anglorum regem. *Innocentius III.* ibidem.
8. Reprehenditur Rex Angliæ Joannes, quod cauſam belli Philippo Galliæ Regi dederit. *Innocentius III.* ibidem.
9. Acceptio oblationis regni Angliæ factæ Sanctæ Sedi. *Innocentius III.* 196
10. Excommunicatio in Epiſcopos nolentes pacem componere cum rege. *Innocentius III.* ib.
11. Pactiones regis cum Epiſcopis factæ irritantur. *Innocentius III.* ibid.
12. Excommunicatio Baronum regem perſequentium. *Innocentius III.* ibid.
13. De morte Joannis, de Henrici coronatione, & de expeditione in Terram Sanctam. *Honorius III.* ibidem.
14. Pamprochius excitatur ad fidem erga regem. *Honorius III.* 197
15. Gualo Card. Legatus jubetur uxorem quærere Henrico. *Honorius III.* ib.
16. Peragenda a Legato in tutela regis exponuntur. *Honorius III.* ibid.
17. Rex Angliæ oratur, ne moveat bellum Regi Galliarum. *Honorius III.* ibid.
18. Facultas datur Regi adhibendi a conſiliis Epiſcopos. *Gregorius IX.* ibid.
19. Abſolvatur Rex, ſi injecerit manus in clericos. *Innocentius IV.* ibid.
20. Confirmatio privilegii prædicti. *Clemens V.* ib.
21. Reginæ Angliæ poſſint ingredi in monaſteria. *Innocentius IV.* ibid.
22. Juramenta, per quæ alienabantur jura regia, ſolvuntur. *Innocentius IV.* ibid.
23. De coronatione regis Scotiæ. *Innocentius IV.* 198
24. Regnum Angliæ in protectionem S. Sedis recipitur. *Innocentius IV.* ibid.
25. Ad Angliæ Reginam de captivitate Comitis de Sabaudia Thomæ ejus avunculi. *Alexander IV.* ibidem.
26. Nullitas pactorum initorum contra Regem. *Urban. IV.* ibidem.
27. Rogatur Rex inhibere Seneſcallo occupationem bonorum Eccleſiaſticorum. *Gregorius X.* ibid.
28. Conſolatoriæ litteræ ad Eduardum de morte ejus Patris. *Gregorius X.* ibid.
29. Ad Angliæ regem, ne affinitatem cum Petro Aragonum rege contrahat. *Martinus IV.* ib.
30. Hortatio ad pacem cum rege Angliæ. *Bonifacius VIII.* 199.
31. Promiſſio regum, ſe executuros pacta a Pontifice impoſita. *Bonifacius VIII.* ib.
31. Probat Pontifex, Regem Angliæ non poſſe de jure petere a Rege Scotiæ ſubſidia. *Bonifacius VIII.* ibidem.
33. Mandatur Regi Eduardo, ut ſolvat cenſum debitum R. Eccleſiæ. *Bonifacius VIII.* ibid.
34. Rogatur rex approbare collationem Eccleſiæ, quam Pontifex dedit Nepoti ſuo. *Clemens V.* ibid.
35. Ne permittat rex Nuntios Apoſtolicos læsi. *Clemens V.* ibidem.
36. Admoneatur rex, ne permittat ſuos miniſtros violare jura eccleſiaſtica. *Clemens V.* ibid.
37. Litteræ ad regem de exceſſibus miniſtrorum. *Clem. V.* ibidem.
38. Rurſus moneatur rex de exceſſibus ſuorum miniſtrorum. *Clemens V.* 200
39. Jubetur rex dare Militibus Hieroſolymitanis bona Templariorum. *Clemens V.* ibid.
40. Treguæ per biennium indicuntur Regi Angliæ. *Joannes XXII.* ibid.
41. Facultas data Archiepiſcopo Cantuarienſi réducendi ad bonum tramitem Barones Angliæ. *Joannes XXII.* ibidem.
42. Eadem facultas datur Nuntiis Apoſtolicis. *Joan. XXII.* ibidem.
43. Hortatio ad Regem, ut reprimat Seneſcallum Vaſconiæ. *Joannes XXII.* ibid.
44. Regii miniſtri cum rebellibus excommunicatis agant. *Joannes XXII.* 201
45. Ledeſpenſier monetur, ne Regem Eduardum pervertat. *Joannes XXII.* ibid.
46. Suadetur regi æquitas. *Joannes XXII.* ib.
47. Rogatur rex, ut ſigna amoris det matri. *Joan. XXII.* ibidem.
48. Conſilia regi dantur. *Joannes XXII.* ibid.
49. Hortatio ad pacem cum Scoto. *Benedictus XII.* ibidem.
50. Rogatur rex reprimere in Hibernia hæreticos. *Benedictus XII.* 202
51. Ad regem, ut acquieſcat conſiliis Nuntiorum. *Benedictus XII.* ibid.
52. Dehortatio ad regem, ne bellum regi Galliæ moveat. *Benedictus XII.* ibid.
53. Hortatio ad regem, ut nolit aſſumere titulum regis Franciæ. *Benedictus XII.* ibid.
54. De reſervationibus Pontificiis Eccleſiarum Angliæ. *Clemens VI.* ibid.
55. Hortatur Clemens regem ad pacem. *Clemens VI.* 203
56. Hortatio ad clementiam. *Innocentius VI.* ibid.
57. Rogatur Rex pacem inducere inter Ducem Novariæ, & Ducem Normanniæ. *Innocentius VI.* ib.
58. Ne rex permittat a militibus ſuis in Francia læsi clerum. *Innocentius VI.* ibid.
59. Laudatur rex, quod pacem acceptarit. *Innocentius VI.* ibidem.
60. Se excuſat Pontifex, cur non poſſit creare Cardinalem Abbatem commendatum a Rege. *Innocent. VI.* ibidem.
61. Commendat Abbatem Cluniacenſem Regi. *Innoc. VI.* 204.
62. Gratiarum actio ad regem de data S. Sedi pecunia. *Innocentius VI.* ibid.
63. Jubentur duo prælati accipere a rege, & a clero oblatam pecuniam. *Innocentius VI.* ibid.
64. Cenſum annuum S. Sedi perſolvere monetur Rex. *Urbanus V.* ibid.
65. Hortatio ad regem, ne ejus filius occupet comitatum Provinciæ. *Urbanus V.* ib.
66. Hortatio ad regem ad pacem. *Gregorius XI.* ibid.
67. Facultas data regi nominandi duas perſonas in Cathedralibus. *Urbanus VI.* ibid.
68. Negat Eugenius, ſe abſolviſſe quemquam ab juramento fidelitatis præſtito regi Angliæ. *Eugenius IV.* ibidem.
69. Laudatur Henricus, quod miſericordiâ uti velit. *Innocentius VIII.* ibid.
70. Diſpenſatio matrimonialis impedimenti inter Henricum VII. & Eliſabetham. *Innocentius VIII.* 205
71. Confirmatio diſpenſationis. *Innocentius VIII.* ib.
72. Perturbatores regni abſolvuntur a cenſuris. *Innocentius VIII.* ibid.
73. Duobus Prælatis mandatur, ut mittant Romam rem totam de electione Symnelleti. *Innocentius VIII.* ibidem.
74. Excommunicatio in perturbatores Angliæ, & Hiberniæ. *Innocentius VIII.* ib.
75. Permiſſio regi, ut eligat Epiſcopos qui abſolvant perturbatores. *Benedictus VI.* ibid.
76. Diſpenſatio matrimonii inter affines Henricum VIII. & Catharinam. *Julius II.* ibid.
77. Titulo *Defenſoris Fidei* inſignitur Henricus VIII. *Leo X.* 206.
78. Confirmatio tituli. *Clemens VII.* ibid.
79. Invitatur rex, ut ſit protector fœderis contra Carolum V. initi. *Clemens VII.* ibid.
80. Facultas data Cardinali Eboracenſi inquirendi de matrimonio inter Henricum, & Catharinam. *Clem. VII.* ibidem.
81. Cur non poſſit diſſolvi matrimonium Henrici. *Clemens VII.* ibid.
82. Appellatio Catharinæ Reginæ Angliæ ſuper tentata diſſolutione matrimonii. *Clemens VII.* ibid.
83. Monetur de interpoſita appellatione Rex. *Clemens VII.* ibidem.
84. Sententia in Henricum fertur. *Clemens VII.* 207
85. Excommunicatio Henrici VIII. *Paulus III.* ib.
86. Publicatio excommunicationis. *Paulus III.* ib.
87. Gratulatio de adepto regno, & hortatio ad reſtituendam fidem. *Julius III.* ibid.
88. Laudatur Reginæ ſtudium de reſtituenda religione. *Julius III.* 208
89. Indicuntur ſupplicationes de reſtituta fide in Angliam. *Julius III.* ibid.
90. Hortatur Pontifex Reginam Eliſabetham, ut Catholicam Religionem profiteatur. *Pius IV.* ib.
91. Excommunicatio Reginæ Eliſabethæ. *Pius V.* ib.
92. Hortatio ad Parlamentum, ut Catholicam fidem ſectetur. *Paulus III.* ibid.

De Principatu Vallia.

93. Confirmatio concordiæ inter Fratres Germanos factæ a quibuſdam Prælatis. *Gregorius X.* ib.

De Regno Inſularum.

94. Acceptatio oblationis Inſulæ Manx Sanctæ Sedi factæ; de qua rex inveſtitur in Feudum. *Honorius III.* 209.

DE ECCLESIA ANGLICANA.

1. NE laici inveſtiant clericos de Eccleſiis, neque clerici accipiant inveſtituras a laicis. *Alexander III.* ibid.
2. Hortatio ad prælatos, ne dent regi rumpendæ pacis anſam. *Innocentius III.* ibid.
3. Permiſſio, ut electiones prælatorum ſint liberæ, confirmatur. *Innocentius III.* ibid.
4. Increpantur Angliæ Epiſcopi, quod rebelles in S. Sedem non compeſcuerint. *Gregorius IX.* ibid.
5. Prælati excitent clericos ad honeſtatem, & ſcientiam. *Innocentius IV.* ibid.
6. Querelæ Eccleſiæ Anglicanæ de oneribus ſibi impoſitis a S. Sede, & remedium apponitur. *Innocentius IV.* ibidem.
7. Statuta pro conſervanda eccleſiaſtica libertate ab Epiſcopis Angliæ confirmantur. *Innocentius IV.* 210
8. Confirmatio cenſurarum latarum in violatores conſuetudinum hujus Eccleſiæ. *Innocentius IV.* ibid.
9. De ſeditione in regem excitata, de libertate eccleſiaſtica imminuta, & de Legato S. A. *Urbanus IV.* ibidem.
10. Hortatio ad regem, ut corrigat abuſus introductos in Eccleſiam Angliæ. *Nicolaus IV.* ibid.
11. Ratificatio collationum factarum a Rege beneficiorum quorumdam ſpectantium ad Sanctam Sedem. *Gregorius XI.* ibid.
12. Damnatio decretorum Parlamenti circa beneficia. *Bonifacius IX.* ibid.
13. Hortatio ad viros Parlamenti, ut leges latas abrogent. *Martinus V.* 211
14. Eadem hortatio ad regem. *Eugenius IV.* ibid.
15. Nullus prælatus in Anglia per quinquennium det ordines minores. *Leo X.* ibid.
16. Inhibetur collectio unius decimæ ſuper omnibus bonis eccleſiaſticis. *Leo X.* ibid.
17. Omnia loca, & perſonæ viſitentur a Legato a Latere. *Clemens VII.* ibid.
18. Eadem juſſio. *Clemens VII.* ibid.
19. Facultates datæ Cardinalis Franciſco Barberino protectori regnorum Angliæ, & Scotiæ. *Urbanus VIII.* ibidem.
20. Facultas data Conæo nominandi Præpoſitum pro Anglis Catholicis. *Urbanus VIII.* 212
21. Nominatio Præpoſiti. *Urbanus VIII.* ibid.

De Regno Scotiæ.

1. ABſolutio Regis Guillelmi. *Lucius III.* ib.
2. Epiſcopi hortentur regem ad deponendam iram in Joannem Epiſcopum Sancti Andreæ. *Clemens III.* ibidem.
3. Objurgatur rex Scotiæ cum complicibus. *Honorius III.* ibidem.
4. Regem Scotiæ recuſat Pontifex coronare. *Honorius III.* ibidem.
5. Rex ne cogatur admittere alios Legatos in regnum, niſi qui fuerit a Sancta Sede miſſus. *Innocentius IV.* ibidem.
6. Mandatur Regi, ne perturbet Epiſcopos Roſſenſem, & Moravienſem. *Honorius IV.* ibid.
7. Epiſcopi monent Robertum gerentem ſe pro Scotiæ Rege, & ejus Patrem Eduardum, ne moleſtent Angliæ regem. *Joannes XXII.* 213
8. Nuntii Apoſtolici in Anglia treguas faciant inter Robertum, & Regem. *Joannes XXII.* ib.
9. Nuntii Apoſtolici excommunicent Robertum. *Joannes XXII.* ibid.
10. Eadem juſſio. *Joannes XXII.* ibid.
11. Expoſitio actorum cum Nuntiis Roberti. *Joan. XXII.* ibidem.
12. Pontifex oſtendit ſe paratum appellare Robertum Scotiæ regem. *Joannes XXII.* ibid.
13. Abſolvitur a cenſuris Robertus. *Joannes XXII.* ibidem.
14. Confirmatur Epiſcopis S. Andreæ jus coronandi reges. *Joannes XXII.* 214
15. De morte Eduardi, de Davidis ſucceſſione, de regni regimine. *Joannes XXII.* ibid.
16. Invitatur rex ad mittendos Nuntios ſuos acturos de pace. *Clemens VI.* ibid.
17. Reſcinduntur acta a rege Jacobo. *Eugenius IV.* ibidem.
18. Guillelmum adductum falſo in invidiam oſtenditur. *Eugenius IV.* ibid.
19. Jacobus perſtet in Catholica fide, & expectet Nuntium A. *Paulus III.* ibid.
20. Commendatur Regi Scotiæ religio in Anglia periclitans. *Paulus III.* ibid.
21. Conceduntur decimæ cleri regi. *Paulus III.* 215
22. De decimis, de morte regis, de captura Cardinalis Betonii. *Paulus III.* ibid.
23. De abſolutione occiſorum Cardinalis Betonii. *Paulus III.* ibid.
24. Proceres Scotiæ excitantur ad tuendam Catholicam fidem. *Paulus III.* ibid.
25. Ad Araniæ Comitem, ut conſervationi fidei conſulat. *Paulus III.* ibid.
26. Maria ſenior Regina firma ſtet in Catholica fide. *Paulus III.* ibid.
27. Laudatur Maria, quod regnum continere in fide Catholica curet. *Pius IV.* 216
28. De Miſſione Patris Mercuriani in Scotiam: gratulatio de ſedatis turbis. *Pius IV.* ibid.

De Eccleſia Scotica.

1. COnfirmatio conſuetudinum hujus Eccleſiæ. *Alexander III.* ibid.
2. Privilegia hujus Eccleſiæ. ibid.
3. Confirmatio. *Cœleſtinus III.* ibid.
4. Alia confirmatio. *Honorius III.* ibid.

De Regno Hiberniæ.

1. DUblinenſi Archiepiſcopo dantur facultates pro Hiberniæ cuſtodia. *Honorius III.* ibid.
2. Hortatio ad Eduardum, ut ſervet privilegia Hibernis. *Joannes XXII.* ibid.
3. Epiſcopi hujus regni reprehenduntur, quod pacem perturbent. *Bonifacius VIII.* 217
4. Objurgantur foventes diſcordiam in regem. *Joannes XXII.* ibid.
5. Epiſcopi Angliæ cenſuris feriant turbatores pacis in Hibernia. *Joannes XXII.* ibid.
6. Commendantur Hibernis Nuntii AA. ad eos miſſi. *Paulus III.* ibid.
7. Ad hortatio ad Hibernos ut in fide perſtent. *Paulus III.* ibidem.
8. Inſula Hiberniæ titulo *Regni* inſignitur. *Paulus IV.* ibidem.

De Eccleſia Hibernia.

1. REprehenduntur Epiſcopi de negligentia in compeſcenda hæreſi. *Honorius III.* ibid.
2. Epiſcopis, & clero jubetur ſubſidium pro rege. *Honorius III.* 218
3. Hortatio ad regem, ut conſervet Epiſcopis jura eorum. *Urbanus IV.* ibid.
4. Jubilæum pro Catholicis in Hibernia. *Urbanus VIII.* ibidem.
5. Hortatio ad Epiſcopos Hiberniæ, ut in ſuis Eccleſiis reſideant. *Benedictus XIV.* ibid.

DE REGNO SICILIÆ ULTRA PHARUM.

1. INvestitur Dux Robertus Apulia, & Calabria, & Sicilia. *Gregorius VII.* 219
2. Gratulatio de victoria obtenta a Duce Roberto. *Gregorius VII.* ibid.
3. Privilegia concessa Rogerio Comiti Calabriæ, & Siciliæ. *Urbanus II.* ibid.
4. Confirmatur Regis titulus, & dantur privilegia Rogerio Guiscardo. *Innocentius II.* ibid.
5. Titulus regius datur Rogerio. *Anacletus II.* ib.
6. Propositiones exhibitæ a rege Guillelmo confirmantur. *Hadrianus IV.* 220
7. Regina Constantia cum Filio Friderico (postea Imperatore) II. investitur regno Siciliæ. *Innocentius III.* ibidem.
8. Legatis Pontificiis mandatur, ut cum Rege, & Imperatore Henrico VI. agant de liberanda Matre Sibilla conjuge Tancredi, ejusque Filio Guillelmo. *Innocentius III.* ibid.
9. Friderici regis curatoribus commendatur Guillelmus. *Innocentius III.* ibid.
10. Gualterius Comes Brenensis commendatur Siculis. *Innocentius III.* 221
11. Jubetur Gualterius in Siciliam ire. *Innocentius III.* ibidem.
12. Gratulatio de victoria. *Innocentius III.* ib.
13. Gratulatur Pontifex Friderico, quod fuerit custodia liberatus. *Innocentius III.* ibid.
14. Ad lætitiam excitantur Siculi propter Friderici mortem. *Innocentius IV.* ibid.
15. Hortatio ad Archiepiscopum Panormitanum ut se corrigat. *Innocentius IV.* ibid.
16. Manfredus recipitur in gratiam Sanctæ Sedis, & investitur principatu Tarentino. *Innocentius IV.* ibidem.
17. Conradinus investitur de bonis avi sui Friderici Imperatoris. *Innocentius IV.* 222
18. Mittitur Legatus A. in Siciliam cum amplis facultatibus. *Innocentius IV.* ibid.
19. Excommunicatio Manfredi, aliorumque nota fit Imperatori. *Innocentius IV.* ibid.
20. Conciliatur Manfredus cum Ecclesia, a qua quibusdam bonis investitur. *Innocentius IV.* ibid.
21. Alia bona conceduntur in Feudum Manfredo. *Innocentius IV.* ibid.
22. Mittitur Nuntius ad Comitem Pictaviensem de transferendo regno Siciliæ. *Innocentius IV.* 223
23. Conditiones, quibus offertur regnum. *Innocentius IV.* ibidem.
24. Confirmantur litteræ Alberti Legati, qui nomine Pontificis obtulit regnum Siciliæ Edmundo Angliæ regis filio. *Innocentius IV.* ibid.
25. Ad eundem Albertum de eodem argumento litteræ. *Innocentius IV.* ibid.
26. Conditiones quibus Edmundo oblata fuit Sicilia. *Alexander IV.* ibid.
27. Hortatio ad regem, ut pro filio Edmundo juret. *Alexander IV.* 224
28. Episcopus Herfordiensis regi suadeat occupationem Siciliæ. *Alexander IV.* ibid.
29. Tempus solutionis a rege Henrico faciendæ prorogatur. *Alexander IV.* ibid.
30. De reformandis investitionis conditionibus. *Alexander IV.* 225
31. Quid agere debeat Albertus audito regis Galliæ responso. *Urbanus IV.* ibid.
32. Revocatur concessio regni facta Edmundo. *Urbanus IV.* ibidem.
33. Litteræ salvi conductus Manfredo Romam citato datæ, ut eo veniat. *Urbanus IV.* ibid.
34. Rex Galliæ oratur recipere Legatum Apostolicum in Galliam missum de negotio Siciliæ. *Urbanus IV.* 226.
35. Rogatur rex, ut pecuniam Fratri Carolo suppeditet. *Urbanus IV.* ibid.
36. Rex oratur, ut assistat Fratri contra Manfredum. *Urbanus IV.* ibid.
37. Rationes cur non possit Edmundus prætendere ad regnum Siciliæ. *Clemens IV.* ibid.
38. Pacta, quibus conceditur Siciliæ regnum. *Clemens IV.* ibidem.
39. Carolus regno Siciliæ investitur. *Clemens IV.* 227
40. Cardinales docet Clemens, cur Carolum Andegavensem in regem elegerit. *Clemens IV.* ibid.
41. Significatur Carolo mandatam esse Cardinalibus ejus coronationem. *Clemens IV.* 228
42. Gratulatio de relata a Carolo victoria. *Clemens IV.* ibidem.
43. De Conradino, ejusque sociis. *Clemens IV.* ib.
44. Conradinus imperium affectans publicetur excommunicatus. *Clemens IV.* ibid.
45. Declaratur Conradinum decidisse Siciliæ regno. *Clemens IV.* ibid.
46. Gravius admonetur Carolus de frenanda militum licentia. *Clemens IV.* 229
47. Narratur quomodo Petrus Aragoniæ Rex occuparit Siciliæ regnum ultra pharum. *Martinus IV.* ib.
48. Excommunicatur Petrus, ni exeat Sicilia. *Martinus IV.* ibidem.
49. Excommunicatur insula, quod faverit Petro. *Martinus IV.* ibid.
50. Mandatur in Gallia Legato ad pacificendum cum rege Galliæ de occupando regno Aragoniæ. *Martinus IV.* 230
51. Rogatur Angliæ, ut singularem pugnam inter reges Carolum, & Petrum impediat. *Martinus IV.* ib.
52. Investitur Carolus secundogenitus regis Galliæ regno Aragoniæ. *Martinus IV.* ibid.
53. Rogatur rex Angliæ, ut libertatem Caroli a Rege Alphonso impetret. *Nicolaus IV.* ibid.
54. Conditiones factæ Carolo, ut liberetur a captivitate. *Nicolaus IV.* ibid.
55. Hortatio ad Alphonsum, ut Carolum liberet. *Nicolaus IV.* 231
56. Caroli liberatio commendatur rursus Angliæ regi. *Nicolaus IV.* ibid.
57. Conditiones liberationis Caroli confirmantur. *Cælestinus V.* ibid.
58. Significatur Siculis, Jacobum restituisse jura S. Sedi. *Bonifacius VIII.* 232
59. Jacobus restituitur in sua regna, & jura. *Bonif. VIII.* ibidem.
60. Contra Fridericum Siciliæ regem, ejusque asseclas sententia. *Bonifacius VIII.* ibidem.
61. Mandatum, ut tollantur censuræ contra Siculos latæ. *Bonifacius VIII.* ibid.
62. Tractatus pacis inter Carolum de Francia, & Robertum Ducem Calabriæ hinc, & Fridericum inde confirmatur. *Bonifacius VIII.* ibid.
63. Testatur Pontifex, se accepisse juramentum fidelitatis a Friderici Procuratore. *Bonifacius VIII.* 233
64. Mandatur Friderico, ut clientis officia debita Ecclesiæ præstet. *Benedictus XII.* ibid.
65. Mandatur duobus Legatis, ut Fridericum e Sicilia dimittant, & censuris innodent. *Benedictus XII.* ib.
66. De tractatu pacis inter Joannam Siciliæ reginam, & Fridericum Trinacriæ regem, & de jure S. Sedis in ea regna. *Gregorius XI.* ibid.
67. Mandatur Episcopo Sarlatensi, ut nomine S. Sedis accipiat homagium ab Joanna, & Friderico. *Gregorius XI.* 235
68. Eximitur Fridericus ab onere adeundi Romam ad præstandum homagium. *Gregorius XI.* ibid.
69. Rex Trinacriæ debet præstare servitutà decem Galearum, & centum militum S. Ecclesiæ. *Urbanus VI.* ibidem.
70. Alphonso permittitur exactio ducentorum aureorum millium ab Ecclesiis ipsius regnorum. *Eugenius IV.* ibidem.
71. Facultas datur eidem Alphonso bello persequendi Florentinos, & Thusciam. *Eugenius IV.* ib.
72. Insula, & Castrum Rubei dono datur Siciliæ regi. *Nicolaus V.* 236
73. Jubetur Auditor Generalis Cameræ Apostolicæ processum confícere in Senatum Messanensem. *Innoc. X.* ibidem.
74. Nullitas edicti Monarchiæ Siculæ in Diœcesi Liparensi. *Clemens XI.* 237
75. Nullitas decreti Delegati Monarchiæ Siculæ contra interdictum latum a Vicario Liparensi. *Clemens XI.* ibidem.
76. Nullitas edicti Tribunalis Monarchiæ Siculæ contra censuras latas ab Episcopo Agrigentino in suos expulsores. *Clemens XI.* ibid.
77. Monitorium contra judicem Monarchiæ Siculæ. *Clemens XI.* ibid.
78. Monitorium in judicem Tribunalis Siculi. *Clemens XI.* ibidem.
79. De observando interdicto in Diœcesibus Catanensi, & Agrigentina. *Clemens XI.* ibid.
80. Nullitas edicti Laicalis contra edictum Episcopi Catanensis. *Clemens XI.* 238
81. Monitorium in laicos, & regulares violatores interdicti lati ab Episcopis Agrigentino, & Catanensi. *Clemens XI.* ibid.
82. Citatio Romam violantium interdictum Episcopi Catanensis. *Clemens XI.* ibid.
83. Citatur Romam Vicarius Episcopi Catanensis tamquam proditor. *Clemens XI.* ibid.
84. Citantur Romam, qui expulerunt Episcopum Catanensem. *Clemens XI.* ibid.

85. Mo-

85. Monitorium in non observantes interdictum latum ab Archiepiscopo Panormitano. *Clemens XI.* ibid.
86. Citantur Romam detinentes in carcere regulares, quod pareant Pontifici. *Clemens XI.* 239
87. Citantur Romam conversantes cum excommunicatis. *Clemens XI.* ibid.
88. Nullitas edicti tribunalis junctæ contra executionem rescriptorum Pontificiorum. *Clemens XI.* ib.
89. Abolitio Monarchiæ Siculæ. *Clemens XI.* ib.
90. De modo observando in foro ecclesiastico in Sicilia. *Clemens XI.* ibid.
91. Nullitas appellationis Fiscalis Tribunalis Siciliæ contra supradictas constitutiones. *Clemens XI.* 240
92. Indulgentia plenaria in articulo mortis datur iis, qui paruerunt Episcopis. *Clemens XI.* ibid.
93. Conventiones inter Pontificem, & Philippum V. Regem Hispaniarum super Siciliæ negotiis. *Clemens XI.* ibidem.
94. De ratione componendi diffidia de Monarchia Sicula. *Benedictus XIII.* ibid.
95. Concordiæ de Monarchia Sicula decreta. *Benedict. XIII.* 241.
96. Privilegia Capellani Majoris utriusque Siciliæ Regis. *Clemens VIII.* 242

De Capella Regia, & Imperiali Palatii Panormi.

97. Cantori, & Canonicis hujus Capellæ datur usus Rocchetti, & Mozzettæ. *Urbanus VIII.* 243

De S. Rosalia Regni Sicilia Patrona.

98. Significat Siculis Pontifex nomen S. Rosaliæ positum fuisse in Romano Martyrologio. *Urbanus VIII.* ib.
99. Idem significatur Card. Doria Archiepiscopo Panormitano. *Urbanus VIII.* ib.
100. De missis ad se reliquiis S. Rosaliæ grates aguntur a Pontifice Cardinali. *Urbanus VIII.* ib.
101. Rogerius de Lauria investitur quibusdam insulis e conspectu Siciliæ provinciæ Africæ. *Bonifacius VIII.* ibidem.

DE ECCLESIA SICULA.

1. SIgnificatio Episcopis Siciliæ deputationis Vicarii, fusioque, ut semel in anno concilium habeant. *Gregorius I.* 244
2. Ecclesia Sicula semper addicta ostenditur Ecclesiæ Latinæ, non Græcæ. *Gregorius I.* ibid.
3. Regius in Episcoporum electionibus assensus confirmatur. *Innocentius III.* ibid.
4. Expositio supradictæ constitutionis Episcopis regni. *Innocentius III.* 245
5. Siciliæ Episcopi ne solvant impositiones prætextu defendendi Ecclesiam injunctas. *Gregorius IX.* ib.
6. Expositio malorum a Friderico in Ecclesiis regni patratorum, abolitioque decretorum ab illo edictorum circa electiones ad Ecclesias. *Innocentius IV.* ib.
7. Confirmatio. *Clemens IV.* ibid.
8. Provisio Ecclesiarum Regni reservatur S. Sedi. *Clemens VI.* ibid.
9. Episcopi inventarium faciant processuum &c. morientesque tradant consignandum successoribus. *Pius V.* ibidem.
10. Ecclesiastici regulares, & sæculares vetantur abscondere bladas tempore annonæ. *Paulus V.* ib.
11. Interdicitur Prælatis Siciliæ mactare boves, vitulos, &c. eosque vendere. *Paulus V.* 246
12. Eadem jussio. *Paulus V.* ib.
13. Confirmatio prædictarum Pauli Bullarum. *Urbanus VIII.* ibidem.
14. Hortatio ad proregem Siciliæ, ut eximat ecclesiasticos pauperes a dativis servitiis. *Paulus V.* ib.
15. Permittitur ecclesiasticis solutio donativorum, quin incurrant censuras. *Paulus V.* ibid.
16. Confirmatio oblationis pecuniariæ factæ regi Catholico a prælatis Siciliæ. *Paulus V.* ib.
17. Permissio ut Ecclesiastici solvant regi pecuniæ summam quamdam. *Gregorius XV.* ib.
18. Subsidium dandum regi permittitur. *Urbanus VIII.* ib.
19. Permittitur Philippo IV. perceptio fructuum unius integri mensis de qualibet præbenda Ecclesiastica. *Urbanus VIII.* ibid.
20. Subsidium aliud permissum dari regi. *Urbanus VIII.* ibidem.
21. Eadem permissio. *Urbanus VIII.* ibid.
22. Eadem commissio. *Urbanus VIII.* 247
23. Jubetur Archiepiscopus Panormitanus publicare breve, quo conceditur regi decima. *Urbanus VIII.* ib.
24. Augmentum vectigalis conceditur. *Urbanus VIII.* ib.
25. Ad Archiepiscopum Panormitanum, ut jubeat fieri a clero solutionem. *Alexander VII.* ibid.
26. Permissio regi acceptandi donativum collatum, &c. *Alexander VII.* ibid.
27. Alia Bulla ejusdem tenoris. *Alexander VII.* ibid.
28. Permissio clero Siciliæ ut ordinarium donativum det regi. *Clemens IX.* ibid.
29. Jus præsentandi ad beneficia hujus insulæ, & Sardiniæ datur Carolo V. ad vitam. *Clemens VII.* ib.
30. Permittitur Philippo II. ejusque filio jus præsentandi ad Ecclesias hujus insulæ, & Sardiniæ. *Sixtus V* ibidem.

DE REGNO SICILIÆ CITRA PHARUM, VEL NEAPOLITANO.

1. TAxa onerum imponendorum Siculis. *Honorius IV.* 248.
2. Confirmatur juramentum præstitum a Carolo II. Siciliæ rege. *Nicolaus IV.* ibid.
3. Carolus II. monetur, ne inscia S. Sede paciscatur cum Friderico Siciliæ usurpatore. *Bonifacius VIII.* ibidem.
4. Fœdus initum inter Carolum, & Januenses confirmatur. *Bonifacius VIII.* ibid.
5. Non tenetur Ecclesia suis impensis defendere regnum Siciliæ. *Clemens V.* 249
6. Æris alieni contracti cum S. Sede tertia pars remittitur Carolo. *Clemens V.* ibid.
7. Contra invasores regni, hostesque regis. *Clemens V* ibidem.
8. Hortatio ad regem Robertum, ut melius regnum regat. *Joannes XXII.* ibid.
9. Permittitur Roberto, ut coram Legatis homagium S. Sedi præstet. *Benedictus XII.* ibid.
10. Testatur Pontifex Robertum juraße. *Benedictus XII.* ibidem.
11. Rescinduntur acta ab Joanna Regina contra testamentum Regis Roberti. *Clemens VI.* 250
12. Regium nomen datur Andreæ Joannæ sponso; parere jubetur Legato Pontificio; coronatio in regem eidem spondetur. *Clemens VI.* ibid.
13. Confirmatur Reginæ Joannæ diploma. *Clemens VI.* ib.
14. Conceditur prorogatio solutionis census Sanctæ Sedi. *Clemens VI.* ibid.
15. Sententia contra interfectores Regis Andreæ Joannæ viri. *Clemens VI.* ibid.
16. De pace Ludovicum Hungarum inter, & Joannam. *Clemens VI.* 251
17. De coronatione Ludovici. *Clemens VI.* ib.
18. Contra Joannam recusantem præstare *S. Sedi* homagium. *Urbanus V.* ibid.
19. Renuntiatio facta a Ludovico Rege Hungariæ, & Stephano Duce Transilvano Siciliæ confirmatur, *Gregorius XI.* ibid.
20. Regnum Neapolitanum transfertur in Carolum Dyrrachinum. *Urbanus VI.* ibid.
21. Confirmatio adoptionis in regem Siciliæ factæ ab Joanna. *Clemens VII. Antipapa.* 252
22. Pro Rege Carolo subsidium pecuniarium imponitur clero Neapolitano. *Urbanus VI.* ibid.
23. Significatur Neapolitanis jus regni restitutum fuisse Ladislao. *Bonifacius IX.* ibid.
24. Pacta sancita inter Ladislaum hinc, & proceres regni citra pharum confirmantur. *Bonifacius IX.* ib.
25. Reprehenditur Ladislaus, & jubetur restituere occupata. *Gregorius XII.* 253
26. Cardinali Legato datur potestas coronandi Reginam Joannam II. *Martinus V.* ibid.
27. Protectionem suam Pontifex pollicetur Joannæ. *Eugenius IV.* ibid.
28. Siculi nec Alphonso, nec Renato faveant. *Eugen. IV.* ibidem.

De Regno utriusque Sicilia.

29. Regnum Neapolitanum datur in Feudum Alphonso Aragonum, & Siciliæ ultra pharum regi. *Eugen. IV.* 254.
30. Omnia loca, quæ fuerant distracta ab hoc regno uniri eidem Pontifex vult. *Eugenius IV.* ibid.
31. Adoptio Alphonsi ab Joanna facta confirmatur. *Eugenius IV.* ibid.
32. Si masculi ex Alphonso non sint ex linea recta, sumantur in reges Siciliæ masculi ex linea transversali. *Eugenius IV.* ibid.
33. Regniculis jubetur, ne juramentum dent ulli principi. *Callixtus III.* ibid.
34. Tollitur decretum Callixti adversus Ferdinandum. *Pius II.* 255
35. Deputatur Cardinal. Legatus ad coronationem Regis. *Pius II.* ibid.
36. Regnum Siciliæ datur in Feudum Ferdinando. *Pius II.* ibidem.

37. Even-

37. Eventualis inveſtitio Ferdinandi Nepotis. *Innocent. VIII.* ibidem.
38. Cæſari Borgiæ Card. mandatur, ut Fridericum Aragoniæ, & Siciliæ regem inveſtiat de Sicilia citra pharum. *Alexander VI.* ibid.
39. Galli ſtudentes in regnum Neapolitanum excommunicantur. *Alexander VI.* 256
40. Certior fit Fridericus de inveſtitione de illo a Card. Borgia facienda. *Alexander VI.* ib.
41. Privatur Fridericus regno, dividiturque inter Ludovicum XII. Galliarum regem, & Ferdinandum regem Hiſpaniarum. *Alexander VI.* ibid.
42. Ferdinando, & Eliſabethæ, eorumque ſucceſſoribus remittitur de juramento, &c. *Alexander VI.* ib.
43. Totum regnum Neapolitanum citra Pharum datur Ferdinando Aragonum regi. *Julius II.* ib.
44. Carolus V. poſſit retinere ſimul cum imperio Siciliam. *Leo X.* 257
45. Abſolvitur Carolus a cenſuris tamquam Siciliæ poſſeſſor. *Leo X.* ibid.
46. Declaratio inveſtituram factam Carolo non præjudicare inveſtituræ factæ ejus matri Joannæ. *Leo X.* ibidem.
47. Philippus Princeps Hiſpaniarum, & Rex Angliæ inveſtitur Siciliæ regno. *Julius III.* ibid.
48. Abſolvitur Rex Philippus ab juramento, ut poſſit retinere Siciliam una cum Ducatu Mediolani. *Clemens VIII.* ibid.
49. Eidem Philippo conceditur inveſtitura Siciliæ. *Clemens VIII.* ibid.
50. Inveſtitur hoc regno Philippus IV. *Gregorius XV.* 258
51. Carolus VI. Imperator inveſtitur regno utriuſque Siciliæ. *Innocentius XIII.* ibid.
52. Inveſtitura utriuſque Siciliæ datur Carolo Borbonio Hiſpaniarum Infanti. *Clemens XII.* ibid.
53. Abſolvitur Alphonſus Siciliæ rex, quod album equum non obtulerit. *Nicolaus V.* ibid.
54. Omiſſio equitationis non debet nocere juribus Eccleſiæ. *Alexander VII.* ibid.
55. Privilegia conceſſa communitati Neapolitanæ. *Innocentius IV.* ibid.
56. Nuntius Apoſtolicus Neapoli vetet judices Neapolitanos in proceres Neapolitanos procedere. *Innocentius VIII.* ibid.
57. Hortatio ad Archiepiſcopum Neapolitanum, ut excitet regulares ad aſſiſtendum peſte infectis. *Alexander VII.* 259
58. Nullum declaratur edictum proregis Neapolis. *Alexander VII.* ibid.
59. Caſtigatur Jordanus Capuanus princeps. *Gregorius VII.* ibidem.
60. Cajetanæ civitati privilegia dantur. *Gregorius IX.* ib.
61. Confirmantur libertates, & exemptiones Civium Soranorum. *Innocentius III.* ibid.
62. Privilegia iiſdem civibus conceduntur. *Gregorius IX.* ibidem.
63. Recipiuntur Sueſſani in protectionem S. Sedis, eorumque privilegia confirmantur. *Gregorius IX.* ib.
64. Matthæo de Porta confirmatur poſſeſſio bonorum. *Clemens VI.* ibid.
65. Confirmatio privilegii Savario de Malo Leone. *Honorius III.* 260
66. Committitur Card. Vicario abſolvendi Præſidem, & Auditorem Montis Fuſculi a cenſuris ob violatam immunitatem eccleſiaſticam. *Alexander VII.* ib.
67. Mandatur Auditori Cameræ, ut procedat contra Auditorem Portus Herculis. *Alexander VII.* ib.
68. Excommunicatio regiorum Miniſtrorum ob violatam eccleſiaſticam libertatem. *Clemens XI.* ib.
69. Citatio reorum Romam. *Clemens XI.* ib.
70. Citatio Romam eorum, qui injuſte expulerunt Archiepiſcopum Surrentinum. *Clemens XI.* ib.
71. Præcipitur præſidi Calabriæ ultra, ſiſtere ſe ad tribunal Auditoris Cameræ. *Clemens XI.* 261
72. Caſſatio actorum ſuper ſequeſtratione fructuum beneficiorum. *Clemens XI.* ibid.
73. Confirmatio interdicti in poteſtatem laicam ob expulſionem Epiſcopi Lycienſis. *Clemens XI.* ib.
74. Confirmatio ſtatutorum deputatorum Capellæ S. Januarii Neapoli. *Alexander VII.* ib.
75. Pannus quidam aureus Sancti Januarii dono datur a Pontifice Neapolitanæ Eccleſiæ. *Joannes XXII.* ibidem.
76. Mandatur mercatoribus, ut Archiepiſcopo Neap. dent pannum, &c. *Joannes XXII.* ibid.

De Eccleſia Sicula citra Pharum.

1. Confirmatio legum Caroli II. pro Eccleſiis, & Eccleſiaſticis hujus regni. *Honorius IV.* 262
2. Clerici in hoc regno poſſunt denunciare impune eos, qui negotiantur cum infidelibus. *Sixtus V.* ib.
3. Facultas data Nuntio A. Neapoli procedendi in prælatos non reſidentes. *Urbanus VIII.* ibid.
4. Reſtitutio gabellæ utrique clero Neapolis jubetur. *Gregorius XIV.* ibid.
5. Concordia inita inter clerum, & communitatem Neap. ſuper ſolutione datii farinæ confirmatur. *Paulus V.* ibidem.
6. Datur facultas Nuntio Ap. permittendi civibus Neapolitanis tranſigendi ſuper quodam vectigali. *Urbanus VIII.* ibid.
7. Pecuniæ clero reſtituenda applicatur fabricæ Baſilicæ S. Petri de urbe. *Urbanus VIII.* 263
8. Renovantur prædicta mandata Nuntio Ap. ibidem. *Urbanus VIII.* ibid.
9. Datur eadem facultas concordandi cum Clero. *Urbanus VIII.* ibidem.
10. Reſtituenda pecunia deputatur Fabricæ, &c. *Urbanus VIII.* ibid.
11. Jubetur Nuntius accipere pecuniam, & Romam eam mittere. *Urbanus VIII.* ibid.
12. Inſula Procita ſubjicitur huic Eccleſiæ. *Clemens VIII.* ibidem.

DE SARDINIA, ET CORSICA.

1. Inveſtitio inſularum Sardiniæ, & Corſicæ. *Bonifacius VIII.* 264
2. Arguitur Jacobus Aragoniæ, & Corſicæ Rex, quod victoriam non ſit proſequutus. *Bonifacius VIII.* ib.
3. Teſtimonium, Jacobum accepiſſe in Feudum a Sede Romana per Pontificem Sardiniam, & Corſicam. *Clemens V.* 265
4. Certior fit rex Alphonſus, ejus procuratores feciſſe homagium, & dediſſe juramentum. *Benedictus XI.* ibidem.
5. Arguitur Alphonſus de violato homagio, excitaturque ad ſaniora conſilia. *Benedictus XII.* ib.
6. Tranſactio cum Pontifice propter vectigal Sardicum S. Sedi debitum non ſolutum. *Clemens VI.* ib.
7. Teſtatur Pontifex, ſe accepiſſe ab oratoribus regis Petri juramentum. *Innocentius VI.* ibid.
8. Citatur Petrus IV. Sardiniæ, & Corſicæ Rex, quod ſtatuto termino non ſolverit cenſum. *Urbanus V.* ib.

De Eccleſia Sarda.

1. Diſpoſitio circa Eccleſias parochiales Sardiniæ. *Pius V.* 266
2. De Eccleſiis parochialibus regni proviſiones. *Clemens XIV.* ibid.
3. Tolluntur abuſus quoad adminiſtrationem ſpiritualium in hoc regno. *Clemens XIV.* ibid.
4. De ſpoliis Prælatorum Eccleſiarum Sardiniæ. *Clemens VIII.* ibid.
5. Donationes horum Epiſcoporum declarantur nullæ. *Clemens VIII.* ibid.
6. Methodus colligendi ſpolia eccleſiaſtica. *Urbanus VII.* ibidem.
7. Beneficia eccleſiaſtica dentur indigenis. *Clemens VIII.* ibidem.
8. Injungitur viſitatio Monaſteriorum Diœceſis Calaritanæ. *Clemens VIII.* 267
9. Revocatio litterarum Pauli V. circa beneficia hujus Eccleſiæ. *Urbanus VIII.* ibid.
10. Cæremoniale Epiſcoporum jubetur obſervandum in hac Eccleſia. *Urbanus VIII.* ibid.
11. Compoſitio litis inter Canonicos Calaritanos, & Fratres MM. de Obſervantia ſuper ſepultum. *Alexander VII.* ibid.
12. Jus nominandi ad Eccleſias Metropolitanas, & Cathedrales Siciliæ, & Sardiniæ datur Philippo. *Paulus V.* ibid.
13. Confirmatio litterarum Pauli V. ut rex poſſit exigere quaſdam pecunias a clero Sardiniæ. *Urbanus VIII.* ibidem.
14. Subſidium oblatum pro parandis navibus in tutelam inſulæ approbatur. *VIII. Urbanus VIII.* ibid.
15. Datur facultas Clero Sardiniæ perſolvendi ſubſidium oblatum. *Urbanus VIII.* ibid.
16. Subſidio oblato a clero ſolvendo datur ſpatium annorum quinque. *Urbanus VIII.* ibid.
17. Clero datur licentia ſubſidium dandi. *Urbanus VIII.* ibidem.
18. Subſidium prorogatur ad aliud quinquennium. *Urbanus VIII.* ibid.
19. Declaratio circa ſolutionem ratæ tangentis eccleſiaſticos in ſubſidium triremium. *Innocentius X.* 268

De Inſula Corſica.

1. Corſi laudantur, quod liberatam inſulam S. Sedi ſubjicere rurſus velint. *Gregorius VII.* ib.
2. Monita ad Corſos pro felici inſulæ ſtatu. *Joan. XXII.* ibidem.
3. Epiſcopus Feretranus inſulæ Corſicæ præficitur. *Eugenius IV.* ibid.

De Eccleſia Corſica.

1. Inſulæ Corſicæ Epiſcopis vetat Clemens uti opera regularium extra clauſtra morantium. *Clemens VIII.* ibidem.
2. Permiſſio dandi in emphyteuſim laicis bona eccleſiaſtica in hac inſula. *Urbanus VIII.* 269
3. Quomodo ſe gerere debeat Epiſcopus Marianenſis in ſuſpicione peſtis. *Alexander VII.* ibid.
4. Datur facultas Archiepiſcopo Piſano abſolvendi Eccleſiaſticos Corſicæ a cenſuris. *Clemens XIV.* ib.

DE HUNGARIÆ REGNO.

1. Regium diadema mittit Pontifex ad Stephanum Hungariæ Ducem, eumque regis titulo donat. *Silveſter II.* ibid.
2. Jura S. Sedis ſuper regnum Hungaricum aſſeruntur. *Gregorius VII.* ibid.
3. Conſolatur Pontifex Reginam Judith. *Gregorius VII.* ibidem.
4. Excitatur Rex Geiſa ad ſervanda jura S. Sedis. *Gregorius VII.* 270
5. Laudatur Ladislaus Hungariæ Rex. *Gregorius VII.* ib.
6. Hortatio ad Hungariæ Regem, ut Banum retinentem Patarenos ad eos dimittendos cogat. *Innocentius III.* ibid.
7. De oblato Andreæ Imperio Conſtantinopolitano gratulatur Pontifex. *Honorius III.* ibid.
8. Accenditur Hungariæ Rex in Theodorum Comnenum. *Honorius III.* ibid.
9. De matrimonio Hungariæ Regis filii. *Honorius III.* ib.
10. Solvitur ab juramento Rex. *Honorius III.* ib.
11. Rex Andreas monetur, ut decimas ſolvat, ſolvique faciat. *Honorius III.* 271
12. Bela primogenitus Regis commendatur Epiſcopis. *Honorius III.* ibid.
13. Ad Regem Andream de filio Bela. *Honorius III.* ib.
14. Rex Bela poſſit reſcindere juramenta facta a patre quoad bona, & jura regni. *Gregorius IX.* ib.
15. Revocare a malis conſiliis Pontifex ſtudet Andream Regem. *Gregorius IX.* ibid.
16. Ut Bela compellat Valachos ad accipiendum Epiſcopum Latinum hortatio. *Gregorius IX.* ibid.
17. Rex Bela caſtigatur de bonis Eccleſiarum occupatis. *Gregorius IX.* 272
18. Contra Bulgaros Rex Hungariæ excitatur, provinciæque occupandæ in eo regno illi dantur. *Gregorius IX.* ibidem.
19. Belam a Tartaris victum Pontifex conſolatur. *Gregorius IX.* ibid.
20. Rurſus conſolatur Pontifex Belam. *Gregorius IX.* ib.
21. Rogatur Rex, ut inducat Prælatos Regni venire ad Concilium. *Gregorius IX.* ibid.
22. Mandatur Patriarchæ Aquilejenſi, ut Crucem prædicari faciat in auxilium regni Hungariæ. *Innocent. IV.* 273.
23. A fidei ſacramento in Fridericum liber declaratur Rex Bela. *Innocentius IV.* ibid.
24. Diſſuadet Regi Pontifex, ne fœdus cum Tartaris faciat. *Alexander VI.* ibid.
25. Hortatio ad Belam, ut concordiam cum filio faciat. *Urbanus IV.* ibid.
26. Ignobilitas generis non deturpat Epiſcopatum. *Clemens IV.* 274
27. Ladislao præcepta dantur. *Gregorius X.* ib.
28. Hortatio ad regem, ut mores mutet. *Nicolaus III.* ib.
29. De corrigendis moribus, & de litteris Apoſtolicis. *Martinus IV.* 275
30. De corrigendis moribus. *Honorius IV.* ib.
31. Epiſcopus Æſinus mittitur Legatus in Hungariam. *Nicolaus IV.* ibid.
32. Alia mandata dantur. *Nicolaus IV.* ibid.
33. Legatus denunciet, Hungariam eſſe fiduciariam Eccleſiæ Romanæ. *Nicolaus IV.* ibid.
34. De eodem argumento. *Nicolaus IV.* ibid.
35. Maria Siciliæ regina declaratur hujus regni gubernatrix. *Bonifacius VIII.* 276
36. Legatus Ap. mittitur in Hungariam. *Bonifacius VIII.* ibidem.
37. Mandatur Legato, ut Epiſcopo Colocenſi jubeat adire Pontificem. *Bonifacius VIII.* ibid.
38. Regnum Hungariæ adjudicatur Mariæ Siciliæ reginæ. *Bonifacius VIII.* ibid.
39. Hortatio ad Hungariæ Magnates, ut Carolum in regem agnoſcant. *Bonifacius VIII.* ibid.
40. Puero Carolo dat monita *Bonifacius VIII.* 277
41. Confirmatur ſententia Bonifacii de jure ſucceſſionis. *Clemens V.* ibid.
42. Gratulatio de evitato periculo. *Joannes XXII.* ib.
43. Alius Epiſcopus deputatur pro coronatione regis, ſi non poſſit Archiepiſcopus Strigonienſis. *Joannes XXII.* ibidem.
44. Commutantur preces in alia pia opera. *Benedictus XII.* ibidem.
45. Poſtulatis Hungariæ Regis reſpondetur. *Clemens VI.* ibidem.
46. De eodem argumento ad reginam. *Clemens VI.* 278
47. Docetur Cardinalis Legatus in Sicilia quid reſpondere debeat Ludovico Hungaro. *Clemens VI.* ib.
48. Quid reſpondendum aliis regis Ludovici poſtulatis. *Clemens VI.* ibid.
49. Terræ occupatæ ab Hungaro ſpectent ad Ludovicum. *Clemens VI.* ibid.
50. De ſuo jure in regnum Siciliæ. *Urbanus V.* ib.
51. Sigiſmundo ejuſque poſteris regnum Hungariæ confirmatur. *Joannes XXII.* ibid.
52. De regis Ladislai tutela. *Nicolaus V.* 279
35. De ſuo deſiderio delendi Turcas, & de miſſione in Hungariam F. Jacobi de Marchia Pontifex certiorem regem facit. *Callixtus III.* ibid.
54. De liberatione Matthiæ electi in regem. *Callixtus III.* ibidem.
55. Gratulatio de electione filii in regem Eliſabethæ ejus matri. *Callixtus III.* ibid.
56. Suum gaudium Matthiæ Corvino ſignificat Pontifex, & quæ ſpes ſint de illo conceptæ. *Callixtus III.* ib.
57. Excitatur ad conſtantiam Matthias. *Pius II.* 280
58. Certior fit rex de rerum ſtatu. *Pius II.* ibid.
59. De Thoma Boſniæ rege. *Pius II.* ibid.
60. Gratulatio de victoria, de colloquiis inter Reges Poloniæ, & Bohemiæ. *Paulus II.* ibid.
61. Rex Hungariæ, & Bohemiæ accenditur in Venetos. *Julius II.* ibid.
62. Conſolatur regem puerum de morte patris Pontifex. *Leo X.* ibid.
63. Commendatur Ludovicus, quod religionem propugnet. *Clemens VII.* 281
64. Negat Pontifex, ſe dare poſſe Joanni ſubſidia. *Clemens VII.* ibid.
65. Joannis Regis Filius ſubjicitur tutelæ Cæſaris, & Regis Ferdinandi. *Julius III.* ibid.
66. Titulum Majeſtatis Apoſtolicæ confirmat Pontifex Regibus Hungariæ. *Clemens XIII.* ibid.

De Eccleſia Hungarica.

1. Jubentur prælati regni ſibi temperare a nimia acerbitate in exigendis decimis. *Joannes XXII.* ib.
2. Prælati Hungariæ recens proviſi non tenentur viſitare limina Apoſtolorum niſi ſingulis quadrienniis. *Clemens VIII.* ibid.
3. Eccleſiæ Hungaricæ jubentur uti Miſſali, & Breviario juxta ritum Romanum. *Urbanus VIII.* 282
4. Extenſio facultatum Nuntii A. Hungariæ, & pro regno Bohemiæ. *Paulus V.* ibid.

DE REGNO BOHEMIÆ.

1. Bohemiæ Dux admonetur de iis, quæ Epiſcopus Pragenſis fecerat. *Gregorius VII.* ibid.
2. Significatur abſolutio Orrambi Duci. *Gregorius VII.* ibidem.
3. Negatur Duci uſus linguæ Sclavonicæ in officiis divinis. *Gregorius VII.* ibid.
4. Teſtimonium, annuum cenſum fuiſſe a Duce Bohemiæ perſolutum S. Sedi. *Gregorius VII.* ibid.
5. Dux monetur, ut cenſum S. Sedi perſolvat. *Gregorius VII.* ibid.
6. Facultas datur Bohemiæ regi, ut ſe coronari faciat ab Imperatore Othone. *Innocentius III.* 283
7. De Eccleſia Metropolitica in Bohemia erigenda. *Innocentius III.* ibid.
8. Regi promittit Pontifex, ſe nihil acturum ante adventum ipſius Nuntiorum Romam. *Honorius III.* ib.
9. Deputatur Epiſcopus Ratiſponenſis ad abſolvendum Bohemiæ regem. *Honorius III.* ibid.
10. De reditu Epiſcopi Pragenſis Pragam. *Honorius III.* ibidem.
11. Regi Bohemiæ pax ſuadetur. *Innocentius IV.* ib.
12. Providetur, per quem ſit coronandus Rex. *Innocentius IV.* ibid.
13. Laudatur, accenditurque Regis zelus in Barbaros. *Alexander IV.* 284

14. Datur facultas regi accipiendi unctionem ab Episcopis Pragensi, aut Olmucensi. *Alexander IV.* ib.
15. Legitimantur natus, nateque duæ regis cum conditione, &c. *Alexander IV.* ibid.
16. De Conradino. *Clemens IV.* ibid.
17. Contra Lithuanos excitatur Rex, ejusque regni acquisita armis terra illi conceditur. *Clemens IV.* ib.
18. Adhortamentum, ut rex pacem servet cum Rege Hungariæ. *Gregorius X.* ibid.
19. Ad Bohemiæ regem de pace servanda cum rege Rodulpho. *Gregorius X.* 285
20. Rursus Othocaro suadetur pax. *Gregorius X.* ib.
21. Se a suspicione purgare nititur Pontifex. *Gregorius X.* ibidem.
22. De subsidio imponendo ecclesiasticis pro coronatione regis. *Bonifacius VIII.* ibid.
23. Ostegditur Venceslao nullum jus competere in regnum Hungariæ. *Bonifacius VIII.* ib.
24. Ad regem, ne devastet Hungariam neque titulum regis Poloniæ sibi usurpet. *Bonifacius VIII.* ib.
25. De Ludovico Bavaro. *Joannes XXII.* 286
26. Ludovicus Bavarus falso se jactat Imperatorem. *Joannes XXII.* ibid.
27. De coronatione Caroli primogeniti Joannis. *Benedictus XII.* ibid.
28. Hortatio ad Bohemos ut regem ament. *Eugenius IV.* ibidem.
29. Gubernator Bohemiæ Romam mittat Joannem Rochizanam. *Callixtus III.* ibid.
30. Cur neget Pontifex Georgium regem appellare. *Pius II.* ibid.
31. Cur Protonotarius publice non fuerit exceptus. *Pius II.* ibid.
32. Suspicionibus Georgii circa Slesitas respondetur. *Pius II.* 287
33. Ne conjurationes in Imperatorem Fridericum rex excitet. *Pius II.* ibid.
34. In Georgium sententia. *Pius II.* ibid.
35. Laudatur Maximilianus, quod velit e regno tollere corruptelas. *Pius IV.* 288

De Pragensibus, & Bohemis.

36. Gratulatio de inita concordia. *Eugenius IV.* ib.
37. Resciditur Bohemorum juramentum de parendo Regi Casimiro. *Sixtus IV.* ibid.
38. Bohemi, Silesii, Moravi jubentur obsequi Regi Matthiæ. *Sixtus IV.* ib.
39. Absolvuntur Bohemi a censuris. *Alexander VI.* ib.
40. De Bohemis hæreticis. *Julius II.* ib.
41. Quomodo transigendum sit super articulis controversis cum Bohemis. *Leo X.* 289
42. Commendatur Ferdinandus, quod velit extinguere hæreses in Bohemia. *Clemens VII.* ibin.

De Capella Regia.

43. Privilegia Capellæ Regiæ Pragensis. *Alexander II.* ib.

De Ecclesia Bohemica.

1. Confirmatio exemptionum a rege Ecclesiæ Bohemicæ. *Honorius III.* 290
2. Deputatur Archiepiscopus Pragensis visitator omnium Monasteriorum utriusque sexus in hoc regno. *Paulus V.* ibid.
3. Facultas datur Cardinali de Harach, & Nuntio A. apud Imperatorem conveniendi super bonis ecclesiasticis in hoc regno. *Urbanus VIII.* ibid.
4. Confirmatio gestorum a prædictis Cardinali, & Nuntio. *Urbanus VIII.* ibid.

DE REGNO POLONIÆ.

1. Ducis Poloniæ litteris respondet *Gregorius VII.* 291.
2. Confirmatio quorumdam Decretorum a Duce Poloniæ editorum. *Alexander III.* ibid.
3. Uladislaus Rex Poloniæ monetur ut se corrigat. *Innocentius III.* ibid.
4. Dux Cracoviensis recipitur in protectionem S. Sedis. *Innocentius III.* ibid.
5. Objurgantur Poloni, quod viliori moneta solvant pensionem S. Sedi. *Innocentius III.* ib.
6. Polonos contra quoscumque defendere Legatus jubetur. *Innocentius IV.* 292
7. Lachintiæ, & Cujaviæ duci permittitur Polexianos recipere. *Innocentius IV.* ib.
8. Luvcovienfis provinciæ populis consulitur. *Innocent. IV.* ibidem.
9. Spes retinendæ dignitatis in Polonia. *Joannes XXII.* ibidem.
10. Ad Regem ut ad fidem Catholicam perducat Russiæ Ducem. *Joannes XXII.* ibid.
11. De fœdere inito cum Regibus Bohemiæ, & Hungariæ, de causa de translatione Episcoporum. *Benedictus XII.* ibid.
12. Laudatur Rex, quod Ecclesiam protegat. *Benedict. XII.* ibidem.
13. Se purgat Pontifex, quod non possit confirmare sententiam Commissariorum, gratulaturque de victoriis. *Benedictus XII.* 293
14. De pace cum Rege Hungariæ. *Clemens VI.* ib.
15. Hortatio ut urgeat Lithuanos Duces ad fidem amplectendam Rex. *Clemens VI.* ib.
16. Deputantur duo prælati, qui pro Pontifice sint Patrini Filii Regis Poloniæ. *Gregorius XII.* ibid.
17. Privilegia regum, regnique Poloniæ confirmantur. *Martinus V.* ibid.
18. Uladislaus fit S. Sedis Vicarius. *Martinus V.* ib.
19. Commendatur Rex, excitaturque in Bohemos. *Martinus V.* ibid.
20. Monetur Rex, ne jura ecclesiastica lædat. *Martinus V.* 294.
21. Improbatur lex lata a Rege de beneficiis regni non dandis exteris. *Martinus V.* ibid.
22. De Basileensi Concilio. *Eugenius IV.* ib.
23. De morte Regis Uladislai: monita ad ejus filium. *Eugenius IV.* ibid.
24. De Conciliabulo Basileensi, & de regno Hungarico. *Eugenius IV.* ibid.
25. Hortatio ad Regem, ut fœdus cum principibus Christianis faciat, & ne pacem paciscatur cum Turcis. *Callixtus III.* 295
26. Arguitur Rex, quod cum hæreticis Bohemis agat. *Paulus II.* ibid.
27. Rogatur Rex oratoribus Moschis accessuris ad S. Sedem fidem publicam præbere. *Paulus II.* ib.
28. Rogatur Rex desistere a bello Hungaro illato. *Sixtus IV.* ibid.
29. De retinenda uxore Ruthena. *Julius II.* ib.
30. De Dalmatis, Croatisque defendendis. *Leo X.* ib.
31. Gratulatur Pontifex Sigismundo de victoria. *Clem. VII.* 296.
32. Oratur Rex, ut pacem conciliet inter Ferdinandum, & Joannem reges Hungariæ. *Paulus III.* ib.
33. Hortatio ad regem, ut hæresi purget regnum. *Paulus III.* ibid.
34. De morte Sigismundi Poloniæ Regis. *Paulus III.* ib.
35. Evangelium, & Patenam deosculari permittitur Reginæ Poloniæ. *Paulus III.* ibid.
36. De hæresi comprimenda, & de celebratione Concilii. *Julius III.* 297
37. Gravissime monet Paulus regem, ut fidem tueatur. *Paulus III.* ibid.
38. Indultum primariarum precum regi datur. *Clem. VIII.* ibidem.
39. Quædam beneficia reservantur regi. *Gregorius XV.* ib.
40. Facultas data Nuntio in Polonia reservandi decem, & octo beneficia conferenda a Rege. *Innocentius X.* ibidem.
41. Facultas data Nuntio procedendi contra ecclesiasticos, qui in regem, ejusque filios conspirarunt. *Urbanus VIII.* ibid.
42. Indulgentiæ concessæ exercitui Polono pugnanti contra hæreticos Prussiæ. *Urbanus VIII.* ib.
43. Ad Reginam Poloniæ mittit Innocentius Rosam auream. *Innocentius X.* 298
44. Confirmatio erectionis trium Capellaniarum pro anima qu. Bonæ de Vicecomitibus reginæ Poloniæ in Ecclesia Barensi. *Clemens VIII.* ib.
45. Silentium imponitur Canonicis Barensibus super nominatione Capellanorum. *Clemens VIII.* ib.

De Ecclesia Polona.

1. Episcopi nascentem hæresim suffocent. *Paulus III.* ibidem.
2. Culmensis Episcopus constituitur in Polonia Inquisitor in hæreticos. *Julius III.* ibid.
3. De comprimendæ hæresis modo, & de Concilio. *Julius III.* ibid.
4. Excitantur Episcopi ad concordiam inter se. *Pius IV.* ibidem.
5. Ecclesiastici, qui interveniunt Senatui Poloniæ absque metu censuræ possunt dicere sententiam suam. *Clemens VIII.* 299
6. Episcopi vocati ad Comitia regni eant. *Urbanus VIII.* ibidem.
7. Modus cognoscendi causas criminales in hoc regno. *Urbanus VIII.* ibid.
8. Responsio ad dubium de cognitione causarum criminalium Archiepiscoporum, & Episcoporum hujus regni. *Innocentius X.* ibid.
9. Jus-

9. Jussio Nuntio facta procedendi in eos, qui a Ministris Svecis beneficia ecclesiastica impetraverunt. *Alexander VII.* ibid.
10. Nuntius processum faciat in Episcopum Samogitiensem. *Alexander VII.* ibid.
11. Absolutio clericorum qui necarunt hostes. *Alex. VII.* ibidem.
12. Permissio regi accipiendi subsidium ab ecclesiasticis. *Paulus V.* ibid.
13. Nuntius det facultatem clero absolvendi regem. *Paulus V.* 300
14. Aliud subsidium permittitur clero &c. *Paulus V.* ib.
15. Solutio subsidii pro rege permittitur clero. *Greg. XV.* ibidem.
16. Indultum utrique clero factum dandi subsidium regi. *Urbanus VIII.* ibid.
17. Concessio, ut ecclesiastici dent subsidium regi. *Urbanus VIII.* ibid.
18. Facultas data clero dandi regi subsidium. *Urban. VIII.* ibidem.
19. Licentia auxiliandi regi per subsidium. *Alexander VII.* ibidem.
20. Ecclesiastici vasa aurea, & argentea ad cudendos nummos dantes absolvantur. *Alexander VII.* ib.
21. Nuntios compellat Ecclesiasticos ad danda vasa sacra ad conflandos nummos. *Alexander VII.* ibid.
22. Commissio Nuntio apud Imperatorem, ut cogat Prælatos Poloniæ ad danda vasa &c. *Alexander VII.* ib.
23. Eadem commissio Nuntio Poloniæ. *Alexander VII.* ib.
24. Det Nuntius clero facultatem solvendi subsidium. *Alexander VII.* 301
25. Facultates datæ Nuntio A. Poloniæ. *Alexander VII.* ib.
26. Jubetur Nuntius A. in Polonia procedere in quosdam laicos judices, qui condemnaverant Episcopum Imolecensem. *Innocentius X.* ibid.
27. Jubilæum datur huic regno. *Clemens IX.* ib.
28. Irritatio electionum factarum a Capitulis Ecclesiarum Gnesnensi, & Uladislaviensi. *Clemens XI.* ibid.
29. Irritatio decretorum a Magno Consilio Varsaviæ contra ecclesiasticam immunitatem. *Clemens XI.* ib.
30. Nullitas actorum in Comitiis Grodnensibus contra Apostolicam Nuntiaturam a. 1726. *Benedictus XIII.* ib.
31. Alternativa mensium quoad jus conferendi beneficia in hoc regno servanda præscribitur. *Clem. XIII.* 302

De Magno Ducatu Lithuaniæ.

1. Rex Luthaviæ, seu Lithuaniæ recipitur in protectionem S. Sedis. *Innocentius IV.* ibid.
2. Culmensi Episcopo mandatur, ut coronet in Regem Mindonum. *Innocentius IV.* ibid.
3. Idem Episcopus constituat Episcopum in Lithuania. *Innocentius IV.* ibid.
4. Subjicitur Lithuaniæ Episcopus S. Sedi immediate. *Innocentius IV.* ibid.
5. Conceditur Lithuaniæ regi, ut a Catholico Antistite filium suum coronari faciat. *Alexander IV.* ib.
6. Russia eidem Regi subjicitur. *Alexander IV.* ib.
7. De Lithuanorum regis pace. *Joannes XXII.* 303
8. Regis litteris respondetur. *Joannes XXII.* ib.
9. Mittuntur in Lithuaniam AA. Concionatores. *Clemens VI.* ibid.
10. Lithuaniæ Duces excitantur ad fidem. *Gregorius XI.* ib.
11. Dehortatur Ducem Pontifex a fovendo Hussitas. *Martinus V.* ibid.
12. Confirmatur Legati Ap. sententia in Sigismundum e Lithuanorum principibus. *Martinus V.* 304
13. Excitatur Alexander in Bohemos. *Martinus V.* ib.
14. Isidorus Kyen constituitur Legatus a Latere. *Eugen. IV.* ibidem.

De Ducatu Prussiæ.

1. Episcopos adhortatur Pontifex, ut in Prussiam fideles excitent. *Honorius III.* ibid.
2. Laudantur Prussi, quod fidem amplexati sint, accendunturque ad eam propagandam. *Honorius III.* ib.
3. Noviter conversis datur libertas. *Gregorius IX.* ib.
4. Excitantur fideles ad ferendam opem Ecclesiæ Prussiæ. *Gregorius IX.* ibid.
5. Tres Episcopatus erigantur in Prussia. *Gregorius IX.* 305.
6. De divisione Terræ Prussiæ. *Innocentius IV.* ib.
7. Creatur Legatus AA. in Prussiam. *Innocentius IV.* ib.
8. Mittitur Abbas Messanensis in Prussiam ad sedandas rixas. *Innocentius IV.* ibid.
9. Privilegium ferendi ante se Crucem elatam Prussiæ Archiepiscopo datur. *Innocentius IV.* ib.
10. Legatus admittat Regem Russiæ ad Ecclesiam Latinam, si ex animo venire velit. *Innocentius IV.* ib.

De Livoniæ Ducatu.

1. Hortatio ad tutandam Livoniam a Paganis. *Innocentius III.* ibid.
2. Jubentur Prælati ordinum mittere navos viros ad prædicandum verbum Dei in Livonia. *Honorius III.* 306
3. Mittitur Episcopus Mutinensis ad evangelizandum in Livoniam. *Honorius III.* ibid.
4. Providetur propagationi fidei in Livonia, Semigallia, Curonia, & Estonia. *Gregorius IX.* ib.
5. Curonii fidem Christianam amplectuntur. *Gregorius IX.* ibidem.
6. Samaytæ ad constantiam in fide excitantur. *Martinus V.* ibid.

DE REGNO SVEONUM, VEL SVETIÆ.

1. Gratulatio quod Rex prædicatores admiserit. *Gregorius VII.* 307
2. Citantur Romam, qui elegerunt in regem Joannem. *Honorius III.* ibid.
3. Adhortatio ad regem Svetiæ, ne ecclesiasticos lædat. *Honorius III.* ibid.
4. Upsalensi Archiepiscopo, & suffraganeis mandatur, ut regni perturbatores compescant. *Innocentius IV.* ibidem.
5. Regi, Duci, & uxori crimina confessione expiaturis datur indulgentia. *Innocentius IV.* ibid.
6. Spirituale indultum concessum Regi. *Martinus IV.* ib.
7. Regi permittitur, ut in sua capella sacra peragantur. *Martinus IV.* ibid.
8. Rogatur rex, ne collectores Denarii S. Petri impediat. *Joannes XXII.* ibid.
9. De decreto Synodi Lundensis non servando in terra Hallandiæ. *Joannes XXII.* 308
10. Indulgentia conceditur regi, & populo intervenienti prædicationi. *Joannes XXII.* ibid.
11. De alieno regno, parte non audita contraria, nihil S. Sedes potest statuere. *Benedictus XII.* ib.
12. Monita regi dantur. *Clemens VI.* ib.
13. Præfules Svetiæ eligant in regem virum probum. *Callixtus III.* ibid.
14. Deplorat Clemens in Svetiam penetrasse hæresim. *Clemens VII.* ibid.
15. Rex Svetiæ invitatur ad Concilium. *Pius IV.* 309
16. Facultas data Prælato N. absolvendi ab hæresi Christinam Reginam Svetiæ. *Alexander VII.* ib.
17. Deputatio quatuor prælatorum missorum in Nuntios extraordinarios ad eamdem reginam. *Alexander VII.* ibidem.
18. Duo Cardinales mittuntur obvii reginæ. *Alexander VII.* ibidem.
19. Indultum, ut regina possit ingredi in monasteria virorum urbis. *Alexander VII.* ibid.
20. Indultum ingrediendi monasteria monialium. *Alexander VII.* ibid.
21. Indultum ingrediendi cryptas Basilicæ Sancti Petri. *Alexander VII.* ibid.
22. Indultum visendi Vultum Sanctum, & Sacram Lanceam. *Alexander VII.* ibid.
23. Indultum ingrediendi quælibet loca sacra. *Alexander VII.* ibid.
24. Indultum ingrediendi Eremos Camaldulensem, & Carthusianam. *Alexander VII.* ibid.
25. Indulgentia affixa Imagini Christi Crucifixi datæ Reginæ. *Alexander VII.* ibid.
26. Facultas pernoctandi in itinere in Monasteriis Monialium. *Alexander VII.* 310
27. De electionibus Episcoporum in regno Svetiæ. *Innocentius IV.* ibid.
28. Gratulatio cum Regibus, & Populis Wisigothorum, quod Christiani facti fuerint cum monitis. *Gregorius VII.* ibid.

De Pomeraniæ Ducatu.

1. Laudantur Pomerani, quod fidem sint amplexati. *Gregorius IX.* ibid.
2. Reprehenditur Dux Pomeraniæ. *Innocentius IV.* ib.
3. Mandatur Archiepiscopo Gnesnensi, & suffraganeis, ut Ducem Pomeraniæ excommunicatum declarent. *Innocentius IV.* ibid.
4. Commendatur Ducibus Stetinensibus Ecclesiæ propugnatio. *Joannes XXII.* 311
5. De Ducatu Stetinensi investiuntur ii Duces. *Joannes XXII.* ibid.

DE REGNO DANIÆ.

1. Monetur Rex, ut censum S. Sedi persolvat. *Alexander II.* ibid.
2. Commendatur Regi anima illius Patris, & Ecclesia Daniæ. *Gregorius VII.* ib.

3. Regis Canuti litteris respondetur, *Gregorius VII.* ib.
4. De liberatione Episcopi Slevicensis. *Innocentius III.* ib.
5. Confirmatio privilegii de non turbando regno Daniæ. *Innocentius III.* ibid.
6. Confirmatio, *Honorius III.* ibid.
7. Suscipitur Rex cum regno in protectionem S. Sedis, *Innocentius III.* ibid.
8. De liberatione e carcere Regis Daniæ, ejusque filii. *Honorius III.* ibid.
9. De testamentorum executione, & solutione decimarum, *Gregorius IX.* ibid.
10. Populi sequantur regem, & dum abest, ne regnum turbetur, *Innocentius IV.* ibid.
11. De violata libertate ecclesiastica castigatur Daniæ rex, *Innocentius IV.* ibid.
12. Statuta prælatorum pro ecclesiastica dignitate confirmantur. *Alexander IV.* 313
13. Castigatur Rex Daniæ de illatis Ecclesiæ gravaminibus. *Clemens IV.* ibid.
14. Jus coronandi reges Archiepiscopi Lundensis ne usurpetur, *Joannes XXII.* ibid.
15. De restituenda regi urbe Rosthok. *Joannes XXII.* ib.
16. De Ludovico Bavaro, *Joannes XXII.* ibid.
17. Regnum Daniæ suscipitur in protectionem S. Sedis. *Urbanus V.* ibid.
18. De suo adventu Florentiam, & de missione Legatorum, *Eugenius IV.* 314
19. De adventu Romam Regis Daniæ. *Sixtus IV.* ib.
20. Regis clementia laudatur. *Julius II.* ib.
21. Privilegia spiritualia dantur Regi, & Reginæ. *Julius II.* ibid.
22. De Interruntii libertate, & de collectis pecuniis in fabricam S. Petri. *Leo X.* ibid.
23. De defendenda religione Christiana in Dania, *Clemens VII.* ibid.
24. Rex Daniæ invitatur ad Concilium, *Paulus III.* 315

De Regno Norvegiæ.

1. Monetur rex Norvegiæ ut suo Archiepiscopo pareat, *Alexander II.* ibid.
2. Rex Olavus excitatur ad mittendos Romam juvenes nobiles, qui addiscant religionem. *Gregorius VII.* ib.
3. Norvegiæ præsulibus mandatur, ut populos parentes Sveroni interdicant. *Innocentius III.* ib.
4. De regis coronatione. *Gregorius IX.* ibid.
5. Ne Episcopum Amerensem rex exagitet, *Gregorius IX.* ibidem.
6. Mittitur Legatus A. S. in Norvegiam, *Innocentius IV.* ibidem.
7. Coronatio regis Yachini mandatur Legato, *Innocentius IV.* 316
8. Legitimatur Yachinus, *Innocentius IV.* ibid.
9. Jus patronatus Ecclesiarum datur Yachino. *Innocent. IV.* ibidem.
10. Norvegiæ regnum suscipitur in tutelam S. Sedis. *Innocentius III.* ibid.
11. Excitantur Norvegi ad propugnationem fidei. *Joannes XXII.* ibid.
12. Norvegiæ Regi dat Pontifex medium sexennalis decimæ partem. *Joannes XXII.* ibid.

DE DUCATU SABAUDIÆ.

1. Castrum Avillani oblatum a Comite Sabaudiæ S. Sedi acceptatur, *Gregorius IX.* 317
2. Comes Sabaudiæ restituat Comitatum Gebennæ Episcopo. *Gregorius XI.* ibid.
3. Ne Dux, ejusque consiliarii infesti ulterius sint Episcopo Gebennensi. *Sixtus IV.* ibid.
4. Sabaudiæ Duci significatur Carolæ Cypri reginæ obitus. *Innocentius VIII.* ibid.
5. De auxilio mittendo Duci, & de restituendis rebus Ecclesiarum. *Clemens VII.* ibid.
6. Rogat Ducem Paulus, ut commodet de Urbe Niciæ, & arce pro celebrando conventu. *Paulus III.* ib.
7. Facultas datur Nuntio in Sabaudia cognoscendi causas in secunda instantia quorundam locorum Abbatiæ S. Benigni. *Paulus V.* 318
8. Extenditur ad aliud quinquennium eadem facultas. *Paulus V.* ibid.
9. Prorogatio alia ejusdem facultatis. *Innocentius X.* ibidem, ibid.
10. Eadem facultas datur Nuntio. *Clemens IX.* ibid.
11. Privilegium circa beneficiorum provisiones. *Nicolaus V.* ibidem, ibid.
12. Nullus clericus alterius nationis, & dominii obtineat in Ducatu Sabaudiæ beneficia. *Sixtus IV.* ib.
13. Confirmatio præcedentis constitutionis. *Innocentius VIII.* ibidem, ibid.
14. Iterum Sixti Bulla confirmatur. *Julius II.* 319
15. Confirmantur Bullæ Nicolai V., & Sixti IV. *Leo X.* ibidem, ibid.
16. Indultum datum Margaritæ Sabaudiæ Ducis viduæ. *Leo X.* ibid.
17. Confirmatio Bullæ Nicolai V., & Bullæ Sixti IV. *Clemens VII.* ibid.
18. Nova confirmatio supradictarum bullarum. *Julius III.* ibidem, ibid.
19. Alia confirmatio. *Gregorius XIII.* ibid.
20. Confirmatio privilegiorum Domus Sabaudiæ. *Clem. VIII.* ibidem, ibid.
21. Explicatio privilegii Nicolai V. de provisione beneficiorum in dominiis Ducum Sabaudiæ. *Innocentius XII.* ibidem, ibid.
22. Mandatur Nuntio, ut vetet infantes Catholicos educari apud hæreticos. *Clemens VIII.* 320
23. Ad Nuntium Sabaudiæ, ut eligat Episcopum Gebennensem in visitatorem Ecclesiarum Sabaudiæ. *Paulus V.* ibid.
24. Concessio subsidii Duci. *Clemens VIII.* ib.
25. Concessio trium decimarum intra triennium Duci. *Paulus V.* ibid.
26. Impositio sex decimarum. *Gregorius XV.* ibid.
27. Commissio facta Nuntio pro impositione subsidii in favorem Catholicorum vallium dominii Ducis. *Alexander VII.* ibid.
28. Irritatur edictum Ducis quoad feuda Ecclesiæ Astensis. *Alexander VII.* ibid.
29. Cassatio articulorum inter Ducem, & Gebennenses cives factorum. *Clemens IX.* 321
30. Irritatio edicti circa fumentes habitum clericalem, aliorumque. *Clemens XI.* ibid.
31. (*ita*) Nullitas actorum a potestate laica circa Abbatiam S. Benigni. *Clemens XI.* 322
33. Thesaurarii Generalis monitorium in usurpantes fructus Abbatiæ S. Benigni. *Clemens XI.* ibid.
34. Aliud monitorium contra laicalem potestatem, quæ locavit bona Abbatiæ. *Clemens XI.* ibid.
35. Citatio trium Canonicorum, quod conversati fuerint cum excommunicatis. *Clemens XI.* ibid.
36. Citatio læsorum Fiscalis A. Cameræ. *Clemens XI.* ib.
37. Monitorium contra conductores bonorum Abbatiæ. *Clemens XI.* 323
38. Monitorium in judicem delegatum a laicali potestate in terris Abbatiæ. *Clemens XI.* ibid.
39. Citatio Fiscalis, & executorum Curiæ Abbatialis. *Clemens XI.* ibid.
40. Monitorium ad omnes officiales Abbatiæ. *Clemens XI.* ibidem.
41. Cassatio actorum ab Episcopo Vintimiliensi in præjudicium ecclesiasticæ libertatis. *Clemens XI.* ib.
42. Confirmatio excommunicationis latæ ab Episcopo Astensi. *Clemens XI.* ibid.
43. Nullitas actorum a Senatu Niciensi. *Clemens XI.* ib.
44. Confirmatio excommunicationis latæ ab Episcopo Casalensi. *Clemens XI.* 324
45. Citatio Romam Præpositi Ecclesiæ S. Quilici loci Odalengi. *Clemens XI.* ibid.
46. Mandatur subditis Ecclesiæ in Diœcesi Astensi, ne solvant taxam impositam a Duce. *Clemens XI.* ib.
47. Renovatio prædicti edicti. *Clemens XI.* ibid.
48. Alia ejusdem edicti renovatio. *Clemens XI.* ib.
49. Rursus edicitur idem præceptum. *Clemens XI.* ib.
50. Injungitur ejusdem præcepti observantia. *Clemens XI.* 325.
51. Hortatio ad injurias officialium Ducis ferendas. *Clemens XI.* ibid.
52. Eadem hortatio ad omnes eos subditos. *Clemens XI.* ibidem.
53. Nullitas omnium actorum a Duce in supradicta loca. *Clemens XI.* ibid.
54. Citatio Romam officialium Ducis actus jurisdictionales in subditos S. Sedis exercentium. *Clemens XI.* ibidem.
55. Sententia in non comparentes pronunciatur. *Clem. XI.* ibidem.
56. Jussio, ut pronunciata sententia publicetur. *Clem. XI.* ibidem.
57. Nullitas edicti Senatus Taurinensis jubentis omnia Brevia deferri ad Senatum. *Clemens XI.* ib.
58. Rescissio actorum a Vicario Ebredunensi. *Clemens XI.* ibidem.
59. Acta a laicali potestate in monasterium S. Bernardi in Valesia rescinduntur. *Benedictus XIII.* 326
60. Articuli concordiæ S. Sedem inter, & Regem Sardum. *Benedictus XIII.* ibid.
61. Declaratio quomodo intelligendum sit Nicolai decretum. *Benedictus XIII.* 327
62. Declaratio de beneficiis apud S. Sedem vacantibus. *Benedictus XIII.* ibid.
63. Litteris Regis respondetur. *Benedictus XIII.* ib.

De Principatu Masserani.

1. Confirmatio Feudi Masserani Familiæ Ferreriæ. *Urbanus VIII.* 329
2. Confirmatio. *Clemens IX.* ibid.
3. Donationis factæ a Familia Flischa jurium super Principatu Masserani S. Sedi acceptatio. *Alexander VII.* ibidem.
4. Declaratur irrita alienatio quorumdam locorum hujus principatus. *Innocentius XI.* ibid.
5. Nuntius A. in Sabaudia audiat recursus subditorum Masserani, Crevacorii &c. *Alexander VII.* ib.
6. Confirmatio ejusdem facultatis Nuntio. *Alexander VII.* ibidem.
7. Nova confirmatio. *Clemens IX.* ibid.
8. Episcopus Maceratensis deputatur Gubernator hujus principatus absente Principe. *Urbanus VIII.* ib.
9. Jubetur Episcopus Casalensis mittere Romam statum controversiæ inter Principem, & subditos. *Alexander VII.* ibid.
10. Julianus Laureti interea deputatur principatus Gubernator. *Alexander VII.* 330
11. Episcopus Alexandrinus faciat processus controversiarum inter Principem, & subditos. *Innocentius XI.* ibidem.

De Marchionatu Montassiæ.

12. Confirmatio investitionis Comitatus de Montaffia, ejusque erectio in Marchionatum. *Gregorius XIV.* ib.
13. Confirmatio venditionis supradicti Feudi. *Alex. VII.* ibidem.

DE REPUBLICA VENETA.

1. Rogatur Dux, ut efficiat, ut Ravenna restituatur Imperatori. *Gregorius II.* 331
2. De paupertate Patriarchatus Gradensis. *Gregorius VII.* ibidem.
3. Hortatio ad Venetiarum Ducem, ut permittat Ecclesiam Gradensem transferri Venetias. *Alexander VII.* ibidem.
4. Pacta inter Venetos, & Gallos de præda Constantinopolitana rescinduntur. *Innocentius III.* ib.
5. Non conceditur solutio a voto eidem Duci. *Innocentius III.* ibid.
6. Sententia excommunicationis lata a Patriarcha Constantinopolitano in Venetos confirmatur. *Innocent. III.* ibidem.
7. Ob dirutam Jadertam objurgantur Veneti. *Innocent. III.* 332.
8. Respondetur legato de Venetis quærenti quid esset agendum. *Innocentius III.* ibid.
9. Monita ad Ducem Henricum Dandulum. *Innocentius III.* ibidem.
10. Rogatur Dux, ut discordias Tarvisinorum, Feltrensium, & Bellunensium componat. *Honorius III.* ib.
11. Dux, & civitas suscipiantur in protectionem S. Petri. *Gregorius IX.* ibid.
12. Narratur Venetis captivitas præsulum venientium ad Concilium. *Gregorius IX.* 333
13. De treguis Venetos inter & Januenses. *Bonifacius VIII.* ibidem.
14. Monentur Veneti ut ab Ancona obsidenda desistant. *Nicolaus III.* ibid.
15. Mandatur Episcopo Castellano ut Venetos absolvat. *Honorius IV.* ibid.
16. Conditiones Venetos absolvendi a censuris. *Honorius IV.* ibidem.
17. Venetos Nicolaus hortatur, ut restitutis bonis pacem cum Patriarcha Aquilejensi incant. *Nicolaus IV.* ib.
18. Excitantur Veneti ut cum Carolo Valesio fœdus ineant contra Græcorum Imperatorem. *Clemens V.* 334.
19. Ad Venetos, ne Ferrariam oppugnent. *Clemens V.* ib.
20. Excommunicantur Veneti ob occupatam Ferrariam. *Clemens V.* ibid.
21. Tolluntur censuræ. *Clemens V.* 335
22. Subditi Veneti declarantur a censuris absoluti. *Clemens V.* ibid.
23. Rogatur Dux, ne permittat hæresim in suis ditionibus Græciæ serpere. *Joannes XXII.* ib.
24. Grates aguntur Venetis, quod Ecclesiam sint tutati. *Joannes XXII.* ibid.
25. Certior fit Dux de bello Pontifici a Duce Mediolani moto. *Eugenius IV.* ibid.
26. Adhortatio ad pacem. *Innocentius VI.* ib.
27. Excitantur Veneti ad Catharenses tutandos. *Urbanus V.* ibidem.
28. Se excusat Pontifex, si autumno proximo non aggreditur iter in Italiam, Ducemque rogat, ut missionem triremium differat. *Gregorius XI.* 336
29. Cardinalis Legatus mittitur ad Venetos. *Martinus V.* ibidem.
30. Dux monetur ut ab obsidione Ferrariæ desistat. *Sixtus IV.* ibid.
31. Monitorium in Venetos ob occupatam Ferrariam agrumque ejus. *Sixtus IV.* ibid.
32. Contra eosdem quod appellarunt ad futurum Concilium. *Sixtus IV.* 337
33. Archidux Austriæ excitatur in Venetos. *Sixtus IV.* ibidem.
34. Veneti absolvuntur. *Innocentius VIII.* ib.
35. Mandatur Episcopo Castellano, ut Venetos ad pacem cum Januensibus inducat. *Clemens VI.* ib.
36. De eodem argumento. *Innocentius VI.* ib.
37. Gratulatio Duci fit de ejus electione. *Urbanus V.* ib.
38. Hortatio ad Ducem, ut jura Aquilejensis Ecclesiæ restituat. *Eugenius IV.* 338
39. Confirmat Pontifex Venetis indulgentiam in die Ascensionis, & amorem suum in Patriam. *Paulus II.* ibidem.
40. Conditiones fœderis initi inter Paulum II. & Remp. *Paulus II.* ibid.
41. Rogatur Senatus, ut veniam Nicolao Canalio det. *Paulus II.* ibid.
42. Venditio aluminis facta a Pontifice Venetis. *Paulus II.* 339.
43. Oratur Dux Venetiarum, ut curet propulsare Gallos ab Italia. *Alexander VI.* ibid.
44. Ne nova occupent Veneti Ecclesiæ loca. *Julius II.* ibidem.
45. Monentur Veneti, ut usurpata Ecclesiæ restituant. *Julius II.* ibid.
46. Excommunicationis, & interdicti sententia in Venetos lata. *Julius II.* ibid.
47. Contra eosdem quod appellarint ad futurum Concilium. *Julius II.* 340
48. Quæ emolumenta redundarent in Imperatorem ex pace cum Venetis. *Julius II.* ibid.
49. Hortatio ad Venetos ut exercitum parent, ne Italia fœdetur hæresi. *Clemens VII.* 341
50. Rogantur Veneti, ut urbem aliquam suæ ditionis celebrando Concilio assignent. *Paulus III.* ib.
51. Veneti monentur, ut hæresi Lutheranæ Vicentiæ grassanti resistant. *Paulus III.* ibid.
52. Sollicitantur Veneti, ut cum Imperatore fœdus in Turcas ineant. *Paulus III.* ibid.
53. Venetis significat suam electionem Pontifex, & in eorum laudes digreditur. *Julius III.* ibid.
54. De sua electione, de pace principum, de fiducia in Venetam Remp. *Pius IV.* 342
55. Jus nominandi ad Archiepiscopatum Nicosiensem in Cypro datur Venetis. *Pius IV.* ib.
56. Interdictum in Venetos. *Paulus V.* ibid.
57. Mandatur Cardinali de Joiosa, ut absolvat Venetos. *Paulus V.* ibid.
58. Clero utrique interdicitur solutio cujusdam impositionis. *Paulus V.* 343
59. Ob prætermissam nominationem ad Patriarchatum Aquilejensem nullum præjudicium afferatur Reip. *Alexander VII.* ibid.
60. Jus nominandi ad tres Episcopatus datur Reip. *Benedictus XIV.* ibid.
61. Impositio subsidii pro S. Sede. *Clemens VIII.* ib.
62. Impositio alterius subsidii. *Clemens VIII.* ib.
63. Impositio octo decimarum in subsidium Reip. *Clemens VIII.* ibid.
64. Concessio unius decimæ Reip *Gregorius XV.* ib.
65. Concessio sexdecim decimarum Reip. *Urbanus VIII.* ib.
66. Concessio unius decimæ. *Urbanus VIII.* 344
67. Impositio subsidii 100. m. Ducatorum. *Innocentius X.* ibidem.
68. Decima una imponitur clero. *Innocentius X.* ib.
69. Impositio subsidii 100. m. Ducatorum. *Innocentius X.* ibidem.
70. Impositio decimarum sexdecim. *Innocentius X.* ib.
71. Impositio subsidii. *Innocentius X.* ib.
72. Bona suppressorum ordinum dantur vendenda Reip. *Alexander VII.* ibid.
73. Impositio alterius subsidii. *Alexander VII.* ib.
74. Aliud subsidium. *Alexander VII.* ib.
75. Decimarum impositio. *Alexander VII.* ib.
76. Subsidium conceditur. *Alexander VII.* ib.
77. Simile subsidium conceditur. *Alexander VII.* ib.
78. Conceditur impositio decimarum. *Clemens IX.* ib.
79. Concessio Reip. bonorum aliorumque ordinum suppressorum. *Clemens IX.* 345
80. Applicatio trium suppressarum Congregationum bonorum ultra pharum in regno Siciliæ. *Clemens IX.* ib.
81. Idem jubetur Archiepiscopo Panormitano. *Clemens IX.* ibidem.
82. Hortatio ad Senatum, ut edictum factum revocet. *Clemens XIII.* ibid.
83. Pontificis responsum. *Clemens XIII.* ibid.

84. Hortatur Clemens Episcopos ditionis Venetæ, ne decretis Senatus quoad visitationem Regularium pareant. *Clemens XIII.* 347
85. Hortatur Clemens Venetos, ut edictum de regularibus abrogent. *Clemens XIII.* ibid.
86. Rursus hortatur Pontifex Venetos, ut decretum immutent. *Clemens XIII.* 348
87. Ob defensum Capitolium præmium assignatur Zachariæ Trivisano. *Bonifacius IX.* 349

De Civibus Brixianis.

88. Mandatur duobus prælatis, ut Brixiam ab hæreticis liberent. *Honorius III.* ibid.
89. Lex lata a Brixianis de matrimoniis rescinditur. *Nicolaus IV.* ibid.

De Patavinis.

90. Lex a Patavinis lata abrogatur. *Honorius III.* 350
91. Decretum Cardinalis Legati de cultu Patavinarum mulierum solvitur. *Nicolaus IV.* ibid.

De Tarvisinis.

92. Ne Tarvisini perturbent Ecclesias Feltrensem, & Belunensem. *Honorius III.* ibid.
93. Minitatio pœnarum fit Tarvisinis. *Honorius III.* ib.
94. A sacramento fidelitatis dato Friderico solvuntur Tarvisini. *Innocentius IV.* ibid.
95. Irritantur acta super Castris SS. Viti, & Danielis. *Paulus V.* ibid.
96. Irritatur impositio macinæ prædictis castris. *Paulus V.* 351.
97. Cenetenses a sententia Episcopi appellent ad S. Sedem. *Clemens VIII.* ibid.
98. Confirmatio. *Paulus V.* ibid.
99. Alia confirmatio. *Paulus V.* ibid.
100. Irritatio impositionis macinæ facta Cenetensibus. *Paulus V.* ibid.
101. Permittitur Fratribus Prædicat. SS. Joannis, & Pauli facultas concedendi, & assignandi nationi Græcorum Sacellum S. Ursulæ Venetiis. *Sixtus IV.* ib.
102. Græci Venetiis commorantes possint in illa urbe Ecclesiam cum cœmeterio construere, & eligere presbyterum, a quo secundum suos ritus sacramenta accipiant. *Leo X.* ibid.
103. Obtentæ facultates, & exemptiones omnes a Leone X. confirmantur Græcis. *Paulus III.* 352
104. Datur facultas militibus Cretensibus construendi templum in honorem S. Marci Evangelistæ in insula Cretæ. *Gregorius IX.* ibid.
105. Jubetur Episcopus Gerapatrensis primum lapidem Ecclesiæ ponere. *Gregorius IX.* ibid.
106. Improbantur conventiones initæ a Venetis cum Alexio Calergio in Candia. *Clemens V.* ibid.
107. Hortatur Pontifex Venetos ad pacem cum Cretensibus. *Urbanus V.* 353
108. Responsio ad litteras Ducis, & adhortatio ad pacem. *Urbanus V.* ibid.
109. Gratulatio de victis Cretensibus. *Urbanus V.* ib.
110. Hortatio ad Venetos, ut clementer agant cum Cretensibus. *Urbanus V.* ibid.
111. Laudatur Cardinalis Andruyni cura de pace. *Urbanus V.* ibid.
112. Jacobus Abbas S. Thomæ de Torcello Nuntius Ap., & exactor in insula Cretensi constituitur. *Urbanus V.* 354.
113. Abbas S. Thomæ de Torcello Nuntius Ap. in Creta jubetur exigere ab Episcopo Archadiensi ea quæ collegerat, nec solvit. *Urbanus V.* ibid.
114. In hac insula nemo ordinetur, qui non sit adhæsurus Romanæ Ecclesiæ. *Urbanus V.* ibid.
115. Excitatur Dux, ut observari jubeat legem latam de schismaticis. *Gregorius XI.* ibid.
116. Dantur monita Episcopis Cretæ circa schismaticos. *Gregorius XI.* ibid.
117. Presbyteri Græci tam religiosi, quam sæculares in Ecclesia S. Francisci Candiensi possint missam, & sua officia celebrare die festo ejusdem Sancti. *Joannes XXIII.* ibid.
118. Deputatur Legatus ad hanc insulam pro unitate cum Ecclesia Latina. *Eugenius IV.* 355
119. Gratulatur Pontifex Archiepiscopo Cretensi de ejus adventu ad Episcopatum eumque Legatum a Latere creat. *Honorius IV.* ibid.
120. Archadiensis Ecclesia supprimitur, Ecclesiæque Milipotamensi subjicitur. *Clemens VIII.* ibid.
121. Archiepiscopus Cretensis deputatur visitator totius insulæ. *Urbanus VIII.* ibid.
122. Extensio facultatis visitandi. *Urbanus VIII.* ib.
123. Deputatur visitator A. Insularum Maris Ægæi, Zacynthi, & Cephaloniæ. *Alexander VII.* ib.

De Basilica Ducali S. Marci.

1. INdulgentia conceditur visitantibus Ecclesiam S. Marci. *Nicolaus III.* ibid.
2. Ecclesiæ S. Marci Tyrensis, & S. Marci Acconensis, & omnia bona a Balduino I. Jerosolymorum Rege Ecclesiæ S. Marci concessa confirmantur. *Alexand. III.* 356.
3. Patriarchæ Jerosolymitano, & Archiepiscopo Cæsareensi mandatur, ut restituere faciant Plebano S. Marci Tyrensis Ducali S. Marci Basilicæ subjecto, quæ illi Archiepiscopus Tyrensis abstulerat. *Innocent. III.* ibidem.
4. Canonici Tyrenses jubentur non molestare Plebanum Ecclesiæ S. Marci. *Innocentius III.* ibid.
5. Cardinalis L. declaret Ecclesias S. Marci Tyrensis, & S. Marci Acconensis esse in protectione S. Sedis. *Innocentius IV.* ibid.
6. Archidiacono Antiocheno mandatur, ne permittat Ecclesiarum S. Marci Tyrensis, & S. Marci Acconensis bona molestari. *Innocentius IV.* 357
7. Idem Archidiaconus jubetur tutari bona Ecclesiæ S. Marci Venetiarum in regno Jerosolymitano posita. *Innocentius IV.* ibid.
8. Monasterium SS. Felicis, & Fortunati de Aymanis unitur huic Ecclesiæ. *Sixtus IV.* ibid.
9. Prioratus S. Jacobi de Pontida Bergomensis Diœcesis annectitur huic Ecclesiæ. *Innocentius VIII.* ib.
10. Ecclesia S. Ægidii de Fontanellis, & Monasterium S. Jacobi de Pontida iterum uniuntur huic Ecclesiæ. *Clemens VII.* ibid.
11. Monasterium S. Petri in Valle Diœcesis Arbensis unitur huic Ducali Ecclesiæ. *Leo X.* 358
12. Parochiales S. Bartholomæi de Frasinella, & S. Andreæ de Pontechis, & Capella S. Dominici de Gardazola uniuntur Ducali Ecclesiæ. *Leo X.* ib.
13. Prædictarum Ecclesiarum unionis confirmatio. *Hadrianus VI.* ibid.
14. Ecclesia S. Mariæ de Nanto Vicentinæ Diœcesis unitur Basilicæ S. Marci. *Julius III.* ibid.
15. Facultas datur Reip. alienandi quædam bona ad hanc Basilicam attinentia. *Clemens IX.* ibid.
16. Plebani Canonici Basilicæ Ducalis in ea residentes non teneantur residere in propriis Ecclesiis. ib.
17. Capellanis hujus Ecclesiæ almutiorum usus datur. *Martinus V.* 359
18. Etiam Sacristæ possint deferre almutium. *Alexander VI.* ibidem.

De Primicerio.

19. Redditus quarumdam Ecclesiarum uniuntur primiceriatui. *Julius III.* ibid.
20. Usus Rocchetti datur Primicerio. *Alexander V.* ib.
21. Possit dare benedictionem cum indulgentia in missis Primicerius. *Alexander V.* ibid.
22. Primicerius possit benedicere etiam sine Pontificalibus. *Joannes XXIII.* ibid.
23. Primicerius possit dare tonsuram, & ordines minores. *Alexander V.* ibid.
24. Privilegia data Primicerio. *Clemens VIII.* ib.
25. Possit dare Primicerius litteras dimissoriales. *Alexander VIII.* ibid.

DE ECCLESIA CATHEDRALI.

1. OLivolensis Ecclesiæ privilegia. *Leo IX.* 360
2. Privilegia Olivolensis, seu Castellanæ Ecclesiæ. *Lucius II.* ibid.
3. Confirmatio quorumdam privilegiorum. *Hadrianus IV.* ibidem.
4. Episcopus Castellanus in die Ascensionis recipiatur ab Abbate S. Nicolai de littore. *Clemens III.* ib.
5. Leoni procuratori Constantinopolitano mandatur, ut quasdam decimas Episcopo Castellano solvi faciat. *Cœlestinus III.* ibid.
6. Laurentius Justinianus eligitur Episcopus Olivolensis, seu Castellanus. *Eugenius IV.* 361
7. Jubetur Laurentius parere. *Eugenius IV.* ibid.
8. Patriarchæ Venetiarum conceditur collatio minorum beneficiorum non reservatorum. *Callixtus III.* ib.
9. Facultas datur Patriarchæ procedendi in clericos criminosos. *Alexander VI.* ibid.
10. Constitutiones ab Antonio Contareno Patriarcha editas clerici observent: privilegia dantur Patriarchæ. *Clemens VII.* ibid.
11. Hieronymo Quirino electo Patriarchæ datur facultas disponendi de redditibus suæ Ecclesiæ ad annos duos etiamsi obierit. *Clemens VII.* 362
12. Dirimuntur controversiæ inter Patriarcham, & Clerum, & ad manuetudinem excitatur Patriarcha. *Clemens VII.* ibid.
13. Nuntio Ap. Venetiis residenti mandatur, ut cum Patriarcha magna animorum concordia se gerat. *Paulus IV.* ibid.
14. Patriarchæ Joanni Trivisano permittitur retinere in Commendam Abbatiam S. Cypriani. *Pius IV.* ib.
15. Facultas datur Joanni Trivisano Patriarchæ Abbati Commendatario S. Cypriani deferre habitum Episcoporum sæcularium. *Pius IV.* 363
16. Confirmantur omnia Patriarchatus privilegia. *Pius IV.* ibidem.
17. Abbatia S. Cypriani de Murano unitur Patriarchatui, & declaratur, Familiam Gradonico in eam nullum jus habere. *Sixtus V.* ibid.
18. Monasterium SS. Cornelii, & Cypriani de Murano unitur mensæ Patriarchali. *Sixtus V.* 364
19. Jubetur Patriarcha visitare suam Diœcesim. *Clem. VIII.* ibidem.
20. Aloysius Foscari a Duce, & a Dominio electus instituitur Patriarcha Venetiarum. *Benedictus XIV.* ib.

De Canonicis, & Ecclesia, &c.

1. REductio Canonicatuum confirmatur. *Joannes XXII.* ibidem.
2. Ecclesia S. Joannis de Rivoalto, & alia beneficia uniuntur huic Ecclesiæ. *Eugenius IV.* ib.
3. Prædictarum litterarum executores deputantur. *Eugenius IV.* 365
4. Confirmatur Eugenii constitutio. *Callixtus III.* ib.
5. Facta dissolutione Ecclesiæ S. Joannis Eleemosynarii ab hac Ecclesia, alia beneficia ecclesiastica huic uniuntur. *Innocentius VIII.* ibid.
6. Confirmatio privilegii Canonicorum, ut ipsi possint eligere Canonicos. *Alexander VI.* ibid.
7. Duodecim Plebani possint assumi in Canonicos. *Alexander VI.* 366
8. Confirmatio privilegiorum Patriarchatus, & Ecclesiæ. *Julius II.* ibid.
9. Indulgentia conceditur visitantibus hanc Ecclesiam. *Bonifacius IX.* ibid.
10. Patriarchæ Andreæ Bondumerio detur facultas vendendi domum, & capellam cum onere aliam capellam ædificandi. *Pius II.* ibid.
11. Dos, & statuta pro Capella S. Crucis in Jerusalem erecta ab Antonio Contareno Patriarcha approbantur. *Leo X.* ibid.
12. Canonicatus, & aliæ minores dignitates ab Antonio Contareno Patriarcha institutæ in duobus Sacellis Ecclesiæ Patriarchalis ad arctiorem numerum redigantur ob defectum redditumum. *Clemens VIII.* ib.
13. Indulgentia datur visitantibus Sacellum *Omnium Sanctorum* a Marco Lando Episcopo Castellano in Cathedrali Ecclesia erectum. *Martinus V.* 367

De Clero Veneto.

1. CLerici Dominii Venetiarum provisi a Gregorio XII. de beneficiis vel per se, vel per procuratores earum provisionum gratias impetrent de novo. *Alexander V.* ibid.
2. Confirmatio statutorum novem Congregationum Cleri Veneti. *Paulus IV.* ibid.
3. Vicarius Patriarchæ pronunciet in causis Congregationum, absente Patriarcha. *Julius III.* ib.
4. Damnatur mos procurandi plebanatus. *Leo X.* 368
5. Ratio eligendi Plebanos confirmatur: modus eligendi Titulatos. *Clemens VII.* ibid.
6. Primicerius deputatur exequutor, si Patriarcha recusset exequi modo imperata. *Clemens VII.* ib.
7. Lites enatas, & appellationes presbyterorum, quos in beneficiis instituere Patriarcha recusarat, Paulus extinguit, & ad se advocat. *Paulus IV.* ib.
8. Confirmatur Pauli constitutio. *Pius IV.* ib.
9. Nuntius Apostolicus electos Plebanos confirmet. *Sixtus V.* 369
10. Quilibet beneficiatus in sua Ecclesia unum tantum beneficium habere possit. *Paulus III.* ib.
11. De Magistris clericorum in singulis sexteriis, & de Magistro clericorum Ecclesiæ Patriarchalis. *Julius III.* ibidem.
12. Patriarcha clericos obæratos ære alieno cogat ad solvendum. *Callixtus III.* ib.
13. Ne ullus Prælatus ordinet Clericos Venetos nisi de licentia Patriarchæ. *Pius IV.* ib.
14. De titulo sufficiente Clericorum Venet. ordinationi. *Sixtus V.* ibid.
15. Interdicitur Plebanis, & Presbyteris, & Clericis Venetis Notariatus, & Cancellariatus munia exercere. *Eugenius IV.* ibid.
16. Quidam deputantur, ut monasteria virorum Ducatus Venetiarum visitent, & reforment. *Urbanus V.* ibidem.
17. Delegati pro suis expensis, & pro ministris a monasteriis certam pecuniam accipere possint. *Urban. V.* ibidem.
18. Delegantur qui monasteria utriusque sexus visitent. *Gregorius XI.* ibid.
19. Deputantur visitatores monasteriorum utriusque sexus in Diœcesibus Castellana, Torcellana, & Clugiensi. *Bonifacius IX.* ibid.
20. Regulæ præscribuntur pro Monialium cura. *Eugen. IV.* 371.
21. Rescribit Leo Patriarchæ ad id quod petierat. *Leo X.* ibidem.
22. Revocatur licentia data monialibus e monasteriis egrediendi. *Leo X.* ibid.
23. Laudatur Patri. Contarenus ob reformatum monasterium S. Annæ, aliaque monasteria reformanda illi committuntur. *Leo X.* ibid.
24. Jubetur rursus Patriarcha alia monasteria, sicut reformarat illud S. Annæ, reformare. *Leo X.* ib.
25. Laudati ejusdem Patriarchæ acta confirmantur. *Leo X.* 372.
26. Continuatio reformationis monasteriorum Monialium jubetur. *Paulus III.* ibid.
27. Indulgentia conceditur Monialibus Diœcesum Venetæ, Torcellanæ, & Clugiensis, quæ datur in die Ascensionis visitantibus Ecclesiam S. Marci. *Eugenius IV.* ib.
28. Monasteria omnia Monialium ord. S. Claræ eximuntur a reformatione Patriarchæ. *Leo X.* ib.
29. Hæ Moniales visitentur, & reformentur a Ministro provinciæ S. Antonii ord. FF. MM. de Observantia. *Paulus III.* ibid.
30. Monasteria etiam ordinis S. Claræ Venetiis eximuntur ab jurisdictione Superiorum Regularium. *Paulus III.* 373
31. Monasteria, quæ erant sub regularibus, subjiciuntur Patriarchæ. *Clemens VIII.* ib.

DE ECCLESIIS MINORIBUS.

De Ecclesia S. Bartholomæi.

1. UNio Ecclesiæ S. Bartholomæi Ecclesiæ S. Salvatoris Canonicorum Regular. facta per Episcopum Castellanum rescinditur. *Innocentius III.* ib.
2. Episcopus Equilinus judex deputatur causæ inter Patriarcham Gradensem, & Episcopum Castellanum de decimis Ecclesiæ S. Bartholomæi. *Innocentius IV.* ibidem.
3. Ecclesia hæc eximitur ab jurisdictione Patriarchæ Gradensis, subjiciturque S. Sedi facultasque datur Plebi Plebanum eligendi. *Bonifacius IX.* 374
4. Revocantur superiores proxime litteræ, daturque facultas Patriarchæ instituendi, destituendique Vicarium. *Bonifacius IX.* ibid.
5. Ad preces parochianorum jurisdictioni Ecclesiæ Gradensis rursus hæc Ecclesia subjicitur. *Bonifacius IX.* ibidem.
6. Confirmatio sententiæ Patriarchæ in Joannem Basilio Vicarium hujus Ecclesiæ. *Bonifacius IX.* ib.
7. Jubentur Patriarcha, & Archidiaconus Venetiarum examinare, & dare licentiam Vicario S. Bartholomæi dandi in emphyteusim domum quamdam diruta m de jure ejusdem Ecclesiæ S. Bartholomæi. *Gregorius XIV.* ibid.

De Ecclesia S. Pantaleonis.

8. Donatio Angeli Semiteculo Plebani S. Pantaleonis Venetiis facta eidem Ecclesiæ confirmatur. *Innocentius IV.* 375
9. Abbas SS. Ilarii, & Benedicti Castellanæ Diœcesis deputatur conservator. *Innocentius IV.* ib.

De Ecclesia S. Cassiani.

10. Ecclesia S. Cassiani Venetiarum in protectionem S. Sedis recipitur. *Clemens III.* ib.

De Ecclesia S. Silvestri.

11. Detentores bonorum Ecclesiæ hujus cogantur ad restitutionem. *Innocentius VIII.* ib.

De Ecclesia S. Apollinaris.

12. Patriarchatus Gradensis Archidiacono datur Plebanatus S. Apollinaris. *Innocentius III.* ib.
13. Redditus hujus Ecclesiæ dividantur inter Plebanum, & Titulatos. *Eugenius IV.* ibid.

De Eccleſia S. Joannis Eleemoſynarii.

14. Unio Eccleſiæ hujus collegio pauperum Clericorum facta diſſolvitur, ejuſque Plebanus Aloyſius Zoja confirmatur. *Innocentius VIII.* 376
15. Statuta pro electione, & inſtitutione Titulatorum hujus Eccleſiæ, quæ ſit particeps privilegiorum Eccleſiæ S. Marci. *Alexander VI.* ibid.
16. [illegible] conſenſus in electione Titulatorum, & in condendis ſtatutis requiratur. *Alexander VI.* ib.
17. Electio facta a Duce in Plebanum hujus Eccleſiæ confirmatur. *Julius II.* 377
18. Electionem Titulatorum hujus Eccleſiæ ad Ducem pertinere decernitur. *Paulus III.* ibid.

De Eccleſia S. Jacobi Majoris de Rivoalto.

19. Miſſa una ante auroram, & Miſſa una in Sabbato Sancto celebrari poſſit in hac Eccleſia. *Leo X.* ib.

De Eccleſia S. Juliani Martyris.

20. Jacobus dictus Græcus de Majorbio eligitur Plebanus hujus Eccleſiæ. *Clemens VI.* ibid.
21. Erectio hujus Eccleſiæ in Collegiatam. *Innocentius VII.* ibidem.

De Eccleſia S. Baſſi.

22. Eccleſia S. Baſſi parochialis ſeparatur a menſa Epiſcopali Civitatis Novæ, & inſtituitur ut primitus erat. *Martinus V.* 378

De Eccleſia S. Fantini.

23. Inſtituitur Plebanus Eccleſiæ S. Fantini Marinus Titulatus ejuſdem Eccleſiæ, ac etiam Eccleſiæ S. Hieremiæ. *Sixtus IV.* ibid.
24. Antonius Viviani in Titulo presbyterali in eadem Eccleſia inſtituitur. *Sixtus IV.* ib.

De Eccleſia S. Severi.

25. Parochiani Eccleſiæ S. Severi parochialia jura ſolvere jubentur. *Urbanus III.* ib.
26. Jubetur Cenetenſis Epiſcopus moleſtantes Eccleſiam S. Severi reprimere. *Innocentius III.* ib.
27. Sententia Cenetenſis Epiſcopi confirmatur. *Innocent. III.* 379.
28. Bona Monaſterii S. Laurentii, & nominatim Eccleſia S. Severi recipitur in protectionem S. Sedis. *Innocentius III.* ibid.
29. Prior S. Mariæ de Caritate Venet. deputatur exequutor Epiſcopi Cenetenſis ſententiæ. *Innocentius III.* ibidem.
30. Epiſcopus Mothonenſis ſententiam Epiſcopi Cenetenſis exequi jubetur. *Martinus V.* ib.
31. Deputantur delegati ad cognoſcendam controverſiam inter Moniales, & Parochianos S. Severi. *Honorius III.* ibidem.
32. Confirmatur lata pro Monialibus ſententia. *Gregor. IX.* ibidem.
33. Sententia Vicarii Capitularis Caſtellani contra Preſbyteros S. Severi confirmatur. *Bonifacius IX.* ib.
34. Si Epiſcopus Caſtellanus Capellanos nominatos ab Abbatiſſa inſtituere diſtulerit, præſententur Patriarchæ Gradenſi, vel ejus Vicario. *Bonifacius IX.* 380
35. Beneficiati hujus Eccleſiæ eximuntur ab juriſdictione Epiſcopi Caſtellani, & immediate ſubjiciuntur S. Sedi, & inſtituentur poſthac per Patriarcham Gradenſem. *Bonifacius IX.* ibid.
36. Capellani, & Beneficiati hujus Eccleſiæ ab Abbatiſſa admiſſi ſint eo ipſo auctoritate Apoſtolica inſtituti. *Bonifacius IX.* ibid.
37. Mandatur Epiſcopo Mothonenſi, ut jura Monaſterii S. Laurentii in hanc Eccleſiam auctoritate A. confirmet. *Martinus V.* ibid.
38. Jura, & privilegia Monaſterii S. Laurentii ſuper hanc Eccleſiam confirmantur. *Pius IV.* ibid.

De Eccleſia S. Paterniani.

39. Deputatur Delegatus qui decernat de numero presbyterorum in hac Eccleſia. *Martinus V.* ib.

De Eccleſia S. Lucæ.

40. Deputatio delegatorum in cauſa Plebani cum Diacono hujus Eccleſiæ. *Innocentius III.* 381

De Eccleſia S. Benedicti.

41. Eximitur hæc Eccleſia a ſubjectione Monaſterii S. Spiritus, & in eo Plebanatus, & Tituli inſtituuntur. *Eugenius IV.* ibid.
42. Confirmatur ſententia lata in lite ſuper decimarum portione inter quoſdam Plebanos hinc, & Epiſcopum Caſtellanum inde. *Clemens III.* ib.
43. Electio ſepulturæ conceditur. *Martinus V.* ib.
44. Nova data privilegia Mendicantibus ne noceant juribus Eccleſiarum Venetarum in funeribus. *Sixtus IV.* ibidem.
45. Legatus A. pro tempore, & Primicerius S. Marci, abſente Patriarcha jura Eccleſiarum parochialium Venetarum tueantur. *Paulus III.* 382
46. Laudatur opus Flaminii Cornelii Senatoris Veneti de Eccleſiis Venetis, probaturque non dedecere viros laicos hujuſmodi argumenta pertractare. *Bened. XIV.* ibidem.

DE REPUBLICA JANUENSI.

1. Hortatio ad Regem Hieroſolymitanum, ut navem Januenſibus reſtituat, eoſque in poſſeſſione Vice-Comitatus Acaronis relinquat. *Hadrianus IV.* 383
2. Excommunicantur Januenſes, quod diripuerint dona a Balduino miſſa ad Pontificem. *Innocentius III.* ib.
3. Confirmantur exemptiones a datiis Populo Januenſi. *Alexander IV.* ibid.
4. De juramento Januenſium de non præſtando auxilio Friderico. *Bonifacius VIII.* 384
5. Interdicitur Januenſibus merces, & arma ad Infideles deferre. *Joannes XXII.* ibid.
6. Hortatio ad Januenſes, ut pacem cum Venetis faciant. *Innocentius VI.* ibid.
7. Roſa aurea mittitur ad Ducem Januæ. *Nicolaus V.* ibidem.
8. Oratur populus, cleruſque Januenſis, ut Caffæ periclitanti auxilietur. *Nicolaus V.* ibid.
9. Archiepiſcopo Januenſi dignitas Ducalis collata confirmatur. *Pius II.* ibid.
10. Pro Januenſibus ad Proregem Neapolitanum. *Leo X.* 385.
11. Ad preces Januenſium Corſis remittuntur decimæ. *Pius V.* ibid.
12. Confirmatio privilegii, ne Januenſes poſſint extra ſuam urbem extrahi ad lites agendas. *Sixtus V.* ib.
13. Chriſtiani capti in Navibus Turcicis tradantur Archiepiſcopo Januenſi. *Sixtus V.* ib.
14. Datur facultas Epiſcopo Naulenſi Ducem, & Gubernatores abſolvendi ob glebas ſublatas a terris Epiſcoporum Naulenſis, & Saonenſis ſine licentia S. Sedis. *Urbanus VIII.* ibid.
15. Facultas Ordinariis Status Januenſis inquirendi contra conſpiratores in Remp. datur. *Urbanus VIII.* ib.
16. Mandatur Archiepiſcopo Mediolanenſi, ut procedat contra expulſores Inquiſitoris Janua. *Clemens IX.* ibidem.
17. Irritatio conventionis factæ inter Gubernium, & Archiepiſcopum de ſitu Sedis Archiepiſcopalis. *Clemens X.* 386
18. Revocatio cujuſdam Ducalis edicti de F. Granello jubetur. *Clemens XI.* ibid.
19. Monitorium in F. Granellum. *Clemens XI.* ibid.
20. Deputatio Viſitatoris Eccleſiarum inſulæ Corſicæ. *Clemens XIII.* ibid.
21. Irritatio laicalis edicti contra Viſitatorem. *Clem. XIII.* ibidem.

De Savona Urbe.

22. Reſpondet ſuorum concivium litteris *Sixtus IV.* ib.

De Eccleſia Januenſi.

1. Erectio Eccleſiæ Januenſis in Metropolitanam. *Innocentius II.* 387
2. Confirmantur bona huic Eccleſiæ. *Eugenius III.* ib.
3. Confirmatio, & augmentum privilegiorum. *Alexander III.* ibid.
4. Monaſterium in inſula Gallinaria datur Archiepiſcopis Januenſibus. *Alexander III.* ibid.
5. Confirmatio privilegiorum. *Gregorius VIII.* ib.
6. Confirmatio, & conceſſio aliorum privilegiorum. *Honorius III.* ibid.

De Capitulo Januenſi.

1. Confirmantur donationes huic Eccleſiæ factæ. *Callixtus II.* 388
2. Confirmantur bona hujus Eccleſiæ. *Eugenius III.* ibidem.

3. Confirmantur antiqua, danturque Capitulo nova privilegia. *Cæleſtinus III.* ibid.
4. Archiepiſcopus Tyrenſis monetur, ut liberam ſepulturam permittat in Eccleſia Canonicorum Januenſium Tyri. *Innocentius III.* ibid.
5. Capitulo Januenſi Acone dentur gratis Olea ſancta. *Innocentius III.* ibid.
6. Facultas datur Canonicis inſtituendi ſex manſionarias. *Gregorius IX.* ibid.

DE REPUBLICA LUCANA.

1. Abſolvuntur Lucani ob violatam juriſdictionem eccleſiaſticam. *Honorius III.* 389
2. Admonitio ad Lucanos, ut relinquant Grafagnani terram. *Gregorius IX.* ibid.
3. Abſolutio data Lucanis. *Gregorius IX.* ibid.
4. Laudantur Lucenſes, quod providerint, ne mercatores hæreſi inficiantur. *Pius IV.* ib.
5. Irritantur quædam decreta ab Antianis facta. *Paulus V.* ibid.
6. Vetet Epiſcopus Lucanus quicquam horum decretorum obſervari. *Paulus V.* ibid.
7. Abſolvuntur Antiani ob exactam ab eccleſiaſticis gabellam ultra tempus a S. Sede præfixum. *Urban. VIII.* ibidem.
8. Facultas datur Antianis conveniendi cum clero ſuper gabellis. *Urbanus VIII.* 390
9. Jubetur Epiſcopus Civitatis Caſtelli inquirere in Lucanam Remp. ob acta contra immunitatem eccleſiaſticam. *Urbanus VIII.* ibid.
10. Aliæ facultates dantur eidem Epiſcopo. *Urbanus VIII.* ibidem.
11. Aliæ facultates dantur eidem. *Urbanus VIII.* ib.
12. Franciſcus Caſtagnaccius deputatur Procurator Fiſcalis in hoc negotio. *Urbanus VIII.* ibid.
13. Facultas datur Epiſcopo interdicendi Rempublicam. *Urbanus VIII.* ibid.
14. Facultas datur Reip. proponendi Pontifici tres, ex quibus unus eligatur ab eo in Archiepiſcopum urbis Lucanæ. *Benedictus XIV.* ibid.

De Eccleſia Lucana.

1. Vitium Simoniæ reprehenditur in Lucano Clero. *Alexander II.* 391
2. Alienatio bonorum hujus Eccleſiæ vetatur. *Alexand. II.* ibidem.
3. Pallii uſus datur Epiſcopo Lucano. *Callixtus II.* ib.
4. Privilegiorum Eccleſiæ Lucanæ confirmatio, decretaque. *Gelaſius II.* ibid.
5. Reſtituitur Canonicis uſus mitræ, & confirmatur Epiſcopo uſus geſtationis Crucis, & pallii. *Gregor. IX.* ibidem.

De Canonicis Lucanis.

6. Confirmantur bona huic Capitulo. *Leo IX.* ib.
7. Decreta circa præbendas canonicales. *Alexander II.* ibidem.
8. Interdicuntur Canonici hujus Eccleſiæ propter Simoniæ labem. *Gregorius VII.* 392
9. Confirmatio ſtatutorum ſervandorum a Capitulo, & Capellanis Eccleſiæ Lucanæ. *Sixtus V.* ibid.
10. Facultas data Epiſcopo, & Capitulo puniendi Capellanos, ni pareant. *Clemens VIII.* ib.
11. Eccleſiaſtici in ditione Lucana jubentur ſolvere pro excavatione foſſæ. *Innocentius X.* ibid.
12. Confirmatio ceſſionis quorumdam jurium factæ a Canonicis Reipublicæ. *Alexander VII.* ib.
13. Confirmatio indulti Canonicorum geſtandi mitram, elargitioque aliorum. *Benedictus XIII.* ibid.
14. Epiſcopatus Lucanus erigitur in Archiepiſcopatum. *Benedictus XIII.* ibid.

DE REPUBLICA RAGUSINA.

1. Poſſit Archiepiſcopus Raguſinus medietatem Legatorum inſumere in reparatione Eccleſiarum. *Urbanus VIII.* 393
2. Renovatio gratiæ Raguſinæ Reip. factæ ab Urb. VIII. *Innocentius X.* ibid.
3. Facultas inſumendi ſex m. ſcuta in proviſiones bellicas aſſignata ad alios uſus. *Innocentius X.* ib.
4. Conceditur facultas inſumendi medietatem horum nummorum in manutentione præſidii. *Innocentius X.* ibidem.
5. Facultas vendendi capitalia Neapoli exiſtentia, & conſtruendi domos Raguſii. *Clemens IX.* ib.
6. Jubilæi conceſſio Reip. Raguſinæ. *Clemens IX.* ib.

DE DUCIBUS ESTENSIBUS.

1. Azo Marchio Eſtenſis ſuſcipitur in protectionem Pontificis, & B. Petri. *Innocentius III.* ib.
2. Azo Eſtenſis Marchio inveſtitur de Marchia Anconitana. *Honorius III.* ibid.
3. Azo VII. inveſtitur de Marchia Guarnerii. *Honorius III.* 394.
4. Salinguerra de Ferraria inveſtitur de quibuſdam bonis Comitiſſæ Mathildis. *Honorius III.* ibid.
5. Commiſſio, ne quiſquam occupet de bonis Comitiſſæ Mathildis, niſi diſpoſuerit ſancta Sedes. *Honorius III.* ibidem.
6. Apponitur fragmentum recuperationis eorum bonorum. *Honorius III.* ibid.
7. Comes de Mangono inveſtitur de quibuſdam bonis Comitiſſæ Mathildis. *Honorius III.* ibid.
8. Datur inveſtitura quorumdam bonorum Azoni de Fragnano. *Honorius III.* ibid.
9. Comes Bertholdus inveſtitur de terra Pertuſelli. *Honorius III.* ibid.
10. Pax inter Marchiones Eſtenſes, & populum Bononienſem conſtituitur. *Bonifacius VIII.* ib.
11. Nicolaus Eſtenſis monetur, ne cum Nanne de Gozadinis fœdus ineat. *Bonifacius VIII.* 395
12. Judiciaria ſententia in Marchiones Eſtenſes. *Joannes XXII.* ibid.
13. Prædicti Marchiones abſolvuntur. *Joannes XXII.* ib.
14. Marchiones Eſtenſes inveſtiuntur Vicariatu urbis, & agri Ferrarienſis. *Joannes XXII.* ibid.
15. Conditiones quibus Aldobrandinus Marchio Eſtenſis ſit Vicarius Bononiæ. *Innocentius VI.* ibid.
16. Marchiones Eſtenſes fiunt Vicarii Ferrariæ. *Urban. VI.* 306.
17. Inveſtitur Albertus Vicariatu Ferrariæ. *Bonifacius IX.* ibidem.
18. Hercules I. Mutinæ Dux deputatur Vicarius Ferrariæ. *Sixtus IV.* ibid.
19. Hercules I. Mutinæ Dux titulo Ducis Ferrarienſis cum honoribus &c. inſignitur. *Alexander VI.* ib.
20. Excommunicationis ſententia in Alphonſum Eſtenſem extenditur ad ejus fautores, aſſeclas, &c. *Julius II.* ibidem.
21. Abſolvitur Hercules ab excommunicatione, & inveſtitur Ducatu. *Paulus III.* ibid.
22. Annullantur acta a Duce Mutinenſi in Caſtro S. Cæſarei. *Innocentius X.* 397
23. Juſpatronatus perpetuum datur huic Familiæ præſentandi ad præpoſituram ſæcularem Abbatiæ de Pomposa, & ad Plebaniam de Bondeno, & ex fructibus diſmembratis beneficium ſimplex inſtituendi. *Alexander VII.* ibid.
24. Queritur Pontifex, quod bonis eccleſiaſticis tributa impoſuerit Dux, & quod quoſdam parvos conventus ſuppreſſerit, inconſulta S. Sede. *Clemens XIII.* ibidem.

De Urbe Mutina.

1. Commune Mutinenſe inveſtitur Caſtris Carpi, & Montis Beronzoni. *Gregorius IX.* ibid.
2. Hortatio ad Mutinenſem populum, ut præſtet fidelitatem Imperatori. *Julius II.* 398.

De Epiſcopatu Mutinenſi.

1. Circumſcriptio limitum Epiſcopatus Mutinenſis, confirmatioque bonorum, & privilegiorum. *Callixtus II.* ibid.

DE PISANA OLIM REPUBLICA.

1. Confirmatio exemptionum datarum civibus Piſanis. *Cæleſtinus III.* ibid.
2. Hortatio ad Piſanos, ut Legatis S. Sedis pareant. *Clemens III.* ibid.
3. Confirmatur pax facta a Legatis. *Clemens III.* ibidem.
4. Monentur Piſani, ut deſiſtant favere Othoni Imperatori. *Innocentius III.* 399
5. Conditiones propoſitæ a Pontifice ad ſedandas diſcordias inter Piſanos, & Januenſes. *Honorius III.* ibidem.
6. Ad Mediolanenſes, ut extorqueant a Piſanis Sardiniam. *Honorius III.* ibid.
7. Cardinalis Legatus cogat Piſanos ſtare juramento, & examinet electionem Archiepiſcopi. *Honorius III.* ibidem.
8. Ab interdicto, & excommunicatione abſolvuntur Piſani. *Alexander IV.* ibid.
9. Adhortatio ad eoſdem, ut in Palæſtina cum Januenſibus amicitiam colant. *Alexander IV.* ibid.

11. Pi-

10. Pisani absolvuntur a censuris, quod adhæserint Conradino. *Gregorius X.* ibid.
11. Pisani auxilium præstent Jacobo Aragoniæ regi possessionem insularum Sardiniæ, & Corsicæ capturo. *Bonifacius VIII.* 400

De Ecclesia Pisana.

1. EPiscopi Pisani constituuntur Vicarii AA. per insulam Corsicam. *Gregorius VII.* ibid.
2. Ecclesiæ Pisanæ subjicitur Corsica. *Urbanus II.* ib.
3. Confirmatio possessionis Corsicæ, & missio Pallii ad Episcopum. *Urbanus II.* ibid.
4. Revocatio facultatis Episcoporum Pisanorum consecrandi Episcopos Corsicæ. *Callixtus II.* ib.
5. De actis in Synodo Romana certiores facit Episcopos Corsicæ *Callixtus II.* ibid.
6. Jurisdictio in insulam Corsicæ restituitur Archiepiscopis Pisanis. *Honorius II.* ibid.
7. Confirmatio privilegiorum hujus Ecclesiæ. *Innocentius II.* 401.
8. Elargitio aliorum privilegiorum huic Ecclesiæ. *Innocentius III.* ibid.
9. Ecclesia Pisanorum Constantinopoli cum suis bonis recipitur in protectionem S. Sedis. *Honorius III.* ib.

De Canonicis Pisanis.

1. PRivilegia Ecclesiæ Cathedralis Pisanæ. *Joannes XIX.* ibidem.
2. Confirmatio. *Victor II.* ibid.
3. Alia confirmatio. *Alexander II.* ibid.
4. Uberior confirmatio. *Anastasius IV.* ibid.
5. Canonici Pisani habeant facultatem promulgandi sententias in detentores bonorum Ecclesiæ suæ. *Hadrianus IV.* 402
6. Quidam artifices commendantur his Canonicis. *Hadrianus IV.* ibid.
7. Canonici promoveant ad beneficia suæ Ecclesiæ dignos. *Alexander III.* ibid.
8. Canonicis commendatur Albertus Plebanus de Campilio. *Innocentius IV.* ibid.
9. Privilegium gestandi Rocchettum, & Mozzettam datur his Canonicis. *Pius IV.* ibid.
10. Extensio ad decennium subsidii solvendi ab Ecclesiasticis in districtu Pisano. *Urbanus VIII.* ibid.

DE SENENSI OLIM REPUBLICA.

1. COnfirmatur concordia de terminis inter Senenses, & Florentinos. *Alexander III.* ibid.
2. Objurgantur Senenses, quod Florentinis bellum intulerint. *Eugenius IV.* ibid.

De Ecclesia Senensi.

1. DAtur facultas Episcopo Senensi construendi Ecclesiam in Monte Bonitii. *Hadrianus IV.* 403
2. Confirmatio hujus erectionis. *Alexander III.* ib.
3. Possessio Montis Bonitii confirmatur Episcopis Senensibus. *Clemens III.* ib.
4. Privilegia hujus Ecclesiæ. *Innocentius III.* ib.
5. Erigitur hæc Ecclesia in Archiepiscopalem. *Pius II.* ibidem.
6. Archiepiscopalem domum permittitur destrui. *Alexander VII.* ibid.

De Canonicis Senensibus.

1. STatuta edita a Legato Pontificio pro Capitulo Senensi confirmantur. *Alexander IV.* ib.
2. Provisiones aliæ pro hac Ecclesia factæ confirmantur. *Pius II.* 404

DE FLORENTINA QUONDAM REPUBLICA NUNC MAGNO HETRURIÆ DUCATU.

1. AD Florentinos de concordia, & pace. *Innocentius IV.* ibid.
2. Citantur quidam Florentini, Lucanique ante Pontificem. *Benedictus XI.* ibid.
3. Florentini excitantur ad constantiam. *Joannes XXII.* 305.
4. Gratulatio, quod Florentini prælio vicerint Scaligeros. *Benedictus XII.* ibid.
5. Objurgantur Florentini quod minus sincere cum Pontifice agant. *Gregorius XI.* ib.
6. In eosdem Florentinos S. Sedi inobedientes. *Gregor. XI.* ibidem.
7. Publicatur Florentinorum excommunicatio. *Gregor. XI.* ibidem.
8. Rogantur Florentini ut liberum conductum dent Imperatori Friderico Romam eunti. *Paulus II.* 306
9. Ducatus Hetruriæ erigitur in Magnum Ducatum. *Pius IV.* ibid.
10. Deputatio Delegati Apost. ad confinia Status Ecclesiastici, & Magni Ducatus Hetruriæ finienda. *Clemens VIII.* ibid.
11. Transactionis inter Pontificem, & Magnum Ducem super confiniis, & aquis confirmatio. *Paulus V.* ib.
12. Concordia inter terras Monterchii, & Cisternæ Status Ecclesiastici, & Magni Ducis respective. *Paulus V.* ibid.

De Ecclesia Florentina.

1. EPiscopus Florentinus absolvitur a conficto Simoniæ crimine. *Paschalis II.* ibid.
2. Electio Archiepiscopi significatur Vicedominis Episcopatus. *Gregorius IX.* ibid.
3. Datur facultas Archiepiscopo eligendi sibi procuratorem sine licentia Capituli. *Gregorius IX.* 407
4. Confirmantur privilegia data Archiepiscopis Florentinis ab Imperatore Carolo IV. *Leo X.* ibid.

De Canonicis Florentinis.

1. PRivilegia dantur Canonicis hujus Ecclesiæ. *Benedictus IX.* ibid.
2. Ecclesia S. Donnini fit juris Capituli. *Gregorius VI.* ib.
3. Privilegiorum confirmatio. *Gregorius VII.* ib.
4. Nova confirmatio. *Clemens XII.* ib.
5. Reservantur provisiones de Ecclesiis Sedi Apostolicæ. *Joannes XXII.* ibid.
6. Clerici solvant pro constructione mœniorum urbis Florentiæ. *Joannes XXII.* 408
7. Subsidium M. Duci prorogatur. *Innocentius X.* ib.
8. Mandatur Nuntio A. Florentiæ, ut subsidium pro aggeribus colligi faciat. *Clemens IX.* ibid.

DE DUCATU MANTUANO.

1. DE interfectoribus Mantuani Episcopi. *Gregorius IX.* ibidem.
2. Efficiat Episcopus Mutinensis, ut Mantuani revocent statuta contra Inquisitorem. *Alexander IV.* ib.
3. Rogatur Dux, ut necessaria habendo Concilio Mantuæ præparet. *Paulus III.* ibid.
4. Episcopo Ferrariensi mandatur, ut procedat contra expulsores Inquisitoris ab Urbe, & Ducatu Mantuæ. *Alexander VII.* 409

De Episcopatu Mantuano.

1. PRivilegia Mantuani Episcopi quoad causas. *Clemens VII.* ibid.
2. Mandatur Episcopo Mantuano, ut eligat Episcopum. *Gregorius IX.* ibid.
3. Provisio Episcopi facta ab Episcopo Portuensi confirmatur. *Innocentius III.* ibid.
4. Ecclesiastici Ducatus solvant pro restaurandis urbis mœnibus. *Urbanus VIII.* ibid.

De Ducatu Montis Ferrati.

1. EXcitatur Marchio Montis Ferrati ad defensionem Ecclesiæ contra Matthæum de Vicecomitibus. *Joannes XXII.* ibid.

DE DUCATU MEDIOLANENSI.

1. SEntentia excommunicationis lata in Matthæum de Vicecomitibus Dominum Mediolani, ejusque familiares. *Joannes XXII.* 410
2. Laudatur Azo de Vicecomitibus Rector Mediolani quod ad Ecclesiam redierit. *Joannes XXII.* ib.
3. Vicarii S. Sedis deputantur in Ducatu Mediolanensi Joannes Episcopus Novariensis, & Luchinus de Vicecomitibus. *Benedictus XII.* ibid.
4. Solatur Pontifex Vicecomites de morte Patrui, eosque hortatur, ut pacem cum Imperatore Carolo IV. ineant. *Innocentius VI.* 411
5. Sententiæ excommunicationis latæ in Bernabovem, & Galeatium de Vicecomitibus Mediolani publicatio. *Gregorius XI.* ibid.
6. Hortatio ad Ducem ut mittat Romam oratores pro pace. *Nicolaus V.* ibid.
7. Citantur Romam Gubernator, & Parlamentum Mediolani. *Julius II.* ibid.
8. Hortatio ad Gubernatorem Mediolanensem, ut inducat Senatum, ne se ingerat in Feudum Chignoli. *Paulus V.* ibid.
9. Eadem hortatio ad Senatum. *Paulus V.* ibid.
10. Commissio Episcopo Placentino, ut inhibeat Senatui cognitionem feudi. *Paulus V.* ibid.

11. Acta ab OEconomo Mediolanensi in bonis suppressarum Congregationum irritantur. *Clemens IX.* 412
12. Decreta, actaque a sæculari potestate irritantur. *Clemens XI.* ibid.

De Ecclesia Mediolanensi.

1. SIgnificatur omnibus excommunicatio Gothefredi. *Gregorius VII.* ibid.
2. Citatur Romam Theodaldus electus a Rege in Archiepiscopum Mediolanensem. *Gregorius VII.* ib.
3. Ducatus Mediolani Gubernatori significatur electio Caroli Borromæi in Archiepiscopum hujus Ecclesiæ. *Pius IV.* ibid.
4. Carolus Card. Borromæus eligitur protector pagorum Helveticorum Catholicorum apud S. Sedem. *Pius IV.* ibidem.
5. Declaratur Carolus Cardinalis Nepos. *Pius IV.* ib.
6. Confirmatio taxarum in provincia Mediolanensi. *Gregorius XIII.* ibid.
7. Confirmatio concordiæ inter forum Archiepiscopale, & Laicale Mediolani. *Paulus V.* 413
8. Locus Columnæ S. Laurentii Mediolani immunitate ecclesiastica spoliatur. *Paulus V.* ibid.
9. Ecclesiasticis Ducatus Mediolanensis imponitur subsidium 150. m. scutorum. *Urbanus VIII.* ibid.
10. Subrogatio Episcopi Laudensis ad colligendam solutionem ab Ecclesiasticis hujus Ducatus. *Innocentius X.* ibidem.

De Urbe Cremona.

11. Privilegia data Abbatibus, & Collegio judicum Cremonæ. *Gregorius XIV.* ibid.

De Urbe Laudo.

12. Confirmantur bona huic civitati. *Alexander III.* ib.

DE DUCATU PARMENSI, ET PLACENTINO.

De Placentino.

1. URbi Placentinæ præficitur Versusius de Lando. *Joannes XXII.* 414
2. De postulatio Francisci Scoti civis Placentini. *Joannes XXII.* ibid.
3. De Maxono Ferabove cive Placentino. *Joannes XXII.* ibidem.
4. De postulatis Francisci Scoti. *Joannes XXII.* ib.
5. Audiat Legatus postulata Franciscæ Scoti, & decidat. *Joannes XXII.* ibid.
6. Electio Octoboni de Salimbenis civis Placentini in potestariam plani. *Joannes XXII.* ibid.
7. De Naulo construendo, de muris reparandis, de facto Gobii, de distributione bonorum proscriptorum. *Joannes XXII.* ibid.
8. De Fossata terræ Florentiolæ in districtu Placentino reparanda. *Joannes XXII.* 415
9. Bertrandus desistat a tractatibus cum Manfredo de Lando. *Joannes XXII.* ibid.
10. De Borgognoni de Fontana civis Placentini postulatis. *Joannes XXII.* ibid.
Mandatum civitatis Placentiæ Syndicis suis, ut subjiciant urbem cum agro S. Sedi. ibid.
11. De institutione mercatus in Burgo novo. *Joannes XXII.* ibidem.
12. Litteræ recredentiales ad commune Placentinum datæ de ejus Syndicis. *Joannes XXII.* ib.
13. Civitati Placentiæ dantur privilegia. *Joan. XXII.* ib.
14. Præficiuntur duo Capitanei urbi, & districtui. *Joannes XXII.* 416
15. Hortatio ad civitatem, ut permaneat in fide, & pareat Capitaneo. *Joannes XXII.* ibid.
16. Hortamentum, ne Commune Placentiæ recedat a fide. *Benedictus XII.* ibid.
17. Pro Placentinis ad Azonem de Vicecomitibus. *Benedictus XII.* ibid.
18. Mittitur Nuntius Sedis A. ad Placentinos. *Gregorius XI.* ibidem.
19. In territorio Placentino constituitur Capitaneus. *Gregorius XI.* ibid.
20. Decernitur, novum compartitum agri, & districtus Placentini esse servandum. *Paulus III.* ibid.
21. Confirmantur capitula mercatorum Placentiæ. *Urbanus VIII.* ibid.

De Ducatu Parmensi.

22. Gratulatur Pontifex Parmensibus de concordia inter se facta. *Innocentius IV.* 417
23. Excitantur Parmenses ut se Ecclesiæ imperio subjiciant. *Joannes XXII.* ibid.

24. Ad Fratres de Corrigia ut moveant Parmenses ad se Ecclesiæ submittendum. *Joannes XXII.* ibid.
25. De postulato quodam Parmensium, *Joannes XXII.* ib.
26. Ad Episcopum Parmensem, quod Parmam S. Sedi subjecerit. *Joannes XXII.* ibid.
27. Hortatio ad Parmenses, ut in fide perstent. *Joannes XXII.* ibid.
28. Grates aguntur Fratribus de Rubeis, quod effecerint, ut Parmenses se dederent Ecclesiæ. *Joannes XXII.* ibidem.
29. De quodam monte in districtu Parmensi ab Azone de Corrigia desiderato in Feudum, *Benedictus XII.* 418.
30. Allibratio bonorum Territorii Parmensis reformata confirmatur, & servanda præcipitur. *Clemens VII.* ibidem.
31. Aloysius Farnesius, & ejus descendentes investiuntur Ducatu Parmensi, & Placentino. *Paulus III.* ib.
32. De violenta morte Petri Aloysii Ducis Parmensis ad Carolum V. *Paulus III.* 419
33. De eodem argumento ad Ferdinandum I. Romanorum Regem. *Paulus III.* ibid.
34. Incolæ urbis, & agri Parmensis trahi non possint ad tribunalia extra Ducatum in causis appellationum. *Paulus III.* ibid.
35. Monitorium, quo citatur Romam Octavius Farnesius. *Julius III.* ibid.
36. Dux Octavius excommunicatur, & interdicitur. *Julius III.* ibid.
37. Ferrantes Gonzaga deputatur Capitaneus S. Sedis contra Ducem Octavium. *Julius III.* 420
38. In expeditione contra Octavium Cardinalis Joannes Angelus de Medicis sit Legatus a Latere. *Julius III.* ibid.
39. De expeditione in Octavium ad Didacum Mendozam. *Julius III.* ibid.
40. Hortatio ad Odoardum Farnesium, ne permittat jura S. Sedis in Ducatu Parm. & Placent. lædi. *Urbanus VIII.* ibid.
41. De eodem argumento. *Urbanus VIII.* ibid.
42. Deputatur Notarius, qui duo supradicta brevia data in manu Ducis testetur. *Urbanus VIII.* ib.
43. Jubetur Auditor Cameræ Apostolicæ Franciottus imperare Duci, ut deducat copias suas e Ducatu Mediolanensi. *Urbanus VIII.* 421
44. Gubernatori Ducatus Mediolani significat Urbanus, se revocasse domum Ducem Farnesium. *Urbanus VIII.* ibidem.
45. Ad Hispaniarum Regem de eodem argumento. *Urbanus VIII.* ibid.
46. Jubetur visitatio status Castri. *Urbanus VIII.* ib.
47. Eadem commissio de visitatione. *Urbanus VIII.* ib.
48. Jubentur Gubernatores recipere visitatorem Piccardum. *Urbanus VIII.* ibid.
49. Sententia in tribunali Pontificio contra Odoardum. *Urbanus VIII.* 422
50. Jubetur Auditor Cameræ procedere contra violatores immunitatis ecclesiasticæ in Ducatu Parmensi. *Urbanus VIII.* ibid.
51. Card. Antonius Barbarinus deputatur, ut processus faciat in Franciscum Mutinæ Ducem. *Urbanus VIII.* ibidem.
52. Jubentur processus in Remp. Venetam in M. Ducem Hetruriæ, Decemque Mutinenses. *Urbanus VIII.* ib.
53. Mandatur Cardinali Bongho, ut absolvat a censuris Ducem Odoardum. *Urbanus VIII.* ibid.
54. Ad principes Italiæ de bello Ecclesiæ moto. *Urb. VIII.* 425.
55. Declaratur, Odoardum, ejusque fautores in censuras incurrisse. *Urbanus VIII.* ibid.
56. A Pontifice deputatur Cardinalis Bonghus plenipotentiarius pro pace. *Urbanus VIII.* ibid.
57. Articuli pacis confirmantur. *Urbanus VIII.* ib.
58. Confirmatur pax inter Pontifices, & socios Ducis Odoardi. *Urbanus VIII.* ibid.
59. Datur facultas Card. Bongho nominandi obsides tradendos deputato Regis. *Urbanus VIII.* 424
60. Archiepiscopus Urbinas accipiat loca capta a Magno Hetruriæ Duce. *Urbanus VIII.* ibid.
61. Urbini Gubernatori idem mandatur. *Urbanus VIII.* ib.
62. Vicelegato Ferrariæ idem jubetur. *Urbanus VIII.* ib.
63. Ad Imperatorem de ejus copiis hyematum missis in Ducatum Parmensem. *Innocentius XII.* ib.
64. De eodem argumento ad Ducem Parmensem. *Innocentius XII.* ibid.
65. De eodem argumento ad Comitem Caraffam. *Innocentius XII.* ibid.
66. Irritantur conventiones inter deputatos Imperatoris, & Ducem Parmensem. *Clemens XI.* ibid.
67. De eventuali investitura hujus Ducatus stabilienda in Cameracensi conventu. *Innocentius XIII.* 425
68. Protestatio Pontificis in conventu Cameracensi super successione in Ducatum Parmensem, & Placentinum. *Innocentius XIII.* ibid.

69. Alloquutio Pontificis de eodem argumento in consistorio. *Benedictus XIII.* ibid.
70. Assertio jurium S. Sedis in hunc Ducatum. *Clemens XII.* 426.
71. Irritantur quædam decreta edita pro Ducatu Parmensi, Placentino, & Guastallensi. *Clemens XIII.* ib.
72. Ad Imperatricem Mariam Theresiam scribit, ut reges mitiget. *Clemens XIII.* ib.
73. Rationem reddit rerum a se gestarum Clemens Regi utriusque Siciliæ illique Ecclesiam commendat. *Clemens XIII.* 427
74. Ad Regem Catholicum adhortatio, ut urbes Beneventi, & Pontis Curvi restituat, rex utriusque Siciliæ. *Clemens XIII.* ibid.
75. Hortatur Clemens Cardinalem de Solis, ut Regem placet. *Clemens XIII.* 429
76. Ad Regem Christianissimum de eodem argumento. *Clemens XIII.* ibid.

De Ecclesia Parmensi.

1. ABlata a Parmensi Communitate ex hac Ecclesia bona, & jura judicatur esse restituenda. *Honorius III.* 430
2. Comitatus Comiolæ investitio in feudum fit. *Bonifacius IX.* ibid.

De Ecclesia Placentina.

1. COnfirmantur hujus Ecclesiæ privilegia. *Stephanus V.* ibidem.
2. Hæc Ecclesia subjicitur Ecclesiæ Ravennatensi. *Gregorius V.* ibid.
3. Confirmatio electionis Episcopi, & consecratio. *Eugenius III.* 431
4. Episcopus jubetur terram de Burnetto Canonicis Ecclesiæ S. Antonini restituere. *Alexander III.* ib.
5. Mandatur Episcopo, ut det decimam Monasterio S. Savini. *Alexander III.* ibid.
6. Ecclesia in Castro Speculi, & S. Christinæ adjudicatur Episcopo Placentino. *Alexander III.* ib.
7. Nova bonorum hujus Ecclesiæ confirmatio. *Innocent. III.* ibidem.

De Canonicis Placentinis.

1. PRivilegia Cathedralis Ecclesiæ Placentinæ. *Innocentius II.* ibid.
2. Concessio his Canonicis Ecclesiæ S. Joannis de Viculo. *Innocentius II.* ibid.
3. Episcopus Parmensis observari faciat a Clericis per decennium quæ Dux pro ubertate annonæ decreverat. *Gregorius XV.* ibid.

De Burgo Vallis Tari.

1. BUrgum Vallis Tari datur in Feudum nobile Lucæ de Flisco Comiti Lavaniæ. *Joannes XXIII.* 432
2. Mandatur quibusdam prælatis, ut investiant de hoc Feudo Lucam de Flisco. *Joannes XXII.* ib.
3. Jabletus de Flisco excommunicatur. *Sixtus IV.* ib.
4. Mandatur Auditori Generali Cameræ, ut procedat contra Andream de Auria Vallis Tari invasorem. *Urbanus VIII.* ibid.

De Urbe Massa.

1. MAssanus Populus reprehenditur, quod Episcopum suum contumeliis affecerit. *Innocentius IV.* ib.

De Regno Adriæ.

1. COnsilium instituendi regnum Adriæ. *Clemens VII. Antipapa.* ibid.

DE PAGIS HELVETICIS.

1. GRatulatio de obtenta victoria. *Leo X.* 433
2. Excitantur Helvetii in Turcas ad fœdus. *Leo X.* ibidem.
3. Ne per separationem Helvetiorum paci publicæ obstatur. *Leo X.* ibid.
4. Rogantur Helvetii, ut subsidia mittant, & revocent ab exercitu hostili suos. *Leo X.* ibid.
5. Laudantur Helvetii, quod Lutheri doctrinam rejecerint. *Clemens VII.* ibid.
6. Dolet Pontifex tres Pagos in eo conventu defecisse a Catholica Religione. *Clemens VII.* 433
7. Hortatur Pontifex Helvetios, ut strenue se gerant. *Clemens VII.* ibid.
8. Gratulatio de relata victoria. *Clemens VII.* ib.
9. Ad constantiam quinque Pagi Catholici accenduntur. *Clemens VII.* ibid.
10. Gratulatio de concordia Catholicorum Pagorum cum Turicensibus facta. *Clemens VII.* ibid.
11. Gaudium significatur, quod Solodurenses in fide perstiterint. *Clemens VII.* ibid.
12. Invitat Helvetios Pontifex ad militandum sub Ecclesiæ signis. *Paulus III.* 435
13. Curiensis Episcopus inducat Helvetios inire fœdus cum Sabaudiæ Duce. *Pius IV.* ibid.
14. Commonentur Basileenses de Concilio in sua urbe celebrando. *Martinus V.* ibid.
15. Ratio redditur Basileensibus, cur alio transferatur Concilium. *Eugenius IV.* ibid.
16. Bona Basileensis Ecclesiæ ne alienentur. *Clem. VIII.* ib.
17. Hortatio ad Helvetios Turicenses, ut redeant ad fidem. *Clemens VII.* ibid.
18. Hortatio ad Senatum Soluduri, ut executioni mandari curet decreta a Nuntio A. pro Tertiariis S. Francisci ibidem. *Paulus V.* 436
19. Admissio Cantonis Claronæ ad participationem indulti nominandi ad beneficia Ecclesiæ Episcopi Cellæ confirmatur. *Innocentius X.* ibid.
20. Universitas Loci Rysch eximitur a solutione minorum decimarum. *Clemens VIII.* ibid.
21. Nullitas decreti Senatus Lucernensis de dote Monialium declaratur. *Innocentius XIII.* ibid.
22. Ad Senatum Lucernensem, ut revoçet ab exilio &c. *Benedictus XIII.* ibid.
23. Congregationis declaratio. *Benedictus XIII.* 437
24. Respondetur Pagorum litteris. *Benedictus XIII.* ib.
25. Lucernensibus respondet *Benedictus XIII.* ib.
26. Recipiuntur Lucernenses pace confecta. *Bened. XIII.* ibidem.
27. Confirmatio conventionis inter Abbatem S. Galli, & Magistratum oppidi Wangen. *Paulus V.* 438
28. Privilegium creandi Notarios datur hujus Monasterii Abbati. *Alexander VII.* ibid.
29. Irritatur tractatus Abbatem S. Galli inter, & Hæreticos. *Clemens XI.* ibid.
30. Ne ecclesiastici alienent bona Ecclesiarum. *Urbanus VIII.* ibidem.
31. Facultas datur Nuntio conferendi beneficia male collata. *Urbanus VIII.* ibid.
32. Nuntius AA. in Helvetia imperatur, ut successoribus Nuntiis scripturas ad Nuntiaturam spectantes tradant. *Alexander VII.* ibid.

De Rhætia.

33. Hæresi in Rhætiam irrepere incipienti obstat. *Julius III.* ibidem.

De Regno, & Ecclesia Sclavorum.

1. DEsiderium suum propugnandi Catholicam fidem Regi significat. *Nicolaus IV.* 439
2. De Nuntiis Apostolicis missis &c. *Nicolaus IV.* ib.
3. Pannoniæ Archiepiscopus reprehenditur, quod Missas cantet lingua Sclavonica. *Joannes VIII.* ib.
4. Divina officia celebrentur lingua Sclavonica, sed Evangelium dicatur Latine. *Joannes VIII.* ib.
5. Permittitur linguæ vulgaris Sclavonicæ usus in divinis. *Innocentius IV.* ibid.
6. Sacerdotes Sclavo-Latini celebrent omnia Ecclesiæ officia vulgari idiomate. *Benedictus XIV.* ibid.

DE GEBENNENSIBUS.

1. COmpositio inter Comitem, & Episcopum. *Hadrianus IV.* 440
2. Confirmatio alterius conventionis. *Urbanus III.* ib.
3. Confirmatio excommunicationis. *Lucius III.* ib.
4. Excommunicantur lædentes vel personas, vel bona ecclesiastica. *Innocentius IV.* ibid.
5. Laudantur Gebennenses, quod noluerint capi Episcopum Montis Regalis. *Nicolaus V.* ibid.
6. Significatur vassallis Ecclesiæ hujus electio Episcopi. *Pius II.* ibid.
7. Denunciatur populo electio prædicta. *Pius II.* 441
8. Significatur electio Episcopi populo. *Sixtus IV.* ib.
9. Dux Sabaudiæ, & complices spoliatores bonorum hujus Ecclesiæ citantur. *Sixtus IV.* ibid.
10. Electio Episcopi fit nota populo. *Innocentius VIII.* ib.
11. Significatio electionis Episcopi populo. *Julius II.* ib.

De Ecclesia Gebennensi.

1. COnfirmatio privilegiorum hujus Ecclesiæ. *Hadrianus IV.* ibid.
2. Episcopus cogat Clericos accipere altiores ordines. *Innocentius III.* ibid.
3. Approbatio statutorum Ecclesiæ Cathedralis, *Inn. VIII.* ib.
4. Ecclesia S. Jacobi de Vendevres unitur Cathedrali. *Julius II.* ibid.
5. Prio-

5. Prioratus Santigniaci ord. S. Augustini suppressus unitur Cathedrali. *Julius II.* 442
6. Ecclesia Thorensis incorporatur Cathedrali. *Leo X.* ib.
7. Ecclesia Disigniaci annectitur Cathedrali. *Clemens VII.* ibidem.
8. Deputantur qui inquirant de occupatis bonis hujus Ecclesiæ. *Clemens VII.* ibid.
9. Approbatio fugæ Episcopi, & Canonicorum Anecium. *Paulus III.* ibid.
10. Institutio Collegiatæ Genevæ. *Benedictus XIII. Antipapa.* ibidem.
11. Ne impetrentur expectativæ harum mansionum. *Martinus V.* 443

DE VIRIS ENSE, ET PILEO A PONTIFICIBUS INSIGNITIS.

1. ENsis, & pileus mittitur ad Imperatorem Fridericum III. *Pius II.* ibid.
2. Ensem, pileumque mittit Pius ad Ludovicum Galliæ Regem. *Pius II.* ibid.
3. Pileo, & ense decoratur Matthias Hungariæ Rex. *Paulus II.* ibid.
4. Mittit gladium, & galerum Pontifex ad Philibertum Sabaudiæ Ducem *Sixtus IV.* 444
5. Pileus, & ensis mittitur ad Carolum Sabaudiæ Ducem. *Julius II.* ibid.
6. Maximilianus Imperator insignitur galea, & ense. *Leo X.* ibid.
7. Ad Principem Arausicanum mittitur ensis, pileusque. *Clemens VII.* ibid.
8. Ad Jacobum Scotiæ regem galeam, ensemque mittit Pontifex. *Paulus III.* ib.
9. Pileo, & ense ornatur Sigismundus Poloniæ Rex. *Paulus III.* ibid.
10. Pileum, & gladium mittit Pontifex ad Albensem Ducem. *Pius V.* ibid.
11. Joannes Austriæ insignitur pileo, & galero. *Pius V.* ib.
12. Ad Uladislaum Regis Poloniæ Filium mittitur ensis, & pileus. *Urbanus VIII.* 445
13. Pileo, & ense ornatur Rex Poloniæ. *Innocentius X.* ib.
14. Poloniæ Rex Joannes Sobieski iis insignibus ornatur. *Innocentius XI.* ibid.
15. Ense, pileoque decoratur Dux Franciscus Mauroceno. *Alexander VIII.* ibid.
16. Gratulatio de victoriis relatis a Turcis. *Clemens IX.* ibidem.
17. Ensis, pileusque mittuntur ad Franciscum Eugenium Sabaudiæ Principem. *Clemens XI.* 446
18. Ensis mittitur ad Magnum Magistrum militiæ Hierosolymitanæ. *Benedictus XIV.* ibid.

DE FACTIONIBUS, ET VIRIS ILLUSTRIBUS.

1. COnditiones pacis inter Guelphos, & Gibellinos. *Gregorius X.* ibid.
2. Albericus de Romano Frater Ezelini commendatur Patriarchæ Gradensi, & Episcopo Castellano. *Gregorius IX.* 447
3. Albertus, & Mastinus Scaligeri Vicarii Veronensis, Parmensis, & Vicentini districtuum creantur. *Benedictus XII.* ibid.
4. A censuris absolvuntur Scaligeri. *Benedictus XII.* ib.
5. Excommunicantur Columnenses. *Bonifacius VIII.* 448
6. Renovatur sententia in Columnenses. *Bonifacius VIII.* ibidem.
7. Mandatur Inquisitoribus in Columnenses inquisitio. *Bonifacius VIII.* ibid.
8. Tertio excommunicantur. *Bonifacius VIII.* ib.
9. Sententia excommunicationis in Columnenses. *Bonifacius IX.* ibid.
10. Pandulphus Malatesta monetur, ne Florentinos perturbet. *Bonifacius IX.* 449
11. Vicarii Ecclesiæ Romanæ excitantur contra Albericum de Barbiano Bononiam occupare tentantem. *Innocentius VII.* ibid.
12. Franciscus Sfortia de Attendolis ob occupatam Marchiam Anconitanam excommunicatur. *Eugenius IV.* ib.
13. Excommunicatio lata in Joannem Bentivolum Bononiam restituere Ecclesiæ renuentem, ejusque asseclas. *Julius II.* ibid.
14. Hortatio ad Italos, ut pacem faciant, serventque. *Joannes XXII.* 450
15. Gratum se testatur Pontifex Malatestæ Ballonio. *Clemens VII.* ibid.
16. De eodem argumento. *Clemens VII.* ibid.

DE RUSSORUM REGNO.

1. ACcipitur regnum Russorum in protectionem S. Sedis. *Gregorius VII.* 451
2. Gratulatio de susceptæ fide, & de missione Legati. *Honorius III.* ibid.

3. Laudatur Rex Russiæ, quod velit deserere Græcorum schisma. *Gregorius IX.* ibid.
4. Permittitur Russis, ut in fermentato consecrent. *Innocentius IV.* ibid.
5. Dux Russiæ Sutdalensis invitatur ad unitatem Ecclesiæ. *Innocentius IV.* ibid.
6. Hortatur Pontifex Danielem, ut ad fidem redeat. *Alexander IV.* ibid.
7. Moscoviæ Dux rogatur, ne Livoniam devastet. *Innocentius VIII.* 452
8. Contra Moschos pugnaturis dantur indulgentiæ. *Alexander VI.* ibid.
9. Mittitur ad Ducem Nuntius acturus de unione. *Leo X.* ibidem.
10. De unione facienda cum Romana Ecclesia. *Clem. VII.* ibidem.
11. Mittitur Nuntius ad Basilium, qui commendatur Polonis. *Clemens VII.* ibid.
12. Magnus Moscoviæ Dux invitatur ad Concilium Tridentinum. *Pius IV.* 453

DE TARTARIA.

1. INvitantur Tartari ad Christianam fidem. *Innocentius IV.* ibid.
2. Ad feritatem deponendam Pontifex hortatur eosdem. *Innocentius IV.* ibid.
3. De Christiana Religione a Tartaris accepta. *Innocentius IV.* ibid.
4. Cruciata in Tartaros indicitur. *Innocentius IV.* ib.
5. Respondetur Olaoni baptismalia sacra petenti. *Alexander IV.* 454
6. De expeditione in Tartaros. *Urbanus IV.* ib.
7. Litteris Elcani respondetur. *Clemens IV.* ib.
8. De regis Nuncio ad Concilium progresso. *Greg. X.* ib.
9. De expeditione in Terram S., & de Magno Tartarorum Caano. *Nicolaus III.* ibid.
10. Gratulatio de susceptæ fide, & hortatio ad eam disseminandam. *Nicolaus III.* 455
11. Excitatur Regina Tartarorum ad disseminandam fidem. *Nicolaus IV.* ibid.
12. Instruitur in fide Argon Tartarorum Rex. *Nicolaus IV.* ibidem.
13. Argon baptizetur ante expeditionem in Terram S. *Nicolaus IV.* ibid.
14. Rursus excitatur Argon ad amplectendam Catholicam fidem. *Nicolaus IV.* ibid.
15. Adhortatio ad Magnum Caanum ad amplectendam fidem. *Nicolaus IV.* 456
16. Allicitur ad fidem Caydonius Tartarorum princeps. *Nicolaus IV.* ibid.
17. Laudatur, excitaturque ad disseminandam fidem Jolus. *Nicolaus IV.* ibid.
18. Imploratur Argonis auxilium pro recuperatione Terræ S. *Nicolaus IV.* ibid.
19. Gratulatio de susceptæ baptismo. *Nicolaus IV.* ib.
20. Cassanus Frater Nicolai excitatur ad fidem. *Nicolaus IV.* ibidem.
21. Regina rogatur, ut duos suos natos ad fidem pelliciat. *Nicolaus IV.* ibid.
22. F. Andreas de Perusio fit suffraganeus Archiepiscopi Cambalensis. *Clemens V.* 457
23. Grates aguntur Regi de promisso auxilio pro Terra S. *Clemens V.* ibid.
24. Edictum de non pulsandis campanis oratur Rex revocare. *Joannes XXII.* ibid.
25. Iterum oratur Imperator, ut campanarum usum permittat Christianis. *Joannes XXII.* ibid.
26. Gratulatio de susceptæ religione, & hortatio ut alios ad eam perducat. *Joannes XXII.* ibid.
27. De eodem argumento cum indulgentiarum largitione. *Joannes XXII.* 458
28. Gratiæ aguntur de præconibus verbi Dei bene habitis. *Joannes XXII.* ibid.
29. Facultates datæ Archiepiscopo S. Thadæi de Camalesia. *Joannes XXII.* ibid.
30. Corrigendi errores circa sacramentum confirmationis, & consecrationem Olei S. *Joannes XXII.* ib.
31. Imperator Tartarorum rogatur, ut Armenis opem ferat. *Joannes XXII.* ibid.
32. Ad fidem Christianam profitendam, & ad mittendos oratores ad R. Sedem, & ad Regem Galliæ hortatur Pontifex Imperatorem. *Joannes XXII.* ib.
33. Tartarorum Imperator ad fidem Catholicam invitatur. *Joannes XXII.* 459
34. De susceptæ fide gratulatur Pontifex Nascarinis. *Joannes XXII.* ibid.
35. Christiani in Imperio Imperatoris Usbech servent puritatem fidei. *Joannes XXII.* ibid.
36. Gratulatio incolis montis Albors de susceptæ fide. *Joannes XXII.* ibid.
37. De Christianorum multitudine in Tartaria. *Joan. XXII.* ibidem.

38. Magnus Tartarorum Canes ad fidem invitatur. *Joannes XXII.* ibid.
39. Tutela Chriſtianorum commendatur Corum Regi. *Joannes XXII.* 460
40. Voſprenſis Eccleſia fit Metropolitana. *Joan. XXII.* ib.
41. Verſacho Zichorum regi redeunti ad Romanam Eccleſiam gratulatio. *Joannes XXII.* ibid.
42. Hortatio ad univerſos Tartaros ad fidem ſuſcipiendam, & ad perſeverantiam in ea ſuſcepta. *Joannes XXII.* ibid.
43. Gratiarum actio, commendatio Alanorum, hortatio ad fidem &c. *Benedictus XII.* ibid.
44. Ad Alanorum principes mittitur fidei formula. *Benedictus XII.* ibid.
45. De acceptis oratoribus, & gratiarum actio, & hortatio ad fidem. *Benedictus XII.* 461
46. Gratiæ aguntur Janibech, Chriſtianique illi commendantur. *Clemens VI.* ibid.
47. Rogatur Camus ut Chriſtianos protegat. *Urbanus V.* ib.
48. Hortatio ad Tartaros, ut convertantur. *Urbanus V.* ib.
49. Mittitur Epiſcopus cum viginti Fratribus ad populos montium Caſpiorum. *Eugenius IV.* ibid.
50. Regi Bargai conceduntur Capuccini, ut prædicent verbum Dei. *Benedictus XIV.* ibid.
51. Significatur Regi miſſio Capuccinorum. *Bened. XIV.* 462

De Eccleſia Perſica.

52. Soltanienſis Eccleſia erigitur in Metropolitanam. *Joannes XXII.* ibid.
53. Pallium ad Archiepiſcopum mittitur, & quibus diebus ſit geſtandum præſcribitur. *Joannes XXII.* ib.
54. Dimiſſo Archiepiſcopatu, uſus Pontificalium datur Archiepiſcopo. *Joannes XXII.* ibid.
55. Franchi in regno Perſiæ, & Georgiæ directorem ſibi eligere poſſint. *Gallixtus III.* ibid.

DE IMPERIO GRÆCO.

1. Laudatur Imperator Theodoſius, quod præſidio affuerit Epheſinæ Synodo in damnatione Neſtorii. *Cœleſtinus I.* 463
2. Imperatoris Conſtantinopolitani litteris reſpondetur, & ad eum mittitur Patriarcha Gradenſis. *Greg. VII.* ibidem.
3. Excitat Gregorius Chriſti fideles contra Saracenos pro Imperio Orientali. *Gregorius VII.* ibid.
4. De eadem re ad Ultramontanos præcipue. *Gregor. VII.* ibidem.
5. De auxilio præſtando Michaeli Imperatori Conſtantinopolitano. *Gregorius VII.* ib.
6. Alexio ſuadere nititur Pontifex, ut cum principibus Chriſtianis arma ſociet ad Turcas comprimendos. *Innocentius III.* ibid.
7. De recuperatione Terræ S., de Aſtrologis non conſulendis, de Concilio habendo. *Innocentius III.* 464
8. Imperatoris litteris reſpondetur. *Innocentius III.* ib.
9. Pontificis litteræ ad Crucefignatos. *Innocentius III.* ib.
10. Litteris Alexii reſpondet Pontifex. *Innocentius III.* 465
11. Crucefignatorum litteris reſpondetur. *Innocentius III.* ib.
12. Balduini Imperatoris litteris reſpondetur. *Innocent. III.* 466.
13. Epiſcopis, Abbatibus, Clericis, Crucefignatis de eodem argumento ſcribitur. *Innocentius III.* ib.
14. Ad eoſdem Epiſcopos de eodem argumento. *Innocentius III.* ibid.
15. Pacta inter Gallos, Venetoſque. ibid.
16. Reprehenduntur Crucefignati de capta Conſtantinopoli. *Innocentius III.* 467
17. Hortatio ad Clericos, ut eant Conſtantinopolim. *Innocentius III.* ibid.
18. Ad Galliæ Epiſcopos, ut Conſtantinopolim mittant Clericos, & libros ritus Latini. *Innocentius III.* ib.
19. Mittus eidem Marchioni reſpondetur. *Innocent. III.* ib.
20. Quædam ex pactis initis improbat Pontifex. *Innocentius III.* ibid.
21. Imperatori Balduino ſcribit de Patriarcha *Innocentius III.* ibid.
22. Reſcindit Innocentius juramentum de dividendis bonis eccleſiaſticis. *Innocentius III.* 468
23. Suadetur Henrico, ut pacem cum Bulgaro faciat. *Innocentius III.* ibid.
24. Reſcinduntur conventiones factæ inter Venetos, & Patriarcham Conſtantinopolitanum. *Innocentius III.* ib.
25. Confirmantur conventiones inter Henricum, & Patriarcham. *Innocentius III.* ib.
26. Excitantur principes occidentales ad ferendam opem occidentali Imperio. *Innocentius III.* 469
27. Adhortamentum ad Henricum, ut leges contra eccleſiaſticam libertatem latas revocet, & ut bona Eccleſiis reddat. *Innocentius III.* ibid.
28. Indicat Patriarcha Latinis, ne ſtent pro Michalitio contra Henricum. *Innocentius III.* ibid.
29. Monetur rurſus Henricus non impedire eccleſiaſticam libertatem &c. *Innocentius III.* ib.
30. Reddit Pontifex rationem, cur Petrum coronarit. *Honorius III.* ibid.
31. Datur Petro Imperatori Legatus A. comes. *Hon. III.* 470
32. De captura Petri Imperatoris. *Honorius III.* ib.
33. Reprehenditur Theodorus, & ad eum Capellanus Pontificius mittitur. *Honorius III.* ibid.
34. Epiſcopus Crotonenſis jubetur abſolvere Theodorum. *Honorius III.* ibid.
35. Vetent Epiſcopi Crucefignatis aggredi bello Theodorum. *Honorius III.* ibid.
36. Adhortatio ad Theodorum, ut quod promiſit opere compleat. *Honorius III.* ibid.
37. Auxilium Pontifex Roberto pollicetur. *Honorius III.* 471
38. Hortatio ad Theodorum ne vexet Imperatorem Robertum. *Honorius III.* ibid.
39. Erigitur Robertus promiſſis auxiliis. *Honorius III.* ib.
40. De ſubſidio dando in auxilium Imperii Conſtantinopolitani. *Honorius III.* ibid.
41. De Imperatore Joanne. *Gregorius IX.* 472
42. De inſigni Joannis Brenenſis Conſtantinopolitani victoria. *Gregorius IX.* ib.
43. Hungari, & Galli, qui voverant ire in Terram S. euntes in auxilium Imperatoris Conſtantinopolitani votum ſolviſſe cenſeantur. *Gregorius IX.* ib.
44. Laudatur Britanniæ Comes, quod Conſtantinopolitanum Imperium liberare velit. *Gregorius IX.* ib.
45. Zacynti, & Cephaloniæ Comes rogatur, ut auxilium Balduino Imperatori ferat. *Gregorius IX.* ib.
46. Horratio ad Balduinum, ut dimittat jura ſua in Hungariam. *Gregorius IX.* ib.
47. Irritantur juramenta quæcumque facienda a Balduino in præjudicium Imperialis dignitatis. *Gregor. IX.* 473
48. Imponitur ſubſidium pro quibuſdam Græci Imperii provinciis. *Alexander IV.* ibid.
49. De amiſſione Imperii Conſtantinopolitani. *Urban. IV.* ib.
50. Ad regem Galliæ de eodem argumento. *Urban. IV.* 474
51. Litteris Palæologi reſpondetur. *Urbanus IV.* ib.
52. Reprehenduntur Caſtellæ regni præſules, quod opem ferre Balduino recuſent. *Urbanus IV.* ibid.
53. Mutuæ Palæologi, & Urbani litteræ de concordia utriuſque Eccleſiæ. *Urbanus IV.* 475
54. Ad bellum Sacrum invitatur Palæologus. *Clem. IV.* ib.
55. Fidei, quam tenet Romana Eccleſia, profeſſio mittitur ad Imperatorem. *Clemens IV.* ibid.
56. Magiſter Ord. Prædicatorum eligat idoneos Fratres mittendos Conſtantinopolim. *Clemens IV.* 476
57. Ad conjunctionem faciendam invitatur Palæologus. *Gregorius X.* ibid.
58. Reſponder Pontifex Imperatoris litteris, *Greg. X.* 477
59. Philippus Conſtantinopolitanus Imperator rogatur ſalvum conductum dare oratoribus Michaelis. *Greg. X.* ib.
60. Redit ad Eccleſiam R. Imperator Michael. *Greg. X.* ib.
61. Ad perſiſtendum in unitate incitatur Imperatoris filius. *Gregorius X.* ibid.
62. Imperatoris litterarum ſumma. 478
63. Suam electionem ſignificat Imperatori *Nicolaus III.* ib.
64. Gratulatur Pontifex Imperatori de ejus ſtudio ſervandi concordiam, *Nicolaus III.* ibid.
65. De navata opera concordiæ faciendæ Pontifex Andronico gratulatur. *Nicolaus III.* ibid.
66. Mandata commiſſa Nuntiis ituris Conſtantinopolim. *Nicolaus III.* ibid.
67. Palæologus excitatur ad pacem. *Nicolaus III.* 479
68. Excommunicatur Michael Palæologus Imperator, quod receſſerit a conjunctione. *Martinus IV.* ibid.
69. Renovatio ejuſdem ſententiæ. *Martinus IV.* 480
70. De matrimonio Andronici cum Catharina filia q. Philippi Imperatoris Conſtantinopolitani. *Nicolaus IV.* ib.
71. Andronici auxilium contra Saracenos imploratur. *Nicolaus IV.* ibid.
72. De nuptiis Catharinæ Imperatricis Conſtantinopolitanæ cum Friderico Siciliæ Rege. *Bonifacius VIII.* ib.
73. De recuperatione Imperii Conſtantinopolitani. *Benedictus XI.* ibid.
74. Epiſcopus Sylvanectenſis deputatur ad prædicta peragenda. *Benedictus XI.* ibid.
75. Confirmantur quæ ſtatuerat Benedictus. *Clemens V.* 481
76. Veneti orantur, in recuperatione Imperii Conſtantinopolitani Carolo auxilio ſint. *Clemens V.* ib.
77. Denunciatur excommunicatus Andronicus. *Clem. V.* ib.
78. Filia Caroli Comitis Andegavenſis, & Catharinæ Imperatricis Conſtantinopolitanæ Philippo principi Tarentino deſponderur. *Clemens V.* ibid.
79. Reverſionem ad Romanam Eccleſiam meditatur Andronicus. *Joannes XXII.* ibid.
80. Sollicitatur Andronicus, ut ad conjunctionem cum Eccleſia R. redeat. *Joannes XXII.* ibid.
81. Joannes Piſanus exſtimulet Græcos ad conjunctionem. *Joannes XXII.* ibid.
82. Prælati Voſprenſis, & Cerſonenſis moveant Græcos ad reditum. *Joannes XXII.* 482

83. Ex-

83. Excitatur Imperator ad conjunctionem peragendam. *Joannes XXII.* ibid.
84. Imperatrix moveat virum, & populum ad tollendum ſchiſma. *Joannes XXII.* ibid.
85. De concordia ineunda cum Romana Eccleſia. *Benedictus XII.* ibid.
86. Imperatrix Joanna exſtimulet virum ad concordiam. *Benedictus XII.* ibid.
87. Rex Robertus ſuadeat Palæologo, ut mittat apocriſarios ad Pontificiam curiam. *Benedictus XII.* ib.
88. Tractatus habitus de concordia inter Eccleſiam Latinam Græcamque. *Benedictus XII.* 483
89. Propoſita a Legatis Andronici, & reſponſa a Pontifice communicantur cum Rege Galliæ. *Benedict. XII.* 484
90. Diſputatio Abbatis Barlaami. ibid.
91. Græco Imperatori poſtulanti auxilium reſpondetur. *Clemens VI.* 485
92. Imperii Magnates invitantur ad unionem. *Clem. VI.* ib.
93. Ad Cantacuzenum mittuntur Legati. *Clemens VI.* ib.
94. Facultas jaciendi cenſuras in turbantes concordiam datur Legatis A. S. *Clemens VI.* 486
95. Adhortatio ad Capitaneum Conſtantinopolis ut unionem curet fieri. *Clemens VI.* ibid.
96. De Nuntiis ad Imperatorem Cantacuzenum. *Clem. VI.* ibidem.
97. De Concilio habendo reſcribit Pontifex. *Clem. VI.* ib.
98. Laudatur Cantacuzenus de conſtantia in ſuo propoſito abjurandi ſchiſma. *Innocentius VI.* ibid.
99. Hortatio ad conſtantiam, & gratiarum actio de gratulatione. *Innocentius VI.* ibid.
100. Pacta Joannis Palæologi pro concordia. 487
101. De Imperatoris pactis, & ejus elogium. *Innocentius VI.* ibidem.
102. Imperatoris litteris reſpondetur. *Urbanus V.* ib.
103. Ad conjunctionem faciendam excitatur Palæologus. *Urbanus V.* ibid.
104. De ſubſidiis mittendis pro Græcis contra Turcas. *Urbanus V.* 488
105. Gratulatur Pontifex de Imperatoris cito faciendo reditu ad Eccleſiam. *Urbanus V.* ib.
106. Formulæ abjurationis, juramentique mittuntur Conſtantinopolim. *Urbanus V.* ibid.
107. Hortatio ad Imperatricem, ut ad Eccleſiam redeat. *Urbanus V.* ibid.
108. Cantacuzenus oratur, ut ſuadeat concordiam, *Urb. V.* ibidem.
109. Atteſtatio Palæologi, ſe rediiſſe ad Eccleſiam. ib.
110. De reditu Imperatoris Palæologi ad Catholicam Eccleſiam. *Urbanus V.* ibid.
111. Inſtrumentum factum ab Imperatore de reditu ad Eccleſiam. 489
112. Uſus altaris portatilis, ſeu ſubductilis datur Imperatori. *Urbanus V.* ibid.
113. Græci ritus principibus, & clericis venientibus ad Eccleſiam Latinam proponitur formula. *Urbanus V.* ib.
114. Hortatur Gregorius Joannem, ut mittat ſuos Legatos ad conventum Thebanum. *Gregorius XI.* ib.
115. Promittitur auxilium Græco Imperatori, ſi Græci ſchiſma deponant. *Gregorius XI.* ibid.
116. Significatur Conſtantinopolitanis miſſio Legatorum AA. *Gregorius XI.* ib.
117. Cur Legati Conſtantinopolim mittantur, ſignificatur Joanni. *Gregorius XI.* 490
118. Facultates datæ Nuntiis ituris Conſtantinopolim. *Gregorius XI.* ibid.
119. De fœdere inito a Palæologo cum Turca. *Greg. XI.* ib.
120. Deſpota Peloponneſi invitatur ad Eccleſiam Latinam. *Gregorius XI.* ibid.
121. Joannes Cantacuzenus laudatur, invitaturque Romam. *Gregorius XI.* ibid.
122. Græcos ſchiſmaticos reprimat Imperator, neque ſinat Turcas ingredi Conſtantinopolim. *Gregorius XI.* ib.
123. Invitatur Emmanuel Palæologus ad abjurationem. *Gregorius XI.* 491
124. Contra Tamerlanum indicitur Cruciata. *Innocentius VII.* ibidem.
125. Matrimonia cum Latinis feminis contrahendi datur Græcis facultas. *Martinus V.* ibid.
126. Adduntur animi Imperatori contra Turcas. *Martinus V.* ibid.
127. De pace ſervanda in Peloponneſo. *Martinus V.* ib.
128. Anathema in ferentes arma ad Turcas. *Martinus V.* 492.
129. Propoſitiones Græcorum factæ Concilio confirmantur. *Eugenius IV.* ibid.
130. De loco deligendo pro Concilio, in quo fiat concordia. *Eugenius IV.* 493
131. Grates aguntur Regi Galliæ, quod Florentiam proponi fecerit. *Eugenius IV.* ib.
132. De Concilio OEcumenico Ferrariæ celebrando. *Eugenius IV.* ibid.
133. Indulgentiæ dantur eleemoſynas conferentibus, &c. *Eugenius IV.* ibid.
134. Decima beneficiorum præſcribitur exigenda. *Eugenius IV.* ibid.
135. Concilium tranſfertur Florentiam. *Eugenius IV.* 494
136. Decretum de unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina. *Eugenius IV.* ibid.
137. Acta in Concilio nota fiunt omnibus. *Eugenius IV.* ib.
138. Auxilia maritima, terreſtriaque promittuntur Imperatori. *Eugenius IV.* 495
139. Commendatur Conſtantinus Palæologus, quod concordiæ faciendæ ſtudeat. *Eugenius IV.* ib.
140. De claſſe apparanda in Turcas, & de propaganda unione. *Eugenius IV.* ibid.
141. De concordia ſervanda, procurandaque: vaticinium de Conſtantinopolis excidio. *Nicolaus V.* ib.
142. Mittitur Conſtantinopolim Pontificia claſſis in auxilium. *Nicolaus V.* 496
143. De caſu Conſtantinopolis, & de reſiſtendo Turcis. *Nicolaus V.* ibid.
144. Peloponnenſes defendunt Chriſti cauſam, laudanturque. *Pius II.* ibid.
145. Monet Pius Mahumetum II., ut Chriſtianorum imperia ne turbet, eumque hortatur, ut Chriſtianus fiat *Pius II.* ibid.

DE ECCLESIA GRÆCA.

1. Eccleſiæ Græcæ Epiſcopi objurgantur, quod ordinarint in Bulgaria. *Joannes VIII.* 501
2. Reſponſio Patriarchæ Conſtantinopolitani litteris de Eccleſia Hieroſolymitana, & Romana. *Innocentius III.* ibidem.
3. De facultate Patriarchæ Conſtantinopolitani. *Honorius III.* ibid.
4. De uſurpatis quibuſdam facultatibus reprehenditur Patriarcha. *Honorius III.* ib.
5. De multis criminibus coarguitur Matthæus. *Honor. III.* ibidem.
6. De Primatu S. Petri. *Gregorius IX.* 502
7. Hortatio ad Patriarcham, ut ſe ſubmittat Romano Pontifici, & de diverſitate utriuſque Eccleſiæ ritus. *Gregorius IX.* ibid.
8. De ſubſidio mittendo Patriarchæ Conſtantinopolitano. *Gregorius IX.* ibid.
9. Mittitur Legatus ad Eccleſias Orientales. *Innocentius IV.* ibidem.
10. Alia dantur Legato mandata. *Innocentius IV.* ib.
11. Pantaleon Juſtinianus creatur Conſtantinopolitanus Patriarcha. *Innocentius IV.* 503
12. Oratur Patriarcha, ut faciendæ concordiæ incumbat. *Clemens IV.* ibid.
13. Patriarcha invitatur ad Concilium. *Gregorius X.* ib.
14. Adhortatio ad clerum Græcum, ut cœpta concordia ad exitum perducatur. *Joannes XXI.* 504
15. De formula fidei ab Epiſcopis Græcis miſſa. *Nicol. III.* ibidem.
16. Patriarcha, Imperator, & univerſus Græcus populus invitantur ad unitatem. *Joannes XXII.* ibid.
17. Invitatur Clerus ad unionem. *Clemens VI.* ib.
18. De Imperatoris promiſſis, hortatioque ad unitatem. *Innocentius VI.* 505
19. Significatio gaudii ex facienda unione. *Urbanus V.* ib.
20. Patriarchæ Græci ad abjurationem excitantur. *Urbanus V.* ibid.
21. Invitatur uterque clerus ad abjurandum ſolemni ritu ſchiſma. *Urbanus V.* ibid.
22. Joannes Contarenus Notarius Apoſtolicus creatur Patriarcha Conſtantinopolitanus. *Gregorius XII.* ib.
23. Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ clerus jubetur Joannem in patrem, & paſtorem recipere. *Gregorius XII.* 506
24. Prælati Eccleſiarum jubentur rectam fidem circa proceſſionem Spiritus S. populis ſuis explanare. *Eugenius IV.* ibid.
25. Latini ne uſurpent ritus Græcos. *Nicolaus V.* ib.
26. Græci Sacerdotes inter Miſſiram ſolemnia alte pronuntient nomen Romani Pontificis. *Gallixtus III.* ib.
27. Præficitur Patriarcha Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. *Pius II.* ibid.
28. Ne Græcis in ſuis ritibus moleſtentur a Latinis. *Clemens VII.* ibid.
29. Græci ne celebrent ritu Latino. *Pius V.* 507
30. Fidei profeſſio præſtanda a Græcis &c. *Greg. XIII.* ib.
31. Inſtructio ſuper ritibus Græcorum. *Clemens VIII.* ib.
32. Facultas datur duobus Cardinalibus procedendi in Cyrillum Patriarcham Conſtantinopolitanum. *Urb. VIII.* 508.
33. Sectantes ritus Græcos ſubjiciuntur Epiſcopis Latinis in viſitatione. *Pius IV.* ibid.
34. Curet Archiepiſcopus Piſanus, ut Græci Liburni recipiant Archiepiſcopum Mithelinaram. *Urbanus VIII.* ibidem.
35. Quid debeant Italo-Græci credere. *Benedict. XIV.* ib.
36. In Eccleſia S. Mariæ *del Graffeo* ſemper Græcus ritus ſerveturr. *Benedictus XIV.* 510

DE

DE ECCLESIA GRÆCO-MELCHITA.

37. Solutio dubiorum propositorum a Patriarcha Antiocheno Græcorum-Melchitarum. *Benedictus XIV.* ib.
38. Postulatio, & missio pallii ad Patriarcham Antiochenum Græcum Melchitam. *Benedictus XIV.* ib.

DE ECCLESIA GRÆCO-RUTHENA.

39. Archiepiscopus Kioviensis Ruthenos ad unitatem redit: sitque AA. Legatus. *Eugenius IV.* 511
40. Recensentur errores Ruthenorum diversarum regionum. *Leo X.* 512
41. Unio Ecclesiæ, nationisque Ruthenæ cum Ecclesia Romana. *Clemens VIII.* ibid.
42. Metropolitæ datur facultas consecrandi Episcopos suæ nationis. *Clemens VIII.* 513
43. Confirmatio. *Paulus V.* ibid.
44. Episcopo VVolodimirienſi datur privilegium induendi Saccoccio. *Clemens VIII.* ibid.
45. De consecratione Episcoporum Ruthenorum. *Paulus V.* ibidem.
46. Circa ritus observandos ab Episcopis, & clero. *Paulus V.* ibid.
47. Dismembratio Abbatiæ Pieczarensis ab Ecclesia Metropolitana Kioviensi. *Clemens VII.* ib.
48. Archiepiscopus singulis quadriennis Concilium nationale habeat. *Urbanus VIII.* ib.
49. Archiepiscopo Strigonienſi datur facultas absolvendi Parthenium Episcopum Ruthenum. *Alex. VII.* ib.
50. Regulares in Russia vocato, neque veniente Parocho possint in suis Ecclesiis cadavera sepelire. *Urb. VIII.* 514.
51. Quatuor juvenes Rutheni semper alantur in Collegio Græcorum de urbe. *Paulus V.* ib.
52. Rutheni venientes ad fidem Catholicam ferant secum bona sua. *Innocentius XIII.* ibid.
53. Confirmatur Innocentii constitutio. *Benedict. XIII.* ib.
54. Episcopus Auxerensis ordinet Clericos ritus Rutheni. *Benedictus XIV.* ibid.
55. Hortatio ad Episcopos Ruthenos ne negligant clerum sæcularem. *Benedictus XIV.* ibid.
56. De nova editione Euchologii, de cura hujus editionis, & correctionis, eaque omnes orientales jubentur uti. *Benedictus XIV.* ibid.

DE IMPERIO NICÆNO.

1. CApitula proposita ab Imperatore Nicæno. *Alexander IV.* 517

DE IMPERIO TRAPEZUNTINO.

1. AD conjunctionem cum Ecclesia Romana invitatur Imperator. *Joannes XXII.* 518
2. Imperator Trapezuntinus invitatur ad unitatem fidei. *Eugenius IV.* ibid.

DE ACHAJA.

1. COnventio Principis Achajæ Arduini cum Episcopis confirmatur. *Honorius III.* ibid.
2. Principem Achajæ orat Pontifex, ut opem ferat Balduino *II. Innocentius IV.* 519
3. Ne Princeps bellum inferat Palæologo. *Urb. IV.* ib.
4. Trajectensi Episcopo mandatur, ut in Græcos sacrum bellum indicat. *Urbanus IV.* ib.
5. Cogant Patriarcha Constantinopolitanus, Episcopus Patracensis Latinos Achajæ non adhibere ritus Græcos *Joannes XXII.* ibid.
6. Iidem præsules coerceant Societatem Catalanam affligentem Achæos. *Joannes XXII.* ib.
7. Sacræ expeditionis in Achajam jubetur prædicatio. *Joannes XXII.* 520
8. Consulitur Achajæ principi homagium præstare Principi Tarentino. *Joannes XXII.* ib.
9. Excitentur fideles ad ferendum auxilium Achajæ. *Urbanus V.* ibid.
10. Civibus Philadelphiæ consulitur unio cum Romana Ecclesia, promittiturque auxilium. *Innocentius VI.* ib.

De Insula Smyrnæ.

11. De Smyrna liberata gratulatio. *Clemens VI.* ib.
12. Processus jubetur contra Archiepiscopum Smyrnensem. *Clemens VI.* ibid.

DE REGNO CYPRI.

1. DE juribus Mariæ in regnum Cypri. *Gregorius X.* ibidem.
2. Per titulum Regis Hierosolymitani non intendit Pontifex ullum jus datum Regi Cyprio. *Gregor. X.* 521
3. Decreta pro observanda pace in insula Cypri. *Bonifacius VIII.* ibid.
4. Monetur Cyprius rex, ne severe interpretetur legem. *Bonifacius VIII.* ibid.
5. Mittuntur in Cyprum duo præsules, qui regios Fratres concilient. *Clemens V.* ibid.
6. Ad constantiam excitatur Rex Henricus. *Joannes XII.* ibidem.
7. Novas cum Armeno conditiones inire potest Rex Henricus. *Joannes XXII.* ibid.
8. Gratulatur Pontifex Regi de relata e Turcis victoria. *Benedictus XII.* ibid.
9. De pravo Soldani Babyloniæ consilio. *Urbanus VI.* 522
10. De indulgentiis Jubilæi non concedendis Regi. *Clemens VI.* ibid.
11. Fœdus, & conditiones fœderis Regis Cypri confirmantur. *Clemens VI.* ibid.
12. Auxilium det Rex Imperatori Græcorum Joanni Cantacuzeno. *Innocentius VI.* ibid.
13. De galeis ducendis Smyrnam. *Innocentius VI.* ib.
14. Solatur Pontifex Petrum, cui pater reliquit regnum, de parentis morte. *Innocentius VI.* ibid.
15. Hortatio ad Petrum, ut regnum det Hugoni. *Innocentius VI.* ibid.
16. Gratulatio de pace inita cum Januensibus, & de adventu Crucesignatorum in Cyprum. *Urbanus V.* 523
17. De pace facienda cum Soldano Ægypti, & de subsidiis in Cyprum mittendis. *Urbanus V.* ib.
18. De adulterio arguitur Rex. *Urbanus V.* ib.
19. Joanni Principi Antiocheno commendatur Rex Cypri. *Urbanus V.* ibid.
20. Monita Regi Petro dantur. *Gregorius XI.* ib.
21. Dehortatur Pontifex Januenses, ne bellum in Cyprios moveant. *Gregorius XI.* 524
22. De morte Regis Jani solatur Filium. *Eugenius IV.* ib.
23. Assignatur Regi pecuniæ summa ad conficienda Nicosiæ mœnia. *Nicolaus V.* ib.
24. Subsidia pro hoc regno decreta. *Pius II.* ib.
25. Imploratur Regis Aragonum auxilium pro Cypro. *Pius II.* ibid.

DE ECCLESIA CYPRIA.

1. IN insula Cypri aut Græci Episcopi subsint Episcopis Latinis, aut unius ritus sint omnes. *Honor. III.* 525.
2. Archiepiscopus Nicosiensis Græcorum Ecclesias det Latinis. *Gregorius IX.* ib.
3. Postulata Archiepiscopi Græcorum insulæ Cypri. *Innocentius IV.* ibid.
4. Quæ Græci, quæ Latini in insula Cypri facere debeant, *Innocentius IV.* ibid.
5. Decreta, ut pax servetur inter Archiepiscopos Græcum, & Latinum in hoc regno. *Alexander IV.* 526.
6. Permittatur Archiepiscopo Nicosiensi corrigere, & punire vitia. *Urbanus IV.* ibid.
7. Errores Græcorum in regno Cypri. *Joannes XXII.* 527
8. Curet Episcopus Colossensis, ut Episcopi Latini non se separent a Græcis. *Eugenius IV.* ib.
9. Schismatici in Cypro reducuntur ad unitatem. *Eugenius IV.* ibid.
10. Mendacia a Græcis in hoc regno contra Latinos conficta. *Nicolaus V.* ibid.
11. Chaldæos a fide desciscentes excommunicet Episcopus. *Nicolaus V.* ibid.
12. Episcopus Paphiensis fit administrator Ecclesiarum Latinarum in Cypro. *Urbanus VIII.* 528.

DE REGNO GEORGIÆ.

1. ROgat Avogniæ, seu Georgiæ Regem Pontifex, ut Terræ S. opem ferat. *Innocentius III.* ib.
2. Litteris Reginæ respondetur. *Honorius III.* ib.
3. Commendantur Regi quidam Fratres Minoritæ. *Gregorius IX.* ibid.
4. Se excusat Pontifex, cur non possit Regi auxilium mittere. *Gregorius IX.* ibid.
5. De unitate Ecclesiæ; de primatu Ecclesiæ Romanæ. *Joannes XXII.* 529
6. In regno Georgiæ Tophelicensis Episcopatus erigitur. *Joannes XXII.* ibid.
7. Litteris Regis respondet. *Alexander VI.* ib.
8. Decretum unionis Ecclesiarum Latinæ, Græcæque. *Alexander VI.* ibid.

DE BULGARIÆ REGNO.

1. NUntii mittuntur ad Dominum Blachorum, & Bulgarorum. *Innocentius III.* ibid.
2. Respondetur litteris Domini Blachorum, &c. *Innocentius III.* ibid.
3. Diadema, & sceptrum mittit Pontifex ad Regem. *Innocentius III.* 530
4. Oratur Calojannes, ut Balduinum Imperatorem liberet. *Innocentius III.* ibid.
5. De missione Legati A., & de auxilio ferendo Imperio Constantinopolitano. *Gregorius IX.* ibid.
6. Invitatur Bulgarus ad conjunctionem cum Romana Ecclesia. *Innocentius IV.* ibid.
7. Bulgarorum Rex invitatur ad conjunctionem cum Romana Ecclesia. *Nicolaus IV.* ibid.
8. Ad eamdem conjunctionem invitatur Archiepiscopus. *Nicolaus IV.* 531
9. De redacta ad fidem Bulgaria Hungariæ Regi grates aguntur. *Urbanus V.* ibid.
10. Moldoblachiæ Archiepiscopus reducat ad Ecclesiam Bulgaros, & Valachos. *Eugenius IV.* ibid.

DE VALACHIA.

1. LAudatur Valachiæ Regina. *Urbanus V.* ib.
Wayda Valachiæ excitatur ad fidem Catholicam. *Urbanus V.* ibid.

DE MOLDAVIA.

1. AD preces Moldaviæ principis instituitur Episcopatus Ceretensis. *Urbanus V.* ibid.
2. Latzko excitatur ad constantiam in fide. *Greg. XI.* 532

DE REGNO RASCIÆ.

1. LAudatur Rex, quod velit schisma Græcorum deferere. *Clemens V.* ibid.
2. Quædam privilegia jubentur Pontificii Nuntii concedere Regi. *Clemens V.* ibid.
3. Fœdus principum Albaniæ in schismaticum Urosium regem approbatur. *Joannes XXII.* ibid.
4. Laudat expulsores Regis Pontifex. *Joannes XXII.* ib.
5. Se paterne recepturum Regem redeuntem ad fidem Pontifex spondet. *Clemens VI.* ib.
6. Corrigantur errores in Rascia, provinciisque finitimis grassantes. *Clemens VI.* 533
7. Laudatur Rex, quod Ecclesiam Latinam tutetur, promittitur illi Capitaneatus contra Turcas. *Innocentius VI.* ibid.
8. Hungariæ Regi mandatur, ut in Rascios hæreticos arma moveat. *Innocentius VI.* ibid.

DE REGNO BOSNIÆ.

1. BAnus Bosniensis recipitur in tutelam S. Petri. *Gregorius IX.* ibid.
2. Laudatur Colomanus, quod Bosniam ab hæresi purgarit. *Gregorius IX.* ibid.
3. Bosniæ præficitur Episcopus. *Gregorius IX.* 534
4. Cruciatam in Bosnienses publicari mandatur. *Innocentius IV.* ibid.
5. Clerus reprehenditur, quod hæresim grassari permittat. *Joannes XXII.* ibid.
6. Stephanus Bosniæ Banus excitatur ad constantiam. *Urbanus V.* ibid.
7. Justorum natalium honore decoratur Rex. *Eug. IV.* ib.
8. Idem Rex commendatur Hungaris. *Eugenius IV.* ib.
9. In hæreticos Bosniæ procedat Episcopus Pharensis. *Nicolaus V.* ibid.
10. Proponuntur indulgentiæ adjuvantibus regem. *Nicolaus V.* 535
11. Se restituturum omnia loca regni Bosniæ Pontifex promittit Regi. *Callixtus III.* ibid.
12. De sacro vexillo regi dando. *Callixtus III.* ib.
13. Laudatur Rex, quod Religionem tueatur. *Callixt. III.* ib.
14. Quidam Bosnienses principes ad Ecclesiam reducuntur. *Pius II.* ibid.

DE REGNO SERVIÆ.

1. DE litteris missis ad Bulgarorum Regem. *Nicolaus IV.* ibid.
2. Affinitas Regina Inquisitoribus fidei in Bosnia. *Nicolaus IV.* 536.
3. Serviæ regnum suscipitur in tutelam B. Petri. *Nicolaus IV.* ibid.
4. In urbe Sava constituitur Episcopus. *Nicolaus IV.* ib.
5. Inquisitores deputantur in regno Serviæ. *Nicolaus IV.* ib.
6. Antibarensis Archiepiscopus corrigat vitia in ditionibus Regis Serviæ, & Andronici Imperatoris Constantinopolitani grassantia. *Benedictus XI.* ib.
7. Provocatur Rex Serviæ ad abjurandum schisma. *Benedictus XI.* ibid.
8. Rex Serviæ redit ad unitatem cum Ecclesia. *Joannes XXII.* ibid.
9. Legati mittuntur in Serviam. *Joannes XXII.* 537
10. Justorum natalium dignitate Rex ornatur. *Jo. XXII.* ib.
11. Servia Patriarcha invitatur ad concordiam cum Ecclesia Latina. *Innocentius VI.* ibid.

DE ALBANIA.

1. AD conjunctionem cum Romana Ecclesia recipitur hæc Ecclesia, subjicitur que immediate S. Sedi. *Innocentius IV.* ibid.
2. Aliæ provinciæ cum Romana Ecclesia redeunt. *Innocentius IV.* ibid.
3. Quidam Albaniæ principes admittuntur ad Ecclesiam. *Urbanus V.* ibid.
4. Excitantur Christifideles ad opem ferendam Albanensibus. *Eugenius IV.* ibid.
5. Albanenses, & Rascios Episcopus Albanensis absolvat. *Eugenius IV.* 538
6. Discordiæ inter Georgium, & nobiles sedantur. *Nicolaus V.* ibid.
7. Scanderbeghus commendatur, auxiliaque illi promittuntur. *Callixtus III.* ibid.
8. Auxilium pecuniarum ad Principem mittitur. *Callixtus III.* ibid.
9. Aliud pecuniarium subsidium mittitur ad Principem. *Callixtus III.* ibid.
10. Laudatur consilium Principis auxiliari Regi Ferdinando volentis. *Pius II.* ibid.
11. In Turcarum fautores contra Scanderbeghum censuræ jaciantur. *Pius II.* 539

DE REGIONIBUS IN AFRICA.

1. RESpondetur Regi Mauritaniæ Sitifensis provinciæ. *Gregorius VII.* ibid.

De Babylonia, Ægyptoque.

2. Missio Nuntii ad Sultanum &c. *Martinus V.* ib.
3. Sollicitantur ad defectionem quidam maritimi principes Soldano subditi. *Calixtus III.* ibid.
4. Litteris Soldani respondet *Pius II.* ibid.
5. Quid Rex Aragonum Mauris vetuerit in Hispaniis. *Sixtus IV.* 540
6. Soldano promittuntur auxilia. *Clemens VII.* ib.

De Ecclesia Marrochitana.

7. Episcopus præficitur huic Ecclesiæ. *Gregorius IX.* ib.
8. Marrochitanus Episcopus fit Legatus Ap. per totam Africam. *Alexander IV.* ibid.
9. Fridericus Minorita fit Episcopus Marrochitanus, & Legatus A. in Africa. *Nicolaus IV.* ibid.
10. Fratres Prædicantes in regno Marrochitano non tenent gestare habitum ordinis. *Honorius III.* ib.
11. Abdalas excitatur ad suscipiendam Catholicam fidem. *Innocentius VI.* 541
12. Objurgatur Tripolitanus Comes ob injurias illatas Tripolitano Episcopo. *Nicolaus III.* ib.
13. De capta urbe Tripoli. *Nicolaus IV.* ib.

DE ECCLESIIS IN PARTIBUS INFIDELIUM.

1. ECclesiæ Lumensi Episcopus præficitur. *Julius III.* ib.
2. Tinnenses in sua insula possint accipere Jubilæum anni Sancti. *Urbanus VIII.* 542
3. Committitur Nuntio apud Imperatorem faciendi processus contra Episcopum Tinnensem facultas. *Innocentius X.* ibid.
4. Præcipitur Episcopo Chiensi informatio super excessibus Archiepiscopi Naxiensis. *Alexander VII.* ib.
5. Dotatio Ecclesiæ Babyloniensis. *Urbanus VIII.* ib.
6. Dotatio Ecclesiæ Porphyriensis. *Urbanus VIII.* ib.
7. Episcopus Scutarensis deputatur administrator trium Ecclesiarum in partibus Infidelium. *Innocentius X.* ib.
8. Episcopo Thermiæ datur administratio duarum Ecclesiarum in partibus Infidelium. *Innocentius X.* ib.
9. Antibarensis Archiepiscopus fit administrator Ecclesiarum in regno Serviæ. *Innocentius X.* ib.
10. Episcopus Chersonensis declaratur administrator quarumdam Ecclesiarum in Infidelium partibus. *Inn. X.* ib.
11. Regulares in partibus Infidelium subsint in iis, quæ spectant ad animarum curam Archiepiscopo Sardicensi, & Sophiensi, & Episcopo Bosniensi. *Alexander VII.* 543
12. Assignatio pensionum Episcopis inter Infideles. *Clemens VIII.* ibid.
13. Correctio quorumdam abusuum in Ecclesiis in partibus Infidelium. *Benedictus XIV.* ib.
14. Interrogatoria facienda Episcopis in partibus Infidelium. *Benedictus XIV.* ib.
15. Nomina Mahometana ne imponantur Infantibus Christianis. *Benedictus XIV.* 544
16. Responsio ad dubia circa bona Ecclesiarum relicta vel ab Infidelibus, vel a Christianis. *Benedict. XIV.* ib.
17. Permittitur Episcopis transigere cum possessoribus bonorum Ecclesiarum. *Benedictus XIV.* 545

DE

DE REGNO ARMENIÆ.

1. Confirmatio coronationis regis Armenorum. *Inn. III.* ib.
2. Nè rex possit excommunicari. *Innocentius III.* ib.
3. Armeniæ Rex oratur, ut contra Soldanum Ægypti arma moveat. *Clemens IV.* ibid.
4. Consolatur Pontifex Regem de accepta clade. *Clemens IV.* ibid.
5. Excitatur Rex ad conjunctionem cum Romana Ecclesia. *Nicolaus IV.* 546
6. Oratur Rex Galliæ, ut Armenorum Regi auxilium det. *Nicolaus IV.* ibid.
7. Excitantur fideles ad Armeniæ defensionem. *Nicol. IV.* ibidem.
8. Auxilium promittitur Armeniæ regi. *Bonifacius VIII.* ib.
9. De auxilio mittendo Armenis. *Clemens V.* ib.
10. Redintegratur Armenorum cum Ecclesia Romana conjunctio. *Joannes XXII.* ib.
11. Pontifex vult in Armenia Gymnasia instituere linguæ latinæ. *Joannes XXII.* 547
12. De auxilio ferendo Regi. *Joannes XXII.* ib.
13. Reginam ad constantiam hortatur Pontifex. *Bened. XII.* ibidem.
14. Conqueritur Pontifex de hæresibus, quibus Armeni infecti erant. *Benedictus XII.* ibid.
15. Hortatur Pontifex Regem, ut errores tollat, illique auxilium pollicetur. *Clemens VI.* ibid.
16. Novus Rex excitatur ad errores tollendos. *Clemens VI.* ibidem.
17. De auxilio pecuniario misso ad Regem. *Clemens VI.* ib.
18. Constantinus efficiat, ut Armeni veram fidem profiteantur. *Clemens VI.* 548
19. De viro dando Armeniæ Reginæ. *Gregorius XI.* ib.

DE ECCLESIA ARMENA, VEL PATRIARCHATU ANTIOCHENO.

1. Hortatio, ut Gregorius perseveret in fide. *Innocentius III.* ibid.
2. Antiochenus Patriarcha commendatur Soldano de Alapia. *Innocentius III.* ibid.
3. Patriarcha Hierosolymitanus cum suis suffraganeis oratur, ut efficiat, ut Armeni recipiant ejectos clericos Latinos. *Honorius III.* ibid.

De Ecclesia Armena Maronitica.

4. Catholicus Armeniæ declaratur subjectus Patriarchæ Antiocheno. *Gregorius IX.* 549
5. Ad Catholicon mittitur pallium. *Gregorius IX.* ib.
6. De reintegrata conjunctione Ecclesiæ Armenæ cum Romana. *Joannes XXII.* ibid.
7. De auxilio mittendo Armenis, de constantia ab iis habenda. *Joannes XXII.* ibid.
8. Prælati excitent populos ad pœnitentiam. *Joan. XXII.* ibidem.
9. Cum Romana Ecclesia conjunguntur populi Armeniæ inferioris. *Joannes XXII.* ibid.
10. De tollendis erroribus, & errorum catalogus. *Benedictus XII.* 550
11. Armeniæ præsules monentur, ne *Fraticellis* credant. *Clemens VI.* 553
12. Episcopus Soltanienfis ne spargi permittat per Armeniam, & Persidem pestilem Archiepiscopi Seleuciensis. *Clemens VI.* ibid.
13. De Synodo ab Armenis habita, & de missione librorum Decretalium. *Clemens VI.* ib.
14. De Armenorum fidei formula nitide facienda. *Clem. VI.* ibidem.
15. Episcopi Cypri mittant aliquem sapientem virum in Armeniam &c. *Clemens VI.* 554
16. Nerses rogatur, ut in Armeniam se transferat. *Innocentius VI.* ibid.
17. Hortatio ad Armenos, ut jugum Saracenorum excutiant, eligantque Regem Catholicum. *Urb. V.* ib.
18. Unio Ecclesiæ Armenæ cum Latina omnibus significatur. *Eugenius IV.* 555
19. Quædam dubia Patriarchæ Antiocheni solvuntur. *Paulus II.* ibid.
20. De professione fidei Maronitarum, & de ritu eligendi Patriarcham. *Leo X.* ibid.
21. Maronitis auxilium spondetur. *Clemens VII.* 556
22. De Armenis reversis ad unitatem fidei. *Pius IV.* ib.
23. Admonentur Prælati Maronitæ, ut eligant probum Patriarcham, mittiturque ad illos Jubilæum. *Paul. V.* 557.
24. Patriarcha jubetur retinere antiquos ritus. *Paulus V.* ib.
25. Patriarchæ datur facultas benedicendi populo Pontificali benedictione. *Paulus V.* ibid.
26. Armeniæ Christifidelibus conceditur Jubilæum. *Greg. XV.* ibidem.
27. Innocens declaratur Patriarcha Antiochenus. *Clemens XI.* ibidem.
28. Patriarcha restituitur in sua jura. *Clemens XI.* ib.
29. Confirmatio Synodi nationalis in Monte Libano. *Benedictus XIV.* 558
30. Jubetur residentia; præfinitio Ecclesiarum numeri; damnatur retributio pro Sacramentorum administratione. *Benedictus XIV.* ibid.
31. Nullæ declarantur electiones duorum prælatorum factæ. *Benedictus XIV.* ibid.
32. Eligitur a Pontifice Archiepiscopus Damascenus in Patriarcham. *Benedictus XIV.* ibid.
33. Electio Ablegati A. ad Maronitas. *Benedictus XIV.* 559
34. Maronitæ monentur de adventu Ablegati. *Bened. XIV.* ibidem.
35. Mittitur pallium ad Patriarcham. *Benedictus XIV.* ib.
36. Responsio Episcoporum ad Pontificem, & responsio hujus ad illos: narratio actorum pro pallio obtinendo. *Benedictus XIV.* ibid.
37. Actorum consistorialium pro pallii petitione. *Benedictus XIV.* 560
38. De missione pallii, de amore Pontificis in Patriarcham, & nationem. *Benedictus XIV.* ib.
39. Hortatio ad obedientiam, obsequiumque erga Patriarcham. *Benedictus XIV.* ibid.
40. Laudantur Maronitarum proceres. *Benedictus XIV.* ib.

De Ecclesia Armena Caphensi.

41. Armeni Caphenses cum Ecclesia Romana sentiunt. *Joannes XXII.* ibid.
42. Formula fidei credenda ab Armenis inter Tartaros dispersis. *Joannes XXII.* 561
43. Armeni Saracenses de Episcopo expulso reprehenduntur. *Joannes XXII.* ibid.
44. E Syria advenus Legati Romam: Syrorum errores. *Eugenius IV.* ibid,
45. Responsio ad dubia Missionariorum. *Bened. XIV.* ib.

DE ECCLESIA JACOBITICA MARONITICA.

1. De reditu Patriarchæ ad Romanam Ecclesiam. *Gregorius IX.* 562
2. Excitatur Patriarcha ad se conjungendum cum Romana Ecclesia. *Nicolaus IV.* 563
3. Provocatur Patriarcha ad conjunctionem suorum populorum cum Romana Ecclesia. *Joannes XXII.* ib.
4. Litteræ Encyclicæ super unione Ecclesiæ Jacobiticæ. *Eugenius IV.* ibid.
5. Primas Jacobitarum invitatur ad fidei unitatem. *Pius IV.* 564

DE ECCLESIA ÆGYPTO-COPTICA.

1. Nuntius A. invitet ad Concilium Coptorum Patriarcham. *Pius IV.* ibid.
2. Jurisdictio Episcopi Hierosolymitani ritus Coptici in Ecclesiam Copticam. *Benedictus XIV.* ib.
3. Instructio super dubiis spectantibus ad ritus hujus Ecclesiæ. *Benedictus XIV.* ibid.
4. Solutio dubiorum. *Benedictus XIV.* 565

DE REGNO ÆTHIOPIÆ.

1. Excitat Pontifex Regem in Mahumetanos; de victoria ab Hungaris facta: & mittit quasdam Sanctorum Lipsanas ad illum. *Callixtus III.* 566
2. Propagatio Catholicæ fidei commendatur Regi. *Leo X.* ibidem.
3. Natio Hebræorum Arabum commendatur Regi. *Clemens VII.* ibid.
4. De oratore Regis, de zelo Regis, de Fratribus in Æthiopiam mittendis. *Paulus III.* ibid.

DE ECCLESIA ÆTHIOPICA.

1. Facultates dantur novo Æthiopiæ Patriarchæ. *Julius III.* 567
2. Patriarchæ dantur adjutores. *Julius III.* ibid.
3. Commendantur prædicti præsules. *Paulus IV.* ib.
4. Invitantur Æthiopes ad Concilium. *Pius IV.* ib.
5. Indicitur Jubilæum pro Æthiopibus. *Urbanus VIII.* ib.
6. Commendatur Congi Rex, quod Christianam fidem sit amplexus, eamque disseminet. *Paulus III.* 568

N. B. *Cum quædam Bulla in Cap. de Romano Imperio non fuerint impressa typis quo ordine erant scriptæ, lege post Bullam num. 68. Bullam 70. tum Bullam 69. &c. 71. &c. Quæ sequuntur lege sicut numeri appositi ostendunt.*

FINIS INDICIS.

PON-



PONTIFICIARUM CONSTITUTIONUM EPITOME.

DE SACRO ROMANO IMPERIO.

Restituuntur omnia Imperii bona Othoni I. Imperatori.

I. Ex Cod. Diplom. Italiæ Christ. Lunig. t. 1. p. 3.

LEO VIII. Othoni Imperatori Augusto, & omnibus successoribus suis Imperatoribus, ac Reginis Italiæ.

Inc. *Quæcunque, &c.*

QUæcunque S. Sedes acceperat a Carolo Francorum rege, & a Pipino Rege Francorum, & Longobardorum, & quæ sive per donationes, sive per alios modos illi advenerant ab Justiniano Imperatore, & Ariperto Rege *largitur*, & *definit* Leo Othoni Imperatori, & Adelaidæ ejus uxori, ejusque successoribus in regnum Italiæ usque in perpetuum;

De cruce Domini, & de caligis pedum suorum, & de vestimento inconsutili.

Tum nominat *donationes, quas perpetuatim in regalibus rebus subjacere vult per Apostolicam traditionem.* Recensentur hæc loca.

Et has omnes terras confirmat Leo, & *corroborat in omnibus progeniebus de generatione in generationem in perpetuum.*

Si quispiam destruxerit hanc chartam, &c. solitæ minæ.

Apponuntur nomina testium, qui interfuerunt his actis *tam Cardinalium præsentium, quam eorum, qui erant ex variis regionibus.*

Scripta per manum Gregorii Archinotarii nostri. Datum in Patriarchio Lateranensi in. Cal. Maji. Indict. VI. anno sedis nostræ II. & dicti Domini Othonis secundo feliciter. an. 963.

Confirmatur Hadriani III. Pontificis decretum de cognoscendo Romanorum Imperatore pro Italiæ rege, ad quem potestas eligendi Pontificem, & investiendi Archiepiscopos, & Episcopos pertineat.

II. Ex cod. p. 5.

LEO VIII.

Inc. *Convenit Apostolico, &c.*

POntifex *Hadrianus, cujus vitam, & actionem satis discretam audivimus* (inquit Leo) & *rationabilem admodum in suis spiritualibus sanctionibus, S. Synodum congregavit, & in præsentia omnium, eorumque auctoritate Domino Carolo invictissimo, ac Patricio Romano, suisque successoribus Regnum Italiæ, Patriciatus dignitatem, ac ordinationem Sedis Apostolicæ commisit insuper Episcopatuum investituras, velut ipse cum discretione, & reverentia libitum fuerit, præter quæ tam Pontifici summæ Sedis, quam Archiepiscopis ipse Carolus reliquit.*

Leo igitur *ad idem exemplum B. Hadriani cum cuncto similiter clero & universo populo Romano, omnibusque ordinibus almæ urbis sicut in suis scripturis apparet, constituit, confirmat, corroborat, & per suam Apostolicam auctoritatem concedit, atque largitur D. Othoni ejusque successoribus regni Italiæ in perpetuum tam sibi facultatem eligendi successorem quam summæ Sedis Apost. Pontificem ordinandi; ac per hoc Archiepiscopos, seu Episcopos, ut ipsi tantum ab eo investituram accipiant, & consecrationem ubicunque pertinuerit; exceptis his, quos Imperator Pontifici, & Archiepiscopis concessit. Ita demum asserit, quod nemo deinceps, cujuscunque gradus, dignitatis, aut conditionis, seu religionis eligendi regem, vel Patricium, sive Pontificem summæ Sedis Apost. aut qualemcunque Episcopum ordinandi habeat facultatem, sed soli Regi Romani Imperii hanc reverendam tribuit facultatem, quam absque omni pecunia disponet.*

Quod si a cuncto Clero, & universo populo eligatur Episcopus, nisi a dicto Rege laudetur, & investiatur, non consecretur.

Si quis contra ea, &c. Qui vero pio, &c.

Numeratur multitudo nationum, quæ interfuit his actis.

D. in Patriarchio Lateranensi Indict. VI. an. . . . Et dicti Domini Othonis I. feliciter. a. 963.

„ Leo VIII. recensetur inter Antipapas. Baronius ad „ an. 963. §. 30. & 31. Petrus de Marca Lib. I. c. 11. „ §. 7. de Conc. Imp. & Sac. Natalis Alexander dis„ sert. 16. in Hist. Eccl. Sæc. IX. & X. Dissentiunt „ *auctores præcipue coævi, maxime Germani, ut Otho*„ *ni Imperatori adularentur.* Launojus ep. 1. l. 4. ab „ iis auditoribus Baronio &c. dissensit. „

„ Fuit electus ab Othone Pontifex contra Joan. XII. „ Has constitutiones esse suppositrias, sicut & con„ stitutionem Hadriani probat Baronius ad annum 964. „ §. 26. sicut & Pagius ad eundem an. §. 7.

Hortatio ad pacem cum Imperatore Henrico.

III. Ex Baronio ad a. 1074. §. lxxvii.

GREGORIUS VII. Saxoniæ præsulibus, & Principibus.

Inc. *Inter ceteras, &c.*

DE pastorali cura nonnulla proloquutus Gregorius, ait, se maxime affligi e discordia, quæ inter principes, & præsules Saxoniæ ex una parte, & Imperatorem Henricum *eorum videlicet Dominum* ex alia fervebat. Nam homicidia, strages, exitia considerabat omnia Gregorius.

Iisdem significat, se ad Regem Henricum scribere, ut arma deponat; idem iisdem scribit, et ad eum, qua nihil dulcius est, adhortans.

Interim ad eas partes, ait, se mittere Nuncios, qui causam tanti dissidii audiant, pollicitique conc[illegible] stabilire. Interea temporis inducias illis Gregorius dicit.

Ei parti, quam læsam agnoscet, pollicetur Gre[illegible]

omni timore & respectu personalis gratiæ posthabito, favorem, & Apostolicæ auctoritatis præsidia se collaturum.

D. Romæ XIII. Cal. Janu. P. a. I. a D. 1073.

Laudatur Henricus, quod promiserit se obtemperaturum justis Pontificiis.

IV. Ad an. 1074. §. VI. GREGORIUS VII. Henrico Regi,

Inc. *Quanquam, &c.*

QUædam præmittit Pontifex de Ecclesia Mediolanensi, cujus causam male Henricus composuerat, & contra ac fuerat pollicitus; sed quia laudabiliter Pontificios legatos tractaverat, Gregorius eum laudat.

Eum etiam laudat, quod e suo regno omnem Simoniacam labem expellere, & *inveteratum morem fornicationis clericorum toto nisu corrigere vellet.*

Etiam Comitissa Beatrix, & ejus filia Mathildis scripserant ad Pontificem de amicitia Imperatoris, de qua re maxime gaudet Gregorius.

Eum hortatur, ut consilia Imperatricis Agnetis ejus matris fideliter sequatur; & ut in rebus agendis eos consiliarios adhibeat, qui non res Henrici, sed Henricum diligant.

Ait, se in Missarum solemniis semper vota pro illo Deo nuncupare.

Subjicit de causa Mediolanensi, & de quibusdam Episcopis Germaniæ Romam vocatis ad synodum.

D. P. a. II. a. D. 1074.

Agnetem Imperatricem laudat Pontifex.

V. lb. §. VII. GREGORIUS VII. Agneti Christianissimæ Imperatrici,

Inc. *Gaudemus, & exultamus, &c.*

GRegorius scripserat ad Agnetem matrem Henrici, ut curaret, ne Ecclesiastica jura violaret, & ad eam legationem miserat. Agnes filium petiit, & quæ jusserat Gregorius, est exequuta; sed parum apud Henricum profecit.

Gregorius ergo maximopere eam laudat, quod ita egerit; ait tamen, se non desperare, & eam consolatur, *Quoniam apud Deum perfecit omnia qui voluntatem gerens integram, quantum potuit operari non desitit.*

Eam etiam hortatur, ut in tam salutari opere, scilicet uniendi Henricum cum Ecclesia non desistat.

Multum ejus monita apud Henricum profuisse, & profutura esse, ait Gregorius.

Scribit, se gerere in corde Beatricem Comitissam, ejusque filiam Methildem; quia devotæ erga Ecclesiam sunt, & quia pulcherrimum exemplar, quod in Agnete omnium virtutum habent, imitari student.

Tanto carior erit Methildi Gregorius, quanto magis ab Agnete commendatur.

Illi fausta omnia precatur a Deo.

D. in expeditione ad S. Flavianum XVII. Cal. Jul. P. a II. a. D. 1074.

Respondetur Henrici litteris, & de victoria Saxonica.

VI. Ad ann. 1075. Parag. 2. GREGORIUS VII. Henrico Regi.

Inc. *Quando litteras, &c.*

SCripserat Rex Henricus Pontifici de discordia principum Germaniæ, de victoria a fede Saxonibus relata, & de sua obedientia, & reverentia erga Sanct. Sedem.

Respondet Gregorius, seque purgat, quod tardius rescribat, quia scilicet ægrotabat.

Ei significat, se valde cupere cum illo pacem habere; eumque monet, ut recordetur si pacem habere cum Deo vult, habere pacem cum Ecclesia, quæ est Dei sponsa; neminem posse glorificari, nisi Deum glorificet, & qui cum contemnunt futuros ignobiles.

De superbia vero Saxonum illi injuste resistentium, quæ divino judicio ab illius facie contrita est, & gaudendum est pro pace Ecclesiæ, & dolendum, quia multus Christianorum sanguis effusus est.

Eum monet, *ut in talibus plus honorem Dei, & justitiam ejus procuret defendere, quam honori proprio provudere; securius enim quilibet princeps mille impios potest causa justitiæ punire, quam propriæ causa gloriæ quemlibet christianum gladio sternere.*

Eum hortatur, ut promotionem in locum Herimanni Bambergensis Episcopi defuncti protegat.

D. P. a. III. a. D. 1075.

Henricus I. Imperator excommunicatur.

GREGORIUS VII.

VII. B.M.t.1. p. 27. B.R.t.2. p. 34. C. C.

Inc. *Beate Petre, &c.*

TEstem invocat Gregorius D. Petrum, S. Ecclesiam, & D. Paulum, se invitum ad Ecclesiæ regimen fuisse assumptum; sed, cum sit assumptus, nihil debere prætermittere, quod sit sui muneris.

Ergo *Henrico rege filio Henrici Imperatoris, qui contra Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Theutonicorum, & Italiæ gubernacula contradicit*, excommunicato,

Omnes *Christi fideles a vinculo juramenti, quod ei fecerunt, absolvit; & ut nullus ei, sicut regi serviat interdicit;*

Et ipsum Henricum, *quia ut christianus obedire contempsit, nec ad Dominum rediit, quem dereliquit*, monita Pontificis spreyit, tentavit Ecclesiam scindere, cum excommunicatis participavit, Gregorius *anathematis vinculo alligat.*

Actum anno ab Incarnatione Domini MLXXV. Indictione XIV.

Causa excommunicationis Henrici.

GREGORIUS VII. Omnibus Christi-fidelibus.

VIII. B.R. t.2. p. 35. C. C.

Inc. *Audistis fratres, &c.*

SIgnificat Pontifex omnibus, quare excommunicavit Henricum, & ejus sequaces; *ob superbiam* scilicet, *ob injuriam, & contumeliam S. Sedi illatam.*

Quapropter *si credunt B. Petro collatas claves regni cælestis*, debent & ipsi detestari Henricum, & ejus asseclas, & *reprimere eorum nefanda* consilia. a. 1075.

Querelæ Pontificis contra Imperatorem Henricum.

GREGORIUS VII. Henrico regi salutem & Apost. benedictionem, *si tamen Apostolicæ Sedi, ut Christianum decet regem, obedierit.*

IX. Ad an. 1076. §. 2.

Inc. *Considerantes, &c.*

EX officii sibi commissi debito munere, scribit Henrico Gregorius, se ad illum scribere. Ac

I. Queritur, eum excommunicatum cum excommunicatis judicio S. Sedis, ac synodali censura communicare. Quare non potest esse particeps Pontificiæ benedictionis, nisi expellat excommunicatos, & eos ad pœnitentiam impellat, & ipse *celeri confessione, si se culpabilem in hac re agnovit, ad consilium alicujus Episcopi veniat, qui cum licentia Pontificis congruam illi pro hac culpa injungens pœnitentiam, illum absolvet.*

II. Queritur, minus sincere agere Henricum. Litteras enim plenas obsequii, reverentiæ, filialis amoris significationum plenissimas ad Pontificem mittit, *re tamen, & factis se asperrimum præbet, & Apostolicis decretis in his, quæ Christiana Religio maxime poscit, contrarium ostendit.* Ut multa alia exempla prætereat Gregorius, Henricus *contra statuta Apostolicæ Sedis tradidit Firmanam, & Spoletanam Ecclesiam quibusdam personis ipsi Pontifici ignotis, quibus non licet nisi probatis, & antea bene cognitis regulariter manum imponere.*

III. Queritur, honorem debitum non præstitisse Henricum Pontifici; hic quænam auctoritas spiritalis data sit a Christo Petro, exponit.

Eum monet ut constans sit in verbis, & legationibus, & in factis, ne dicat se Ecclesiam venerari, Pontificem colere, & contra Ecclesiam agat, & contra Pontificem.

IV. Quid

IV. Quid in synodo apud Sedem Apost. coacta actum sit, significat Henrico; nempe multa statuit pro reformatione morum jam corruptorum, multa pro Ecclesiastica disciplina labefactata reparanda; eum hortatur, ut quoniam potentia, & dignitate adeo excellit, excellat etiam cura restituendi mores populorum, ut vult synodus, & ne consuetudinibus pravis abripi se sinat.

V. Multa monita salutaria illi dat, ne abutatur Dei patientia, a quo invitatur, ut super se imperium Christi agnoscat, cogitet, quam sit periculosum Christi sponsam offendere, cum offendatur ipse sponsus; &c.

Ait, se nihil respondere illi *super his quæ in ejus epistolis visa, ac cognita* reticet, donec ejus legati ad Pontificem reversi fuerint.

D. Romæ VI. Id. Janu. P. a. 4. a. D. 1076.

„ Contra vero Henricus valde querebatur de Gregorio, quasi vellet usurpare regnum, quo studebat „ eum exuere minitans animam, & regnum tollere; „ male habere ejus oratores, eos incarcerasse, jussis„ se, ut vineti ducerentur per urbem; ita graviter se „ esse læsum, ut cogatur Vormatiam concilium indicere ad ostendenda gravamina, quæ hactenus passus „ a Gregorio fuerat, ita scribit ad Annonem Coloniensem Archiepiscopum, quem rogat, ut suos suffraganeos ad idem concilium ire compellat.

„ Cæterum multi Episcopi Vormatiam convenerunt, „ in Longobardia etiam multi pro Henrico stabant præ„ ter laicos etiam Episcopi, & horum schismaticorum „ caput erat Cardinalis Benno.

Significat Germaniæ principibus Gregorius, se venturum in Germaniam ad dirimendam litem de Imperio inter Henricum & Rodulphum.

X. B.R. t.2. p. 38. C. C. GREGORIUS VII. Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, Clericis, & Laicis in Regno Theutonicorum.

Inc. *Notum fieri, &c.*

ROdulphus, audito fuisse excommunicatum Henricum, subditosque a juramento absolutos, imperium armata manu invaserat, jamque multi illi adhærebant; & opprimebatur Germania magno bello.

Pontifex mandarat Bernardo S. R. E. Diacono, & Bernardo Abbati Massilienfis Monasterii, ut aut per se, aut per Nuntios ab utroque Rege, Henrico, & Rodulpho impetrarent sibi litteras, per quas tuto venire posset in Germaniam ad rem totam discutiendam.

Hoc notum facit Prælatis, & Principibus Regni Theutonici, eos monens, ut eum, qui huic itineri restiterit, tanquam minus S. Sedi parentem fugiant; alterum vero submittentem se judicio Vicarii Christi Imperatorem agnoscant.

In Idololatriam enim incidit, qui præsumit S. Sedis decreta violare. Si enim cælestia, & spiritualia Sedes B. Petri solvit, & judicat, quanto magis terrena, & sæcularia?

Ostendit demum se esse paratum pro pace vitam fundere, sicut decet verum pastorem.

Datum Carpineæ II. Cal. Junii Indictione XIV. a. 1076.

„ Dupinus de antiqua Ecclesiæ disciplina dis. 7. „ c. 3. §. 3. dicit, *incertum esse, quomodo, & a quo* „ *septem Electores instituti fuerint. Sunt enim scripto*„ *res, qui hanc Electorum institutionem tribuant Ca*„ *rolo magno, ut Jordanes in Chronico; quæ sententia* „ *videtur auctoritate Innocentii III.* c. venerabilem de „ electione, & electi potestate. *Alii ejusdem institutio*„ *nis Germaniæ principes auctores faciunt; alii eam* „ *Gregorio V. tribuunt, ut Blondus, Nauclerus, Plati*„ *na* (Bellarminus de Rom. Pontif. lib. 5. cap. 8. „ & de Translatione Imperii lib. 3. cap. 1.) *& alii* „ *Gregorio X. ut Aventinus* lib. 5. Annalium Bajorum, „ *& Onuphrius in* lib. de Comitiis Imper. *ubi ex pro*„ *fesso probat, hos septem Electores non ante fata Fe*„ *derici institutos fuisse. Denique nonnulli eam partim* „ *Gregorio V. partim Ottoni III.* (an. circiter 996.) „ *partim Principibus Germaniæ tribuunt, quia cum* „ *hos omnis hæc institutio diversimode tangat, ab om*„ *nibus approbari debuit.* Atque horum sententiam præ „ ceteris Dupinus probat. „

„ Natalis Alexander disert. 17. in Hist. Eccl. Sæc. IX. „ & X. *sub imperio Federici II. Germaniæ Principis* „ *jus eligendi Imperatorem Septemviris detulere, qui* *Const. Pontificiarum* Tom. II. *deinceps soli Electores ab Historicis numerantur.* Alexandrum sequitur Pagius ad an. 996. §. 13.

„ Baronius ad an. 996. §. 55. ait, jus eligendi Imperatorem *per Gregorium V. translatum ad Germa*„ *niæ principes, haud tamen adeo liquere, per ipsum* „ *fuisse Electores ipsos numero senario, vel septenario* „ *definitos: sed etsi factum fuerit, constare tamen,* „ *nequaquam id fuisse usu receptum.* Itaque §. 64. ad„ jicit, numerum septem Electorum ab Innocentio IV. „ decretum in Concilio Lugdunensi Oecumenico XIII. „ an. 1245. *Neque sua huic opinioni deest probabilitas,* „ ut observant Monachi Congregationis S. Mauri in „ additionibus ad Glossarium Ducangii verbo *Electores*: „ *Præterquam enim quod circa hæc tempora in electio*„ *ne Imperatorum prævalere cœpit Electorum auctoritas,* „ *certum est, ab Innocentio IV. Fridericum II. Im*„ *periali dignitate in hac synodo privatum fuisse, præ*„ *ceptumque a Romano Pontifice Ecclesiasticis Electori*„ *bus, ut Henricum Thuringiæ in ejus locum' suffice*„ *rent.*

„ Postea sententiam suam explicantes subjiciunt hæc: „ *Certum videtur per Ottonem III. rationem succeden*„ *di in Imperio innovatam fuisse, suffragiisque, habita* „ *interdum natalium ratione, electos deinceps Imperato*„ *res, qui prius solo jure hereditario, nataliumque pri*„ *vilegio potiebantur. Hæc aperte significant omnia Hi*„ *storiæ Germanicæ, quæ supersunt, monumenta.* „ *Nec alia fuit, ut opinor, errandi causa scriptori*„ *bus, qui Electorum originem ad hæc tempora retule*„ *runt. Cum autem in eligendo Imperatore potiorem* „ *partem haberent septem Imperii officiales, iique po*„ *tentiores essent Germaniæ principes, sensim pedeten*„ *timque ad hanc devenere auctoritatem, ut sibi pote*„ *statem, ceteris Principibus exclusis, eligendi Impera*„ *torem tribuere tentarent.* Et paucis interjectis: *exi*„ *stimamus nullo, quod indubitatum sit, monumento* „ *probari posse ante Bullam auream* (anno 1356. edi„ tam a Carolo IV.) *septem Electores pleno, sibique* „ *proprio jure, quo scilicet ab electione alii Principes* „ *excluderentur, Imperatorem elegisse.*

„ Septem ab initio fuere Electores, tres Ecclesiastici „ Archiepiscopus Moguntinus Archicancellarius Ger„ maniæ, Trevirensis Galliæ, Colonienfis Italiæ, & „ Laici quatuor, Comes Palatinus Archidapifer, Dux „ Saxonicus Archimarescallus, Marchio Brandeburgicus „ Archicamerarius, Bohemiæ Rex Archipincerna. „ Hinc vulgari versus,

„ Moguntinus, Trevirensis, Colonienfis,
„ Quilibet Imperii fit Cancellarius horum;
„ Est Palatinus Dapifer, Dux portior ensis,
„ Marchio Præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus;
„ Hi statuunt Dominum cunctis per sæcula summum.

„ In locum Comitis Palatini perduellis ann. 1623. „ suffectus a Ferdinando II. fuit Dux Bavariæ Maximilianus; & anno 1648. pacis causa octavus elector „ idem Palatinus, qui nunc est Archithesaurarius, insti„ tutus sub ea conditione, ut Maximiliani stirpe vi„ rili deficiente Palatinus restitueretur in locum pri„ stinum, numerusque Electorum ad septem rediret. „ Demum anno 1692. nonus Elector creatus fuit Dux „ Hannoverensis Archivexillifer „ Sandinus in vita Gregorii V. N. 2.

Expositio quam patienter Gregorius sustinuerit Henricum, & adhortatio, ut benigne recipiantur aufugientes ab Henrico.

XI. lb. p. 38. C. C. GREGORIUS VII. Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Principibus per Regnum Theutonicorum habitantibus.

Inc. *Gratias agimus, &c.*

IN tanta tempestate gratias Deo agit, quod non reliquerit Ecclesiam suam, sed benignus ad eam respexerit; multi enim potius amittere voluerunt Henrici gratiam, quam Dei.

Paucis exponit, quam patienter se gesserit Gregorius, antequam eum Regem excommunicaret.

Adhortatur omnes, ut satagant ad rectum tramitem Henricum reducere,

Episcopos monet, ut recipiant paterne qui a rege discedunt, & in Ecclesiæ gremium confugiunt; contra vero ut fugiant eos, qui pro rege stant.

Iterum desiderium suum pro fidelium pace vitam exponendi significat Gregorius.

Datum Laureti VIII. Calendas Augusti Indictione XIV. a. 1076.

Hortatio ad Germaniæ Principes, ut reducant ad pœnitentiam Henrictum, aut, eo nolente reduci, alium eligant in Imperatorem.

XII. B.M. t.1. p. 27.1 B.R. t.1. p.39.C.C. GREGORIUS VII. Episcopis, Ducibus, Comitibus, &c.

Inc. *Si litteras, &c.*

I. QUamvis *tam juste, tam legitime unam Dei causam respiciens Gregorius in Sancta Synodo Spiritus Sancti judicio excommunicarit* Henricum, tamen hortatur omnes Episcopos, & Duces Germaniæ, ut eum ad obedientiam Ecclesiæ reducere curent; eos vult reminisci humanæ fragilitatis, eos meminisse Patris, & Matris Henrici, *quibus non possunt nostra ætate ad imperii gubernacula inveniri pares.*

II. Interim *ex parte B. Petri* illis omnibus, & singulis Gregorius interdicit eum absolvere; id enim spectare, ait, ad S. Sedem, a qua fuit damnatus.

III. Quod si converti ad Deum noluerit, aliusque in regem eligatur, *qui ea*, quæ *videntur Christianæ Religioni, & totius imperii saluti necessaria, certa, & indubitabili promissione, se observaturum promittat.*

IV. Electum probum, studentemque Ecclesiæ paci Gregorius confirmabit.

V. Si ejus Mater Imperatrix Agnes consenserit alium eligi, laudabile erit, ait Gregorius, *ab ea & a S. Sede requiri de inventa persona consilium.*

VI. Excommunicatos, si resipuerint, absolvi mandat.

Datum Laureti III. Non. Septemb. Indict. incipiente XV. a. 1076.

Absolutio Imp. Henrici.

XIII. Ib. p.27. Ib. p.40. C. C. GREGORIUS VII. Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, &c.

Inc. *Quoniam pro amore, &c.*

TAndem *Henricum humiliatum ad pœnitentiam* absolutionis veniam impetrasse, Gregorius docet Episcopos Germaniæ, & Principes.

Ivit *Pontifex in Longobardiam circiter viginti dies ante terminum, ut transiret in Germaniam cum* Legatis, *qui debebant eum comitari.* Sed ob multas difficultates itineris statuto tempore nequiverant ii venire. Interim Henricus misit legatos, qui Pontificem placarent, nuntiarentque, se adventare, se satisfacturum Deo, & S. Petro. Pontifex *per nuntios graviter eum reprehendit; tandem per semetipsum nihil hostile, aut temerarium ostentans ad oppidum Canusii, in quo erat Pontifex, cum paucis advenit: ibi per triduum ante portam Castri, deposito omni regio cultu, miserabiliter, utpote discalciatus, & lancis persistens non prius cum multo fletu implorare misericordiam destitit . . . quam omnes quidem insolitam Pontificis mentis duritiam mirarentur; nonnulli vero in Pontifice non Apostolicæ gravitatem severitatis, sed quasi tyrannicæ feritatis crudelitatem esse clamarent.*

Eum itaque Gregorius, *relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam, & sinum matris Ecclesiæ recepit;* accepta Abbatis Cluniacensis, Mathildis, Comitissæ Adelajæ, aliorum principum, & Episcoporum confirmatione.

Episcopos hortatur, ut in fide, & in amore justitiæ perseverent.

Henrici juramentum.

XIV. Ib. p.28. Ib. p 41. C. C. *Ego Henricus, &c.*

HOc est juramentum regis editum pro impetranda absolutione, scilicet, se compositurum res cum Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus Germaniæ.

Si Gregorius in Germaniam venire voluerit, se præstiturum ei auxilium, & securitatem.

Actum Canusiæ V. Cal. Februarii Indictione XV. a. 1076.

De tentanda pace inter Henricum, & Rodulphum.

XV. Ib.p.47. C. C. GREGORIUS VII. Episcopis, Ducibus, Germaniæ, &c.

Inc. *Notum vobis, &c.*

ÆGre ferens Gregorius dilacerari Germaniam bellis inter Rodulphum, & Henricum, statuit in Synodo Romæ habita mittere eo religiosos viros, qui res componerent.

Quia tamen multi paci aversantes bellum potius fovebant, hos, si impedierint conventum habendum a Pontificiis Legatis pro pace, se anathemate feriturum, significat Pontifex.

Ait se mittere portitorem harum litterarum ad Trevirensem Archiepiscopum, qui Henrico favet, ut colloquatur cum alio fautore Rodulphi, & tempus, & locum habendi conventus pro pace simul constituant, denique legatis Pontificiis iter tutum.

Dat. Romæ VII. Id. Martii Indictione prima. a. 1078.

Mandat Gregorius ut sibi salvus conductus detur, ut tutus in Germaniam pervenire possit.

XVI. ex Baronio ad an. 1077 §. I. GREGORIUS VII. Bernardo S. R. E. Diacono, & Bernardo Massilienſi Abbati.

Inc. *Fraternitati vestræ, &c.*

JAm destinarat Gregorius in Germaniam iter arripere compositurus pacem inter Henricum, & Rodulphum, *cum impeditus adventu Regis in Italiam in Longobardia inter inimicos Christianæ Religionis non sine magno periculo remanserat, & adhuc ultra montes proficisci nequiverat.*

Quare mandat præfatis præsulibus, ut adeant utrumque Regem, eosque commoneant, ut illuc secure transeundi aditum Pontifici aperiant, & adjutorium, atque ducatum præbeant. Desiderat enim cum consilio Clericorum, atque Laicorum ejusdem regni turbas componere, *& cujus parti magis justitia ad regni gubernacula favet, demonstrare.* Nam causas magni momenti solet Apostolica Sedes discutere; hæc autem est maxima,

Quod si alteruter parere noluerit, auctoritate B. Petri ei usque ad mortem resistant, & eum, ejusque fautores a participatione Corporis, & Sanguinis Christi, & a liminibus S. Ecclesiæ separent, *quia scelus idololatriæ incurrit, qui Apostolicæ Sedi obedire contemnit.*

Alteri autem obedienti, convocato Concilio Clericorum, & laicorum, consilium, & adjutorium in omnibus præbeant, & in regia dignitate BB. AA. Petri, & Pauli auctoritate eum confirment, omnibusque Episcopis, Abbatibus, Clericis, & Laicis in omni Regno habitantibus, ut illi fideliter obediant, ex parte Dei omnipotentis præcipiant.

D. Carpinetæ Prid. Cal. Junii P. a. V. a. D. 1077.

„ Adhærentes Henrico ceperunt Legatos Pontificios „ & in Longobardia & in Germania, & carceri eos „ manciparunt.

Narratur quomodo Henricus Legatos Pontificios ceperit, & juramento non steterit.

XVII. Ib. LIII. GREGORIUS VII. Udoni Archiepiscopo Trevirensi, ejusque Coepiscopis suffraganeis.

Inc. *De motu, &c.*

INvocat Deum in testem Gregorius quantum curæ adhibuerit, ut turbas Germaniæ tolleret; orasse Deum diu noctuque, ut pacem induceret, & corda molliret, non destitit, misit litteras, & legatos ad Principes.

Sed cum intellexisset captum fuisse Bernardum Massilienſem, dubitat Pontifex, an litteræ ad Archiepiscopum pervenerint, & ad Episcopos.

Miserat etiam Sacramentum, quod Rex Henricus fecerat, ut eo lecto viderent Archiepiscopus, & Episcopi, quomodo se gesserit Rex, qui Legatos comprehendi fecit & in Longobardia, & in Theutonia.

Quamquam Gregorius nihil movetur hac nova injuria, & nonnisi quod æquum erit, decernet.

Eos igitur monet Gregorius ut conjunctis animis causam

sam terræ Theutonicæ, imo totius Christianitatis suscipiant, ne latius malum serpat, & scelestis conatibus se opponant.

D. Romæ Prid. Cal. Oct. P. a. V. a. D. 1077.

„ *Mathilda Comitissa Henrici Imperatoris exercitum* „ *timens Liguriam, & Thusciam provinciis Gregorio* „ *Papæ, & S. R. E. devotissime obtulit. Unde in* „ *primis causa seminandi inter Pontificem, & Imperatorem odii initium fuit.* (Leo Ostiensis Lib. 3. c. 48.)

Citatur Romam Guilbertus Archiepiscopus Ravennas princeps adhærentium Henrico.

XVIII. Ib ad an. 1078. pa. rag. II. GREGORIUS VII. Guilberto Ravennati Episcopo, omnibusque suffraganeis ejus, & universis Episcopis, & Abbatibus in Marchia Firmana, & Camerina, & in Pentapoli, & Æmiliæ, & Longobardiæ partibus constitutis.

Inc. *Salutem vobis, &c.*

SCribit Gregorius, se daturum fuisse illis Apostolicam benedictionem, si eam promererentur; sed cum adeo afflixerint matrem suam Ecclesiam, indigni sunt illa prorsus.

Sed quoniam humanum est peccare, Ecclesia tanquam clementissima mater eos expectat pœnitentes, & in se reversos.

Eos igitur ex officio pastorali ad Synodum, quam habituros erat in proximæ venturæ quadragesimæprima hebdomada invitat, eos certos faciens, se non odio, non jactantia, non malevolentia in eos injustum quid esse commissurum;

Testatur, se eorum saluti tantum consulere velle.

D. Romæ V. Cal. Febr. P. a. VI. a. D. 1078.

„ Fautores Henrici cum Romam ad Synodum non „ venissent, fuerunt in prædicta Synodo excommunicati.

Damnati in ea Synodo fuerunt Thedaldus Archiepiscopus Mediolanensis, Guilbertus Ravennas Archiepiscopus, Arnulphus Episcopus Cremonensis de Simonia convictus, Rolandus Episc. Tarcisinus Schismaticus, Hugo Cardinalis Benno tit. S. Clementis tertio ab Apostolica Sede damnatus Socius hæresis Cadaloi Episcopi Parmensis, Gaufredus Archiepiscopus Narbonensis; Northmanni invasores terræ S. Petri. Citantur Romam Rainerius Ugizzo, & Abbas Farfensis.

Excommunicantur omnes fautores Schismaticorum, Consiliarii, &c. *non qui humanitatis causa aliquid pro substentatione iis dare voluerint.*

Actum Romæ in Ecclesia Domini Salvatoris V. Non. Mart. Indict. I. a. 1078.

Deponitur Archiepiscopus Ravennas, jubeturque Clerus, & Populus ei non parere.

XIX. B.R. t.1. p. 50. C. C. CLEMENS VIII. Omnibus Ravennatibus.

Inc. *Quam fideliter, &c.*

QUia Guilbertus Archiepiscopus Ravennas *tyrannica depræda tione devastavit* ejus Ecclesiæ bona, *& irreligiosæ vitæ exemplo corrupit mores*, aliisque notoriis flagitiis est depravatus, & in sua inobedientia perseverat, adhæretque Regi Henrico jam excommunicato, & Episcoporum Schismaticorum contra Romanam Ecclesiam debacchantium antesignanus est, eum *sine spe recuperationis Spiritus Sancti judicio Apostolicæ Sedis auctoritate* in Sancta Romana Synodo ab Archiepiscopatu deponit.

Hujus depositionis certiores facit Gregorius Ravennates, quibus præcipit, ut in posterum nullam ei reverentiam, & obedientiam, præstent.

Excommunicationem minatur iis, qui cum illo posthac communicaverint.

D. Romæ VIII. Cal. Dec. P. a. VI. a. D. 1078.

„ Jam alium elegerat Gregorius in Archiepiscopum, „ scripsitque Ravennatibus, ut illi parere deberent, & „ eum in Pastorem agnoscerent.

Paventes bello excommunicati declarantur.

XX. B.R. t.1. p. 48. C. C. GREGORIUS VII. Episcopis, Ducibus Germaniæ, &c.

Inc. *Quæ & quanta, &c.*

EXponit Pontifex Germaniæ Episcopis, & principibus, quæ quantaque molitus sit, ut pacem stabiliret inter eos.

Sed cum audisset Pontifex, quosdam, quos discordia juvabat, *anhelare implere suas cupiditates desolatione Regni, eos monet, ut talibus nullum adjutorium præbeant, neque cum illis communicent. Per potestatem B. Petri in prædicta Synodo jam omnes excommunicationis, & anathematis vinculo fuerunt innodati.*

Dat. Capuæ Cal. Junii Indictione prima. a. 1078.

Purgat se Gregorius, quod favere diceretur Henrico.

XXI. Ib. ad an. 1079. pa. ragraf. XXVII. GREGORIUS VII. Omnibus fidelibus S. Petri in Theutonico Regno commorantibus.

Inc. *Pervenit ad nos, &c.*

RES prospere in Germania succedebant Henrico, Pontificisque legati nescio quod in ejusdem gratiam egerunt, rumorque disseminatus fuerat, Gregorium Henrico favere. His litteris se purgat ab hac calumnia Pontifex.

Neminem majoribus in angustiis se esse, ait; omnes Latinos laudare Henricum, & se incusari duritiei, & immunitatis; se hactenus ita restitisse, & esse restitutum, ut nulla gratia, nullus favor, in neutram partem sit flexurus;

Si legati aliquid pro rege Henrico fecerunt, transgressos fuisse data mandata.

Ceterum sciant, *quoniam Deo gubernante nemo hominum sive amore, sive livore, aut per aliquam cupiditatem potuit illum unquam, aut poterit amodo seducere a recta semita justitiæ.*

Testatur, se cum sciet a reversis nuntiis in quo Henrico gratificati fuerint, illis scripturum esse.

D. Romæ Cal. Oct. P. a. VII. a. D. 1079.

Iterum excommunicatur Henricus.

XXII. B.M. t.1. p. 28. B.R. t.1 p. 51. C. C. GREGORIUS VII.

Inc. *Beate Petre, &c.*

ABusus Henricus indulgentia Pontificis, quem licet tentaverat in conciliabulo Vvormatiæ habito deponere a Pontificatu, clementem expertus fuerat, recidit iterum in antiqua crimina. Iterum ergo eum excommunicat Gregorius, de consilio Synodi Romæ celebratæ, eoque nunc justius, quod pacta, in quæ absolutus fuerat, non servavit.

Recenset summatim acta ab Henrico post habitam absolutionem. Germaniæ proceres vix ac Henricus fuit excommunicatus, ducem Rodulphum in Regem elegerant; qui statim ad Pontificem misit nuntios pro confirmatione, quam ut obtineret, obtulit filium suum obsidem, quoadusque adimpleisset, quæ Papa justisset.

Henricus etiam nuntios ad Gregorium misit, eum exorans, ut sui misereisceret; quibus respondit Pontifex, se facturum, quod justum crediderit, causa utriusque Regis in Synodo audita.

In eadem autem Synodo Pontifex censuit, æquum esse, colloquium haberi in Germania, Legatos Apostolicos eo mittendos esse, excommunicatis, qui illud impedirent.

Jam Henricus, qui pollicitus fuerat, se facturum omnia, quæ Gregorius vellet, ex se ipso in excommunicationem incidit, cum colloquium impedivit.

Ergo iterum eum Gregorius *ex parte Dei omnipotentis, & BB. Apostolorum Petri, & Pauli anathematizat privatque Regno Theutonico, & Italiæ.*

Et Rodulphi electi jam electionem confirmat, & subditos absolutos ab obedientia Henrico præstanda, parere jubet Rodulpho.

Acta Romæ, Nonas Martii, Indictione tertia. a. 1080.

„ In eadem Synodo Gregorius excommunicavit *Si-* „ *gefridum Moguntinum Archiepiscopum, qui conatus est*

„ *Epi-*

„ *Episcopos, atque Abbates Regni Theutonicorum a S.*
„ *R. Ecclesia, videlicet spirituali matre sua scindere,*
„ excommunicavit Episcopos Lombardiæ, *quia spreta*
„ *Canonica, & Apostolica auctoritate contra B. Petrum*
„ *Apostolorum Principem conspiraverunt.*

„ Hi quinque tantum Episcopi in Germania stabant
„ pro Gregorio; Geberardus Archiepiscopus Saltzbur-
„ gensis, Altmonnus Pataviensis, Adalbero Virzbur-
„ gensis, Hermannus Metensis, Meginvardus Frisin-
„ gensis.

Tum scripsit ad Gregorium litteras.

Henricus non usurpative, sed pia ordinatione Rex Hildebrando non jam Apostolico, sed falso Monacho.

Cur illi hunc titulum dederit Henricus, reddit rationem, quia *nullum in* Ecclesia ordinem prætermittit *quem confusioni, non honoris, maledictionis, non benedictionis participem non effecerit*, eum arguit, quod conculcarit omnes prælatos Ecclesiæ; in qua conculcatione sibi favorem vulgi volebat captare; voluit auram captare, se solum scire.

Eum arguit, quod humilitate Imperatoris abusus sit, eamque timorem credideris; ideo non timuisse eum, ait, in regiam potestatem a Deo sibi concessam exsurgere, minari, quasi regnum ab illo acceperit, non a Deo.

Hoc discrimen, scribit, esse inter se, & Gregorium, quod ipse ad regnum vocatus est a Deo; Gregorius autem *his gradibus ascendit, scilicet astutia, & fraudo, quodque Monachica professio abominatur, pecunia favorem, favore ferrum, ferro sedem pacis adivit, & de sede pacis pacem turbavit; dum subditos in prælatos armavit, dum Episcopos a Deo vocatos non vocatus ipse spernendos docuit.*

Se quoque, ait (*licet indignus ne inter Christianos esse*) *ad regnum vocatum ipso Gregorio teste, quem Sanctorum Patrum traditio soli se judicandum docuit.*

Quid clamat verus Papa B. Petrus? Deum timete, Regem honorificate, *at Gregorius qui Deum non timet, Henricum Dei constitutum inhonorat.*

Quoniam anathemate, & omnium Episcoporum judicio damnatus est, descendat, vindicatam Sedem Apostolicam relinquat, alius in solium B. Petri ascendat, qui nulla violentia religionem palliet, sed B. Petri sanam doctrinam doceat.

Ego Henricus Rex Dei gratia cum omnibus Episcopis nostris tibi dicimus descende, descende.

Scripsit etiam ad Populum Romanum Epistolam; *Exurgite in eum fidelissimi, & primus in fide sit primus in ejus damnatione. Non autem ut sanguinem ejus effundatis dicimus; quippe cum major sit tibi post damnationem pœna vita quam mors; sed ut eum, si nolit descendere, cogatis, & alium communi omnium Episcoporum, & vestro consilio a vobis electum in Apostolicam Sedem recipiatis, qui quod ille in Ecclesia vulneravit, curare velit, & possit.*

„ Iratus Henricus apud Brixiam in Conventu Schis-
„ maticorum elegit in Pontificem Guilbertum Raven-
„ natensem Archiepiscopum, assumpto nomine Clemen-
„ tis III., quem Henricus, Roma capta, *intronizavit*.

Rursus scripsit Henricus Gregorio, se pro reverentia illi præstita eam ab illo *recepisse vicissitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ, regnique ipsius perniciosissimus hostis esset.* Queritur, *omnem hæreditariam, dignitatem, quæ sibi a Sede A. debebatur superbo ausu fuisse raptam, eum tentasse regnum Italiæ ab ipso alienare; conculcasse Episcopos &c.*

De Henrico Rege ad Episcopos per Apuliam, & Calabriam constitutos.

XXIII. Yb ad an. 1080. §. XLI. GREGORIUS VII. Episcopis &c.

Inc. *Fraternitatem &c.*

SIgnificat præfatis Episcopis Gregorius, plures Episcopos *diabolica inflammatos superbia Romanam Ecclesiam conatos fuisse confundere*, sed eos confusos remansisse per auctoritatem S. Petri excommunicatos.

Sciunt, quid tempore Alexandri per Carolum contra Ecclesiam Henricus Rex tentarit, & in quam confusionis foveam ceciderit;

Sciunt, plurimam partem Episcoporum Longobardiæ, ipso Henrico principante, contra Ecclesiam conjurasse, sed ipsum exaltatum super illos fuisse,

Sciunt, eos & Henricum Guilbertum Ravennatem tanquam Antichristum sibi constituisse, in illo conventu Satanæ (*Brixiæ*); sed electum electoresque parvipendet Gregorius.

Eos alloquitur Gregorius Episcopos, ut hæc mala Ecclesiæ videntes firmi in fide permaneant, ne adhæreant Schismaticis.

Mittit ad eos Legatos, qui cætera illis narrabunt.

D. Cicuni (*est oppidum Campaniæ*) XII. Cal. Aug. P. a. VIII. a. D. 1080.

De expeditione adversus Schismaticum Papam Clementem III.

XXIV. lb. §. XLIX. GREGORIUS VII. Episcopis religionem Christianam defendentibus, & Laicis.

Inc. *Notum sit &c.*

SIgnificat Gregorius, se colloçutum fuisse cum Duce Roberto, & principe Jordano & principibus Normannorum de auxilio præstando Romanæ Ecclesiæ, & de expellendo Antipapa Ravenna.

Qui quidem principes promiserant, se annixuros, ut Ravenna eripiatur e manibus Guilberti.

Quare hortatur omnes fideles tam Ecclesiasticos, quam laicos, ne minas fautorum Henrici expaveſcant, ne Henrici copias reformident; Ecclesiæ pacem cito futuram esse stabiliendam iis pollicetur Gregorius.

D. Romæ P. a. VIII. a. D. 1080.

„ Ita Gregorius secundum hominem, non ex pro-
„ phetico spiritu, ut declararunt eventa; nam non tam
„ cito sunt facta II. Baronius ib.

Quibus auxiliis fidendum sit de superando Henrico.

XXV. lb. §. LIII. GREGORIUS VII. Clericis, & Laicis in Theutonico regno &c.

Inc. *Quoniam nihil &c.*

QUia fluctus, quibus hactenus Ecclesia agitata fuit, adhuc non cessarant, ait Gregorius id evenire propter peccata nostra. Sperat tamen fore ut cito ii sedandi sint.

Ut sedentur, tollenda est de medio causa, nempe superandus Henricus; qui ut superetur, fidendum Deo est, a quo victoriæ procedunt.

Jam cito pœnas dabunt, qui Romanam Ecclesiam perturbarunt.

D. Romæ X. Cal. Oct. P. a. VIII. a. D. 1080.

„ Idibus Octobris apud Eilstram fluvium pugnatum
„ est: prælio in illo cecidit Imperator Rodulphus, cui
„ dexteram, qua juramentum fidelitatis sibi dederat
„ amputari Henricus fecit.

De Duce Vvelphone excitando ad fidelitatem erga S. Sede.

XXVI. Ex Baronii ad an. 1081. §. VII. GREGORIUS VIII. Episcopo Patavienſi & Abbati Hirſaugienſi.

Inc. *Prudentiæ vestræ &c.*

SIgnificat Gregorius prædictis prælatis, audita nece Regis Rodulphi æmuli Henrici, a pene omnibus fidelibus crebras sibi adhortationes fieri, ut in gratiam recipiat Imperatorem Henricum, cui fere omnes Itali favebant; terrorem etiam adjici, si Henricus infecta pace cum copiis in Italiam descendat, oppressurum esse Ecclesiam.

Quo quidem nihil se moveri, ait Gregorius.

Habet quidem Comitissa Methildis copias, sed exiguæ cum sint, sunt augendæ a principibus Germaniæ.

Monet Episcopum, ut, si in Longobardiam Henricus descenderit, efficiat, ut Dux Vvelpho *fidelitatem B. Petro* faciat, sicut cum Pontifice coram Imperatrice Agnete, & Episcopo Cumano dispoſuerat. Immo Episcopus alios Germaniæ principes ad fidelitatem erga S. Petrum moveat.

„ Vvelpho erat filius Azonis Marchionis Ferrarien-
„ sis, primum adhæsit Henrico contra Saxones, tum
„ stetit contra Henricum pro Rodulpho.

Episcopus moneat etiam Germaniæ principes, ne eligant

gant in Regem quempiam, *cujus mores, & cætera, quæ Regi oportet inesse, a suscipienda Christianæ Religionis defensione, & cura discordent.*

Quod si eligendus non habeat eas dotes, e quibus præsidium Ecclesia sperare non possit, differatur.

Mittit ad Episcopum juramenti formulam, quod præstabit electus in Regem.

Permittit tamen Gregorius Episcopo addere huic juramento, vel detrahere, ut ipsi videbitur.

Significat Episcopo in novissima synodo se excommunicatos rursus excommunicasse.

D. Romæ. P. a. IX. a. D. 1081.

De Rege Henrico.

XXVII. lb. §. XVI GREGORIUS VII. Desiderio Cardinali S. Petri, & Abbati Cassinensi.

Inc. *Fraternitatem tuam &c.*

NArrat Gregorius prædicto Abbati, Henricum morari circum Ravennam, & iter meditari Romam versus, collecta ex Longobardis, & Ultramontanis manu, quam tamen exiguam esse ait; & nihil illi sperandum est ab iis populis per quorum fines transibit.

Si Gregorius voluisset obsequi Henrico, nullus e Pontificibus tot beneficia accepisset, quot potuisset accipere ipse: sed quia non habet præ oculis nisi solam Dei gloriam, ideo habetur odio.

Significat etiam Desiderio, se fuisse admonitum a Comitissa Mathilde, Henricum habere placitum cum Duce Roberto, ut filius Henrici accipiat in uxorem filiam Roberti Ducis, & Rex Duci Marchiam tribuat. Si Dux a Pontifice adjutorium, quod ex juramento illi debet dare, subducat, jam Rex, & Dux convenere inter se.

Rogat igitur Gregorius Desiderium, ut *diligenti examinatione cognoscat quid super hac re acturus sit.*

Eum vocat ad se; eumque certiorem facit, Romanos paratos esse omnia pro Deo facere.

D. Romæ P. a. IX. a. D. 1081.

Excitantur fideles ad constantiam.

XXVIII. lb. §. XIX. GREGORIUS VII. Omnibus Episcopis, Abbatibus &c.

Inc. *Scimus fratres &c.*

QUasi prævideret Gregorius mala, quæ allusurus erat Henricus omnibus fautoribus Ecclesiæ, fideles excitat ad patientiam, & ad constantiam;

Se, ait Pontifex, nihil egisse aliud nisi ut deviantes ad tramitem bonum reduceret; ipsos autem id accepisse in malam partem, ac proinde ita excanduisse.

Sciant, in suum præsidium eos habituros Christum ipsum, cujus sponsam illi tam fœde violant.

D. Romæ P. a. IX. a. D. 1081.

De Rege Rodulpho, & rege Henrico.

GREGORIUS VII. Clericis, & Laicis, qui non tenentur excommunicatione.

XXIX. lb. ad an. 1082. §. IV Inc. *Notum facimus &c.*

SIgnificat Gregorius omnibus fidelibus, se velle in loco tuto celebrare synodum, in qua vult detegere, qui sit causa tot malorum, quibus Ecclesia affligitur.

Tum testatur, Rodulphum ab Ultramontanis creatum fuisse regem *non suo præcepto, & consilio; immo in Synodo firmavit, nisi Archiepiscopi, & Episcopi, qui illum ordinaverant, hoc factum suum recte defendere potuissent, tam ipsos a dignitatibus suis, quam ipsum Rodulphum a regno deponere.*

Quod si Henricus obedientiam, quam juravit, præstitisset, tot malis non urgeretur Ecclesia.

Quibus malis ut remedium afferatur, synodum cogit Gregorius.

D. Romæ P. a. X. a. D. 1082.

„ Ne hæc synodus cogeretur, effecit Henricus. Tum
„ obsedit Romam, & Gregorium, qui confugerat in
„ arcem S. Angeli, sed liberatus fuit a Roberto Duce.

Violenta concessio Henrico investiendi de beneficiis.

PASCHALIS II. Henrico X. Theutonicorum Regi, & per Dei omnipotentem gratiam Imperatori, & Augusto. XXX. B.R. t. 2. p. 141. C.C

Inc. *Regnum vestrum &c.*

COronato a se Henrico Imperatori concedit Paschalis licet invitus ad Pontem Salarium in campo, qui dicitur Septem Fratrum *inter tenebras nocturnas illam dignitatis prærogativam, quam prædecessoribus Catholicis Imperatoribus prædecessores Pontifices concesserant;*

Scilicet ut *Regni Theutonici Episcopis, & Abbatibus libere præter violentiam, & simoniam electis investituram virgæ, & annuli conferat; post institutionem canonice factam consecrationem ab Episcopo, ad quem pertineant, accipiant.*

Si quis autem a Clero, & a populo præter assensum Imperatoris electus fuerit, nisi ab eo investiatur, a nemine consecretur.

Episcopi, & Archiepiscopi habeant libertatem ab Imperatoribus electos consecrandi.

Idque Paschalis concedit, quia superiores Imperatores tot donationibus Ecclesias ditarunt.

Eum hortatur ad defendendam Ecclesiam.

Signa vero &c.

Die XII. Apr. P. a. IV.

Ne Ecclesiastici investituras a Laicis accipiant.

PASCHALIS II. Henrico Regi. XXXI. lb. p. 144. C. C.

Inc. *Divinæ legis &c.*

DEtestatur Paschalis abusum Ecclesiasticorum Theutonici regni, qui comitantes Imperatorem immiscent se sæcularibus negotiis: quod agunt, ut ab illo investiantur beneficiis, & regimina urbium, oppidorumque accipiant.

His institutis, e quibus mala plurima oriuntur, sese oppoſuerunt Gregorius VII. & Urbanus II., & pœnas in laicos investituras dantes, & in Clericos eas accipientes statuerunt. Has pœnas, hæc decreta Gregorii, & Urbani confirmavit Paschalis, *in Episcopali Concilio.*

Monet ergo Henricum, ut *regalia illa dimittat, quæ ad B. Petrum manifeste pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis, & prædecessorum Imperatorum.*

Interdicit sub excommunicationis pœna Episcopis, ne hæc regalia invadant, id est,

Civitates, ducatus, marchias, Comitatus, monetas, telonium, mercatus, jura centurionum, turres, militiam, castra.

Ecclesias cum oblationibus, & hereditariis possessionibus liberas Henrico *manere* decernit.

Quæ fecerit Antipapa (Clemens III.) qui aliquot socios Paschalis occidit, narrat Henrico Pontifex.

„ Ob privilegium superius proxime allatum per vio-
„ lentiam ereptum ab Henrico, cum ibi haberet exer-
„ citum, fuit a Concilio Laterani habito excommuni-
„ catus Imperator, a. 1113.

Absolutio Henrici.

CALLISTUS II. Henrico Romanorum Imperatori Augusto. XXXII. B.R. t. 1. p. 33. lb. p. 180. C.C.

Inc. *Omnipotenti Deo &c.*

LÆtatur Callistus, & Deo gratias agit, quod tandem Henricus resipuerit.

Eum proinde in sinum Ecclesiæ recipit

Quæ, qualiaque ex his turbis sacerdotium inter, & Imperium incommoda Europa sit perpessa, eum attente considerare jubet.

Eum rogat, ut ad futurum generale Concilium mittat Nuntios suos bene instructos.

Redditque ei gratias, *quod plura bonitatis signa in Nepotem suum Metensem Episcopum dederit.*

Reſtitutio inveſtiturarum facta ab Henrico.

XXXIII. Ib. Ep. p. 192. C. C. HENRICUS.

Inc. *In nomine &c.*

APponitur reſtitutio inveſtiturarum, quam fecit Henricus Romanæ Sedi.

Polliceatur, ſe nullam poſthac facturum electionem, & inveſtituram *per annulum, & baculum, & reliqua rum conſecrationem liberam: poſſeſſionem, & regalia B. Petri reſtituit*; reſtituit poſſeſſiones Clericorum, & Ecclefiarum, & veram pacem Pontifici, & S. R. Eccleſiæ, quam ſemper ſe adjuturum promittit, ſe dare profitetur.

Aliquot Prælati, & Principes Germaniæ huic Imperatoris ſponſioni ſe ſubſcribunt.

Aliqua privilegia concedantur Henrico.

XXXIV. Ib. Jo. C. C. CALLISTUS.

Inc. *Ego Calliſtus &c.*

CAlliſtus tamen concedit Imperatori, ut electiones Epiſcoporum, & Abbatum Germaniæ, qui ad Regnum Theuthonicum pertinent, fiant præſente Imperatore abſque ſimonia.

Et ſi aliqua diſſenſio inter Metropolitas, & provinciales Epiſcopos enaſceatur, cum conſilio ſanioris partis Imperator eam dirimat.

Electus recipiat ab Imperatore per ſceptrum regalia, exceptis, quæ ad S. Sedem pertinent.

Ex aliis partibus Imperii conſecratus Epiſcopus intra ſex menſes regalia ab Imperatore recipiat.

Auxilium demum ſuum ei Pontifex pollicetur.

Datum anno 1122. IX. Cal. Octobris.

„ Pax hæc facta fuit in Concilio Vvormatienſi.

Inveſtitur Imperator Lotharius de Allodio Comitiſſæ Methildis.

XXXV. p. M. p. 3. vel n. 9. p. Ib. B. R. t. 2. p. 122. C. C. INNOCENTIUS II. Lothario Imperatori, & Imperatrici Riget.

Inc. *Si auctoritas &c.*

POntificia dignitate, & Imperiali auctoritate expoſita, & quid in Chriſtianum populum utilitatis ex hac conjunctione redundet, oſtenſa,

I. Innocentius per annulum de conſenſu, & in præſentia, Archiepiſcoporum, Principum, & Baronum *de allodio Comitiſſæ* Mathildis Lotharium Imperatorem, *ita tamen, ut centum libras argenti ſingulis annis S. Sedi perſolvat*, & poſt ejus obitum proprietas, & jus integrum ad S. Sedem redeat, investit.

II. Si Pontifices illuc venire, illac tranſire contingat, *in ſuſceptione, procuratione, conductu ab Imperatore honorentur*,

III. Cuſtodes arcium, terrarum gubernatores S. Sedi juramentum fidelitatis præſtent,

IV. Idem Pontifex concedit has terras Bavariæ Duci Henrico Senero Imperatoris *cum præfato cenſu, & ſupradictis conditionibus*, Lothario mortuo.

D. Laterani VI. Id. Junii a. 1133.

„ In hæc bona ſucceſſit Domus Sereniſſima Brunſvicenſis, quæ ex eodem ſtipite, ex quo Domus Eſtenſis Italiæ, deſcendit.

„ Auctor libri, cui titulus: *il Dominio temporale della Sede Apoſtolica ſopra la Citta di Comachio* (qui dicitur fuiſſe Juſtus Fontaninus) cap. 43. p. 1651. ait, „ Allodium Comitiſſæ Mathildis comprehendiſſe partem magnam Ducatus Mantuani, Parmenſis, Regienſis, Mutinenſis, omnemque Garferonianam ex „ MS. Michaelis Leonici *De Donatione Comitiſſæ Mathildis.*

Conſolatur Pontifex Imperatorem Conradum.

EUGENIUS III. Conrado Romanorum Regi.

XXXVI. Ex Baronio ad an. 1149. §. 12. Inc. *Cum in hoc &c.*

„ FOedus inierat Conradus cum Orientis Imperatore „ Emmanuele, ad quem ſe contulerat regreſſus „ Hieroſolymis, contra Rogerium Siciliæ regem. Sed „ exercitu diſſipato, longe aliter ac mente conceperat „ res evenere.

Quare eum conſolatur Eugenius quibuſdam rationibus.

I. Cum homines ſciant res humanas fluxas, caducaſque eſſe, nec iis eſſe ſuperbiendum in lætis, nec deſperandum in adverſis;

II. Res adverſas indicium eſſe amoris Dei erga hominem afflictum; ita per plures annos afflictum fuiſſe in Ægypto Hebræum populum, Pharaonique illum affligenti læta multa evenisse.

Imperatori ſignificat, ſe maxime concupiſſe cum illo de ſtatu Eccleſiæ colloqui; ſed cum non potuerit, audito, eum perveniſſe ad partes Longobardiæ, ad illum miſiſſe Legatos ſuos; qui ſcientes eum in Theutoniam properaſſe territi longitudine itineris, redierunt Romam.

Eum rogat, ut ſtatum regni Franconi, quem ad Imperatorem mittit, exponat;

Illi Eccleſiam commendat *tanquam principi Catholico, atque ſpeciali Romanæ Sanctæ Eccleſiæ defenſori.*

D. in Tuſculano VIII. Cal. Julii P. a. V. a. D. 1149.

De Archiepiſcopo Londinenſi, & de Beneficiis ab Eccleſia Federico collatis.

HADRIANUS IV. Friderico (I.) Imp. XXXVII. Ex Baronio ad an. 1156. §. 11.

Inc. *Imperatoriæ majeſtati &c.*

ROma ad Epiſcopatum ſuum remeabat Archiepiſcopus Londinenſis. *In partibus Theutoniæ* a nefariis hominibus captus fuit, ſpoliatus, & in carcerem conjectus, in quo jamdiu detinebatur.

Hanc ſpoliationem, & hanc detentionem narrat Hadrianus Friderico, miraturque eos homines nondum fuiſſe ab Imperatore punitos, & adhuc in carcere detineri Archiepiſcopum, & ſimulare Imperatorem ſe horum omnium eſſe ignarum.

Eum monet Hadrianus, ut quoniam multa, & ſumma beneficia Eccleſia illi contulit, *quam gratanter, & quam jucunde alio anno Sacroſancta Romana Eccleſia eum ſuſceperit, quanta cordis affectione eum tractaverit, quantam illi dignitatis amplitudinem contulerit, & honoris, & qualiter imperialis inſigne coronæ libentiſſime conferens benigniſſimo gremio ejus ſubtilitatis apicem ſtuduerit confovere*, reminiſcens velit Eccleſiæ vicem rependere, neque permittat, ejus jura violari, ejus præſules ſpoliari, & carcere teneri.

Suſpectam hanc diſſimulationem, ait, ſe habere Hadrianus, & ex ea agnoſcere, aliquem zizaniæ ſeminatorem adverſus matrem Eccleſiam illum accendere.

Ad eum, ſcribit, ſe mittere duos legatos, qui cum illo agent & de hoc negotio, & de aliis; eumque rogat, ut eos benigne excipiat.

D. a. 1157.

„ Hæc Hadriani Epiſtola lecta coram principibus ita „ eos, & Imperatorem accendit in illum, ut poſtea „ plurimæ turbæ enatæ ſint, quæ ita ſerbuerunt Im„ peratorem Fridericum inter, & Pontificem. Litte„ ras contra Hadrianum ſcripſit, inhibuit omnibus, & „ ſingulis Romano Imperio ſubditis Romam ire &c. „ peſſimeque Cardinales Legatos habuit.

Germaniæ Præſules rogantur, ut Fridericum placent.

HADRIANUS IV. Archiepiſcopis, Epiſcopis &c. per Theutoniam conſtitutis. XXXVIII. Ib. §. XI.

Inc. *Quoties aliquid &c.*

CUm primum Pontificis Legati Imperatorem adierunt, excepti fuerunt benigniſſime ab illo. Sed die ſequenti cum illi Pontificias litteras legerunt, *imperialis inſigne coronæ beneficium libentiſſime contulimus*, ita exarduit, ut plurima convicia in Legatos conjecerit, juſſerit eos illinc diſcedere, vetueritque Germaniæ Epiſcopis, aliiſque omnibus Eccleſiaſticis, laicisque Romam venire.

Quæ omnia, cum in gravem Eccleſiæ contemptum cadant, rogat Hadrianus prædictos Epiſcopos, quorum eſt Eccleſiæ propugnationem ſuſcipere, & recidere omnem materiam, unde ſcandala oriri poſſent, & diſcordiæ nati,

Ut

Ut ad bonam frugem Fridericum reducat, eumque hortentur, ne acquieſcat conſiliis iniquorum, *ſed per illam viam incedat, per quam Juſtinianus, & alii Catholici Imperatores inceſſiſſe noſcuntur.*

Hoc gratum erit Pontifici, hoc glorioſum ipſis, & Eccleſiæ utile.

D. a. 1157.

„ Legati fuerunt ſpoliati ſimul cum Epiſcopo Tridentino, & in carcere poſiti, fuerant miſſi ab Hadriano ad Imperatorem, ut eum mitigarent.

Litteras ad Imperatorem miſſas excuſat Pontifex.

XXXIX. Ad an. 1158. §. IV. HADRIANUS IV. Friderico, &c.

Inc. *Ex quo, &c.*

„ GRaviter commotus fuerat Imperator, cum au„ diiſſet, Hadrianum appellare coronationem Im„ perialem *beneficium*. Hanc vocem ut colligitur ex „ iis, quæ edidit Fridericus in lucem, acceperat tan„ quam ſignificaret beneficium aliquod Eccleſiaſticum; „ proinde oſtendere nititur Imperatoriam dignitatem „ eſſe a Deo, nihil omnino pendere a Pontifice, elec„ tumque eſſe Imperatorem æque ac ſi coronatus a „ Pontifice eſſet, & eam coronationem nihil majoris „ auctoritatis Imperiali dignitati addere.

Reſpondet Pontifex, ſe non accepiſſe eo modo, quo intelligit Imperator hanc vocem *beneficium*, ut ſignificet feudum illud quod datur ab Eccleſia electo ad aliquam dignitatem, ſed eam accepiſſe ſenſu obvio, hoc eſt ex compoſitione verborum, e quibus conſtatur ex *bene, & facto.*

Et ſane cum rem gratam Friderico fecerit coronari cupienti, non perperam uſus eſt voce *beneficii*, nam bene fecit cum fecit, quod Fridericus fieri avebat.

Eum molliter coarguit, quod male habuerit Legatos illos, quos ad Imperatorem miſerat, cum permiſit eos ſpoliari a Friderico Saxoniæ, & ab Henrico Bojariæ ducibus. Ad illum eos mittebat Hadrianus tanquam legatos pacis, & ſi ille quicquam contra Eccleſiam habebat, debebat ſcribere, omniaque fuiſſent quiete compoſita.

Eum rogat, ut velit legatos admittere benigne, qui ſenſa Pontificis illi melius aperient.

D. a. 1158.

„ His litteris mitigatus Fridericus fuit.

Reprehenditur Fridericus, quod ab Epiſcopis juramentum fidelitatis exigat.

XL. Ib. §. V. HADRIANUS IV. Friderico.

Inc. *Lex divina, &c.*

„ NOmen ſuum præponebat Fridericus nomini Pon„ tificis, ajebatque quidquid habent Pontifices, „ habere a largitionibus Imperatoris Conſtantini, alio„ rumque Cæſarum, & homagium exigebat ab Epi„ ſcopis.

Eum ſuperbiæ accuſat Hadrianus; argumentumque ſumit a ſacris litteris, quæ jubent honorandos eſſe parentes.

Male ergo agit, dum nomen ſuum præponit nomini Pontificis, & homagium ab Epiſcopis exigit, cum ſint & hi & ille Imperatoris parentes.

Multo etiam pejus agit, dum contrarius Pontifici eſt, a quo fuit coronatus.

Videat, ne ſicut Deus illi coronam dedit, ita illi eam adimat.

D. a. 1158.

„ De multis querebatur Imperator, mitti legatos per „ regnum ſe inſcio, eos regalia Epiſcoporum palatia ingredi, Eccleſias Dei exactionibus gravare; perturbatum eſſe judiciorum ordinem, & admitti appel„ lationes, prætermiſſis mediatis judicibus, in curiam „ Romanam.

De pace Venetiis facta cum Imperatore Friderico.

ALEXANDER III. Rogero Eboracenſi Archiepiſc. XLI. B. M. t. 1. p. 96. B. R. t. 2. p. 448. C. C.

Inc. *Exigunt gratiſſimæ, &c.*

SIgnificat Archiepiſcopo Eboracenſi, pacem factam cum Imperatore Friderico, Ænobarbo dicto, Venetiis; ubi erat Alexander.

Jam præmiſerat Nuntios Pontifici Fridericus die XXI. Julii qui renunciarent, ſe, cum veniſſet Romam, pacem veram Eccleſiæ daturum: legati hi erant primores Germaniæ principes.

Nono Cal. Auguſti venit Imperator ad Eccleſiam S. Nicolai, quæ per unum *milliare diſtat a Venetiis, & ibi tam ipſe, quam Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & principes Theutoni regni abrenuntiantes ſchiſmati abſolutionis beneficium impetrarunt.*

Deinde ventum eſt Venetias, *& ante Eccleſiam B. Marci Imperator* præſtitit Alexandro *reverentiam, & obedientiam; & recepto oſculo pacis, dexteravit* Pontificem, *& uſque ad altare in Eccleſiam introduxit.*

In die feſto B. Jacobi Pontifex ab Imperatore rogatus ad Eccleſiam S. Marci celebraturus venit, ivit obviam Imperator extra Eccleſiam, *& dextero Pontificis latere ſuſcepto in Eccleſiam introduxit ſacris peractis, uſque ad Eccleſiæ portam eum dexteravit*, & aſcendente Pontifice *Palefredum ibi paratum, ſtaphamtenuit, & omnem reverentiam exhibuit.*

Ideo Pontifex hæc ſcripſit, ut omnes boni de tam felici exitu, & de pace Eccleſiæ gauderent.

Dat. Venetiis in Rivoalto VII. Cal. Aug. a. 1177.

Significantur Epiſcopo Moguntino, quæ acciderint in electione Imperatoris.

INNOCENTIUS III. Archiepiſcopo Moguntino Epiſcopo Sabinenſi. XLII. Ex Oderico Raynaldo t. XIII. p. 29.

Inc. *Solidata in devotione, &c.*

LAudat Archiepiſcopum Innocentius, quod cum omnes principes contra Eccleſiam inſurrexiſſent, ejuſque jura uſurparent, ille in fide, & obedientia permanſerit, nulliſque minis, precibuſque abduci ab hoc propoſito potuerit.

Quare cum ita ſit unitus Pontifici, æquum eſt, Pontificem in arduis negotiis ejus conſilium expoſcere.

Tum narrat illi quid acciderit in electione Imperatoris. Quidam elegerant Othonem Saxoniæ Ducis filium, quidam Philippum Henrici VI. Imperatoris filium. Epiſcopus Colonienſis cum aliis principibus obſedit Aquiſgranum, & eo capto, coronavit Othonem; qui eodem die juramentum præſtitit de conſervandis Eccleſiæ juribus, & ea defendenda, illique reſtituendis ablatis bonis. Electores Philippi Tarantaſienſem Epiſcopum vocarunt, qui Philippum coronavit. Sæpe exercitus utriuſque electi inter ſe pugnaverant.

Uterque electus Pontificis gratiam jactabat. Interim tamen Eccleſiæ ſpoliabantur, eorum bona diripiebantur, Clerici ab adverſa parte male habebantur.

Cum Archiepiſcopatus Moguntinus tantam Germaniæ partem poſſideat, decet, cum ipſe Archiepiſcopus intereſſe non potuerit electioni, ut ejus voti habeatur ratio.

Eum igitur rogat Pontifex, ut nominationem ſuam ad Pontificem mittat, cujus nominationem Pontifex jubebit recipi.

D. Laterani V. Non. Maji P. a. II. a. D. 1199.

Hortatio ad pacem, & concordiam.

INNOCENTIUS III. Eccleſiaſticis, & ſæcularibus principibus per Germaniam conſtitutis. XLIII. Ib. p. 31.

Inc. *Quanta debeat, &c.*

QUanta debeat eſſe concordia inter Sacerdotium, & Imperium Chriſtus ipſe docuit, cum voluit dici ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, qui fuit Sacerdos ſimul, & Rex: etiam D. Petrus appellat chriſtianos genus electum, regale ſacerdotium; & duo Cherubim ſuper eadem arca hanc concordiam ſignificant.

Tum descendit Innocentius ad concordiæ bona numeranda. Tunc cum est concordia, hæresis repellitur, Imperium sacerdotio opem fert, hoc illi, dignitas servatur, Ecclesiarum decus crescit, &c.

Deinde mala enumerat, quæ e discordia proficiscuntur, incendia, bella, strages, direptiones, &c.

Quibus malis permotus Innocentius omnes ad pacem hortatur, agant, quod Imperio expedit, ne permittant, suos populos perire, suas terras vastari;

Demum minatur, se spiritualia arma in discordiæ fautores expediturum, *imperiturumque Apostolicum favorem illi, quem credet majoribus studiis, & meritis adjuvari.*

Dat. Later. &c.

Philippo respondetur.

XLIV. Ib. p. 31. INNOCENTIUS III. Philippo.

Inc. *Cum tu, &c.*

MIserat Philippus oratores suos ad Pontificem, ut sibi impetrarent coronam Imperialem.

Innocentius collaudato Philippo, quod se judicio Pontificis subjecerit, ostendit multo augustius esse sacerdotium Imperio, ex officiorum utriusque muneris collatione, ex antiquitate, ex institutore, cum *institutor sacerdotii fuerit Deus, imperii Nembroth;*

Donec sacerdotes apud Hebræos rexerunt, bene eorum Resp. processit; male, cum duo hæc officia fuerunt separata.

Quæ mala nascantur a discordia, demonstrat; quæ schismata vexarint imperium, quæ Ecclesiam numerat, & quæ mala imperium, & Ecclesia tulerint, exponit.

Concludit, se non posse pati, iras ferveścere ulterius; se deliberaturum cum Cardinalibus quid sit agendum.

Verum, inquit, *ad Apostolicam Sedem jampridem fuerat recurrendum, ad quam negotium istud principaliter, & finaliter dignoscitur pertinere; principaliter, quia ipsa transtulit imperium ab oriente in occidentem; finaliter, quia ipsa concedit coronam Imperii.*

Tum restatur, quatenus ipse in hoc negotio ad honorem Dei, ad utilitatem Ecclesiæ, & salutem imperii procedat.

D. Later. P. a. III. a. D. 1200.

Hortatio ad Angliæ Regem, ut Imperatori Ottoni faveat.

XLV. Ib. p. 35. INNOCENTIUS III. Joanni, &c.

Inc. *Cum inclitæ, &c.*

RIchardus Angliæ Rex Ottonis patruus supplicaverat Pontifici, ut ejusdem electioni faveret: & intuitu tanti Regis Innocentius illi faverat. Richardo vita functo ejus frater Joannes in regnum assumptus idem rogaverat Pontificem, immo testatus fuerat, se omnes sui regni opes adhibiturum, ut suum consequeretur effectum hoc negotium. Quod audiens Innocentius, multo ardentius electionem Ottonis procuravit.

Sed postea auxilia missa ad Ottonem Joannes subduxit.

Eum igitur reprehendit Innocentius, quod mala fide egerit, quod aliud dixerit, aliud fecerit.

Eum rogat, ut propositum servet, ne deserat Ottonis partes; hoc enim inconstantiam ostendit.

Dat. Laterani P. a. II. a. D. 1199.

Angliæ Rex monetur, ut legatam pecuniam det Ottoni.

INNOCENTIUS III. Joanni, &c.

Inc. *Sane quid, &c.*

XLVI. Ib. p. 54. RUrsus instigat Innocentius Joannem, ut opem ferat Ottoni nepoti suo argumento desumpto ex infamia, quam incurreret, nisi illi opitularetur,

Tum eum monet, ut eam pecuniam quam ejus frater Richardus Rex Ottoni legaverat, ad Ottonem mittat. Juramento siquidem se Joannes obstrinxerat, eam argenti summam ad illum missurum.

Quod nisi faciet, minatur Innocentius, se facturum quod justitia exigit.

D. Laterani P. a. III. a. D. 1200.

Discussio quis e tribus sit eligendus Imperator.

INNOCENTIUS III. XLVII. B.R. t. 3. p. 1. p. 96. C.C.

Inc. *In nomine, &c.*

CUm summa debeat esse Romani Pontificis cura de Romano Imperio, cujus translatio ab oriente in occidentem opera præcipue Pontificis est facta, examen jurium trium electorum in Imperatores ait ad se spectare Innocentius. Jam examinabit, *quid liceat, quid deceat, quid expediat circa* unumquemque eorum.

1. Hæc de Philippo.

Juramentum præstitum fuerat a Germaniæ proceribus Imperatori Henrico se electuros ejus filium, qui erat annorum duorum; quod est servandum, licet ab initio per vim extortum fuerit, sicut Josue servavit juramentum datum Gabaonitis per fraudem extortum.

Sed non decet puerum, qui indiget adjutore, eligi in Imperatorem, qui re ipsa debet esse Romanæ Ecclesiæ adjutor.

Non expedit; si enim sciet, se fuisse a Pontifice impeditum a consecutione imperii, majora mala patrabit in Ecclesiam, quam Patruus, & pater ejus fecerint; & ab Ecclesiæ, quam defendere deberet, retrahet obedientia Imperium, & Siciliam.

Non licet; etenim electa fuit persona non idonea, duorum annorum puer, nondum renata aqua baptismali. Præterea certine sunt electores eum futurum sanæ mentis? Si non erit sanæ mentis, quæ bella, quæ discordiæ in Romano Imperio enascentur? Electores debebant scire, quod est in scriptura, *væ terræ, cujus rex puer &c.*

2. Examinat electionem Philippi postea Innocentius.

Descendebat hic ab Henrico, & erat Henrici Imperatoris frater.

Ut ostendat Pontifex non decere eum eligere, ostendit eum fuisse censura excommunicationis innodatum, natum fuisse ex eo genere, quod semper Ecclesiam, & Ecclesiasticos vexavit; ipsum adhuc spirare minas in Ecclesiam; ejus jussu Marcovaldum diripuisse plura bona Ecclesiæ.

3. Restabat Otto; quem pauci principes Germaniæ licet elegissent; tamen Pontifex ait, reprobato jam Philippo utroque, regnum dandum esse Ottoni,

Decet, quia Otto fuit semper *Ecclesiæ devotus.*

Licet, quia ex parte matris descendit ex Angliæ regibus, & parte patris de prosapia ducum Saxoniæ,

Expedit, quia ex iis est progenitus, inter quos Lotharius præcipue, qui semper defenderunt Ecclesiam.

a. 1200.

Gratulatio, quod Otto fuerit electus Imperator.

INNOCENTIUS III. Regi Ottoni in Imperatorem electo. XLVIII. Ib. p. 101.

Inc. *Ut non, &c.*

GRatulatur Pontifex Ottoni, quod fuerit Imperator electus; ad quam dignitatem & ejus virtus, & ejus prosapia materna, paternaque merito ei viam munivit.

Ad custodiendam propensionem in S. Sedem eum hortatur;

Ei regiam dignitatem confirmat, & ad Imperialem coronam accipiendam eum invitabit.

Eum hortatur, ut gerat se ita, ut quod de David Deus dixit, *inveni virum secundum cor meum*, possit & de illo dicere.

Ei commendat legatos, quos est in Germaniam missurus.

Datum Laterani Cal. Martii, Pontif. a. IV. a. 1201.

Hortatio ad principes Alemanniæ, ut Ottonem IV. prosequantur obsequio, & reverentia.

INNOCENTIUS III. Universis tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus Principibus Alemanniæ. XLIX. B.R. t. 3. p. 102. C.C.

Inc. *Etsi quidam, &c.*

PRincipibus Germaniæ conatur suadere Pontifex, Imperatoris provisionem spectare potissimum ad S. Sedem, quia S. Sedis impulsu institutum fuit Imperium in occidente.

Proinde, ait, ne hoc muneri deesset, se dedisse operam, ut, expulso Philippo Duce Sueviæ, cujus scelera in Romanam Ecclesiam percenset, quod superius in proxima præcedenti constitutione fecerat, eligeretur Otto dux Saxoniæ; cujus virtutes, & majorum illius merita in Romanam Ecclesiam exponit; ad quem suscipiendum, honorandum, & fovendum hortatur principes.

Datum Laterani Cal. Martii Pontific. a. IV. a. D. 1201.

Excitatur Joannes ad dandam pecuniam Othoni.

L. Ib. p. 68. INNOCENTIUS III. Joanni, &c.

Inc. *Cum carissimus, &c.*

NUllum non lapidem moverat Rex Galliæ Philippus, ut absolveret Joannem a debito dandæ pecuniæ legatæ Othoni; sed frustra.

Eum igitur monet Innocentius, ne tam injuste agat, ne retineat id quod suum non est.

Honori Joannes ducere deberet, se habere Imperatorem Nepotem suum; & omnia deberet peragere, ut in delata illi dignitate eum substineret; multo ergo magis debet eidem dare legatam pecuniam, quæ omnimode illi debetur.

Datum Later. P. a. III. a. D. 1201.

Hoc est juramentum præstitum ab Othone Pontifici exscriptum ex Raynaldo ib. p. 65.

„ Ego Otho Dei gratia Romanorum Rex, & semper Augustus tibi Domino meo Innocentio Papæ, „ tuisque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ spondeo, „ polliceor, promitto, & juro, quod omnes possessiones, honores, & jura Romanæ Ecclesiæ pro posse „ meo bona fide protegam, & servabo: possessiones „ autem, quas Ecclesia Romana recuperavit, liberas, „ & quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide juvabo; quas autem nondum recuperavit adjutor ero ad recuperandum & recuperatarum secundum posse meum ero sine fraude defensor, & quæcunque ad manus meas devenient, sine „ difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ est a Radicosano usque Ceperanum, „ exarchatus Ravennæ, Pentapolis (*sunt hæ urbes* „ 1. *Ariminum*, 2. *Pisaurum*, 3. *Fanum*, 4. *Auximum*, „ 5. *& Ancona*) Marchia, Ducatus Spoletanus; terra Comitissæ Mathildis, & comitatus Brittanorum „ cum aliis adjacentibus terris, expressis in multis „ privilegiis Imperatorum a tempore Ludovici. Has „ omnes posse meo restituam, & quiete dimittam cum „ omni jurisdictione, districtu, & honore suo: veruntamen cum ad recipiendam coronam Imperii, „ vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica Sede „ vocatus accessero, de mandato summi Pontificis accipiam procurationem ab illis. Adjutor etiam ero ad „ retinendum, & defendendum Ecclesiæ Romanæ regnum Siciliæ. Tibi etiam Domino meo Innocentio „ Papæ, & successoribus tuis omnem obedientiam, & „ honorificentiam exhibebo, quam devoti, & catholici Imperatores consueverunt Sedi Apostolicæ exhibere. Stabo etiam ad consilium, & arbitrium tuum „ de bonis consuetudinibus Populo Romano servandis, „ & exhibendis, & de negotio societatis Thusciæ, „ & Lombardiæ: similiter etiam consilio tuo, & „ mandato parebo de pace, vel concordia facienda inter me, & Philippum Francorum regem, & si propter „ negotium meum Romanam Ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subveniam ei, sicut necessitas postulaverit, in expensis. Omnia vero prædicta tam „ juramento, quam scripto firmabo, cum Imperii fuero coronam adeptus.

„ Actum Nuxiæ in Colonensi diœcesi anno Incarnati Verbi 1201. VI. Idus Junii in præsentia Philippi Notarii, Ægidii Acolythi, & Scriptoris Præfati Domini Papæ.

Archiepiscopus Colonienſis, ejusque suffraganei & Principes in districtu Colon. excitantur ad concordiam.

LI. Ib. p. 550. INNOCENTIUS III. Archiep. &c.

Inc. *Nec vos, &c.*

NEminem eorum latere, ait Pontifex, quantum ad S. Sedem prævisio Imperatoris electionis debeat spectare; quia translatum a S. Sede Imperium fuit ab oriente in occidentem, quia Imperatores juramentum de defendenda Ecclesia præstant, quia ex discordia orta mala redundant in Ecclesiam, Ecclesiæque filios.

Cum jam satis iræ hactenus exarserint, sui muneris putat esse Pontifex nihil intentatum relinquere, ut eas mitiget.

Cum ergo audierit, per sollicitudinem b. m. Archi-Episcopi Moguntini Imperii Principes statuisse habere colloquium, & electionem Imperatoris facere, misisse se, scribit, ad eos litteras per nuntium, qui etiam voce illis animi Pontificia sensu exponeret.

Sed cum hæc omnia inutilia fuerint, ait se mandasse Prænestino Episcopo legato S. A. cujus laudes, virtutesque percenset, ut ad colloquium se conferat; scripsisse etiam Episcopo Ostiensi, qui locum primum in Romana Ecclesia post Pontificem tenet, legato in Gallia, ut ibidem negotiis expeditis, ad principes Germaniæ se conferat, & una cum Episcopo Prænestino concordiam inducat.

Hortatur ergo Innocentius Archiepiscopum, Episcopos, & Principes Colonienſis provinciæ, ne tam salubri operi desint, ut a legatis vocati eant, ut agant, quod illi salubriter proponent.

D. Later. Non. Janu. P. a. IV. a. D. 1201.

Eadem litteras misit ad omnes Germaniæ principes.

Ad Galliæ Regem litteræ de electione Othonis.

INNOCENTIUS III. Regi Philippo. LII. Ib. p. 482.

Inc. *Ne vel, &c.*

NE aliquam maculam incurreret Philippus, *si super ordinatione Imperii, quod ad Pontificem principaliter, & finaliter noscitur pertinere*, aliter ac Romana Ecclesia sentit, Philippus sentiret, ei aperit rationem, cur potius studuerit promoveri ad Imperium Ottonem, quam alios duos candidatos.

Etiam magis expedit Philippo, Ottonem esse Imperatorem, quia est affinis Ludovici primogeniti Philippi.

Eum ergo orat, ut Ottoni faveat, ut pacem cum illo ineat, neque se agi patiatur ab aliis candidatis.

D. Later. P. a. IV. a. 1201.

„ Principes bene multi Germaniæ scripserunt pro Phi„ lippo contra Ottonem Pontifici, accusaruntque Epi„ scopum Prænestinum, tanquam sua auctoritate ele„ gisset Othonem.

Contra principum accusationes purgatio.

INNOCENTIUS III. Duci Zaringiæ. LIII. Ib. p. 66.

Inc. *Venerabilem fratrem, &c.*

SCribit Innocentius, se perhumaniter accepisse nuntios Principum Germaniæ, & eorum litteras; eos attente audiisse, bas legisse attente.

In iis scriptum erat, Episcopum Prænestinum S. Sedis legatum *aut electoris, aut cognitoris personam gessisse*; alterutram personam gesserit, perperam feciſse.

Pontifex non est adeo injustus, ut velit aliena jura sibi usurpare. Agnoscit, ut debet, in principibus jus Imperatorem eligendi, præsertim cum ad eos hoc jus a S. Sede provenerit, *& ad quos ex antiqua consuetudine spectat.* Sed etiam principes in Pontifice recognoscere debent jus examinandi eligendi in Imperatorem qualitates, cum Imperium in Occidentem ab Oriente a Pontifice fuerit translatum. Semper enim examen ad eum spectavit ad quem spectat manuum impositio. Si enim vellent eligere Principes aliquem, Pontificis est declarare utrum sit excommunicatus, utrum hæreticus. Nam deberetne electum hujusmodi coronare Pontifex?

Ergo Episcopus Prænestinus non gessit personam electoris, sed denunciatoris; denuntiavit siquidem principibus, ne eligerent Philippum, quia erat indignus ea dignitate, quæ quidem cognitio ad Pontificem pertinet; declaravit autem Othonem dignum.

Præterea cum digniores essent qui elegerunt Othonem, cum multi abessent ex iis, qui volebant Philippum, cur electores Philippi rationem præsentium habere volunt cum essent absentes? præsentes tantum vota ferre possunt.

Quid quod Philippus coronam accepit a quo non debuit, & ubi non debuit? Otho autem coronatus fuit, ut mos est, ab Archiepiscopo Colonienſi, & Aquisgrani juxta statuta.

Vota principum erant divisa: unus coronatus erat secundum consuetudinem, petebatur coronatio a Pontifice, hic certe debebat approbare illum qui fuerat jam legitime coronatus. Ita evenit cum electi fuerunt simul Lotharius, & Conradus; Coronatus a Pontifice fuit Lotharius.

Jam omnes sciebant Philippum Suaviæ Ducem non potuisse eligi, cum esset publice excommunicatus, nasceretur ab iis progenitoribus, qui adeo Ecclesias, & Ecclesiasticos afflixerant.

Sed quod maxime rem conficit, hoc est; Imperium non est hereditarium, sed electivum. Si ergo Philippus fuisset electus, videretur hereditarium. Quid? cum in Germania sint tot domus nobilissimæ, cur una domus Suaviæ Imperatores dare debet? cur aliæ excludi? præstat ergo, hunc honoris aditum apertum esse omnibus, ut omnes virtute certent.

Nullo ergo modo, ait Pontifex, a proposito se dimoveri posse, imo ducem hortatur ut partes Philippi deserat, a quo si juravit stare, eum ab juramento absolvit, & *patenter* Othoni faveat, quem jam statuerat Innocentius evocare ad coronationem.

D. Later. P. a. IV. a. D. 1201.

Regi Galliæ stanti pro Philippo respondetur.

LIV. Ib. p.67. INNOCENTIUS III. Philippo &c.

Inc. *Miramur non modicum, &c.*

SCripserat ad Pontificem Rex Galliæ Philippus, se maxime dolere, quod Pontifex Galliæ Regno infestissimum hominem curasset fieri Imperatorem; se proinde non posse eum agnoscere, daturumque auxilium Philippo Suevico.

Respondet Innocentius, se nunquam habuisse in animo creare in Imperatorem adversarium Regis: sed casu ita evenisse. Cum enim tres candidati essent, duoque essent minus idonei, non est ipse in culpa si tertius idoneus, qui est inimicus regis, fuit electus. Inimicitia enim cum rege non poterat esse justa causa, cur Otho non eligeretur, cum haberet cæteroquin omnes alias qualitates, quæ in eligendo requiruntur.

Repetit Pontifex ea, quæ supra dixerat de candidatis.

Præterea cum Otho sit probus vir, & pareat Pontifici, facile Pontifex eum permovebit, ut animum in Regem Galliæ mutet, & ex hoste amicus fiat.

In fine ostendit Regi, quam bene per electionem Othonis ejus Regno fuerit consultum; scit enim Philippum sibi insidias in Lombardia fuisse molitum, scit, velle illum Regnum Siciliæ invadere, esse turbulentum, & velle res suas amplificare.

Demum operam suam offert Innocentius Regi, illique pollicetur, sicut Regnum Galliæ nunquam deseret Ecclesiam, ita Ecclesiam nunquam esse ei Regno defuturam.

D. Later. P. a. III. a. D. 1201.

A levitatis objecto crimine se purgat Innocentius.

LV. Ib. p.92. INNOCENTIUS III. Germaniæ principibus &c.

Inc. *Miramur non modicum, &c.*

ACcusabatur Innocentius, tanquam se pœnituerit electionis Othonis in Imperatorem, & Siffridi in Archiepiscopum Moguntinum; quod esset levitatis crimen Pontifice indignum.

Ut ergo illud refellat, scribit ad Germaniæ Principes Innocentius, invectus plurimum in hujusmodi calumniatores, testans se ab electionibus illis nec unquam recessisse, nec esse recessurum; *sed ad exaltationem electorum propensius aspirare.*

D. Later. Die IX. Apr. P. a. VI. a. D. 1203.

Fraus Philippi Ducis detegitur.

INNOCENTIUS III. Salisburgensi Archiepiscopo. LVI. Ib.

Inc. *Ad nostram, &c.*

SUeviæ Dux Philippus, ut assecias sibi compararet, sparserat in vulgus Pontificem ad se misisse Priorem Camaldulensium, a quo invitabatur Romam petere, ut coronaretur Imperator.

Quod quidem ut fuit ad Pontificem delatum, rem totam ut evenerat prædicto Archiepiscopo, significat.

Prædictus Philippus miserat cum litteris ad Pontificem Priorem Camaldulensium offerens plurima, si confirmaretur Imperator, pollicens se redditurum ad Ecclesiæ gremium; Cui respondit Pontifex, Ecclesiam neminem ad se venientem rejicere.

Monet Archiepiscopum ut ita rem narret; eique testatur Innocentius, non tam facile se a consilio semel capto abduci posse.

D. Ferentini V. Id. Sept. p. a. VI. a. D. 1203.

Alia fraus fautorum Philippi detegitur.

INNOCENTIUS III. Germaniæ principibus. LVII. Ib. p. 91.

Inc. *Crediderunt quidam, &c.*

GRaviter ægrotaverat Innocentius. Tunc fautores Philippi, ut principes abalienarent ab Othone, confixerunt Innocentium fuisse mortuum, & in ejus locum subrogatum alium Clementis nomine, seque Bullam edidisse, quo confirmabat Imperium Philippo.

Convaluit Innocentius, qui admonitus de disseminato rumore ad Principes Germaniæ scribit, eos tam sæpe convictos evidentia fuisse, omnia quæ dicebantur a Philippi fautoribus esse pura, putaque mendacia, ut tandem cautiores esse deberent in fide his rumoribus præstanda ad artem, & ex composito disseminatis;

Testatur, se non esse ita levem ut a proposito prudenter semel capto temere recedat.

D. Anagniæ Cal. Dec. P. a. V. a. D. 1203.

Consilium Insubrium præcipue exquiritur a Pontifice in negotio Imperii.

INNOCENTIUS III. Universis prælatis, & Nobilibus in Lombardia constitutis. LVIII. Ib. p.94.

Inc. *Novit scrutator, &c.*

DEum testatur Innocentius se in sedandis Imperii turbis nihil aliud habuisse in animo quam Dei honorem, Ecclesiæ utilitatem, otium Italiæ, & præcipue Lombardiæ.

Ex tribus candidatis eum se prætulisse, qui videbatur his tribus finibus intentis plenius satisfacturus; Fuitque Otho. Hi recensetur Pontifex jam dicta superius de quovis candidato.

Etiam jus tutabatur Othonem. Nam fuerat electus a seniore principum parte, a solito Archiepiscopo Colonienſi fuit coronatus, & in solito loco Aquisgrani.

Aderant electioni legati Pontificii, qui omnia notarunt, viderunteque Othonem vere, & jure electum.

Quamvis etiamsi aliquis defectus in Othonis electione fuisset, ut tandem aliquando turbæ cessent, Pontificis esse debet semet interponere.

Jam Philippus Dux Sueviæ esse Imperator nequit, cum sit excommunicatus, cum sit Ecclesiæ hostis, Philippus Siculus præterquam tenellus est, res Italiæ turbaret, & res Siciliæ. Restat ergo unus Otho, qui præsentia sua Italiam recreabit, sua justitia reget, & Ecclesiam sua pietate proteget.

Quin imo videtur Deus ipse hanc electionem protegere. Otho enim semper in dies singulos robustior fit, expulit Philippum e Thuringia, eum devicit in Saxonia.

Principes Lombardiæ monet ut quoties evocati a quibusdam prælatis, quos nominat Pontifex, fuerint, eant, & consilium suum aperte proferant, & auxilium requisiti præstent.

D. Anagniæ III. Id. Dec. P. a. VI. a. D. 1203.

Repre-

Reprehenditur Magdeburgensis Archiepiscopus quod non adhæreat Othoni.

LIX. Ib. p.95. INNOCENTIUS III. Archiepiscopo Magdeburgensi.

Inc. *Ecce jam, &c.*

MAgdeburgensis Archiepiscopus eo quod male legatum S. Sedis habuerat, fuerat excommunicatus, sed veniam petens fuerat absolutus, juramentum tamen voluerat ab eo exigere Pontifex dandum in manu Legati, eum adhæsurum Imperatori Othoni. Juravit Archiepiscopus, fuitque absolutus.

Tunc juramenti immemor contra Othonem stabat.

De qua re admonitus a Legato Pontifex, graviter Archiepiscopum objurgat tanquam perjurum, tanquam læsorem Pontificiæ dignitatis. Eum enim respuens, quem Pontifex approbat, facto ostendit, Pontificem non favere meliori, Pontificem male consulere.

Quare vult eum juramento dato stare; & si posthac contra Othonem sentiet, minatur, se illum dignitate spoliaturum; se jam scripsisse, ait, quibusdam Prælatis, ut eum excommunicatum singulis diebus dominicis denuntient, & mandasse ejus capitulo, ne illi pareant, nisi respiscat.

D. Later. XVII. Cal. Jan. P. a. VI. a. D. 1203.

Othonis Litteris respondetur.

LX. Ib. p.116. INNOCENTIUS III. Othoni Romanorum Regi electo.

Inc. *Serenitatem tuam, &c.*

SCripserat Innocentio Otho, Deum res Imperii augere in dies singulos, & principum corda emollire, ita ut non pauci, quos recensetur, Philippo relicto, ipsius partibus adhæreant; se curiam solemnem habuisse, cui multi interfuere principes.

Tum gratias agit Pontifici, a quo tot beneficia accepit.

Respondet Pontifex, eum majora beneficia a Deo consequuturum esse, si ab illo ea recognoscet; Ecclesiam semper eum esse defensurum, si benevolam in illam geret voluntatem;

Quanto magis a Deo exaltatur, tanto magis coram illo se humiliet; hanc unam esse rationem movendi Deum, ut illum semper habeat propitium.

D. Anagniæ VIII. Cal. Febr. P. a. VII. a. D. 1204.

Scripsit postridie ad Germaniæ Principes iis gratias agens, quod pro Othone stent, quem illis summopere commendat.

Coarguitur Adolphus Archiepiscopus Colonienſis, quod defecisset ab Othone, jubenturque Canonici ei non parere.

LXI. Ib. p.134. INNOCENTIUS III. Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Colonienſis.

Inc. *Archiepiscopus, &c.*

COrruptus Bruno donis Philippi Suevi induxit Philippum cogere ingentem exercitum & Aquisgranum expugnare, ut ita moveretur Archiepiscopus, qui jam in eam rem consenserat motus Brunonis Bonnensis Præpositi arte ad coronandum Philippum; qui jam Aquisgranum expugnarat.

Legatus Apostolicus coronationem faciendam inhibuerat Archiepiscopo, dederatque Judices, qui rem examinarent, cum mandato, ut si nollet desistere, excommunicaretur, & disjiceretur.

Tantum abfuit ut pareret Archiepiscopus, ut ad Philippum post Festum S. Martini iverit Confluentiam cum duce Brabantiæ, & illi juramentum fidelitatis dederit; & cum curiam Aquisgrani haberet Philippus ibidem fuit in Regem ab eodem Adolpho consecratus.

Mandat ergo, his auditis, Innocentius, ut candelis accensis, pulsatis campanis singulis diebus dominicis, & festivis declaretur excommunicatus Archiepiscopus;

Canonicos, Clericos absolvit ab obedientia illi præstanda.

D. Anagniæ IV. Id Mar. P. a. VIII. a. D. 1205.

„ Tentavit rursus Pontifex separare a Philippo Ar-
„ chiepiscopum, mandaveratque quibusdam prælatis,
„ ut si adhæsisset Othoni, eum absolverent. Sed no-
„ luit a Philippo recedere. Epistola Innocentii affertur
„ a Raynaldo ad an. 1206. §. XI.
„ Otho a Philippo fusus confugit in Angliam ad
„ avunculum suum Joannem Regem; interim Philip-
„ pus agnoscens sua crimina veniam a Pontifice pe-
„ tiit; inductus fuerat a Patriarcha Aquilejensi. ibid.
„ §. XIV.
„ Duasque Epistolas scripsit ad Innocentium ib. §. XV.
„ & XVIII.

Gratulatur Pontifex Philippo de ejus absolutione.

INNOCENTIUS III. Philippo &c. LXII. Ib p.154.

CErtior factus Innocentius, Philippum fuisse absolutum, has litteras ad eum misit, in quibus de absolutione data eidem gratulatur; illique gratias agit, quod paternis adhortamentis obsecundarit.

Promptam suam voluntatem omnia pro illo agendi promittit.

Panca *ad cautelam* ejdem scribit, plura referet delator litterarum Prior Camaldulensis.

D. Corneti Cal. Nov. P. a. X. a. D. 1207.

Litteris Othonis respondeo Pontifex.

INNOCENTIUS III. Othoni &c. LXIII. Ib.p.159.

Inc. *Priusquam ad nos, &c.*

OTho Palatinus *proditorie* interfecerat in cubiculo Philippum, cujus morte audita, Otho Rex scripsit ad Pontificem se illius judicio in omnibus submittens.

Cui respondet Innocentius, se jam omnia egisse, antequam Othonis nuntius cum ejus litteris Romani venisset, vix ac Philippi mortem audivit.

Quoniam autem audierat, Principes conventuros apud Vvirceburch in Nativitate *B. Mariæ*, se jam misisse nuntios cum epistolis ad eos Principes, ut electioni Othonis faverent;

Elegisse executorem Pontificii mandati Herbipolensem electum, *de quo plenam fiduciam obtinebat.*

In quibus litteris mandabat Episcopo, Principibus merita Othonis exponeret, Dei judicium in occisione Philippi &c.

D. Romæ III. Non. Febr. P. a. XI. a. D. 1208.

Ad regem Galliæ Philippum pro Othone.

INNOCENTIUS III. Regi &c. LXIV. Ib.p.160.

Inc. *Nosse te, &c.*

CUm Rex Galliæ audisset necem Philippi, vidissetque electionem Othonis futuram, ad Innocentium scripsit, ne illum eligi pateretur.

Respondet Pontifex, se mirari magnopere, Regem potuisse favere Philippo inimico Ecclesiæ, descendenti a Genitore Friderico I. Imperatore, qui ita afflixit Ecclesiam, cui Ludovicus Galliæ Rex ejus pater adeo strenue pro Ecclesia restitit, & nolle favere electioni Othonis viri probi, Ecclesiæ amantis a probis parentibus geniti.

Scripserat etiam Rex, electo Othone, rem Ecclesiasticam, & Regnum suum sublimari non posse.

Reponit Innocentius, se coacturum regem jurare, & juramento firmare bullam, & munire suo signo, nunquam eum violaturum Regnum Galliæ, sed acturum de pace, & concordia cum Rege.

D. Soræ XV. Cal. Oct. P. a. XI. a. D. 1208.

Respondetur Othonis litteris.

INNOCENTIUS III. Othoni in Roman. Imper. electo. LXV. Ib.p.164.

Inc. *Jucundus tuorum, &c.*

EGravi animi ægritudine, qua afficiebatur, se recreatum fuisse litteris, & Nuntiis Othonis, scribit Pontifex.

Eos miserat Otho, ut Pontificem consuleret de Coronatione.

Quid

Quid ſtatuerit Innocentius ait eam accepturum a Legatis, quos ad illum mittit.
Illi demum ſtudium ſuum de illo ornando teſtatur,
D. Later. Non. Jan. P. a. XI. a. D. 1209.

De pace Theutoniæ illius prælatis gratulatio.

LXVI. Ib.p.165. INNOCENTIUS III. Epiſcopis, & aliis Prælatis in Theutonia.

Inc. *Cum acceptam, &c.*

PHialam iræ Dei plenam, quam in Theutoniæ terram Dei juſſu Angelus effuderat, tandem retractam fuiſſe lætatur Innocentius. Compoſita tandem aliquando pax fuerat, & inter Principes conciliata concordia.

Quod ſi quiſpiam lætari debet, Pontifex certe omnium primus lætari debet, qui ita pro concordia laboravit, deſudavitque. Id ejus litteræ, ejus Legati miſſi teſtantur, ejus preces, ejus ſollicitudines.

Quia autem plaga, *quæ de novo circumligata eſt, non eſt negligenda*, Germaniæ Prælatis ſignificat ſe mittere in eas regiones Legatos duos, qui vulnera ſanent oleum ſuperinfundentes.

Quare iis Prælatis mandat, ut eos cum honore recipiant, ut eorum monitis pareant. Nam ſi quam ſententiam in rebelles tulerint, eam ratam Pontifex habebit.
D. Later. XVII. Cal. Febr. P. a. XI. a. D. 1209.

De Friderico Siciliæ Rege Imperium ambiente.

LXVII. Ib.p.167. INNOCENTIUS III. Regi Othoni.

Inc. *Cum cariſſimus, &c.*

ACceperat Otho Fridericum Siciliæ Regem velle pacem Imperii turbare, & quoſdam principes eidem favere. Quare ſe commendavit Innocentio, ut eum, & hos compeſceret, eumque rogavit, ne illi faveret.

Cui reſpondet Innocentius, ſe fuiſſe tutorem Friderici, ſe illius Regni eſſe ſupremum Dominum; proinde Fridericum obtemperaturum eſſe S. Eccleſiæ ut filium, ut vaſſallum;

Nec ſe, nec quemquam e ſuis favere in hac re Friderico,

Bono animo ſit, & Eccleſiæ, a qua tot beneficia accepit, ne ſit ingratus, ſperet a Deo omnia fauſta, *modo corde puro recte proceſſerit.*
D. Later. VI. Id. Mar. P. a. XII. a. D. 1209.

„ Hoc anno Otho coronatus Romæ fuit. Anno in„ ſequenti oblitus beneficiorum ab Innocentio acceptо„ rum Eccleſiæ poſſeſſiones occupavit, & Regnum Si„ ciliæ invaſit. Cum admonitus noluiſſet deſiſtere fuit „ ab Innocentio excommunicatus. Anno 1211. fuit „ electus in Imperatorem Fridericus Siciliæ Rex.

Sententiam excommunicationis latam in Othonem jubet Pontifex innovari.

LXVIII. Ib.p.181. INNOCENTIUS III. Albanenſi Epiſcopo S. A. Legato.

Inc. *Cum Otho, &c.*

QUia Otho maledictus, & excommunicatus non ceſſabat Eccleſiam vexare, ſignificat Innocentius prædicto Epiſcopo, ſe mandaſſe Patriarchis Aquilejenſi, & Gradenſi, & Archiepiſcopis Januenſi, & Ravennati, & ſuffraganeis Eccleſiæ Mediolanenſis,

Ut ſententiam contra Othonem, ejuſque fautores *poſtpoſita omni occaſione ſolemniter innovent, & a ſuis faciant ſubditis innovari.*

Quod ſi quiſpiam Epiſcopus fuerit hujus mandati negligens executor, Legatus eum ad illud exequendum *appellatione remota Canonica pœna percellat.*
D. Later. VII. Id. Junii P. a. XIV. a. D. 1211.

De Coronatione Friderici, de ejus expeditione in Terram S.

LXIX. Ib.p.242. HONORIUS III. Friderico Siciliæ Regi, & Romanorum electo.

Inc. *Accepimus, &c.*

JAm fuerat a principibus Germaniæ pertœſis Imperii Othonis electus Fridericus, qui ſcripſerat Pontifici gratulatus prius de ejus aſſumptione ad Pontificatum, ut juberet Pontifex, quandonam vellet eum Romam petere, ut inſignia dignitatis acciperet, & de ſecunda expeditione in Terram Sanctam quid ſentiret.

Pontifex reſcribit, ſe nihil prætermiſſurum ex iis, quæ crediderit ad Friderici exaltationem, decuſque pertinere, ſe ad illum mittere Legatum A. qui coram ſenſa Pontificis illi explicabit, & quoad coronationem & quoad in Terram Sanctam expeditionem.

Eum monet, ut fidelem ſe præbeat erga Sedem A. a qua plura amoris argumenta accepit, accipietque majora in dies.
D. Later. VI. Id. Apr. P. a. II. a. D. 1217.

Sciſſio actorum ab Ottone in Epiſcopum Cumanum.

LXX. Ib.p.249. C. C. INNOCENTIUS III. Epiſcopo Taurinenſi, & Præpoſito S. Gaudentii Novarienſis.

Inc. *Sicut ea, &c.*

SIcut quæ bene ſtatuunt principes, ſunt confirmanda, ſic reprobanda, quæ contra Canones, & ſtatuta Patrum tyranni agunt; in quorum numero ponendus eſt Imperator Otho jam excommunicatus.

Ea quæ protulit contra libertatem Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum, & præcipue contra Epiſcopum Cumanum in cauſa vertente inter ipſum, & Capitaneos de Arzago, irritat Innocentius.

Prædictos Epiſcopum, & Præpoſitum monet, ut ipſi quoque nulla reputent acta ab Othone contra Epiſcopum Cumanum, & alia decreta contra libertatem Eccleſiæ.

Quæ egerit, non narrat Innocentius.
D. Laterani Non. Apr. a. XV. a. D. 1213.

Reprehenditur Fridericus quod ire in Terram S. diſtulerit.

LXXI. Ib.p.264. HONORIUS III. Friderico &c.

Inc. *Ecce fili, &c.*

JAm duo termini præterlapſi erant, intra quos promiſerat Fridericus ſe in Terram S. iturum; nec iverat; non naves, non galeas paraverat, non vaſa &c.

Saltem, inquit Pontifex, ſi impedimentis retentus fuit, quin poſſet ire, aliquis apparatus cerneretur.

Igitur cum poſtulavit dilationem uſque ad diem S. Benedicti, eam illi Honorius concedit, ſed ne fallat univerſi Chriſtiani populi vota.

Ceterum dum nunc perterrefacti acceptis cladibus ſunt hoſtes, properandum eſt, nec iis danda quies.

Quantum gloriæ ſibi comparabit, ſi ejus opera hoc opus conſumeretur? quantam autem ignominiam, ſi ejus negligentia in cauſa erit cur illa terra non recuperetur, & quam diſtricte de illo Deus judicabit?
D. Reate Cal. Oct. P. a. IV. a. D. 1219.

Saxoniæ Duci mandatur, ut ſigna Imperialia tradat Friderico.

LXXII. Ib.p.267. HONORIUS III. Friderico &c.

Inc. *Cum tam, &c.*

ET per litteras, & per Nuncios rogaverat Fridericus Honorium, ut cogeret Saxoniæ ducem inſignia Imperialia ſibi tradere.

Reſpondet Pontifex ſe miſiſſe ad præfatum Ducem nuntium, ut eum hortetur ad inſignia danda.

Quæ quidem ſi lubens dabit, comiter a Friderico excipiatur; ſin autem dare recuſet, jam Pontifex facultatem dedit Epiſcopis Halberſtadenſi, & Hildeſheemenſi eundem excommunicandi.
D. Later. VI. Id. Febr. P. a. III. a. D. 1219.

Friderici in Imperatorem coronatio.

LXXIII. Ib.p.275. HONORIUS III. Albanenſi Epiſcopo A. S. L.

Inc. *Quia ſcimus, &c.*

QUia cupidus erat Epiſcopus prædictus res imperii ſciendi, illi ſignificat Honorius, ſe Dominica ante Adventum Domini Fridericum Siciliæ Regem, ejuſque uxorem Conſtantiam cum ineſtimabili alacritate, ac pace civium Romanorum in Baſilica Principis Apoſtolorum ſolemniſſime coronaſſe.

Per tres dies in Monte Mario moratus eſt; præſtititque Pontifici ſecuritatem quod illi (erat Legatus Epiſcopus in iis regionibus) & Chriſtiano exercitui ſuccurſum in Menſe Martio deſtinabit, & menſe Auguſto ad iſtas regiones transfretabit.

Deus regem ſoſpitet.
D. Later. XVIII. Cal. Jan. P. a. IV. a. D. 220.

Querelæ Pontificis ad Fridericum de amiſſo exercitu, & Damiata.

LXXIV. Ib.p.284. HONORIUS III. Friderico.

Inc. *Mœrore plenas, &c.*

CUm audiret Pontifex querelas univerſi Chriſtiani orbis, exercitum, pro quo comparando per annos quinque labores ingentes exantlati fuerant, expenſæ ingentes factæ, non potuit, quin acriter Fridericum reprehenderet.

Scilicet in culpa ille eſt, qui cauſas moræ interponendo effecit, ut hoſtes vires aſſumerent, & animos. Meminerit, quoties terminos ſtatutos illi Pontifex prorogarit; interim milites, qui Hieroſolymis erant, cadebant animis, & imminuebantur numero.

Nil igitur eſt mirum, ſi univerſa Chriſtiana Reſp. de Pontifice, & de Friderico queritur. Et eum ut nimis conniventem accuſat, hunc ut perjurum, & fediſragum.

De cetero illi minatur, ſe verbis non futurum contentum, ſi ſegniter bellum adminiſtrabit; curet amiſſam gloriam redimere.

Scribit, ſe ad illum Legatum Sedis A. mittere, quem rogat humaniter excipiat, & ejus monita, & conſilia exequatur.
D. Later. XIII. Cal. Dec. P. a. VI. a. D. 1221.

Reprehenditur Fridericus de impedita canonica Epiſcopali electione.

LXXV. Ib.p.286. HONORIUS III. Friderico &c.

Inc. *Et quid, &c.*

MAnum Fridericus extenderat electioni Averſanæ *præſertim Eccleſiæ, & Epiſcopatuum in Salernitana provincia vacantium.*

Eum reprehendit Honorius, quia jam promiſerat Innocentio, ſe hujuſmodi abuſum non permiſſurum;

Præterea edictum ediderat, quo ſtatuebat, quomodo electiones fieri deberent;

Nulla ergo ratio eſſe poterat, cur ille id quod promiſerat violaret, & recederet ab eo quod ſtatuerat.

Ne id amplius audeat, meminerit ſe nimis graviter Deum offendiſſe, cum in cauſa fuit, cur florentiſſimus exercitus periret.

„ Coegerat Fridericus Averſanum Capitulum eligere „ in Epiſcopum quendam, quem ille propoſuerat.
D. Later. XII. Cal. Sept. P. a. VI. a. D. 1221.

Impedimentum matrimoniale in favorem Friderici tollitur.

LXXVI. Ib.p.298. HONORIUS III. Friderico &c.

Inc. *Cum zelo, &c.*

MOrtua fuerat Conſtantia Regis Aragonum filia uxor Friderici;

Uxorem volebat ducere J... Regis Hieroſolymitani Filiam (quo extincto filia in Regnum ſuccedit, unde Regis Siculi ſe appellant Reges Hieroſolymitanos) ſed cum eſſent in quarto conſanguinitatis gradu, Fridericus pontificiam diſpenſationem poſtulavit.

Rationem Honorius habens zeli, quo paratus erat Fridericus in Terram Sanctam quo accendebat alios ad hanc expeditionem, ſuper hoc impedimento illi diſpenſat.
D. Signiæ Non. Aug. P. a. VIII. a. D. 1223.
Celebratæ Nuptiæ fuerunt Brunduſii an. 1225.

Nunciatur Friderico proviſio quarundam Eccleſiarum.

LXXVII. Ib.p.322. HONORIUS III. Friderico.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

JAmdiu vacabant Eccleſiæ Capuana, Salernitana, Brundiſina, Conſana, & Averſana, & videbantur vacaturæ diutius; ex qua vacatione non modicum redundabat in eas diœceſes malum.

Pontifex ergo, ne homines poſſent accuſare Pontificem, & Imperatorem, *habito duntaxat Dei reſpectu, de perſonis merito Imperatori acceptandis, utpote ſcientia, vita, & fama conſpicuis, oriundis de Regno, & ejus ſublimitati devotis, ac fidelibus providit ſine ejus præjudicio.*

Rogat igitur Imperatorem, ut proviſos commendatos habeat, ut eorum bona, & jura conſervet.
D. Reate VII. Cal. Oct. p. a. X. a. D. 1215.

Reprehenditur Fridericus II. quod Eccleſiaſticam libertatem violarit.

LXXVIII. ex Ludovic. t. 2. p. 867. HONORIUS III. Friderico II. Romanorum Imperatori, & Siciliæ Regi.

Inc. *Miranda tui &c.*

MUlta contra Eccleſiaſticam libertatem patraſſe in Siciliæ regno, & in Theutonia putabatur Fridericus. Namque e bonis Eccleſiaſticis exactiones fecerat, collectas factas pro terra ſancta in ſuos uſus converterat Clericos ad forum laicum pertraxerat, Epiſcoporum edicta antequam publicarentur ſcire volebat; queſtus eſt a Pontifice nominatum fuiſſe Epiſcopum in Sicilia, ſe inficio; & alia talia fecerat.

Quare Honorius illi ingrati animi vitium objicit, qui cum accepiſſet ab Eccleſia tot beneficia, & regnum ipſum, ejus leges ita peſſundaret, & immunitatem Eccleſiaſticam violaret.

Eum in tutela habuit Innocentius III. ejuſque matri Conſtantiæ uxori Henrici IV. Imperatoris regnum Siciliæ dedit fiduciarium, quod poſtea Fridericus habuit, dedit ducatum Apuliæ, & principatum Calabriæ. Verum quidem eſt diſceptantibus de Imperio Ottone Saxoniæ Duce, & Filippo Suevo Friderici Patruo, Innocentium Ottoni adjudicaſſe Imperium; ſed Ottone mortuo, effecit, ut Philippo deferretur Imperium, ſicut effecit Eccleſia, ut Imperator eligeretur ipſe Fridericus. At quam male habitus fuit a Friderico Innocentius.

Eccleſia quot bella non ſuſcepit, quot expenſas non fecit, ut ab hoſtilibus armis regnum Friderici tutaretur. Marcunaldus, qui jam Montecaſſinum expugnaverat, regnique Friderici metas prætergreſſus fuerat, videbaturque regnum totum perturbaturus, armis fuit compreſſus.

Diopuldi militia longe lateque diffuſa ſic ſe per terras Apuliæ, & Laboris extenderat, ut brevi regno toto potiturus eſſe videretur; Eccleſia ſuis impenſis, prius juramento fidelitatis exacto, contra Diopuldum Comitem Brennenſem miſit, qui hoſtilis militiæ impetus retardavit, poſtea contudit.

Demum quoties opus fuit Eccleſia opibus, militibus Fridericum juvit, ejus utilitatem curavit, auxilia aliorum principum ei comparavit, nihilque agere omiſit, quod ad illius gloriam amplificationemque nominis, & auctoritatis credidit attinere.

Non merebatur igitur Eccleſia ita ſe ab illo haberi. Ne illi quidem, qui nullam ſingulare beneficium ab illa percepernnt tam perfricte ejus leges, & jura violant. Gravius ergo eſt in Friderico crimen, qui multis,

tis, iisque insignibus ab Ecclesia beneficiis acceptis, tot injuriis eam afficit.

Eum igitur Pontifex hortatur, ne velit matri suæ Ecclesiæ tam esse ingratus.

D. Later. P. a. X. a. D. 1226.

Multorum criminum incusatur Fridericus.

LXXIX. Ex Ludvig. tb. p. 875. GREGORIUS IX. Romano Francorum Legato.

Inc. *Attendite &c.*

GRegorius his quoque in litteris multa gravia Friderici crimina recensèt;

Flagellavit personas Ecclesiasticas, per Saracenos perturbat Patrimonium S. Petri, cum Soldano fecit pactiones, domos, hospitales, & Fratrum militiæ Templi impie annullavit. Nam factis treguis, & Templariis sine custodia viventibus, irruperunt Saraceni in eorum domos, & prædam ingentem abduxerunt. At Templarii obviam Saracenis progressi res suas recuperarunt, & etiam bona multa Saracenorum occuparunt; eaque asportabant, cum Imperatoris Bajulus furibundus prædam a militibus, qui contra suum institutum contra Christianos non pugnant, abstulit, reddiditque ea Saracenis. Ex quo audaciores Saraceni facti majores injurias Templariis inferunt, se defendere non audentibus, cum sciant ab Imperatore eos defendi. Militia eadem in Sicilia habebat centum Sclavos Saracenos, eos captivitate Fridericus liberavit, justitque illos in suas regiones dimitti.

Quare Legato præfato mandat Gregorius, ut suæ Legationis fideles moneat, ut stent fortes in fide, ut eidem defendant, ut Deum pro fidei conservatione orent.

D. Laterani Non. Aug. P. a. II. a. D. 1228.

„ Ib. p. 878. est instrumentum pacis initum ab Im„ peratore cum Saracenis.

„ Episcopi Herbipolensis, Vvormatiensis, Vercel„ lensis, ac Parmensis scripserunt ad Pontificem, & „ omnia impacta Friderico crimina diluerunt. Hæ „ litteræ afferuntur a Ludvigo ib. p. 879.

„ Afferuntur etiam (ib. p. 88.) litteræ Friderici „ ad Richardum Comitem Cornubiæ Angliæ Regis fi„ lium, in quibus *Pontificum technis, atque machi„ nationibus*, ut inquit Fridericus, *depictis*, varia „ crimina, quorum a Pontificibus incusatus erat, a se „ depellit.

De quibusdam malefactis reprehenditur Fridericus.

LXXX. Ex Rayn. t. XIII. p. 327. HONORIUS III. Friderico Imperatori.

Inc. *Cum omnibus &c.*

MOtus Fridericus ea graviori Pontificis reprehensione potius quam corrigeretur, alia crimina addidit: quemdam enim Tancredum de Campelio cum facinorosorum manu voluit infestare publicas vias; spoliati, & vulnerati fuerunt multi e Pontificia familia. Ad Fridericum ergo scribit Honorius,

Sui muneris esse omnibus damnum patientibus opitulari, multo vero magis venientibus, & recedentibus Roma contra viarum grassatores; expedit enim universæ Christianæ Reip. eas vias esse liberas; ideoque consuevisse prædecessores Pontifices ter in anno festo Ascensionis, consecrationis Basilicæ B. Petri, & feria quinta majoris hebdomadæ censuras in infestantes vias denuntiare;

Jam hoc crimen patravit Tancredus de Campelio qui multos venientes Romam aggressus est, & spoliavit; diciturque cum specialem a Friderico hæc faciendi licentiam habere; quod in grave ipsius Imperatoris dedecus caderet;

A quo ut se purget, inhibere hoc Tancredi, ejusque sociis debet.

Alioquin cum hæc incorrecta Honorius relinquere non posset, cogitabit qualiter sit ad correctionem tantorum excessuum procedendum.

D. Later. VIII. Cal. Febr. P. a. X. a. D. 1226.

De pace inter Fridericum, & Lombardos.

HONORIUS III. Rectoribus societatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniolæ. LXXXI. tb. p. 349.

Inc. *Ejus locum &c.*

„ VOlebat Fridericus Lombardos suo Imperio sub„ mittere; tandem hanc artem iniit. Dixit se „ velle habere conventum cum Lombardis pro expedi„ tione Terræ S. morabatur Ravennæ. Scripsit filio „ Henrico ut e Suevia in Italiam properaret cum ma„ gno exercitu: ut scivit filium adventare, movit Ra„ venna, & cum jam inibi erat, ut potiretur, Lom„ bardi agmine facto eum inde expulerunt. Questi sunt „ de hac perfidia Lombardi, questus etiam Fridericus, „ clamitans Patrem a Lombardis impeditum fuisse, „ quin posset obviam ire filio suo, ut illum ample„ cteretur, & hæreticos e Lombardia expelleret. „ Pontifex pacem inter Imperatorem, & Lombardos „ fecit.

Volens Pontifex gravibus obviare periculis quæ ex discordia inter Fridericum hinc, & Lombardos inde oriri poterant, Lombardis scribit, se scire e litteris Friderici, *nec non per solemnes ejus procuratores, & Nuntios* eum non suscepisse iter per Lombardiam, ut eos opprimeret, nec ideo vocasse ex Alemannia cum exercitu filium suum, sed cum non vellet in Lombardia hæreticos relinquere, qui animos majores sumpsissent in ejus absentia in expeditione sacra, opus erat, ut iter aggrederetur, & ut copias haberet.

Quæ cum ita sint, Imperator tamen paratus est omnes injurias remittere, banna, sententias, & ordinationes pro bono pacis revocare, & præsertim constitutionem factam de studio, & studentibus Bononiæ, recipiet in suam gratiam omnes civitates de societate; restituet etiam captivos factos tempore hujus discordiæ.

Civitates autem de societate ad honorem Dei, & Ecclesiæ alant milites quadringentos pro expedi tio - ne Terræ S. & civitatibus, Ecclesiasticis, sæcularibusque personis, quæ adhæserunt Imperatori remittant omnem rancorem: restituant captivos; revocent leges, banna emanata contra Fautores Friderici; & potestates nomine civitatum, quibus præsident, jurent, has conditiones esse servandas. Jurent etiam civitates esse servaturas decreta Concilii Lateranensis, & leges Imperiales super hæreticis editas.

Pontifex in specialem protectionem S. Sedis recipiet eos quadringentos milites, qui teneantur ire cum Imperatore ad Terram S.

Mittant civitates approbationes ad Pontificem cum sigillo suo munitas.

D. Lat. Non. Janu. P. a. XI. a. D. 1226.

De juribus Imperii in partibus Provinciæ, & regni Arelatensis.

HONORIUS III. Friderico &c. LXXXII. tb. p. 336.

Inc. *Tuæ sublimitatis &c.*

AD Pontificem scripserat Fridericus, ut castra, & loca, quæ erant in partibus Provinciæ, & regni Arelatensis, & nominatim ea, quæ quondam Raymundus Comes Toletanus possidebat, ad Imperium redire juberet.

Qui respondet Pontifex, se jam mandasse per litteras Legato, & etiam antequam in eas partes iret, dixisse eidem, velle quidem se purgari ea loca hæreli, sed nolle jura Imperii imminui.

Cum ergo patebit, quænam terræ ad Imperium pertineant, curabit Pontifex eas illi restitui.

Scribet ergo Legato ut terras Imperii retineat, & per Episcopos custodiri faciat.

Paulisper hanc dilationem patiatur Imperator pro bono pacis, pro bono fidei.

D. Later. X. Cal. Dec. P. a. X. a. D. 1226.

Horta-

Hortatio ad Fridericum ut in regno Hierosolymitano socerum conservet.

LXXXIII. tb. p. 336. HONORIUS III. Friderico &c.

Inc. *Non dubitat &c.*

„ NUptias Friderici cum filia Joannis Regis Hie„ rosolymitani conciliarat Honorius; sperabat „ enim fore ut ex hoc conjugio fieret, ut Frideri„ cus alacrius expeditionem in Terram S. susciperet. „ Sed est eum spes frustrata. Tantum enim abfuit, „ ut posset Joannes regnum suum tutari, ut etiam „ propter dissidium cum genero Friderico illud amise„ rit, Honoriusque coactus fuerit extorrem per Hispa„ nias, Galliamque excipere, & quibusdam ditionis „ Ecclesiasticæ locis eum præficere. Ad Fridericum igi„ tur scribit Honorius,

Se non dubitare, quin Fridericus sibi persuadeat, a Pontifice maximopere diligi suique nominis famam illi summopere esse cordi. Proinde quæcumque illi scribit, tanquam ab amantissimo profecta patre suscipere debet.

Omnes quicumque initio statim sciverunt filiam Regis Hierosolymitani Joannis uxorem esse futuram tanti Principis, parabant felicissimum Joannem. Quod enim tam arduum facinus esse potest, quod tot viribus collatis Imperii, Siciliæ, Regni Hierosolymitani perfici non posset? Merito ejusmodi fortem ajebant evenisse Joanni viro probatissimo, & optimo.

Jam ereptam e manibus hostium Terram S. dicebant omnes.

Spes omnium frustratus est Fridericus. Exutus regno Socer Joannes fuit. Si filiam rustici duxisset Fridericus; Sponsæ patrem evehere ad fortunæ fastigium deberet. Duxit filiam regis, & ex hac affinitate damnum Joannes retulit. Solet amicus amicum extollere, gener socerum deprimit.

Terra S. majoribus nunc est in angustiis, quam antea fuit; Hostes enim animos sumpserunt, discordiamque inter Christianos principes videntes eos contemnunt.

Quantum aveat reconciliationem facere Nuntius, quem ad Imperatorem mittit, illi significabit.

D. Later. VI. Cat. Febr. P. a. XI. a. D. 1227.

Quædam monita ad Fridericum, ut ad bonam frugem redeat.

LXXXIV. tb. p. 339. HONORIUS III. Friderico &c.

Inc. *Ad ostendendam &c.*

DUplex virtus *motiva*, & *comprehensiva* ostenditur in Friderico, unde sit ut intelligentiæ dono polleat, & *imaginatio* defæcata in illo sit. Hæc sunt duo *illa magna luminaria, quæ viam ligni*, per quam est eundum, homini ostendunt. Habet Fridericus quod est commune cum Angelis, nempe intellectum, habet quod est commune cum brutis, nempe sensum. Vitam omnino Angelicam ducere hanc non potest, cum corpus habeat; neque tamen decet, eum vitam brutorum vivere, cum intellectu ornetur. Sed præstat potius ad Angelicam accedere, quam ad ferinam: vitam brutorum egit Pharao; at quis finis eum manet?

Tum ex insignibus imperialibus argumentum Gregorius capit eum corrigendi. *Crux, ubi est lignum Domini, & lancea, ubi clavus ejus confixit ante illum in processionibus solemnibus defertur; coronam auream cum lapidibus pretiosis gestat in capite, sceptrum in dextera, pomum tenet aureum in sinistra.* Crux Domini semper debet esse illi in mente, pravas cupiditates debet transfigere, ratio in illo dominari debet, debet sibimet prius imperare, & exemplo mortales omnes, quibus dignitate præstat, anteire.

Triplici corona coronatus fuit, sicut Christus a matre, noverca, & a patre; a matre coronatus fuit Christus *corona gratiæ, per quam infirmitatem nostram assumpsit; a noverca corona justitiæ, per quam genus humanum sanguinis pretio sui redemit, a Patre corona gloriæ: ad dexteram enim suam ipsum in regno suo collocavit.* Ita Fridericus in Germania coronatus fuit corona gratiæ a principibus, qui ex gratia, cum possent alium eligere, ipsum elegerunt; *a noverca in Liguria, quæ solet aliquando in Imperio novercare; coronatus fuit a Patre, hoc est a summo Pontifice, quæ est corona gloriæ*, per quam omnibus potestatibus anteponitur.

Portet coronam gratiæ in hoc exilio, ut corona justitiæ illi reponatur in judicio, cumulanda in cœlis corona gloriæ,

Ait, se ad illum mittere Legatum, qui illi significabit, quantum ipse de ejus salute, & honore sit sollicitus, quicum etiam aget de Terra Crucifixi recuperanda.

Desunt notæ Chronologiæ, & loci.

Significatur Ecclesiarum prælatis in Fridericum sententia.

GREGORIUS IX. Universis &c. LXXXV. tb. p. 341.

Inc. *Christi Ecclesia &c.*

INfelicitatem Ecclesiæ describit Gregorius, quæ credens nutrire filios, *fovet in sinu ignem, serpentes, regulos, qui flatu, morsu, incendio cuncta vastare nituntur.* Quod autem ejus infelicitatem auget, dum credebat, se nutrire filium, qui eos serpentes opprimeret, eos potius servavit, & cum illis se conjunxit, ut matris viscera crudelius discerperet.

Fuit hic Fridericus, qui a teneris, ut dicitur unguiculis educatus ab Ecclesia fuit *summis laboribus, & expensis, & usque ad virum perfectum deductus, & ad regiæ dignitatis decorem, & tandem ad fastigium culminis Imperialis provectus.*

Ille dum in Theutoniam se transtulit, devotum erga matrem suam se ostendit; sponte non monitus votum edidit de expeditione in Terram S. Pontificem rogavit, ut excommunicaret Crucesignatos nisi statuto tempore illuc irent. Quem ardorem compensare S. Sedes volens eum ad coronam invitavit, cum antea nonnisi per multas preces ab illa hæc coronatio impetrata fuisset.

Coronatus sub Honorio III. ab hoc eodem Gregorio tunc in minori constituto *crucem resumpsit, votum publice renovavit; in colloquio apud Verulas habito cum Romana Ecclesia, publice juravit* se illuc profecturum in termino ab eadem Ecclesia præfigendo; in colloquio apud Ferrentinum spatium annorum duorum sibi sumpsit; eodemque tempore uxorem filiam Regis Joannis (Brennensis Comitis) Hierosolymitani duxit, & juramento firmavit, se iturum non ut Crucesignatum, sed ut Hospitalarium: ut Templarium se futurum esse.

Appropinquante termino cœpit excusationes proferre, seque imparatum ostendit, aliudque duorum annorum spatium sibi prorogari postulavit.

Ne tot impensæ in casum recidirent, tulit id patienter Ecclesia, misitque ad illum Legatum, in cujus manibus juravit, se post biennium in mense Augusto nunc transacto iturum, interim suis impensis in Terra S. retenturum mille millites; quod nisi faceret, se excommunicari publice passurum; *obligavit se ad centum Calendras, & quinquaginta galeas ducendas, & tenendas biennio ultra mare, & duobus millibus militum passagium permissurum.*

Interim quia terminus prope aderat, multitudo magna Crucesignatorum advenerat, ne excommunicarentur. Sed quia Rex *gratiam suam fere omnibus civitatibus in portubus subtraxerat*, cum naves non invenirent Crucesignati, nec aeris illius pestilentiæ essent assuefacti, & calore nimio, & incommodis premerentur multi e gregariis militibus, multi etiam e nobilibus misere interierunt.

Reliqui per summas preces vix obtinuerunt ab Imperatore transfretandi licentiam, licet naves omnes promissæ non adessent, & in festo Nativitatis B Mariæ Virginis *fulcare maria inchoarunt*. Fridericus relicto exercitu, exposita infidelibus terra, attractus deliciis regni sui rediit, *abjectionem corporis sui frivolis excusationibus, ut dicitur, gestiens palliare*.

Videant ergo Universi Christiani orbis Pastores, an Ecclesiæ dolor possit esse justior; tot expensæ frustra factæ fuerunt, frustra tot labores insumpti, spes recuperandæ terræ amissa, flos Christiani exercitus misere infidelium gladiis expositus, diuturnum tempus otio se præterlapsum, & harum omnium jacturarum reus Fridericus unus est.

Quamquam hoc ipsum debet fideles in auxilium ejus terræ accendere.

Cum enim matrem Ecclesiam lacrimis contumptam videant, cum proditam Christi causam ab illo ipso, a quo præcipue erat defendenda, ceruant, si viri sint, viriles animos sumere debent, & illius terræ propugnationem in Friderici dedecus susipere deberent.

Hæc omnia exponant fidelibus Ecclesiarum pastores.

Ne autem Gregorius videatur canis tantum latrare sciens, Fridericum tanti dedecoris ab Ecclesia accepti, tantorum malorum causam unicam excommunicat;

Quam sententiam ab Episcopis publicari ad omnium notitiam mandat.

Quanquam sperat, fore ut Fridericus omnium populorum gemitu motus, diluendæ infamiæ desiderio motus *per humilitatem debitam per satisfactionem congruam salutis remedia recepturus ad matrem Ecclesiam revertatur*. Vult Pontifex ejus salutem, non interitum, quem in minori constitutus sincere amavit.

D. Anagniæ Id. Oct. P. a. I. a. D. 1227.

Paterna monita ad Fridericum.

LXXXVI. Ib. p. 343. GREGORIUS IX. Friderico spiritum sanioris consilii.

Inc. *Utinam Imperialem, &c.*

ROgat paterne Gregorius Fridericum, ut timorem Dei sibi præ oculis præponat; videat quam patienter Deus eum sustinuerit, quot beneficia ei contulerit, quam ingratus illi fuerit.

Consideret gravitatem flagitii a se patrati, cum prodidit Dei causam, cum dereliquit exercitum.

Ne credat odio motum Pontificem censuras adhibuisse, imitatus est patrem, qui amatum filium corripit; ne Fridericus imitetur illos, de quibus dicit Dominus, *percussi eos, & non doluerunt, & attriti noluerunt recipere disciplinam.*

Tantum abest, ut odio habeat Fridericum, ut a multis accusetur, se propter illum prælatis tot Ecclesias spoliasse, tot domos filiis, tot uxores viris.

Objicitur Gregorio, quod cum Ecclesia Romana fidem præstiterit, servandam esse a Friderico conventionem inter ipsum, & comites Celanensem, & Raynaldum de Aversa, eam a Friderico violari patiatur;

Objicitur, quod cum ad preces Honorii III. promiserit Fridericus in gratiam recipere comitem Rogerium, nec *illum in nullo minuere* in exilium expulit, crucem assumere eum noluit, in captivitate ejus filium detinet: Ecclesia taceat.

Objicitur, quod cum regnum Siciliæ ab S. Sede teneat, eas vexationes in illo exerceat, quas nullus alius rex exercet, & Pontifex taceat, cum loqueretur, si in alio regno fierent;

Objicitur, quod Pontifex taceat cum videat a Friderico vel ipsa ecclesiastica jura violari.

Ne igitur tanta patientia abutatur Fridericus: tandem aliquando sue; & Pontificiæ famæ consulat; respiciat salutem animæ suæ; illudque pro certo habeat, Pontificem diutius vocem continere non posse.

D. Later. desunt notæ.

Episcopis &c. per Apuliam significatur sententia in Fridericum.

LXXXVII. R. t. 3. p. 1. p. 151. C. C. GREGORIUS IX. Episcopis, &c. per Apuliam constitutis.

Inc. *Quanto nobilius, &c.*

EAdem percensentur in hac Bulla, quæ exposita fuerant in superiore *Christi Ecclesia*. Narrantur facinora mala Friderici.

Ob quæ Pontifex significat præfatis Episcopis, se illum *solemniter excommunicavisse;*

Interdicto subjecisse omnia loca, ad quæ perveniet, subditos ab juramento fidelitatis absolvisse,

Illi fuisse minitatum, nisi se submitteret, se alium in regnum Siciliæ electurum.

Ordinariis mandat, ut singuli in suis diœcesibus hanc sententiam diebus festis solemniter publicari faciant.

D. Later. XII. Cal. Apr. P. a. I. a. D. 1228.

Rursus monetur Fridericus.

GREGORIUS IX. Friderico &c. LXXXVIII. Ex Rayn. p. 349.

Inc. *Ascendit ad nos, &c.*

SCribit Friderico Gregorius, se scire quam crudeliter in Siciliæ Ecclesiasticos se gerat, quomodo eos bonis spoliet, onera importabilia imponat, bona eorum diripiat.

Quæ cum dissimulare Christi vicarius non possit, eum monet, ut hæc emendet, ut injuste ablata restituat;

Illi etiam minatur, se illa expediturum, quæ duxerit opportuna Ecclesiæ Dei a tot tantisque injuriis vindicandæ:

Scribit, se ad illum mittere duos Fratres Minoritas B. & R. ut videant, an velit aures veritati aperire. Eos audiat, & quidquid ii suggesserint (suggerent autem omnia ad ejus famam, salutemque apta) facere velit.

D. Reate Non. Maji P. a. II. a. D. 1228.

De Friderico, qui moverat bellum in Pontificem.

GREGORIUS IX. Duci, & Communi Januensium. LXXXIX. Ib. p. 351.

Inc. *Fridericus Imperator, &c.*

FIngens Fridericus ire velle in terram S, miserat interim Raynaldum filium quondam Conradi ducis Spoleti suum Vicarium, ut Patrimonium S. Petri invaderet; ipse autem *per manus Saracenorum* quosdam Clericos, & presbyteros fecerat mutilari.

Quia vero Pontifex primo viriliter ei resisti non fecit, audentior factus Marchiam Anconitanam, & Ducatum Spoletanum aggredi tentavit, quibusdam venalibus ibidem pretio corruptis. Multa ibidem crudelia patrarunt Saraceni non parcentes ætati, non sexui.

Misit ad Raynaldum pontifex Citharam tabitaconum, ut eum removeret ab iis patrandis; quem cum permovere non potuisset, excommunicavit. Sed qua eam sententiam contemnit, statuit Pontifex arma temporalia in eum movere.

Cæterum ne fallantur Januenses; artificiose enim in vulgus disseminavit Fridericus, se destinare duos, qui ad Pontificem irent, ut pacem Ecclesiæ cum præfato Raynaldo componerent; Pontificem autem notasse eos accipere: nam Gregorius cum respondisset Raynaldum *non esse tractatorem pacis, sed persequutorem Ecclesiæ*, nuncii abierunt.

Hæc ad Januenses scribit Pontifex, ne patiantur se avelli malis Friderici artibus a fidelitate Ecclesiæ.

D. Perusii II. Cal. Dec. P. a. II. a. D. 1228.

A Rege Svetiæ imploratur auxilium contra Fridericum.

GREGORIUS IX. Regi Svetiæ illustri. XC. Ib. p. 352.

Inc. *Regi regum, &c.*

SIgnificat Gregorius eidem Regi ingratitudinem Imperatoris Friderici, quomodo Terram S. prodiderit, & quomodo nunc anhelet Ecclesiam universam concalcare, Ecclesiasticos perfundare, eorum bona occupare, ut postea Ecclesia Romana depressa jugum servitutis aliis regibus, & principibus imponat.

Tum eidem significat, eum per Raynaldum Vicarium suum magnas copias in patrimonium S. Petri immisisse, & omnes Ecclesiasticos a Saracenis, quos in exercitu habet, ejus regionis fuisse mutilatos.

Cui quidem violentiæ cum velit Pontifex resistere, treique exercitus compararit, neque habeat, unde eos alere possit, subventionem regis expoſcit. Meminerit, se Ecclesiæ Romanæ dilectum esse ilium; ne permittat ergo, eam tam injuste vexari.

Submittat illi aliquod subsidium, quo se a Friderici injuriis liberare possit, sibique a Deo præmium magnum expectet.

D. Perusii V. II. Cal. Dec. P. a. II. a. D. 1228.

Archi-

Archiepiscopo Mediolanensi, & ejus suffraganeis narrantur crimina Friderici in Terra S.

XCI. Ib. p. 356. GREGORIUS IX. Archiepiscopo Mediolanensi, ejusque suffraganeis.

Inc. *Ea quæ, &c.*

NE falsa pro veris accipiant Episcopi Mediolanensis provinciæ, ait Gregorius, se ad illos mittere, quomodo in negotio Terræ S. se gesserit Fridericus; illisque omnia ejus acta narrat.

D. Perusii Id. Junii. P. a. III. a. D. 1229.

Summatim hæc est expositio actorum a Friderico in Terra S. quam ad Pontificem misit Geraldus Patriarcha Hierosolymitanus A. S. Legatus, qui testis oculatus fuit.

In festo S. Clementis Imperator Accone profectus est Joppen cum exercitu. Soldanus cum dixisset, durante tractatu pacis, ea loca violari non posse, omnia, quæ peregrini, & milites rapuerant, cogit Imperator restituere, ibidem actum est de renovando tractatu pacis, illius pacis, quam Fridericus sanxerat, cum primum illuc ivit.

Notarius Imperialis fuit missus ad Soldanum, ad quem detulit arma Imperatoris, pollicens Imperatorem facturum esse quidquid Soldanus jussisset. Tanto magis Soldani superbia intumuit; quem ut demulceret, ad vilissima quæque descendit Imperator.

Rogavit Soldanum, ut *per Saracenos suos in ipsius Imperatoris impensis exercitum Christianum faceret custodiri*. Tunc Soldanus videns adeo Saracenos a Friderico amari, ad eum saltatrices, & cantatrices misit, personas infames; tunc saracenio habitu incedere Fridericus cœpit.

Longe ante nativitatem Domini præcepit Fridericus *biscottum fieri*, & parari vasa, & galeas. Tunc enimvero Saraceni eum contempserunt. Dominica Septuagesimæ vocatis *ad se quatuor de majoribus Syriæ* suam paupertatem significavit, & se cogi pacem facere. Tum exposuit, Soldanum offerre civitatem sanctam, templum autem esse custodiendum a Saracenis, qui permittent, eo sine aliqua solutione Christianos adire; se dare Soldano omnia alia loca, quibusdam parvis castalibus exceptis, quæ tamen custodiebantur a Saracenis; ne ulna quidem una terræ restituta fuit Patriarchæ extra sanctam civitatem.

Qui fuerant vocati majores Syriæ responderunt, se nihil consulere posse; esse audiendos magistros domorum, qui una cum Episcopis Angliæ dixerunt se sine consilio Legati Apost. qui est Patriarcha nihil consulere posse; quem Imperator vocari noluit, omnibusque dimissis clanculum juravit se tractatum pacis initum cum Soldano servaturum; cujus quidem tractatus *charta nunquam coram aliquo peregrino, nec aliquo de terra facta fuit.*

Vocati Theutonici sui ejus consilium laudarunt, ejus gloriam extulerunt; eorum judicio contentus Friderici judicia aliorum omnium sprevit.

Castris tripudia fieri cœperunt, Theutonesque iverunt ad Soldanos Sydonis, & Babyloniæ, ut juramentum super pace acciperent.

Tum Theutonicorum magister invitavit peregrinos, & exercitum, ut simul cum Imperatore in sanctam civitatem intrarent; testatusque fuit urbis Dominos futuros posthac Christianos; & velle Imperatorem loca munire; quod tamen vi tractatus fieri non poterat; sed fraus hæc Friderici fuit, ut cum egressus esset e terra, dicere posset, se recuperasse Terram, legatum autem Apostolicum eam perdidisse. Non enim Soldanus permisisset, ea loca muniri, quod tractatu vetabatur.

Ad legatum videre tractatum postulantem misit illum Fridericus; summo stupore fuerant omnes correpti cum illum legerunt; cum ad Pontificem Legatus milit. De illo infra.

A Legato cum peregrinis habito consilio statuerunt nihil in urbe innovare; ne postea, egresso Friderico, a Soldano cogerentur facta destruere. Inhibitum fuit sacrificare, & intrare in urbem peregrinis, donec exquireretur Pontificium oraculum, quia constabat, Imperatorem cum suis consiliariis, asseclis, &c. fuisse excommunicatum, cujus sententiæ pœna relaxari a solo Pontifice poterat.

Sed unanimiter Sabbato Dominicæ qua cantatur oculi mei *sunt cum principe urbem ingressi; qui summo mane ipso die Dominico sepulcrum intravit, vestibusque indutus regalibus capiti suo imposuit diadema.* Magister Theutonicorum sermonem fecit Theutonice, & Gallice, laudavitque magnifice Imperatorem, qui expulsis canonicis oblationes fidelium recipi faciebat per seculares milites, ut eas, sicut ajebat, expenderet in munienda urbe. Tum vocatis ad se quibusdam Episcopis, & magistris militiarum dixit, se velle munire templum, dicerent, quid sentirent: responderunt, se die crastino responsuros.

Die crastino summo mane nemine salutato egressus urbe fugitivi ritu iter Joppen versus arripuit Imperator; quod cum magistris nuntiatum esset tanta contentione iverunt, ut eum sint consequuti, quibus ille respondit, se velle longiorem de munienda urbe habere tractatum. Lectæ interim fuerunt conventiones initæ a Friderico cum hostibus, e quarum lectione ita confusi præ mœstitia, & rubore fuerunt Theutonici, ut rogati eum ultra mare sequi noluerint, advertentes se turpissime fuisse ab illo deceptos.

Pervenit Fridericus Accon media quadragesima; milites Theutonici noluerant eum sequi præ timore excommunicationis. Aliqui peregrini venientes ad sepulcrum fuerunt a Saracenis interfecti. Quæ evenient, Patriarcha ad Pontificem scribet.

Misit etiam idem Patriarcha capitula treguæ, & ad quodlibet capitulum quædam notat Patriarcha. Cum tandiu in Ecclesia ardor Cruciatarum viguerit, cum hæc Friderici capitula sint celebria, quamvis possint a nostro instituto videri aliena, visum est ea hic apponere.

C. I. *Sultanus Hierosolymam Imperatori, ejusque præfectis tradit, ut de ea quocunque modo pro arbitrio disponat, communiatve.*

Nulla fit mentio de Ecclesia, de Christianitate, nisi illam muniat Fridericus, nemo alius eam munire potest.

C. II. *Imperator non occupabit, attingetve Seemelata, quod Salomonis templum est, nec templum Domini, vel quicquam eorum ambitu, complexuque contentum, nec pati debet Francum ullum cujuscunque gentis fuerit, ea invadere, sed nullo prorsus immutato erunt in potestate, ac manu Saracenorum; qui ea ad orationes suas fundendas, suamque legem proclamandam obtinebunt, nulla iis prohibitione, & contradictione facta, clavesque portarum, quæ in ambitu locorum sunt, apud eos, qui ad ea loca instruenda, curandaque residunt, remanebunt, nec in posterum ipsis eripientur.*

C. III. *Nulli Saracenorum vetitum erit in Bethlehem libere peregrinationem obire.*

C. IV. *Si quis Francus firmam fidem in majestatem, dignitatemque templi Domini habuerit, eoque ad preces fundendas ingredi voluerit, id illi licebit: at si in ejus templi majestatem, dignitatemque non credit, in toto loci ambitu consistere permittendus non est.*

C. V. *Si Hierosolymis Saracenus alteri damnum intulerit apud Saracenos in judicium vocabitur.*

C. VI. *Imperator nulli Franco, quisquis ille fuerit, quocunque modo operam præstabit, nec Saraceno ad confligendum, bellumque movendum contra Saracenos, quicunque ii fuerint, per has inducias, belloque moto, nec quemquam impellet, vel mittet, nec cuiquam eorum se conjunget, qui ad prælium ineundum fuerit progressus, iisve nullo modo adhæresset, nec eos commeatu, vel viris adjuvabit.*

C. VII. *Imperator avocabit eos omnes qui meditabuntur eladem aliquam inferre terris Sultani Melec Elkemor ac terris, idque suis, exercituique, ac subditis vetabit pro quanta in eo erit potestate.*

C. VIII. *Pene idem, sed magis expressum. Si qui Franci pactiones conventas, aut quarum mentio facta sit in his induciis transgredi cogitent, Imperator Sultanum defendere tenetur, ac ab ea mente suos, subditosque, exercitumque revocare.*

C. IX. *Tripolis, ejusque territorium, Crachum, Castelblanchum, Tortosa, Margatum, & Antiochia, & quidquid in iis reperitur tam in bello, quam in induciis, in suo statu relinquatur, ac Imperator suis, exercituique suo inque terris suis commorantibus qui ea accedent, sive ii Franci fuerint, indigenæ, vel exteri, opem dominis dictorum locorum ferre prohibebit.*

Per annos decem, quibus induciæ durare debebant, articuli hi erant servandi.

Fridericus tamen ad auram colligendam ad omnes fere principes de his induciis litteras misit *datas apud civitatem Sanctam Hierusalem die VII. Mensis Martii anno MCCXXIX.*

De Friderici flagitiis.

XCII. Ib.p.360. GREGORIUS IX. Austriæ Duci,

Inc. *Inter alia, &c.*

AUstriæ Duci scribit Gregorius, inter flagitia Friderici, *quatuor præcipue notanda esse, alphabeto quadruplici deploranda.*

I. Resignavit impudentissime gladium, sumptum de altari S. Petri, sibique datum ad vindictam malorum, ad pacem Christianorum, ad Ecclesiæ defensionem Babyloniæ Soldano, oblitus suæ dignitatis, loci &c.

II. E Sede, unde Christus docuit, in qua posuerat Cathedram suam eum ejecit, & in ea Muhametem perfidum collocavit; unde audienda erat Christi doctrina, auditur Muhametis doctrina.

III. Exposuit Paganis Antiochiam, provinciam Antiochenam, & Tripolitanam, cum adjacentiis suis; ita ut ea loca per annos decem si invadantur ab infidelibus, a Christianis defendi nequeant.

IV. Ipse cum Paganis se fœderavit in Christianos. Jubetur enim ex vi tractatus revocare Christianos, qui vellent bellum paganis inferre.

Putat Ducem non Imperatoris participem; nam reus est læsæ majestatis Fridericus. Nam si reus hujus est criminis qui aliquid contra suum principem molitur, multo magis reus est Fridericus, qui tam indigne machinatus est contra Christum regum regem, contra Ecclesiam, contra Christianum populum.

Antequam e terra illa exiret, omnia arma, quæ jamdiu Accone erant, ut Christianus exercitus iis uteretur, clanculum surripuit, & in galeis suis poni fecit; parte tamen eorum Soldano data, & die SS. Philippi, & Jacobi clam fugit, ac reliquit urbem hostibus occupandam.

D. Perusii XV. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1229.

Archiepiscopus Lugdunensis jubetur auxilium Ecclesiæ ferre.

XCIII. Ib.p.362. GREGORIUS IX. Lugdun. Archiep.

Inc. *Cum Fridericus, &c.*

JAm alias evocaverat in auxilium Ecclesiæ prædictum Archiepiscopum Gregorius contra Fridericum.

Quod cum illi ferre recusaret Archiepiscopus, eum Pontifex coarguit: illum ad hoc juramento teneri; quo quidem etiamsi non teneretur, saltem amore caritatis in matrem suam, quæ illi partem tantam suorum fidelium regendam commisit, inductus opem ferre deberet; eum ingratitudinis notam effugere non posse, si Ecclesiæ in tot periculis constitutæ non succurrat.

Ut igitur hæc emendet, una via restat, nempe si statim veniat; ad quod faciendum illum hortatur. Veniat itaque *cum congruo exsortio bellatorum personaliter Ecclesiæ Romanæ ita ex debito serviturus, quod meritum sibi comparet.*

Quod si facere recusabit adhuc, sciat jam mandatum fuisse quibusdam prælatis, ut eum ad id agendum per censuras compellant.

D. Perusii IV. Cal. Oct. P. a. III. a. D. 1229.

Etiam Episcopi Parisiensis auxilia imploravit argumento deducto a caritate.

Increpuit Lombardos, quod in his Ecclesiæ angustiis illi non opitulentur; eosque permovere studet e timore; victa enim Ecclesia, potentiaque Friderici aucta, timere debent, ne ejus arma in Lombardiæ urbes convertantur.

Interim ut obstinatum principem ad sanitatem reduceret, illum, ejusque fautores excommunicavit.

Verens Fridericus ne sibi eveniret, quod evenit Othoni Imperatori, in quem excommunicatum ipse excitatus fuit a Pontifice, electusque Imperator, animum ad pacem flexit, misitque oratores, ut eam inirent; a qua etiam Pontifex non abhorrebat.

Propositiones Pacis Friderico proposita.

GREGORIUS IX. Episcopo Sabinensi & Thomæ tit. S. Sabinæ Presb. Card. P. S. LL. XCIV. Ib. 369.

Inc. *Quod nos, &c.*

HIs præfatis Cardinalibus Legatis suis mandarat Gregorius ut nuntiis Imperatoris conditiones pacis proponerent; proposuerunt has:

I. Non impediat per se, vel per alium, quin electiones, postulationes, & confirmationes Ecclesiarum, & Monasteriorum in regno fiant de cætero secundum statuta Concilii generalis;

II. Satisfaciat Comitibus Cælanensi, & filiis q. Raynaldi de Aversa juxta formam compositionis, pro qua Ecclesia fidejussit;

III. Satisfaciat nobilibus de injuriis, damnis illatis Templariis, Hospitalariis, aliisque Ecclesiasticis intra terminos ab A. Sede præscribendos;

IV. A die absolutionis usque ad octo menses Ecclesiæ bona fide caveat Fridericus per fidejussores idoneos & juratos principes, Comites &c. Theutoniæ, & communia Civitatum Lombardiæ, Thusciæ, & Marchiæ, & Romaniolæ; & his personas nominabit Ecclesia, quæ personæ, quæ communia assistant Ecclesiæ, donec Fridericus eidem satisfecerit.

V. Infra quindecim dies mittat Fridericus nuntium ad Curiam, qui recipiat nomina eorum, quos in fidejussores nominabit Ecclesia.

VI. Etiam negotium Terræ S. includitur in hoc tractatu, ut eidem satisfaciat.

VII. Si quicquam a Legatis prætermissum est de iis, quæ mandare debuerunt, reservetur Papæ.

VIII. Protestati sunt, Papam velle sibi restitui expensas, quas extra regnum coacta est Ecclesia facere pro tuenda Ecclesiastica libertate.

IX. Sententiam excommunicationis pronuntiarunt in Imperatorem, si

I. Non curaverit bona fide quod per fidejussores est ei injunctum;

2. Si viam pacis, *prout invenietur per communem contractum, non servaverit.*

3. Si terram Ecclesiæ, vel terras eorum, quas Ecclesia tenet ad manus suas, vel personas eorum ceperit, occupaverit, devastarit,

Acta sunt hæc apud S. Justum juxta Ceperanum anno MCCXXX. in Festo S. Augustini.

Hæc omnia Gregorius a Legatis acta confirmat.

D. Perusii Id. Sept. P. a. IV. a. D. 1240.

Oratur Fridericus liberare aliquos in carcere detentos.

GREGORIUS IX. Friderico, &c. XCV. B.B. t. 3. p. 263. C. C.

Inc. *Si Anna, &c.*

REdiit ad sinum Ecclesiæ Fridericus, unde desciverat.

Quis enarrare possit Gregorii lætitiam? Quantum mœruit Anna discessu filii sui Tobiæ, quantumque lætatura est de illius reditu, ita ex dolore defectionis Friderici ab Ecclesia, est deducendum gaudium illius in ejus adventu. Alias etiam similitudines e scriptura profert de pastore recuperante ovem, de fœmina gemmam deperditam reperiente Gregorius.

Eum deinde rogat, ut quoniam alia promissa partim complevit, partim se completurum promisit liberet e carcere comitem Thomam, & filios q. Raynaldi de Aversa eo die, quo a censuris absolutus in alium novum veluti transferetur hominem, imiteturque in hoc paganos Principes, Chistianosque reges, qui die nativitatis suæ e captivitate miseros liberant.

Ne dubitet in aliqua re, qui habet manum Ecclesiæ adjutricem ubique, ac undique secura potest gaudere quiete.

Datum Anagniæ V. Cal. Septemb. P. a. IV. a. D. 1230.

Ad Regem Franciæ de pace cum Imperatore facta.

XCVI. ex Raynaldo Ib.p.379. GREGORIUS IX. Ludovico &c.

Inc. *Tandem magnificans, &c.*

SIgnificat Galliarum Regi Gregorius, *mediantibus principibus Alemanniæ tam Ecclesiasticis, quam secularibus, tractatu pacis præhabito, & ab utraque parte communiter acceptato,* Fridericum humiliter postulantem, & se submittentem suisse absolutum;

Ideo hæc scribit Regi Pontifex, quia sicut augebatur de Ecclesiæ malis, ita lætabitur de bonis.

Eum rogat, ut suadeat Imperatori, ut pacem contineat, & confirmet, operibusque ostendat, se filium devotum Ecclesiæ esse.

D. Perusii III. Non. Nov. P. a. IV. a. D. 1230.

Litteras in idem argumentum dedit Gregorius ad præfectos civitatum fœderatarum Insubriæ, ad quos mittit Bullam Friderici de non molestandis iis civitatibus.

Litteræ incipiunt *Magnifica vestræ, &c.*

Excitatur Fridericus ad clementiam.

XCVII. Ib.p.371. GREGORIUS IX. Friderico &c.

Inc. *Non dubitamus, &c.*

GRave videbatur Friderico eas leges subire, & subditis suis, qui Pontifici adhæserant, ignoscere: quare in illos exercere ultionem cœperat. De his admonitus Gregorius Imperatori scribit,

Se jam prævidere, futuros esse quosdam, qui cum majora emolumenta reperiant in turbis, quam in pace, illi suggerent consilia paci adversa; nempe ut injurias persequatur suas, & homines de Fogia, Casali Novo, S. Severino, & in Capitaneatu minus humane tractet.

Sed caveat Fridericus, ne clementiam in iram vertat; actum tunc esset de sui nominis fama. Quid malevoli non dicerent? quantum non afflictarentur boni, qui adeo de pace l tati sunt?

Ostendat se ergo virum Fridericus; ne se dedat iræ; eam compescere viri fortis est, infirmi autem ejus motibus obsequi; ne permittat se separari pravis consiliis; & acceptas injurias, ut pollicitus est, deleat ex animo Dominoque remittat;

Consulat eodem tempore famæ Pontificis, qui tanquam nimis credulus traduceretur, quod verbis ipsius Friderici fidem præstiterit.

D. Anagniæ Id. Oct. P. a. V. a. D. 1230.

Raynaldum, qui invaserat Vicarius Friderici Patrimonium S. Petri, commendavit Imperatori Gregorius semel, iterumque ut in gratiam eum reciperet; commendavit illi Insubres.

Admonetur Fridericus, ut leges latas contra Ecclesiæ libertatem revocet.

XCVIII. Ib.p.377. GREGORIUS IX. Friderico &c.

Inc. *Intelleximus, &c.*

QUarundam legum lædentium Ecclesiasticam libertatem editarum a Friderico auctorem Archiepiscopum Capuanum cum graviter aliis litteris coarguisset Gregorius, his hortatur Fridericum, ut eas revocet.

Iis enim evulgatis necessum est, ut Ecclesiæ persequutor appareat, *& obrutor Ecclesiasticæ libertatis.*

Quod si motu proprio eas edere constituit, timendum est, *ne de gratia illi sit subtractum, dum sic patenter famam propriam negligit, & salutem; si vero impulsus ab aliis, mirandum est, quod talibus consiliis acquiescat.*

Quoniam igitur *montes susceperunt pacem, cur pauperes populi debent esse pacis expertes, ut in pace amaritudo amarissima sit eorum?*

Se patrem ostendat populorum Fridericus, malit benedici.

D. Reate III. Non. Jul. P. a. V. a. D. 1231.

Mitigare Fridericum studet Gregorius.

GREGORIUS IX. Friderico &c. XCIX. Ib.

Inc. *Intelleximus, &c.*

ASsuetus assentatorum adulationibus Fridericus, qui omnia quæcunque agebat laudabant, asperitatem Litterarum Pontificis ferre non poterat, eumque accusabat.

His ergo litteris studet Gregorius factum purgare suum.

Ex iis litteris debet potius Fridericus Pontificis amorem deducere, quam irasci; pater enim filium quem diligit castigat, *& via vitæ est increpatio disciplinæ.*

Præterea hæc increpatio non fuit publica, sed occulta, non clamorosis vocibus, sed litteris expressa secretis.

Sibi persuadeat Fridericus, id Pontificem egisse non animo rixandi, non jurgandi, sed animo eum corrigendi, ita ut si omnibus dignitate præstat, etiam vitæ ratione, operibus, moribus omnes alios antecellat.

D. Reate VI. Cal. Aug. P. a. V. a. D. 1231.

De titulis prætermissis in suis litteris a Pontifice.

GREGORIUS IX. Friderico &c. C. Ib.

Inc. *Quod de tribus, &c.*

REgis Hierusalem titulum in nuperis datis litteris ad Fridericum non apposuerat Gregorius. Questus fuit de hac omissione Imperator.

Ergo respondet Gregorius, non ex contemptu se eum titulum prætermisisse; quis enim magis se studuit ejus honori amplificando? Verum cum *speret in illo, qui dans virtutes præmia elargitur sua tantum dona in homine coronando, ut quo pluribus dignitatum nominibus fuerit appellatus, eo se studeat iis reddere digniorem, ecce tacitum hactenus Hierosolymitanum titulum clarum utique, se daturum hilari scribit novitate.*

Cum igitur tribus insignibus titulis sit ornatus Imperatoris, regis Hierosolymitani, & regis Siciliæ indivisæ opera Trinitatis exprimere in se curet; per potentiam domet hostes fidei, subducat loca Sancta ab infidelium potestate; per sapientiam subjectos populos bene, recteque regat, & justitiam diligat; per benignitatem sit mœrentium consolator, afflictis perfugium, oppressis levamen.

Ut autem signatum conveniat cum signante, cum Hierusalem visio pacis dicatur, pacem servare studeat, ut ejus *fideles sedeant in pulchritudine pacis, necnon Ecclesia & personæ Ecclesiasticæ plena libertate gavisæ tranquilla securitate lætentur.*

D. Reate II. Id. Aug. P. a. V. a. D. 1231.

Hortatio ad Fridericum, ut Persis semet opponat.

GREGORIUS IV. Friderico &c. CI. Ib.p.385.

Inc. *Licet primo, &c.*

SCripserat Fridericus Pontifici, Persas magnis collectis copiis parare irruptionem in Syriam, se velle iis obviam ire, eorumque conatus reprimere.

Rescribit illi Gregorius, se primo quidem vix potuisse credere, tam audax facinus suscepturos Persas; tum gratias Deo agit, quod Imperatorem ad hujusmodi consilium arripiendum moverit; deinde Imperatorem laudat, quod tam strenue semet obtulerit pro defensione Terræ Sanctæ.

Eum hortatur, ut Regni Hierosolymitani arces muniat, ut hostes in earum obsidione vel consumentur, vel labore victi retrocedant.

Quia porro negotii gravitas ejusmodi est, ut ad universam Christianam Rempublicam pertineat, ait, se scribere Regibus, & principibus, & Ecclesiarum prælatis, ut crucem assumant, subditos suos arment, suos populos ad opem ferendam terræ illi excitent salutaribus adhortamentis;

Sed spem potissimam superandi hostes sciat Fridericus in se esse positam.

D. Later. XIV. Cal. Febr. P. a. V. a. D. 1231.

Commendatur Fridericus pollicitus, se Ecclesiæ defensionem susceperturum.

CII. Ib. p. 394. GREGORIUS IX. Friderico.

Inc. *Referentibus, &c.*

PErsequebantur Romani Pontificem Gregorium, eumque nolebant intra mœnia urbis recipere, cogebaturque modo in hac, modo in illa urbe morari. Romani enim eos omnes populos, quos sciebant devotos esse Pontifici, bello impetebant, eorumque agros devastabant.

Pontifex ad Imperatorem confugerat, qui Archiepiscopum Messanensem, & judicem suæ Aulæ ad Gregorium misit pollicens se ferrum acceptum de altari S. Petri, & manibus Pontificiis sibi datum nunquam esse reconditurum nisi prius hostes fidei, & adversarios Pontificis domasset.

Cum hæc audivisset a prædictis Nuntiis Gregorius, has litteras ad Fridericum misit.

Sicut, inquit, Ecclesia mater restauravit Imperium, ita libertatem Ecclesiasticam, Pontificiam dignitatem oppressam Imperium nunc erigit.

Hæc nimirum est unitas illa, quam Christus adeo commendavit, ut una potestas alteram sublevet.

Nunc illud Christi vaticinium adimpletur, pulsandum esse, & aperietur. Apertum est cor Friderici, & Ecclesiæ mala compatitur.

Eum ergo rogat in concepta voluntate persistat, proposito sibi ante oculos præmio, quod ab Ecclesia ab illo defensa expectare jure meritoque debet.

D. Anagniæ XI. Cal. Nov. P. a. VI. a. D. 1232.

Increpatur Fridericus, quod Saracenos foveat.

CIII. Ib. GREGORIUS IX. Friderico.

Inc. *Mirantes accepimus, &c.*

FRidericus jam spoponderat, se depressurum hæreticos, eumque datis litteris laudibus ingentibus onerarat Gregorius.

Idem tamen favebat Saracenis, & eos receperat, & Nuceriæ eos ædificare permittebat, & Ecclesiæ S. Petri in Bangio Fojetano pleno jure ad monasterium S. Laurentii de Aversa spectantem in stabulum converterant. His nuntiis motus Gregorius ad Fridericum scribit,

Hæc, quæ tendunt in contumeliam Dei, in contemptum fidei, in despicatum Romanæ Ecclesiæ, in infamiam Imperialis nominis, non posse a se taceri.

A manibus infidelium eas Ecclesias, quas manus fidelium erexerunt, Christianus princeps dirui permittet? Imperatoris potius esset in laudem Dei, sanctorumque Ecclesias ædificare, quam permittere ædificatas destrui.

Quamquam potius esset eas destrui, quam converti in stabula. Nescit concipere Gregorius quomodo horrore non corripiatur Fridericus reputans in ea Ecclesia, ubi sacra toties facta sunt, Christi, Angelorum, Sanctorumque domo, nunc jumenta esse.

Hæc corrigat Imperator, & quia Saracenis data ab illo nimia libertas Christianis finitimis damnosa summopere est, eam comprimat; nulla debet esse conventio inter filios lucis, & tenebrarum.

D. Anagniæ III. Non. Dec. P. a. VI. a. D. 1232.

Friderici querelis satisfit.

CIV. Ib. p. 401. GREGORIUS IX. Friderico.

Inc. *Pro tunc &c.*

QUerebatur Fridericus, per Pontificem stetisse, ne Lombardi debitam Imperatori satisfactionem darent.

Respondet huic querelæ Gregorius, sibi nullam esse affigendam culpam, si Lombardi id facere noluerunt; se suscepisse *semper faciendum quod dignum & utile videbatur*.

Tum increpat Fridericum, quod quæ beneficia a Gregorio acceperit, obliviscatur, & ea recordetur, quæ maleficia certe sua non sunt.

Querebatur Fridericus, Pontificem pati, Lombardos deesse iis quæ promiserant Friderico.

Respondet Gregorius; se non videre, quæ damna juribus Friderici intulerint Lombardi, quot injurias illi irrogarint. Immo Lombardi, se gravatos a Friderico sentiunt. (Quæ iis facere voluerit, vidimus supra.)

Querebatur, Lombardos non dedisse sibi profecto in Terram S. milites quadringentos, sicut statuerat Pontifex.

Respondet Pontifex, eos milites promisisse quidem Lombardos Friderico, sed promisisse, si modo iret statuto tempore, & tempore per Romanam Ecclesiam approbato. Videat, num tunc iverit.

D. Anagniæ II. Id. Aug. P. a. VII. a. D. 1233.

Ad clementiam studet Pontifex inducere Fridericum.

GREGORIUS IX. Friderico. CV. Ib. p. 404.

Inc. *Quia ferventi &c.*

ACceperat Fridericus in gratiam Cajetanos ad preces Pontificis, sed memor eos stetisse pro Gregorio, eos vexare incœperat per Rectorem e monte Fusulo, quem urbi, & agro præfecerat; Rector eos spoliavit auctoritate creandorum consulum, & nova vectigalia iis imposuit.

Quare Gregorius, quin Cajetanos nominet, ne majore odio eos Fridericus persequatur, cum eos ita protectos a Pontifice videat, studet movere Imperatorem ad clementiam.

Vellem, inquit Pontifex, ut arboris pulchritudinem indicarent fructus, vellem ut factis confirmarentur verba quæ sæpe tuis litteris exprimuntur. Quam lætus incederem, si gladium, quem in tuos cives Christianos convertis, in Ecclesiæ hostes converteres, si timque sanguinis adversariorum Ecclesiæ sanguine extingueres.

Tunc te fortem, te magnanimum dicerem, nunc te iracundum, & quasi crudelem dicere debeo; tunc præmium esset tibi a Deo dandum, nunc pœnam suppliciumque expectare ab illo debes; tunc te prædicarem justum, rectique amantem, & universa Christiana Resp. in te suspiceret Imperatorem humanissimum; nunc es mihi arguendus ut iræ impotens: totus orbis te, tuaque facinora vituperat, tunc *dicereris promotor Imperii, nunc diceris depressor ejusdem occasione afflicti regni Siciliæ*.

D. Later. Id. Jul. P. a. VII. a. D. 1233.

Ad Germaniæ principes, ut Henrico filio Imperatoris ambienti contra Patrem Imperium resistant.

GREGORIUS IX. Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque principibus Ecclesiasticis, sæcularibus per Imperium constitutis. CVI. Ib. p. 425.

Inc. *Rem multiplici &c.*

HEnricus Friderici filius oblitus naturæ legum, oblitus legum divinarum exuere patrem Imperiali diademate studebat. Scriplit Fridericus ad Pontificem ejus auxilium implorans; qui licet tot injuriis affectus a Friderico fuisset, ad Germaniæ principes scribit,

Ne Henrico faveant rem exempli tam mali aggressо, sed potius eum ad officium redigere curent, & quæ debeant esse officia filii in patrem, ostendant;

Ne permittant vires Friderici, pro recuperatione Terræ Sanctæ & opprimendis inimicis Crucis dividi.

Quod si qui jurarunt Henrico adhæsuros se, & adversarios Friderici, eos ab hoc juramento tanquam illicito dissolvit Gregorius.

D. Perusii III. Id. Mart. P. a. VIII. a. D. 1235.

Cum ingenti exercitu profecto in Germaniam Friderico Henricus videns se imparem semet Patri summisit, a quo in gratiam receptus fuit.

Etiam Insubres studuit Pontifex cum Friderico conciliare, & hujus rei gratia litteras Legato Sedis S. dedit.

Cum Fridericus vellet in uxorem ducere sororem Henrici Angliæ Regis, operam suam Gregorius interposuit.

Dissua-

Dissuadetur Fridericus, ne bellum Insubribus moveat.

CVII. Ib. p. 433. GREGORIUS IX. Friderico &c.

Inc. *Cum olim, &c.*

ACceperat Pontifex, velle Imperatorem contra Lombardos procedere eos puniturum.

Ad illum mittit Jacobum Abbatem Cisterciensem Gregorius,

Eumque rogat, ut illum benigne audiat, sibique persuadeat, eum nihil esse dicturum, nisi quod crediderit ejus honori convenire, & Dei gloriam decere.

Eum rogat etiam, ut mittat equitum Hospitaliorum Germanorum Magistrum, quicum Pontifex aget, quæ ad Ecclesiam, & Imperium pertinent.

D. Interamnis IV. Id. Junii P. a. X. a. D. 1236.

Se purgat a criminationibus Friderici Gregorius.

CVIII. Ib. GREGORIUS IX. Imperatori &c.

Inc. *Cum ad exemplum &c.*

QUcitus fuerat Fridericus, Pontificem pacem inter Lombardos composuisse. Voluisset enim eos esse discordes, ut ita facilius illos opprimeret.

His querelis respondet Gregorius, Filium Dei venisse in mundum, ut pacem mitteret, ut homines cum suo Patre conciliaret; se ejus Vicarium illius fuisse exemplum sequutum, tantumque abesse, ut se pœniteat id fecisse, ut si facturus illud esset, rursus faceret. Urget negotium Terræ S. quod promovere debet Pontifex, imminebant bella, & strages; ea debebat impedire Pontifex.

In hac pace componenda usus est Episcopi Asculi opera Gregorius, viri, quem probitas vitæ, morum honestas, præclara ab illo facta opera extra suspicionis periculum ponunt. Neque vilitas loci, in quo est natus, illi nocere debet.

Locus mores nec corrumpit, nec meliores facit, Christus Sanctissimus fuit in impio mundo, Dæmones peccarunt in Paradiso.

Eum satis purgat ab omni suspicione Magister hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, qui plurimi illum facit. Venit ad Imperatorem ipsum simul cum Legato Pontificio Card. Diacono tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano, neque tunc Friderico suspectus fuit. Egit Episcopus cum Lombardis non astu, non subdole, non clanculum, sed ea dixit, quæ eorum causæ, utilitati, quæ Ecclesiæ, quæ Imperio, quæ Deo conveniebant. Assenti ejus verbis a Spiritu S. dictatis sunt Lombardi, pacemque, ad quam conciliandam erat missus, inter se composuerunt. Cæterum ne ulterius Fridericus de Sede A. queratur, paratus est Pontifex contra Legatum Friderico ita volenti justitiam exhibere.

Videat Fridericus quid dicat de contumacia Lombardorum. Ipsi arbitrum fecerunt Pontificem, illi promiserunt se stare ejus sententiæ; nondum Nuntios misit Pontifex ad Lombardos, quibus significarent, quid Pontifex vellet eos facere. Contumaces ergo dicendi non sunt, cum neque recusarint venire, neque abnuerint agere imperata.

D. Reate X. Cal. Nov. P. a. X. a. D. 1236.

Reprehenditur Imperator ob Ecclesias Siciliæ oppressas.

CIX. Ib. p. 435. GREGORIUS IX. Friderico &c.

Inc. *Ecce in regno &c.*

PErgebat Ecclesias Siciliæ divexare Fridericus, gravamina plurima Ecclesiasticis imponebat, impediebat electiones pastorum, ut ipse interea Ecclesiarum redditus perciperet, pastores prædicare impediebat;

Permittebat Saracenorum gymnasia construi, e monasteriis ejiciebat Monachos, ut Saracenos in iis collocaret, vel sinebat templa Christianorum dirui, & ex iis lapidibus construi Saracenorum domos; Christianos tailiis, vectigalibus vexabat, profusasque largitiones Saracenis faciebat, patiebatur Christianos a Sarracenis opprimi, puniebatque asperrime si quis Christianus aliqua vel levi injuria Saracenum affecisset.

Hæc omnia gravissima crimina illi objicit Gregorius, quæ tamen, ait, se illa omnino non credere; sunt enim & numero plura, & gravitate majora quam credi possint. Sed si vera sunt, ea corrigat Fridericus.

D. Viterbii XI. Cal. Mart. P. a. X. a. D. 1236.

Pupugere hæ Gregorii litteræ Fridericum, & ipse quoque acerbas ad Gregorium litteras scripsit, quibus de nimia credulitate, & de nimia asperitate in se eum arguit. Quare

Respondet Gregorius litteris Friderici. CX. Ib.

GREGORIUS IX. Friderico.

Inc. *Si memoriam &c.*

SI Fridericus memoria teneret beneficia ab æterno numine accepta, si hominum pudor in illo esset, si suam conscientiam respexisset, si totius sui regni voces, gemitusque audisset, vidisset que, non ita rescripsisset. Non hæc ad Pontificem Friderici crimina a S.A. Legato Prænestino Episcopo sunt delata, sed vox est omnium una, hæc Fridericum, & alia plurima patrasse.

Quid opus est singularia facta Pontificem enarrare contra Ecclesiæm? (Fridericus enim eo quod generatim scripserat Gregorius eum violare Ecclesiarum jura, neque Ecclesiam ullam nominarat, respondet, se injuria accusari, cum Gregorius si potuisset, aliquam Ecclesiam nominasset) cum Fridericus sibi supremam potestatem in res Ecclesiasticas arroget, cum earum fructus percipiat, dum vacant, cum velit eas vacare ad libitum suum, cum impediat Episcopos sua munera exercere, cum velit in Ecclesiis poni quos vult, nil attinet afferre in exemplum eum fecisse sic in hac, in illa Ecclesia; in omnibus vacantibus ita facit; omnibus Episcopis Episcopalium munerum exercitium impedit, etiamsi non proferantur Ecclesiarum nomina, satis de usurpata Ecclesiastica jurisdictione coarguitur Fridericus.

At si qua usurpavit, restituit. Exemplum Ecclesiæ Civitatis Castellanæ id negat, licet juramento se obstrinxisset Fridericus, se restituturum.

Etiam de intentione Pontificis vult judicare Fridericus, cum Deus unus sit solus judex scrutans corda. Utinam quæ paterne ei proposuit, ut filius fuisset Imperator exequutus.

Meminerit Fridericus, quoties Gregorius illi attulit exemplum Ozæ, qui volens in Sacerdotale munus manum immittere, repente mortuus concidit; si meminisset non sibi jura Sacerdotalia usurpasset, & retineret. Et quoniam testem dicit se habere conscientiam suam, eam examinet, reperietque se pejerasse, & pejerare; juravit se bona Romanæ Ecclesiæ velle restituere injuste ablata, & adhuc retinet.

At principes possunt cum Ecclesiis permutationes facere. Ita quidem; sed adsit regula oportet has permutationes faciendi. Non Episcopis invitis sunt illæ faciendæ, non S. Sede inconsulta; sed juste sunt faciendæ, nec danda sunt exigua, cum magna auferuntur, nec maxime utilia commutari possunt cum infructuosis.

At morientibus Episcopis Imperator succedit. Sic ita: & succedere debet iisdem juribus, quibus succedunt Episcopi, qui Ecclesiæ bona alienare non possunt, qui non possunt permutare, qui vacantia beneficia curata distribuunt. Tacet electiones quorumdam Episcoporum canonice non factas, aliorum irritas confirmationes.

Si se Christianum Imperatorem jactat, cur in vinculis detinet Regis Tuneti Nepotem, qui desiderio suscipiendi baptismatis ad Pontificem veniebat? Cur rogatus a Pontifice, ut eum dimitteret, noluit, asserens, eum fuisse subornatum, vultque potius audire Regem Saracenum, quam Pontificem?

Quid aliud significat asserere, eum juvenem esse subornatum, nisi velle Imperatorem obsequi potius homini, quam Deo? nisi dicere Deum vel noluisse, vel non potuisse ad agnitionem sui nominis eum juvenem vocare?

Sententia porro excommunicationis Comiti Tolosano nec potuit immunitatis privilegium afferre, nec jus Imperia-

periale imminuere, at debebat efficere ut cum illo Fridericus non communicaret, vel si communicare volebat, eum movere debet, ut ad sinum Ecclesiæ rediret, ut ita posset Imperatori officia sua præbere.

Conferat se Fridericus cum antecessoribus suis Imperatoribus Constantino, Carolo M. Arcadio, Valentiniano; videbitque discrimen grande, quod intercedit; illi Ecclesiam ditarunt, Fridericus spoliavit, illi privilegia Ecclesiæ dederunt, auxeruntque, hic imminuit, & illa etiam imminuit, quæ accepit a Christo, illi jugum ab aliis ei impositum detraxerunt, Fridericus jugum servitutis illi imponere nititur, aliosque exstimulat ad jugum illi imponendum.

Si de judicio Imperatoris circa Episcopos disputatur, ab aliquibus, non ideo sacrilegi censendi sunt, ut Fridericus dicit. Cum enim Episcopi sint in Ecclesia Dei patres, & magistri, laici autem quacunque dignitate fulgeant, sint discipuli, & filii, licet, quin sacrilegi sint, patribus, & magistris suorum filiorum, discipulorumque examinare judicia.

Utcunque hæc sint gravia crimina, levia tamen sunt, præ illo, quo fœdatur Fridericus. Per illum stetit, ne terra Christi Christianus exercitus potitus fuerit, per illum stat, ne præcones verbi Dei possint fideles excitare ad crucem sumendam pro illius Terræ liberatione. Quod quidem argumento est Friderico magis esse cordi Saracenorum amicitiam, quam Christum ipsum.

D. Reate V. Cal. Nov. P. a. X. a. D. 1236.

De tuendis juribus Imperii.

CXI. lb. p. 447. GREGORIUS IX. Friderico, &c.

Inc. *Diligenter auditis, &c.*

LOmbardi missuri erant Mantuam Nuntios suarum urbium, quo congressum Gregorius indixerat pro concordia ineunda.

Cum id sciviſſet Fridericus, misit ad Gregorium oratores Hermannum Magistrum hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, & Petrum de Vineis judicem aulæ Imperialis („ cujus litteras habemus, cui postea ob quas„ dam suspiciones oculos effodi jussit Fridericus, & „ circumduci per urbes Lombardorum, quibus Impera„ tor ajebat, se mala, quæ iis fecit, consilio Petri „ fecisse, a quibus proinde fuit male habitus, ita ut „ deligatus ad quandam marmoream columnam eas „ ignominia perferre minime valens capite in illa „ perfracto, perierit „) qui Gregorium orarent, ne permitteret in eo conventu jura Imperii violari.

Respondet Pontifex, se jam id mandasse Cardinali Legato A. S. in eo congressu, sibique cordi esse, ne jura ullius lædantur.

Cæterum monet Fridericum, ne tam facile aurem præbeat detractoribus, qui ejus animum data opera contra Ecclesiam fallacibus consiliis, falsisque delationibus exasperant.

D. Viterbii X. Cal. Julii P. a. XI. a. D. 1237.

Excitatur Fridericus ad expeditionem in Terram S.

CXII. lb. p. 459. GREGORIUS IX. Friderico.

Inc. *Inclinavit cœlos, &c.*

MOvit jam rursus Deus corda fidelium, ut liberationem Terræ illius, in qua universi generis humani redemptio facta fuit, susceperint Principes omnes; seque jam obligarant juramenti vinculo in festo B. Joannis Baptistæ proximo futuro illuc se transferre, deque hoc passagio confirmando Pontifici supplicarunt.

Ideo autem tam cito transfretare volunt, ne ulterius sub infidelium jugo tanto cum Reip. Christianæ dedecore tellus illa gemat, & ne ex diutina dilatione vires capiant adversarii.

Quibus rationibus permotus Gregorius, se gravissimi criminis reum arbitraretur, & de prodito Christi Sanguine se semper accusaret, nisi expeditionem approbaret, aliosque principes, qui nondum crucem sumpserunt exstimularet, & accenderet.

Rogat ergo Pontifex Imperatorem, ut Crucesignatos adjuvet *in navigiis, portubus, victualibus, & aliis ad passagium opportunis, ut sicut ejusdem terræ liberatio illius, & Conradi nati ejus respicit honorem, & commodum, sic illum præcipuum in numero sentiat adjutorem*; „ se enim dicebat Fridericus Regem Hierosolymitanum „.

D. Later. IV. Non. Nov. P. a. XI. a. D. 1237.

Fridericus tamen crucesignatos potius retardabat.

Excommunicatur Fridericus, & quibus de causis.

GREGORIUS IX. CXIII. lb. p. 475.

Inc. *Excommunicamus, &c.*

EXcommunicat Gregorius Imperatorem Fridericum, causasque affert, cur eum excommunicet.

I. Quia *contra* Romanam Ecclesiam seditionem in urbe movit, intenditque sibi subjicere Pontificem, & Cardinales contra privilegia dignitatis Apost. contra libertatem Ecclesiasticam, contra juramentum ab illo præstitum, quod impedivit Legatum Apost. euntem pro negotio Albigensium;

II. Quia non permittit, quasdam Ecclesias Cathedrales, & alias in regno reparari; & quia in eo regno Clerici capiuntur, incarcerantur, proscribuntur, & occiduntur;

III. Quia in regno Ecclesiæ Domino consecratæ destruuntur, & profanantur;

IV. Quia nepotem Regis Tuneti venientem Romam, ut baptizaretur, cepit, & retinet in carcere;

V. Quia Petrum Saracenum civem Romanum ex parte Regis Angliæ ad Sedem Apostolicam venientem cepit, & detinet carceri mancipatum;

VI. Quia terras Ecclesiæ occupavit contra juramentum, quo super hoc tenetur Ecclesiæ, temere veniendo.

VII. Quia terras quorundam nobilium de regno, quas Ecclesia tenebat, ad manus suas occupavit, & devastavit;

VIII. Quia quasdam Ecclesias Cathedrales omnibus fere bonis spoliavit,

IX. Quia multæ Ecclesiæ Cathedrales, & aliæ Ecclesiæ, ac monasteria de regno pro iniqua Inquisitione fuerunt fere bonis omnibus spoliatæ;

X. Quia Templarii, & Hospitalarii in regno mobilibus, & immobilibus spoliati non sunt juxta tenorem pacis integre restituti;

XI. Quia exactiones contra formam pacis ab Ecclesiis, & Monasteriis per ipsum extorquentur in regno;

XII. Quia in regno prælati Ecclesiarum, & Abbates Cistercienses, & aliorum ordinum compelluntur dare summam pecuniæ per singulos menses pro constructione castrorum;

XIII. Quia contra tenorem pacis hi, qui adhæserunt Ecclesiæ, bonis omnibus spoliati exulare coguntur tanquam proscripti, uxoribus, & liberis captivatis;

XIV. Quia ipse impedivit negotium Terræ S. & recuperationem Imperii Romaniæ.

Absolvit omnes ab juramento fidelitatis illi dato, quamdiu fuerit vinculo excommunicationis adstrictus. super gravaminibus vero, & oppressionibus nobilium, viduarum &c. intendit eum admonere, *& in dicto negotio Deo dante procedet, sicut fuerit procedendum.*

Actum IX. Cal. Apr. a. 1239.

Publicatur pars litterarum Friderici, & excitantur præsules ad Ecclesiæ defensionem.

GREGORIUS IX. Othoni Card. A. S. Legato. CXIV. lb. p. 479.

Inc. *Sedes Apostolica, &c.*

JAm antequam Gregorius sententiam in eum pronuntiaret, Cardinalibus Fridericus scripserat litteras acerrimas contra Pontificem.

Gregorius ut rationem suæ latæ sententiæ reddat, quædam crimina præfato legato mittit, ut ea Episcopis provinciæ, in qua legationis munere fungitur ea narret. Ac primum quæ beneficia contulerit, &c.

Quæ beneficia contulerit. S. Sedes Friderico recenset Legato Othoni Gregorius. (Jam antea recensuerat illa Honorius.)

Tum descendit ad enarranda ejus malefacta.

I. In urbe (Roma) gravem movit seditionem, exinde conatus est excludere Pontificem, & Cardinales;

II. Præ-

II. Præneſtinum Episcopum destinatum ad partes Albigensium *per quosdam suos fideles in viam impediri mandavit*;

III. Cathedrales Ecclesias, & alias vacantes regni sui nequaquam ordinari permittit;

IV. Eas, & quasdam alias spoliat bonis suis;

V. Tallias, & exactiones indebitas Prælatis, Religiosis, & Clericis sæcularibus imponit;

VI. Nobiles, pauperes, orphanos, & viduas ad inanitionem deductas non patitur respirare;

VII. Regnum, *quod est spirituale patrimonium B. Petri, pro quo juramento fidelitatis Apostolicæ Sedi tenetur, & ipsius ligius Vassallus existit, in favillam quasi, & cinerem redegit*;

VIII. *Negotium impedit Terræ S. necnon etiam Imperii Romani*;

IX. Cum juraſſet, se non occupaturum, & divexaturum terras Ecclesiæ occupavit Ferrariam, Bondinum, & terras fautorum Ecclesiæ;

X. *Nepotem Regis Tunicii detinet ad Romanam curiam, & Ecclesiam pro percipiendo sacri Baptismatis lavacro accedentem*;

XI. Petrum Saracenum civem Romanum ex Rege Angliæ ad S. Sedem missum, & ejus filium detinet mancipatos;

Quæ omnia crimina cum dissimulare, neque impunita pro suo officio relinquere possit Gregorius de consilio suorum fratrum, anathematis sententiam duxit in eum esse promulgandam, *tradens ipsum Fridericum Satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus in die Domini salvus fiat.*

Itaque omnes, qui illi juramentum fidelitatis præstiterunt, absolvit ab eo.

Mandat præfato Legato, ut omnibus diebus Dominicis, & Festivis campanis pulsatis excommunicationem Friderici, liberationem a juramento, inhibitionem ne quisquam cum illo agat per terram totam suæ legationis publicari faciat.

Scit Pontifex, quasdam litteras scripsisse Fridericum, ut hanc sententiam averteret; *in iis hæc erant inserta: propter quod non indigne dolemus, si pater Apostolicus offendare tam graviter non intendat, ut dum in constantem virum tam vehemens cadit injuria, etsi patienter ferre velimus, immanitas negotii non permittat, quin ad ultiones, quibus Cæsares uti solent, facti violentia nos impellat.*

Sed testatur Pontifex, se paratum esse omnia perferre pro honore Ecclesiæ, & pro ejus juribus defendendis.

D. Laterani VII. Id. Apr. P. a. XIII. a. D. 1239.

„ Fridericus scripsit ad Henricum III. Angliæ Re„ gem, in quibus de injuriis a Pontifice Siciliæ regno „ inhiante sibi factis conqueritur. lb. p. 898. „

Fridericus contra ut ostenderet veram rationem, cur a Pontifice fuerit excommunicatus, disseminavit litteras, in quibus ait,

I. Exulceratum fuisse animum Pontificis, cum requisitus Fridericus ab illo, ut daret filium suum spurium in virum ejus nepti, recusavit;

II. Ut faveret Mediolanensibus, se fuisse a Gregorio depressum; Mediolanensium enim rebus favebat Gregorius.

III. Invidisse Gregorium Imperatoris gloriæ,

IV. Ex amico Cardinali factum fuisse inimicum Pontificem, quia illi Fridericus non adulabatur.

V. Esse inimicum, quia non permittebat Gregorio usurpare jura, & terras Imperii.

VI. Demum testabatur velle se Romam Romano Imperio submittere ad quod spectabat.

Adversus has litteras Friderici scripsit suum apologeticum Gregorius; conaturque ostendere in Friderici litteris multas esse hæreses. *Quis non dicat hæreticum Sedis Apostolicæ subversorem? cum enim sacrosanctæ Sedis Antistitem sanctum asserant sacratissimæ sanctiones, pœnam meretur sacrilegii de tantæ sedis potentia disputare . . . Ecclesiæ claves, quas Christi successoribus in Petro concessit, sic ille temerarius Fridericus infringit, ut excommunicatione contempta sacratissimum Christi corpus, quod nec sana devotio, nec ægro necessitas suadebat, nunc de corpore præciso Ecclesiæ assumit sacrilegus, & divina mysteria, quæ prius, ut non vocem incantantis audiret, conclusis auribus fugiebat, prohibitus frequentare præsumit ore polluto, protestans nullam ligandi, atque solvendi datam potestatem Christi Vicario.*

Monentur Episcopi, ut populos suos moneant, ne audiant blasphemias Friderici.

GREGORIUS IX. Episcopis, &c. CXV. Ex Rayn. p. 480.

Inc. *Unum est, &c.*

ETsi, inquit Pontifex, dolendum est, Fridericum ita aberrasse, tamen gratiæ agendæ Deo sunt, quod animi sensa sui per litteras suas aperuit, & per sermones protulit; ita enim moneri possunt fideles, ne illum audiant, ne ejus opiniones amplectantur.

Affirmat, non esse datam a Christo Petro potestatem ligandi, atque solvendi, ac proinde multo minus hanc potestatem esse in Petri successoribus.

Ait *a tribus barataratoribus, scilicet Christo Jesu, Moyse, & Mahumeto totum mundum fuisse deceptum, & duobus eorum in gloria mortuis, ipsum Jesum in ligno suspensum manifeste proponens.*

Affirmat, esse fatuos, qui credunt nasci de Virgine Deum, qui creavit naturam, & omnia potuisse; hanc hæresim alio errore confirmans quod nullus nasci potuit, cujus conceptum viri, & mulieris conjunctio non præcesſit, & homo nihil aliud debet credere, nisi quod potest vi, & ratione naturæ probare.

Hæc omnia eum dixisse, & alia multa loco, & tempore probari posse, ait Pontifex.

Quare Pastores monet, ut clerum, & Populum de his moneant, ne se subduci a Friderico patiantur.

D. Later. Cal. Jul. P. a. XIII. a. D. 1289.

Mandatur, ut Episcopi Germaniæ publicent excommunicationem in Fridericum latam.

GREGORIUS IX. Archidiacono Patavienſi, & Philippo Assisinati Nuncio in Alemannia. CXVI. B.M.t.t. p. 79. B.R. t.t. p. 291. C. C.

Inc. *Rationalis spiritus, &c.*

SEntentiam excommunicationis a se in Imperatorem Fridericum latam IX. Cal. Aprilis, renovatamque IX. Cal. Dec. mittit ad præfatos viros Gregorius, iisque simul mandat,

Ut principibus Imperii eam notam faciant,

Ut Episcopis nomine Pontificis jubeant, ut eam ad omnium notitiam publicari faciant; sciantque omnia, cur excommunicatus fuerit.

D. Later. VIII. Cal. Oct. P. a. XIII. a. D. 1239.

Mandatur, ut denuntientur absoluti populi ab juramento fidelitatis in Fridericum.

GREGORIUS IX. &c. Archidiacono Patav. &c. CXVII. lb. p. 80. lb. p. 392. C. C.

Inc. *Quia Fridericus, &c.*

MAndat Pontifex præfatis Archidiacono, & Philippo ut nomine & auctoritate Sedis Apost.

I. Absolvant omnes subditos ab juramento fidelitatis Friderico præstito;

II. Ut subjiciant interdicto omnia loca; exempta etiam, ad quæ idem Fridericus perveniet;

III. Ut injungant omnibus prælatis, ut hanc sententiam omnibus diebus festis solemniter publicari faciant;

Ut denuntient omnibus, ne dent favorem, consilium, auxilium Friderico sub anathematis pœna.

V. Negligentes hæc facere a Nuntio excommunicentur.

D. Laterani IX. Cal. Dec. P. a. XIII. a. D. 1239.

Labefactantur Objecta Friderici.

INNOCENTIUS IV. Archiepiscopo Rothomagensi, & Episcopo quasdam mutinensi, & Abbatis Facundi Nuntiis Apost. S. CXVIII. Ex Rayn. p. 520.

Inc. *Litteras vestras, &c.*

„ MOrtuo Gregorio IX. substitutus fuit Innocen„ tius Sinibaldus dictus antea, amicus Frideri„ ci, ad quem Fridericus humanissimas litteras scri„ pſit de ejus electione gratulatus. Ingenium tamen

„ Imperatoris timens Innocentius nunquam ejus verbis „ fidem præstitit, neque ejus sollicitationibus credidit. „ Sciens autem a Friderico sibi insidias parari summo „ studio se custodivit; non destitit tamen omnia illa „ facere, quæ amicitiam offendebant. Nuntios ad il- „ lum misit, quibuscum Fridericus ageret. Sed cum „ Fridericus videret Pontificem acerrime jura Ecclesiæ „ velle defendere, incœpit etiam de illo multa in „ vulgus spargere, & cum Nuntiis ipsius Innocentii „ queri. His querimoniis sibi a Nuntiis significatis re- „ spondet per has litteras Innocentius, ut nuntii sciant „ quomodo Friderici objecta refellere possint.

I. Querebatur Fridericus, Innocentium non revocare ex Lombardia legatum, quem ad Lombardos Gregorius miserat.

Respondet Innocentius, legatum fuisse missum duplici ex causa, quia Fridericus vivente Gregorio occupare cœperat Ecclesiæ urbes, & quia Lombardi inter se dissidebant; ut aliquod obstaculum poneret Gregorius Friderico, ne perderet omnia Romanæ Ecclesiæ loca, ut Lombardi inter se conciliarentur, unitique possent Friderico eos subjugare volenti, misit in Lombardiam legatum. Jam hæ causæ persistunt adhuc; locum nullum Ecclesiæ restituit, minaturque terras ejusdem alias se occupaturum, dissidia inter Lombardos fovet, ut dissidentes facilius opprimat; non potest ergo Innocentius Legatum revocare. Ineat Fridericus cum Insubribus aut pacem, aut inducias, & tunc ab iis locis Innocentius legatum retrahet.

II. Querebatur Fridericus, nullam gratiam se iniisse apud Innocentium, cum tamen Prænestinum Episcopum, quem detinebat, in libertatem restituisset; Salinguerram ab Innocentio non liberari.

„ Ut hujus querelæ Fridericianæ vis intelligatur, „ altius est repetendum principium. Gregorius IX. in- „ dixerat Romam concilium, invitaveratque oratores „ principum, & Episcopos. Verens Fridericus ne de „ sua depositione, & de electione alterius Imperatoris „ in eo ageretur, per omnia itinera Romam ducentia „ milites disposuerat, qui Episcopos interciperent illuc „ euntes. Episcopi Galliæ, & Insubriæ Januam se con- „ tulerunt, ut navibus Romam venirent. Pisanorum, „ quicum fœdus inierat Imperator, classi præfecit En- „ tium filium suum nothum; qui navibus Januensium „ obviam ivit, & apud Meloram prælium cum iis iniit. „ Victor fuit; Episcopi cum oratoribus quorundam prin- „ cipum cum legato Pontificio multi capti fuerunt, „ quidam ceciderunt in pugna, quidam in mari perie- „ runt, aufugerunt pauci. Fridericus eos Neapolim du- „ ci voluit, eosque in arce, quæ dicitur *Castel dell'ovo* „ eos inclusit, eosque crudeliter habuit. Ut tamen gra- „ tiam Innocentii sibi captaret Episcopum Prænestinum „ Legatum liberavit,

Ita, inquit Innocentius, grata est legati liberatio; at cæteros Episcopos in carcere detinet, qui æstu, fame, inedia, squalore consumantur, Salinguerram, ait, non esse in sua potestate, sed in potestate Venetorum, „ Salinguerra fuerat a S. Sede investitus de urbe, & „ districtu Ferrariensi, & fidelitatis juramentum S. Sedi „ dederat. Ab ea defecit corruptus a Friderico, cui „ Ferrariam dedit. Veneti rogati a Gregorio ut opem „ Ecclesiæ, cui bellum Fridericus indixerat, ferrent, „ simulque finitimum tam potentem, qui dominatum „ extendere summopere studebat, timentes, aggressi „ Ferrariam eam expugnarunt, captamque perduellem „ Salinguerram in vinculis detinebant „. Quem etiamsi in sua potestate Pontifex haberet, non posset illum liberare, cum sit perduellis, cum sit Ecclesiæ Vassallus. Tamen si honesta pacta pro ejus libertate proponantur, poterit agi.

III. Querebatur Fridericus, Legatum S. Ap. fuisse electum Archiepiscopum Moguntinum, quicum simultates habebat: Pontificem quibusdam justitiam denegasse.

Respondet Innocentius; hoc esse in more positum apud omnes principes, ut negotia gravia suorum regnorum committant viris strenuis, fidis, & addictis regni emolumentis. Archiepiscopus Moguntinus est inter Germaniæ Antistites e primoribus, est vir prudens, devotus erga Ap. Sedem. Legati ergo munus non male illi demandatum fuit. Cæterum si conventiones honestæ proponantur, dabit operam Innocentius, ut pax, & amicitia inter Fridericum, & Archiepiscopum coalescat. Quantum justitiæ ratio postulat, & humana fragilitas patitur, omnibus justitiam fecit Pontifex, neque *super hos conscientia eum remordet*.

IV. Querebatur Imperator, *in odium sui, & in favorem comitis Provinciæ* Electum Avenionensem fuisse creatum A. Sedis legatum.

Testem invocat Deum Innocentius, neutrum horum sibi propositisse, cum illi legationem demandavit, sed cum in Provincia essent hæreses, ut extinguerentur, legatum illum fuisse electum, quoniam jam ibidem residere debebat pro suo pastorali munere; Fratres Prædicatores supplicarunt Pontifici, ut Electo Avenionensi eam provinciam daret. Cæterum pro Comite Provinciæ multo majora paratus est Pontifex facere, ita ejus meritis in R. Ecclesiam exigentibus.

V. Querebatur Fridericus, Pontificem niti extinguere hæreses in regionibus longinquis, & non curare extinguere hæreses grassantes in Thuscia, & in Lombardia.

Innocentius reponit; ita quidem semper consuevisse Ecclesiam facere, ut non prius vicinioribus malis mederetur, sed longinquis; ita facere incœpisse Gregorium; proinde ad Imperatorem ipsum Fridericum scripsisse sæpe, ut hæreticos comprimeret; sed cum vidisset, Fridericum vel molli brachio hæreticos corrigere, vel potius fovere, & se affatim virium non habere, ut posset eos reprimere, fidens Deo, qui aliquam rationem aperuisset eos ad veritatem inducendi, ad coercendos hæreticos longinquos convertit animam; & sane voti compos factus fuit; omnes enim principes, ad quos scripsit pro exstirpatione hæresum, Pontifici paruerunt, exercitus compararunt, pugnarunt, hæreseisque profligavere; quod nunquam Fridericus fecit. Huic rei argumento est, quod ille Ecclesias opprimit, Saracenos fovet, pastoribus concionari vetat.

VI. Querebatur etiam Fridericus, nuntios quos miserat, a Pontifice non fuisse admissos, sed rejectos.

Respondet Innocentius, inique conqueri Fridericum, cum sciat excommunicatos ab omnibus fugiendos esse, multo magis ab judice illo, a quo fuerunt excommunicati; debebant antea petere absolutionem, qua impetrata eos admisisset; malum exemplum se fuisse præbiturum omnibus si ipse qui excommunicavit, hoc est, præcepit, ne quisquam cum iis conversaretur, cum iis colloquutus, & conversatus fuisset.

Ita retundant Legati Imperatoris querelas.

Cæterum cum paterne moneant, *ut de sua salute cogitans universo populo christiano de pacis tranquillitate provideat, & arma, quæ irreverenter contra Ecclesiam assumpsit, contra hæreticos, schismaticos, aliosque inimicos orthodoxæ fidei ex reverentia filiali convertat*; sic æterni judicis iram effugiet, sic A. Sedis benevolentiam, favoremque sibi conciliabit.

Quod si forte se monitionibus Legatorum tam salubribus humiliter non inclinet, vult Innocentius, & præsentium illis auctoritate mandat, quatenus ad Pontificem protinus redeant.

D. Anagniæ VII. Non. Sept. P. a. I. a. D. 1243.

Legatus in Lombardia erat Gregorius e Monte-longo R. E. Subdiaconus, & Notarius.

Contractus initus a Frajapanibus cum Friderico rescinditur.

CXIX. 1b.p.529. INNOCENTIUS IV. Henrico, & Jacobo Frajapanibus civibus Romanis.

Inc. *Cum sicut, &c.*

UT pedem Romæ figere Fridericus posset, cum accepisset Fratres Frajapanes nobilissimos cives Romanos esse dominos dimidiæ Colisæi partis, palatiique ipsi conjuncti, & aliorum annexorum jurium, contractum cum iis apud Aquampendentem fecit, vi cujus ea omnia *transfundebant* in Fridericum.

Innocentius hunc contractum rescindit, prævidens jam quo res esset evasura, si Fridericus ea loca Romæ haberet, rescinditque,

Quia Frajapanes habebant ea bona in feudum a R. Ecclesia, sine cujus auctoritate, eam conventionem inire non poterant,

Quia *coacti quodammodo* eum contractum fecerunt.

Juramentum a Frajapanibus præstitum de stando conventionibus solvit Innocentius.

Pœnam excommunicationis, & multam quinque millium Marcharum argenti iis omnibus, *qui contravenire* præsumpserint, denuntiat.

D. Laterani XVI. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1244.

De

De Friderici inconstantia.

CXX. 1b. INNOCENTIUS IV. Lantgravio Thuringiæ.

Inc. *Ut quæ, &c.*

JAm articuli pacis Pontificem inter, & Fridericum facti, confirmatique fuerant ex parte Friderici per Comitem Tolosanum, & per Magistros Petrum de Vinea, & Thadæum de Suessa Curiæ Imperialis Judices in die Cœnæ Domini, coram Constantinopoliano Imperatore, Senatoribus, & populo Romano, & multitudine ingenti, quæ ad dies festos eo venerat; promiseratque Imperator per prædictos oratores suos *de stando mandatis Pontificis, & Ecclesiæ super omnibus articulis*, pro quibus fuerat a Gregorio Pp. IX. excommunicatus; jamque promissionem juramento firmaverat.

A quo non post multos dies elegit refilire potius, quam parere, adimplere quod illi Pontifex mandarat renuendo.

Hæc ideo Innocentius Lantgravio scribit, ut ea nota principibus Alemanniæ faciat.

Tum eum rogat, *ut porro pergat Ecclesiam protegere, & ut negotium fidei laudabiliter inchoatum promptus exequatur; nos enim in proposito gerimus quod te in dicto negotio minime deseramus.*

D. Later. II. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1244.

„ Ut intelligantur extrema epistolæ verba, scire præ- „ stat, jam etiam Gregorium constituisse eligendum „ esse alium Imperatorem, deponendumque Frideri- „ cum. Visus fuit optimus Lantgravius Thuringiæ. Cum „ illo igitur clanculum agebatur de hoc negotio. Et „ sane electus Imperator fuit.

Hi porro erant articuli, quibus pax facta fuerat.

I. Imperator restituet omnes terras, quæ ante dissensionem obortam erant R. Ecclesiæ.

II. Restituet loca crepta fœderatis R. Ecclesiæ;

III. Scribet ad Christianos Principes, se non spreviisse auctoritatem Ecclesiæ, sed cum sententia lata a Pontifice illi denuntiata non fuisset, de consilio Italiæ, & Germaniæ principum eam servandam non esse censuisse;

IV. Scribet, se profiteri *summam Romano Pontifici in omnes Clericos, vel Laicos auctoritatem esse*,

V. Promittet se eleemosynis, operibusque piis præteritam culpam expiaturum, & servaturum sententiam usque ad absolutionis diem;

VI. Se restituturum omnia erepta præsulibus, quæ reperientur, & aliorum jacturam compensaturum;

VII. Se liberaturum quos tenet Ecclesiasticos captivos,

VIII. Promittet se excitaturum Ecclesias, & Xenodochia,

IX. Se Pontificiis mandatis, salva tamen Imperii, Regnorumque possessione, obtemperaturum,

X. Se revocaturum omnia edicta lata in adhærentes Ecclesiæ,

XI. Se acquieturum de acceptis ante inimicitias injuriis Pontificis, & Cardinalium sententiæ,

XII. Se liberaturum omnes captivos detentos quod favebant Ecclesiæ,

XIII. Permissurum, ut ejecti Patria, spoliati bonis ob defensas partes Ecclesiæ redeant ad eam, & bona recuperent.

„ Articulis non stetit Imperator, qui antequam eos „ adimpleret volebat absolvi, nolebatque id efficere Pon- „ tifex; qui timens ne comprehenderetur a Friderici „ militibus in pervigilio Apostolorum Petri & Pauli „ noctu apud Civitatem veterem navem conscendit, „ ivitque in Gallias, quo fuit honorifice jussu regis „ receptus, quem quidem Regem rogaverant, ut ita „ faceret, Cistercienses Monachi, ut narrat Matthæus „ Parisius.

Offertur pax Friderico.

CXXI. 1b.p.535. INNOCENTIUS IV. Patriarcha Antiocheno.

Inc. *Sane nobis, &c.*

RElulerat Patriarcha Antiochenus, Pontifici se in transitu cum venit ad S. Sedem loquutum fuisse cum Friderico, quem *invenerat pacis avidum; & paratum observare pacem secundum formam ab Ecclesia, & eodem anno proximo præterito acceptatam*.

Nullam aptiorem ad tractandum super his deputavit *Consil. Pontificiorum* Tom. II.

Pontifex, sed abeunti Patriarchæ dixit, *si vellet Princeps prædicta effectui mandare*, Ecclesiam pacem acceptaturam esse, & injunxit, ut principis voluntatem rescriberet; & quasdam personas destinavit, quæ Ecclesiæ terram reciperent, si eam Fridericus restitueret. De his nihil rescripserat Patriarcha, sed tantum *quod ad compromittendum super negotio Lombardorum in Pontificem, & quosdam alios arbitros idem princeps obtulit se paratum*.

Quia Pontifex pacem amat, adhuc eum absolvere est paratus, modo promissa adimpleat, & cautiones det se illa adimpleturum;

Vellet Pontifex regis voluntatem sibi esse notam ante celebrationem Concilii, cui non poterit non proponere super his, & aliis, prout de jure fuerit.

D. Lugduni XI. Cal. Maji P. a. II. a. D. 1245.

Scribitur eidem Patriarchæ.

CXXII. 1b.p.536. INNOCENTIUS IV. Patriarchæ Aut.

Inc. *Præsentium tibi, &c.*

PRæsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus Principi ex parte nostra denunties, quod quam cito de manifestis offensis, pro quibus excommunicatus esse dignoscitur satisfecerit, & de dubiis sufficientem præstiterit cautionem, sibi faciemus munus absolutionis impendi.

D. Lugd. II. Non. Maji P. a. II. a. D. 1245.

„ Sed cum Imperator nollet ad pacem redire; fuit „ excommunicatus in Concilio Lugdunensi, a quo „ procurator Imperatoris jam appellarat.

Confirmatio excommunicationis.

CXXIII. B.M. t.1, p. 85. B.R.t.3. p. 300. C.C. INNOCENTIUS IV. ad p. r. m.

Sacro præsente Concilio.

Inc. *Ad Apostolicæ, &c.*

NIhil inexpertum reliquit Gregorius, ut ad pacem Imperatorem Fridericum reduceret.

I. Ad eum Legatos a Latere misit, qui petierunt, ut Prælatos & Clericos, quos detinebat captivos, vel in Galeis, dimitteret;

II. Pollicitus fuit Pontifex, se satisfactionem ei daturum, si quicquam se læsum ab Ecclesia arbitraretur,

III. Sed ille *elata obstinatione, & obstinata elatione*, omnia despexit. Proinde Gregorius in Feria V. Majoris Hebdomadæ illum excommunicavit.

IV. Motus ad hæc Fridericus misit Legatos suos ad Pontificem Comitem Tolosanum, *Petrum de Vinea*, & Thaddæum de Suessa, qui ejus nomine præstiterunt juramentum, se facturum quæ Pontifex vellet. Sed nihil præstitit, immo *scelera sceleribus cumulavit*;

V. Inter quæ quatuor hæc ex omnibus recenset Pontifex, 1. perjurium, cum pacem initam inter ipsum, & Ecclesiam violavit; 2. Cardinales captivos fecit, 3. detinet in carceribus, & galeis personas Ecclesiasticas, 4. suspectus est de hæresi evidentibus signis. Quæ omnia crimina probat Pontifex adducens facta Friderici.

VI. Ut ostendat autem hæreticum esse totus in eo est Pontifex; parvi pendit enim excommunicationem a Gregorio latam, bona Ecclesiæ occupavit, Ducatum Beneventanum *cujus turres, & muros dirui fecit*, Marchiam, Thusciam devastavit, Siculam Ecclesiam oppressit *tallias imponendo*, quod vetitum est a Concilio Lateranensi; vasa, libros, vestes ex quibusdam templis abstulit.

VII. Cum Saracenis fœdus iniit, Bavariæ Ducem, qui pro Ecclesia stabat, occidit, Battaccii a Communione Ecclesiæ per excommunicationem remoti filiam in matrimonium duxit, Debitum censum, quem pro Feudo Siciliæ S. Sedi debet, non solvit.

VIII. Ob hæc, & alia multa flagitia de sententia Sacrosancti Concilii memoratum Principem se dicentem Imperatorem excommunicat, privat omni honore, & dignitate, absolvit subditos a juramento illi præstito fidelitatis; jubet Germaniæ Principes in vacans Imperium alium eligere; in Regnum Siciliæ feudum Ecclesiæ ipse Pontifex alium eliget de consilio Cardinalium.

D. Lugduni VI. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1245.

Cum factus certior fuisset Fridericus, approbante Concilio sententiam excommunicationis, & depositionis

in se ab Innocentio fuisse latam, litteras ad principes misit, in quibus Ecclesiasticorum potentiam exponit, eorum hypocrisim describit, abusum ab iis factum credulitatis nimiæ Christianorum; monet principes, ut sibi caveant, si enim hodie ita ille habitus fuit, propediem eodem modo haberi possunt & illi.

Testatur illis, se Papali excommunicatione non esse territum; nam habet conscientiæ puritatem, ac proinde, Deum testem; hæc fuit sua intentio, ut redigeret Clericos cujusque ordinis, & *maxime maximos, ut tales perseverarent in fine, quales fuerunt in Ecclesia primitiva, Apostolicam vitam ducentes, humilitatem Dominicam imitantes. Illi Clerici solebant Angelos intueri, miraculis coruscare, ægros curare, mortuos suscitare, & sanctitate non armis reges, & principes subjugare. At isti sæculo dediti, deliciis inebriati Dominum postponunt, quorum ex affluentia divitiarum, & opum omnis religio suffocatur. Talibus ergo subtrahere nocentes divitias quibus damnabiliter onerantur, opus est caritatis. Ad hoc vos, & omnes principes una nobiscum, ut cuncta superflua deponentes modicis rebus contenti Deo deserviant, debotis diligentiam adhibere.*

Ajebat non maturo judicio, sed præcipiti sententiam ab Innocentio fuisse latam, Concilii Patribus partim per assentationem, partim metu eam approbantibus.

Litteræ hujusmodi Friderici parum, vel nihil principes moverunt.

De ratione, qua sententia in Fridericum lata fuit.

CXXIV. Lib. p. 546. INNOCENTIUS IV. Cistercienſibus Monachis &c.

Inc. *Noverit universitas, &c.*

QUia timebat Pontifex, ne quidam crederent, quod fautores Friderici disseminabant in vulgus; nempe nimis præcipitanter in Imperatorem latam fuisse sententiam, qua maturitate in hoc negotio processerit, significat Monachis Cistercienſibus. Fama ingens Sanctitatis, quo florebat hic Ordo, Pontificem movit, ut ad eos Monachos scriberet.

Ac primum quidem eorum precibus se in tot, tantisque Ecclesiæ periculis ad Deum fusis sibi opus esse scribit;

Deinde testatur, se non usurum armis temporalibus contra Fridericum, sed spiritualibus;

Tertio eos monet, ne credant quibusdam, qui obloquuntur, non maturato consilio, sed præcipitanter sententiam in Fridericum fuisse latam. Nam testatur Pontifex, *nullam unquam causam cum tanta deliberatione, & diligenti examinatione fuisse excussam, & peritorum, & sanctorum mentibus fuisse libratam; adeo quod in secretis aliqui fratrum induerunt personam advocati pro ipso, aliqui autem e contra personam adversantis, ut ex objectionibus, & responsionibus inquirentium, & disputantium, ut solet in Scholis, causæ veritas hinc, indeque discuteretur.*

Testatur, se nullam potiorem rationem reperisse, qua posset Ecclesiæ malis mederi, nec *aliter potuisse se procedere, licet invitum, & ejusdem teforis miseriæ condolentem.*

Paratus igitur est in hac causa, & pro illa usque ad mortem stare, & pro ea, & in ea tamomnes fratres (Cardinales) *quam ipse immutabiliter pro causa Dei, & Ecclesia dimicantes.*

D. Lugduni IV. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1245.

Proponitur Lantgravius Thuringiæ eligendus in Imperatorem.

CXXV. Ib. p. 553. INNOCENTIUS IV. Archiepiscopis, & Principibus electoribus, &c.

Inc. *Quia inter, &c.*

NOn deerunt electores officio suo, inquit Pontifex, in Imperii majestate conservanda, & in ejus utilitatibus consulendo.

Hinc sperat fore ut unanimiter in Imperatorem, quoniam imperium jam vacare constat, Lantgravium Thuringiæ Henricum eligant, atque ita *suis in hac parte beneplacitis libentius, & promptius eos esse patitwos credit.*

Abhorrebat ab hac dignitate Lantgravii animus; & *ad honorem Dei; & Ecclesiæ, ac Christianæ Religionis præsidium Imperii prædicti negotium assumere paratus cum sit, electores monet, rogat, hortatur, attente mandat* Innocentius *in remissionem peccaminum injungendo, quatenus de gratia Spiritus S. confisi eundem Lantgravium in Romanum Regem, & in Imperatorem postmodum promovendum, unanimiter, absque dilationis dispendio eligant; intendentes sibi fideliter, & constanter, ac viriliter assistentes ad laudem, & gloriam Domini Jesu Christi, Catholicæ fidei, & Ecclesiæ libertatis augmentum, & tranquillitatem totius populi Christiani. Pontifex enim ejusdem Imperii, & Electorum, & aliorum principum Theutoniæ negotia curabit, auctore Domino, indefessa sollicitudine promovere.*

D. Lugduni XI. Cal. Maji P. a. III. a. D. 1246.

Suadetur Regi Bohemiæ electio Henrici Lantgravii.

INNOCENTIUS IV. Regi Bohemiæ &c. CXXVI. ex Ep. 5. Inn. L. 5.

Inc. *Quoniam nos, &c.*

ABhorrebant quidam principes ab electione novi Imperatoris, & causæ magnæ multæque erant, cur abhorrere deberent; inter hos præcipuus esset Bohemiæ Rex,

Ad illum igitur Pontifex scribit, studetque eum permovere ad hanc electionem,

I. Quia Fridericus *dura persecutione* afflixit Ecclesiam Dei, eamque affligere non desistit, quassavit Christianorum provincias, quassatque adhuc bellorum commotione;

II. Quia *si de principe Catholico, & devoto erit provisum Imperio, & ipsius Ecclesiæ cessabit tribulatio, & pacis tranquillitas redderur populis Christianis.*

Quare curet Rex eligi Lantgravium, & ex hac electione *grande a Deo præmium, & uberiorem ab Apostolica Sede favorem consequi merebitur.*

D. Lugduni XI. Cal. Maji P. a. III. a. D. 1245.

Moguntinus Archiepiscopus laudatur, quod promoverit electionem, rogaturque ut Regi faveat, & assistat.

INNOCENTIUS IV. Archiepiscopo Moguntino, CXXVII. Ib. p. 554.

Inc. *Litteris affectuose, &c.*

VIx ac electus fuit Lantgravius, unanimi consensu electionis factæ nuntium Archiepiscopus Moguntinus misit ad Innocentium;

De qua re gratias Deo Innocentius agit.

Pollicetur autem Pontifex se non defuturum Henrico in re ulla, se quidem non exprimere quid sit facturus, sed ostensurum esse factis eum sibi esse carissimum.

Monet Archiepiscopum ut quoniam ipse præcipue Henrici electionem promovit eidem assistat consilio, auxilio, opere,

Jam Pontifex alios Theutoniæ principes animabit ad eum protegendum, illumque adjuvandum,

Promissum subsidium mittet Pontifex (nempe defendere se debebat Henricus contra exercitum Friderici.)

Regi nondum Innocentius scripsit, quia ejus oratores expectat.

D. Lugduni V. Id. Junii P. a. III. a. D. 1246.

Gratulatio de electione Henrici, & hortatio.

INNOCENTIUS IV. Henrico in Romanorum Regem electo. CXXVIII. Ep. Inn. 25. L. 4.

Inc. *Si nos, &c.*

MIserat Oratores suos ad Innocentium Henricus illique scripserat; gratias agens de sollicitudine Pontificis pro sua electione, pollicensque se nihil acturum nisi de illius consilio, & nisi ad Dei gloriam, Ecclesieque decus.

Eum rogabat ne in tot tantisque discriminibus ab illo desereretur,

Rescribit Pontifex, se accepisse Henrici Oratores, qui ejus nomine illius obsequia erga A. Sedem detulerunt;

Se

Se lætari magnopere, eum electum fuisse Regem;

Se ne dubitare quidem de ejus studio dilatandi nomen Dei, Ecclesiæque jura immunia servandi;

Se illi non defuturum;

Se eum Theutoniæ principibus commendasse, missurumque eo Legatum, qui renuentes eum agnoscere regem ad id compellet;

Eum demum hortatur, ut vir sit, ut meminerit, se causam Dei sustinere, qui certe illi non deerit.

D. Lugduni IV. Cal. Jul. P. a. IV. a. D. 1246.

Mandatur Legato A. ut renuentes Principes agnoscere Regem Henricum ad id adigat.

CXXIX. ex Raynaldo p. 554. INNOCENTIUS IV. Episcopo Ferrariensi &c.

Inc. *Cupientes Imperii, &c.*

FErrariensi Episcopo Nuntio suo in Germaniam itturo mandat Innocentius, ut curet alienos ab Henrico cum illo conciliare modis omnibus, ut studeat ab omnibus illi fidelitatis juramentum præstari, & illa omnia tam ab Ecclesiasticis, quam a Laicis exhiberi, quæ de consuetudine solent Romanorum regibus exhiberi.

Quod si aliqui erunt, qui nolint id facere, si Clerici sunt, eos suspendat ab officio, dignitate, honore, beneficiis; Si laici, per censuras ad id cogat, & etiam si opus fuerit, ad brachium sæculare confugiat.

Hanc autem facultatem dat Innocentius Nuntio, quia jam acceperat, multis electionem Henrici gratam non esse,

Etiam quia tunc pejus ageretur de Ecclesia. Acerrimum enim bellum inter ipsos Germanos accenderetur, quo perdurante, Fridericus in Italia ageret impune quæcunque vellet contra Ecclesiam.

D. Lugduni III. Non. Jul. P. a. IV. a. D. 1246.

Hortatio ad Germaniæ Principes, ut Henrico pareant.

CXXX. Inn. Ep. 29. L. 2. INNOCENTIUS IV. Episcopis, & Principibus per Theutoniam constitutis.

Inc. *Cum dilectus, &c.*

CAusam significat Innocentius Germaniæ principibus, cur electus fuerit pro Friderico jam ab Imperii regimine dejecto Henricus; nempe quia subleyanda erat Ecclesia a Friderici infectatione, quia tollendæ erant discordiæ, quas Fridericus fayebat.

Hæc omnia obtineri non possunt, nisi Henricus Rex ab iis agnoscatur. Divisis enim illis & aliis pro Friderico stantibus, tanto acerbius Ecclesiam persequetur, inter eos discordes eo facilius negotium suum peraget; & ex male factis hoc modo plus utilitatis percipiet, quam pœnæ, & detrimenti;

Ne igitur dissensionibus suis expositam Friderici crudelitati Ecclesiam relinquant, sed eam sartam, tectam velint, ut Christianos Principes decet.

Iis significat, se mittere in istas partes Legatum, cui dedit in mandatis, ut nolentes parere Henrico censuris Ecclesiasticis feriret, & etiam pœnas temporales in illos jaceret.

Quamquam opus his non erit, cur jam Dei gloriam in corde habeant, & præ oculis.

Ergo Regem suum protegant, illi assistant, strenueque contra adversarios pro Ecclesia, pro Dei causa militent.

D. Lugduni ut supra.

„ Conradus Friderici filius contra Henricum apud „ Francfurtum pugnavit, & turpissime ejus exercitus „ cæsus fuit. Tum Germaniæ Principes, urbesque in „ fide erga Henricum nutantes aperte ejus partibus „ adhæserunt. Ille ad Archiepiscopum Ravennatem „ scripsit, cui commendat Imperium, ut moveat po„ pulos contra Fridericum, illique significat, se mo„ vere in Sueviam, ut eam provinciam Friderici „ occupet.

Excitantur Siculi ad excutiendum jugum Friderici.

INNOCENTIUS IV. Archiepiscopis, Episc. Nobilibus, populo &c. per Regnum Siciliæ constitutis. CXXXI. ex Raynaldo p. 555.

Inc. *In omnem, &c.*

UT posset Henricus felicius in Alemannia rem gerere exercitu Friderici non impeditus, excitat Innocentius per has litteras Siculos contra eundem Fridericum, qui domestico hoste implicitus neque Germaniam curabit, & Ecclesiæ statum perturbare non poterit.

Motum fe, ait Innocentius, Siculorum indigno turpique servitutis jugo, quo opprimebantur a Friderico, excitare illos ad arma sumenda contra eundem. Eorum pietatem in Ecclesiam novit, quam, *novo Nerone eos opprimente*, exerere, & ostendere non poterant. Vicem eorum doluit Gregorius IX. vicem Innocentius doluit dum erat in minoribus, nihilque prætermisisset facere, ut eos in libertatem vindicaret. Factus Pontifex nihil magis cordi sibi fuit, quam eos in libertatem asserere.

Ad pacem dandam populis, ad tollendum grave jugum & per litteras, & per Nuntios Fridericum rogavit; sed ille tergiversando tempus trivit, & gravius efficiebat jugum; precesque illæ, quæ eum permovere debebant ad imminuendam immanitatem, ad crudelitatem majorem eum excitabant.

Se missurum ad illos, scribit, duos Legatos, quibus amplas facultates dabit agendi quæ expedire crediderint.

Cernunt aperte Siculi, qui sub pressuris gemunt, quid sibi sit faciendum. *Cogitent corde vigili, ut a collo suæ servitutis catena decidat, & eorum universitas in libertatis, & quietis gaudio reflorescat; sitque rumor in gentibus, quod sicut eorum regnum nobilitate multa, & mira est ubertate conspicuum, ita divina favente potentia secura sit libertate decorum.*

D. Lugduni VI. Cal. Maji P. a. III. a. D. 1245.

„ Etiam ad alios populos, qui vivebant sub Fride„ rici ditione, qui erant antea Ecclesiæ subditi, scripsit „ Innocentius, ut jugum Friderici excuterent. Quod „ fecerunt & Siculi, & hi populi Piceni, Spoletani, „ Thusci.

De audiendo Friderico se volente de hæresis suspicione purgare.

INNOCENTIUS IV. Universis Christifidelibus. CXXXII. Ib. p. 556.

Inc. *Cum post, &c.*

CUm sciviſſet Fridericus, se fuisse accusatum de hæresi in Lugdunensi Concilio, & ob hæresim etiam fuisse ab Imperio depositum, Archiepiscopum Panormitanum, Episcopum Papiensem, & quotdam Abbates regulares ad se vocavit, voluitque ab iis examinari de fidei articulis, testatusque coram iis est, se omnia credere, quæ Romana Ecclesia docet credenda. Tum eos misit ad Pontificem, qui id testarentur, illique dicerent, eum esse paratum etiam coram Pontifice ipso se purgare de hæresis suspicione.

Pontificem ut jussi fuerant, adierunt;

Quos, ait Pontifex, non fuisse admittendos, eo quod erant excommunicationis vinculo adstricti, cum conversati fuissent cum Friderico excommunicato; preterea non erant admittendi, quia dicebant se missos ab Imperatore Friderico, cum ille Imperator amplius non esset.

Tamen eos admisit Innocentius; legeruntque instrumenta, quibus testabantur, se examinasse Fridericum, & nihil ex eo audivisse, quod hæresim saperet.

Contra hæc instrumenta multas exceptiones affert Innocentius; ii non fuerant ad hoc electi; ergo eorum testimonium est nullum; illa instrumenta facta sunt coram Friderico, Friderico volente, & jubente; ergo non libere facta sunt; Facta sunt a subditis, non carent ergo suspicione; examina super quibusdam articulis facta non fuerunt, de quibus male sensisse Fridericum constat.

Innocentius ergo protestatus est, se eos oratores non admittere, illa instrumenta habere suspecta.

Tamen notum vult esse omnibus, se admittarum

Fride-

Fridericum *in loco idoneo infra tempus legitimum ſe vertet ſine armis, & cum modico comitatu* ſe purgare de hæreſis ſuſpicione volentem.

D. Lugduni X. Cal. Junii P. a. III. a. D. 1246.

„ Interim Fridericus acerrimas litteras contra Inno-
„ centium vulgavit, teſtaturque in iis ſe ſymboli arti-
„ culos credere ſingulos & omnes.

Ad Regem Galliæ de Friderico.

CXXXIII. Ib. p. 558. INNOCENTIUS IV. Regi Ludovico &c.

Inc. *Illius devotionis, &c.*

AUdito, Fridericum a Concilio fuiſſe depoſitum, Rex Ludovicus miſit ad Pontificem nuntios, qui illum orarent, ut concordiam cum Friderico faceret, & in Eccleſiæ gremium eum reciperet.

Reſpondet Innocentius, ſe in hoc ſtudio videre perſpicue animum Regis Eccleſiæ pacis amantiſſimi ab iis majoribus progeniti, qui ſemper Eccleſiæ faverunt; ſe nullum non moviſſe lapidem cum primum ad Pontificatum aſcendit, ut ad concordiam Fridericum pertraheret; teſtes hujuſce rei eſſe ſuas litteras, ſuos Legatos ad illum ad hoc miſſa;

Se paratum eſſe eum in communionem admittere, ſed valde timere, ne Fridericus velit nunc quoque verba dare;

Demum teſtatur, ſe ratione habita tanti regis, mitiſſime cum Friderico acturum.

De negotio Terræ S. ejus nuntii Ludovicum certiorem facient, quid ſentiat.

D. Lugduni Non. Nov. P. a. IV. a. D. 1246.

„ Henricum ex inſidiis erumpens Conradus Friderici
„ filius aggreſſus eſt, ejus exercitum fudit, victoriam-
„ que inſignem retulit. Periit Henricus die poſt illo
„ mœrore. Qua morte audita Innocentius

Mittit in Germaniam Legatum cum facultatibus.

CXXXIV. Ib. p. 565. INNOCENTIUS IV. Petro S. Georgii ad velum aureum Card. Capocio.

Inc. *Multum expediret, &c.*

VIctoria Conradi quidam principes moti, qui Henrico adhæſerant, Friderici partes ſequi incœperant.

Ut eos a partibus Friderici avertat Pontifex, mandat Legato, ut *in publicis ſtationibus, aliiſque locis*, quo multitudo convenire ſolet, *per aliquos religioſos auctoritate Apoſtolica* excommunicationem denuntiare faciat iis, qui Conrado, & Friderico adhæſerint; eos declarent inhabiles ad actus legitimos, & ſi in Eccleſiam confugerint, *non habeant conſuetæ defenſionis beneficium ab eadem*; Clerici ſuſpendantur ab officio, & beneficio.

D. Lugduni II. Non. Junii P. a. IV. a. D. 1246.

„ Cum immineret cervicibus Germaniæ principum
„ cum victore exercitu Conradus, ut illi aliquem ſtre-
„ nuum virum florentem opibus, & potentia oppone-
„ rent, elegerunt Vvillelmum Hollandiæ Comitem.

Vvillelmo ut faveant, hortatur Pontifex Principes.

CXXXV. Ib. INNOCENTIUS IV. Archiepiſcopis, Epiſc. Nobilibus, &c.

Inc. *Studium, & ſollicitudinem, &c.*

QUod tam cito, tam concorditer Principes Germaniæ elegerint Regem, & virum ejuſmodi elegerint, iis gratias agit Innocentius.

Sed quia ſatis non eſt negotia incipere, ſed ad felicem exitum ſunt perducenda, ideo eos monet, ut electo a ſe regi fidi ſint, eique conſilio, auxilioque, & opibus aſſiſtant.

D. Lugduni XIII. Cal. Dec. P. a. V. a. D. 1247.

Gratiæ aguntur Colonienſibus, quod receperint Vvillelmum.

INNOCENTIUS IV. Colonienſibus &c. CXXXVI Ib.

Inc. *Sicut a Domino &c.*

IN electione Vvillelmi in Romanorum regem perſpicue manus Dei cernitur. Non minus perſpicue cernitur ex eo quod Colonienſis civitas *adeo famoſa, & celebris, & quodammodo in Theutoniæ partibus ſingularis, prout ſui magnitudine, nobilitate, & potentia præcellit alias civitates in recipiendo, & honorando perſonam Vvillelmi ſpontaneæ voluit eſſe prior.*

Iis civibus gratias ingentes agit Innocentius, gratumque animum ſuum iis teſtatur.

Hortatur illos ad conſtantiam in fide erga Regem; quo quidem nihil gratius Pontifici, & Eccleſiæ facere poterunt.

D. Lugduni XIII. Cal. Dec. P. a. V. a. D. 1247.

Epiſcopos Germaniæ cogat Legatus aſſiſtere Vvillelmo.

INNOCENTIUS IV. Legato &c. CXXXVII Ib.

Inc. *Cum ſicut &c.*

PRomiſerat Legatus Brabantiæ, & Lotharingiæ Duci pro cauſa Pontificia pugnaturo Epiſcopos Germaniæ opem eſſe laturos contra Fridericum, ejuſque filios, & fautores.

Cum nunc negotium inſtet, mandat Gregorius Legato, ut eos Epiſcopos moneat, ut promiſſa ſubſidia ad Ducem mittant.

Et ſi neceſſe fuerit auctoritate Pontificia, ſummoto appellationis impedimento, prout viderit expedire, eos ad hoc compellat.

D. Lugduni XII. Cal. Dec. P. a. V. a. D. 1247.

Quidam Prælati ſubſidia negantes citantur in judicium.

INNOCENTIUS IV. Legato &c. CXXXVIII Ib. p. 566.

Inc. *Cum Magdeburgenſem &c.*

INter Germaniæ Epiſcopos, qui adhuc Friderico favebant, erat Archiepiſcopus Magdeburgenſis, & Epiſcopi Patavienſis, & Salisburgenſis.

Scribit Legato ſuo Innocentius, ſe valde mirari, eos, qui eſſe pro Eccleſia Dei deberent muri, & turres contra malitiam malignantium, & perſequentium eam, *divino timore, & humano pudore poſthabitis, & Pontificali gravitate neglecta, necnon clavibus Eccleſiæ damnabiliter vilipenſis* pro excommunicato ſtare, & ejus cauſam contra Eccleſiam defendere; imo miratur Pontifex, eumdem Magdeburgenſem matrimonium inter Fridericum, & filium Ducis Saxoniæ procurare.

Acceperat etiam Innocentius, *quod Marchio Miſnenſis, Bavariæ, & Saxoniæ Duces, & filia ipſius Ducis Saxoniæ, nec non & Nobiles de Auſtria, & Stiria, & H. de Ovurſten, qui pro ipſorum Nobilium Capitaneo nomine dicti Friderici ſe gerit, viri nobiles genere, ſed ſuis perverſis actibus ignobilitantes ſe ipſos, & in reprobum ſenſum dati præfato Friderico contra Deum, & ipſam Eccleſiam aſſiſtunt viriliter, & potenter.*

Igitur eos Epiſcopos moneat Legatus, ut intra præfigendum ab legato terminum competentem perſonaliter coram Pontifice compareant;

Laicos vero nobiles moneat, ut deſiſtant ab auxilio præſtando Friderico; & ſi noluerint parere, per cenſuras, ſi expedire videbitur, ad officium compellat.

D. Lugduni VII. Cal. Nov. P. a. V. a. D. 1247.

De ex-

De excommunicatione lata in Fridericum.

CXXXIX. Ib. p. 583. INNOCENTIUS IV. Archiepiſcopis, Epiſcopis &c. per Germaniam conſtitutis.

Inc. *Cum nos &c.*

NArrat Innocentius Eccleſiaſticis Germaniæ, quomodo Fridericus cum audiſſet, ſe accuſari de vehementi hæreſis ſuſpicione quoſdam prælatos ad ſe vocari juſſerit, & ab eis examinari voluerit, & inſtrumenta ab iis confici in quibus teſtabantur, eum bene credere. Repetitque eadem Pontifex quæ jam dixerat in alia Bulla (vide ſupra *cum poſt*.)

Promiſerat Innocentius, ſe illum auditurum, modo inermis, & cum parvo comitatu veniret, jactabatque Fridericus, ſe eſſe venturum, redditurumque de fide ſua rationem. Sed numquam comparuit.

Imo legem edidit, qua nulla alia poteſt eſſe iniquior: nempe *ut quicunque clericus, & religioſus ad Papale, vel Papalis Legati mandatum publice forſan omiſerit Miſſarum, ſeu alia celebrare ſolemnia, & ſacramenta fidelibus Eccleſiaſtica propinare de civitate, vel loco, cujus incola reperietur ejectus, bonis ſuis patrimonialibus, & Eccleſiaſticis, ut pœnam de tanta temeritate tuliſſe ſe doleat, ſpolietur: Clericis mandato prædicto parere nolentibus, & in fide ſua ſervantibus Eccleſiaſticis applicandis, patrimonialibus autem proximis, ab inteſtato venientibus ſcilicet applicandis.*

Hunc igitur pœnarum Eccleſiaſticarum contemptum videns Pontifex, hanc pertinaciam in malo, *in die Jovis Sancto proxime præterito* rurſus Fridericum excommunicavit, diſtrictiuſque excommunicavit, quia *ſuſpectus eſt vehementer de hæreſi*.

Etiam excommunicavit eos, qui illi favorem, conſilium, auxiliumque quocumque modo præſtiterint, & ab eo intra duos menſes non receſſerint.

Quod ſi perget hanc excommunicationis pœnam contemnere, perget Innocentius ad ulteriora.

Prædictis prælatis mandat ut hæc omnia, & ſingula in locis in quibus viderint expedire, publicari faciant.

D. Lugduni XIV. Cal. Maji P. a. V. a. D. 1248.

Cruciata in Fridericum, & Conradum indicitur.

CXL. Innoc. ep. 812. L. 5. INNOCENTIUS IV. Friſingenſi, Patavienſi, & Ratiſponenſi Epiſcopis.

Inc. *Cum nulla &c.*

CUm nulla utilitas e cenſuris jactis in Fridericum in ipſam redundaret Eccleſiam, imo majora ipſe patraret, ut acceptam injuriam, ut dictitabat, ulciſceretur, ut tandem aliquando ejus animum Innocentius frangeret, prædictis prælatis mandat,

Ut in ſuis Diœceſibus cruciatam in Fridericum, ejuſque filium Conradum prædicari faciant.

Eas autem indulgentias, quæ ſolent dari euntibus in expeditionem Terræ S. concedit Innocentius Crucefignatis in prædictos.

D. Lugduni IV. Non. Maji P. a. V. a. D. 1248.

In Ratiſponenſes adhærentes Friderico cenſuræ.

CXLI. Ex Rayn. Ib. p. 583. INNOCENTIUS IV. Ratiſponenſi Epiſcopi.

Inc. *Tam tu &c.*

CUm Ratiſponenſis Epiſcopus, qui recens ſuam dignitatem inierat, juſſu Pontificis Cruciatam in Fridericum vulgaſſet, eum cives e ſede, & urbe expulerunt, Eccleſiaſticum interdictum violarunt, prædeceſſori Epiſcopo Siffrido per eos dies defuncto negarunt exequias, Epiſcopum jure cudendi monetam, exigendi vectigalia, aliiſque juribus ſpoliarunt, quæ tranſtulerunt in Conradum; quemdam Sacerdotem in contemptum Crucifixi ceciderunt alapis, percutierunt uſque ad ſanguinis effuſionem coactum manus expanſas tenere.

Hæc relata Pontifici eum moverunt, ut mandaret Epiſcopo,

Ut urbem interdiceret, ita ut nullus Clericus quovis prætextu poſſit divina ibidem celebrare, dare ſacramenta nulla, niſi pœnitentibus morientibus, & baptiſmum parvulis; indicat infirmis, ne ſub excommunicationis pœnam cum Ratiſponenſibus commercium habeant, nobiles habentes feuda ab Eccleſia iis ſpolient, ſpolient honoribus, & dignitatibus, eorum heredes ad clericatum ne aſſumantur, inhabileſque ſint ad conſequendas dignitates quaſcumque.

Urbs declaratur delapſa e ſuis juribus, privilegiis, indultis.

Et hæc pœna incipiat a feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis proximo futuro, niſi de commiſſis condignam ſatisfactionem antea fecerint.

Hæc eadem mandat Innocentius exequenda Legato A.

D. Lugduni III. Id. Maji. P. a. V. a. D. 1248.

De morte Friderici, & de Siculis.

INNOCENTIUS IV. Petro S. Georgii ad velum aureum Diac. Card. A. S. L. CXLII. Ib. p. 604.

Inc. *Intellecto &c.*

„ ANno ætatis ſuæ LVII. cum Imperator per an-
„ nos XXXIII. Rex Hieruſalem per XXXVIII.
„ Rex Siciliæ LI. fuiſſet Fridericus anno Domini
„ MCCL. mortuus eſt, ſepultuſque in Montis Regalis
„ Eccleſia;

Ejus igitur morte audita ſtatuit illico Pontifex Romam venire. Sed cum veniſſet illi in mentem, *quoſdam de regno Sicilie ſuper hoc obſtaculum apponere nequiter* potuiſſe concipere, *quia clara, & ſalubris providentia in hoc negotio adhibenda eſt*, mandat prædicto Legato Innocentius,

Ut *de univerſali aſſerta hominum ipſius regni ſuper reverſione ipſorum ad Eccleſiam plenam ſtudeat inveſtigare veritatem, & quid invenerit ſine dilatione rejcribat*: ſi enim libere poſſet reverſio fieri, libens Pontifex militiæ comitivam relinqueret.

D. Lugduni VIII. Cal. Febr. P. a. VIII. a. D. 1251.

Imperatori Guillelmo pollicetur Pontifex Imperialia ornamenta.

INNOCENTIUS IV. Guillelmo Romanorum Regi electo. CXLIII. Ib. p. 605.

Inc. *Licet poſtquam &c.*

QUoniam Deus ad conſummandum opus miſeræ ſervitutis, in qua & Imperium, & Eccleſia gemebant, excitavit Guillelmum, in hoc debet ille enixis viribus incumbere, Pontifex ſedatis rumoribus omnibus ut eum auguſtiorem reddat, & ut efficacius Eccleſiam tutetur, eum ornabit, illi auxilium dabit.

Curet, ut in fide fideles perſeverent, infideles ad eam ducat, ut *glorioſior exinde pervenire poſſit ad Romani Imperii diadema, quo eum, Deo propitio, tota intenſione animi decorare* Pontifex *affectat*.

Ne permittat, ſe ſubduci *praviloquiis aliquorum*, qui ſtudebunt devotionem, qua Romanam Eccleſiam proſequitur, imminuere, quæ quidem Eccleſia eum *pure dilexit, ac diligit, & materno affectu eum diligere non deſiſtens ad coronam Imperii, Deo propitio, vita comite, in proximo ſublimabit*.

D. Lugduni XV. Cal. Mar. P. a. VIII. a. D. 1251.

Cruciatæ prædicatio in Conradum in Alemannia jubetur.

INNOCENTIUS IV. Fratri de Eycka ord. Prædic. CXLIV Ib. p. 606.

Inc. *Prædicationem Crucis &c.*

UT partes Guillelmi Imperatoris firmiores reddat Innocentius, quas turbare poterat, tentabatque Conradus Imperatoris Friderici filius, qui jam Imperium apertis artibus ambiebat, mandat prædicto Fratri,

Ut vel per ſe, vel per alios, quos idoneos ad hoc duxerit, prædicet, & prædicari faciat Crucem contra Conradum, ejuſque aſſeclas, & fautores.

Publicet Crucem ſumentibus dandas eſſe ſolitas indulgentias.

Omni-

Omnibus iis qui illum, vel deputatos ab illo prædicantes audierint, remittit Innocentius dies quadraginta de injunctis sibi pœnitentiis.

D. Lugduni Non. Febr. P. a. VIII. a. D. 1251.

Declaratio, nunquam R. Ecclesiam passuram, Conradum futurum Imperatorem, & Ducem Suevia.

CXLV. Ib. INNOCENTIUS IV. Episcopis, & Nobilibus Ducatus Sueviæ.

Inc. *Herode sublato &c.*

HErode sublato, *qui Christi animam in animabus fidelium impie perdere nitebatur, hereditario jure paternæ tyrannidis principatum alter sibi vindicat Archelaus*. Ita Conradum filium Friderici appellat Innocentius, qui parenti crudelitate, artibusque parenti impar non erat.

Ejus igitur ingenium optime Ecclesia noscens, debet sibi ab illo præcavere, ne a filio ea patiatur damna, subeatque pericula, quæ a patre acceperat plurima, & maxima.

Hinc notum nobilibus ducatus Sueviæ Innocentius facit, *quod quondam Friderici, qui olim pro Imperatore se gessit, soboles Pontifici, & Nobilibus merito de paternæ perfidiæ hereditariæ imitatione suspecta, & traductæ ab avis, & proavis fœvæ tyrannidis æmulatrix, nunquam ad Romanum regnum, vel Imperium, aut Sueviæ principatum consurget ex permissione Sedis Apostolicæ, aut favore.*

In cujus certitudinis argumentum iis præsentes litteras duxit Innocentius *concedendas*.

D. Lugduni IV. Cal. Apr. P. a. VIII. a. D. 1251.

Sententia Guillelmi confirmatur.

CXLVI. Ib. p. 168. INNOCENTIUS IV. Guillelmo &c.

Inc. *Dignum est &c.*

IN generali Curia apud Francfurtum celebrata decrevit de consensu principum Guillelmus ut omnes illæ terræ, quas Principes habebant in feudum ab Imperio, & quarum infra annum a die, quo fuit Aquisgrani Rex coronatus, investituram ab eo accipere non curarent, devolverentur ad Imperium.

Tum rogavit Pontificem, ut hoc decretum confirmaret.

Innocentius illud confirmat.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

D. Perusii IV. Non. Dec. P. a. XI. a. D. 1251.

Sententia Guillelmi in Conradum communitur.

CXLVII. Ib. p. 169. INNOCENTIUS IV. Guillelmo &c.

Inc. *Cum sicut &c.*

IN eadem Curia, Principum accedente consensu, idem Guillelmus declaravit Conradum spoliatum Ducatu Sueviæ, aliisque bonis, quæ habebat in Alemannia,

I. Quia erat inimicus Ecclesiæ,

II. Quia erat perturbator Imperii,

III. Quia eorum investituram neque a prædecessore Henrico, neque a vivente Guillelmo postulaverat.

Rogatus Innocentius confirmare decretum illud, confirmat.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

D. Perusii XIII. Cal. Aug. P. a. XI. a. D. 1251.

De cæde aliquot copiarum Imperatoris.

CXLVIII. Ib. INNOCENTIUS IV. Hugoni tit. S. Sabinæ Presb. Card. A. S. L.

Inc. *Ad nostram &c.*

SCultetus, milites, & homines Castri Confluentiæ Trevirensis diœcesis ad Archiepiscopi Trevirensis preces contra Imperatorem, Crucesignatos, militesque armata manu irruentes nonnullos ex ipsis vulnerare, alios occidere, quosdam spoliare, non paucos captivare temere præsumpserant, aliquibus misere in Rheno flumine suffocatis.

Hanc injuriam illatam non Regi, sed Ecclesiæ perferre non valens Innocentius mandat predicto Legato, *Quatenus si de plano, & sine judicii strepitu super hoc per se, vel per alium inquirens invenerit ita esse, Archiepiscopum moneat, vel moneri faciat, ut plenariam super iis satisfactionem studeat exhibere, quam secundum Ecclesiæ, ac regis honorem, & atrocitatem facti viderit exhibendam.*

Si eam exhibere noluerit, peremptorie eum intra duos menses post citationem cogat personaliter sistere se ante Pontificem;

Si id facere recuset, Legatus ab juramento obedientiæ subditos solvat.

Rescribat Legatus quid egerit.

D. Perusii II. Id. Dec. P. a. XI. a. D. 1251.

Ne eligatur in Imperatorem Conradus Friderici II. Imperatoris Nepos.

ALEXANDER IV. Archiepiscopo Moguntino &c. CXLIX. B.M. t. 1. p. 111. B.R. t. 3. p. 375. C.C

Inc. *Firma profecto &c.*

MOrtuus fuerat anno secundo Imperii sui Guillelmus: Inter candidatos, qui Imperialem dignitatem ambiebant erat Conradus dictus Conradinus ut distingueretur a Patre Conrado dicto; qui quidem Conradus erat filius Friderici II. Imperatoris; hic jam erat mortuus.

Ne igitur Conradinus in Imperatorem eligeretur, hæc scribit ad Moguntinum Archiepiscopum Alexander: initioque statim reddit rationem, cur ad illum præcipue scribat:

Quia est inter Germaniæ Prælatos præcipuus, quia virtutibus, & prudentia præ aliis fulget, & quia cum præ aliis plurima, & maxima beneficia ab Ecclesia acceperit, putat, illum ejusdem Ecclesiæ voluntati in Imperatoris electione obsecundaturum. Ergo Ecclesiæ non arridet eligi Conradinum,

I. Quia cum acceperit plurima mala ab Imperatoribus, studere debet, ne is Imperator fiat, a quibus eadem mala timere jure, ac merito potest;

II. Conradinus nascitur e Suevica domo, quæ in summas angustias Ecclesiam conjecit; Testis est Fridericus I. qui Alexandrum III. acerrime vexavit; Testis ejus Filius Henricus VI. testis Philippus II. testis Fridericus II. omnes Imperatores, & testes nuperrimi Friderici filii Conradus, & Manfredus nothus. *His exemplis domesticis Conradinus edoctus, motusque Ecclesiam summopere vexabit.*

III. Quid quod Conradinus constitutus in puerili ætate ea omnia adimplere non poterit, quæ Imperialis dignitas requirit necessario?

Vetat igitur Pontifex eidem Archiepiscopo in hac electione rationem Henrici ab illo haberi.

Tum illi mandat, ut electoribus Ecclesiasticis, & secularibus nomine Ecclesiæ denuntiet, ne Conradinum nominent, eisque protestetur, Ecclesiam nunquam eum habituram, & agnituram in Imperatorem; quod quidem schisma Christiani principes vitare debent.

Si quis autem eum nominabunt, in illos auctoritate Pontificia excommunicationem jaciat Archiepiscopus;

Quod nisi egerit, ipse sit excommunicatione innodatus.

D. Anagniæ XV. Cal. Aug. P. a. II. a. D. 1256.

Se excusat Pontifex, si statim in Imperatorem non agnoscit Alphonsum.

URBANUS IV. Alphonso Castellæ ac Legionis Regi in Romanorum Regem electo. CL. Ad ann. 1262. §. 2.

Inc. *Cesserunt nobis &c.*

COncurrerant ad Imperialem dignitatem consequendam Alphonsus Castellæ, & Legionis Rex, vir in astronomicis præcipue scientiis eruditissimus, & Richardus Cornubiæ Comes Henrici Angliæ Regis frater: electorumque studia divisa fuerant; de quibus inferius.

Præoccupavit Alphonsus mittere notarium suum ad Pontificem, ut ejus confirmationem haberet, quæ tunc temporis maximi habebatur; qui Nuntius omnia merita majorum Alphonsi in Romanam Ecclesiam, devotionem in eamdem ipsius Alphonsi, ejusque constantiam in eodem studio erga A. Sedem, virtutesque Alphonsi magnifice extulit.

Hæc se audivisse a Nuntio Alphonsi rescribit eidem Regi Urbanus: quæ se audivisse summa cum lætitia, & voluptate testatur; ostenditque ejus electionem se habere gratam;

Se summo ardere desiderio, eum esse Imperatorem, cum reputet neminem illo futurum devotiorem, addictioremque Ecclesiæ.

Sed cum per eos dies acceperit Nuntios Richardi Cornubiæ Comitis, qui suffragia quorumdam electorum retulit, se, qui est pater communis, & *justitiæ libram in manu tenet*, ejus electionem confirmare non posse; *quod quidem moleste ferre regia Celsitudo non debet*.

D. Viterbii XV. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1262.

Ne eligatur Conradinus in Imperatorem.

CLI. B.R. t. 3. p. 406. C.C URBANUS IV. Archiepiscopo Moguntino.

Inc. *Postquam supernum &c.*

IN discordia enata inter electos in Imperatores Alphonsum, & Richardum everens Urbanus, ne proponeretur Conradinus, electoresque illum Imperio præficerent, ut quieti Imperii consulerent, cum inter regesta Alexandri IV. prædecessoris reperisset Urbanus Bullam ad Archiepiscopum Moguntinum missam (est supra *firma profecto*) qua Pontifex vetabat, ne Conradinus Imperator fieret, eam ad eumdem mittit:

Ideo autem eam ad illum mittit, ne possit excusationem ignorantiæ prætendere, si eligatur Conradinus.

Confirmat excommunicationem, quam est Alexander Archiepiscopo minitatus, si nominabit Conradinum, & si electores eum nominantes non excommunicabit.

D. Viterbii III. Non. Junii P. a. I. a. D. 1262.

Ad Regem Bohemiæ de eodem argumento litteræ.

CLII. Ad an. 1262. §. 3. URBANUS IV. Bohemiæ Regi Primislao.

Inc. *Dilectum filium &c.*

MIserat Primislaus nuntium ad Pontificem, ut illi significaret, quæ agebantur in Alemannia circa negotium Imperii.

Illi ergo significavit, Archiepiscopum Moguntinum jam indixisse principibus diem, quo conventuri essent pro eligendo Imperatore unanimi consensu, ut discordiæ inter electos Richardum, & Alphonsum tollerentur, dareturque Imperio pax; nonnullos consentire de eligendo Conradino.

Pontifex de hac relatione missa gratias regi agit, ejusque devotionem in Sedem A. laudat,

Tum eum dissuadet ab eligendo Conradino iisdem rationibus, quas Alexander IV. in sua constitutione ad Archiepiscopum Moguntinum (v. supra *firma profecto*) attulerat.

Refert Regi, se scribere ad eumdem Archiepiscopum, & ad illum mittere Alexandri Bullam.

Regem demum monet, ne Conradino suffragium det, ne excommunicationem incurrat, quam se renovasse scribit, imo suadeat electoribus, ut ipsi quoque Conradinum excludant.

D. Viterbii III. Non. Junii P. a. I. a. D. 1262.

Disquisitio, uter nominandus sit Imperator Cornubiæ Comes, an Alphonsus.

CLIII. B.R. t. 1. p. 411. C.C URBANUS IV. Servus Servorum Dei.

Inc. *Ordinato nuper &c.*

DIvisi inter se electores alii nominarant in Romanorum regem Richardum Comitem Cornubiæ, alii Alphonsum Castellæ, & Legionis Regem.

Quærit Pontifex, uter eorum sit nominandus Romanorum Rex.

Videtur nominandus ita Cornubiæ Comes, sic jam nominatus ab Antecessore Alexandro in litteris ad eum missis pro alio negotio;

E contrario Alphonsus nunquam per *Papales litteras ita fuit nominatus*.

Hæc videntur favere Alphonso,

Plures electores nominarunt Alphonsum, quam Richardum:

Litteræ Alexandri ad Richardum *continentes placentia quædam, ne dicantur adulatoria, nullam continent definitionem*.

Neque litteræ Urbani ipsius, licet in iis illum nominaverit Regem, nihil statuunt, *quia non super Imperii negotio, sed super quadam pecuniæ quantitate versabantur*.

Cum igitur pro utroque rationes sint in partem utramque, Pontifex de consilio Fratrum statuit, ne injuriam facere videatur utrique, nominate utrumque in litteris *in Romanorum Regem electum*.

D. apud Urbem veterem VII. Id. Aug. P. a. II. a. D. 1263.

Nimii studii in Alphonsum suspicionem a se removere nititur Pontifex.

URBANUS IV. Richardo Cornubiæ Comiti in Romanorum Regem electo. CLIV. Ex Rayn. ad an. 1263. §. 43.

Inc. *Utinam fili &c.*

PUpugere præcedentes proxime Urbani litteræ Richardi animum; videbatur enim Pontifex favere potius causæ Alphonsi; deque hoc Pontificis studio questus est acerrime Richardus.

De quibus Richardi querelis factus certior Pontifex eum mulcere his litteris nititur, conceptamque de se suspicionem demere.

Vellet Urbanus, videret Richardus, quo amore diligatur, quantum de ejus utilitatibus, progressibusque sit sollicitus.

Quoad electionem ad Imperium, neque si velit, potest potius huic, quam illi parti favere; cum enim uterque vota tulerit, ipse qui communis pater est, nec vult, nec potest huic, illive favere; causam decidere non potuit, nec potest, partibus inauditis; nam sicut Richardus asserit sibi deberi Imperium, quia electus fuit, idem asserit Alphonsus.

Verum quidem est, Alexandrum majorem propensionem in Richardum ostendisse; sed tamen ipse ejus exemplum in hoc sequi non vult, uterque enim carus sibi est.

Idem Alphonso scripsit, quod nunc Richardo scribit (v. supra *cesserunt nobis*). Ex quibus litteris aperte patet, Pontificem nec velle nec posse quiquam hactenus decidere.

Ne Comes audiat malevolos, sed veritatem inquirat.

D. apud Urbem Veterem II. Cal. Sept. P. a. II. a. D. 1263.

Discussio, ad utrum supradictorum spectet Imperium.

URBANUS IV. Richardo in Romanorum Regem electo. CLV. B.M. p. 3. vel t. 9. in Addenda p. 19.

Inc. *Qui Cœlum &c.*

ANtequam citet Richardum in Romanorum Regem electum, multa differit Urbanus de auxilio, quod mutuo debent præstare sibi Imperia Sacerdotale, & Sæculare.

Nunc cum laboret Sæculare Imperium ob dissidia, & bella, quæ oriri possent inter Richardum & ejus electores ex una parte, & Alphonsum electoresque ejus ex alia, æquum est, ut Sacerdotium illi opem ferat, & de medio tollat hæc discordiarum semina.

Jam Richardus miserat ad Pontificem procuratores; & nuntios, qui peterent coronationem, *proponerentque quasdam consuetudines circa electionem novi Regis (eligendi postea in Imperatorem) apud principes, qui in hac electione vocem habent qui sunt septem numero, pro jure servari, & hactenus observatas fuisse a tempore, cujus memoria non existit.*

Secundum quas infra annum, & diem, postquam vacat Imperium talis debet electio celebrari.

Pertinet autem ad Archiepiscopum Moguntinum, & Comitem Palatinum Rheni, *vel ipsorum aliorum altero nequeunte, vel nolente* præfigere diem electionis &

convocare Electores. Convenientibus saltem duobus electoribus *apud oppidum* de Franchford *intus, vel extra ipsum oppidum, quod* dicitur Franchferde, *deputatum ab antiquo* fieri potest electio.

Electus autem, si acceptarit imperium, infra annum, & diem unum per Colonienſem Archiepiſcopum, ad quem id ſpectat, apud Aquiſgranum debet inungi, conſecrari, coronari.

Ita electus, ita coronatus cenſetur legitime electus, & coronatus, neque quiſquam niſi ſit rebellis, poteſt in eum non conſentire; omnia enim loca, omnes principes debent homagium jurare.

Quod ſi ſint duo electi, recurſus ad comitem Palatinum eſt habendus; ſuper coronatione autem ſi nata fuerit diſcordia, appellandum eſt ad S. Sedem.

Is dicitur electus concorditer, in quem vota omnium electorum conſenſerint;

Electus in diſcordia dicitur *is, de quo in loco non ſolito neque in termino ab electoribus ſtatuto electio celebratur.*

Jam ad indictum diem an. MCCLVI. apud Francfurtum quinque tantum convenerunt principes.

Trevirenſis Archiepiſcopus, & dux Saxoniæ noluerunt in oppidum accipere comitem Palatinum, & Archiepiſcopum Colonienſem; qui gerebat pro hac vice tantum vices Archiepiſcopi Moguntini.

Archiepiſcopus Colonienſis, & Comes Palatinus nunquam in urbem recepti, *præſente copioſa multitudine*, cum dies quindecim ſupereſſent ſtatuto termino, elegerunt in regem Comitem Cornubiæ. Cui electioni aſſenſus eſt poſt paucos dies Bohemiæ rex.

Aquiſgranum ſe contulit Richardus, paucoſque dies ibi moratus ab Archiepiſcopo Colonienſi coronatus fuit, conſecratus, inunctus.

Homagii juramentum a Magnatibus accepit, multaque oppida ut Imperatorem eum receperunt.

Electores etiam parati erant illi obedire.

Pontifex Alexander jam regem eum appellaverat.

Jam electio Caſtellæ, & Legionis regis nulla erat, facta etenim fuit ab Archiepiſcopo Trevirenſi *propter nova pedagia terræ ſuæ impoſita* excommunicato.

Reſpondebant procuratores Regis Caſtellæ, eum diem, quo electus fuit comes Richardus, non fuiſſe ſtatutum pro electione regis ab electoribus, ſed pro agendis negotiis Imperii;

Jam plura vota ipſum Alphonſum habuiſſe, Epiſcopi Trevirenſis, cui Marchio Brandenburgicus vices ſuas commiſerat, Ducis Saxoniæ, & Regis Bohemiæ, qui miſerat procuratorem.

Ideo autem Archiepiſcopus Trevirenſis, & Comes non fuere admiſſi in urbem, quia cum magna militum manu eo acceſſerunt;

Archiepiſcopus autem Colonienſis multo majori excommunicatione erat illaqueatus; injecerat enim manus in Cardinalem S. Gregorii ad velum aureum legatum Apoſtolicum in Alemannia, & Paderbonenſem Epiſcopum in carcerem detruſerat.

Quid quod ipſe Comes eligi non poterat, cum Eccleſiaſticæ libertatis fuerit violator? fautor Friderici Imperatoris? ac proinde excommunicatus.

Per vim autem extortum fuit votum Archiepiſcopi Moguntini; detinebatur enim in carcere.

Jam indicto die electionis a Moguntino Epiſcopo ad dominicam Palmarum, requiſivit Archiepiſcopum Colonienſem, & Comitem Palatinum, ut interveniret Electioni, qui noluerunt.

Francforti ergo, die ſtatuto, a Moguntino, cujus officium id eſt, electus Alphonſus (ad quem in Hiſpaniam miſſi ſunt nuntii) conſentiens electioni ſuæ debet cenſeri vere electus rex, & Imperator.

Procuratores Alphonſi diluebant etiam argumenta pro Richardo allata.

Pontifex, ad cujus deciſionem referebat omnia Alphonſus, procuratores Comitis requiſivit, num Comes vellet ſtare S. Sedis judicio, ſicut ſe ſubmiſerat Alphonſus? qui cum annuiſſent,

Urbanus ait ſe miſſuros ad utrumque Regem nuntios, qui pacem inter eos componant ad utilitatem Imperii, ad augmentum S. Fidei, ad eorum gloriam.

D. Apud Urbem Veterem Cal. Sept. P. a. II. a. D. 1263.

Rogatur Richardus, ut Regi Fratri opituletur.

CLVI. Ad an. 1263. §. 82.

URBANUS IV. Richardo in Romanorum Regem electo.

Inc. *Habentes recta*, &c.

GRaviſſima ſeditio contra Regem Henricum in Anglia fuerat exorta, dicebaturque Richardus vel eam excitaſſe, vel rebellium eſſe ſocius; eam enim non reprimebat.

Hac ſiniſtra fama graviſſimas ad illum has litteras Urbanus mittit, in quibus ait,

Sibi reſpicienti præclara facinora facta a Richardo in partibus ultramarinis, ejus pietatem, devotionemque conſideranti incredibile eſſe prorſus, eum conſpiraſſe cum ſeditioſis contra fratrem ſuum, multo vero eſſe incredibilius, eum conjurationem illam in Regem Fratrem excitaſſe,

Noluiſſe, cum hæc ſibi delata fuerunt, ſe illi ſcribere; poſtea vero mutaſſe opinionem; ſe enim ita ſollicitum eſſe de ejus nominis fama, ut piaculum duxerit ad illum non ſcribere.

Cæterum in ejus poteſtate ſitum eſſe hujuſmodi voces refellere; modo auxilium fratri præſtet, modo contra rebelles procedat, corruent per ſe ſermones de illo tam ſiniſtri.

Ad quod præſtandum illum hortatur Urbanus.

D. apud Urbem veterem XXI. Cal. Octob. P. a. III. a. D. 1263.

Dies dicendæ cauſæ Richardo prorogatur.

CLVII. Ad an. 1264. §. 35.

URBANUS VIII. ad ſ. r. m.

Inc. *Inter cariſſimos*, &c.

VIx ac electi fuerunt Richardus, & Alphonſus Romanorum Reges, cum vellet uterque electionem ſuam defendere, volebat Alexander ſententiam proferre, uter eorum eſſet habendus Rex; ſed cum dixiſſent ſe nolle litigare, res dilata fuit.

Tum uterque ſe per procuratores Urbani voluntati ſubjecit. Judiciumque aſſumpſerat Urbanus; ac proinde volens inter eos pacem, concordiamque inducere ad utrumque miſerat legatos ſuos, per quos eos citari fecit, ut Pontificio conſpectui comparerent vel per ſe, vel per procuratores ſuos.

Cum adveniſſet ſtatus terminus, & nemine pro Richardo comparente, procuratores Alphonſi petierunt pro rege ſuo imperialia inſignia; imo poſtulaverunt, ut Pontifex invitaret Regem, ut eum inungeret, & coronaret in Imperatorem.

Sed Rophenſis Archidiaconus, & quidam alii dixerunt Pontifici, non audita Richardi cauſa, ad ſententiam procedi non poſſe; non abeſſe Richardum ex contumacia, neque ex contumacia abeſſe ejus procuratores, ſed abeſſe, quia retinetur in Anglia a ſeditioſis (erat in carcere).

Ne ulli igitur det Pontifex querendi cauſam, de conſilio fratrum ſententiam proferre differt, præſigitque partibus ad comparendum annum integrum inchoandum a feſto B. Andreæ Apoſtoli venturo proximo. Tunc Urbanus *ad ea, illo qui poteſt recte dirigere proceſſum, quæ expedire videbuntur procedet.*

D. apud Urbem veterem XIV. Cal. Oct. P. a. III. a. D. 1264.

„ Clemens IV. ſucceſſor Urbani cum videret Richar-
„ dum detineri in carcere, Alphonſum implicitum
„ bello Saracenico regnum ſuum propagare, cogitarat
„ de electione tertii in Imperatorem, mandaveratque
„ Legato ſuo apud Alphonſum, ut ei ſuaderet electio-
„ ni ſuæ renuntiare,

Mandatum, ne Conradinus eligatur in Imperatorem.

CLVIII. B. R. t. 3. p. 1. p. 450. C. C.

CLEMENS IV. Archiepiſcopo Moguntino.

Inc. *Fundata domus*, &c.

ARchiepiſcopo Moguntino mandat Clemens, ut petitionum Conradini ad Imperium nullam habeat rationem.

Si enim

Si enim cum ſit nepos Friderici Imperatoris, æmulatur ejus peſſima geſta contra Eccleſiam, adoleſcenſque cum ſit, ex iis, quæ nunc agit contra eandem cum adjunctis ſibi Lombardis, Marchianis, Thuſcis, & Apulis, atque *Siculis fraudolentis*, argui poteſt quæ ſit facturus progreſſu temporis, præcipue ſi dignitate Imperiali ſit fultus.

Præterea cum iis adhuc ſit inter Comitem Cornubiæ, & regem Caſtellæ, uter habendus ſit imperator, alius eligi non poteſt, quin prius uterque juri ſuo cedat, aut moriatur.

Vetat ergo Conradini electionem fieri, privatque Electores laicos eum eligentes omnibus feudis, & excommunicat, & eorum Clericos filios uſque ad quartam generationem incapaces Eccleſiaſticorum beneficiorum eſſe vult.

Electores Eccleſiaſticos ipſo facto ab Epiſcopali honore deponit, & beneficiis orbat.

Omnes demum, qui Conradino faverint, & contra Carolum Siciliæ regem aliquid egerint, excommunicatos vult.

In virtute demum obedientiæ præcipit Archiepiſcopo, ut in ſua civitate, Diœceſi, & provincia Clero, & populo convocatis hæc ſingulis menſibus publicet.

D. IV. Cal. Apr. P. a. II. a. D. 1266.

„ *Quanquam opus non fuit, ut hæc per plures men-*
„ *ſes publicaret Archiepiſcopus. Victus enim præliо fuit*
„ *Conradinus a Carolo, captuſque, & publice ſecuri*
„ *percuſſus.*
„ *Ita deſloruit familia Suabiæ Principum adeo Ro-*
„ *manis Pontificibus inviſa ob ea mala, quæ contra*
„ *Eccleſiaſticam libertatem egiſſe dicebatur.*

Citatur Alphonſus ad proferendas rationes ſuas.

CLIX. Ad ann. 1266. §. 36.

CLEMENS IV. Alphonſo in Regem Romanorum electo.

Inc. *In negotio*, &c.

NArratis, quæ ſuperioribus in Bullis continentur de poſtulationibus Alphonſi, & Richardi,

De rationibus ab Alphonſo dictis, & poſtulante ſibi dari Imperialia inſignia, & de oppoſitione facta ex parte Richardi in carcere detenti,

Et de prorogatione termini ad rationes adducendas ab Urbano data,

Cum interim Urbanus mortuus fuiſſet, veniſſetque dies ab eo ſtatutus S. Andreæ, Radulphus notarius, & Nuntius Alphonſi rogavit Clementem, ut negotium de Imperio decideret.

Verum attendens Pontifex, decens eſſe *a ſe quoque unum edictum dari, providet, non eſſe ad præſens in præfato negotio procedendum, illudque uſque ad diem veneris poſt feſtum Epiphaniæ Domini proxime venturum, & immediate ſequentem ſuſpendit.*

Ad eum igitur diem citat Alphonſum.

D. Viterbii III. Non. Dec. P. a. II. a. D. 1266.

Per legatum ſuum Ottobonum in Anglia Richardum citare fecit, ut procuratorem ſuum ad eum diem mitteret ad Curiam.

Reprehenditur Alphonſus, quod authentica inſtrumenta non miſerit.

CLX. Ad an. 1267. §. 22.

CLEMENS IV. Alphonſo, &c.

Inc. *Licet nos*, &c.

JAm ſtatuerat Pontifex, ne diutius vacaret Imperium, controverſiam dirimere.

Ad ſtatutum igitur diem apparuit Richardi filius major natu Henricus cum omnibus inſtrumentis ad ſuæ cauſæ æquitatem probandam, Alphonſus partes ſuas defendendas demandarat Radulpho, qui nullas chartas habebat, ſed cauſam Regis defendere verbis paratus erat.

Diſplicuit id ſummopere Clementi, aliumque præfixit diem, nimirum poſt diem Annuntiationis B. M. Virginis proxime venturum.

Et Alphonſum acriter reprehendit, quod ſine chartis putaverit controverſiam tantam decidi poſſe.

Illi interim indicit, ut cum inſtrumentis mittat procuratores ſuos.

Interea temporis, ne partibus detur anſa ulteriores

dilationes poſtulandi pro teſtium examinibus, vult teſtes examinari in Alemania Francofurti, in Francia Pariſiis, in Hiſpania Burgis, in Italia Bononiæ.

Examina horum teſtium incipiant a die omnium Sanctorum.

D. Viterbii VII. Id. Mar. P. a. III. a. D. 1267.

Teſtimonia qui audirent, & exſcriberent pro quavis urbe ſupradicta Clemens deputavit.

Negat Pontifex ſe poſſe coronare Alphonſum.

CLXI. Ib. §. 25.

CLEMENS IV. Alphonſo, &c.

Inc. *Quanto divinæ*, &c.

ETiam ab Urbano IV. expetiverat Alphonſus, ut per eum coronaretur. Sed procuratores Richardi ſeſe oppoſuerunt; cum enim lis penderet, eſſetque incertum, uter eſſet Imperator, ſi coronatus ab Urbano fuiſſet, *credidiſſent* omnes, eum eſſe legitimum Imperatorem.

Præterea per ſaltum fuiſſet coronatus. Prius enim quam a Pontifice coronetur, debet coronari ab Archiepiſcopo Colonienſi.

Cum ergo hæc objectio jam ſit everſa, eum monet Clemens, ut ad ſtatutum peremptorium terminum procuratores ſuos mittat.

Ut autem Rex videat, quantum a ſe ametur, ad illum mittit capellanum ſuum, *in cujus ore verba ſua ſecreta poſuit, quæ illi referet viva voce.*

D. Viterbii Non. Junii P. a. III. a. D. 1267.

Reſpondetur regi querenti de brevitate termini.

CLXII. Ib. §. 28.

CLEMENS IV. Alphonſo, &c.

Inc. *Poſt claræ*, &c.

QUeſtus apud Pontificem fuerat Alphonſus nimis anguſtum fuiſſe ſtatutum terminum agendi cauſam talem, tantamque.

Clemens reſpondet, jamdiu vacare Imperium, ejuſque negotia in pejus ruere, quia nemo illud regit. Intra tam diutinum tempus jam ſe parare debebat rex ad cauſam ſuam peragendam.

Deinde illum monet, rationem potius pro Richardo militare, quam pro illo. Nam Innocentius III. qui multa ſcripſit de hoc negotio, cum Philippus & Otho ambo creati Imperatores fuerunt, & multa legerat, cujus regeſta pervolvit, cum omnia examinaſſet, ita decidit: *Philippus nec ubi debuit, nec a quo debuit coronam, & unctionem accepit; Otho & ubi debuit, videlicet Aquiſgrani, & a quo debuit, ſcilicet a Colonienſi Epiſcopo recepit utrumque.* Adjudicavitque Imperium Othoni, & reprehendit Archiepiſcopum Trevirenſem, quod in aliena jura manum immiſiſſet.

Tum ſcripſit ad Germaniæ prælatos, & Principes, ut agnoſcerent Othonem legitime electum, & coronatum.

Idem dici debet de Richardo, qui coronatus fuit ubi debuit, & a quo debuit.

Videat ergo quo in ſtatu res ſint. Rationes ſuas paret, ut hujuſmodi negotium finem tandem aliquando habeat.

D. Viterbii XV. Cal. Julii P. a. III. a. D. 1267.

Ad eundem litteræ gratulatoriæ de recuperata urbe Granata.

CLXIII. Ib. §. 31.

CLEMENS IV. Alphonſo, &c.

Inc. *De tuis*, &c.

SIgnificaverat Alphonſus Clementi, ſe Deo benedicente expuliſſe Granata Mauros, & eam urbem recepiſſe, neque velle ſe ceſſare a perſequendis ſtrenue hoſtibus.

Gratulatur de hac victoria illi Clemens, & majores in dies illi ominatur; quas certe obtinebit, ſi Dei gloriam, fideique propagationem in ſuis bellis tanquam finem unicum ſibi proponet.

D. Viterbii X. Cal. Nov. P. a. III. a. D. 1267.

Decidenda controverſia terminus producitur.

CLXIV. ad an. 1268. §. 42. CLEMENS IV. Alphonſo &c.

Inc. *Magiſter Guillelmus*, &c.

POſt *diem Annuntiationis*, ut ſtatutum fuerat, *procurator Richardi coram Pontifice, & Fratribus ſe repræſentans* Magiſter Guillelmus petiit nomine ejuſdem Richardi, ut controverſia decideretur.

Ex adverſo quidam Eccleſiaſtici expoſuerunt, Magiſtrum Radulphum de Podio Bonizi procuratorem Alphonſi, qui habebat litteras, & examina teſtium, & *omnem inſtructionem negotii* infirmitate graviſſima fuiſſe detentum, & nunc detineri obſeſſum in caſtro Podii Bonizi; ac proinde non poſſe accuſari regem de negligentia, vel tergiverſatione judicii: Silvenſem autem Epiſcopum, qui pro parte Alphonſi afferebat nonnulla inſtrumenta ad fundandam intentionem regis ſpectantia, in Thuſcia a quibuſdam nefandiſſimis hominibus fuiſſe interremptum; dixerantque iidem Eccleſiaſtici hæc impedimenta eſſe notoria, poſtularantque alium terminum, ut deperdita inſtrumenta reficerentur.

Quæ quidem poſtulatio cum ſatis æqua Fratribus viſa fuiſſet, cenſuerunt terminum eſſe producendum.

Ergo terminus prorogatur a Calendis Junii proxime venturi uſque ad unum annum.

Confirmantur judices qui recipiant depoſitiones teſtium in iiſdem locis.

Hic idem terminus ſignificabitur Richardo.

D. Viterbii XV. Cal. Junii P. a. IV. a. D. 1268.

Ad Bohemiæ Regem de eligendo Imperatore,

CLXV. lib. 5. 45. CLEMENS IV. Bohemiæ regi &c.

Inc. *Dilecti filii*, &c.

REx Bohemiæ miſerat ad Pontificem oratores cum litteris, quibus illi ſignificabat, quoſdam electores arbitrantes ſibi illudi iteratis dilationibus datis Richardo, & Alphonſo in ea mente eſſe, ut velint ad electionem tertii Imperatoris procedere; ſe quoque rogatum fuiſſe, ut huic electioni aſſentiretur; ſe tamen inconſulto Pontifice nolle quicquam agere; rogare proinde Pontificem, ut conſuleret.

Commendato regis ſtudio in A. Sedem una cum ſanguine a ſuis majoribus Otocaro tradito,

Fuſe Pontifex perſequitur, quæ prædeceſſores Pontifices egerint, ut utrumque electum moverent ad deponendam dignitatem, vel ut cauſam diceret.

Sed plures caſus inopinati ſupervenere, quæ ſententiam dicendam impediverunt. Richardus conjectus fuit in carcerem, Alphonſus non miſerat authentica inſtrumenta; cum miſit, procurator ejus fuit interfectus, & inſtrumenta rapta. Culpa ergo caret Eccleſia ſi terminos, qui neceſſarii erant, dedit, ſi ſententiam non protulit. Non potuit enim prævidere, quæ ſuperventura eſſent.

Videntur quidem electores juſte conqueri, nam diu caret imperium capite (*vacabat per annos decem, & octo*), ſed ne putent hæc ex compoſito, & ad artem fieri ab Eccleſia, quæ agnoſcit, & fatetur liberam eligendi facultatem eſſe electoribus.

Ceterum electio tertii Imperatoris eſſet potius detrimento, quam utilitati Imperio. Bellum profecto excitaretur, patantibus Alphonſo, & Richardo in ſuum contemptum fuiſſe electum.

Pontifex præſcripſit peremptorium terminum annum unum adhuc, electis nulla tergiverſandi, fugiendique judicii excuſatio amplius erit; tunc poterit vel res componi inter candidatos, vel ſtabunt ſententiæ Sedis A.

Eum rogat, ne aſſentiatur electioni tertii Imperatoris.

D. Viterbii VIII. Id. Nov. P. a. IV. a. D. 1268.

Ad poſtulata Alphonſi reſpondetur.

CLXVI. ad an. 1272. §. 33. GREGORIUS X. Alphonſo &c.

Inc. *Dilecti filii*, &c.

MOrtuus erat Richardus Alphonſi æmulus. Ad Gregorium ergo ſcribit Alphonſus poſtulans coronari in Imperatorem. Rogavitque ſimul Pontificem, ut inhiberet electoribus ad electionem alterius procedere.

Reſpondet Alphonſo Pontifex, ſe recepiſſe ejus oratores, & regia poſtulata audiviſſe; quæ cum eſſent magni momenti, ſe voluiſſe exquirere conſilium Cardinalium, qui unanimi voce cenſuerunt, Regem coronari non poſſe, niſi prius audirentur electores illi, qui Richardum elegerant. Si enim ipſi eligere vellent alium, neque in Alphonſum conſentirent, quod libere facere poſſent, novæ turbæ in Imperio eſſent, duoque ſimul Imperatores.

Præterea Pontifex coronare neminem in Imperatorem poteſt, qui ab Archiepiſcopo Colonienſi Aquiſgrani non ſit coronatus. Prius ergo Alphonſus coronam ibidem ab eodem accipiat, & poſtea a Pontifice coronabitur.

Quid quod adhuc dubium eſt, an electio Alphonſi ſit valida, ut recte facta, an non? Nam ſi recte facta fuiſſet, Richardus certe ſemet non oppoſuiſſet, aut electores Alphonſi oſtendiſſent electoribus Richardi, eam eſſe rectam, & hi manus dediſſent. Cum igitur electores Alphonſi ſiluerint, ſileantque nunc etiam, id argumento eſt ne electores quidem ipſius Alphonſi ſibi perſuadere ejus electionem eſſe legitimam.

Poſtularunt Oratores, ut coronaretur Rex, cauſa inaudita, quoniam ajebant, mortuus eſt, qui ad Imperium jus ſe habere putabat. Ita ſane; ſed ii, qui hoc jus Richardo dederant, nempe Electores, vivunt adhuc; contra hos probandum eſt, Alphonſum eſſe jure electum; iis probandum eſt, debere eos Alphonſum in Imperatorem agnoſcere.

Quæ cum ita ſint, injuſtitiæ jure ac merito arguerentur Gregorius, videreturque in aliena jura invadere, & velle coronare eum, qui ab omnibus, & ſingulis electoribus non fuit electus.

Queſti etiam Legati Alphonſi fuerant, Pontificem creaſſe Carolum Siciliæ Regem Imperii Vicarium, ſe inſcio.

Reponit Gregorius, juſte illum Vicarium conſtitutum fuiſſe. Cum enim omnia perturbata in Italia eſſent, neque eſſet Imperator ullus, qui turbas ſedaret, aliquis erat eligendus, qui tumultus compeſceret, qui res innovandi cupidos retineret in officio. Initio ſtatim Carolus creatus fuit ab A. Sede paciarius, reſque in Tuſcia, & in Hetruria bene compoſuit, tum ut alias alibi componeret, electus fuit Vicarius, & quaramdam urbium Poteſtas creatus fuit.

Alphonſus ergo excuſare Pontificem debet, ſi ejus poſtulatis ſatisfacere non poteſt; cum ſit in ea dignitate conſtitutus non amicitiæ voces, ſed juſtitiam audire debet.

D. apud Urbem veterem XVI. Calend. Oct. P. a. I. a. D. 1272.

„ Fuit ab electoribus electus Rodulphus Habsburgi-
„ cus, unde Auguſtiſſima Domus Auſtriaca cœpit cla-
„ reſcere, optimus princeps, cujus electio gratiſſima
„ Gregorio fuit.

Reſpondetur litteris Regis Alphonſi.

GREGORIUS X. Alphonſo. CLXVII. ad an. 1274. §. 38.

Inc. *Colſitudinis tuæ*, &c.

ISCripſerat Rex ſe ardere deſiderio eundi in Terram Sanctam,

II. Videndi Pontificem,

III. Cum eo remotis arbitris colloquendi de recuperatione Terræ S. & de reducendis Græcis ad unitatem fidei.

Reſpondet Pontifex, ſe lætari maximopere, Regem velle illuc ire, faceret rem egregiam;

Se quoque ardere cupiditate regem tantum videndi, ſed cupiditatem hanc ſe non poſſe explere implicitum celebratione Concilii, ad quod regem invitat;

Mittat Rex aliquem virum, cujus ingenium probum peni-

penitus noſcat, & cum illo communicet ſecreta deferenda ad Pontificem; videat rex, agi de rebus maximis; ſilentium poſſe eſſe damnoſum, damnoſam moram.

D. apud Camberiacum III. Non. Nov. P. a. II. a. D. 1273.

De electione Rodulphi in Regem Romanorum.

CLXVIII. ad an. 1274. §. 45. GREGORIUS X. Alphonſo &c.

Inc. *Inducit nos*, &c.

„ COncordibus ſuffragiis in Imperatorem electus fue-
„ rat Rodulphus, quam tamen electionem non
„ approbarat Bohemiæ Rex. Jamque juramentum fi-
„ delitatis, & declarationem principum Germaniæ, Si-
„ ciliæ Regnum non eſſe ſubjectum Imperio per ſuos
„ Oratores miſerat ad Pontificem Lugdunum Concilio,
„ quod ibidem celebrabatur (*fuit autem* II.) præſi-
„ dentem.

„ Rex tamen Alphonſus contendebat pertinaciter eam
„ electionem eſſe invalidam, ac proinde reſcindendam.
„ Bellum ingens apparebat. Nam Rex Bohemiæ erat
„ potentiſſimus, quicum ſi potentia Alphonſi conjuncta
„ fuiſſet nemo illi reſiſtere poſſe videbatur. Itali etiam
„ magis favebant Alphonſo, quippe qui erat ab Ita-
„ lia longinquior, nec ea timebant, quæ ab Impera-
„ tore Germano timere poterant aliorum Imperatorum
„ experientia edocti.

In hoc ancipiti rerum diſcrimine ſcribit ad Alphonſum Pontifex; ſe paterno in illum amore inductum, hæc illi ſcribere, jam controverſiam eſſe finitam de Imperio; Rodulphum concordibus votis fuiſſe electum; Regem inutilem operam ſumere, ſi putat electores velle a ſua electione reſilire;

Eum hortatur, ut divinæ voluntati acquieſcat; id illi ut principi Chriſtiano multo glorioſius futurum; multo etiam futurum glorioſius, ſi eum titulum totius orbis Chriſtiani quieti poſtponat;

Se ad illum remittere regios Oratores, qui ſenſa animi Pontificis regi ſignificabunt;

Ne fidat bellorum exitui, ſi quod parare habet in animo; Scit enim experientia quam ſint incerti.

D. Lugduni V. Cal. Apr. P. a. III. a. D. 1274.

Edocetur Nuncius Pontificis, quæ argumenta afferre Alphonſo debeat, ut Imperatoris titulum deponat.

CLXIX. lib. 9. 48. GREGORIUS X. Magiſtro Fredulo Capellano noſtro Canonico Magalonenſi.

Inc. *Volumus quod*, &c.

JAm etiam voce edocuerat Gregorius Fredulum, quibus rationibus movere deberet Alphonſum, ne ſe Imperatorem jactaret. Eas in ſcriptis illi dat.

I. Sedes Apoſtolica illi favere non poteſt; *cauſæ jam ſunt allatæ ſuperius.*

II. Rodulphus fuit concorditer electus, uno Bohemiæ Rege diſſentiente, fuit coronatus Aquiſgrani a Colonienſi Archiepiſcopo.

III. Si Alphonſus ſemper teſtatus eſt, ſe accipere Imperium ad Dei honorem defendendum, cum tam aperte Deus ſeſe illi opponat, fruſtra id jactat; deſiſtat a turbis, ſubjiciat voluntatem ſuam voluntati Dei; hoc modo ejus honorem quæret.

IV. Deus cum tam manifeſto in hoc illi adverſatur, tacite eum monet, convertat arma in Saracenos, qui ſunt hoſtes fidei, non in Chriſtianos Dei filios: ideo tot victorias e Saracenis retulit, quia vult eum in illos pugnare.

V. Ut autem felicius pugnet, decimam e bonis ſui regni Eccleſiaſticis colligendam per annos decem, illi Gregorius concedit.

D. Lugduni IV. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1274.

De eodem argumento litteræ.

CLXX. lib. 9. 50. GREGORIUS X. Alphonſo &c.

Inc. *O quam*, &c.

METus belli coegit Gregorium has litteras Alphonſo ſcribere, quæ revolvuntur eodem cum ſuperioribus.

I. De electione unanimi Rodulphi, deque ejus coronatione,

II. De neceſſitate impoſita Pontifici Rodulphum coronandi,

III. De nullo jure, quod Alphonſus habet ad eam dignitatem,

IV. De malis, quæ redundarent in Eccleſiam, & orbem, ſi bellum moveret; nam omnes Germaniæ Principes, qui Rodulpho fidelitatem jurarunt, illi aſſiſterent; fœdera etiam faceret cum aliis principibus extra Germaniam.

D. Lugduni Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1274.

Se paret Rodulphus ad accipienda Imperialia inſignia.

CLXXI. lib. 9. 55. GREGORIUS IX. Rodulpho Romanorum Regi.

Inc. *Solent ardua*, &c.

TAndem aliquando Alphonſum Pontificiæ voluntati ſe ſubjeciſſe ex ipſius Gregorii litteris conſtat.

Quare Pontifex ſcribit ad Rodulphum, cui gratulatur de electione, quam gratulationem hactenus juſtis de cauſis diſtulit; eum ergo de conſilio Fratrum Regem Romanorum nominat. Cum ſatis jam id facere Pontifex diſtulerit, nunc, ait, feſtinatione eſſe opus.

Jam tempus præſcribet illi, quo venire debeat ad accipienda inſignia ſuæ dignitatis. Interim paratus ſemper ſit.

D. Lugduni VI. Cal. Oct. P. a. VI. a. D. 1274.

Epiſcopi Germaniæ excitantur ad comitandum Imperatorem coronandum.

CLXXII. lib. 9. 54. GREGORIUS X. Archiepiſcopo Salisburgenſi.

Inc. *Sacerdotium*, &c.

MUlta præfatur Gregorius de auxilio quod ſibi præſtare mutuo debent Sacerdotium, & Imperium, quia unum indiget alterius; neceſſariam eorum conjunctionem *conſiderata carentia evidenter inſinuat, emergentia exinde diſcrimina neceſſario manifeſtant.*

Ergo principes *curare debent, ut Eccleſias*, & perſonas Eccleſiaſticas foveant, & Eccleſiaſtici curare debent, *ut Reges ceterique Catholici principes debite polleant integritate potentiæ.*

His, & aliis ſimilibus bene multis præmiſſis, Archiepiſcopo unanimem Rodulphi electionem, ſolo Rege Bohemiæ diſſentiente ſignificat Gregorius; eum nonnili poſt matura conſilia ab A. Sede fuiſſe nominatum Regem;

Se ad illum ſcripſiſſe, ait, ut eſſet paratus ad accipiendam coronationem, unctionemque *in Baſilica principis Apoſtolorum in Urbe ad feſtum omnium Sanctorum primo venturum.*

Ex hac coronatione multa commoda in imperium, & in Chriſtianam Remp. redundabunt. Res Imperii ſua prudentia in tam diutina vacantia collapſas Rodulphus reſtituet, & toti Chriſtiano orbi pacem dabit.

Quoniam de capite Imperii agitur, etiam Eccleſiaſtici ad ornandum Imperatorem frequentes debent eum comitari, ut coronationis pompa magis eluceat, ſplendeatque majeſtas Imperii.

Veniat ergo ipſe Archiepiſcopus cum magno comitatu, auctorque ſit & aliis Eccleſiaſticis ut Rodulphum comitentur.

D. Lugduni XV. Cal. Oct. P. a. VII. a. D. 1274.

Monetur Rodulphus de militia Hiſpana in Inſubriam ab Alphonſo miſſa contra eundem.

CLXXIII. ad an. 1279. §. 3. GREGORIUS X. Rodulpho.

Inc. *Ne Colſitudinem*, &c.

„ JAm in Inſubria contra Rodulphum belli motus
„ incipiebant fieri. Alphonſus enim ferre non po-
„ tens ſibi ab electoribus negatum eſſe Imperium, da-
„ tumque Rodulpho ex Hiſpania militem jamam mi-
„ ſerat, pluresque ex finitimis populis Alphonſo ad-
„ hærebant. adens.

De hoc admonet Gregorius Rodulphum, il liſuatur, ut initio ſtatim malo, quod augendum eſſe v ideb occurreret;

Mittat

Mittat milites tot, quot Nuntii Ap. quos ad eum mittit Gregorius, illi dicent; Ducem strenuum illis præficiat, saltemque in fine Maji sint in Italia.

Eum rogat, ut rescribat, quid agendum duxerit.

Desunt omnes notæ loci, & anni.

Rursus monetur Imperator, ut milites mittat.

CLXXIV. Ib. §. 4. GREGORIUS Rodulpho.

Inc. *Attende fili, &c.*

QUantum detrimenti percepturæ essent res Rodulphi, nisi statim mittat milites in Insubriam, eidem ostendit Gregorius;

Adversario Alphonso crescent animi, & illi ipsi populi, qui adversi illi sunt, se derelictos ab Rodulpho cernentes ejus partibus adhærebunt; fieri etiam potest, ut Alphonsus exercitu munitus illi coronam Imperialem præripiat;

Quo magis milites mittere differt, eo difficilior erit victoria,

Illi etiam significat Gregorius, ex absentia mercatorum, se non potuisse perquirendo illi muto vacare.

Nollet Pontifex, hanc penuriam Rodulphi ad aures Alphonsi pervenire.

His quoque litteris desunt notæ.

Ad Archiepiscopum Hispalensem, quid agere debeat in Alphonsum.

CLXXV. ad an. 1275. §. 15. GREGORIUS X. Archiepiscopo, &c.

Inc. *Ob dandum, &c.*

JAm insignia imperialia deposuerat Alphonsus, & Bellicardi per totum ver, partemque bonam æstatis fuerat cum Gregorio. Regressus in Hispaniam resumpsit abjecta Imperialia insignia, sigilloque Imperiali usus est, scripsitque ad Germaniæ, Italiæque Principes, ut illius causam contra Rodulphum tutarentur.

Commotus his rebus, quas ad Archiepiscopum Hispalensem scribit, Gregorius mandat præfato Archiepiscopo, quatenus aliquibus, ut sibi videbitur, convocatis, inter quos sit Prior de Lunello Capellanus Pontificis, diligenter eundem regem admonere faciat, ut ab his, & similibus desistat; alioquin Pontificem, illi denuntient, facturum, quæ sui muneris esse credet.

D. Valentiæ Id. Sept. P. a. IV. a. D. 1275.

„ Noluit parere Alphonsus; ideoque fuit excommu-
„ nicatus. Cum autem duas clades accepisset a Marro-
„ chitanis, & Granatensibus paruit.

„ In Ecclesia Lausanensi Rodulphus juravit se de-
„ fensurum Ecclesiæ terras, nec unquam arma sum-
„ pturum contra illam die XIII. Cal. Nov. a. 1275.
„ juravit etiam se non moturum bellum in Carolum
„ Siciliæ Regem.

„ Præterea declaravit, Regnum Siciliæ non esse ob-
„ noxium Imperio.

Dissuadetur Imperator Rodulphus ab ingressu in Italiam.

CLXXVI. ad an. 1277. §. 54. NICOLAUS III. Rodulpho &c.

Inc. *Solet nota, &c.*

„ LIcet fœdus initum fuisset inter Rodulphum, &
„ Carolum Siciliæ Regem, tamen metus belli im-
„ minebat. Carolus enim cum præfecturam Hetruriæ
„ gessisset, videbatur Rodulpho jura Imperii violasse,
„ & eam regionem, aliasque finitimas ab Imperio di-
„ straxisse. Copias ergo cum colligeret, & expedi-
„ tionem in Italiam pararet, & Gregorius X. pau-
„ cis diebus ante moreretur, & subsequuti Pontifi-
„ ces, quorum fuit tam brevis Pontificatus, Innocen-
„ tius V. Hadrianus V. Joannes XXI. & Cardinales
„ Sede vacante nervis omnibus intenderant, ut bellum
„ averterent.

Nicolaus vix ad Pontificatum assumptus in litteris Encyclicis quas Electi Pontifices solent ad Principes mittere, postquam de sua electione certiorem fecit Rodulphum, quæ fecerint Superiores Pontifices, ne hostiliter in Italiam Rodulphus descenderet, enarrat; recitatque nomina eorum Legatorum, quos illi ad eum miserunt.

Antequam igitur in Italiam veniat, seque suasque copias tam longi itineris periculis Rodulphus exponat, antequam furori belli innocentes populos, eorumque res subjiciat, ratio postulare videtur, ut illæ omnes ineantur viæ, quæ ad concordiam perducere possint; mittat oratores suos cum mandatis, per eos fieri potest, ut rursus insitum fœdus jam & disruptum coalescat. Dum interim agitur cum oratoribus descensum suum in Italiam suspendat.

Petitionem autem super Ecclesiæ terris, ac specialiter Exarchatu Ravennæ, ac Pentapoli toties Rodulpho inculcatam absque ulteriori procrastinatione rogat Nicolaus, & petit efficacis executionis promptitudinem adimpleri. Contendebat enim Rodulphus ea loca ad Imperium spectare, & jam nomine Imperii tenebantur.

Ait se ad illum Oratores mittere.

D. Romæ apud S. Petrum II. Id. Dec. P. a. I. a. D. 1277.

Imperator Rodulphus I. rogatur, ut ratificet quæ spoponderat.

NICOLAUS III. Rodulpho Romanorum Regi illustri. clxxvii. ex Ludvig. t. 2. p. 741.

Inc. *Claret in gentibus, &c.*

SUmmis laudibus effert Pontifex & genus, & virtutes Rodulphi, & præcipue pietatem, qua Deum colit, & devotionem, qua prosequitur Ecclesiam.

Tum illi in mentem reducit, F. Conradum Ministrum Ord. FF. Minorum Alemanniæ Superioris jurasse pro illo, eum confirmare omnia privilegia S. Romanæ Ecclesiæ, quod etiam postea juravit Otho præpositus Ecclesiæ S. Guidonis Spirensis Regiæ aulæ Cancellarius; demum ipse Rodulphus idem juramentum præstitit in manu Gregorii X. Lausannæ.

Jam hæc omnia scripta fuerant; Rodulphique Cancellarius missus ad id in Italiam juramentum acceperat a Civibus Bononiensibus, Imolensibus, Faventinis, Forolivienſibus, Foropilienſibus, Cæsenatibus, Ravennatibus, Ariminienſibus, Urbinatibus, aliarumque urbium incolis se fore subjectos, & se obtemperaturos Pontifici, & Ecclesiæ.

Jam petierat Nicolaus, ut omnia & singula privilegia S. Sedis *regali aurea Bulla munita* Rodulphus recognosceret, juramentoque testatus fuerat, se id esse facturum.

Eum igitur per has litteras rogat Nicolaus, ut ea privilegia confirmare velit, ne quid turbæ S. Sedi excitetur progressu temporis.

Eum etiam rogat ut ea confirmet cum assensu principum Alemanniæ, quibus scribit Pontifex.

Omnia prospera Rodulpho a Deo precatur.

D. Romæ XV. Cal. Dec. P. a. I. a. D. 1278.

Joannes Elector Brandeburgicus rogatur, ut præstet suum assensum Rodulpho privilegia S. Sedis confirmanti.

NICOLAUS III. Marchioni Brandeburgensi. clxxviii. Ib. p. 741.

Inc. *Statuit in terris, &c.*

DIgnitatem electorum extollit Nicolaus, qui dati sunt in columnas Imperatori, ut illi assistant, consulantque jam ab iis electo.

Tum illi narrat ex tenoribus imperialium privilegiorum S. R. E. datorum, *quæ in Archiviis suis S. Romana servat Ecclesia, apparere* multa loca, quæ singula recensentur, fuisse data, & confirmata eidem Ecclesiæ; quæ quidem privilegia jam recognovit ipse Rodulphus, & rata habuit, & confirmavit.

Sed quia cuperet Nicolaus ea confirmari juxta formulam, quam ad electorem transmittit per Capellanum, eum rogat, ut Imperatori persuadeat, ut eo modo illa confirmet; & confirmationi imperatoris ipse præstet assensum suum.

D. R. XII. Cal. Jan. P. a. I. a. D. 1278.

„ Eodem modo scripsit ad alios Electores, princi-
„ pesque.

„ Rodulphus, ut voluit Pontifex, privilegia confir-
„ mavit. Apponitur instrumentum ibidem p. 745.

Sua-

Suadetur Imperatori pax cum Carolo Siciliæ Regi.

clxxix. ad an. 1280. §. 2. NICOLAUS III. Rodulpho &c.

Inc. *Serenitatem, &c.*

NUntium missurus erat in Germaniam Nicolaus, cui litteras dedit ferendas ad Imperatorem, in quibus eum enixe rogat,

Ut pacem juxta statuta jam confirmet cum Carolo Rege Siciliæ, ejusque filio primogenito Principe Salernitano.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Februarii P. a. III. a. D. 1280.

„ Et sane Rodulphus diploma dedit Carolo de at-
„ tributa illi Provincia, & comitatu Folchaquerii *ad*
„ *vitam suam, ejusque heredibus, qui processerint ex*
„ *eodem Rege & Beatrice Regina Siciliæ, promittit-*
„ *que, quod nec ipse nec alius fecit, faciet que dona-*
„ *tionem, confirmationem, investituram, concessionem, vel*
„ *contractum aut aliquid cum Domina Margarita Re-*
„ *gina Francorum, vel ejus procuratoribus.* Dubiorum interpretatio reservatur Pontifici.

Petitionibus Imperatoris respondetur.

CLXXX. ad an. 1285. §. 23. HONORIUS IV. Rodulpho &c.

Inc. *Regiæ Celsitudinis, &c.*

SCripserat Rodulphus Honorio gratulatus prius illi de electione ejus in Pontificem;

I. De auxilio ferendo Caroli Siciliæ regis Successoribus,

II. De provisione Ecclesiæ Moguntinæ pro Præposito ejusdem Ecclesiæ,

III. De decimis super bonis quarundam Ecclesiarum Germaniæ concessis Regi Galliæ,

IV. Et de statuendo die Imperialis coronationis.

Ad omnia capita respondet Pontifex.

Ad 1. Tanto gratiorem sibi esse ejus gratulationem, quia scit, eum revera Ecclesiam diligere, quam ei commendat;

Ad 2. Propter enatas disensiones in Ecclesia Moguntina duos fuisse electos in Archiepiscopos, ac agitari causam in Curia Pontificia; si provisio devolvetur ad S. Sedem, se daturum illam Ecclesiam nominato a Rodulpho;

Ad 3. Se purgat Honorius, si decimæ ex quarundam Ecclesiarum bonis Leodiensis, Metensis, Virdunensis, & Basileensis datæ sunt Regi Galliæ. Cum enim vellet Ecclesia depellere e Sicilia Petrum Aragonium, nec haberet quod suppeditaret Regi Galliæ in eundem Petrum moturo bellum, concessit illi decimas super bonis illarum Ecclesiarum non ad longum tempus; neque sunt magnæ, cum Ecclesiæ non sint admodum divites; non intendit Ecclesia per hoc lædere Imperii jura.

Ad 4. Nihil respondet Pontifex. Fortasse Oratoribus Imperatoris diem coronationis voce constituit.

D. Tibure Cal. Aug. P. a. I. a. D. 1285.

Statuitur dies Coronationis Rodulphi.

CLXXXI. ad an. 1285. §. 1. HONORIUS IV. Rodulpho &c.

Inc. *Nuper venerabili, &c.*

JAm anno superiore postulaverat per oratores suos Rodulphus, ut Pontifex diem coronationis præfigeret.

Etiam hoc anno per Archiepiscopum Moguntinum Romam missum hoc postulat.

Quare Honorius statuit diem Purificationis B. Mariæ Virg. primo venturam.

Quod si aliquis superveniat inopinatus casus, qui iter Imperatoris impediat, certiorem eum faciat.

Eum excitat ad explicandam magnificentiam omnem, ut illustrior coronatio evadat.

D. Romæ apud S. Sabinam II. Cal. Junii P. a. II. a. D. 1286.

De adventu Rodulphi in Italiam pro coronatione.

NICOLAUS IV. Rodulpho &c. clxxxii. ad an. 1289. §. 46.

Inc. *Nuper ad nostram, &c.*

NUntium miserat Imperator Pontifici, se vel in æstatem proximam futuram, vel circa initium hyemis venturum esse in Italiam ad coronam accipiendam.

Illi rescribit Pontifex, se accepisse ejus nuntium, & ad eum mittere suum, qui & intentionem Pontificis Imperatori explicabit, & Imperatoris consilium Pontifici.

Datum Romæ apud S. M. Maj. Id. Apr. P. a. II. a. D. 1289.

De decimis concessis Regi Galliæ super Imperii Ecclesiis.

NICOLAUS IV. Rodulpho &c. clxxxiii. ad an. 1290. §. 31.

Inc. *Devotione plenas, &c.*

QUestus fuerat Imperator litteris apud Nicolaum, Principes Germaniæ grave ferre concessas fuisse decimas Regi Galliæ super quibusdam Ecclesiis Germaniæ, quæ fuerunt bonis Imperii dotate; & se incusari, tanquam parum dignitatem Imperii curaret, qui id permitteret.

Respondet Pontifex blandissimis verbis; se id quidem concessisse Regi Galliæ, sed tamen eas decimas non cadere in utilitatem Regis, sed in auxilium Ecclesiæ contra ejus hostes, & adversarios,

Jamdiu Ecclesiam divexari ab hostibus summis, multisque, nec habere, quo se tueatur, nisi ad fideles suos confugiat; se non fecisse id, ut injuriam Imperatori afferret, sed cum nosset ejus in Ecclesiam devotionem, ausum fuisse id facere. Id ergo Imperator patiatur æquo animo, qui tanto magis Ecclesiæ benevolentiam sibi conciliabit.

Dat. apud Urbem veterem V. Non. Jul. P. a. III. a. D. 1290.

Commendatur Imperatori Hungariæ Regnum.

NICOLAUS IV. Imperatori Rodulpho. clxxxiv. Ib. §. 12.

Inc. *Considerantes, &c.*

POst mortem per insidias illatam a Ladislao fratri suo Andreæ, ipse quoque insidiis oppressus periit sine liberis.

In maximo discrimine erat in eo Regno Christiana religio; Ladislaus enim cum fœdus iniisset cum infidelibus ejus sectæ, viros plurimos habebat in Regno.

Pro illa cura ergo, quam Pontifex e suo munere habere debet de omnibus Regnis, in quibus viget Catholica Religio, illud Imperatori commendat, ut provideat, ne penitus in eo illa extinguatur.

Ad hunc finem in Hungariam ait se mittere Legatum, quem Imperatori commendat.

Datum apud Urbem veterem V. Id. Sept. P. a. III. a. D. 1290.

De Regno Hungariæ.

NICOLAUS IV. Rodulpho. clxxxv. ad an. 1291. §. 48.

Inc. *Licet fili, &c.*

TAnquam Regnum Hungariæ penderet ab Imperio, Rodulphus filium suum Albertum de illo investiverat. Ratus Nicolaus jura Apostolicæ Sedis violari, ad Rodulphum scribit,

Se nolle derogare quicquam juri, quod Rodulphus habere se putat in Regnum Hungariæ, sed illud profecto *ad R. Ecclesiam ab antiquo pertinere dignosci.*

Quare eum rogat, ut potius pro A. Sedis reverentia illud tueatur, quam invadat.

Datum apud Urbem veterem II. Cal. Febr. P. a. III. a. D. 1291.

„ In hanc eandem sententiam Nicolaus scripsit ad

„ Alber-

„ Albertum Auſtriæ Ducem . Hac provincia ſpoliarat
„ Rodulphus bello Otocharum Bohemiæ regem , Fi-
„ liumque ea Sueviæ parte inveſtiverat . Hoc anno
„ mortuus eſt Imperator Rodulphus poſt annos XIX.
„ geſti Imperii , quin a Pontifice coronaretur .

Regatur Rodulphus ut expellat e ſua aula Comitem Tyroli Brixienſem, & Tridentinam Eccleſias vaſtantem.

clxxxvi Ib. 9. 60. NICOLAUS IV. Rodulpho &c.

Inc. *Fili cariſſime &c.*

MAynardus Charinthiæ, Tyrolique Comes, quia in ſua ditione Tyrolenſi duo Epiſcopatus ſunt Brixienſis , & Tridentinus una cum Comite Goritiæ bona illorum diripiebat . Confugerunt Epiſcopi ad Pontificem, qui cum paterne monuiſſet Maynardum ſemel iterumque , ne vexaret eos Epiſcopos & ablata reſtitueret , recuſantemque agere utrumque, excommunicavit . Tulit æquo animo hanc ſententiam Maynardus , & ut Protector , vel advocatus earum Eccleſiarum dicebat , ſe nolle reſtituere ,

Nicolaus ut comprimat Maynardum, confugit ad Imperatorem, qui jam per eos dies fuerat mortuus , & ad ejus filium Albertum, eos rogans , obteſtanſque ut comitem e ſua aula ejiciant , quia latro ſacrilegus eſt , & quia non licet iis cum excommunicatis verſari .

Significat etiam Imperatori Nicolaus , ſi adhuc perſiſtat in ſua pertinacia Maynardus , ſe imploraturum auxilium ipſius Rodulphi contra eumdem , & ſoluturum ſubditos Tridentinæ Eccleſiæ ab juramento fidelitatis ipſi Maynardo præſtito .

D. apud Urbem veterem X. Cal. Junii P. a. IV. a. D. 1291.

„ Cum Maynardus adhuc obduratus permaneret re-
„ currente Dominicæ Aſcenſionis die ſacro eum ite-
„ rum excommunicavit , ejus comitatus dedit occu-
„ pantibus , diſſolvit ab juramento ſubditos ; Maynar-
„ duſque veniam petiit , abſolutionemque a cenſuris ,
„ quam obtinuit .

Adolphus excitatur ad pacem .

clxxxvii Ad an. 1295. 9. 44. BONIFACIUS VIII. Adolpho Romanorum Regi.

Inc. *Serenitatis tuæ &c.*

„ IN locum Rodulphi electus an. 1292. fuerat Impe-
„ rator Adolphus natus Patre Vvalramo Comite
„ Naſſoviæ Idſteinii , navus, induſtrius, in bello im-
„ piger, rebus fortiter geſtis inclitus. Vix electus bel-
„ lum in regem Galliæ movere cœpit recuperaturus ju-
„ ra , & loca Romani Imperii ab iis regibus , ut a-
„ jebat , antiquitus uſurpata .

Oratores ad Pontificem miſit cum litteris teſtans ſuam erga Catholicam religionem reverentiam, & ſuam devotionem in Romanam Eccleſiam , operamque ſuam Bonifacio exhibens.

Reſpondet Bonifacius , ſibi acceptiſſimum eſſe ejus obſequium , ſuam quoque operam in quibuſcumque rebus ei pollicetur ;

Vellet, ut operibus, quod promittit obſequium , Imperator confirmaret ; quia id ſperat , illi remittit oratores , qui eum nomine Pontificio orabunt , ut bellum motum contra Regem Galliæ ſuſpendat , ne turbet publicam quietem : jam Eccleſia plures hoſtes infideles habet, quos domare debet, quin ſuorum filiorum ſanguis ab ipſis filiis ſuis verſetur .

D. Anagniæ V. Cal. Jul. P. a. I. a. D. 1295.

Reprehenditur Adolphus , quod bellum moverit Regi Galliæ.

clxxxviii Ib. 9. 45. BONIFACIUS VIII. Adolpho &c.

Inc. *Paternis te &c.*

DIcebat Adolphus , ſe bellum movere Regi Galliæ, ut loca Romani Imperii a Gallo retenta recuperaret; ſed jamo mnibus notum erat, eum accepiſſe ſtipendia a Rego Angliæ Elduardo , qui bellum in Gallum intulerat , ut eodem tempore etiam ab Imperatore oppugnaretur .

Graviter igitur cum reprehendit Bonifacius , quod ille , qui excellentia omnibus principibus præſtat , ſe Regi Angliæ ſubjiciat , & ejus ſtipendiarius ſit , & ita deficiat a dignitate illa , quam ejus prædeceſſores tam glorioſe ſuſtinuerunt ;

Præterea in ſua electione juravit , ſe pacem Eccleſiæ conſervaturum ; hoc juramentum infrangit , cum bellum Regi Galliæ movet , qui quidem Rex tanto cum zelo Eccleſiam tutatur .

Eum monet , niſi deſiſtat , imperialia inſignia eum numquam ab Eccleſia conſequuturum .

D. Anagniæ V. Cal. Jul. P. a. I. a. D. 1295.

Inducia indicuntur.

BONIFACIUS VIII. Archiepiſcopo Reginenſi , & Epiſcopo Senenſi . clxxxix Ib. 9. 46.

Inc. *Cum nuper &c.*

PRædictos præſules deputat Bonifacius , ut treguas inducant inter Imperatorem , Regem Angliæ , & Regem Franciæ ;

Imperatorem ſolvant ab juramento præſtito de recuperandis locis , & juribus Imperii .

D. Anagniæ X. Cal. Jul. P. a. I. a. D. 1295.

„ Copiæ ingentes, quas collegerat Imperator ad ag-
„ grediendas Gallias, ad hunc induciarum nuntium di-
„ lapſæ ſunt .

„ Multas litteras miſit ad Legatos ſuos Bonifacius,
„ ad Archiepiſcopum , ut moverent Imperatorem , &
„ Reges vel ad pacem , vel ad longas inducias , &
„ ad ipſum Adolphum , quæ cum ſint ejuſdem argu-
„ menti , libenter eas prætervimus .

De occiſo Imperatore Adolpho ab Alberto Romanorum Rege .

BONIFACIUS VIII. Archiepiſcopis Moguntino, Colonienſi , & Trevirenſi . CXC. Ad an. 1301. 9. 1.

Inc. *Romano Pontifici &c.*

ROmano Pontifici ſucceſſori Petri , & Vicario Jeſu Chriſti , cui in Cœlo , & in Terra omnis eſt data poteſtas , ſuper ſolium excelſum , & elevatum ſedenti , congruit diſſipare ſuo intuitu omne malum , illud præſertim quod accuſatione non indiget & evidentia facti , & opus publicum conſitentur , nec tergiverſatione aliqua tegi poteſt , & pene totus orbis ad Apoſtolicam Sedem undique confluens detulit clamore ſonoro . Hoc utique tam horrendum , & piaculare flagitium ſic per mundi climata diverſa diffuſum multorum corda perturbat , mentes fauciat , incitat ad perditionis exempla , maxime ſi non habeat tanta culpa ſupplicium , & remaneret delictum tam notorium impunitum , magnæ juſtitiæ virtute petente vindictam effuſi ſanguinis innocentis . Cur igitur præmiſſa dixerimus , explicamus .

Adolphus jam erat Romanorum rex legitime electus, & Aquiſgrani coronatus , cognituſque talis a principibus, qui illi fidelitatis juramentum præſtiterant. Etiam Albertus filius Rodulphi Imperatoris vaſſallagium , & homagium ligium eidem fecerat *pro nonnullis magnis, & grandibus feudis ab ipſo receptis, ſed contra illum rebellans , ipſo Rege Adolpho vivente ſe in regem Romanorum eligi procuravit , & cum ipſo rege Domino ſuo hoſtiliter in campo conſligens de rege triumphavit eodem , ipſo occiſo in prælio memorato , ac poſtmodum ſe eligi iterato procurans in Romanorum regnum ſe non expavit intrudi , ab Apoſtolica Sede nec approbatione , nec regia nominatione obtentis .*

Hactenus juſtis de cauſis in eum Bonifacius non proceſſit , ne tamen hæc diſſimulatio habeatur approbatio facti , Pontifex , ad quem ſpectat confirmatio , unctio, manuum impoſitio, & coronatio Imperatoris, mandat præfatis Antiſtitibus , ut in locis , e quibus notitia ad Albertum pervenire poſſit , publicari faciant citationem ejuſdem comparendi intra ſex menſes aut per ipſum Albertum , aut per procuratorem idoneum coram Pontifice ad dicendas ſuas rationes , ſeque purgandum de crimine læſæ majeſtatis .

Et interim Pontifex indicet Germaniæ principibus, ne Alberto pareant .

Eos jubet , ut reſcribant quid egerint .

D. La-

D. Later. Id. Apr. P. a. VII. a. D. 1301.

„ Uſus Albertus eo ipſo argumento , quo uſus fue-
„ rat Bonifacius , contra eum , cui juramentum fide-
„ litatis datum eſt , non licere rebellare , ingentibus
„ copiis progreſſus eſt contra eos tres electores Eccle-
„ ſiaſticos , & tamquam perduelles victos prælio eos
„ habuit , minitans ſe idem facturum aliis electoribus,
„ & principibus , ſi juramento non ſtetiſſent ; parum-
„ que Bonifacii minis perterritus per biennium adhuc
„ confirmationem petere diſtulit , quam obtinuit, ma-
„ gnifque laudibus fuit a Bonifacio exornatus .

Confirmatur electio Alberti in Imperatorem .

CXCI. B. R. t. 3. p. 2. p. 98, C. C. BONIFACIUS VIII. Alberto Regi Romanorum.

Inc. *Pacis æterni &c.*

„ INſignes retulerat Albertus Victorias e rebellibus
„ electoribus Archiepiſcopo Moguntino , & Palati-
„ no, omneſque principes ad officium redegerat , &
„ in officio continebat . Ergo tanto facilius eum agno-
„ ſcit Romanorum Regem Bonifacius ,

Has autem affert rationes , quare ejus electionem confirmet :

I. Quia præſtantia ſunt Alberti merita in A. Sedem , ſicut fuerunt ejus majorum ,

II. Quia *unanimiter , & concorditer* , ac proinde *Canonice fuit electus* ;

III. Quia accuſatus de morte Adulphi Imperatoris miſericordiam Apoſtolicæ Sedis imploravit , & ſe facturum eſſe omnia , quæ eadem impoſuiſſet , duabus ad Pontificem datis litteris eſt pollicitus ,

IV. Quia ſperat , ſicut S. Sedes eſt in eum miſericors, ita eum ad clementiam eſſe futurum propenſam.

Has ob cauſas iterum ejus electionem Pontifex confirmat , ſuppleteque quoſcumque defectus , qui ejus electioni interveniſſe potuerunt .

Ei parere omnes jubet .

Ad ea peragenda quæ decent Catholicum principem primogenitum Eccleſiæ , defenſorem primum S. Sedis illum Pontifex accendit .

D. Later. II. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1303.

De electione Alberti in Regem Romanorum.

CXCII. Ex Petro de Marca de conc. Sac. & Imp. p. 103 BONIFACIUS VIII.

Inc. *Affuit tempus &c.*

DUo luminaria feciſſe Deum , majus , & minus , illud ut præeſſet diei , hoc nocti , ſolem , & lunam dicta , docet Geneſis. In ſpiritualibus ſol ſignificat poteſtatem Eccleſiaſticam , luna temporalem , & imperialem . *Et ſicut Luna nullum lumen habet , niſi quod recipit a ſole, ſic nec aliqua terrena poteſtas aliquid habet , niſi quod recipit ab Eccleſiaſtica poteſtate.*

Bonifacius tamen per ſolem vult intelligere Imperatorem , qui eſt futurus, & qui tunc erat tantum Rex Romanorum. Ille debet omnes illuminare, & ſpiritualem poteſtatem defendere ; *quia ipſe eſt datus , & miſſus in laudem bonorum , & in vindictam malefactorum .*

Dies autem ſignificat bonos, nox peccatores: ille ſignificat etiam poteſtatem Eccleſiaſticam , ſeu terrenam, quod probatur illo Pſalmi , *dies firmabuntur , & nemo in eis . Et ſicut a Chriſto Chriſtiani dicuntur , ſic a Chriſto, & Chriſti Vicario formantur , & defenduntur omnes dies, hoc eſt omnes poteſtates . Vicarius Chriſti , & ſucceſſor Petri poteſtatem Imperii tranſtulit a Græcis ad Germanos , ut ipſi Germani , id eſt ſeptem principes , quatuor laici, & tres clerici poſſint eligere Regem Romanorum, qui eſt promovendus in Imperatorem, & Monarcham omnium regum , & principum terrenorum .*

Hic præ odio , quo invictiſſimam nationem Gallam infectabatur Bonifacius , in eam invehitur . *Nec inſurgat hic ſuperbia Gallicana , quæ dicit , quod non recognoſcit ſuperiorem . Mentiuntur: quia de jure ſunt, & eſſe debent ſub Rege Romano , & Imperatore . Et neſcimus , unde hoc habuerint , vel adinvenerint , quia conſtat , quod Chriſtiani ſubditi fuerunt Monarchis Eccleſiæ Romanæ , & eſſe debent . Nec habent hoc a lege vel veteri , vel nova , nec aliquo Propheta , vel Evangelio , vel Apoſtolo .*

Unde hic dicimus quod dicit Apoſtolus , & ſi quis Evangelizaverit vobis aliud , quam Evangelizamus , etiam Angelus, anathema ſit, & *nos volumus , quod quicumque evangelizaverit aliud , anathema ſit .*

Albertus electus Romanorum Rex *prius fuit in nubilo arrogantiæ , & ignorantiæ . Non fuit devotus ad Pontificem , & Eccleſiam Romanam ſicut debuit ; ſed cum electus ſe exhibeat devotum, & promptum ad faciendum omnia , quæ vult , Bonifacius in nomine Domini conſtituit ſic eum a die , non in hodie æternitatis, de quo dictum eſt* (ego hodie genui te) , *ſed in hodie temporis . Sicut enim Pater dedit Filio poteſtatem non in tempore , ſed in æternitate , ſic Chriſtus homini & Chriſti Vicario dedit poteſtatem in tempore , ut ipſe habeat jus conſtituendi Imperatorem , & transferendi Imperium .*

Germanos monet , ut ſibi caveant . Sicut enim a Græcis ad illos Vicarius Chriſti imperium tranſtulit , ita ab illis *in alios quoſcunque , ſi vellet* , transferre poſſet , & *hoc ſine juris injuria*. Pollicetur iis tamen Bonifacius , Eccleſiæ patientiam talem futuram , ut ſemper *cum iis de benignitate agere , quam de rigore velit* , & cum *eos non privarit, licet juſte privare potuiſſet* , non ſit niſi graviſſimis de cauſis eos privatura hoc privilegio .

Tum confirmat electionem Alberti ; & *licet etiam multi eſſent defectus in electione illius, tamen vult ſupplere omnem defectum, & magis de benignitate, quam de rigore ſupplet de plenitudine poteſtatis . Unde electionem de ipſo factam approbat , & ratificat ; & vivificat , & roborat omnes actus , quoſcumque electus fecit a tempore ipſius electionis , dum tamen ſint alias juſti , & legitimi .*

Idque eo libentius Pontifex facit , *quia de Alberto bona præſumit in futurum ; ſæpe ſolet filius ſimilis eſſe patri . Pater vero ſuus Rodulphus Catholicus , fidelis , & devotus Eccleſiæ homo verax , & veridicus fuit . Unde vulgariter dicebatur in tota terra illa , quando aliquis decipiebatur in promiſſo: non habet veritatem dictum iſtius , ſicut dictum Rodulphi Comitis .*

Cæterum , ſi Albertus *vellet contrarium facere* , rationem reperiret Pontifex eum caſtigandi , puniendique; etiamſi cum aliis principibus faceret *colligationes*.

Amplificat confidentiam ſuam, quam in Deo habet, cujus præſidio munitus Pontifex *ſtaret pro veritate , & omnes confunderet , & appretiaret eos unam feſtucam .*

Igitur faciat bene Rex ; quia ſi bene defendet , & recuperet jura ſua , & jura regni , & imperii , audacter dicimus , quod nos defendemus plus jura ſua , quam noſtra , & hoc contra quemcumque de mundo , & per nos firmabitur ſententia ſua , & nos flectetur .

Ipſe vero miſit huc procuratores ſuos , cum plenario mandato jurandi in animam ſuam , & faciendi , & exhibendi nobis omnia , quæ per ipſum ſunt facienda, vel exhibenda ; & volumus , quod prædicta faciant , ſicut eſt conſuetum .

Carolus Hungariæ Rex commendatur Alberto.

BONIFACIUS VIII. Alberto &c. CXCIII. Ad an. 1309. 9. 14.

Inc. *Excellentiam &c.*

NArrat Imperatori Bonifacius , quam miſere regnum Hungariæ laceretur , præcipue a Cumanis , & a Tartaris ;

Tum jus in illud regnum competere Mariæ Siciliæ Reginæ , ejuſque filio Carolo ; in illud tamen velle invadere Regem Bohemiæ , qui filium ſuum in regem coronari fecit , cui nullum in illud regnum jus eſt.

Albertum ergo rogat , ut præſidio ſit Carolo , neque permittat a Rege Bohemiæ illud ei uſurpari .

D. Anagniæ III. Id. Junii P. a. IX. a. D. 2303.

„ Cauſam Caroli ſuſcepit Albertus ; Carolus cum
„ Alberto ſe conjunxit cum egregiis Hungarorum co-
„ piis , & viginti millibus paganorum . Pagani qua-
„ cumque excurrebant, puerulos Chriſtianos ſale condi-
„ tos devorabant. Albertus hoc ſcelus ſufferre non va-
„ lens decem millia , & amplius ex iis occidit , &
„ reliquos diſſipavit , & in Auſtriam ſe recepit.

Henrici VII. in Imperatorem electio confirmatur.

CXCIV. B R. t. 3. p. 2. p. 118. C.C. CLEMENS V. Henrico Regi Romanorum.

Inc. *Divinæ sapientiæ, &c.*

„ OCcisus anno superiore fuerat Calendis Maji Imperator Albertus a Nepote suo, eo quod partem ditionis hereditariæ illi ademerat. Elegeruntque Electores Henricum nomine VII. Comitem Lucemburgi, qui coronatus Aquisgrani fuit.

Statim Nuncios ad Pontificem misit, ut illum de hac electione certiorem facerent, & qui postularent consecrationem, & coronationem Romæ ab eo.

Pontifex respondet his litteris Henrico,

Se examinasse cum Cardinalibus illius mores, omnesque inventos ad normam Imperatoris;

Se declarare illum, & pronuntiare, & velle, coli eum regem Romanorum;

Liberum esse illi quocunque tempore, quocunque loco accedere, ut Imperiale diadema accipiat;

Sed tamen cum Pontifex non sit iturus Romam nisi post exactum indictum Concilium, ut augustius coronetur in Basilica Principis Apostolorum Romæ, satius esse illum differre coronationem suam post concilium in diem festum Purificationis B. Mariæ Virginis.

Eum hortatur ad venerationem Ecclesiæ Romanæ, ad opem ferendam oppressis, ad conservandam pacem, ad timendum Deum.

D. Avenioni VII. Id. Aug. P. a. IV. a. D. 1308.

Juramentum ab Henrico præstitum Ecclesiæ.

CXCV. Ib. p. 128. C. C. CLEMENS V. Henrico Romanorum Regi.

Inc. *In humilitatis, &c.*

REscribit Pontifex Henrico, se accepisse juramentum ab eo præstitum descriptum in litteris cum ejus Typario;

Approbat quod pollicetur in iis litteris Henricus, se juramentum uberius daturum post acceptam coronationem.

Affertur juramentum Henrici, se servaturum fidem Catholicam, & Romanam Sedem tutaturum,

Se daturum operam, ut extinguat hæreses, & schismata,

Nunquam se facturum fœdus, initurum affinitatem, *& parentelam* cum Pagano principe, cum Saracenis, cum hostibus S. R. Ecclesiæ,

Se defensurum Pontificem, & successores contra quoscunque,

Se approbare quæcunque privilegia concessa a superioribus Imperatoribus Romanæ Ecclesiæ, Pontificibus, prælatis Ecclesiarum, Monasteriis, &c.

Se confirmare omnes donationes locorum, terrarum factas ab Imperatoribus Constantino, Carolo, Henrico, Othone IV. Friderico II., Rodulpho Romanæ Ecclesiæ; Has terras recenset Henricus cum suis confinibus,

Se omnes has terras defensurum contra quoscunque invasores.

D. Lausannæ V. Id. Oct. an. D. MCCCX. regni vero nostri anno II.

D. In Prioratu de Grausello prope Malausan. Vasionen. Diœcesis X. Cal. Julii P. a. VI. a. D. 1310.

Coronatio Henrici.

CXCVI. Ib. p 130. C. C. CLEMENS V. Legato, & Nuntiis, &c.

Inc. *Rex regum, &c.*

CArdinali Legato Nuntiisque Apostolicis destinatis ad coronationem Imperatoris exponit Pontifex duarum proxime antecedentium Epistolarum sensum.

Et quoniam ipse Romam ire non poterat ad diem Assumptionis B. Mariæ V. quem Imperator delegerat pro die Purificationis, deputat Cardinalem Ostiensem, qui Missam celebret, & Imperatorem inungat, & Episcopos Albanensem, & Sabinensem, & duos Cardinales Diaconos, qui inter se conveniant quis e suo numero Regi, & Reginæ mitras, & diademata Imperii imponat; pomum, sceptrum, & gladium porrigat,

Hinc cæremonias adhibendas illis præscribit; *desumptæ sunt ex Archivio Ecclesiæ, & in Pontificali ordinario continentur.*

Quia autem multæ mutatæ sunt cæremoniæ eo quod Pontifex aberat, vult ab Henrico exigi in scriptis, non ideo quia ritus paulisper hic immutatus est, censeri mutatum semper, quotiescunque continget Imperatores coronari a Pontifice.

D. In prioratu de Gransello prope Malausan. Vasionen. Diœcesis XIII. Cal. Julii P. a. VI. a. D. 1311.

Ludovico Bavaro Romanorum Imperatori electo suadetur pax.

JOANNES XXII. Ludovico Duci Bavariæ in Regem Romanorum electo. CXCVII. Ad an. 1316. §. 19.

Inc. *Quanta de concordia, &c.*

MOrtuo anno IV. Imperii sui Henrico VII. Electorum alii substituerunt Ludovicum Bavariæ Ducem, alii Fridericum Ducem Austriæ filium Imperatoris Alberti I. tertium nomine e pulchritudine corporis *Pulchrum* dictum subrogarunt.

Cum præpotentes hi principes essent, bellum ingens imminere videbatur; quod ut averteret, ad Ludovicum Joannes scribit,

Nihil desiderabilius homini esse pace, nihil pace utilius regnis.

Quæ quidem pax etiamsi cum aliquo detrimento comparanda sit, leve censendum esse præ illa;

Præstare multo rem totam ex æquo & bono componere, quam armis decertare, cum bellorum exitus incerti sint, & pestifera bella sint etiam victoribus.

D. Lugd. Non. Sept. P. a. I. a. D. 1316.

Ne quisquam sibi in Italia Vicariatum Imperii, Imperatore mortuo, sumat.

JOANNES XXII. ad f. r. m. cxcviii. B.M. p. 3. vel t. 9. p. 167. Ib. p. 114. C. C.

Inc. *Si Fratrum, &c.*

LIcet *liquidum esset* obeunte Romanorum Imperatore, donec sedes Imperialis vacet, Vicariatum Imperii in Italia ad S. Sedem spectare, tamen qui fuerat Vicarius Imperatore vivente, retinebat, eo mortuo, eandem dignitatem, aliique, qui tales non fuerant eo vivo, illo defuncto, sese in Vicarios erigebant.

Volens *honoribus, & juribus Romanæ Ecclesiæ prospicere* Joannes, quibuscunque cujuslibet dignitatis, & conditionis fuerint, sub excommunicationis pœnam vetat, Vicariatum Imperii assumere, vacante Imperio ob Henrici mortem.

Terras inobedientium interdicto supponit, commissarios horum Vicariorum excommunicat,

Subditos a præstito his Vicariis juramento absolvit,

Omnes conventiones initas super hoc rescindit,

Et hoc decretum publicari mandat ad omnium notitiam.

D. Avenioni II. Cal. Aprili. P. a. 2. a. D. 1317.

Suadetur Friderico in Romanorum Regem electo fœdus cum Carolo Rege Hungariæ.

JOANNES XII. Friderico, &c. cxcix. Ad an. 1320. Parag. 1.

Inc. *Firmam gerit, &c.*

CArolus Hungariæ Rex adjutus a Maledino Bossinensi Bano, & a Philippo Tarentino ex Urosio tyranno Rasciæ schismatico victoriam retulerat, & ex ejus jugo Macedoniam subtraxerat, in qua provincia Urosius disseminare schisma inceperat.

Ut omnes Urosii provincias occupare posset Carolus, & in iis constitueret Catholicam fidem, suadet Joannes Friderico, ut fœdus cum illo ineat.

Quoniam ita Deus bonis eum cumulavit, cumulaturus eum majoribus, si causam ejusdem Dei suscipiat, nolit Christi fidei dilatationem deserere.

D. Avin. VI. Non. Jul. P. a. IV. a. D. 1320.

Con-

Contra Ludovicum Bavarum, ejusque asseclas in Italia.

CC. Ex Lud. vig. t. 3. p. 14. JOANNES XXII. ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Inc. *Quamvis præfati, &c.*

QUamvis jure posset Joannes ulterioribus pœnis procedere in Ludovicum Bavarum, quod intra datos terminos nec per se, nec per procuratorem citatus comparuerit, tamen Pontifex volens ejus obstinationem patientia compescere, alium terminum trium mensium illi præscribit, ut compareat, & infrascripta faciat. Eum tamen interea excommunicatione vult esse innodatum;

I. Ut suæ electionis documenta ostendat, ut approbentur, vel improbentur a S. Sede,

II. Ut Galeatii, & Fratrum Vicecomitum, & hæreticorum Mediolanensium amicitiam deserat,

III. Ut Raynaldi, & Opizonis, *qui quidem filii sunt pravitatis hæreticæ*, fœdus derelinquat,

IV. No usurpet Ferrariam, in quam soli Ecclesiæ jus competit,

V. Ut acta omnia facta in præjudicium Ecclesiæ, *quantum possibile est, curet solemniter revocare,*

VI. Ut intra præscriptum terminum se præsentet auditurus quid sit sibi faciendum.

Quod nisi faciet, pœnas alias expediet Pontifex in eum, & ejus fautores.

Et omnia fœdera aliorum principum cum Ludovico rescindet, & populos juramento solvet.

D. Avin. X. Cal. Apr. P. a. VIII. a. D. 1324.

Contra eundem Ludovicum, & alios sententia.

CCI. Ib. p. 15. JOANNES XXII. ad f. r. m.

Inc. *Vineæ Domini, &c.*

AGricolæ est non solum vitem infœcundam, sed etiam ejus ramos steriles, malosque resecare.

Cum ergo contra electum Ludovicum Bavarum censuras Joannes expedivisset, sui muneris putat esse & ejus fautores, asseclasque iisdem ferire.

Inter hos erat *quidem Bertoldus Masteron dictus de Nisen*, qui se Vicarium Ludovici dicebat, qui Galeatio, & Fratribus de Vice Comitibus auxiliabatur, & *Bertoldus de Groyspach, & Fridericus de Truendingen.*

In eos etiam cadere sententiam jactam contra Ludovicum pronunciat Joannes; sunt enim ejus fautores, adhærentque filiis perditionis Vicecomitibus.

Vetat proinde quibuscunque cujuscunque dignitatis sint, præfatos auxiliatores Bavari juvare, cum illis communicare &c. Assignat autem terminum duorum mensium, intra quos si Nisen non resipuerit, omnes soluti sint ab juramento fidelitatis illi præstito.

D. Avin. Id. Apr. P. a. VIII. a. D. 1324.

Excommunicatio in Imperatorem Ludovicum Bavarum ejusque asseclas Lombardiam devastantes.

CCII. Christ. Lunig. t. 1. p. 35. JOANNES XXII. ad p. r. m.

Inc. *Ad speculatoris, &c.*

IN *notionem publicam per facti evidentiam erat deductum, quod vir ille venundatus, ut faciat malum Ludovicum dicit, qui dudum erat Dux Bavariæ, & Rex Romanorum in discordia dicebatur electus* multa mala patrabat in Lombardia, quo eum quidam *perversi homines* Lombardi Ecclesiæ Romanæ rebelles Tridento, quo illum convenerant, deduxerant, & quod multas urbes privabat privilegiis, multis exemptiones dabat, non paucas ab obedientia S. Sedis subducebat, opprimebat bonos, favebat malis, homagium volebat ab urbibus, quæ subjectæ illi non erant, societates contra Ecclesiam faciebat, ejusque socios ab illa abstrahebat, fovebat discordias, &c.

Quare eum, ejusque socios excommunicat Joannes excommunicatione majore, *a qua sub quacunque verborum forma* a nemine absolvi possint nisi a Romano Pontifice; & in mortis articulo a quovis Sacerdote possit absolvi.

Const. Pontificiarum Tom. II.

Quod si quispiam eorum a morbo convalescat, censeatur rursus innodatus eadem pœna non absolvenda nisi a Papa.

Monet etiam civitates sub jurisdictione Ecclesiæ, ut Ludovicum non agnoscant, neque ejus fautores, sed eos expellant, ne homagium illis præstent, tributum solvant.

Quod si fidelitatis juramentum ei dederunt, ab illo eos liberat Joannes. N. O.

Et ut ad omnium cognitionem hæc sententia pervenire possit, vult eam valvis majoris Avenionensis Ecclesiæ affigi.

D. Avenione V. Id. Julii P. a. IX. a. D. 1324.

„ Scripsit pro se Apologiam Ludovicus, eamque in vulgus spargi jussit, incipit *respondemus ad præmissa objecta in judicio*, &c. in qua vult probare electum in Regem a majori electorum parte esse censendum Imperatorem; ita se fuisse electum; per annos decem se regere imperium, & tacito electorum consensu, etiamsi minus recte fuisset electus, se confirmatum per tot annos Imperatorem;

„ Cum non vacet ergo Imperium, nullum jus nunc in Imperium competit Joanni; tunc judicium ferre posset, si quis ad eum contra imperatorem ex electoribus appellasset, & illi supplicasset: nihil horum nunc evenit; cur igitur vult semet in hoc negotio immiscere non requisitus, non appellatus?

„ Si Vicecomitum defensionem suscepit, suscepit, quia credidit ita Imperio expedire. At erant excommunicati. Sed testatur, neminem id sibi denuntiasse.

„ Tum Pontificem accusat, quod faveat quibusdam Fratribus Minoritis qui confessiones pœnitentium revelabant. Hæc est, inquit Ludovicus, hæresis.

„ Demum appellat ad futurum concilium; in quo vult accusare Joannem tanquam læsorem jurium Imperii, quia Imperatorem legitime electum in judicium vocavit, & quia Minoritas confessionum proditores defendit:

Ne Fridericus fœdus cum Ludovico ineat.

JOANNES XXII. Friderico Duci Austriæ dudum in Rom. Regem electo. CCIII. Ad an. 1325. Parag. 2.

Inc. *Ad nostrum, &c.*

CAptivum Fridericum Bavarus fecerat; eumque in carcere detinebat; cum videret a se alienari principes, & Regem Galliæ inhiare Imperio, eum liberavit his conditionibus,

I. Ut renuntiaret juri, si quod haberet in imperium,

II. Ut agnosceret Ludovicum Imperatorem,

III. Ut fœdus cum Ludovico faceret,

IV. Ut restitueret omnia quæ habebat imperii loca.

Juravit Fridericus, se has conditiones observaturum.

His auditis, Pontifex increpat Fridericum, quod cum excommunicato pacem fecerit, & ad eum exemplar Pontificiæ sententiæ mittit;

Tum rescindit eas pacis conditiones tanquam turpes, & ignominiosas ipsi Friderico;

Demum solvit juramentum a Friderico datum.

Quod si conditiones pacis servarit, sit excommunicatus;

Neque ideo tenetur ad carcerem redire Fridericus, quia Bavarus est excommunicatus.

D. Aven. IV. Non. Maji P. a. IX. a. D. 1325.

Germanis postulantibus, ut Pontifex declaret regem Fridericum Austriæ, respondetur.

JOANNES XXII. Joanni Episcopo Argentinensi. CCIV. Ad an. 1325. Parag. 5.

Inc. *Sane frater, &c.*

MOleste ferentes Germani tandiu vacare Imperium, & discordias in eo natas neminem esse, qui tollat, sedetque, rogaverunt Pontificem, ut declararet, Fridericum, qui jam a quibusdam electoribus in regem fuerat nominatus, regem esse agnoscendum.

Respondet Joannes Argentinensi Episcopo, se culpa carere, si Fridericum non confirmavit; nam nemo id postulavit; nulli oratores ad Apostolicam Sedem cum monumentis venerunt; si venissent, rationesque expo-

 fuis-

fuiſſent, quod æquitas poſtulaſſet, ſe fuiſſe facturum; Se, cum id poſtulabitur, paratum eſſe agere, quod juſtitia ſuadebit.

Ita etiam ſe reſcripſiſſe Alberto Friderici Fratri, ait. D. Aven. II. Non. Sept. P. a. X. a. D. 1325.

Archiepiſcopo Magdeburgenſi mandatur ut proceſſus contra Ludovicum in ſua provincia publicet, & obſervari faciat.

CCV. Ad an. 1326. Parag. 7. JOANNES XXII. Bochardo Archiepiſcopo Magdeburgenſi.

Inc. *Dudum ex manifeſtis, &c.*

QUomodo fuerit electus Ludovicus Bavarus, narrat Bochardo Joannes;

Tum illi ſignificat proceſſus contra illum a ſe factos, quos ad Bochardum mittit, in quibus omnes Ludovico adhærentes excommunicantur, privanturque dignitatibus.

Eum vult admonere magiſtratus, ut a favendo Ludovico deſiſtant.

Jam antea Bochardus multos excommunicaverat, quam Archiepiſcopi ſententiam ratam habet Joannes.

Illi etiam dat facultatem abſolvendi eas perſonas, eaſque communitates, quæ ab adhæſione, & favore Ludovici ſe purgarint, vultque ab illis Bochardus juramentum accipiat, ſe nunquam eſſe agnituros Ludovicum in Regem, neque illi fauturos.

D. Avin. X. Cal. Febr. P. a. X. a. D. 1326.

Privatur Ludovicus dignitatibus, & honoribus citaturque Avenionem tanquam hæreticus.

CCVI. Ex cod. Lunig. p. 39. JOANNES XXII. ad p. r. m.

Inc. *Divinis exemplis, &c.*

DEus ipſe exemplo ſuo oſtendit pœnas pœnis eſſe cumulandas in obſtinatos.

Cum igitur Pontifex jam excommunicaſset Imperatorem Ludovicum, ejuſque aſſeclas, neque reſipiſcere velit, æquum cenſet, eum omnibus dignitatibus ſpoliare; præcipue cum *non per oſtium ad eas fuerit ingreſſus*; & indebite juramentum fidelitatis ſibi præſtari ab Alemanniæ, Italiæque populis fecerit. Inſuper arbitratu ſuo diſpoſuit de principatibus Alemanniæ; *quod patet de Marchionatu Brandeburgenſi, quem ſuo primogenito de facto offerre præſumpſerat*. Præterea, cum audiviſset Ludovicus, Galeatium de Vicecomitibus, & ejus fratres eſſe rebelles Eccleſiæ, eos fovit, nec damnavit.

Jam Pontifex de his exceſſibus Ludovicum monuerat, ut ſe corrigeret, neque monitis parere voluit intra terminum a Pontifice illi ſtatutum.

Interea temporis tamen tres Procuratores nomine Imperatoris venerant Avenionem cum litteris ejuſdem Ludovici ſigillo munitis, *in cujus ſigilli circumferentiis erat ſcriptum Ludovicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus*. Hi procuratores rogarunt Pontificem, ut alios ſex menſes termino adderet, ut controverſiæ componi poſſent.

Joannes de conſilio fratrum reſpondit procuratoribus, ſe non poſſe credere promiſſis Ludovici, alias teſtatum fuiſſe, ſe obtemperaturum eſſe, ſe non habiturum amicitiam cum Eccleſiæ hoſtibus, & contra egit; præterea in contemptum Pontificis ſe Regem Romanorum audet appellare; etiam cum Imperium vacaret, voluit homagium ab Alemanniæ, Italiæque populis exigere.

Quare Pontifex reſpondit ſe ejuſmodi terminum dare non poſſe; ſed adeo orarunt Procuratores, ut menſes duos aſſignaret, intra quos Ludovicus ſe ſiſteret coram Pontifice, & emendaret jam facta.

Duo ſtatuti menſes præteriere quin Ludovicus vel per ſe, vel per procuratores ſuos comparuerit; unde ejus apertus contemptus apparet.

Quare Joannes excommunicationis pœnas, quas ſuſpenderat ita a Procuratoribus Ludovici rogatus, denunciat, Ludovicum incurriſſe, præcipue cum ex abundantia clementiæ ad alios duos menſes terminum protraxerat Joannes; præſcripſeratque ea, quæ a Ludovico eſſent peragenda; nempe deſiſtendum a protegendis hæreticis, ut erant Galeatius Vicecomes, ejuſque fratres, Marchioneſque Eſtenſes Raynaldus, & Opizo.

Igitur Joannes declarat regnum Romanorum vacare, Ludovicum ſpoliatum eſſe quovis honore & dignitate, populos, qui juramentum fidelitatis illi præſtiterunt, abſolvit; jubet alium in regem Romanorum eligi, facultatem dat cuicunque occupandi Ludovici bona, eaque ſibi retinendi.

Ut autem hæc ſententia pervenire ad omnium notitiam poſſet, juſſit Joannes valvis Eccleſiæ Avenionenſis eam affigi.

D. Avenione III. Non. Apr. P. a. XI. 1327.

Hortatio ad populum Romanum, ut expellant Ludovicum, ejuſque aſſeclas Roma, neque illi pareant.

JOANNES XXII. ad p. r. m. CCVII. Ex cod. Lunig. p. 51.

Inc. *Quanquam nobis, &c.*

POpulo Romano ſignificat Joannes, quæ mala patrarit Ludovicus, Incipitque ab ejus aſſumptione in regem, quam quidem dignitatem ut conſequeretur cum rebellibus S. Sedis, & cum hæreticis fœdus Tridenti fecit. Rebelles eum in Lombardiam deduxerunt, & Eccleſiæ urbes vaſtavit cum illis.

Tum pergit narrare illa, quæ in modo ſuperiore conſtitutione diximus quæ acta fuerunt a Ludovico, & a ſe.

Quare cum nulla ſpes effulgeat, fore ut Ludovicus reſipiſcat, populum Romanum hortatur in Domino Joannes, & inobedientes ſub excommunicationis pœna punit, ut quoniam eorum majores ſemper fideles Romanæ Eccleſiæ fuerunt, conſortiumque cum hæreticis vitarunt, expellant Ludovicum Bavarum hæreticum excommunicatum, cum hæreticis amicitiam habentem, mala plurima in Eccleſiam patrantem, &c.

Eum ab juramento fidelitatis Ludovico dato liberat, &c.

D. Avenione II. Cal. Apr. P. a. XII.

Coronatio Ludovici Bavari facta, Ducalis dignitas collata ab illo Caſtruccio Caſtracani reprobatur.

JOANNES XXII. ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum. CCVIII. Ex cod. Lunig. p. 58.

Inc. *Dudum per facti, &c.*

MAlefacta Ludovici tertio narrat Joannes.

Tum ſignificat, eum non obſtante excommunicatione, qua erat innodatus, voluiſſe *in Mediolano inunctionem, ſeu potius exſecrationem accipere;*

Narrat, quomodo ad civitatem Lucanam accedens Caſtruccium de Interminellis virum utique diverſarum excommunicationum ſententiis innodatum, qui civitatem ipſam tenebat tyrannice occupatam, Ducem Lucanum de facto publice ordinavit.

Quare Joannes coronationem Ludovici, & dignitatem collatam Caſtruccio reprobat, ut injuſte factas, illegitime collatas, illegitime agentibus, & collatoribus, & iis, quibus fuerunt collatæ.

Quare monet omnes Joannes, ut Ludovicum conſiderent tanquam non inunctum, & Caſtruccium tanquam non ducem.

Quod ſi qui juramentum illis fidelitatis dederunt, ab illo eos liberat Joannes.

Excommunicat eos omnes, qui amicitiam, fœduſque cum illis, vel alterutro eorum faciet.

D. Avenione II. Cal. Apr. P. a. XII.

Declaratur rurſus hæreticus Ludovicus, Italiæque provinciæ jubentur eum, ejuſque partes deſerere.

JOANNES XXII. ad p. r. m. CCIX. Ex cod. Lunig. t. p. 78.

Inc. *Dudum volentes, &c.*

INcipit rei ſeriem narrare Joannes ab initio; nempe a quæſtione, quæ vertebat inter ſcholaſticos ſuper Fratrum paupertate, num Domini eſſent earum rerum, quibus utebantur, cui quidem quæſtioni anſam dederat alia quæſtio, nempe, utrum Chriſtus, & Apoſtoli jus utendi, & conſumendi res ſibi datas habuerint; utrum jus habuerint eas vendendi, ex iis alias acquirendi. Jus hoc illis competiiſſe deciderat Joannes; hæreticumque declararat aliter ſentientem quemcumque.

Jam

Jam quidam, inter quos Marſilius de Padua, & Joannes de Janduno, ſentiebant contrarium ſimul cum Imperatore Ludovico.

Inciderunt ergo in datam ſententiam, nempe eos eſſe hereticos. Pluries invitatus fuit Imperator ad reſipiſcentiam, ſed fruſtra. Mala malis auxit.

Joannes civitatibus Italiæ ſignificat, quid ipſe egerit, ut adduceret ad bonum tramitem Ludovicum.

Cum ergo nulla ſpes pœnitentiæ in illo ſit, civitates Italiæ, *ſpecialiter Mediolanenſem, Sagonenſem, Cumanenſem, Vercellenſem, Pergamenſem* (Bergomum) *Laudonenſem, Cremonenſem, Aretinenſem, Novarienſem, Papienſem, Mantuanam, Ferrarienſem, Veronenſem, Lucanenſem* hortatur, & monet in Domino, & niſi pareant, excommunicationis pœnam iis indicit, ut expellant a ſuis mœnibus, & territoriis Ludovicum, ejus milites, fautores, aſſeclas &c. N. O.

Datum Avenione X. Calend. Novemb. P. a. XII. 1327.

Ib. p. 69. „ His Joannis ſententiis reſpondit Ludovicus: aitque „ ſe motum juſtitiæ zelo non potuiſſe quin graviter „ ferret *enormes exceſſus Jacobi de Caturco, qui ſe Papam Joannem* XXII. *licet mendaciter appellare non „ verebatur; ſe properanter veniſſe ad Sedem ſuam „ præcipuam Romam videlicet*, in qua diadema, & „ ſceptrum ſuſcepit.

„ Detexit, Joannem *ſuis malignis aſtutiis* inter ſub„ ditos Imperatoris *diſcordias diſſeminare*; eum abuti „ gladio ſpirituali, quo abſterreat obedientes ſuis Do„ minis populos.

„ Oſtendit quam duro corde ſit, ut gaudeat cædi„ bus, ut miſere Chriſtianos a Saracenis opprimi pa„ tiatur &c.

Die XVIII. an. D. 1327. Indict. XI. Regni an. XIV. Imperii I.

Ib. p. 75. „ Neque ſolum Ludovicus declaravit Joannem indi„ gnum Pontificatu, judicavit eum talem etiam com„ mune principum Germaniæ. Vitio vertebant Princi„ pes Alemanni Pontifici, quod pecuniam collectam, „ ut Chriſtiani Armenii liberarentur a Saracenis, per „ annos quinque nondum eam in hoc opere inſumpſe„ rat, ſed aliis in uſibus:

„ *Quod Lituani conjurati Barbari* impune graſſa„ bantur per regiones Brandeburgicas, cum Joannes „ collegiſſet pecuniam ad eos reprimendos;

„ *Quod claſſem a Franciæ Occidentalis Rege ad opem „ Chriſtianis Armeniæ incolis adverſus Saracenos ferendam comparatam aſtu intercepit; eadem in Genuenſium, qui devotiſſimi ſunt Chriſtiano Imperio, abuſus eſt.*

„ *Eſt Monſtrum biceps, quia mundanus, & ſpiri„ tualis eſſe contendit.*

„ Ergo Principes cenſent, Joannem ex albo Ponti„ ficum eſſe expungendum.

„ Jam, ajunt, ſe habere exemplum Othonis I. Im„ peratoris, qui Joannem XII. *ex albo Pontificum ob „ ſcelera eraſit*. Multo magis eradendus eſt Joannes „ XXII. a *Franciſcanis Theologis* hæreſiarcha declara„ tus (Marſilio de Padua, & Joanne de Janduno.)

Datum, & factum extra templum auguſtiſſimum Divis Petro, & Paulo Legatis Chriſti dedicatum XVIII. Apr. in urbe Roma, cunctis ſacrificulis, univerſo populo Romano in regione pro Concione publicæ ejus rei gratia, coacto Chriſtianæ libertatis anno MCCCXXVIII. Invictiſſimi Imp. Ludovici IV. Cæſaris Auguſti, Principis Optimi Regni XIV. Imperii vero primo.

Ib. p. 85. Ergo Ludovicus ſententiam in Joannem tulit, qua cum indignum Pontificem declaravit, appoſuitque ejus errores.

Error I. Tanquam hæreticus ducitur Joannes, quia in Bulla *ad Conditorem*, docuit, Chriſtum, & Apoſtolum habuiſſe uſum rerum illis traditarum, quem habent etiam Fratres Mendicantes.

E. II. *Quod in dicto ſtatuto* ad Conditorem *docetur, quod rebus non conſumptibilibus non poteſt quis uti, quia eis uti non contingit, ſed abuti, quod ei opponitur, quod eſt uti, cum abuti nihil aliud ſit, quam contra naturam, uti in hac materia proprie dici poſſit.* Hæc probantur ſubtilitatibus Scholaſticis quæ iis temporibus dominabantur.

E. III. *In ſupradicto ſtatuto contentus eſt, quod caventia dominii omni temporali commodo denudati ad perfectionem non pertinet, nec pauperiorem efficit non habentem; adjiciens quod tale dominium omni temporali commodo denudatum verbale, ænigmaticum, & ſimulatum exiſtit.* In hoc quoque §. non ſunt niſi verba, & ſophiſmata.

E. IV. *Sumitur in dicto ſtatuto* Cum inter, *ex eo quod ipſe pronunciavit, ſive declaravit, hæreticum fore cenſendum affirmantem deinceps Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ejuſque Apoſtolos non habuiſſe aliqua in communi: nec in ſpeciali, inſuper hæreticum fore cenſendum affirmare, Chriſto, & Apoſtolis ejus in his, quæ Scriptura Sacra eos habuiſſe teſtatur, non competiiſſe jus utendi, nec illa vendendi, ſeu donandi jus habuiſſe, aut ex ipſis alia acquirendi.* Hæc quoque non explicantur, impugnanturque niſi verborum luſubus; & ſi qua ſunt SS. Patrum loca, uncis perracta ſunt.

E. V. *Quia ipſe dogmatizat in dicto ſtatuto* cum inter, *quod actus utendi rebus temporalibus in Chriſto, & Apoſtolis, & aliis non potuit, nec poteſt eſſe juſtus abſque jure utendi civili, & mundano contentioſo, & Litigioſo*,

E. VI. *Continetur in dicta conſtitutione* quia quorundam, *quia revocat in dubium ſive negat, quod Chriſtus præcepit Apoſtolis, ne portarent pecuniam, quando eos miſit ad prædicandum, afferent, quod Apoſtoli poſt reditum a prædicatione pecuniam portaverunt, & quod hæc evangelica veritas, & Apoſtolica dicta teſtantur.*

E. VII. *Eſt contentus in dicta Conſtitutione*, quia quorundam, *quia quidem hæreticus de clavibus Eccleſiæ male ſentiens in dubium revocat, ſive negat clavem ſcientiæ Eccleſiæ Catholicæ fore clavem, maxime cum reticet ſuper hoc opiniones contrarias, & diverſas, nec affirmat, & aſſerit in Eccleſia eſſe clavem ſcientiæ; imo ad partem quod non ſit in Eccleſia clavis ſcientiæ declinare videtur, cum dicit, quod Salvator in promiſſione clavium facta Petro hoc ſenſiſſe videtur expreſſe, cum immediate poſt illam promiſſionem ſubjunxerit*: quodcunque ſolveris, &c.

Err. VIII. *Eſt, quia ipſe in dicto ſtatuto* quia quorundam, *etiam dogmatizat, quod ſummus Pontifex in iis, quæ ad fidem, & mores pertinent, poteſt ſuorum prædeceſſorum definitiones, & dicta revocare, & ejus contrarium ſtatuere, quod decernitur in eiſdem.*

Ludovicus ergo, qui zelo puritatis Catholicæ Religionis flagrat de conſilio Principum, qui eodem ardore ſunt ſuccenſi, Joannem, qui hos errores diſſeminavit, defendit, & voluit ab aliis eos defendi, indignum Pontificem judicat, nec vult a quoquam ut Pontificem agnoſci, ſed alius ut eligatur efficiet.

Datum in Civitate Piſana an. 1328. Die XII. Dec.

Edictum etiam vulgavit Ludovicus, quo omnia, & Ib. p. 100. ſingula, quæ Joannes in præjudicium ſuprem: poteſtatis Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Sacrique Romani Imperii dixerat, & egerat, caſſat & irritat.

D. in oppido Francfordia. an. 1358.

Criminationes in ſe confictas diluit Ludovicus, quas Ib. p. 101. jam ſupra attulimus in Bullis;

Probatque Imperatores non eſſe ſubjectos Pontificum jurisdictioni.

Dat. in oppido noſtro de Franckenfurt Die VIII. Aug. a. 1328.

Demum probat Ludovicus, Imperatoriam dignitatem, Ib. p. 109. majeſtatemque a ſolo Deo pendere, non a Pontificis conſenſu, & approbatione.

D. in Colonienſi Civitate Alemanniæ a. 1329.

Dies electionis Imperatoris prorogatur.

JOANNES XXII. Mathiæ Archiepiſcopo Moguntino. CCX. ex Raynaldo ad an. 1328. §. 40.

Inc. *Nos attendentes, &c.*

JAm ſtatuerant electores, quoniam tandiu, hoc eſt per annos quindecim vacabat imperium, alium Imperatorem eligere in conventu habito. Feria tertia poſt Octavam Paſchatis; præfixerantque diem octavam Pentecoſtes.

Sed Ludovicus, & Fridericus obſtiterunt, ne electores poſſent convenire.

Novus etiam candidatus ſe obtulerat, ſed armatus Albertus Auſtriæ Dux Friderici frater.

Pontifex Archiepiſcopo ſignificat, aſſumendum eſſe in Regem virum probum, Deum timentem,

Et ſi periculum eſt, ne poſſit hæc electio bene fieri, diem electionis protendit ad ſex hebdomadas, vel duos menſes.

D. Aven. Non. Maji P. a. XII. a. D. 1328.

Alius

Alius locus præter Franchofurtum permittitur pro electione Regis.

CCXI. Ib. JOANNES XXII. Mathiæ &c.

Inc. *Ut aliam, &c.*

QUia Franchofurti semper eligi Imperatores consueverunt, prævidens Archiepiscopus Mathias fortasse, hac vice ibidem Regem eligi non posse, ne hoc prætextu electus rejiceretur, quia Franchofurti non fuisset creatus, rogavit Pontificem, ut provideret de Apostolica benignitate.

Joannes his attentis, dat facultatem hac duntaxat vice alibi eligendi Regem;

Quem quidem alibi electum censeri vult æque juxta electum, ac si Franchofurti electus fuisset, ita ut mutatio loci nullum ejus electioni præjudicium afferre debeat.

D. Aven. ut supra.

Sententia prolata a Ludovico Bavaro contra Joannem XXII. confirmatur ab Antipapa.

CCXII. Ib. §. 44. NICOLAUS V. Universis præsentes litteras inspecturis ad p. r. m.

Inc. *Vobis & vestrum, &c.*

„ LUdovicus cum jam sententiam protulisset, Joannem esse hæreticum, hæreticosque Cardinales, qui cum illo sentiebant, Pontificem creavit circa festum Ascensionis Domini *Matthæum de Corbario Reatinæ diœcesis, qui uxorem habuerat, & adhuc habebat Joannam Matthæi de Corbario ejusdem diœcesis, cum qua cohabitabat publice conjugaliter, ut maritus annis quinque antequam assumeret habitum Fratrum Minorum, quem assumpsit renitente pariter, & invita.* (Bernardus in libello de Imperio R.) Alvarus Pelagius L. 3. c. 37. de Planctu Ecclesiæ ita de Nicolao loquitur: *substituerunt de facto Pseudoreligiosum de Ordine Minorum Petrum de Corbario, quem cognovi in urbe verum hypocritam, cum conventualis essem ibi in conventu de Aracœli.*

Notum vult esse omnibus Nicolaus, per sententiam Ludovici Imperatoris semper Augusti (qui coronari jam se Romæ fecerat) omnes & singulos, qui obedientiam præstabant Jacobo de Cadurco, qui se dicebat Joannem XXII. esse hæreticos, & excommunicatos, & decidisse jam suis feudis, honoribus, dignitatibus, beneficiis &c.

Quam sententiam confirmat Nicolaus, eaque beneficia sic vacantia reservat sibi danda fidelibus Ludovico faventibus.

Eorum absolutionem sibi reservat.

D. Romæ apud Ecclesiam S. Mariæ de Aracœli VI. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1328.

Ne populus pareat Jacobo de Cadurco.

CCXIII. Ib. 41. NICOLAUS V. Universis in Christofidelibus.

Inc. *Cum pridem, &c.*

SIgnificat Universis Nicolaus fuisse depositum ob hæresim a Pontificatu Joannem, plures eum excessus commisisse, scelera &c.

Ac proinde iis mandat, ne illi pareant.

Qui illi parebunt, qui injuste eum esse depositum dicent, qui Pontificem eum appellabunt,

Qui dicent Nicolaum non esse creatum Papam jure, non esse Pontificem, non esse illi parendum tanquam hæretici punientur.

Inquisitori hæreticæ pravitatis dat facultatem in hos procedendi &c.

D. ut supra.

V. in Cap. de Regibus Galliæ *post plures, &c.*

Minatur Antipapa, se usurum pœnis in inobedientes.

NICOLAUS V. Emanueli Sementis de Albigana Ord. FF. Prædicatorum. CCXIV. Ib. §. 51.

Inc. *Habet rei, &c.*

NArrat Nicolaus prædicto fratri depositionem Joannis ob crimina &c.

Assumptionem suam ad Pontificatum,

Sententias a se editas,

Quas quia quidam contemnunt, minatur, se pœnas iis inflicturum.

D. Viterbii apud S. Franciscum XVIII. Cal. Oct. P. a. I. a. D. 1328.

„ Viterbium se contulerat Bavarus cum Nicolao post exitum ab Urbe.

Joannes decernit recipere Petrum de Corbario resipiscentem.

JOANNES XXII. Petro de Corbario Ord. FF. Minorum quod cœpisti laudabiliter, feliciter adimplere. CCXV. ad an. 330. §. 4.

Inc. *Profecto fili, &c.*

„ EXiverat Viterbio, tum Pisis Ludovicus Bavarus, quem sequi volebat Antipapa Corbario, sed cum non potuisset, se dedit Comiti Bonifacio de Donoratico, apud quem aliquandiu latuit, detentus liberali in custodia, unde ad Pontificem scripsit veniam petens, seque paratum ostendens, ubicunque juberet Pontifex, deprædicare, se deliquisse.

„ Litteræ scriptæ sunt *in confinibus Lucanorum.*

Respondet hisce litteris Petri Joannes.

Ac primum gratulatur Petro Pontifex, quod gratiam suam Deus illi dederit, per quam videre posset errorem suum, & in gremium suæ matris redire.

Tum illum hortatur, ne huic lumini a Spiritu Sancto profecto resistat, sed illud sequatur.

Fortitudine opus esse, ait; non tergiversandum, sed statim rumpenda esse erroris vincula.

Et quoniam se paratum dixit abjurare quæ egerat, eum hortatur ut Pisis abjuret.

Ceterum illi spondet se paratum esse eum paterne recipere, veniamque illi dare.

D. Aven. III. Id. Jul. P. a. XIV. a. D. 1330.

„ Aliæ litteræ in regesto Pontificio exaratæ sunt objurgatoriæ, per eum confirmatum fuisse Schisma, & in sua malitia Ludovicum; eum esse omnibus suppliciis dignum qui ita tunicam inconsutilem Christi discindere studuisset.

„ Sed eas non misit: imo Comes Bonifacius ita Pontificem placavit, ut promiserit, se excepturum benigne Petrum, se assignaturum illi tria millia aureorum annuatim ex pontificio ærario, se dare illi facultatem eligendi sibi Confessarium a quo absolvatur.

Modus præscribitur Archiepiscopo Pisano recipiendi ad Ecclesiam Petrum.

JOANNES XXII. Archiepiscopo &c. CCXVI. Ib. §. 8.

Inc. *Primo in tua, &c.*

MAndat Pontifex, ut Archiepiscopus eligat vel Episcopum Lucanum, vel alium, invitet multos prælatos, Religiosos, Clericos, Nobiles, ut illi, & Comiti Bonifacio videbitur, & Petrus abjuret errores suos; & illi injungat sub juramenti præstiti virtute terminum competentem, intra quem personaliter se præsentet Pontifici; alioquin absolutio sit nulla.

Eidem Archiepiscopo significat Joannes, se legisse in Concistorio Epistolam Petri rogantis veniam, de quo valde fratres gavisi sunt.

Et quoniam Petrus proposuit abjurare publice omnia quæ fecit ut Antipapa, videtur valde utile futurum & gloriosum Ecclesiæ, si Pisis abjurationem faciat.

D. ut supra.

„ Ejuravit Petrus Pisis; tum navim conscendit, & cum pervenisset Nicæam in provincia recepit, litteras Pontificis, quibus

Excom-

Gaudium suum explicat Pontifex.

CCXVII. Ib. §. 19. JOANNES XXII. Petro de Corbario Ord. FF. MM.

Inc. *Læti percepimus, &c.*

NOn immerito se gaudere scribit Joannes, cum accepit Petrum pervenisse Nicæam.

Legitur enim in Evangelio, summopere letari Angelos super uno peccatore pœnitentiam agente: quæ quidem pœnitentia uni peccatori utilis est futura, & pœnitentia Petri, quæ tantum est profutura omnibus fidelibus non potest non excitare lætitiam ingentem in Pontifice.

Etiam Petrus lætari debet: exit enim ex errore, erumpit e tenebris, solvitur a societate Ecclesiæ hostium.

Illi pollicetur, se futurum in eum *pium patrem, & clementem, præterita in memoria non teneniem, sed eum tractantem sicut carissimum filium, & specialem amicum.*

D. Aven. V. Id. Aug. P. a. XIV. a. D. 1330.

„ Die vigesimaquinta Augusti ivit Petrus in Concistorium cum laqueo collo injecto, abjuravit errorem, damnavitque Bavarum rubore perfusus, impeditus multitudine legere non potuit quæ scripserat; lecta fuerunt in Concistorio privato.

„ Hæc omnia scripsit Pontifex principibus, ut gesta fuerant.

Excommunicatio quorundam Fratrum Ord. MM. de Observantia Ludovici Bavari Imperatoris Fautorum.

CCXVIII. B. 33. p. 3. vel t. 9. p. 476. JOANNES XXII. Ministro Generali Ord. FF. Minorum.

Inc. *Nuper in Concistorio, &c.*

SIgnificat Joannes Ministro supradicto, se excommunicasse Fratres ejusdem Ordinis Michaelem Cesenatem, qui fuerat Generalis Minister Ordinis, Guillelmum Okamum, Henricum de Chalem, una cum Bonogratia de Pergamo Converso, quia sunt consiliarii, fautoresque Ludovici Bavari, adhærentque Petro de Corbario assumpto ab eodem Imperatore in Antipapam.

Apponit Pontifex sententiam in eos prolatam.

Eos ut hæreticos, & hæreticorum fautores damnat. (Etenim preterquamquod communicabant cum Ludovico, etiam disseminabant, Christum, ejusque discipulos nihil proprii habuisse, sed simplicem usumfructum; & ita debere facere omnes Ecclesiasticos, si peccare nolunt.)

Loca, quæ eos recipient, interdicto supponit, receptores, fautores, auxilium præstantes quoquo modo excommunicatos vult omnes. N. O.

Hanc sententiam locis solitis affigi jubet.

D. Avenione IV. Id. Jan. P. a. XV. a. D. 1330.

Supradictorum absolutio.

CCXIX. Ib. p. 195. CLEMENS VI. Ministro Generali FF. MM.

Inc. *Petitio pro parte, &c.*

MOrtuis Ludovico Imperatore, & F. Michaele de Cæsena, Guillelmus, & alii adhærentes Ludovico Generalem Ordinis orarunt, ut impetraret sibi veniam, & absolutionem a Pontifice, eodemque tempore se vellet excusatos nisi ipsi possent adire Pontificem.

Quod præstitit Generalis; cujus precibus annuit Clemens, eique dat facultatem eos absolvendi, modo præstent juramentum, cujus formulam prescribit.

D. Avenione VI. Id. Junii P. a. VIII. a. D. 1350.

De Imperio non dando Ludovico.

CCXX. Ib. §. 29. JOANNES XXII. Joanni Bohemiæ Regi.

Inc. *Profecto fili, &c.*

„ LIceat Joannes omnibus Germaniæ principibus jam scripsisset de exauctoratione Ludovici, & de creando novo Imperatore, luxque effulxisset creari posse Othonem Austriacum, tamen Bohemiæ Rex, & Ludovicus adeo effecerunt, ut fere omnes Germaniæ principes consenserint de confirmando Ludovico Imperatore. His Nuntiis territus Joannes scribit Bohemiæ Regi qui omnium maxime nitebatur, ut Ludovicus Imperator agnosceretur.

Non reprehendit consilium Regis Joannes, neque aliorum principum; volebant enim tandem aliquando Imperii quieti consulere, quod per annos decem, & septem vecabat, erantque ejus res magnis in turbis, sed voluisset, eos magis rationem consulere, & consultius agere.

I. Namque certo certius est, Ludovicum esse privatum omni jure, cum in discordia fuit electus;

II. Præterea favit Marsilio de Padua, & Joanni de Janduno Fratribus Minoritis, qui librum erroribus scatentem ediderunt, & proinde ut hæreticum damnatum, ejusque auctores ut hæretici fuerunt proscripti. Eos recepit, eos fovit Bavarus;

III. Excommunicatus Ludovicus non se correxit, sed obfirmatus fuit, pœnamque contempsit; qui quidem contemptus indicat, eum esse hæreticum. *Ex prædictis ergo satis potest ejus inhabilis conditio ad imperiale fastigium apparere.*

IV. Ea quæ postea egit, multo magis eum ab imperio repellunt. Voluit coronari licet Imperator non esset;

V. Creavit Petrum de Corbario Minoritam Antipapam in opprobrium ejus Sedis, cujus Imperator debet esse defensor primus.

VI. Ecclesias spoliavit, violavit interdictum, divina profanavit, plurimosque impulit exemplo, & vi ad eadem indigna facinora patranda; quæ vel si esset legitimus Imperator, deberent omnes Christianos movere, ne illum Imperatorem agnoscerent, aliumque in ejus locum subrogarent.

VII. Ludovici consiliarii, amici, familiares sunt hæretici, Michael de Cæsena frater Minorita olim ordinis minister Generalis pronuntiatus hæreticus, Jacobus de Albertis Episcopus Castellanus, seu Venetus exauctoratus, Guillelmus Ochamus Anglus Minorita, cujus sententias hæreticas proscripsit Ecclesia, Bonagratia de Bergamo Minorita, qui ob turpia facinora fuit in Curia arrestatus, & contra juramentum aufugit, Marsilius de Padua ipse quoque ut hæreticus damnatus. Quid boni Christiana Resp. ab his hominibus expectare potest?

XIII. Principes ergo Germani qui in electione Imperatoris spectare debent defensionem Ecclesiæ, & quietem Imperii, a Ludovico hæc consequi non possunt; cum sit apertus Ecclesiæ hostis, cum sit adversus iis principibus, qui eum non elegerunt, sed elegerunt Fridericum Austriacum;

IX. At Bavarus multa promittit: multa, inquit Joannes, promisit etiam, sed nihil adhuc præstitit, immo defecit.

X. Promisit se depositurum Antipapam; hoc debet facere ex officio; & jam quia non est Petrus verus Pontifex non potest dici deponi, cum nunquam fuerit jure ad dignitatem Pontificiam evectus; deinde ipse Petrus jam scripsit ad Pontificem, se nolle amplius in ea dignitate esse, veniamque suæ temeritatis petiit. Exemplarque Epistolæ ad Joannem Regem Joannes mittit;

XI. Secundo offert, *quod recedet ab appellatione sua,* nempe ad Concilium; hec appellatio non valet, quia facta ab heretico, & quia facta est de eo, qui superiorem non habet;

XII. Tertio offert, se revocaturam, que fecit, & attentavit contra Ecclesiam, & Deum; hec non est oblatio, cum facit id quod facere debeat, neque ullum meritum sibi comparat ex hac emendatione necessario facienda, si vult salvus fieri;

XIII. Quarto offert, se confessurum, se fuisse excommunicatum; *per hoc patet, quod neque Deo, neque Pontifici, nec Ecclesiæ aliqua offertur emenda.*

XIV. *Quinto offertur pro parte ejus quod gratiæ nostre se offerat ad misericordiam: pro hoc quippe asserit, quod a nobis petet misericordiam, non quod aliquam præstet emendam.*

XV. Ex his concludendum est, velle Bavarum permanere in Imperio, & regno; cujus si confirmationem assequutus fuerit, multo magis Ecclesiæ adversabitur; si enim cum non erat Imperator adeo illam afflixit, multo magis illam affliget verus Imperator.

XVI.

XVI. Sed quo jure vult remanere in Imperio? non vetere ; non enim fuit legitime electus , non legitime coronatus: non novo ; illa enim patravit , quæ deberent eum ab imperio removere , nedum ad imperium evehere .

XVII. Quæ cum ita sint , non potest Pontifex non respondere Bohemo , & quibuscumque principibus, petenti confirmationem Bavari quod dixit Christus Discipulis: *nescitis , quid petatis* .

Quare mutet opinionem Rex, neque electionem Imperatoris consideret e commodis suis , sed totius Christiani orbis .

D. Avin. II. Cal. Aug. P. a. XIV. a. D. 1330.

Tractatus pro Bavaro refellitur ; & Rex objurgatur .

CCXXI. Fb. 9.34. JOANNES XXII. Joanni &c.

Inc. *De regia &c.*

„ TItillatus a Bavaro Rex Bohemiæ , se futurum „ administratorem regni Itali , si Ludovicus esset „ Imperator , non destitit urgere Pontificem , ut ejus „ electionem confirmaret , & sollicitare Gibellinæ fa„ ctionis duces, ut ejus partes sequerentur.

Rex Bohemiæ, Archiepiscopus Trevirensis, & Otho Dux Austriæ tractatum fecerunt de orando Pontificem, ut confirmaret Bavarum , qui conditiones posuerat offerendas Pontifici , suntque expositæ a nobis in superiore proxima bulla a numero X. usque ad XV.

Respondet Pontifex jam satis se respondisse ; nempe tractatum illum *utilitatem , & honorem Ecclesiæ non* respicere neque Pontificis.

Tum objurgat Regem , quod utilitatem suam anteponat utilitati , & decori Ecclesiæ .

Eum reprehendit , quod sollicitarit Azonem Mediolani regulum , ut una cum Gibellinis eum traheret ad obsequium Ludovici , regisque litteras profert ,

Quod a proposito defendendi Ecclesiam revocarit Othonem Austriæ Ducem , impulerit que in partes Bavari ,

Quod multa egerit per se , & per Nuntios suos contra Ecclesiam , & Pontificem : quos Nuntios miserat ad Azonem cum amplissimis facultatibus, & pollicitationibus ut ad Bavarum pertraheret illum , ejusque socios .

Sed monet Regem, velle Azonem in obsequio Ecclesiæ persistere , litterasque ejusdem Azonis hoc confirmantes ad Joannem regem mittit , ut eum a prosequendo negotio deterreat ,

Quæ, omnia si sunt reprehendenda, quippe quæ facta contra Ecclesiam , multo magis sunt arguenda in rege Joanne , cujus majores beneficia plurima ab Ecclesia acceperunt ; favore enim Clementis V. ejus genitor Imperator factus fuit; ejus favore illius patruus fuit electus Archiepiscopus Trevirensis , a qua dignitate & ætas , & defectus scientiæ eum repellebant , cujus confirmationem si distulisset Clemens , actum de illo erat ; multi enim parati erant , se illius electioni opponere . Quinque Cardinales misit Clemens, qui comitarentur Imperatorem Romam, quique eum coronarent, & ad ejus obsequium civitates Italiæ reducerent; ex quibus rebus ingens utilitas in regnum ejus redundavit ; qualis autem ipse semper fuerit in regem , reminisci debet .

Sed etiamsi Ecclesia nihil de Bohemo mereretur, tamen defensionem hæretici Bavari suscipere non deberet ; quia est Ludovicus hæreticus , quia rex exemplo suo movet alios ad eum agnoscendum Imperatorem , quia in causa est , cur in sua hæresi Bavarus obstinatior sit.

Retrahat Rex pedes ab hoc itinere quod incœpit , quod illum ad perditionem demum ducet .

D. Aven. XI. Cal. Oct. P. a. XV. a D. 1330.

De reditu Ludovici Bavari ad Ecclesiam.

CCXXII. Ad an. 1334.9.20 JOANNES XXII. Ludovico de Bavaria gratiam in præsenti , quæ perducat ad gloriam in futuro.

Inc. *Habet Nuntiorum &c.*

SIgnificarant per oratores Pontifici Reges Gallię , & Bohemię , velle Ludovicum ad Ecclesiam redire , regnumque æternum terreno præferre .

Lętus Pontifex ad hunc nuntium Ludovico scribit , se factum certiorem de ejus consilio , non posse quin illi suam testetur lætitiam , qua nulla major esse potest . Sicut enim maxime salutem Ludovici amat, ita videt salyum illum , salvos eos omnes qui illum sequuntur .

Neque minor debet esse Ludovici lętitia , qui se ereptum videt ab inimici faucibus , restitutumque in matris sue gremium .

Apertis ulnis Pontifex eum expectat effusurus in eum cor ipsum .

Eum monet ut in proposito perstet ; seminator enim zizaniarum nervis omnibus contendet illum ab hoc proposito deducere ; quem si superabit , tanto majori lętitia afficietur ex obtenta victoria .

Ne igitur moras interponat . Nihil certius est morte , quæ repente venire potest .

Ad eum , ait, se mittere nuntios suos, quibus cum conveniet de quibus facto opus erit .

Spiritus ille , qui ubi vult spirat , omnesque salvos desiderat fieri te dirigat in promissis . Amen .

D. Aven. IV. Cal. Jul. P. a. XVIII. a. D. 1334.

De Legatis Ludovici , & de visione Beatifica.

BENEDICTUS XII. Ludovico &c. CCXXIII Ad an. 1335.9.7.

Inc. *Dudum circa &c.*

FEsto die Nativitatis B. Marię Virginis Legatos Ludovici accepit Benedictus .

Procuratoria Ludovici , quę Legati ejus attulerunt, dedit Pontifex examinanda Cardinalibus ;

Iis responderet citius , sed cum Cardinales instent , ut decidatur quęstio de visione beatifica, tardius respondebit .

Hęc significat his litteris Ludovico Pontifex .

D. Aven. VI. Id. Sept. P. a. I. a. D. 1335.

„ Quoniam Pontifex remiserat oratores Ludovici , „ quia satis instructi non erant , Ludovicus scribit ad „ Pontificem conditiones eorum quę facturus erat , ut „ reciperetur ad unitatem Ecclesię : non erit injucundum Lectori summa earum capita legere ;

I. Nomina sex Legatorum, quos ad Pontificem mittit , ponit , qui sunt nobilissimi , inter hos sunt duo Canonici sęcularis unus , alter regularius ;

II. Hi jurabunt , sicut soliti fuerunt jurare oratores aliorum Imperatorum ante Pontificem .

III. Pœnitet Ludovicum eorum , quę egit contra Joannem XXII.

IV. Acta illa omnia rescindit ,

X. Pœnam capitis denuntiatam in Robertum Regem Sicilię, in Philippum principem Tarenti , in Joannem Ducem Duratii , & Achajæ , & sententiam contra Florentinos revocat ;

VI. Cassat omnia edicta Romę facta , & edita .

VII. Dat facultatem Pontifici per biennium revocandi ad officium , & obedientiam urbes status Ecclesiastici , ignoscendi rebellibus &c.

VIII. Promittit sibi ab Ecclesiasticę urbibus, locisque ditionis temperaturum ,

IX. In nulla re impediturum Pontificios ministros , quin in urbibus , & provinciis Ecclesię sibi commissis munera sua exerceant ;

X. Se confirmaturum omnia loca , & jura R. Ecclesię sicut confirmavit Henricus VII. cujus diploma affert ;

XI. Se non perturbaturum Siciliæ regnum ,

XII. Se initurum fœdus cum Rege Roberto ,

XIII. Si molestabit Romanam Ecclesiam in aliqua Urbe vel in Italia , vel in Statu Venusino monitus a Pontifice intra tres menses non desistet, sit excommunicatus , si per alios tres menses emendare se differet, interdicatur, & si per alios tres menses monitorio non paruerit spolietur Imperio ,

XIV. Pollicetur, se eo die, quo Romę coronabitur, egressurum urbe ,

XV. Se nullum colorem fucatum quęsiturum , ut initam concordiam violet ;

XVI. Si qui processus sunt facti contra loca , & personas Ecclesię subditas , eos nullius esse roboris declarat ,

XVII. Spondet , se non ingressurum Italiam , nec administraturum aliquid in ea ante confirmationem ;

XVIII. Se confirmatum adacturum juramento ministros suos , ne Ecclesiastica jura violent ,

XIX. Se non affecturum imperium ullius loci vel in Italia , vel in statu Venusino ad Romanam Ecclesiam pertinentis ,

XX. Immo refrænaturum , & compressurum locum aliquem ad eam pertinentem volentes occupare ,

XXI. Se a suis ministris in Italia exacturum de non usurpandis , & molestandis locis R. Ecclesiæ,

XXII. Jurabit tactis Evangeliis , se omnia prædicta bona fide præstiturum .

XXIII. Promittit , se expulsurum intrusos in beneficia Ecclesiastica existentia in regno , & imperio ,

XXIV. Effecturum , ut principes Germani jurent , se moturos arma in fœdisragum

XXV. Se approbaturum conditiones imponendas a Pontifice de sedandis litibus cum Rege Siciliæ Roberto ,

XXVI. Quem creabit legatum imperii in Hetruria ,

XXVII. Si super aliquo horum articulorum controversia orietur , se acquieturum Pontificis decisioni ;

XXVIII. Se editurum juramentum præstari consuetum ab Imperatoribus, nominatimque editum ab Henrico VII.

XXIX. Promittit demum tractatum hunc faciendum a suis oratoribus se servaturum , neque violaturum umquam .

D. & actum Ulmæ anno Domini MCCCXXXVI. quinta die intrante Martio .

De fœdere inito cum Rege Angliæ contra Regem Galliæ .

CCXXIV Ad an. 1336.9.29. BENEDICTUS XII. magnifico viro Ludovico &c.

Inc. *Quamvis dilecti &c.*

PUrgat se Benedictus cur hactenus distulerit significare Ludovico , se ejus oratores accepisse , & procuratoria , quibus muniti erant legisse ; habebat multa alia negotia , quæ necessario statim erant expedienda ;

Sed se valde mirari , ait , dum conventiones erant ineundæ , dum specimen Ludovicus dare debebat , quomodo eas observaturus esset, dum ejus oratores promiserant , eum non illaturum bellum Regi Franciæ, eum fœdus iniisse cum Rege Angliæ contra eumdem Philippum .

Ludovici Legati volebant mittere ad Ludovicum nuntium , sed postea mutato consilio voluisse eos ad illum ire , scribit Pontifex .

Prædicti Nuntii referent Ludovico , quid ipse sentiat; Ludovicus interim cogitet quid sit agendum ; persistatque in eo consilio , quod cœpit .

D. Aven. II. Id. Maji P. a. II. a. D, 1336.

„ Alios Legatos misit Ludovicus ad Pontificem Guil„ lelmum Comitem Juliacensem affinem suum, & Ro„ bertum Comitem Palatinum Rheni , & Ducem Ba„ variæ principem patruum suum , cum his procura„ toriis præter ea , quæ supra relata sunt.

I. Fatetur Ludovicus se consensisse , suffragium dedisse , & curasse , ut Petrus de Corbario eligeretur Antipapa .

II. Fatetur, se consensisse , ut Petrus consecraretur, *seu verius execraretur* Papa , ut disponeret de bonis Ecclesiasticis &c.

III. Se permisisse , ut talis ab aliis haberetur Papa contra Joannem XXII. ,

IV. Ait , se id fecisse ex ignorantia , quia quidam illi persuaserunt hoc licere Imperatori, & Populo Romano ;

V. Confitetur, se fecisse id odio motum contra Joannem XXII. qui volebat alium creari in Regem Romanorum , & quia nunquam ab illo confirmationem in Regem habere potuerat ,

VI. Confitetur Papam neque a Rege, neque a Populo Romano posse deponi ,

VII. Testatur se non sciviśse Vicecomites fuisse ab Joanne excommunicatos ,

VIII. Veniam poscit , si favit quibusdam Minoritis; sed tamen testatus prius erat , si in suis appellationibus aliquid ii ponerent , quod esse a fide alienum , se illud improbare ;

IX. Cæterum de paupertate Christi , & Apostolo-

rum ea credit , quæ Joannes simul cum Cardinalibus decrevit ;

X. Ideo autem adhæsit iis Fratribus Minoritis, quia habebantur optimi magistri ,

XI. Eos recepit , quia dicebantur boni clerici , & sapientes magistri , & jura imperii tutabantur ,

XII. Eorum scripta , declamationes , prædicationes improbat ,

XIII. Constitutionem *cum inter nonnullas* de paupertate Christi recipit ;

XIV. Damnat appellationem a se interpositam contra Joannem ad futurum Concilium ;

XV. Pœnitet se implicuisse in Minoritarum hæresim ;

XVI. Scriniarius sua improbitate effecit , ut approbaret appellationem ;

XVII. Ideo patrocinatus est Marsilio de Padua , & Joanni de Janduno , quia eos putabat bonos , sed testatus fuerat , se eorum opinionibus nolle se immiscere ;

XVIII. Se nunc male feciśse fatetur Ludovicus, cum iis patrocinatus est .

XIX. Errores quinque disseminatos ab iis duobus Fratribus damnat .

XX. Dolet , se permisisse Ecclesias violari , & aggravari Ecclesiasticos ; quod tamen ex arte politica se feciśse dicit , ut retineret suos fautores .

XXI. Fatetur se male feciśse , cum voluit , invito Pontifice , Romæ coronari ; sed hunc titulum se deponere , ait ; Imperatoris,

XXII. Promittit se prædicta omnia esse confessurum Sacerdoti ;

XXIII. Fatetur a prædictis excusationibus se non purgari posse ; sed veniam petit ;

XXIV. Rogat , ut restituatur in sua pristina jura ;

XXV. Spondetque , se infectaturum quos fovit hæreticos , conaturumque eos reducere ad fidei unitatem;

XXVI. Se execraturum quamlibet hæresim , & quodvis schisma ;

XXVII. Se susceperturum votum de sacra expeditione, & de faciendis piis operibus ;

XXVIII. Promittit semet subjecturum se quibuscumque censuris , si hæc promissa , & alia superiora violabit ;

XXIX. Rogat ut pro sui nominis fama sibi regium nomen restituatur ; libereturque a censuris .

XXX. Eodemque tempore promittit , se non revocaturum oratores suos re infecta .

XXXI. Hæc demum omnia ita esse, & promissa se servaturum jurat .

D. & actum in oppido Nostro Nuremberg XXVIII die mensis Octobris anno D. MCCCXXXVI.

Querelæ de violatis sponsionibus.

BENEDICTUS XII. Ludovico de Bavaria consilia matris Ecclesię complecti devote , & velut salutaria suscipere reverenter. CCXXV Ad an. 1337.9.3.

Inc. *Ex relatione &c.*

SE recepisse , scribit Benedictus , Ludovici oratores, cum ejus procuratoriis ; nihilque se magis desiderare , quam ejus conjunctionem veram , solidam, stabilemque cum Ecclesia .

Quam tamen minus stabilem esse , sinceramque putat , quia dum de hac unione agitur , ille sponsiones infringit ; fœdera enim parat contra Regem Angliæ ; hoc modo etiam perjurium addit commissis flagitiis.

Ne velit alia odia in se concitare , ne velit novorum bellorum fluctibus se credere .

D. Aven. VIII. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1337.

Novæ querelæ Pontificis ad Ludovicum.

BENEDICTUS XII. Ludovico de Bavaria . CCXXVI Ad an. 1339.9.2.

Inc. *Litteras magnificentiæ &c.*

CRearat jam vicarium suum in inferiori Germania Ludovicus regem Angliæ Eduardum ; neque desistebat epistolas , & nuntios ad Pontificem mittere de sua cum Ecclesia reconciliatione .

Litteris Ludovici Benedictus respondet ; pluries inceptos fuisse tractatus de reconciliatione etiam sub Joan.

pe XXII; sed cum inibi tractatus est, ut concludatur, Ludovicum aliquid agere adversum omnino tractatui; illi interrupto succedit alter jam dissolvendus, cum spes felicis exitus magna effulget.

Hæc non est vera reconciliationis voluntas, sed pura putaque illusio, immo Pontificiæ Clementiæ abusus.

Primatum Pontificis imminuere, irridere, & despicere non fuit veritus.

Ecclesiam Germanicam ab obedientia Pontificis distrahere conatus est; sacra profanavit, & Ecclesiasticos afflixit, præcipue Fratres ex ordine Prædicatorum.

Cum non sit Imperator, tamen Vicarium in inferiore Germania constituit in contumeliam Apostolicæ Sed.

Pergit fovere hæresiarchas, quos se expulsuros a sua aula juraverat.

E quibus omnibus arguendum est, fictam esse ejus pœnitentiam, nolle eum ad Ecclesiæ unitatem reverti, & dare tantum verba.

At videat, ne ita agendo in pessimum desinat exitum; expectat quidem Dominus, patiens est, at est etiam justus.

Consideret sibi esse æterna parata supplicia, quæ nisi se pœniteat, cum manent;

Pœnitentem ex corde Ecclesia recipiet, acceptarumque ab illo injuriarum memoriam delebit.

D. Aven. X. Cal. Febr. P. a. V. a. D. 1339.

Expositio malorum a Ludovico Imperatore patratorum.

ccxxvii. Bull. Mag. 3. vel t. 3. p. 179. BENEDICTUS XII. Eduardo Anglorum Regi.

Inc. *Dudum te, &c.*

EXcessus Imperatoris Ludovici Bavari hic exponit Benedictus Eduardo Anglorum regi, quos jam notorios esse ait,

Jam contra Pontificis Joannis inhibitionem venerat ille in Italiam, amicitiam cum hæreticis fecerat, eorumque falsa dogmata approbaverat;

Contra eandem inhibitionem jura imperialia usurpavit, & Imperator appellari voluit;

Petrum de Corbario *velut abominationis horrendæ simulacrum* elegit in Papam, *& veluti Papam eum ve*neratus *est*, accepitque ab eo Imperiale diadema;

Ob quæ Joannes eum iterum excommunicatione impetivit, & omnes ejus fautores, consiliarios, &c.

Obduruit ad hæc Ludovicus, perstitit que in hæresi sua.

Benedictus in Pontificem electus nihilominus accepit benigne ejus Nuncios, assignavitque Ludovico terminos, intra quos se purgaret, aut se pœniteret. Neutrum Ludovicus præstitit.

Cum igitur sit adeo ille in suo schismate obstinatus, Pontifex hortatur Eduardum, ut eum fugiat, ut cum illo fœdus non ineat.

Deinde purgat se Benedictus quod dicebatur dedisse nummos Philippo Franciæ regi militanti contra Eduardum, & illi concessisse collationem beneficiorum in ejus regno existentium, asserens, nec nummos, nec nominationem ad beneficia illi dedisse; se nunquam voluisse accendere ipsum Philippum in Eduardum, immo semper pacem suasisse.

Demum illum hortatur, ut titulum Vicarii Imperatoris deponat, non decere, eum qui sit florentissimi regni princeps, dici Vicarium Imperatoris;

Non deceret id, etiamsi Ludovicus esset Catholicus; multo ergo minus decet, cum sit hæreticus.

D. Avenioni Id. Nov. P. a. IV. a. D. 1338.

Hortatio ad Angliæ regem, ne velit esse Vicarius Imperatoris Ludovici.

ccxxviii. lib. p. 182. BENEDICTUS XII. Eduardo Anglorum Regi.

Inc. *Recentem habemus, &c.*

CUm minus profecisset superioribus litteris Benedictus, & Rex Angliæ non solum non vellet deserere Imperatorem, sed etiam esse ejus Vicarius cuperet, & hujus Vicariatus prætextu Episcopum, & Ecclesiam Cameracensem vexaret, quod arguebatur ille contra Imperatorem se movisse,

Benedictus mittit ad eundem Eduardum has quoque litteras eum deterrere volens ab incœpta amicitia, ducens argumenta,

Ab hæresi Ludovici, quicum Catholicus princeps communicare non debet,

Ab excommunicatione Ludovici, cum illo amicitiam servans Eduardus videtur eam spernere, sicut spernit illam ipse Ludovicus, a qua suspicione verus christianus abesse debet,

A decore; minime enim convenit tantum regem esse Vicarium Imperatoris.

D. Avenioni IV. Id. Oct. P. a. V. a. D. 1339.

Decanus Ecclesiæ Tarvisinæ absolvitur ab excommunicatione.

BENEDICTUS XII. Patriarchæ Gradensi, Torcell. & Equilensi Episcopis. ccxxix. Ex Corn. de Eccl. Torcell. t. 1. p. 87.

Inc. *Animarum salutem, &c.*

ADhærebat Ludovico Bavaro Imperatori familia de la Scalla; hi nobiles ut sese opponerent Bertrando Episcopo Ostiensi Apostolicæ Sedis Legato, qui in Marchia Tarvisina erat, Tarvisium sese contulerant. Hinc secundum formulam sententiæ excommunicationis latæ in eundem Ludovicum, ejusque fautores, ut omnia loca, quæ illum, hosve reciperent, vel in quibus essent, interdicto supponerentur, Tarvisium pœnam hanc subierat; quia tamen aderant ibidem Scaligeri, Episcopus Tarvisinus, ne urbs, ne ager a Scaligeris devastarentur, qui quidem vetuerant observari interdictum, interdictum non publicarat.

Scaligeris Tarvisio profectis, ob reverentiam Sedis Episcopus Tarvisinus interdictum edidit. Sed Episcopus, Clerus, & populus universitatis, & communis, & districtualium Tarvisii Sindicos, actores, Procuratores, nuntiosque ad S. Sedem miserunt, qui significarent Pontifici, se non potuisse quin Scaligeros reciperent, qui armata manu venerant, se non potuisse interdictum servare, quia vi impediebantur; rogare Pontificem, ut interdictum tolleret; se non adhæsisse Ludovico Bavaro, nec ejus fautoribus, se non adhæsuros postea; se parituros Ecclesiæ mandatis; judicaturosque hostes eos, quos Ecclesia tales judicasset, & habituros eos amicos, qui odio habuissent Ludovicum, ejusque fautores.

Promiserunt etiam, se non esse occupaturos bona, & jura Ecclesiarum, neque violaturos posthac mandata Pontificis.

Motus Pontifex his precibus, promissisque demandat præfatis Patriarchæ, & Episcopis, ut unus ex iis absolvant ab excommunicationis vinculo Conradum Decanum Ecclesiæ Tarvisinæ, qui nomine Cleri, & Episcopi absolutionem petiverat, Floravantus petiverat nomine populi.

Advertant tamen prædicti Præsules, ut excommunicationem non tollant, nisi prius a Conrado juramentum acceperint, quo confirmet, Clerum seryaturum esse quæ promiserat de odio habendo Ludovico, ejus fautoribus, &c.

Etiam ab irregularitate eum absolvant, quam per ignorantiam fortasse incurrerit;

Pœnitentiam quoque salutarem illi injungant.

D. Avenione VI. Id. Aug. P. a. V. a. D. 1339.

Se admissurum ad Ecclesiæ sinum Ludovicum testatur Pontifex.

BENEDICTUS XII. ccxxx. ad an. 1340. §. 67.

Inc. *Pleno collegimus, &c.*

DEsiderium suum redeundi ad Ecclesiam per litteras significarat Benedicto Ludovicus;

Simulque petierat, ut salvus conductus daretur oratoribus suis, & Principum Germaniæ mittendis ad Pontificem pro conditionibus inundis, & pace stabilienda.

Benedictus respondet; se quidem revolventem præterita mente jure in suspicionem venire, ne Ludovicus sincere agat,

Se daturum ejus, & principum oratoribus salvum conductum, & eos humanissime excepturum, & eas propositiones daturum, quæ erunt æquissimæ,

Se paratum esse illum excipere, illum complecti, & viscera caritatis Apostolicæ in illum effundere;

Quia vero non vult deludi, sicut alias, terminum præ-

præfigit, intra quem eos expectabit, nempe ad proximum Pentecostes festum;

Nisi venient statuto tempore, se aliter processurum testatur.

D. Aven. VII. Id. Apr. P. a. VI. a. D. 1340.

Monitorium ad Ludovicum Bavarum.

ccxxxi. ad an. 1341. §. 41. CLEMENS VI. ad p. r. m.

Inc. *Prolixa retra, &c.*

CUm benignitas Benedicti videretur Clementi fovisse Bavarum in sua obstinatione decrevit monere Electores, ut alium Imperatorem eligerent, minitans, se electurum esse illum, nisi elegissent. Interim processum contra Ludovicum promulgavit, quem postea ad Præsules misit, ut illum vulgarent ad omnium notitiam.

Recensentur in hoc processu omnia gesta a Ludovico, initiumque ducitur ab Joanne XXII. contra quem excandescere Ludovicus cœpit, quia sua electio ab illo non fuit confirmata, narrantur quid egerit sub eo Pontifice,

Tum quæ sub Benedicto, quoties promiserit redire ad Ecclesiam, & Pontificem fefellerit; quæ prætermittimus, quia superius sunt exposita.

Eum excommunicat, delapsum ab Imperio quia est hæreticus, eum declarat, absolvit populos ab juramento, vacuum declarat Imperium, excommunicat ejus sequaces, &c. ni compareat;

Præfigit illi terminum ad comparendum coram Pontifice trium mensium.

Præsules jubentur hunc processum publicare; &c.

D. Aven. II. Id. Apr. P. a. II. a. D. 1343.

Sententia in Ludovicum.

ccxxxii. ad an. 1346. §. 3. CLEMENS VI. Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Inc. *Olim videlicet, &c.*

MEmorat Clemens, se jam monuisse Ludovicum, ut intra præscriptum tempus se Romanæ Curiæ præsentaret se purgaturus a suis criminibus.

Cum id non præstiterit, eum excommunicatum declarat.

Repetit eadem crimina, quæ in monitorio percensuerat, &c.

Excommunicat sequaces, &c. solvit juramento, &c.

Datum in palatio nostro Avenionensi Id. Aprilis an. IV. a. D. 1346.

Electores invitantur ad electionem Regis; Brandemburgicus excluditur.

ccxxxiii. lib. 9. 9. CLEMENS VI. Archiepiscopis, & nobilibus principibus Electoribus Imperii.

Inc. *Impositum nobis, &c.*

TAnquam Imperium vacaret, invitat Electores Clemens, ut eligant tandem aliquando Regem Romanorum; per annos triginta tres jam dicebatur Imperium vacasse.

Mala plurima ex hac diutina vacatione in totam Christianam Remp. redundarant; rebelles Ecclesiæ non fuerant compressi, fides dilatari non potuit, bona ecclesiastica fuere direpta, Ecclesiæ suis juribus fuerunt spoliatæ, &c.

Etiam res Imperii ruerunt in pejus, Electoribus, & Principibus raptis contrariis studiis.

Ad hæc gravissima mala reparanda vident Electores opus esse probo, prudente, & strenuo principe, qui nihil respiciat aliud quam Dei honorem, quam Imperii dignitatem, quam universæ christianæ Reip. emolumenta.

Eos ergo rogat in ferendis suffragiis hæc in mente habeant, neque se officiis abripi sinant.

Quia de Electoratu Brandemburgico Ludovicus filio suo providerat (ut superius dictum est) eum excludit ab hac electione esse declarat Clemens; vacat enim, cum illius detentor Marchionatus jure illum non retineat.

Conf. Pontificiarum. Tom. II.

Pacta, conventiones, tractatus, juramenta inita cum Ludovico decernit esse omnia irrita.

Nulli ergo, &c. si quis, &c.

D. Aven. IV. Cal. Maji P. a. IV. a. D. 1346.

„ Avenionem se contulerant Joannes Rex Bohemiæ,
„ ejusque filius Carolus Marchio Moraviæ acturi de hac
„ electione. Carolus interim juramentum Pontifici fi-
„ delitatis dedit sub conditione, *si contingat me eligi*,
„ promisitque uterque, se rescissuros omnia a Ludovi-
„ co in detrimentum Ecclesiæ acta.

Gratulatur Pontifex Carolo de ejus electione.

CLEMENS VI. Carolo in Regem Romanorum electo. ccxxxiv. lib. 9. 32.

Inc. *Lætis, & jucundis, &c.*

„ ELectores declararunt, antequam ad electionem
„ venirent, imperium vacasse diu & Ludovicum
„ merito fuisse exauctoratum, unanimesque elegerunt
„ Carolum Moraviæ Marchionem primogenitum Joan-
„ nis Bohemiæ regis.

Significare lætitiam suam Carolo, vix ac nuntium ejus electionis accepit, non distulit Clemens.

Spes magnas de eo conceptas ab omnibus fuisse, illi scribit, quas eum hortatur ut sustineat, & superet;

Quod faciet, si Deum præ oculis habebit, si Ecclesiam ut matrem venerabitur, si prudentium virorum consiliis omnia deferet.

D. Aven. III. Cal. Aug. P. a. V. a D. 1346.

Litteras etiam eidem regi dedit, quibus illi concedebat facultatem accipiendi coronam Coloniæ, si tuto Aquisgrani coronari non posset.

Confirmatio electionis Caroli IV. Bohemiæ regis & Moraviæ Marchionis in Imperatorem.

CLEMENS VI. Carolo Romanorum Regi. ccxxxv. B.R.t. 1. p. 2. p. 308. C.C.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

LUdovico Bavaro iterum, iterumque excommunicato Imperator substitutus fuerat Carolus Moraviæ Marchio, & Bohemiæ rex.

Vix electus Romam misit legatos, qui certiorem facerent Pontificem de hac electione concorditer facta, & postularent a Pontifice confirmationem.

Quam electionem Clemens confirmat, suppletque quotcunque defectus, qui in electione esse possent;

Jubetque urbibus, & Vasallis Imperii parere Carolo.

Salutaria monita dat ei Clemens, ut possit bene imperium regere, & prodesse Ecclesiæ.

Hic est Carolus ille, qui bullam auream dedit, servaturque Norimbergæ.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Avenioni VIII. Id. Nov. P. a. V. a. D. 1346.

Modus præscribitur admittendi ad absolutionem sequaces Ludovici Bavari.

CLEMENS VI. Trevirensi, & Moguntino Archiep. ccxxxvi. ad an. 1349. §. 15.

Inc. *Fraternitati vestræ, &c.*

MOrtuus jam fuerat ex apoplexia prope Monachum V. Id. Octobris improvisa morte Ludovicus an. 1347. Omnes ejus asseclæ fautoresque confugiebant ad suos pastores, ut a censuris absolverentur.

Interrogarunt hi Pontificem, quomodo essent absolvendi: quibus respondet Clemens?

Postquam publice confessi fuerint coram vobis, se tenuisse, ac tenere, quod credit, tenet, & docet sancta Romana Ecclesia, necnon credidisse, & credere, quod non spectat ad Imperatorem, Papam, seu Romanum Pontificem deponere, & alium eligere, vel creare, quin immo hoc reputant hæreticum, & heresim damnatam per Ecclesiam memoratam, & postquam juraverint, se pœnitere illatarum injuriarum Ecclesiæ, & promittent, se Romanis Pontificibus obtemperaturos, & non adhæsuros sequacibus Ludovici, & *non præstituros favorem, & obedientiam ulli Regi Romanorum, nisi prius fuerit per Ecclesiam approbatus*,

Mandat præfatis Episcopis, ut eos absolvant juxta formam Ecclesiæ, injuncta iis salutari pœnitentia, &

cum Clericis, & personis Ecclesiasticis dispensent etiam super irregularitate.

D. Aven. XV. Cal. Apr. P. a. VII. a. D. 1349.

Gratiæ aguntur Carolo, quod Nicolaum Laurentii comprehendi jusserit rogaturque, ut eum ad Curiam mittat.

CCXXXVII. Ad an. 1350. §. 5. CLEMENS VI. Carolo Romanorum Regi.

Inc. *Omnipotenti Deo, &c.*

EXcommunicatus, desertus a Romanis Roma fugerat Nicolaus Laurentii, seque ignotus ad aulam Imperatoris Pragam contulerat. Agnitus, denunciatusque Carolo ejus jussu comprehensus fuit, traditusque custodiendus Archiepiscopo Pragensi. Remque totam significavit Clementi.

Pontifex gratias Carolo agit, quod eum capi mandarit; sic enim maximo hoste liberata est Dei Ecclesia. Quo quidem beneficio nullum majus præstare Ecclesiæ Carolus poterat.

Eum rogat, ut illum tradi jubeat illis, quos ad eum accipiendum, ducendumque in Curiam mittet.

Quamquam fieri potest, ut articulos ad Archiepiscopum mittat, secundum quos interroget eundem Nicolaum cum facultate in eum procedendi.

Denique regem monet, ne se decipi faciat illius asta, & versutia, sciatque eum esse filium Belial.

D. Aven. XVI. Cal. Sept. P. a. IX. a. D. 1350.

Imperatoris gratulatoriis litteris respondetur.

CCXXXVIII. Ad an. 1353. §. 19. INNOCENTIUS VI. Carolo, &c.

Inc. *Magnitudinis tuæ, &c.*

CUm primum accepit Carolus electum Pontificem esse Innocentium, illi scripsit cum hortans, ut summo studio Ecclesiæ gubernacula regeret ad Dei gloriam, animarumque salutem, scripsitque propria manu.

Pontifex rescribit, se Imperatoris litteras accepisse; & de adhortamentis datis illi gratias summas agere;

Se, quantum suarum virium imbecillitas patitur, quantum fervidæ suæ orationes apud Deum poterunt, non defuturum suo muneri;

Se futurum sollicitum de statu Imperatoris, & Imperii;

Rogat Carolum, ut excuset, si multitudine negotiorum præpeditum manu propria non respondet.

D. apud Villamnovam Aven. Diœc. IV. Id. Junii P. a. I. a. D. 1353.

De adventu Caroli in Italiam, ejusque coronatione.

CCXXXIX. Ad an. 1354. §. 6. INNOCENTIUS VI. Carolo, &c.

Inc. *Licet fama, &c.*

DEscenderat in Italiam Carolus, statimque ad Pontificem litteras dedit, se iturum Romam accepturum Imperialem coronam.

Gratulatur Pontifex Carolo de ejus adventu, & quod velit juxta antiquum morem in Basilica Principis Apostolorum coronari, eum laudat.

Illi significat se electurum Cardinalem, qui nomine Pontificis eum coronet (fuitque Cardinalis Ægidius, qui erat e nobilissima familia Columna).

Se detentum in Gallia plurimis, gravissimisque negotiis non posse venire Romam, quod maxime optaret, coronaturum suismet manibus regem.

Omnia fausta precatur Regi, Angelusque Tobiæ itineris comes, sit custos itinerantis Caroli.

Meminerit, se electum esse a Deo in regem, ut resarciat *lacerata Imperii latera*, ut inflicta annis præteritis Ecclesiæ mala, & damna reparet; sit amicus pacis, pupillorum, viduarumque defensor, &c.

Meminerit caducam esse coronam, qua cingetur Romæ, immortale diadema esse sibi quærendum sursum; eo gesta sua dirigat omnia.

D. Aven. XI. Cal. Dec. P. a. II. a. D. 1354.

Statuuntur tres Patriarchæ Archiepiscopo Mediolanensi, si nolit, aut non possit Modoetiæ Carolum Coronare.

INNOCENTIUS VI. Constantinopolitano, Aquilejensi, & Gradensi Patriarchis. CCXL. Ib. Parag. 9.

Inc. *Antiquorum servavit, &c.*

OBtinet vetus consuetudo, ut triplici corona cingantur Imperatores, Aquisgrani Leodiensis dicec. in Ecclesia B. Mariæ per Archiepiscopum Colonienſem corona argentea, ferrea in Ecclesia B. Joannis de Modoetia Mediolanensis Diœcesis per Mediolanensem Archiepiscopum, & Romæ aurea per manum Pontificis; quæ quidem triplex coronatio suo mysterio non caret; nam repræsentat S. Trinitatem, significat eloquentiam, fortitudinem, & sapientiam.

Coronatus Aquisgrani Carolus coronandus Romæ non debet coronationem Modoetiæ præterire.

Sed cum fieri possit, ut Archiepiscopus Mediolanensis vel nolit (quod absit) siquidem erat hostis Imperatoris, vel non possit (& sane mortuus fuerat IV. Id. Octobr.) eum coronare, facultatem dat prædictis Patriarchis prout requisiti ab Imperatore fuerint vel tres, vel duo, vel unus, eum coronandi.

Nullum tamen hinc antiquo Ecclesiæ Mediolanensis huic juri præjudicium afferri Innocentius vult.

D. Aven. X. Cal. Dec. P. a. II. a. D. 1354.

Ritus coronationis Caroli.

INNOCENTIUS VI. Episcopo Ostiensi A. S. N. CCXLI. Ad an. 1355. Par. 3.

Inc. *Speciosus forma, &c.*

DEsignata fuit ab Imperatore dies coronationis suæ, & uxoris suæ Annæ Dominica Resurrectionis.

Ergo Pontifex præfato Episcopo præscribit ritum in coronatione servandum.

Rem orditur ab ovo. Nam exponit ejus electionem, confirmationem, promissionem hujus coronationis a Clemente VI. Carolo factam. Duos eligit Cardinales, quos monet ut hos præscriptos ritus adamussim servent, prædictum Ostiensem, & Cardinalem Ægidium.

„ Bulla tota exscribenda esset, cum res sint tam
„ minutæ, quod instituti operis ratio non patitur.
„ Qui avet eam, legat apud eundem Raynaldum, quam
„ ipse exscripsit ex Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ.

Cardinalis Ægidius, quia dignitate præstabat, erat enim legatus a latere, coronam imposuit, missam celebravit Ostiensis.

Ex hac coronatione per alium facta, nullum præjudicium vult Innocentius afferri juribus suorum pontificum successorum, ad quos unos hæc coronatio spectat.

Declarat etiam, quia Carolus quædam omisit in sua coronatione, quæ præstitisset, si coronatus fuisset a Pontifice, nullum jus esse inde acquisitum successoribus Imperatoribus ea omittendi, cum a Pontifice coronabuntur,

D. Aven. II. Cal Febr. P. a. II. a. D. 1355.

Mandatur Carolo ut fidelitatem juret.

INNOCENTIUS VI. Carolo &c. CCXLII. Ad §. 15.

Inc. *Sicut filius, &c.*

DUm Senis erat Carolus, Pontifex ad eum misit juramentum, quod ipse dederat signatum in litteris imperiali sigillo munitis Clementi VI. cum fuit ab illo Rex Romanorum confirmatus, ut illud præstaret, antequam coronaretur, mutato nomine Clementis in Innocentium.

Illud Carolus dabit in manu Episcopi Ostiensis S. A. N. qui erat cum eo, vel si volet in manu Cardinalis Legati, quod erit *per quadruplicatas litteras* faciendum, subscribendumque a Carolo, quas quidem litteras iidem Cardinales ad curiam mittent.

D. ut supra.

De

De consilio Ecclesiæ terras recuperandi grates aguntur Carolo.

CCXLIII. Ib. §. 16. INNOCENTIUS VI. Carolo &c.

Inc. *Dilectus filius, &c.*

GArdinalis Ægidius narravit Carolo multas Ecclesiæ terras occupari, & detineri injuste ab Ecclesiæ inimicis a Malatestis præcipue Ariminum, supplicavitque Carolo, ut juberet eos inde facessere. Consiliarii suadebant Carolo, ut differret in aliam diem responsum. Sed magnanime Carolus respondit, se, non per suos duces, effecturum, ut tyranni loca Ecclesiæ usurpata restituant, idque effecturum etiam armis.

Quod quidem responsum cum significasset Ægidius Pontifici, Pontifex gratias summas Carolo agit de hac voluntate,

in qua ut perstet, eum rogat.

D. Aven. III. Id. Febr. P. a. III. a D. 1355.

Rogatur Carolus, ut pacem inter Reges Galliæ, & Angliæ conciliet.

CCXLIV. Ad an. 130 §. 10. INNOCENTIUS VI. Carolo &c.

Inc. *Tanta fili, &c.*

COnsternationem Regni Galliarum e captivitate Regis sui Joannis ab Eduardo Angliæ Rege factam flebiliter describit Innocentius Carolo.

Verens autem, ne Eduardus victoriæ fructus extendere nimis velit, rogat Carolum ut ad partes Imperii Regno Galliæ finitimas cum suo exercitu accedat cohibiturus progressus ulteriores Eduardi.

Illum etiam rogat, ut annitatur pacem inter eos reges componere de limitibus. Hoc enimvero gloriosum Carolo erit.

Mittit ad eum Legatos AA. quibuscum poterit de illa agere.

D. Aven. V. Non. Oct. P. a. IV. a. D. 1356.

„ Hanc tamen pacem Carolus conciliare non potuit.
„ Hoc anno edidit Carolus in conventu Norimber-
„ gensi celebrem Bullam auream, quæ servatur No-
„ rimbergæ de electione Imperatoris, Regisque Roma-
„ norum.

Gratiæ actæ Carolo de oblato auxilio.

CCXLV. ad an. 1357 §. 3. INNOCENTIUS VI. Carolo &c.

Inc. *Magnificavit, &c.*

„ DUm Rex Joannes captivus erat, Galli in diver-
„ sa studia rapti coitiones inter se iniverant hinc
„ inde, & bona sibi invicem diripiebant, regnumque
„ totum qua stragibus, qua rapinis, qua incendiis de-
„ vastabant.
„ Etiam Curiæ Pontificiæ residenti Avenione mini-
„ tabantur hæ turmæ, summum terrorem Cardinali-
„ bus, familiaribusque Pontificis iniecerant.

Admonitus de hoc Carolus obtulit Pontifici militare præsidium.

Studium igitur Caroli in Vicarium Christi attollit laudibus Innocentius;

Deum rogaturum se semper ait, ut Regem hujusmodi diu sospitem Ecclesiæ suæ servet & incolumem.

Eidem gratias agit de oblato præsidio, quod libentissime Pontifex acceptabit.

D. Aven. VIII. Cal. Aug. P. a. V. a. D. 1357.

Ad Regem de Cleri moribus corrigendis.

CCXLVI. ad an. 1359. §. 2. INNOCENTIUS VI. Carolo &c.

Inc. *Habet fide, &c.*

ACceperat Pontifex, Clericos, aliasque personas Ecclesiasticas in Alemanniæ partibus contra clericalem decentiam vivere, & posthabito vitæ clericali honore se rebus secularibus immiscere;

Audierat etiam Carolum leges edidisse, ut Clerici honeste viverent; alioquin iis minabatur, se sequestraturum reditus eorum beneficiorum.

Laudat Pontifex Imperatoris zelum, qui cum sit princeps Catholicus, debet curare honestatem Clericorum vitæ; sed nollet hanc agendi rationem prætergredi modos in præjudicium prælatorum, ad quos spectat has pœnas infligere.

Quare Clericos male viventes transmitti jubeat ad suos prælatos, ut ita videant omnes eum reverentia Ecclesiasticas personas prosequi

Plura de hoc illi dicet Orator ejus, quem ad illum Pontifex remittit.

D. Aven. XII. Cal. Maji p. a. VII. a. D. 1364.

De pace, & de suo in Italiam itinere.

URBANUS V. Carolo &c. CCXLVII ad an. 1364. §. 11.

Inc. *Nuper venerabili, &c.*

PAx jam composita fuerat inter Ludovicum Hungariæ Regem, & Rodulphum Austriæ Ducem ex una parte, & Carolum Imperatorem ex alia.

„ Turbata fuerat ea pax, quia cum Fratrem suum
„ Carolus fecisset Aquilejensem Patriarcham, quædam
„ bona illius Patriarchatus, quæ tenebant & Ludovi-
„ cus, & Rodulphus volebat Carolus illi restitui.

Miseratque pacis hujusmodi articulos ad Pontificem, qui eos approbat, & summopere Imperatorem laudat.

Illi etiam gratias agit de oblato præsidio, ut posset tutus in Italiam ire.

Seque excusat Pontifex cur nunc illuc progredi non possit. Nimirum prædonum societates circumstabant comitatum Venusinum, & Avenionem, regionesque finitimas divexabant; periculum ergo erat, ne discedente curia, urbes ipsas aggrederentur, & expilarent.

Ceterum se teneri desiderio in Italiam eundi testatur.

D. Aven. X. Cal. Junii P. a. II. a. D. 1364.

Rogatur Carolus, ut componat Rodulphum, & Stephanum Bavarum.

URBANUS V. Carolo &c. CCXLVIII. Ib. §. 18.

Inc. *Didicimus quod, &c.*

„ SUperstes una Margareta restabat e comitibus Ty-
„ roli. Eum comitatum ambiebant Rodulphus Au-
„ striæ Dux, & Stephanus, cum Rodalpho fœdus inie-
„ rat Archiepiscopus Salisburgensis; certabatur etiam
„ de Successione ad Marchionatum Brandeburgensem,
„ vita functo Maynardo Ludovici Marchionis filio, jam-
„ que videbatur Germania tota bello esse arsura.

Pontifex igitur cupiens, ne Christianus effundatur sanguis, Imperatorem rogat, ut ad concordiam discrepantes principes inducat;

Quos ut facilius componere inter se possit, ad illum mittit Episcopum Æsculanum A. S. N.

D. Aven. III. Non. Sept. P. a. II. a. D. 1364.

Consulitur Carolo, ut præcat in Italiam cum exercitu.

URBANUS V. Carolo. CCXLIX. ad an. 1366. §. 26.

Inc. *Venerabiles fratres, &c.*

CUm jam statuisset Pontifex in Italiam proficisci, *in parlamento in Francfordia celebrato*, Carolus consiliam iniit pacis in Italia stabiliendæ; proinde Pontifici scripsit, se iturum cum illo in Italiam, vel præcessurum, ut ipse expedire crediderit.

Pontifex ingentes gratias illi agit;

Tum illi significat, se jam statuisse, *impedimento cessante, de mense Maji proxime futuri arripere iter suum, illudque versus Civitatem Viterbiensem adeo assiduis continuare dietis, quod infra dictum mensem sperat ad civitatem eandem, ubi aliquandiu manere proponit, duce Domino perventurum.*

Tum sibi satius videri, ait Pontifex, si Carolus præcedat, ut infesta viarum tuta sint, prædonesque, qui in Civitate Januensi præcipue sunt, dissipentur.

Dabit Pontifex indulgentias iis omnibus, qui & præcedent, & comitabuntur.

D. Aven. III. Cal. Nov. P. a. IV. a. D. 1366.

„ Marcus Cornelius Dux naves decem pollicitus fuit
„ Pontifici se instructurum; Pontifex quinque tantum fuit

„conten-

„ contentus. Januenſibus, Piſaniſque, qui naves obtu-
„ rant, gratiæ fuerunt actæ.

De oblato auxilio grates aguntur Carolo.

CCL. ad an. 1368. §. 4. URBANUS V. Carolo &c.

Inc. *Bonum nuntium, &c.*

ANtequam iter in Italiam arriperet Imperator (jam in illam venerat Urbanus, licet conventum fuiſſet, ut Imperator prius veniret) miſit ad Pontificem Epiſcopum Curienſem cum litteris, quibus armorum Imperialium potentiam contra Eccleſiæ hoſtes Pontifici addicebat.

Extollit meritis laudibus magnanimitatem hanc Pontifex, qua Imperator oſtendit animum ſuum erga Deum, qui illi tantam potentiam dedit non ut abuteretur, ſed ut in Eccleſiæ, & bonorum defenſionem illam exerceret.

Nunc, ait Pontifex, ſe felicem Eccleſiam vere dicere poteſt, nunc ſe felix imperium, eum illa hoc, hoc illam defendat.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Non. Maji P. a. VI. a. D. 1368.

De damnatione libri Speculum Saxonum *inſcripti.*

CCLI. Ad an. 1372. §. 12. GREGORIUS XI. Carolo &c.

Inc. *Fili cariſſime, &c.*

SIgnificat Gregorius, ſe examinaſſe librum inſcriptum *leges, ſeu ſpeculum Saxonum* (v. t. I. inter libros prohibitos) & juſſiſſe examinari diligenter a Magiſtris in Theologia, & in utroque jure, & in eo *falſa, temeraria, iniqua, injuſta, & quædam hæretica, & ſchiſmatica, & contra bonos mores exiſtentia, periculoſaque nimium animabus ſe reperiiſſe, & ea ſe reprobaſſe, damnaſſe, & decreviſſe irrita.*

Mittit ad Imperatorem condemnationis decretum cum litteris mittendis Archiepiſcopis Imperii, ut illud publicent ad omnium notitiam.

Quare rogat Imperatorem, *quatenus in publicatione dictarum litterarum, & ut pareatur contentis in eis, dignetur pro reverentia Dei, & A. Sedis, & Pontificis & animarum ſalute, & reformatione morum Imperialis, & regalis poteſtatis favorem efficaciter impertiri.*

D. Aven. Id. Oct. P. a. IV. a. D. 1374.

De ſuo deſiderio reſtituendi Sedem Romæ.

CCLII. ad an. 1374. §. 23. GREGORIUS XI. Carolo.

Inc. *Licet noſtræ, &c.*

JAm a ſuæ promotionis ad Pontificatum exordio deſiderio ardebat Gregorius in Italiam proficiſcendi, viſitandique urbem, in qua eſt principaliter Pontificia Sedes, ibique reſidendi. Sed id efficere hactenus non potuit.

Sed cum retardare amplius nolit, ſtatuit menſe Septembri illuc iter arripere.

Putat hanc nuntium lætum accepturum eſſe Imperatorem,

Cujus auxilium poſcit, ut iter tutum faciat, & Romæ tutus reſidcat.

D. Aven. VIII. Id. Oct. P. a. IV. a. D. 1374.

Facultas datur Carolo eligendi per electores filium ſuum VVenceslaum in Regem Romanorum.

CCLIII. ad an. 1376. §. 13. GREGORIUS XI. Carolo Imperatori &c.

Inc. *Benignitate paterna, &c.*

„ PRopagare cupiens Carolus in filium ſuum Impe-
„ rialem dignitatem qua pollicitationibus, qua pre-
„ tio effecit, ut electores promitterent, ſe ejus filium
„ Vvenceslaum electuros eſſe in Regem Romanorum adhuc vivente Patre.

„ Ne Pontifex, cujus jam benevolentiam longe antea ſibi compararat, huic inſolitæ electioni adverſa-
„ retur, ad eum ſcripſit, ſe jam vergere ad ſenium,
„ ſe egere auxilio in adminiſtrando Imperio, quod ſi-
„ delius habere non poteſt niſi a filio, cujus ingenium
„ extollit, qui aſſueſcens a teneris annis conſiliis Pa-
„ tris ſemperque his adhæreſcens & bonum Imperato-
„ rem, & devotum in Eccleſiam filium ſe præbebit.
„ Igitur orat Pontificem, ut hanc filii electionem pro-
„ moveat.

Reſpondet Pontifex Carolo, repetitque quæ jam ſcripſerat Carolus, de ætate Caroli, de auxilio, quo indiget, de virtutibus, ingenioque eligendi Vvenceslai, & præcipue rationem habens diſcordiarum quæ naſci ſolent inter electores, cum eligendus eſt Imperator, quæ tolluntur per electionem Vvenceslai faciendum vivo Patre,

Pontifex, habita matura, diuturnaque conſultatione cum Fratribus, permittit hanc electionem fieri.

Per hoc autem non intendit eiſdem electoribus, vel eorum ſucceſſoribus aliquod jus acquiri, nec Romanæ Eccleſiæ juri, & auctoritati præjudicium generari.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Aven. V. Non. Maji P. a. VI. a. D. 1375.

„ Hæc Æneas Sylvius, qui fuit poſtea Pius II. e
„ familia Picolominea Senenſis Hiſt. Bohemienſ. c. 33.
„ *Clarus profecto Imperator* (Carolus) *niſi Bohemi re-*
„ *gni gloriam magis quam Romani Imperii quæſiviſ-*
„ *ſet. Illud quoque nomini ſuo non parvam inuſſit ma-*
„ *culam, quod Vvenceslaum e filiis ſuis natu majorem*
„ *in Imperio ſibi Succeſſorem adhuc vivens ordinare*
„ *conatus eſt, idque pecunia. Nam cum principes ele-*
„ *ctores haud facile ad eam rem trahi poſſent, quod*
„ *virtute obtinere non potuit, pretio comparavit, pro-*
„ *miſſis cuivis electori centum millibus aureis; quos cum*
„ *repræſentare non poſſet, publica illis Romanæ Reip.*
„ *vectigalia obligavit: perpetuum Imperii malum. Hinc*
„ *Romana poteſtas ad nihilum redacta, nec poſthac at-*
„ *tollere caput Imperium potuit, cum principes electo-*
„ *res omnia ſibi retinerent, Imperatoremque jurejuran-*
„ *do adigerent, ne pignora revocaret.*

Ad Carolum, ut fœdera facta cum hæreticis diſſolvat.

URBANUS VI. ad f. r. m. CCLIV. B.M.p.3. vel t.9. p. 217. lb.p.566. C. C.

Inc. *Inter ſollicitudines &c.*

AUdierat Urbanus, Vvenceslaum Romanorum, & Bohemiæ regem, ejuſque Patrem Carolum Imperatorem feciſſe quædam fœdera cum hæreticis.

Ea Urbanus irritat, & caſſat;

Præcipue cum Imperator ſpoponderit, & jurarit, ſe perſequuturum hæreticos, & Eccleſiam defenſurum.

D. Romæ apud S. Petrum III. Kal. Apr. P. a. IV. a. D. 1382.

Objurgatur Vvenceslaus, quod cum hæreticis fœdus fecerit.

URBANUS VI. Vvenceslao Romanorum, & Bohemiæ regi. CCLV. lb.p.218.

Inc. *Nuper cum, &c.*

GRaviter reprehendit Urbanus Vvenceslaum Romanorum regem, quod confœderationes cum Schiſmaticis, & hæreticis fecerit, confirmaveritque factas a Patre ſuo.

Jam debebat eas diſrumpere, cum audivit, a Pontifice eas fuiſſe improbatas,

Multoque magis debebat reputans, ſe juraſſe futurum defenſorem Catholicæ religionis, hoſtemque hoſtium illius.

Inhibet ergo Urbanus illi, ne eas ſervet; idemque præcipit quibuſcumque, qui cum rege ſtant.

Irritat juramenta, ſi quæ facta ſunt, & pactiones omnes.

D. Romæ apud S. Petrum XV. Cal. Maji P. a. V. a. D. 1383.

De

De Vvenceslai coronatione, & de decimis illi conceſſis.

CCLVI. A. an. 1390. §. 5. BONIFACIUS IX. Ubaldino A.S.N.

Inc. *In laudis &c.*

SCripſerat Imperator Vvenceslaus Bonifacio, ſe venturum Romam, ut coronaretur; ſed quia ingenti pecuniæ vi opus erat, ut ad hoc iter ſe pararet, exhauſtuſque regius theſaurus erat, rogavit eumdem, ut ſibi decimas Eccleſiaſticas concederet.

Quare ad Nuntium ſuum ſcribit Pontifex, illique ſignificat gaudium ſuum ex hoc in Italiam Imperatoris itinere; (ſperabat enim Bonifacius per eum tollendum eſſe ſchiſma, quod Eccleſiam vexabat.)

Tum Nuntio mandat, ut Imperatori ſignificet, eſſe illi conceſſam exactionem decimæ omnium beneficiorum Eccleſiaſticorum exiſtentium in Bohemiæ regno, & in Alemannia, & in omnibus aliis ditionibus eidem ſubditis ad annum unum quam inſumet in expenſis faciundi itineris.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1390.

„ Collectam pecuniam inſumpſit Vvenceslaus in co-
„ meſtationibus, datuſque ſolito torpori nunquam in
„ Italiam venit, ut coronaretur.

„ Cum ſe ebrietati, luxuriæ, crudelitatique, &
„ inertiæ dediſſet omnes Electores coegerunt Mogun-
„ tinum Archiepiſcopum, ut declararet imperium vacans,
„ invitaretque principes ad electionem novi Imperato-
„ ris. Sententia Archiepiſcopi affertur a Raynaldo ad
„ an. 1400. §. 13.

„ Electus fuit Rupertus Comes Palatinus Bavariæ
„ Dux.

Confirmatur Vvenceslai depoſitio, & electio Ruperti.

CCLVII. Ad an. 1403. §. 2. BONIFACIUS IX. Ruperto in Romanorum Regem electo.

Inc. *Pater immenſæ &c.*

UT felices populi viverent, *terram orbem diſpoſuit Deus ſub diſtinctione regnorum*, ita ut populi Regibus parerent, Reges Deo, illi agerent quæ principes jubent, hi quæ ex honeſtate, e conſcientia hauſerunt, imperarent; & ſcirent ſe eſſe a Deo in ea dignitate conſtitutos, ut regimini populorum vacarent. Inter hos rectores primas tenet Pontifex, qui eſt Chriſti Vicarius, & cui Eccleſiæ univerſæ demandata cura eſt. Hinc efficitur, ut *quid magis* populo Chriſtiano *conveniat*, attente circumſpicere debeat.

Urbanus VI. pluries invitavit Vvenceslaum ad accipienda Imperialia inſignia, ut in Italiam progreſſus vi, & armis poſſet extinguere ſchiſma, quo Eccleſia vexatur adhuc. Deſidia vecors Vvenceslaum deterruit ab hoc itinere ſuſcipiendo.

Bonifacius cum primum aſſumptus ad Pontificatum fuit, videretque adhuc vigere ſchiſma, Vvenceslai operam imploravit, ut conaretur Gallos ab obedientia Petri de Luna (Benedicti XIII.) avertere, & ad unitatem Eccleſiæ reducere. Sed iteratæ preces, iterata monita cum uni ſocordiæ addictum non moverunt.

Socordiæ addidit vitia alia infanda, & ignominioſa; effrœnis libidinis, intemperantiæ ſummæ, immanis crudelitatis.

Pertæſi, immo indignati electores ſe caput ejuſmodi habere, convenerunt de abrogando illi imperio, Imperatoremque eligendo;

Impetrataque a Pontifice facultate id agendi *concorditer elegerunt Rupertum Comitem Palatinum Rheni Bavariæ Ducem, eorumque Coelectorem in Regem Romanorum in futurum Imperatorem poſtmodum promovendum*; cui electioni, *digeſta meditatione præhabita, conſenſum ſuum Rupertus præbuit:*

Statim ad Pontificem oratores miſit, qui ejus nomine teſtarentur, eum defenſurum Romanam Eccleſiam, nervos omnes intenturum, ut res imperii ignavia Vvenceslai collapſas reſtituat, & ſchiſma tollat.

Electionem igitur hanc libere, & concorditer factam de principe tam Chriſtiano, tam prudenti, & ſummis virtutibus inſignito Bonifacius confirmat, ejus coronationem faciendam per manus Pontificis illi promittit.

Supplet defectus, ſi qui in electione ejuſdem fuerunt;

Mandatque imperii populis ut Ruperto pareant, *cujuſcumque conditionis exiſtant.*

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Oct. P. a. XIV. a. D. 1403.

Gratulatur Pontifex Sigiſmundo de Coronatione ejus Aquiſgrani facta; invitaturque Conſtantiam.

JOANNES XXIII. Sigiſmundo Romanorum, & Hungariæ, & Bohemiæ Regi. CCLVIII. Ad an. 1413. in actis Concilii.

Inc. *Quia nos &c.*

„ MOrtuo Imperatore Ruperto, mortuoque Jodoco
„ Moraviæ Marchione prope nonagenario Im-
„ peratori creato menſe a ſua electione ſexto ſubro-
„ gatus fuit Sigiſmundus Hungariæ, & Bohemiæ Rex.

„ Ut autem auguſtior haberetur in Concilio Con-
„ ſtantienſi, maturavit coronationem Aquiſgrani ac-
„ cipere.

De hac coronatione gratulatur illi Joannes, eumque merito electum eſſe Imperatorem, ait, propter egregias virtutes, & præcipue pietatem in Deum, zelumque in Catholicam Religionem, quibus erat præditus.

Se nunquam defuturum ejus honori augendo, pollicetur.

Tum eum rogat, ut quamprimum Conſtantiam veniat, quo jam confluxerat numerus ingens Prelatorum, ut ea, quæ ad Eccleſiæ reformationem, pacemque conducere poſſunt, ejus conſiliis peragantur.

D. Conſtantiæ Cal. Dec. P. a. V. a. D. 1414.

Laudatur Imperator, quod ſe devoverit bello in Huſſitas.

MARTINUS V. Sigiſmundo &c. CCLIX. Ad an. 1421. §. 13.

Inc. *Mentem noſtram, &c.*

CUm Huſſite in Bohemiæ regno, licet a Conſtantienſi Concilio damnati fuiſſent, pluresque ſtrages in preliis accepiſſent, a ſuis erroribus diſſeminandis non deſiſterent, ut eos prorſus deleret, ſe Sigiſmundus voto obſtrinxit in eos arma ſumere, nec ea deponere, niſi eſſent prorſus de medio ſublati, jamque ingentes, copias eo præmiſerat, ſeque illi conjunxerat ejus Gener Albertus Auſtriæ Dux, cui in uxorem dederat filiam ſuam Eliſabetham.

Laudat ſummis laudibus pietatem Imperatoris Martinus;

Illique currenti ſtimulos addit nominis æterni famæ ſibi comparandæ, ſpei felicium eventuum, ſpei præmii ſummi in altera vita a Deo conſequendi, cujus cauſam tam ſtrenue propugnandam ſuſcipit.

D. Romæ apud S. Petrum Id. Apr. P. a. IV. a. D. 1421.

De eodem argumento.

MARTINUS V. Sigiſmundo &c. CCLX. Ad an. 1422. §. 19.

Inc. *Quamvis non dubitemus &c.*

NOrimbergæ celebrandus erat conventus Germaniæ principum, in quo agendum erat de pluribus, graviſſimiſque negotiis.

Martinus Sigiſmundum rogat, ut urgeat apud principes negotium liberandæ Bohemiæ ab hæreſi, quoniam jam videt, Deum illi victorias dare, & Marchionatum Moraviæ eſſe fere totum liberatum, ſanatumque.

Ne permittat, hæreticos Huſſitas ſævire tyrannice, & immaniter in Catholicos, qui adeo fidi Regi ſunt.

Armis ſunt contundendi, in eos accendendi ſunt Germaniæ principes præcipue Bohemiæ regno finitimi, ne permittant hæreſis in ſuas ditiones ſerpere; habet enim hoc hæreſis, ut a cultoribus ſuis ſervitutis, &

obe-

obedientiæ, & reverentiæ, qua principes ſunt colendi, jugum excutiant. Quare ſi regnare volunt, hæreſim deſtruant, iis proponat Sigiſmundus, non tam cauſam Dei in reprimendis Huſſitis a principibus defendi, quam ſuam propugnari.

D. Romæ apud S. Petrum Id. Febr. P. a. V. a. D. 1422.

„ In eo conventu Septemviri ſtatuerunt bellum in „ Huſſitas, quos imitari & reliqui Germaniæ principes „ promiſerunt.

De Polono, & Lithuano paratis in Huſſitas arma movere.

CCLXI. Ad an. 1424. Parag. 8. MARTINUS V. Sigiſmundo, &c.

Inc. *Superiori ineunte, &c.*

„ PRomiſerant, & jam contraxerant ſuperiore æſtate copias, Rex Poloniæ, Lithuaniæ Dux, & etiam Daniæ Rex claſſem paraverat, ſe conjuncturos vires ſuas cum Sigiſmundo ad opprimendos Huſſitas. Incedebat lætitiis omnibus ad hunc nuntium Pontifex; multoque magis auctum fuit ejus gaudium, cum fama detulit, etiam Albertum Auſtriæ Ducem, & Marchiones Miſnenſes in Moraviam deſcendiſſe.

Sed hæc omnia in irritum ceſſerunt, nullique, ſeſe moverunt reges; ita ut Germaniæ principes in ſuſpicionem hæreſis fovendæ inciderint; vel ſaltem offenderint, ſe vel non poſſe, vel nolle eos extinguere.

Quare tota belli moles in Sigiſmundum incumbit, ad quod agendum & ut rex Bohemiæ, & ut Imperator ſe accingere debet.

Illud ergo ſtrenue ſuſcipiat nec arma deponat, donec eos prorſus deleverit. Nimium diu jam tolerati ſunt; nimia ſunt eorum crimina, ut ferri amplius poſſint.

Significat Imperatori, ſe & ſacrum Senenſe Concilium ad Regem Poloniæ, & Ducem Lithuaniæ ſcribere, ut illi opem ferant.

Interim Sigiſmundus eos aggrediatur, de iis opprimendis non deſperet, cum contra illos Deus pro illo pugnaturus ſit.

D. Romæ apud S. Petrum XVI. Cal. Mar. P. a. VII. a. D. 1424.

Impediat Imperator certamen inter Ducem Burgundiæ, & Ducem Gloceſtriæ.

CCLXII. Ad an. 1431. Parag. 9. MARTINUS V. Sigiſmundo, &c.

Inc. *Magno cum, &c.*

„ JAcoba ſuperſtes una patris ſui Joannis Bavari in „ matrimonio collocata cum Brabantino duce, ſecum „ hereditate traxerat Hannoniam, Hollandiam, & Ze„ landiam. Patre defuncto cauſata ſibi vim illatam, „ ut nuptias cum Brabantino contraheret, fictiſque lit„ teris Martini V. eam ab his nuptiis ſolventis con„ jugium fecerat cum Duce Gloceſtriæ, qui copiis con„ tractis aggreſſus eſt Brabantinum, ut uxoris provin„ cias recuperaret. Burgundiæ Dux Philippus ſuppetias „ Brabantino dedit. Qua de re indignatus Humfridus „ Gloceſtriæ Dux eum ad certamen ſingulare provo„ cavit, quia provincias recuperare non potuit.

Cum hoc audiſſet Pontifex, ad Imperatorem, regeſque, alioſque principes ſcripſit, ne locum in ſuis ditionibus iis certantibus darent;

I. Quia *hoc deteſtabile pugnæ genus omni divino, & humano jure damnatum eſt, & fidelibus interdictum*,

II. Quia privatur æterna ſalute quicunque in tali pugna decedit,

III. Quia nemo poteſt corpus, & vitam projicere, *quam tenemur ad mandatum Dei omni ſtudio conſervare*;

IV. *Quia in duello ſperari non debet honeſta defenſio honoris, & famæ; nam ſæpe compertum eſt ſuperatum fovere juſtitiam*;

V. Quia *veritas ex duello haberi non poteſt, in quo inimicus veritatis diabolus dominatur*,

VI. Quia *eſſet horribile, & infame ſpectaculum videre duos catholicos principes de regio ſanguine procreatos veluti gladiatores gentilitatis, quæ ignoravit veram religionem, & legem Dei, in arena certare.*

Ut ergo hanc pugnam tollat Martinus, præcipit Imperatori, & principibus ſub ſtrictæ obedientiæ præcepto mandat, ne eos pugnantes in ſuos ſtatus admittant, ne pugnaturis locum præbeant, ſed eos ad pacem componant.

D. Romæ apud SS. Apoſtolos III. Cal. Maji P. a. VIII. a. D. 1425.

„ Interea Martinus, Jacobam juſto matrimonio cum „ Brabantino fuiſſe copulatam pronuntiavit, quæ tamen a bello in maritum non abſtitit.

De colloquio habendo cum Imperatore.

EUGENIUS IV. Sigiſmundo, &c. CCLXIII. Ad an. 1433. §. 13.

Inc. *Ex litteris, &c.*

„ SEnas advenerat Sigiſmundus accepturus coronatio„ nem, & pacem compoſiturus in Italia, quam ut „ conciliaret, Cardinali Legato dixerat, ſe maximopere „ cupere cum Pontifice loqui. Cardinalis hæc ſcripſit „ Pontifici, qui plures conditiones propoſuerat de ho„ minibus ducendis ſecum, de eorum qualitate, & nu„ mero, de ejus adventu in urbem, de receſſu, deque „ aliis talibus, quas Imperator cum accepiſſet,

Illi Pontifex ſcribit, ſibi nihil gratius accidere poſſe quam hoc cum Sigiſmundo colloquium, ex quo prævidet plura emolumenta eſſe in Eccleſiam, & in Italiam redundatura.

Et quoniam mens Imperatoris ad pacem tendit, tenditque eodem Pontifex, facile convenire uterque poterit.

Eum igitur orat ut quamprimum ad urbem accedat.

D. Romæ Cal. Apr. P. a. II. a. D. 1433.

„ Die vigeſima ſexta ejuſdem menſis pax compoſi„ ta fuit his legibus, ut Philippus Maria Mediolani „ Dux reſtitueret Venetis arces, quas in agro Bergo„ menſi occuparat, alias reſtitueret Duci Montisferrati „ intra duos menſes, & Florentinis Piſanum comita„ tum intra menſem: Senenſes, & Florentini ſibi in„ vicem uſurpata reſtituerent. Diſſidia inter Sigiſmun„ dum, & Venetos ſopita fuerunt in induciis quinquen„ nalibus inter ſe factis.

Rogatur Imperator ut factioſos coerceat.

EUGENIUS IV. Sigiſmundo, &c. CCLXIV. Ad an. 1433. Par. 26.

Inc. *Sumus certi, &c.*

CUm ægre ferre poſſet Mediolani Dux reſtitutionem tot locorum a ſe captorum, digreſſo ex Italia cum ſuo exercitu Imperatore, & Franciſcus Sforcia fere totam Marchiam Anconitanam ceperat, & alii Duces Ducatum Spoletanum occuparant, ajentes ſe eſſe commiſſarios ejuſdem Vicarii a ſacro oecumenico concilio conſtituti.

Queritur de hac occupatione Eugenius; Sigiſmundumque rogat, ut quoniam Eccleſiæ defenſor eſt, ejus defenſionem ſuſcipiat, & jubeat invaſores ſecedere e terris Eccleſiæ occupatis.

D. Romæ III. Id. Oct. P. a. III. a. 1433.

De Concilii decreto approbato.

EUGENIUS IV. Sigiſmundo, &c. CCLXV. Ad an. 1434. Parag. 3.

Inc. *Vidimus libenter, &c.*

APprobarat Pontifex Concilium Baſileenſe quaſi nunquam diſſolutum fuiſſet, ejuſque continuationem, Revocaverat etiam omnes cenſuras, omneſque proceſſus jactas, factoſque contra non parentes.

Hoc ſe feciſſe ſcribit Eugenius Imperatori ad ejuſdem principis, & ad Regis Galliarum preces, ut oſtenderet, ſe revera unitati, & paci Eccleſiæ ſtudere.

Tum rogat Imperatorem ut velit Romanam Eccleſiam, Pontificemque in ſua dignitate ſervare contra factioſos, qui vellent illam, & hunc deprimere.

D. Romæ pridie Id. Jan. P. a. III. a. D. 1434.

Grates aguntur Imperatori, quod cauſam Eccleſiæ contra Ducem Mediolani ſuſceperit.

cclxvi. Ab. §. 7. EUGENIUS IV. Sigiſmundo, &c.

Inc. *Agamus gratias, &c.*

ADmonitus a Pontifice Sigiſmundus, Ducis Mediolani exercitum tot urbes Eccleſiæ occupaſſe, ad illum oratores miſit, ut eas reſtitueret, & a bello incœpto deſiſteret.

Dux protulit litteras, quas dicebat, ſe a Concilio accepiſſe, a quo jubebatur eas occupare.

Pontifex gratias Imperatori agit, quod cauſam Eccleſiæ ſuſcepiſſet, eamque defendiſſet;

Tum conſulit Sigiſmundo, optimum fore factu, ſi nomine Concilii ſcriberetur eidem Duci, ut a bello abſtineret, & ut reſtitueret occupata loca.

Se, Eccleſiamque Imperatori commendat.

D. Romæ XVII. Cal. Febr. P. a. III. a. D. 1434.

De unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina.

cclxvii. Ad an. 1437. §. 10. EUGENIUS IV. Sigiſmundo, &c.

Inc. *Venerabilis frater, &c.*

SIgnificat Pontifex Sigiſmundo veniſſe ad ſe oratores Concilii Baſileenſis, cui pergrata eſt conjunctio Eccleſiæ orientalis cum occidentali:

Veniſſe etiam oratores Florentinos, qui renuntiarunt omnia futura diſpoſita in ſua urbe, quæ erunt neceſſaria,

Se ſimul cum legatis concilii miſſurum alios duos oratores ad Imperatorem Græcorum pro hac conjunctione ſtatuenda.

D. Bononiæ VII. Id. Junii P. a. VII. a. D. 1437.

De Rege Poloniæ ad pacem ſollicitato.

cclxviii. Ad an. 1438. §. 22. EUGENIUS IV. Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Regi.

Inc. *Pridem intellecto, &c.*

„ ANno vigeſimo ſeptimo ſui Imperii defuncto Si„ giſmundo ſucceſſit gener Albertus Auſtriæ Dux „ in Imperium electus, & jure hereditario uxoris in „ regno Hungariæ, & Bohemiæ.

Jam acceperat Eugenius VVladislaum Poloniæ regem quaſdam copias in regnum Bohemiæ miſiſſe.

Verens Pontifex ne id bellum excitare poſſet magno cum rei chriſtianæ detrimento miſit ad eundem Polonum litteras, quarum copiam includit in his litteris ad Albertum, ut eum hortaretur ad pacem.

Ad eandem pacem hortatur etiam Albertum *propter bonum publicum chriſtianorum, quorum maximam curam habere debet.*

D. Ferrariæ VI. Id. Jul. P. a. VIII. a. D. 1438.

Gratulatio de Alberti electione in Imperatorem.

cclxix. Ib. §. 23. EUGENIUS IV. Alberto, &c.

Inc. *Maximam in Domino, &c.*

MAximam ſe percepiſſe lætitiam ex Alberti electione eidem ſignificat Eugenius.

Innumera ſiquidem ex ejus prudentia, experientia, probitate, & religione redundatura eſſe in Eccleſiam, & in Imperium bona ſperat.

Videt quæ mala Eccleſiam circumſtent, ejus eſt illa evertere. Meminerit, ſe a Deo accepiſſe tot regna, ut eorum vires cauſæ Dei, & Eccleſiæ ſacrificet. Colat juſtitiam omnium virtutum reginam.

Hæc ad illum ſcribit caritate patria ductus tanquam ad filium, non quia de illius virtute dubitet, ſed ut ex his arguat quantum eum amet.

Illi ſemper Pontifex orationibus ſuis ad Deum fuſis aſſiſtet; ſeque *offert paratum, & promptum juxta commodum ſuæ imbecillitatis ad obſequendum ejus ſerenitati.*

D. Ferrariæ. Deſunt notæ. 1438.

Monetur Albertus, ut ſtrenue Eccleſiam defendat.

EUGENIUS IV. Alberto, &c. cclxx. Ad an. 1439. §. 22.

Inc. *Revertente ad nos, &c.*

„ PSeudo-Cardinalis Arelatenſis, in conciliabulo Baſi„ leenſi fretus multitudine minorum ſacerdotum „ tyrannidem occupaverat, & omnia contra Pontifi„ cem, & Concilium Florentinum agebat.

„ Confugit Pontifex ad Albertum, qui reſpondit, ſe „ non poſſe aperte Pontificem defendere contra Are„ latenſem; ſi enim id ageret non poſſet eſſe concor„ diæ interpres.

Pontifex Albertum modeſte arguit de hac negligentia in defendenda Eccleſia. Cum enim videat Eccleſiam immerito oppugnari, nullam aliam rationem habere debet quam ejus defenſionis. Hoc ejus munus requirit.

Non ita a Cæſare meruit Pontifex, qui nullum laborem prætermiſit, ut ei hoſtes conciliaret, ut in ejus auxilium contra Turcas excitaret principes, qui ſubſidia ad illum miſit.

Jam nimis diu Eccleſiam ſchiſma affligit, quam ut diſſimulare defenſor primus Eccleſiæ debeat, poſſitque.

Hæreſis pura putaque hæc eſt, quæ ſub ſpecie reſtituendæ eccleſiaſticæ diſciplinæ jactatur; paulatimque ſerpet per omnes populos, eoſque inficiet, ita ut nullum amplius remedium ſit inveniendum.

Eam igitur eliminet Albertus nondum viribus magnis firmatam.

Quod ſi reponent adverſarii, ſe ab Eccleſia gravari, *ad omnia rationabilia, atque honeſta, cum devote, & reverenter, ut decet, fuerit requiſita*, illa deſcendet.

D. Florentiæ IX. Cal. Maji P. a. IX. a. D. 1439.

De eodem argumento.

EUGENIUS IV. Alberto, &c. cclxxi. Ib. §. 23.

Inc. *Cum ad nos, &c.*

SIgnificat Eugenius Imperatori oratorem Gallum retuliſſe, ſe a ſuo Rege miſſum fuiſſe ad illum, ut eum moveret ad tollendum ſchiſma, ſed cum illum non reperiſſet, quia profectus erat in Hungariam, colloquutum fuiſſe cum Friderico ſeniori Duce Auſtriæ, qui ſenſit, eſſe Baſileenſe ſchiſma omnino tollendum.

Quare rogat Albertum Pontifex ne ſegnis in hoc negotio eſſe velit; ſed ſuſcipiat Eccleſiæ defenſionem, & ab iis turbulentis hominibus eam propugnet.

Scit Pontifex multitudinem gravium negotiorum peragendorum ab illo, ſed non ideo cauſa Dei Eccleſiæ cauſa eſt prætereunda. Promovebit pax hæc Eccleſiæ ab illo facta pacem etiam cum hoſtibus fidei, quibuſcum bellum gerit, defenſuſque ab illo Deus eum ab aliis defendet.

D. Florentiæ IV. Non. Jul. P. a. IX. a. D. 1439.

„ Poſt annum unum, menſeſque quinque ſui imperii „ defunctus eſt Albertus: electuſque fuit Fridericus III. „ vel potius V. Dux Auſtriæ filius Erneſti & demor„ tui Alberti patruelis annum agens XXVI. in cujus „ poſteritate imperialis dignitas firmata eſt. Albertus „ reliquit filium poſthumum Ladislaum, qui fuit Hun„ gariæ Rex.

Mandata data Nunciis Ap. ituris ad electionem Imperatoris Francfurtum.

EUGENIUS IV. Nunciis ſuis, &c. cclxxii. b. M. p. 3. vel t. 9. p. 240.

Inc. *Accepimus litteras, &c.*

MOrtuo Alberto Duce Auſtriæ Imperatore, qui fuerat ſuffectus Sigiſmundo, Electores de more convenerant Francfurtum pro electione alterius.

Miſsurus eo Pontifex Nuntios ſuos *Nicolaum de Cuſa præpoſitum Monaſterii in Meynfelt, & Jacobum de Oratoribus canonicum Ferrarienſem* dat iis mandata, quæ ibi exequantur, ſuntque hæc,

Ut promoveri curent ad eam dignitatem virum amantem religionis Catholicæ,

Gratulentur cum electo de dignitate,

Perſuadeant electo, ut confirmationem ſuæ electionis a S. Sede petat;

Instruant Germaniæ principes *de artibus, quibus nefarie usus Sabaudiæ Dux* (is erat Amadeus creatus Antipapa a concilio Basileensi sub nomine Felicis V.) *in idolum effigi quæsiverit a Basileensi pravitate.*

Exponant, quid ipse egerit pro unione Ecclesiarum orientalis, & occidentalis.

Subsidia narrent Græcis a se missa post factam unionem contra Turcas;

Certiores principes faciant de periculis, quæ Hungariæ regno imminent per mortem Sigismundi a Barbaris,

Sed præcipue inculcent Imperatorem debere esse primum Ecclesiæ defensorem.

Scribant Romam quam citissime, quæ ibi digna scitu viderint, & audierint.

D. Florentiæ IV. Id. Jann. P. a. IX. a. D. 1439.

Ex eo quod Fridericus Mediolani coronatus non fuerit, nullum præjudicium illi Ecclesiæ generari debet.

cclxxiii. Ad an. 1452. Parag. 2. NICOLAUS V. ad p. r. m.

Inc. *Cum carissimus, &c.*

JAm in animo erat Friderico venienti Romam coronando a Pontifice Mediolanum se conferre, ut ibidem corona ferrea coronaretur ab illius Ecclesiæ Archiepiscopo. Sed cum sciviſſet, notumque omnibus esset, pestem in Insubria grassari maturavit Romam venire.

Testatur etgo Pontifex, se huic defectui suppleturum; ipse enim corona ferrea eum insigniet, cum omnibus ornamentis, honoribus, & privilegiis huic coronationi annexis.

Vult, ne quisquam de hac coronatione dubitet, ne quisquam dubitet ideo minus esse Fridericum Imperatorem;

Decernit etiam nullum præjudicium ex hac prætermissione redundare debere in Ecclesiam Mediolanensem circa jus coronandi corona ferrea Imperatorem.

D. Romæ apud S. Petrum XVII. Cal. Apr. P. a. V. a. D. 1452.

„ Vera causa cur coronari Modoetiæ noluerit Fri„ dericus, hæc fuit, ne cogeretur Ducatu Mediolanen„ si, quem invaserat, & occuparat Franciscus Sfortia, „ illum investire.

Coronatio ejusdem Friderici Romæ facta.

cclxxiv. B.M. t. 1. p. 361. B.R. t. 3. p. 3. p. 69. C.C. NICOLAUS V. ad p. r. m.

Inc. *Imperator æternus, &c.*

RExerat Imperium per annos duodecim summa cum prudentia, & gravitate Fridericus, cum Romam petiit, ut coronaretur.

Ejus inunctio facta fuit per Franciscum Cardinalem Episcopum Portuensem de mandato Pontificis;

Coronatio per Pontificem.

Præstitit Imperator solitum fidelitatis, & obedientiæ juramentum.

D. Romæ apud S. Petrum XIV. Cal. Apr. P. a. VI. a. D. 1452.

Hortatio ad Fridericum, ut opituletur Ladislao Hungariæ Regi contra Turcas.

cclxxv. Ad an. 1456. Parag. 16. CALLISTUS III. Friderico, &c.

Inc. *Quanquam plurimum, &c.*

„ DEleverant orientale Imperium Turcæ, ejusque „ sede Bizantio potiti fuerant.

„ Animis ergo majoribus sumptis, valentiores facti „ jam aggredi Hungariam parabant, oppugnabantque „ Belgradum.

„ Pontifex, ut ex ea oppugnatione illos averteret „ classem miserat, quæ oras maritimas Turcarum depo„ pularetur; tum scripsit ad Catholicos principes, ut „ eos in Turcas accenderet, quæ litteræ cum sint „ ejusdem argumenti has tantum, & eas, quas Regi „ Franciæ scripsit, attingere placuit.

Ergo Friderico scribit de suo ardentissimo desiderio delendi Turcas, illi obviam eundi, si dignitas, si ætas pateretur;

Se scribere Imperatori, qui cum sit primus inter Catholicos principes, primus inter Ecclesiæ patronos ad eum spectat aliis principibus exemplum dare.

Ne permittat cædes tantas Christianorum fieri, tantam Christiani orbis partem sub impurissimo hoste gemere;

Præripiat ex hostium manibus victoriam, ne sinat eos in christianam Religionem debacchari impune, &c.

D. Romæ apud S. Petrum P. a. II. a. D. 1456.

„ Turcæ victi fuerunt; magnaque eorum facta stra„ ges est, repulsique a Belgrado, Duce Joanne Hu„ niade, accendente milites S. Joanne a Capistrano Fra„ tre Minorita. Post eam victoriam mortuo B. Joan„ ne missus fuit ad exercitum S. Jacobus e Marchia „ ejusdem ordinis.

Ad pacem cum Hungariæ rege excitatur Imperator.

CALLISTUS III. Friderico, &c. cclxxvi. Ad an. 1457. §. 9.

Inc. *Quia discordia, &c.*

„ JAmdiu bellum ardebat Fridericum inter, & La„ dislaum Hungariæ regem, quia se putabat junior „ Ladislaus læsus in quibusdam bonis ab Imperatore; „ in cujus tutela fuerat, odiumque in illum adeo ex„ creverat, ut Friderico pararit insidias. Quare sæpius „ inter eos pugnatum est, totusque Austriæ Ducatus „ fuit vastatus ferro, flammaque.

„ Hæc discordia Turcis addebat animos, spatiumque „ reparandi exercitum accepta strage imminutum. „ Quod Pontifex videns Friderico scribit,

Desistat a bello inito contra sanguinem suum gerendo in paternis campis, communium subditorum sanguine gerendo infelici, sive victor existat, seu victus;

Et quoniam primus advocatus Ecclesiæ est, arma in Turcas convertat,

Quos videt orientalis imperii dominos consilia moliri, quomodo Hungariæ regno victo etiam occidentale evertant;

Bono publico, cui natus est, electusque a Deo curando postponat privatas rationes; neque pati velit christianæ Reip. fundamenta corruere;

Frustra sperat, Hungaria victa se posse resistere Turcis; conjungat vires suas cum copiis Ladislai, & concordibus animis, armisque in Turcas exultantes arma ferat. Hæc una eos vincendi ratio, &c.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1457.

Germanorum querela in Pontificem confutantur.

CALLISTUS III. Friderico, &c. cclxxvii. Ib. §. 40.

Inc. *Audivimus rumorem, &c.*

„ PEr totum orbem christianum indixerat Callistus „ exactionem decimarum e bonis Ecclesiasticis, „ ut pararet classem in Turcas, quam & paravit quin„ decim navium. Germani detrectantes in Turcas ar„ ma ferre vulgarant in suos usus Callistum conver„ tisse eas decimarum pecunias. Inter primos, qui „ hæc dicerent, erat Archiepiscopus Moguntinus, cui „ Pontifex scripsit rumorem hunc confutans; quæ lit„ teræ quia similes sunt harum Imperatori scriptarum, „ prætermisse a nobis sunt.

Ac primum quidem, ait, se a beneficiatis a se provisis nihil quocunque titulo exegisse, ut Germani garriunt, *præter annatam vetusto jure debitam;* se tamen non recusasse pecuniaria subsidia in Turcas sponte oblata, nec enim ea debuisse rejicere;

Eas pecunias se non condidisse in ærario, sed partim misisse ad Legatum Pontificiæ classis contra Turcas, partim in Albaniam ad Scanderbechum indefessum bellatorem;

Fructum harum expensarum fuisse victoriam relatam in Hungaria de Turcis, eorum depulsionem ex eo regno; Rhodi conservationem, Cyprum, Mytilenem, Chium aliasque insulas defensas, victoriam maritimam reportatam e classe Turcica, & aliquot naves ex ea captas;

Si Albania non fuit a Turcis superata, sed a Schanderbecho defensa, Pontifici attribuendum esse, qui pecuniaria subsidia identidem mittens id effecit.

Nullam utilitatem ex his laboribus, ex his victoriis in Pontificem redundare, sed in principes.

Sed non sunt hæc onera, quæ nos soli portare queamus, vel Sedes Apost. valeat per seipsam tolerare, facimus tamen quod possumus, & quiescentibus aliis, qui nobis auxilio esse deberent, instamus, acceleramus, urgemus, nihil omittimus ex iis, quæ facultates nostræ permittunt; necessaria nobis detrahimus, ut incumbenti necessitati pro parte nobis possibili subveniamus, &c.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1457.

„ Æneas Picolomineus Cardinalis, postea Pius II. „ plures litteras pro Callisto scripsit.

Excitatur Imperator ad concordiam cum Hungaro ineundam.

cclxxviii. Ad an. 1459. §. 15. PIUS II. Friderico &c.

Inc. *Quotidianis nuntiis, &c.*

„ NOn omnes Hungari favebant Regi Matthiæ Hu„ niadis filio ad Regnum assumpto, causamque „ inobedientiæ afferebant, quia non fuerat coronatus „ diademate Stephani, quod Fridericus tenebat, & „ quidam seditiosi eum excitabant, ut armis illud re„ gnum sibi vindicaret, quod fuerat ab Alberto, & a „ Ladislao Domus Austriacæ sanguine prognatis pos„ sessum.

Has turbas has conjurationes Pius sciens, Imperatori persuadere studet, ne bellum in Matthiam moveat.

I. Turcæ exercitum ingentem paratum habent in Hungariæ finibus, si Fridericus bellum Matthiæ infert, eum movent in Hungariam Turcæ. Actum est de illo Regno. Turcæ enim illud occupabunt, cum non possit Matthias duobus hostilibus exercitibus resistere;

II. Turcæ Hungaria potiti facile in Imperium descendent potentiores facti e viribus Hungariæ.

III. Quare expedit Friderico Matthiam fortem esse; sic etenim obstabit Turcis, ne in Germaniam descendant.

IV. Fieri etiam potest, ut Matthias contra Fridericum fœdus cum Turcis faciat, iisque per Hungariam aditum in Germaniam permittat; utrique exercitui certe impar erit Fridericus.

V. Utcunque res futura sit, vel vincant Turcæ Matthiam, vel Matthias cum Turcis fœdus ineat, periculum Friderico imminet, gravissimamque sui nominis jacturam facit; videbitur enim aut ex composito cum Turca egisse, ut amitteretur Hungariæ Regnum, quo quid turpius? Vel non prævidisse, quid Matthias agere posset, ut a Turcis se liberaret, quo quid imprudentius?

Quod si concordiam cum Matthia faciat & consulit Religioni, quæ in Hungariæ Regno conservabitur, quod aggredi Turcæ non audebunt, & consulet Imperio, quod validissimum contra Turcas propugnaculum habebit Hungaria.

Ne audiat igitur turbulentos quosdam homines, qui modo aliquid se lucrari posse sperent, nil curant aliud.

D. Senis Die II. Apr. P. a. I. a. D. 1459.

Suadetur Imperatori ut permittat eligi in supremum exercitus in Turcas Ducem Electorem Palatinum.

cclxxix. ad an. 1460. §. 89 PIUS II. Friderico &c.

Inc. *In conventu, &c.*

CUm domesticis curis distineretur Fridericus, qui electus in conventu Mantuano fœderati exercitus in Turcas Dux supremus fuerat, & videretur ejus regimen suscipere non posse,

Illi consulit Pius, ut alium eligat, qui nomine Pontificis, & Imperatoris exercitui præsit.

Optimus visus est Pontifici Comes Palatinus, est illi *militaris peritia, est ad opus ipsum affectio, est denique in Alemannia auctoritas multa.* Quare spes esset, fore ut eo præsidente res e sententia geri possent.

Quoniam in ore est omnium hæc expeditio Mantuæ decreta, nimiam sui nominis jacturam Fridericus faceret, si nullum haberet exitum. Si curæ domesticæ a

publicis eum avocant, eligat alium, cui publicas peragendas committat.

D. Romæ Die XI. Oct. P. a. III. a. D. 1460.

Gratulatio de pace facta cum Hungariæ Rege, & de pace Italiæ.

PAULUS II. Friderico. cclxxx. ad an. 1471. §. 12.

Inc. *Intelligentes, &c.*

PAcem inierat Fridericus cum Hungariæ Rege.

De hac pace summopere gratulatur Pontifex, tum quia Turcæ magis continebantur, cum videant Matthiam liberum a bello cum Imperatore, tum quia Matthias validius Bohemos hæreticos totis viribus impugnabit.

Deinde certiorem facit Imperatorem Italiæ principes pacem inter se fecisse, licet multum desudatum in ea concilianda a Pontifice fuerit.

Eum demum hortatur, ut quoniam pace fruitur, copias suas paratas habeat conjungendas cum Hungaro, si forte a Turca impugnabitur.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIV. Jan. P. a. VII. a. D. 1471.

Hungariæ Regi auxilietur Imperator.

SIXTUS IV. Friderico, cclxxxi. ad an. 1483. §. 13.

Inc. *Oppugnabatur &c.*

VIctorinus filius Georgii Bohemiæ Regis Fridericum oppugnabat, cinctumque tenebat obsidione, ita ut evadere non posset.

Matthias Hungariæ Rex eo cum exercitu advolavit, in fugam conjecit Victorinum, vindicavitque in libertatem Fridericum.

Vertit igitur arma Victorinus in Matthiam, a quo prærepta sibi e manibus fuerat victoria certa.

Exstimulat igitur Sixtus Imperatorem, ut Matthiæ, qui ejus causa hoc bello se irretierat, opem ferat. Id requirit justitia, id requirit honestas, id gratus animus expostulat.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Mar. P. a. II. a. D. 1473.

Gratulatio de electione Maximiliani in Regem Romanorum.

INNOCENTIUS VIII. Friderico, cclxxxii. Lib. 2. Brev.

Inc. *Magnum nobis, &c.*

„ FRidericus inter belli clades, quas maximas ab „ Hungaro acceperat, a quo etiam Vienna spo„ liatus fuerat, hoc habuit solatium, ut videret filium „ suum Maximilianum annos agentem 28. electum Ro„ manorum Regem. Huic electioni non interfuit Rex „ Bohemiæ, de qua re questus est ad Pontificem.

Ex hac electione se maximum percepisse gaudium, significat Friderico Innocentius; lætatur non tantum quod Fridericum amore prosequitur, quantum quia sperat in Maximiliano renatum Ecclesiæ advocatum defensoremque ejusmodi, qualis hactenus Fridericus fuit.

Remittit ad eum Oratorem, qui sensa animi Pontificis illi aperiet, exponetque quam vere lætatus fuerit ad eum nuntium.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVI. Mar. P. a. II. a. D. 1486.

Gratulatus est etiam litteris Pontifex de obtenta dignitate Maximiliano.

Mittitur Legatus ad Imperatorem, & Germanos, ut accendantur in Carolum VIII. Galliarum Regem.

ALEXANDER VI. Leonello Episcopo Concordiensi A. S. L. ad Maximilianum, & universos Germaniæ Principes. cclxxxiii. ad an. 1495. §. 14.

Inc. *Licet potestatis, &c.*

CUm Ecclesia inter patronos suos habeat Cæsarem primum, ut ab iis angustiis, in quibus versatur,

& ab iis injuriis quas est passa liberetur, ad eum jure ac merito confugit, sperans, eum memorem sui muneris, memoremque dati juramenti, non permissurum, eam diutius affligi.

Monetur ergo prædictus Legatus Maximiliano significare Carolum Francorum Regem cum maximo exercitu terra marique in Italiam descendisse, aggressum fuisse Regnum Siciliæ citra Pharum, quod est speciale patrimonium Ecclesiæ; illudque occupasse;

Eum sæpe per litteras, per nuntios a Pontifice commonitum, ne Ecclesiæ jura violaret, noluisse ab incœpto desistere;

Exposuisse Pontificem illi mala ingentia, quæ ex hoc bello in Ecclesiam redundatura erant; nam Turcæ audaciores facti aliquam christiani orbis partem invasissent nihil timentes, cum viderent præcipuos principes Christianos inter se bellantes acerrime;

Fuisse ad illum missum Cardinalem Legatum, cui rationes suas exponeret, & quæ in Regnum Siciliæ jura haberet, ut ex æquo, & bono res componerentur; sed fuisse a rege rejectum;

Ingressum fuisse urbem Romam laborantem annona cum suo exercitu, magno cum Ecclesiæ dispendio, & antequam egrederetur, extorsisse e manibus Pontificis Zizimum fratrem Bajazetis Turcarum Domini; qui etiam apud regem mortuus est, *ex cujus obitu perdidit Christiana Religio opportunum contra Turcarum in Christianos efferatam rabiem remedium*; duas etiam e potioribus Ecclesiæ urbes voluisse sibi tradi;

Bonam partem Regni, eunte illo in Galliam, fuisse recuperatam quidem; sed tamen in gravissimum periculum adductam fuisse Italiam universam, ne Turca eam aggrederetur; Regem Aragonium, & Reginam Castellæ bellum jam motum in Afros suspendisse, cum nescirent, quo Carolus esset se conversurus; usurpatas fuisse Florentinis ab illo urbes, libertatem ejus Reip. pene oppressam;

Confugere ergo Ecclesiam, confugere Italiam ad Maximilianum, ad Germaniæ principes, opem implorare ab iis utramque, tendere ad eos manus supplices; bellum Gallo indicant, nolint tot injurias impunes &c.

Tum eidem Legato mandat, ut sacram expeditionem in Turcas proponat, & censuras in eos expediat, qui illam vellent impedire.

D. Romæ apud S. Petrum VII. Cal. Nov. P. a. IV. a. D. 1497.

„ Eadem scripsit Regi Hispaniarum Alexander, „ eumque in Gallum exstimulavit.

De Cardinalibus schismaticis reconciliatis.

cclxxxiv. ad an. 1513. Paragr. 50.

LEO X. Maximiliano.

Inc. *Heri quemadmodum, &c.*

„ INdixerat Ludovicus Concilium Pisas contra Julium „ II. per quosdam Cardinales suarum partium fau„ diosos. Eos excommunicaverat Julius, cum invitati ad „ Lateranense Concilium ad illud venire recusassent, „ & Pisis morabantur. Cum prælio ingenti susus fuisset „ Ludovicus a Maximiliano Mediolanensi Duce, & ab „ Helvetiis, fugisseque in Galliam, patrocinio destituti „ hi Cardinales veniam petierunt a Leone, eique sup„ plicarunt, ut censuris absolverentur.

Leo benigne illos admisit, eos absolvi jussit, & abjurato schismate in pleno Lateranensi Concilio,

Eos pristinis honoribus, & dignitatibus, & privilegiis Cardinalitiæ dignitati annexis eos gaudere voluit.

Idque eo libentius fecit, quia ita sublatum fuit schisma, quod per aliquot annos Ecclesiam affligebat.

Hæc his litteris significat Imperatori Maximiliano Pontifex.

D. Romæ apud S. Petrum VI. Cal. Jul. P. a. I. a. D. 1563.

De morte Ferdinandi Regis Catholici.

cclxxxv. ad an. 1516. Paragr. 42.

LEO X. Maximiliano Imp.

Inc. *Etsi existimamus, &c.*

MAgnum se accepisse dolorem ex morte Ferdinandi, significat Maximiliano Leo. Erat enim ex animo Christianæ Religionis defensor, acerrimusque propugnator.

Eundem dolorem percipere etiam Maximilianum colligit Pontifex ex illa amicitia, quæ erat inter utrumque.

Cæterum quoniam patronus Ecclesiæ tam egregius mortuus est, eam Maximiliano commendat Leo.

Efficiat, ut se Ferdinandi præsidio destitutam non sentiat.

D. Florentiæ V. Id. Febr. P. a. III. a. D. 1516.

Gratulatio de Caroli electione in Imperatorem.

LEO X. Carolo Romanorum, & Hispaniarum Regi. cclxxxvi. ad an. 1519. Paragr. 29.

Inc. *Habita super iis, &c.*

SIbi gratissimam accidisse Caroli electionem testatur, Leo; qua audita in Capella Palatii præsente Cardinalium Collegio celebrari fecit Missam de Spiritu S. & fieri noctu passim per urbem ignes in lætitiæ signum.

Hæc autem lætitia ideo tanta in Pontifice est, quia prævidet, Carolum futurum optimum Imperatorem pium, devotum in Ecclesiam, ejus defensorem.

Itaque meminerit eo demissus se gerere, quo est elatior.

Videat regna plurima a Turcis afflicta, Religionemque Christianam inde claimatam. Arma ergo sua in eos convertat; detque hoc in Deum obsequii argumentum.

Juste demum imperet, ut possit etiam in cœlo coronari.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVI. Aug. P. a. VII. a. D. 1519

De comprimendo Marthino Luthero.

CLEMENS VII. Carolo Imp. cclxxxvii. ad an. 1524. Paragr. 2.

Inc. *Quoniam majestati, &c.*

MEmorat initio statim Clemens beneficia Caroli, ejusque amorem in Leonem X. (is erat Clementis Patruelis) & in totam domum Mediceam, & devotionem Ferdinandi Archiducis Austriæ Caroli Fratris in S. Sedem.

Tum ejusdem Ferdinandi morantis in Germania studium curasque in reprimendo Luthero, ejusque asseclis Carolo significat.

Rogat Carolum, ut e suis Regnis hæresim eliminet, si in ea irrepsit, si nondum penetravit, eam arceat.

Illi etiam significat, Lutherum ab eo proscriptum a principibus quibusdam Germaniæ excipi, foveri, beneficiis affici,

Illi commendat Legatum S. Sedis, qui erat Cardinalis Campegius vir summæ probitatis, integritatisque, & doctrinæ singularis.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVII. Jan. P. a. I. a. D. 1524.

„ Cum plurimæ sint litteræ ad Carolum ab hoc, & „ a subsequentibus Pontificibus de Luthero scriptæ, quæ „ agunt de eo reprimendo, hac una, aut altera con„ tentus lector sit.

Observantia jejuniorum remittitur Carolo.

CLEMENS VII. Cæsari &c. cclxxxviii Ib. p. 97.

Inc. *Accepimus quod, &c.*

ITa observare jejunia ab Ecclesia præscripta consueverat Carolus ut valde ipse pateretur, neque per eos dies vacare laboribus posset, & valde ejus populi de illius salute timerent.

Quare Clemens non solum eum ab jejunando eximit, sed etiam illi imponit, ne jejunet.

Hoc idem illi præceperat Leo X.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Mar. P. a. I. a. D. 1524.

De

De Alberto Magno Magistro Equitum Theutonicorum in Prussia.

cclxxxix. ad an. 1526. Paragr. 121.

CLEMENS VII. Cæsari.

Inc. *Notissima sunt, &c.*

ALbertus ex Marchionibus Brandemburgensibus Ordinis B. Mariæ Theutonicorum in Prussia magnus Magister hæresim Lutheranam admisit, & ea bona Ordinis sua privata fecit, & scortum in uxorem duxerat.

Narrat hoc factum Cæsari Pontifex,

Tum eum rogat, ne velit Alberto investitionem ejus Ducatus dare, nisi prius Pontificem consulat.

D. Romæ apud S. Petrum Pridie Cal. Febr. P. a. III. a. D. 1526.

„ Et sane postulavit Albertus investitionem a Cæsare, „ ut ejus ducatus jus posset transmittere ad spurios „ suos; quam cum obtinere non potuisset, in tutelam „ eum dedit Regi Poloniæ. Mortua suscepta prole re„ liquit Ducatum Electoribus Brandemburgensibus, ex „ qua familia erat.

Confirmatur electio Caroli V. in Romanorum Imperatorem.

CCXC. Ex R. t. 4. p. 1. p. 850. C. C.

CLEMENS VII. ad p. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

VEnturus erat Carolus V. Romanorum Rex electus ut coronaretur corona Ferrea & aurea Bononiæ a Pontifice, componeretque simul res, quæ Italiæ pacem maxime perturbabant.

Demandavit Clemens Cardinali Sabinensi ipsius Caroli electionem examinandam;

Qui cum respondisset, jure esse factam, Clemens prædictam electionem, coronationemque ejus factam Aquisgrani confirmat, & defectus, si qui fuissent, supplet;

Permittitque illi, ut Siciliæ Regnum simul cum Im, peri. polit retinere. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Bononiæ Cal. Dec. P. a. VII. a. D. 1529.

Criminationes in Carolum V. Imperatorem, & Hispaniarum Regem.

CCXCI. ex Lunig. t. 3. p. 1953.

CLEMENS VII. Carolo Imperatori &c.

Inc. *Non opus, &c.*

QUo studio & quibus curis procurarit Clemens pacem communem totius christianæ Reip. & amicitiam Caroli, novit Imperator ipse optime. Certe, inquit Clemens, sibi esse consilium nihil eorum prætermisisse, quæ putabat ad utrumque finem conducere. Tamen tot curarum, tanti studii nullum percepit fructum, imo repulsus toties a benevolentia, & conjunctione ejus fuit, *cum nullam æquitatem conditionum, nullum indicium veri amoris apud eum inveniret*; sive artibus, & dolis eorum, qui noluerunt hanc amicitiam, sive ejus *mente oppressionem Italiæ, & Pontificiæ dignitatis imminationem volentis.*

His cautis compulsus fuit Pontifex ad arma confugere, *serius quidem multo, quam aut plurimarum rerum indignitas, aut honoris sui, & publici Italiæ boni ratio postulabat; ut justitiæ, & libertati Italiæ, & sibi possent esse præsidio.*

Ut autem videat Carolus, Pontificem esse indignum, qui hæc patiatur, proponit Carolo, quæ ipse pro ejus gloria egerit, cum erat Cardinalis, Leone X. vivente; semper illi fuit addictus, eo mortuo, ejus utilitatibus studuit; factus Pontifex pro illo laboribus, & expensis non pepercit; Florentinorum auxilia illi comparavit, copias S. Ecclesiæ in ejus præsidiis poni permisit, ejus ducibus favit; quibus, licet ab exercitu Cæsaris, rebus eius jam bene constitutis, milites suos abduxisset, euntibus in Galliam *pecuniarum auxilio pro sua tenuitate adfuit*;

Galliarum Rex exercitum maximum in Italiam duxit, de eradicandique duces Cæsarei, se posse Italiæ Regiones tutari; tunc coactus fuit periculo sibi imminenti occurrere Pontifex iis conditionibus, quas Cæsar novit; in quibus tamen conditionibus Pontificis animus in Cæsarem clare apparet. Ipse certe remorsus est Gallorum transitum in Caroli regna, licet magna præmia Galli proposuissent, si vellet eorum societatem inire. Superatus Gallus a Cæsare fuit, cujus duces cum pecunia indigerent, centum ducatorum M. iis Clemens dedit.

Æmulatione inter Cæsareos duces orta, cum cœpisset Pischarius Marchio nonnulla jactare consilia, quæ in detrimentum Cæsaris cadebant, & ea consilia Clemens audivisset, & elset penitus aspernatus, quæsivit ubi posset niti, & confidere; Cæsarem admonuit, ut curaret, *Duces suos in Italia esse contentos*; quod consilium animi in eum Pontificis satis aperte indicabat.

Cæsaris Duces Mediolanensem Ducatum occupabant, & jam obsidebant arcem, in qua Franciscus Maria residebat. Hæc rei indignitas omnium Regum, principumque animos movit, rantium coercendam esse nimiam Cæsaris acquirendi cupiditatem; exstimulabatur Clemens, ut fœdus contra illum cum iis iniret; quod Clemens Cæsari scripsit; interim pacta fœderis missa a Carolo ad Clementem, paucis immutatis Clemens ad eum illa remisit, scripsitque Cæsari de hac regum omnium in illum conspiratione, nisi ab occupando Mediolanensi Ducatu desisteret; oravit securitatem Italiæ, Clementiam Duci, amorem sibi.

His amoris, his benevolentiæ, & arctissimæ adhesionis argumentis qui respondit Cæsar? ejus Ducum iniquitati, contumeliis, injuriis expositus fuit, quos Cæsar nec increpuit, sed omnia iis credidit; insectati sunt omnes Pontificis domus amicos; confugit Pontifex ad Cæsarem querens de injuriis, sed nihil obtinuit. Fœdus porro a Pontifice oblatum Cæsari non solum fuit repudiatum, sed nec restituta fuerunt ducatorum centum millia, ut convenerat, sed Cæsaris exercitus per loca Ecclesiæ dispersi, & damna & incommoda innumera iis subditis attulerunt.

Omnes conditiones, quæ cum Francisco Galliarum Rege apud Cæsarem captivo tenebantur, ignotæ erant Nuntiis Pontificiis, quod indicat animum Cæsaris a Pontifice alienum.

Ait Pontifex se alia prætermittere facta a Cæsare in contemptum Pontificiæ dignitatis, & in odium sui, quibus animadversis, simulque considerato, Italiæ libertatem esse in periculo maximo, & publicatis a Cæsare edictis Ecclesiasticæ libertati contrariis, & in Hispania, & in Regno Neapolitano, quia volebat Pontificia brevia examinari, approbarique a suis, antequam exequutioni mandaretur, Ducatu Mediolani victo, pactis fœderis remissis, coactus fuit Pontifex fœdus cum Regibus, & Principibus contra illum inire.

Quod si Cæsar perget Italiam occupare, alias partes Christianitatis perturbare, obsequi cupiditati, & consiliis suorum, Clemens *neque justitiæ, neque libertati Italiæ, in qua etiam S. Sedis tutela continetur, non deerit, sed justa, & sancta arma movebit non tam ad illius offensionem, quam ad defensionem sui, & patriæ salutis, communisque dignitatis.*

Quare Cæsarem rogat, ut suæ cupiditati frena injiciat, contentus sit iis, quæ abunde a Deo accepit, ne quietem Italiæ, ne principum possessiones turbet. Si pacem generalem amat, occasionem habet hoc desiderium ostendendi; *hoc erit ejus famæ, & sapientiæ melius multo accommodatum, & paci universali, securitatique tam rerum suarum, quam totius Christianitatis magis consentaneum.*

D. Romæ apud S. Petrum Die XXII. Junii P. a. III. a. D. 1526.

„ His Pontificis litteris fortissime respondit Imperator Carolus (ib. p. 1970.) conjicitque in eum culpam bellorum, rixarumque quibus perturbatur Italia; ejus inconstantiam coarguit, ejus æquivoca verba, ejus fictam amicitiam. Tum recenset plurima beneficia, quæ illi, & ejus domui, & patriæ ipse contulit, & se paratum esse ad ejus arma retundenda profitetur.

Præoc-

Præoccupat Clemens Cæsarem, si necessitate adductus quædam consilia sequi cogitur.

CCXCII. Ib. p. 1015. CLEMENS VII. Imperatori Carolo.

Inc. *Aliqua sunt, &c.*

SCribit Pontifex, se pro muneris sui officio quædam agere debere, quæ sunt præter naturam, & voluntatem suam.

Debet ea inire consilia, *per quæ & libertati Italiæ, & periclitanti S. Sedi Apostolicæ præsidio sit.*

Hoc præcipue tempore Cæsaris animi virtus, & moderatio splendere debet, sicut splendebit, *si eam medicinam adhibere voluerit, quæ & facilitatem ex parte ejus habet, & etiam gloriam, & utilitatem.*

De his omnibus, scribit Clemens se scribere ad Nuncium, qui sermonem cum Carolo habebit.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXV. Junii P. a. III. a. D. 1526.

„ His quoque Clementis Litteris respondit Carolus, „ sibi cariorem esse pacem, quam bellum; quod re„ ipsa ostensurus est; sed esse partes præcipuas Ponti„ ficis, qui est Pater communis, principes ad pacem „ excitare, eosque servare pacificos.

„ Gravissimam autem epistolam Carolus misit ad „ Cardinalium Collegium (ib. p. 1017.) in qua quid „ ipse egerit pro Ecclesiæ pace describit; narrat quam „ enixe supplicarit Pontifici, ut conventionibus aman„ datis, Lutheranæ hæresi, quæ grassabatur, extin„ guendæ vacaret; se, ait, venisse in Germaniam, „ principe studio, ut hæresim opprimeret; se potuis„ se denegare S. Ecclesiæ Parmam, & Placentiam, „ sed disjunctas ab Imperii jure permittere esse sub „ Pontificis ditione; tantum abesse, ut velit pacem „ turbare, ut etiam quæ imperii sunt, & recupera„ re deberet, permittat esse in manu Pontificis; se „ Clementem orasse, ut ad sedandos motus Germaniæ „ Concilium cogeret, eumque respondisse, nondum „ illud cogendi tempus esse; se proinde orare Cardi„ nalium Collegium, ut, si Pontifex nolit, aut di„ ferat illud cogere, illi illud convocent; demum „ *protestatur* apud omnipotentem Deum, *si quid in„ de* (a dilatione Concilii, & a fœderibus clancu„ lum initis) *incommodi, aut detrimenti Romanæ* Ec„ clesiæ, & Christianæ Reip. acceserit, id non sua, „ sed eorum culpa futurum, qui suis affectibus potius, „ quam Christi gloriæ, ejusque populi saluti inservire „ maluerint.

Coronatio ejusdem Imperatoris.

CCXCIII. B.M.t.3. p. 683. D.R.t.4. p. 1.p.88. C. C. CLEMENS VII. ad p. r. m.

Inc. *Cum proximo, &c.*

DEscribitur a Clemente tempus, locusque coronationis Caroli V.

Nempe Bononiæ, die S. Matthiæ Apostoli, qui erat natalis Caroli, moduque.

Coronatus fuit Corona ferrea, quæ servatur Modoetiæ, & aurea, quæ Romæ.

Tamen per has coronationes factas alibi, quam ubi fieri hactenus consueverunt, declarat Pontifex neque Modoetiæ, neque Romæ juribus quicquam fuisse detractum.

Exponit etiam Clemens, se transegisse cum Imperatore de retentione regni Siciliæ contra id, quod in investitione illius regni Carolo Andegavensi data caverat fuerat, ut nemo, qui esset Imperator, posset simul esse Siciliæ Rex.

Jubet demum siculis omnibus obedientiam præstare Carolo. N. O.

Nulli ergo &c. Siquis autem &c.

D. Bononiæ Cal. Mart. P. a. VII. a. D. 1530.

Confirmatur electio Ferdinandi in Romanorum Regem.

CCXCIV. Ex Rayn. ad an. 1531. §. 5. CLEMENS VII. ad f. r. m.

Inc. *Pro universa, &c.*

„ TAm ampla, longeque diffita Carolus V. habebat „ regna, ut difficile posset diutius in Germania mo„ rari, quæ tamen Cæsaris præsentiam requirebat, qui „ discordias inter principes ex religione ortas sedaret, „ & Turcarum irruptiones in Imperium cohiberet.

„ Quare facile illi fuit his expositis permovere ele„ ctores, ut Regem Romanorum eligerent.

„ Electusque fuit pridie Epiphaniæ Domini an. 1531. „ Coloniæ in primario Templo Ferdinandus Archidux „ Austriæ, Hungariæ, Bohemiæque Rex Caroli Fra„ ter germanus. Et die XI. Januarii coronatus Aquisgrani fuit.

Confirmat Pontifex hanc electionem; si qui defectus interfuerunt, attensis maximis emolumentis, quæ ex hac electione in totam Christianam Remp. redundatura sunt, eos supplet. N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

D. Romæ S. Petrum die XIII. Febr. P. a. VIII. a. D. 1531.

Gratulatur Pontifex Ferdinando de adepta dignitate.

CCXCV. Ib. CLEMENS VII. Ferdinando in Romanorum Regem electo.

Inc. *Quanta simus &c.*

ET benevolentia summa, qua Pontifex Ferdinandum prosequitur, & ratio temporum efficiunt, ut de ejusdem electione non possit non summopere lætari.

Itaque summo cordis affectu illi de obtenta dignitate gratulatur;

Deoque gratias agit, quod voluerit virum tam pium, tamque Catholicæ fidei devotum filium eligi.

Nunc enimvero bene agi cum universa Christiana Rep. credit Clemens, cum duos propugnatores ejusmodi, quales sunt Carolus, & Ferdinandus Fratres, Ecclesiæ suæ Deus dederit.

Fluctuantem igitur Petri cymbam commendat Ferdinando Clemens, a quo nihil postulat aliud, nisi quod ejus pietas illi suggeret.

D. ut supra.

De Concilii celebratione.

CCXCVI. Ib. §. 6. CLEMENS VII. Cæsari.

Inc. *Etsi tua &c.*

„ UT invidiam conflaret Ferrariæ Dux Clementi, „ qui retinebat Mutinam, nec Duci restituere „ eam volebat, dissemulabat, Pontificem nolle stare „ promissis, quæ Bononiæ dederat Carolo V. de con„ vocando Concilio. Ut hujusmodi rumores destruat, „ scribit Clemens Carolo:

Se, cum audivit Imperatorem indixisse Spiram conventum de Religionis negotio, ne partibus illius desit, quas primas in Ecclesia tenet, indicturum generale œcumenicum Concilium;

Se ideo ad illum mittere Archiepiscopum Brundusinum virum pietate, probitate, multiplici doctrina, multarumque linguarum scientia insignem;

Carolum rogat, ut ea quæ huic celebrando Concilio necessaria sunt, sua sapientia, prudentiaque disponat.

D. Romæ apud S. Petrum die XXIX. Aug. P. a. VIII. a. D. 1531.

Hortatio ad Imperatorem ut succurrat Sabaudo impugnato ab Hæreticis Helvetiis.

CCXCVII. Ib. §. 23. CLEMENS VII. Cæsari.

Inc. *Magna nos &c.*

„ QUia Sabaudiæ Dux punire volebat Gebennenses, „ cujus urbis erat Patronus, eamque obsederat, „ quod a Catholica Religione defecerant, & quia „ pagos, (*Cantoni*) Helveticos Catholicos protegebat, „ Helvetii hæretici efferati in illum odio ab instante „ Zuinglio eum bello impetere parabant.

„ Clemens ne propugnatorem fidei tam strenuum „ hæreticorum furori expositum derelinqueret, & sub„ sidia ad illum miserat, & ad Imperatorem, & Re„ ges Catholicos scripsit, eosque excitavit ad Ducis „ defen-

„ defensionem. Cum similes sint hæ litteræ, harum „ unarum epitomem damus.

Ac primum narrat Pontifex Carolo, Lutheranam hæresim in Helvetiam penetrasse, & octo pagos esse infectos illa; hæreticos studere pestiferum virus spargere & in Ducis Sabaudiæ ditiones, quæ finitimæ sunt;

Ducem ingentes collegisse copias, & cum opes non haberet, vendidisse Ecclesiarum pretiosa jocalia, excitasse arces per ea confinia, & militibus eas instruxisse;

Sed cum multæ impensæ sint faciendæ; bellumque videatur futurum diuturnum, eum popoposcisse ab Ecclesia auxilium; quod etiam suppeditavit.

Sed cum universæ Europæ providendum sit, cui hæresis minatur, non posse eam tot impensas facere; jam Cardinales etiam, ne dum beneficiatos inferioris ordinis, jussos fuisse rata portione subsidia ministrare.

Confugit ergo Clemens ad Imperatorem, cujus pietatem novit, cujus scit zelum in Catholicam Religionem, eamque periclitantem in dominiis Sabaudiæ Ducis illi ostendit.

Quoniam primus Ecclesiæ defensor est, illi subveniat, opportuna mittat auxilia, neque patiatur hæresim in eas regiones penetrare.

D. R. apud S. Petrum Die XIX. Aug. P. a. VIII. a. D. 1531.

Commendat moriturus Pontifex suam familiam Imperatori.

CCXCVIII. Ad an. 1534. §. 65. CLEMENS VII. Cæsari.

Inc. *In hac &c.*

PRope ad mortem Clemens ægrotabat (& sane tres dies post datas has litteras mortuus est) scribitque Cæsari,

Se nihil aliud magis cordi habuisse quam pacem tranquillitatemque Italiæ Sedisque A. sublevationem; eas se constituisse, Caroli præsertim beneficio; orare Deum ut diu Italia, & S. Sedes perfruantur.

Hæ fuerunt publicæ curæ;

Curam etiam, scribit, se gessisse de sua patria, de sua familia, de nepote suo Alexandro, cujus statum a liberalitate Cæsaris concessum, post obitum suum timet perturbandum esse. (Is fuerat a Carolo creatus Florentiæ Dux.)

Ad Cæsarem ergo, cujus in se amorem novit, confugit, ne permittat, familiam Mediceam divexari.

Ad eum mittit intimum secretarium suum, participem omnium consiliorum, qui omnia Cæsari exponet.

Per viscera Domini Jesu Christi eum obsecrat, ut mentem, quam hactenus habuit circa statum Ecclesiæ, conservet, ut curet Christianitatis bonum, ut commendatum habeat S. Sedis dignitatem, & tranquillitatem Italiæ;

Ei commendat Nepotes suos Cardinalem Hippolytum de Medicis, & Alexandrum *servitorem* Cæsaris, & *ratione Ducatus Pennensis illi subditum*, totam denique familiam; qua eam in suam clientelam suscepit, eadem benignitate sub eadem illam conservet.

Non dubitat Pontifex, quin pro memoria Pontificis, pro amore, quo a Pontifice diligitur, sit hoc facturus.

D. R. apud S. Petrum Die XXIII. Sept. P. a. XI. a. D. 1534.

„ Mortuus est Clemens Die XXVI. ejusdem mensis „ Septembris.

De morte Cardinali Rossensi ab Henrico Angliæ Rege illata.

CCXCIX. Ad an. 1535. §. 11. PAULUS III. Cæsari.

Inc. *Etsi in tanta &c.*

„ EO quia noluerat Joannes Episcopus, & Cardi„ dinalis Rossensis approbare divortium Regis Hen„ rici, & ejus matrimonium cum Anna Bolena, & „ Ecclesiæ Anglicanæ primatum sibi arrogatum, publi„ co supplicio fuerat affectus.

Ad ulciscendam tam indignam necem excitat in Henricum Imperatorem Carolum Paulus; quoniam ille solicitaverat Clementem, ut excommunicationis sententiam in illum infligeret.

Per biennium in carcere detentus Episcopus fuerat. Ejus constantia & doctrina motus Paulus in prima promotione a se facta cum Cardinalem crearat, ratus Henricum aliquam rationem ejus dignitatis habiturum esse, sed nova dignitas novum furorem in Cardinalem Henrico injecit; itaque properavit indignissimo supplicio virum illum *sanctitate conspicuum, doctrina celebrem, ætate venerabilem, illius regni, ac totius ubique Cleri decus, & ornamentum per carnificem* de medio tollere.

Neque eo sacrificio contentus sæviit indiscriminatim in Sacerdotes utriusque Cleri, eos præcipue quos sanctitas morum, pietas, & sapientia commendabant; bona Ecclesiæ usurpavit, vastavit omnia, & evertit, seque primum in Ecclesia dici vult.

Cum sit igitur tot criminum publice reus, adulter, sacrilegus, perjurus, injustus usurpator, tyrannus, apostata, divinæ majestatis læsæ reus, & regia dignitate jamdiu per excommunicationem privatus, quæ privatio non est nisi declaranda, & edicenda publice,

Rem gratam Deo, utilem Religioni, Regno Angliæ, & Hiberniæ proficuam Cæsar faceret, si arma sua in Henricum converteret, pœnasque tot criminum ab illo exposceret; summamque omnium Catholicorum laudem sibi compararet.

De hoc copiosius apud Cæsarem Legatus A. aget.

D. R. apud S. Marcum Die XXVI. Jul. P. a. I. a. D. 1535.

„ In hunc fere modum scripsit Paulus etiam Regi „ Galliæ.

Litteræ gratulatoriæ de capto Tunetano regno.

CCC. Ib. §. 52. PAULUS III. Cæsari.

Inc. *Hodie dilectus &c.*

UT Regem Tuneti Muleassem liberaret, regnoque restitueret, & ut littora Italiæ, & præcipue Siciliæ citra, & ultra Pharum a Barbarossæ excursionibus irruptionibusque liberaret Carolus, ingenti maritima classe adortus erat fortissimam arcem Gulettam, quam cepit, & Tunetum, quod Muleassi restituit.

De hac victoria sibi ab Oratore Cæsareo significata gratulatur his litteris Imperatori Paulus.

Nunc tandem, scribit incipere Deum calamitates Europæ a Turcis, barbarisque illatas benigno vultu respicere, nunc effulgere spem posse imperium infidelium concuti, cum arx tam munita a Cæsare capta fuerit *una cum artellariis trecentis, & septuaginta navibus.*

Quare Pontifex, qui de Imperatoris salute, & de illius armis sollicitus erat, Deumque assiduis precibus orabat, ut sospitem eum vellet, & incolumem, victoriamque illi daret, in laudes, hymnosque gloriæ preces convertit, quod tam insignem victoriam illi concessit.

Lætiores nuntios singulis diebus Paulus se expectare dicit.

D. R. apud S. Marcum Die XXVIII. Jul. P. a. I. a. D. 1535.

Ne jura Aquilejensis Ecclesiæ læsi permittat Ferdinandus.

CCCI. Ad an. 1543. §. 35. PAULUS III. Ferdinando Romanorum Regi.

Inc. *Cum antea &c.*

PAtriarcha hujus Ecclesiæ erat Cardinalis Grimanus Tusculanus Episcopus,

Ministri Ferdinandi jam antea jurisdictionem temporalem ejusdem Patriarchæ turbarant, etiam spiritualem *in eum statum infelicitatis deduxerant, quod in illa Ecclesia tam insigni, utpote Patriarchali, in qua & Ferdinandus, & Carolus Imperator erant Canonici* (ut fuerant omnes Reges Imperatoresque Romanorum) *cultus divinus ex toto intermissus, & desertus sit;*

Canonici abire fuerant coacti, in eorum locis cohabitabant milites, & in quadam parte Ecclesiæ stabulabantur bruta animalia; reliquiæ dilapidatæ erant, sacrarium collapsum.

Quare

Quare Paulus Ferdinandum orat, ut moneat ministros suos, ne ita Ecclesiam Dei violent.

Habeatque Rex illud in mente repositum, Deum gravissime punire suarum domorum violatores.

D. R. apud S. Petrum Die XVI. Febr. P. a. IX. a. D. 1543.

Improbatur recessus Conventus Spirensis.

CCCII. Ad an. 1544. §. 7. PAULUS III. Cæsari.

Inc. *Quæ in recessu &c.*

„ CUm nulli Germaniæ Episcopi ad Concilium Tri-
„ dentum irent, quia timebant, ne se absenti-
„ bus Lutherani liberius populos inficerent, Ecclesia-
„ rumque bona usurparent, cum nulli etiam Luthera-
„ ni eodem ivissent, quia dicebant Concilium illud
„ non esse liberum, putavit Carolus se posse utrisque
„ satisfacere, si Concilium nationale in Germania ha-
„ beretur; ita Episcopi non longe a suis diœcesibus
„ abessent, & Protestantes possent libere disputare;
„ ergo decretum edidit, quod *recessus Spirensis* dicitur,
„ quod eo die quo dissolvendus erat conventus, &
„ recedendum Spira, publicatum fuit.

„ In eo decreto pollicebatur Cæsar ad tollenda diu-
„ tina mala, quæ affligebant Ecclesiam, & ut sua
„ animi sensa sine timore explicare Protestantes pos-
„ sent, se convocaturum nationale Concilium in ali-
„ qua Germaniæ urbe, quæ omnibus principibus com-
„ moda esset.

„ Perlato Romam decreto, gravissime indoluit Pon-
„ tifex, & quia quædam itidem in eo erant, quæ
„ videbantur eum notare, & quia putabat, Pontifi-
„ ciam jurisdictionem in eo læsam.

Ac primum quidem laudat sollicitudinem Cæsaris cupientis extinguere ea dissidia de religione;

Sed se non esse in culpa, Paulus ait, si tamdiu ardent; se reformationem Ecclesiæ indixisse, se convocasse Concilium vix ac Pontificatum iniit;

Hæc dissidia ex bellis enatis, obstinateque gestis incrementum acceperunt;

Se proposuisse urbem in Germaniæ faucibus Germanis commodam, & eam proposuisse de consilio Principum, promisisse quibuscumque Lutheranis salvumconductum; hæc omnia argumenta sunt, se velle in eo Concilio libertatem cuique esse.

Ita respondet Paulus ad ea decreti verba, quibus se innui, & lædi putabat.

Tum Carolum perstringit, quod jurisdictionem Pontificiam læserit, & gravissime læserit.

Inconsulto Pontifice non debebat Carolus polliceri Concilium se convocaturum;

I. Ita enim agendo significare vult, primatum, cujus convocationes Conciliorum est unum ex juribus, ad se spectare. Quod falsissimum est; *Pro te oravi Petre, ut non deficiat fides tua*, inquit Christus. Debet præsidere Conciliis Pontifex, ut sint legitima.

II. Cæsar edicto suo probare vult Concilium indictum a Pontifice Tridentum non esse legitimum Concilium; sed suum esse legitimum. Si enim legitimum Tridentinum Concilium putaret, cogeret illuc ire Protestantes; pollicens autem aliud Concilium in Germania confirmat Lutheranorum dicteria sententium, Tridentinum esse illegitimum.

III. Hoc Cæsaris decretum fovet pertinaciam hæreticorum; Nam congressus multi habiti sunt hujusmodi Catholicos inter, & Protestantes, nihilque conclusum est; cum utraque pars jactaret veram sententiam esse suam. Ad eos convincendos requiritur judex alienus, qualis erit in Concilio generali, cui omnium nationum prælati intererunt.

Multa affert Pontifex de Pontificia jurisdictione contra Carolum, qui hanc auctoritatem arrogarat sibi.

EGræcis translatum fuit imperium ad Latinos a Pontifice; & quam auctoritatem Cæsar habet, habet a Pontificibus; ne contra eos illa abutatur;

Cum hæretico Henrico Angliæ Rege, qui ejus Amitam ut concubinam haberi volebat, fœdus iniit; & tamen Ecclesia ejus Amitæ tanto cum suo detrimento decus intactum voluit;

In Hispania decretum fieri voluit, ut examinentur Pontificia brevia,

Augustæ prædecessorum Imperatorum jubentium hæreticos puniri morte sanctiones abrogavit,

Spiræ auctoritatem convocandi concilia sibi attribuit. Videat ne a Deo puniatur &c.

D. R. apud S. Marcum Die XXIV. Aug. P. a. X. a. D. 1544.

„ Excepit hæc Pontificia monita benevola mente
„ Cæsar, neque umquam de nationalis Concilii cele-
„ bratione verba fecit.

„ Scripsit de hoc decreto ad Regem Romanorum,
„ ad Confessarium Cæsaris, ad Conciliarium Granvê-
„ lam Paulus.

„ Qui etiam litteris ad plurimos præsules principes-
„ que missis eos movere studuit, ut venirent ad Con-
„ cilium, hos ut oratores suos mitterent. Cum nihil no-
„ vi contineant, libenter eas præterimus.

Ne in Conventu Vvormatiensi quicquam agatur de Religione.

CCCIII. Ad an. 1545. §. 17. PAULUS III. Regi Romanorum.

Inc. *Cum Venerabili &c.*

JUssu Cæsaris habendus erat Conventus Principum Vvormatiæ.

Timens Paulus, ne aliquid in eo deerneretur, quod læderet jurisdictionem Pontificiam, sicut in proximo superiore Spirensi factum fuerat, Ferdinandum orat,

Ut si aliquid simile proponatur, efficiat ut ad Concilium Tridentinum referatur, neque Vvormatiæ quidquam statuatur, quod ad Religionis capita spectet.

D. Romæ apud S. Marcum Die XII. Mar. P. a. XI. a. D. 1545.

Gratulatur Pontifex Cæsari de relatis e Lutheranis victoriis.

CCCIV. Ad an. 1547. §. 98. PAULUS III. Cæsar.

Inc. *Venerabilis fratris &c.*

„ LEvibus præliis sæpe pugnaverat Carolus contra
„ Lutheranos, quorum exercitus Duces erant Lant-
„ gravius Hassiæ, & Dux Saxoniæ Elector; semper
„ victor exiterat. Demum omnibus copiis pugnavit
„ apud Albim in Saxonia superiore. Et in prælio ca-
„ ptus fuit Saxoniæ Dux, postque Langravius Hassiæ,
„ captivique apud Cæsarem erant, eos spoliavit bona
„ urbium parte, eorum arces evertit, arma detraxit,
„ pecuniariasque graves multas iis indixit.

De hac victoria gratulatur Pontifex Cæsari.

Ejus virtutem bellicam extollit,

Ejus labores commendat, quorum mercedem amplissimam a Deo illum expectare jubet;

Eum rogat, ne desistat a protegenda Catholica Religione, neque animum ad pacem inclinet, nisi cum summa Catholicæ Religionis utilitate.

D. R. apud S. Marcum Die XX. Janu. P. a. XIII. a. D. 1547.

Iterum gratulatus Cæsari est, cum omnes pugnæ circumstantias Paulus cognovit, scivitque. Litteræ conveniunt cum modo dictis.

Gratulatio de sedata Bohemia.

CCCV. Ib. §. 104. PAULUS III. Ferdinando Regi Romanorum.

Inc. *Cum accepissemus &c.*

„ ETiam Bohemi se commoverant contra Ferdinan-
„ dum Regem suum, cum Lutherani bellum Cá-
„ rolo Imperatori intulerunt.

„ Victor Carolus dedit Fratri milites, qui in Bohe-
„ miam progressus turbas sedavit, Bohemosque in of-
„ ficium redegit.

Lætitiam ex hac duplicata victoria Caroli de hæreticis Germaniæ, & Ferdinandi de Bohemis significat Regi Paulus.

Prudentiam, virtutemque Regis extollit,

Illumque monet, ut quoniam Deo propitio Bohemiam recuperavit, ne ejusdem Dei causam derelinquat, sed stabiliat, firmetque in eo regno Catholicam religionem &c. & omnia prospera a Deo speret.

D. R. apud S. Marcum Die XXIX. Jul. P. a. XIII. a. D. 1547.

Auxi-

Auxilium Imperatoris imploratur contra Gallos.

CCCVI. Ad an. 1551. §. 118. JULIUS III. Cæsari.

Inc. *Novit ille &c.*

„ NEcato Petro Aloysio Parmensi Duce, Ferdi-
„ nandus Gonzaga Mediolani præfectus Placen-
„ tiam occupavit, Parmamque obsidione cinxit. Cum
„ frustra Octavius Farnesius expertus esset Ducatum a
„ Cæsare recuperare, precibus confugit ad Henricum
„ Galliæ Regem, qui exercitum in Italiam misit.
„ Graviter in Octavium indignatus fuit Julius tamquam
„ auctorem acerrimi belli inter Carolum, & Henri-
„ cum excitati, quo bello distrahebatur Tridentini
„ Concilii prosequutio. Galli occuparunt Mirandulam
„ videntesque iratum Octavio Julium erumpentes Mi-
„ randula longe lateque Bononiensem agrum vasta-
„ runt.

Exorditur Pontifex ab amore pacis, quo semper exarsit; & a nimio partium studio quam fuerit alienus ostendit.

Invehitur ergo in regem Henricum, qui hæc sciens exercitum in Italiam miserit, pacem turbarit, ut inobedientis Octavii Farnesii cupiditati satisfaceret.

Tum significat Carolo devastationem agri Bononiensis a Strozzio, & Bentivolo Ducibus Gallici exercitus factam;

„Non credidisset Pontifex, eam jussam fuisse a Rege Henrico, qui omnia amoris argumenta a Pontifice acceperat, nisi ejus Orator palam prædicasset, regem mandasse Octavio, ut eam fieri juberet.

Auxilium igitur a Cæsare contra Henricum imploratq efficiat ut Galliæ Rex vel pacem Italiæ det, vel ipse Carolus det S. Sedi milites, quibus possit Gallorum injurias propulsare.

D. R. apud S. Marcum Die XXVII. Jul. P. a. II. a. D. 1551.

„ Cæsar ad Julium misit ducentum millia aureorum
„ in militum stipendia.

„ Henricus vetuit mitti Romam nummos pro bene-
„ ficiorum bullis; indixitque nationale Concilium.

De Nuptiis Philippi cum Maria Angliæ Regina conciliatis gratulatio.

CCCVII. Ad an. 1554. §. 1. JULIUS III. Cæsari.

Inc. *Hodie Calendarum &c.*

MAtrimonium conciliatum fuerat inter Philippum Hispaniarum Principem filium Imperatoris Caroli heredem tot regnorum, & Mariam Angliæ Reginam.

Quo nuntiato die primo novi anni 1554. Pontifici ab oratore Cæsareo, magnopere, scribit Cæsari, gavisus est.

Quia si sperabat fore ut Catholica fides esset in Angliam restituenda, tunc pro certo eamdem restitutionem habet. Novit siquidem Cæsaris pietatem, protegendæque religionis zelum, scit cum a Deo viribus instructum pluribus, quæ conjunctæ cum copiis Reginæ facile hæreticos contundent pervicaces.

Deum precatur, ut hoc matrimonium Carolo, ejus familiæ, utrique regno fastum esse velit, felixque.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Janu. P. a. V. a. D. 1554.

Laudatur Rex Ferdinandus, quod in Comitiis Augustanis fidem defenderit, & de instituenda Academia Pragæ.

CCCVIII. Ad an. 1555. §. 50. PAULUS IV. Ferdinando Romanorum Regi.

Inc. *Cum nuper &c.*

PRimum quidem laudat Paulus Ferdinandum, illique gratias agit, quod non permiserit in Augustano conventu quicquam decerni, quo posset Christiana religio lædi, sicut decerni nitebantur Lutherani.

Deinde ejus pietatem commendat, consiliumque approbat erigendi Pragæ Academiam, in qua doceatur Theologia, ut in eo regno esse possint Sacerdotes, qui hæreticorum sententias confutent.

Quia vero rogaverat Pontificem, ut ad eam mitterentur duodecim Patres Jesuitæ, & duos nominatim flagitaverat, respondet Paulus,

Se colloquutum fuisse cum Societatis Præposito Ignatio (nunc Sancto) & fuisse pollicitum se illuc missurum quos poterit; duos, quos rex Patres volebat, longe abesse; hyeme instante præterita ituros esse Pragam.

D. Romæ apud S. Marcum Die VII. Oct. P. a. I. a. D. 1555.

De convocatione Concilii Tridentini.

CCCIX. Ad an. 1560. §. 69. PIUS IV. Imperatori Ferdinando.

Inc. *Afflictæ, & jamdiu &c.*

„ INter pacta, quæ se servaturos singuli Cardinales
„ in conclavi jurarant, ut electus Pontifex Conci-
„ lium redintegraret, erat & hoc. Ne pejeret, illud
„ indixerat jam Pius Bulla edita II. Cal. Dec. hoc eo-
„ dem anno. Simulque ad omnes Christianos princi-
„ pes vel litteras, vel Legatos misit, ut eos ad mit-
„ tendos Tridentum oratores moveret.

„ Quia vero litteræ ad Catholicos principes sunt e-
„ jusdem tenoris, has unas afferemus.

Hæreses, quæ jamdiu Ecclesiam affligunt, & discordiæ ex hæresibus natæ, quæ fus deque has, illasque regiones perturbant, permoverunt Pium, ut concilium tamquam unicum remedium tot malorum continuari velit.

In eo siquidem decidetur quid sit credendum, quo statuto tollentur discordiæ.

Hæ suæ sunt partes, quas adimplere stat illi.

Sed quia auxilio principum indiget, ad eos confugit.

Meminerit Ferdinandus, se esse Ecclesiæ advocatum primum, se nasci e progenitoribus Catholicis, se suæ devotionis plura conspicua in Ecclesiam argumenta dedisse,

Meminerit se esse Imperatorem, regendumque sibi esse Imperium;

Ad illum ergo ut Catholicum, ut Imperatorem attinet efficere, ut hoc concilium celebretur; cum per illud tollendæ sint hæreses, quæ inficiunt Ecclesiam, & Imperium, curandaque sit pax tamdiu per bella ex Imperio eliminata.

D. Romæ apud S. Petrum II. Cal. Dec. P. a. I. a. D. 1560.

Postulatis Imperatoris respondet Pius.

CCCX. Ad an. 1563. §. 35. PIUS IV. Imperatori Ferdinando.

Inc. *A nobili, &c.*

EX responsis patebit, quæ fuerint postulata Imperatoris.

I. De cura, quam gerit Imperator de concilio, gratias illi Pius agit.

II. Tam tardum esse progressum ejusdem concilii ægre fert etiam ipse Pius. Sed cum quædam sint quæstiones difficiles, multæ hæreses de uno, eodemque capite sint confutandæ, necessario tempus diuturnum requiritur.

III. Etiam Pius offenditur altercationibus, quæ inter Patres excitantur. Monendi erunt, ut rationem habeant loci, dignitatisque.

IV. Miratur Pontifex, de se rumores ferri, se cupere suspendere concilium. Immo huc dirigit studia sua omnia, ut illud conficiatur, ut per illud tollantur hæreses paxque firmetur: videt quanta cum totius Christiani orbis indignatione suspenderetur. Sperat Imperatorem hæc dicteria minime crediturum.

V. Multi quidem principes consuluerant, ut dissolveretur. At eorum consilia sprevit Pius. Muneris sui esse duxit concilium convocare, muneris sui esse ducit illud ad exitum perducere. Quid mandarit Legatis, Legati ipsi dicere possunt. Omnia ostendunt se sincere, & candide agere, se non spectare nisi exaltationem fidei, Christianorum concordiam, hæresum, errorumque dissipationem.

VI. De tollendis abusibus, eque ac Cæsar angitur Pius. Quæ egerit, ut eos tolleret, satis indicant nihil sibi magis esse cordi. Si Deus dabit, sicut multos sustulit, ut apparet ex editis constitutionibus, ita reliquos tollet.

VII. Plures affert rationes, cur ire Tridentum non poſſit, ſicut vellet Imperator ire.

1. Urbs parva eſt; duas aulas Pontificiam, & Imperialem præter prælatos, qui concilio interſunt, urbs non poteſt capere; 2. Urbs eſt male tuta; circumſepta eſt hæreticis. 3. æſtate proxima deſcenſura eſt in hoc mare claſſis Turcica; cui reſiſtendum eſt. 4. Satius eſt Imperatorem venire Bononiam, urbem amplam, quo jam niſi ægrotaſſet Pius, veniſſet; Patres Tridento eo venient; accipiet coronam Imperii, ſicut fecit ejus Frater Carolus V. ambo intereſſent concilio, quod citius multo ad exitum perduceretur.

Hæc omnia fuſius explicabit Cæſari Cardinalis Moronus, quem legatum ad eum mittit.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVIII. Mar. P. a. IV. a. D. 1563.

Aliis poſtulatis Cæſaris reſpondetur.

CCCXI. Ib. §. 38. PIUS IV. Imperatori.

Inc. *Reſpondimus litteris, &c.*

REformationem urgebant hæretici; ac primum de electione Pontificis; 2. de Cardinalibus; 3. de Epiſcopis; 4. de Epiſcoporum reſidentia; 5. de libertate concilii 6. de itu Tridentum. Quædam melius agerentur per Concilium, quam per Cardinales. Ad ſingula reſpondet Pius:

I. Ut electio Pontificis careat ſuſpicione Simoniæ, ut canonice fiat, ut eligatur dignior, jam providit Pius qui ideo Bullam de hoc edidit, quam ad Imperatorem mittit. (v. Bullas de conclavi *in eligendis*, &c. XVI.)

II. Semper curavit Pius eligere optimos Cardinales, & qui utiles eſſe poſſent Eccleſiæ Dei. Plura non ſcribit; de hoc aget legatus Moronus cum ipſo Cæſare.

III. Optimi certe, & digniſſimi deberent eſſe Epiſcopi. Jam ſatis in hoc providit ſuis decretis Concilium; Piuſque efficiet, ut illa obſerventur.

IV. De reſidentia magnis contentionibus actum eſt a Patribus in Concilio. Quidquid illud decidet, ipſe approbabit; & utcunque decidat, vel humani, vel divini juris reſidentia ſit, coget Epiſcopos reſidere.

V. Nunquam libertatem Concilii ipſe impedivit. Nec enim tollitur libertas concilii, ſi conſilium Pontificis exquiritur. Per hanc exquiſitionem ſignificatur connexio illa, quæ intercedere debet inter caput, & membra.

V. Niſi materia rerum peragendarum eſſet tanta, omnia peragi poſſent per Concilium; ſed quandonam exitum haberet illud, ſi omnia ad reformationem attinentia ad illud deferrentur? Exemplo ſit Bulla edita de conclavi. Quot hominum capita, tot fuere in Concilio ſententiæ. Et adhuc ſub judice lis eſſet. Difficile eſt tantam multitudinem de rebus hujuſmodi cito conſentire in unum poſſe.

VII. De itu Tridentum jam reſponſum eſt ſupra.

D. ut ſupra.

Hæ litteræ Imperatoris, Piique erant ſecretæ. Eas e manuſcriptis eruit primum Raynaldus.

Reſponſa ad poſtulata principum Germaniæ.

CCCXII. Ib. §. 44. PIUS IV.

Inc. *Reſpondet, &c.*

ORatores Cæſarei obtulerunt Pontifici hæc Principum Germanorum poſtulata.

P. I. *In cauſis prophanis nulla detur appellatio ad Papam, in cauſis Eccleſiaſticis non detur niſi in tertia inſtantia.*

R. S. Sedis indubitati juris eſt, & fuit a principio ab ipſis Apoſtolorum temporibus, ut univerſæ majores cauſæ ex toto terrarum orbe ad R. Sedis referentur judicium. Ante annos mille ducentos ſcimus ex medio oriente evocatos etiam primarum ſedium Epiſcopos ante S. Sedis judicium perſonaliter compartuiſſe. Liberum fuit cuique in quacunque cauſa in qua ab Ordinario ſuo, vel Metropolita ſe gravatum quis ſentiret, appellaſſe ad S. Sedem. Ita conſuevit fieri ab ipſis Germanis.

Per hanc appellationem non imminuitur Epiſcoporum juriſdictio, ut eorundem conſiliarii, & miniſtri dicunt, qui vellent eam ultra terminos extendere. Immo hoc bonum enaſcitur, ut recte judicari debeant, cum ſciant eas cauſas devolvi poſſe ad aliud tribunal, in quo eorum ſententiæ examinabuntur.

Tamen Pontifex ad bonum tranquillitatis permittet, ut cauſæ Eccleſiaſticæ minores nonniſi in tertia inſtantia poſſint pertrahi ad curiam; præfigatur autem terminus, intra quem ab Epiſcopis hæ cauſæ examinandæ ſint, ne data opera ſententiam differant, ne appellatio ad S. Sedem detur.

Volunt Epiſcopi, ut non poſſint cauſæ coram judicibus delegatis a Sancta Sede agi, Ordinario prætermiſſo. Hoc in magnum ſubditorum cadit detrimentum. Si enim aliquem judicem norunt qui citius, & æquius cauſas decidet, & non poſſint ad eum eas deferre, prætermiſſo ordinario, libertas tollitur. Cadit etiam in præjudicium Sedis Apoſtolicæ, quæ *a tempore, de cujus initio non eſt memoria*, hoc jus habuit.

Ubi tamen in ea beneficia ſe quiſquam intruſerit, quæ jure indubitato ad ſolius Ap. Sedis diſpoſitionem ſpectare dignoſcuntur, liberum vult manere ab eadem Sede proviſis etiam in prima inſtantia ad Curiam evocandi ſuos adverſarios, ne ſpe impunitatis ad injuſtiam proniores reddantur, quos nulla jam continet religio.

Cauſæ profanæ agitentur quidem coram ſuis judicibus; ſed cum ſint quædam perſonæ, *quarum ſecundum canones, & leges Eccleſia patrocinium gerere debet*, poſſint illæ cauſas ſuas agere coram ordinariis, aut delegatis judicibus; & in tertia inſtantia poſſint eas deferre ad Curiam. Sed cum illis aut denegatur juſtitia, aut nimis differtur, poteſt S. Sedes iis ſuccurrere.

P. II. *Juri-patronatus laicorum ne derogetur a Curia.*

P. III. *Jura-patronatus laicorum ſerventur integra.*

His duobus poſtulatis ſimul reſpondet Pontifex: S. Sedem nunquam huic juri derogaſſe; niſi cum proviſus moritur apud S. Sedem; & tunc proviſio facta a S. Sede non derogat juri-patronatus; nam *ab antiquo etiam de jure communi ſemper fuerunt* hæc beneficia vacantia apud Sanct. Sedem *ſolitus Romani Pontificis diſpoſitioni reſervata*. Sed hoc cum raro accidat, patroni non habent querendi cauſam; *præſertim ſi cogitent nihil ſibi auctoritatis in Eccleſiaſticis rebus poſſe competere, niſi quod hujus Sedis auctoritate indultum eſt.* Tamen pro bono pacis cedere ſuo juri paratus eſt Pontifex.

Queruntur juris-patroni, alternis menſibus cum ipſis concurrere Pontificem. Sed injuria queruntur; nam & ipſi, & ea quæ ſub jure patronatus cadunt, ſubjiciuntur S. Sedi, & Pontifici, *quæ ſubjectio, ut diligenter obſervetur, & ab eis recognoſcatur, univerſalis Eccleſiæ ſaluti in primis expedit, quam ut in ejus concordia, unitateque conſiſtere certum eſt præcipue, ita eam niſi unius ſuprema poteſtate, & auctoritate, quæ ab omnibus religioſiſſime obſervetur, contineri, conſervarique non poſſe.*

Quare ſicut Pontifex cedit de jure ſuo pro bono pacis, ita æquum eſt juris-patronos aliquid remittere pro conſervatione *Eccleſiaſticæ hierarchiæ vigoris, & pro unitate* capitis cum membris.

P. IV. *Prælaturæ, dignitates, & officia in Cathedralibus Eccleſiis in utroque menſe electivæ ſint, deturque facultas capitulis eligendi perſonas idoneas, & eruditas, a quibus tamen dignitates de jure patronatus tam Eccleſiaſticorum, quam laicorum exceptæ ſint, ut patroni utriuſque generis in nullo menſe in ſuorum beneficiorum collatione præpediri poſſint.*

R. *Sua Sanctitas cupit, & optat, ut pro publico totius Eccleſiæ bono, ejuſque utilitate omnes contenti ſint de jure ſuo aliquid cedere, ſeu patroni, ſeu ordinarii, præſertim cum ipſa, penes quam dignoſcitur ſupremum jus rerum Eccleſiaſticarum omnium, parata ſit non pauca ſed plurima cedere eorum, quæ indubitatiſſimo jure ſibi dignoſcuntur competere. Itaque non ſolum in Cathedralibus, ſed etiam collegiatis Eccleſiis dignitates, quæ præeſſe habent capitulis, & ob id perſonidem requirunt obedientiam, quæ in Germania Decanatus ut plurimum nominantur, contenta eſt in omnibus menſibus electivas eſſe a Capitulis, utque tales dignitates obtinentes in capitulis ſuis perſonaliter præſidere teneantur, & cogantur. Alioquin, niſi pro Eccleſiæ utilitate, & negotiis ſe abſentaverint, ultra certos menſes & ipſi dignitatibus privati exiſtant, poſſintque capitula ad aliorum electionem procedere; ſed, ut ſua Sanctitas pro bono univerſalis Eccleſiæ hoc contenta eſt de ſuo jure concedere, ita pariformiter fieri vult tam ab ordinariis, quam a patronis ſeu ſæcularibus, ſeu Eccleſiaſticis*

ſticis omnibus, quod ad tales dignitates attinet, ita ut nullo prorſus prætextu electionis libertas quoad tales impediatur.

Sunt, & aliæ quædam dignitates tam in Cathedralibus, quam in collegiatis Eccleſiis, quæ talem reſidentiam non requirunt, nec capitulis intereſſe prohibentur: quales ſunt fere per Germaniam præpoſituræ, aliæque dignitates, & officia, quæ per ſubſtitutos exerceri poſſunt. Quoad hæc vult ſua Sanctitas antiqua concordata obſervari inviolabiliter: nam ita exigit univerſalis Eccleſiæ utilitas, ut ſe poſſit præbere liberalem erga viros doctos, eoſque qui de hac Sede, & univerſali Eccleſia ſunt benemeriti.

P. V. *Viri docti, & idonei eligantur ad parochiales Eccleſias.*

R. Ita optat etiam Pontifex. Nam e Parochorum vita pendent mores Parochianorum. Itaque rogat ordinarios, & jure-patronos, ut non niſi doctos, & idoneos presbyteros eligant.

Quare etiamſi Pontifex harum electionum jus etiam per menſes reſervatarum S. Sed. cederet Epiſcopis, & jure-patronis præſiciant viros probos, & ſapientes, neque Eccleſias conferant cognatis, miniſtris, aut iis, quos commendant conſiliarii, & miniſtri.

Ut hæ electiones fierent recte, caderentque in utilitatem Eccleſiarum, cuperet ſua Sanctitas, ut exquireretur univerſitatum Germaniæ conſilium de modo quo hujuſmodi electiones eſſent faciendæ.

P. VI. *Annatarum ſolutio tollatur; & electionum Epiſcopalium confirmationes non fiant a Pontifice, ſed a Germaniæ Archiepiſcopis, vel a Primate.*

R. Quoad confirmationes Epiſcoporum miratur Pius, Principes petere, ut confirmentur ab Archiepiſcopis, vel primate. Nam ita petendo oſtendunt, *ſe omnis antiqui ritus Eccleſiaſtici ignaros eſſe.* Namque ut videant, quam antiquus ſit ritus petendi confirmationem Epiſcopalem a Pontifice, qui unus poteſt hunc, illum delegare ut illam det, legant epiſtolam Leonis I. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum ſuum & A. S. in partibus orientis Vicarium. (v. t. I. de Vicariis, legatis, &c. *omnis admonitio* &c. n. I. v. etiam t. 3. de Epiſcopis *quia leges, &c.*

Quoad annatas reſpondet Pontifex, eas ſolvi in utilitatem totius Eccleſiæ. Nam Pontifex debet totius Eccleſiæ pondus ſuſtinere, ejuſque dignitatem tueri. Antiquitus in lege Moſaica Levitis ſolvebantur decimæ, in earum locum in nova lege ſubrogatæ ſunt annatæ, *hoc eſt medii unius anni fructus, qui tamen nunquam ad integrum valorem æſtimantur ab aliis, quam qui ab Apoſtolica ſede accipiunt Eccleſiaſticos redditus.*

Reponebant Germani, ſe annatas ſolvere, ut iis uteretur Pontifex contra Turcas, pro Chriſtianis.

Reſpondet Pius, nec ſe, nec anteceſſores ſuos unquam defuiſſe chriſtianis, cum eos infideles aggreſſi ſunt; & ſubſidiis pecuniariis modo huic, modo illi principi in infideles belligeranti adfuiſſe; & multo plures ſummas expenſas a Pontificibus fuiſſe pro defenſione Hungariæ ſolius contra Turcas, quam ex annatis beneficiorum totius Germaniæ per tot annos collegerint.

Cæterum *conſtat ante nongentos annos, immo mille annos ita obſervatum ab Eccleſia, ut confirmati ab hac ſede Epiſcopi, & Metropolitani eidem cum obedientiæ obligatione pecuniariam etiam nonnullam præſtationem ſolverent: de quo ſi quis dubitat, certior fieri poterit ex ea, quæ de hac cauſa inter Conſtantinum hujus ſedis Pontificem, & Felicem Ravennatem Archiepiſcopum exorta eſt tragœdia. Nam cum hic in ſuperbiam, rebellionemque elatus antiquam prædeceſſorum ſuorum formulam tam in ſubjectionis obligatione, quam in pecuniaria præſtatione ſequi contemneret, nec Conſtantini monitis ut prædeceſſorum ſuorum exemplum ſequeretur, induci poſſet, Juſtinianus Imperator intellecta illius erga hanc Sedem inobedientia, & contumacia, Theodorum Patritium ex Sicilia cum claſſe in Ravennates miſit, quibus Archiepiſcopi ſui rebellioni faventibus bello victis, Felix Conſtantinopolim relegatus pœnas ſuæ contumaciæ dedit. Hæc autem ante annos fere nongentos acta adſcribenda cenſuit ſua Sanctitas, ut ex eis Germani Principes intelligerent, non eſſe recentem annatarum introductionem, quamvis recens eſt earum nomen; proinde iniqua eos petere, qui has nollent perſolvi amplius.*

P. VII. *Nullæ deinceps Commendæ, nullæ uniones, ſeu incorporationes prælaturarum, aut Eccleſiarum beneficiorum fiant.*

R. Interdum hæ uniones ſunt neceſſariæ; & jus commune concedit Ordinariis facultatem eas faciendi. Quando autem ſint faciendæ, & quomodo, providebit Pontifex.

De commendis requirentibus perſonalem reſidentiam libenter condeſcendit Pius Germanorum poſtulatis, ita de beneficiis reſidentialibus; de illis, & his vetentur uniones.

P. VIII. *Reſervationes beneficiorum ne fiant a Pontifice.*

R. Quando Pontifex Ordinariis reſervat integra concordata cum natione Germana, de his reſervationibus conqueri non poſſunt. Interdum expedit univerſali Eccleſiæ, Pontificem ſe oſtendere liberalem erga benemeritos.

Cæterum fiant a Pontifice hæ reſervationes *abſque alterius injuria*, & juſta de cauſa,

P. IX. *Beneficia in Germania conſiſtentia ſolis Germanis conferantur.*

R. Satis reſponſum eſt huic poſtulato per reſponſa ad quartum, & quintum poſtulata.

P. X. *In collegia, & capitula nobilium, & graduatorum ſoli nobiles, & graduati admittantur.*

R. Illis obſequitur ſua Sanctitas.

P. XI. *Diſpenſationes, & abſolutiones a caſibus reſervatis dentur ab Ordinariis.*

R. *Principes partim non intelligunt quid velint, aut cupiant, partim injuſtiſſime petunt. Nam ubi Archiepiſcopi, & Epiſcopi poteſtatem habeant diſpenſandi in iis, quæ in hujus Sedis auctoritate conſtituta ſunt, hoc eſt inferiores, & ſubditi in lege ſuperiorum ſuorum, niſi ubi eis hoc expreſſe permittitur, omni juri, omnique rationi contrarium eſſe, indubitatum eſt.*

In abſolutionibus autem reſervatorum caſuum, quod juri communi, & ſacris Conciliis ſtare cupiant, hoc vult jus commune, hoc ſacra Concilia, ut in caſibus Apoſtolicæ ſedi reſervatis ſe intromittat nemo niſi ejuſdem ſedis auctoritate.

P. XII. *Statuatur, qui admitti debeant ad beneficia, ne cuique aditus pateat: & admiſſi poſt triennalem pacificam poſſeſſionem turbari non poſſint.*

R. Primæ poſtulati parti ſatis reſponſum eſt in primis articulis.

Quod tamen de triennali poſſeſſione beneficii in nullo caſu moleſtanda exigant Principes, videtur Sanctitati ſuæ regula Cancellariæ ſuper hoc edita videri æquiſſima, nec is, qui evidenter, ac notorie abſque ullo canonico titulo in beneficium Eccleſiaſticum ſe intruſerit, beneficio triennalis poſſeſſionis gaudere debet.

P. XIII. *Nimiæ indulgentiæ tollantur, e quibus multi anſam capiunt male agendi.*

R. Ægerrime fert Pontifex quoſdam abuti indulgentiis. Sed nihil eſt tam rectum, tam bonum, tam bene conſtitutum, quo homines abuti non poſſint.

Non ideo tamen ob quorundam abuſum putat Pius indulgentias eſſe rejiciendas, *cum certum ſit, Chriſtifidelibus eſſe utiliſſimas tam ad excitandum devotionem multorum, quam ut miſeris oneratis ſatisfactione peccatorum ſuccurratur miſericorditer. Itaque ſi expoſcat Eccleſiæ neceſſitas, non exiſtimat, Chriſtifideles per eas ad ſubventionem non eſſe invitandos.*

P. XIV. *Domus Theutonicorum Apuliæ, Siciliæ, & Venetiarum iis reſtituantur.*

R. Nihil huic articulo reſpondet Pius, quia *ſatis informatus non eſt.*

Hic tamen viciſſim ab illis petit ſua Sanctitas, ut curent reſtitui in ſtatum priſtinum ordinem Dominorum Prutenicorum, quorum bona Caſimirus (lege Albertus) *Brandemburgenſis illius ordinis magiſter ſui voti oblitus accepta uxore in profanos uſus convertere conatus eſt, & veluti hereditaria ſibi, ſuiſque prolibus uſurpare.*

P. XV. *Nullus prælatus ſit exemptus ab juriſdictione ordinaria, quia ob exemptionem vitam diſſolutam ii Prælati agunt.*

R. Exemptiones hujuſmodi a longo tempore introductæ fuerunt, *propterea quod Ordinarii ſuum non facerent officium:* quorum vita cum non ſit reformata, queri non poſſunt, ſi quidam curant ab iis eximi, ut devotius Deo inſerviant.

P. XVI. *Adminiſtratoribus, Abbatibus, Prælatis non detur indultum de ſe non conſecrari faciendo.*

R. Fatetur Pius ſe victum importunitate multorum hoc indultum dediſſe, ſed illud revocabit, nec dabit amplius.

P. XVII. *Nulli ordinentur ſuper Eccleſiarum titulis, ad quorum poſſeſſionem nunquam perventuri ſunt.*

R. Causa hujus abusus sunt Episcopi Germaniæ, qui, obtentis Episcopatibus, vitam sæcularem agere volunt, nec Episcopalia officia adimplent: ut sit aliquis, qui earum animarum curam gerat, & munera Episcopalia exerceat, dandi sunt suffraganei, qui ordinantur super iis titulis.

Vellet Pontifex eos tollere, modo Episcopi vellent suis muneribus fungi.

P. XVIII. *A Sancta Sede plerique promoventur pauperes, indocti, vitiosi.*

R. Graviter id fert Pontifex. Cuperet nonnisi dignos ad ordinationes promoveri a S. Sede, & ab Ordinariis. Quomodo malum tolli possit, consulendi sunt docti, & universitates.

P. XIX. *Cœlibatus Clericorum tollatur, tollenturque Clericorum mala exempla &c.*

R. Concilium huic postulato proposito etiam ab Imperatore Maximiliano II. respondebit; hæc enim quæstio in consilio agitabitur. Agitata fuit anno 1565.

„ Quid responderit Concilium eo anno, liceat nobis hic apponere.

1. Male cœlibatus dicitur abusus, cum præstet matrimonio, ut probant SS. Patres & Apostolus docet.

2. Cœlibatus semper in usu fuit in Ecclesia, neque ejus introductio est nova. S. Callixtus ante annos mille & trecentos sanctionem de cœlibatu tulit; cœlibatus jubetur in Conciliis Neocæsariensi, Ancirano, Agathensi, Gerundensi, Meldensi, Aurelianensi.

3. In primitiva Ecclesia assumpti fuerunt uxorati ad ordines, quia penuria clericorum cœlibum erat. Aucto Clericorum numero, Siricius Papa indixit continentiam Clericis cap. *Plurimos* dist. 82. quod confirmavit Innocentius I. Leo Magnus, & Gregorius Magnus.

4. Sacerdotes veteris legis quando ministrandum iis erat (ministrabant autem per vices suas) non agnoscebant uxores, novæ legis Clerici qui semper Deo ministrant, debent esse semper continentes.

5, Cum aliquid Sancti erat faciendum in lege Mosaica, jubebatur uxoratis continentia. Afferuntur plura loca e sacris litteris id probantia. Cum nostræ legis Clerici semper inter Sacramenta versentur, decet, eos esse continentes.

6. Hæc fuit Joviniani hæresis damnata ab Ecclesia.

7. Imperii principes puniant quidem Clericos incontinentes.

8. Afferunt Lutherani concionatores, ut cœlibatum damnent illa Apostoli verba Corinth. 7. *Unusquisque habeat uxorem propter fornicationem, & melius est nubere quam uri.* Nam S. Paulus loquitur ibidem de eo qui continentiam non vovit. Ceterum qui videt se stimulis carnis nimium agitari, ne Clericus fiat. Cur iidem concionatores non afferunt illa ejusdem Pauli verba, *bonum est homini mulierem non tangere, volo vos omnes, sicut & ego?* Erat autem Paulus cœlebs.

9. Male intelligunt hæretici verba illa S. Pauli, *Episcopus sit unius uxoris vir*; hoc est, explicat S. Hieronymus, non sit bigamus. Si necesse esset uxorem habere Episcopo, ergo Martinus, Nicolaus, Titus, Joannes Evangelista non fuerunt Episcopi; imo Christus caput Ecclesiæ caput non esset, Ii enim & alii innumeri fuere innupti.

10. Exemplum quod afferunt heterodoxi, tempore Henrici IV. Imperatoris, Clericos uxores duxisse, male affertur. Eo enim tempore contentio erat Imperatori cum Pontifice, Imperatorque agebat quidquid sciebat esse ingratum Pontifici, id quoque agebant Clerici adhærentes Imperatori: Turbis sedatis coacti fuerunt Clerici concubinas expellere.

11. Dicunt hæretici Deum mandasse matrimonium contrahere; dixit enim *crescite, & multiplicamini*. Ergo peccassent, qui non duxerunt uxores; peccavit Martinus, Nicolaus, Joannes, Christus ipse; quo quid absurdius?

Christus neque nubendi, neque cœlibatus mandatum dedit, liberam homini electionem reliquit. Sed Ecclesia Clericis potuit hanc legem cœlibatus præscribere, & semel ad Clericatum admissi debent eam servare, quia cum hac lege admissi sunt.

12. Dicunt connivendum esse senescenti, & imbecilliori humano generi: Custodiant Clerici sensus suos, ne conversentur cum mulieribus, ne impuros sermones serant, & continentiam servabunt; vacent studio, auxilium Dei precibus implorent, poteruntque dicere cum D. Paulo ad Philip. *omnia possum in eo qui me confortat.*

„ Hoc responsum datum a Pio IV. Principibus Germaniæ de clericorum cœlibatu, fuit compositum a Fr. „ Michaele Cardinali Alexandrino, qui successit eidem „ Pio, fuitque appellatus Pius V. nunc inter cœlites.

Confirmatur electio Mathiæ in Romanorum Regem.

cccxiii. B. R. t. 5. p. 4. p. 108. C. C.

PAULUS V. Mathiæ Romanorum Regi electo.

Inc. *Romani Pontificis, &c.*

MOrtuo Rodulpho Imperatore, electores de more convenerunt Francofurtum ad Mœnum coacti ab Archiepiscopo Moguntino, & unanimiter elegerunt Mathiam Archiducem Austriæ, Hungariæ, & Bohemiæ Regem, & præstito juramento, Aquisgrani coronatus fuit,

Petit suæ electionis Mathias a Paulo confirmationem.

Qui sciens fidem, zelum, dotes animi, & corporis Matthiæ & electionem, & coronationem confirmat, supplens defectus, qui fortasse in has functiones incurrerunt. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Jan. P. a. VIII. a. D. 1613.

Primariarum precum concessio Mathiæ.

cccxiv. Ib. p. 110. C. C.

PAULUS V. Mathiæ, &c.

Inc. *Cum post factam, &c.*

SUpplicaverat Mathias, ut moris est, *preces primarias sibi* a Paulo concedi (*hoc est jus nominandi ad beneficia primo vacatura,*)

Paulus id illi concedit.

Plura videbis in Bulla Clementis XI. cum post factam, N. O.

D. R. apud S. Petrum Cal. Mar. P. a. VIII. a. D. 1613.

Ferdinandus Imperator absolvitur a censuris ob remotionem Cardinalis Clesselii.

cccxv. Ib. p. 274. C. C.

PAULUS V. Ferdinando (II,) Romanorum regi.

Inc. *Cum sicut, &c.*

PRæsulem Viennensem Cardinalem Melchiorem Clesselium justis de causis ab aula removerat Ferdinandus, & ceniponti nomine Pontificis custodiendum curaverat.

Verens Ferdinandus in aliquas censuras ob hanc Episcopi remotionem se incurrisse ad cautelam per oratorem ad hoc Romam missum absolutionem a Pontifice petit,

Quam illi Paulus elargitur. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXV. Oct. P. a. XV. a. D. 1619.

Confirmatio electionis Ferdinandi in Imperatorem.

cccxvi. Ib. p. 281. C. C.

PAULUS V. Ferdinando &c.

Inc. *Romani Pontificis, &c.*

MAthiæ suffectus fuit in Imperium Ferdinandus hoc nomine II. qui cum petiisset a Paulo suæ electionis confirmationem,

Eam obtinet. N. O.

Congruit constitutio cum aliis hujus generis.

D. Rom. apud S. petrum IX. Cal. Mar. P. a. XV. a. D. 1620.

Concessio primariarum precum.

cccxvii. Ib. p. 284. C. C.

PAULUS V. Ferdinando &c.

Inc. *Cum post factam, &c.*

PEtiit etiam Ferdinandus a Pontifice *preces primarias*,

Quas illi Pontifex concedit. N. O.

D. Rom. apud S. M. Maj. prid. Non. Junii P. a. XVI. a. D. 1620.

De

De electione facienda alicujus probi & strenui viri in Romanorum Imperatorem.

cccxviii. B. R. t. 6. p. 2. p. 77. C. C.

URBANUS VIII. Archiepiscopo Moguntino S. R. I. electori.

Inc. *Cum ob præsentium, &c.*

DEveniendum erat ad electionem Romanorum regis Imperatore Ferdinando jam fatis functo.

Paulus, ne in tot angustiis, quibus afflictabatur Germania (ardebat siquidem bellum a Gustavo Adulpho Svetiæ rege motum diutinum, & acerrimum) mora aliqua afferretur electioni, præoccupat Urbanus eos supplere defectus, qui in illa esse possent ob interventum duorum hæreticorum Electorum; & eo quod qui fuerat jam electus Romanorum rex, nondum fuerat coronatus.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Aug. P. a. XIV. a. D. 1636.

Consulit Urbanus juribus S. R. E. in electione, & confirmatione Imperatoris.

cccxix. Ib. p. 122. C. C.

URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Acceptis nuper, &c.*

SCripserat Urbano Ferdinandus III. se electum fuisse in Imperatorem loco Genitoris sui.

Pontifex eum appellavit Imperatorem electum, ad eum ut Imperatorem scripsit, ejus electionem Fratribus significavit, ejus oratorem ad audientiam admisit.

Declarat tamen per præsentes, non ideo se ejus electionem confirmare, nisi sicuti mos est, ille expresse Pontificiam confirmationem petat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Dec. P. a. XV. a. D. 1637.

Confirmatio electionis Ferdinandi III.

cccxx. Ib. p. 159. C. C.

URBANUS VIII. Ferdinando Imperatori.

Inc. *Cum vices, &c.*

PEtenti Ferdinando suæ electionis confirmationem eam dat Urbanus. N. O.

D. Rom. apud S. M. Maj. IV. Id. Nov. P. a. XVI. a. D. 1638.

Concessio primariarum precum.

cccxxi. Ib. p. 162. C. C.

URBANUS VIII. Eidem &c.

Inc. *Cum post factam, &c.*

POstulanti eidem Ferdinando primarias preces Urbanus eas concedit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum XII. Cal. Dec. P. a. XVI. a. D. 1638.

Declaratio super actibus occasione electionis Leopoldi Archiducis Austriæ in Imperatorem.

cccxxii. B. R. t. 6. p. 4. p. 232. C. C.

ALEXANDER VII. ad f. r. m.

Inc. *Acceptis nuper, &c.*

DEclarat Alexander ex eo quod receperit oratorem Leopoldi electi in Romanorum Imperatorem, non idcirco se ut talem illum recognoscere, nisi prius petierit a S. Sede electionis approbationem:

Neque ex admissione ejus oratoris facienda argui debere ejus electionem approbatam; sed peti debere a Pontifice confirmationem,

Nullumque ex his Pontificiis actibus præjudicium in jura S. Sedis super electione Imperatorum provenire debere. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die II. Aug. P. a. IV. a. D. 1658.

Conqueritur Pontifex, milites Imperatoris Josephi in ditionibus Ecclesiæ hyemare.

cccxxiii. ex Lunig. t. 1, p. 830.

CLEMENS XI. Imperatori Josepho.

Inc. *Quæ diebus, &c.*

ANno 1707. Eugenius Sabaudiæ Princeps Imperialium exercituum supremus Dux distribuerat acies in hiberna in agris Bononiensi, & Ferrariensi.

Cum hoc audisset Clemens, scripsit ad Principem Eugenium, ut inde copias deduceret, qui Pontifici rescripsit, se necessitate coactum eo duxisse milites.

Quotidie nuncii afferebantur ad Pontificem damna multa inferri a militibus, præstanda iis esse alimenta, pecuniarum summas a Legatis &c. Quare scribit ad Imperatorem ipsum necessitate impulsus, cum suorum subditorum saluti, & emolumentis studere debeat.

Eum rogat, ut jubeat inde milites deduci; non decere Catholicæ Religionis defensorem patrimonium Principis Apostolorum pati a suis militibus vastari; arma in defensionem fidei verti in oppugnationem status Ecclesiæ; Ecclesiam adjuvasse pecunia Domum Austriacam pugnantem cum Turcis; Deum eventus, ait Clemens, feliciores illi daturum, si milites suos non permittat Ecclesiæ ditiones turbare.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Jan. a. 1707.

Reprehenditur Josephus I. Imperator, quod quædam loca S. R. Ecclesiæ occuparit.

cccxxiv. ex cod. t. 2. p. 839.

CLEMENS XI. Imperatori Josepho &c.

Inc. *Vix simile, &c.*

QUeritur Pontifex, Imperatoris copias præter damna plurima illata subditis populis Ecclesiæ crebris transitibus per provincias status Ecclesiastici, etiam urbes (*Comaclum*) ejusdem status occupare; & videri esse alia etiam loca occupaturas, cum advenerint milites ex Germania, quos adventuros esse, rumor erat.

Hæc contra æquitatem fieri vel Cæsar ipse videre potest, contra reverentiam illam, quæ Ecclesiæ debetur, contra juramentum, quod edidit, se defensurum esse Romanam Ecclesiam, ejusque jura.

Scit Imperator, quas pœnas Sacri Canones indicant vim afferentibus rebus, & juribus Ecclesiæ.

Videat quo fuerit malis consiliis abreptus (si modo ipse hæc S. Sedis loca occupare jussit): referat ergo retro pedem, neque justissimam iram Dei in se, in suam domum, in suas copias concitare velit.

Illum monet, se non ignorantem quale sit officium suum, constanti pectore laturum esse quidquid evenerit, sed tamen defensurum esse jura S. Sedis; memor enim est, sicut memor esse debet Josephus, omnes homines ante tremendum Dei tribunal apparituros esse rationem reddituros de abusu eorum munerum, quæ a Deo acceperunt.

Nolit Imperator primitias adolescentiæ suæ tanto cum fidelium scandalo maculare, & sui Imperii auspicia ab injuria tam insigni Christi sponsæ illata desumere.

D. Romæ Die II. Junii a. 1708.

Gravior objurgatio ad eundem Imperatorem.

cccxxv. Ib. p. 841.

CLEMENS XI. Josepho &c.

Inc. *Hactenus lenitatis &c.*

JAm copias paraverat Clemens, quibus præfecerat Ducem Supremum Comitem Marsili Bononiensem, & Nepotem suum illi subjecerat. Hinc ergo elatius Josepho scribit, eumque gravius reprehendit;

Ait, se illum æque ac alios principes tanquam Patrem communem amasse; se curasse accensum bellum illum inter, & Galliarum regem extinguere, *curasse paternam quandam indifferentiam*, ut officia sua pro pace utrique parti validiora essent; *conjunctionem armorum, quæ sibi offerebatur, ut exteris legionibus Italia liberaretur, constanter rejecisse; accepisse Cæsaris* milites, Neapolitanæ expeditionis se auctorem fuisse, quod sine illo regnum certe acquiri non potuisset; demum

mum magis felicitati Josephi se consuluisse, quam suæ, suorumque subditorum.

Sed cum videat Clemens lenitatem in causa esse, cur S. Ecclesia sibi commissa plures, gravioresque injurias accipiat, *omissa lenitate, & patientia, severissime munus suum exercebit.*

Opinatur Clemens, ejus conscientiam ipsi denuntiaturam fore eum irretitum teneri, cum Ecclesiastici dominii partem non exiguam hostiliter deprædatus est, & pensiones, ac beneficia, quæ Ministris Ecclesiæ conferebantur, sibi adjudicaverit extorsione violenta.

Accedit etiam (sic enim ex litteris tuis accepimus) ut causam Christi Domini ejusque in terris Vicarii tu ipse velis judicare. Desiste fili, & ad reverentiam Ecclesiæ animum tuum fidelem revoca: Obliviscemur nos injuriarum, ac te tanquam primogenitum filium diligemus. Sed si perstabis in tanta intemperantia consilii, abjiciemus Patris clementiam, & in te tanquam rebellem filium excommunicatione, & armis etiam, si opus est, animadvertemus. Neque vero timebimus quidquid etiam evenist; Christi enim Domini nostri, ejusque Ecclesiæ causam defendimus. Christus ipse vires dabit, ut vincamus. Et si te non pudet, Ecclesiam, & Deum ipsum impugnare, & ab avita pietate Austriaca, & præcipue Patris tui Leopoldi S. Sedi adstrictissimi declinare, idem ipse Deus, qui regna confert, regna deperdet.

D. Romæ Die XVI. Jul. a. 1708.

Declaratur nullitas primariarum Precum Vicariorum Imperialium.

ccexxvi. EMt 8. p. 77. B.R.t.10. p. 1. p. 262. C.C. CLEMENS XI. ad p. r. m.

Inc. *Cum sicut, &c.*

MOrtuo Imperatore Josepho, Vicarii Imperiales primarias preces non postulaverant, tamen quædam beneficia distribuerunt.

Cum negaverit Clemens has primas preces Imperatori Josepho, quia minime munitus auctoritate Pontificia, quam ille non requisiverat, multo magis eas reprobat in Vicariis.

Quapropter illas provisiones beneficiorum nullas declarat, quippe quæ factæ sunt sine debita obtenta licentia.

Eas igitur collationes revocat, electosque fructibus Beneficiorum carere vult, & si eos perceperint, præcipit illis, ut tanquam male perceptos restituant. N.O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die III. Oct. P. a. XI. a. D. 1711.

Declaratio super actibus a Pontifice factis occasione electionis Caroli VI. in Imperatorem.

ccexxvii. B.M.p.6. vel t. 12. p. 513. Ib.p.277. C. C. CLEMENS XI. ad p. r. m.

Inc. *Acceptis nuperrime, &c.*

SIgnificaverat Carolus VI. electus Romanorum rex electionem suam Clementi jam factam, electionem autem in Imperatorem faciendam in diem XII. Octob.

Pontifex respondet, & per hanc constitutionem ejus electionem jam factam confirmat.

Quamvis, ait, semper in more fuit positum, ut mortuo Imperatore, non procederetur ad electionem regis Romanorum, nisi consulta prius S. Sedis voluntate.

Ideo autem dicit Pontifex, se hanc constitutionem edere, ne putent alii, velle se derogare Ecclesiæ juribus,

Se missurum ad Carolum sic electum Nuncios, & permissurum, ut cum illo agant tanquam Imperatore, licet absque licentia S. Sedis fuerit electus.

Vult tamen, Carolum petere suæ electionis a S. Sede confirmationem, quam nisi eam petat, ait, neque eum vere futurum Imperatorem, nec gaudere posse iis privilegiis, quibus Imperatores a S. Sede confirmati gavisi sunt. N. O.

D. Rom. apud S. Petrum Die XVIII. Dec. P. a. XII. a. D. 1711.

Confirmatio electionis Caroli VI. in Imperatorem.

CLEMENS XI. ad p. r. m. ccexxviii Ib.p.539.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

PEtenti Carolo VI. confirmationem suæ electionis in Imperatorem factam Francofurti ad Mœnum a concordibus electoribus, & suæ coronationis, jam in manibus Archiepiscopi Moguntini præstito solito juramento præstando a Catholico Imperatore de tuenda Catholica Religione,

Factam electionem, & coronationem Clemens confirmat, certissime sperans, eundem Carolum præstiturum, quæ fuerat pollicitus. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Rom. apud S. M. Maj. IV. Cal. Mar. P.a.XIV. a. D. 1714.

Concessio eidem Carolo primariarum precum.

CLEMENS XI. Carolo Romanorum Regi in Imperatorem electo. ccexxix. Ib.p.540. Ib. p. 10. C.C.

Inc. *Cum post factum, &c.*

CUm exposceret Carolus *quasdam personas sibi bene visas* beneficiis ecclesiasticis compensare, petit a Clemente primarias preces.

Pontifex consideratis virtutibus, & pollicitationibus ejusdem Caroli, qui professus fuerat futurum se Ecclesiæ Catholicæ protectorem, eas illi concedit;

Dummodo dignitates ipsæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificales majores, aut collegiatis hujusmodi principales non existant;

Et salvo, quod singulæ collationes, & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra quam in uno beneficio non graventur; & una, & eadem persona ad unum beneficium tantum nominari possit, ita tamen, quod quamprimum persona sic nominata de aliquo beneficio provisa fuerit, ejus nominatio quoad alios collatores, vel collatrices facta ipso jure expiret, & quoad easdem preces Canonicatum, & præbendam, seu personatum, administrationem, vel officium in una Ecclesia pro unico duntaxat beneficio computari debeat; & hę provisiones debent fieri intra mensem computandum a die cognitionis beneficii vacationis;

Nec pro his precibus assignantur menses, sed quibuscunque mensibus vacent, ea conferre Imperator potest, *etiamsi hæc beneficia dispositioni Apostolicæ generaliter reservata sint.*

Ceterum quia immaturus obitus impedivit Imperatorem Josephum, ut *secundum canones, & juxta veterem Apostolicæ Sedis morem* non potuerit impetrare a S. Sede suæ electionis confirmationem, ac proinde cum neque primarias preces S. Sedes illi dederit, Clemens Carolo ejusdem Josephi Germano fratri dat preces primarias, quas dedisset Josepho;

Quod tamen non transeat in exemplum, servatisque in provisionibus clausulis supra expositis. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Rom. apud S. M. Maj. VI. Id. Mar. P. a.XIV. a. D. 1713.

DE ELECTORIBUS.

De Concilii Oecumenici celebratione.

CLEMENS VII. Electoribus Ecclesiasticis, & Sæcularibus. ccexxx. ad an. 1533. 9. 10.

Inc. *Quod ab ista, &c.*

VIx ac audivit Clemens a Germana natione postulari Oecumenicum Concilium ad sedandas discordias, quibus lacerabatur, ut argueret, quantum a Pontifice amaretur, & quanti fieret, de illo convocando fuit sollicitus, & de modis illud convocandi, habendique cœpit cum Imperatore, & Rege Romanorum agitare.

Jamque convocatum fuisset, nisi irruptio Turcarum in Hungariam, & Imperium supervenisset, quæ tractatus quoscunque diremit, sustulitque.

Ut autem clarius appareat, Clementem nunquam Concilii convocationem subterfugisse, hoc amplissimo argumento esse potest, cum infirma valetudine, ætate jam viribus effœta, hyeme in media Bononiam perrexisse, ut cum Cæsare de illo cogendo conveniret.

Ideo autem statim a colloquio Cæsaris illud non indixit, quia ejus celebrationi quidam principes adversabantur, quos illi interesse necessum est, cum sit generale. Ut autem iis persuaderetur ejus necessitas, sicut multum laborandum, desudandumque fuit, ita tempore fuit opus.

Nunc terrore Turcarum depulso, assentientibus plerisque principibus urgebit opus Clemens.

Hæc ideo scribit prædictis Electoribus Pontifex, ut videant, se pro virili parte sua ejus nationis quieti, tranquillitatique &c. consuluisse semper, & esse in posterum consulturum.

D. Bononiæ Die X. Janu. P. a. X. a. D. 1533.

„ Ad alios principes fere eadem scripsit Clemens. „ Has unas ergo litteras de hoc argumento attulisse „ sit satis.

De custodia arcis Niciæ, & de pace.

ccexxxi. ad an. 1544. 9. 3. PAULUS III. Electoribus, &c.

Inc. *Legimus libenter, &c.*

„ RUmor percrebuerat, Franciscum I. In Italiam „ Turcas evocasse; & eos meditari obsidionem „ Niciæ, quæ urbs erat Ducis Sabaudiæ, qui erat af„ finis Caroli V. cujus uxoris sororem habebat in ma„ trimonio. Electores Imperii persuadente Carolo V. „ scripserunt Pontifici, ut eam arcem defenderet con„ tra aggressuros Turcas. Erant tunc Spiræ omnes fe„ re Germaniæ principes ut de religione agerent. In„ terim bellum inter Carolum, & Franciscum ardebat.

Respondet iis Paulus; se tanquam patrem communem per eos annos decem, per quos est Pontifex satis ostendisse nihil magis sibi fuisse cordi, quam defensionem Reipub. Christianæ locorum quorumlibet contra Turcas.

Testes locupletissimos esse Carolum V. cui pugnanti contra Turcas in Hungaria, in Germania, in Africa semper fuppetias tulit; & ejus fratrem Ferdinandum, cui semper subsidia in Pannoniæ defensionem large submisit;

Etiam pro defensione Niciæ se auxilium esse præbiturum;

Sollicitudinem cogendi concilii satis aperte indicare, se nullam aliam curam potiorem habere, quam pacem; in illo siquidem concilio sibi in animo esse non solum quæ ad religionem spectant decernere, sed etiam ad expeditionem in Turcas movere principes;

Legatos, Nuncios, litteras missos, missasque ad Carolum, & ad Franciscum, & ad alios principes, ut inter eos Imperatorem, & regem pacem concilient, argumento locupletissimo est, se pacem summopere desiderare, ut ii milites possint contra Turcas mitti.

Ceterum sciant Electores principesque nullum christianæ Reip. locum posse contra Turcas defendi, nisi inter eos principes pax firmetur.

Illi ergo Imperatorem, Regemque ad eam conciliandam inducant.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVI. Febr. P. a X. a. D. 1544.

Respondetur statibus Imperii poscentibus, ut Concilium Tridentum transferatur.

ccexxxii. Ad an. 1548. Paiag. 4. PAULUS III. Ordinum Imperii statubus.

Inc. *Accepimus, &c.*

BOnoniam translatum Tridento Concilium fuerat ob pestilentiam.

Status Imperii de hac translatione questi sunt, eumque orarunt, ut referretur Tridentum.

Eorum querelis, & postulatis respondet Paulus;

Ut rem gratam Germaniæ nationi faceret, Tridentum elegerat Paulus, in qua urbe haberetur Concilium.

In Germaniæ faucibus ea sita est, commoda, fertilem agrum habet, salubris est aer. Consenserant in hujus urbis electionem Germani ipsi. Tamen cum Tridentum confluxissent ex omnibus christiani orbis partibus præsules, per menses quindecim, licet ibidem essent oratores Imperatoris, & Romanorum Regis, nullus e Germania Episcopus eo venit, licet omnes & singuli crebris litteris invitati fuissent.

Translatio autem Tridento Bononiam facta fuit, Pontifice inficiente, cum Concilium a S. Sede indictum hoc jure gaudeat. Quod si qui noluerunt Bononiam venire, non ideo divisum Concilium fuit, est unum idemque. Facile poterant, polsuntque qui sunt Tridenti, venire Bononiam; nec enim magna est via.

Serius autem respondetur Imperii Ordinibus, quia prius consulendi fuere patres qui sunt Bononiæ, quid esset respondendum Cæsari, qui de hac translatione questus est; quod quidem responsum datum Cæsari, & Cardinali Tridentino Madrucio idem quærenti ad illos transmittit Paulus.

Tridenti porro morati patres vel veniant Bononiam, vel efficiant, ut Bononiæ morantes Tridentum eant, perinde Pontifici est. Ubicunque erunt patres, ibi erit Concilium.

Hinc colligant Imperii status, injuria queri Lutheranos, libertatem in concilio non esse.

D. Romæ apud S. Marcum Cal. Jan. P. a. XIV. a. D. 1548.

DE DUCIBUS (ARCHIDUCIBUS NUNC) AUSTRIÆ.

Ne assentiatur Leopoldus conditionibus Ludovici Bavari.

JOANNES XXII. Leopoldo Duci Austriæ. ccexxxiii. Ex Raynaldo Ad an. 1325. 9. 2.

Inc. *Percepimus, &c.*

QUas propositiones fecerit Friderico in Romanorum Regem electo Ludovicus Bavarus, qui eum detinebat captivum, ut illum liberaret, legantur in Cap. de Imperatoribus *ad nostram.*

Friderici fratri Leopoldo scribit Joannes, se accepisse cum indignatione ejus Fratrem Fridericum ejusmodi conditiones sine horrore audire potuisse, ne dum eas confirmare; eas esse fraudulentas, insidiosasque; iis tentare Ludovicum subjicere suæ ditioni universam Austriæ familiam.

Ne Leopoldus eas acceptet, & a Ludovico vafro, Dei, & Ecclesiæ hoste caveat.

Mirandum sane esse, ait, ejus fratrem Fridericum adeo se abjecisse, ut Bavarum regem diceret, Bavaro adhærere promiserit.

Cæterum sciat Leopoldus, se non teneri iis conditionibus, quas juravit se servaturum Fridericus; non enim alios quatuor fratres suos vocavit, cum eas confirmavit; neque in præjudicium suorum fratrum eas ratas habere poterat.

D. Aven. VII. Cal. Aug. P. a. X. a. D. 1325.

De Friderici electionis confirmatione.

JOANNES XXII. Alberto Duci Austriæ. ccexxxiv. Ad an. 1326. Par. 38.

Inc. *Cum alias, &c.*

INstitit Pontifici Albertus, ut Fridericum Fratrem suum jam electum Imperatorem confirmaret.

Respondet Pontifex Alberto, se id salva justitia facere non posse:

I. Quia electionem suam nunquam notam fecit Fridericus Ap. Sedi,

II. Quia non ab omnibus electoribus fuit electus,

III. Quia nunquam prædecessores Pontifices consueverunt e duobus electis in discordia unum confirmare, altero inaudito, Ludovicum Bavarum, quia est excommunicatus, audiri non posse,

IV. Quia videretur Pontifex nimiam auctoritatem sibi vindicare, si eum confirmaret, cujus confirmationem electores non petierunt.

Se ergo excusat apud Albertum, si quod postularat, efficere non potest.

Se gratum illi testatur, quod se, suaque Ecclesiæ dispositioni subjecerit.

D. Aven. IV. Non. Mar. P. a. XII. a. D. 1328.

Otho-

Othonem Auſtriacum in partes ſuas pertrahere nititur Pontifex.

cccxxxv. Ad an. 1331. §. 20. JOANNES XXII. Othoni Duci, &c.

Inc. *Eorum quæ, &c.*

MAle egiſſe Othonem, cum homagium Ludovico præſtitit, & juramentum fidelitatis, ait Joannes.

Ita enim agendo oblitus videtur fuiſſe eorum, quæ ad ipſum Joannem ſcripſerat.

Præterea communicans cum Bavaro excommunicato, de ejus ſententia condemnationis participavit, unde minus gratus Deo exiſtit.

Quare feſtine pœnitentiam agat, & Bavarum deſerat;

Sciatque, ſe de Fratrum conſilio omnia juramenta, quibus illi colligatus eſt, ſolviſſe.

D. Aven. XV. Cal. Febr. P. a. XV. a. D. 1331.

Albertus rogatur ut ad rectum tramitem reducat Ludovicum Bavarum.

cccxxxvi. ad an. 1335. §. 1. BENEDICTUS XII. Alberto Auſtriæ, &c.

Inc. *Cum nos, &c.*

VIx ac Benedictus ad Pontificatum aſsumptus fuit, curavit redigere ad Eccleſiam Ludovicum. Cum ſciret magnæ auctoritatis in Germania, & apud Ludovicum eſse Albertum, ad eum ſcribit,

Ut pro illo obſequio, quo fertur in Eccleſiam, reducere curet *viis, & modis debitis* ad Eccleſiæ unitatem illum.

Videat Albertus hæc diſcordia cum Eccleſia quot fidelium animas perdiderit, ſitque perditura.

Ne igitur hunc laborem refugiat.

D. Avin. Cal. Apr. P. a. I. a. D. 1335.

De Ludovico Bavaro.

cccxxxvii. ad an. 1340. §. 1. CLEMENS V. Alberto Duci.

Inc. *Circa negotium, &c.*

LUdovicus jam capitula obtulerat Pontifici, quæ ſe obſervaturum ſponderat, ſi receptus in Eccleſiam fuiſſet. Jam oraverat Regem Galliæ, ut Pontificem moveret ad concordiam (v. ibi *Regiam volumus*, &c.) rogavit etiam Albertum, ut quædam ex iis capitulis vellet Pontifex detrahere.

Reſpondet Pontifex Alberto, qui Pontificem orarat, ſe jam prævidiſſe Ludovicum nolle ex animo pacem, ſed ludificari; ea promittere, quæ nollet præſtare; ea quæ vult Pontificem ex oblatis capitulis detrahere, jam Benedicto XII. fuiſſe ab illo oblata, & fuiſſe Benedicto pollicitum, ſe illa ſervaturum.

Videat ergo Albertus, quantum credendum ſit Ludovico, & quam male ipſius fide abutatur, qui vult Albertum poſtulare a Pontifice retractationem eorum articulorum, quos ipſe Ludovicus obtulerat ſponte.

D. Aven. V. Id. Janu. P. a. IV. a. D. 1346.

Monetur Philippus, ut in Ducatu Brabantiæ abuſus tollat.

cccxxxviii. ad an. 1492. ALEXANDER VI. Philippo Archiduci Auſtriæ, Burgundiæ, & Brabantiæ Duci.

Inc. *Auctoritatem, &c.*

RElatum Pontifici fuerat in dominiis Philippo ſubjectis auctoritatem Apoſtolicam contemni, libertatem Eccleſiaſticam tolli præſertim in Brabantiæ Ducatu.

Hæc mala non adſcribit Pontifex Philippo, qui per ætatem adhuc teneram iis malis mederi non poterat, ſed tamen cum ingenio polleat, & pietate ſit præditus, hæc mala ibidem eſse ſatis eſt, ſi moneatur a Pontifice; poteſt enim iis, qui præſident imperare, ut hæc tollant.

Aſsueſcat primum curam gerere eorum, quæ ad Deum, ejuſque cultum pertinent, quæ ad Eccleſiam; Deuſque efficiet ut etiam temporalia bene procedant. Interroget aulicos ſuos, intelligetque ſuis majoribus donec debitum Deo Eccleſiæ cultum præſtiterunt, omnia proſpera, & felicia eveniſse.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXII. Oct. P. a. I. a. D. 1492.

Scripſit idem Alberto Saxoniæ Duci, qui Philippum regebat.

Gratulatio de adita hereditate, & de pace componenda, &c.

cccxxxix. ad an. 1504. §. 40. JULIUS II. Philippo Archiduci Auſtriæ, Burgundiæ, &c.

Inc. *Reddidit nobis, &c.*

„ DUxerat Philippus dictus Pulcher in matrimonium
„ Joannam filiam Ferdinandi Aragonum Regis,
„ & Eliſabethæ Reginæ Caſtellæ, & Legionis, & Gra-
„ natæ filiam eorum regnorum heredem. Eliſabetha te-
„ ſtamento ſuorum regnorum ſcripſerat heredem Phi-
„ lippum; qui nuntium de hac hereditate adeunda
„ miſit ad Pontificem.

Pontifex, ſicut aliis epiſtolis ad Philippum ſcriptis doluerat de morte Iſabellæ reginæ numeris omnibus abſolutæ, ita his eidem gratulatur de hac hereditate

Deinde illum hortatur ad ea regna bene adminiſtranda.

Demum cum rogat, ut pacem inducat cum rege Aragonio, cujus erat gener, & cum Rege Galliæ, cujus erat futurus ſocer.

D. Romæ apud S. Petrum Die II. Febr. P. a. I. a. D. 1504.

Populis Auſtriæ &c. auxilium Pontifex pollicetur.

cccxl. ad an. 1533. §. 31. CLEMENS VII. Provinciis inferioribus Domus Auſtriacæ Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & provinciæ ſuper Anoſum.

Inc. *Sex oratores, &c.*

„ SImul cum litteris Regis Romanorum Ferdinandi
„ ſex oratores venerant ad Pontificem, & coram
„ Cardinalibus Turcarum excurſiones per prædictas pro-
„ vincias narrarunt, & auxilium expoſcerunt.

Pontifex populis eorum locorum ſignificat, ſe audiviſse ex relatione ſex oratorum ad ſe miſsorum Turcarum devaſtationem ingentem ab iis factam, prædaſque hominum, pecudumque abactas;

Se monuiſse, & fuiſse hortatum eorum regem, ut opem iis ferret;

Se quidem & feciſse antea quod potuit, & iis non defuturum in poſterum;

Hoc ſe dixiſse eorum oratoribus, hoc ſe illis ſcribere.

Sint bono animo.

D. Bononiæ Cal. Febr. P. a. X. a. D. 1533.

DE DUCIBUS BAVARIÆ.

Solvitur Henricus ab jurato fœdere cum Ludovico Bavaro.

cccxli. Ex Rayn. ad an. 1337. §. 5. BENEDICTUS XII. Henrico Duci inferioris Bavariæ.

Inc. *Sicut juſtitiæ, &c.*

„ MOtus inconſtantia Ludovici Dux Henricus ora-
„ tores ad Pontificem miſit, qui poſcerent ve-
„ niam ſi cum illo fœdus iniiſset. Quod præſtiterunt
„ oratores in conciſtorio.

Primum quidem Benedictus recenſet quibus de cauſis Joannes Ludovicum excommunicarit; quam ſententiam extendit etiam in ejus fautores.

Ducatum inferioris Bavariæ habebat Henricus ſimul cum Othone fratre ſuo, & Henrico ſuo patruele indiviſim. Ludovicus effecit, ut Henricus Ducatum cum præfatis divideret; cum reſiſtere iis non poſſet Henricus, eum diviſit, illique tertia pars obtigit. Illi ſeducti a Ludovico primum adhortantis, tum minis eum compulerunt, ut fœdus cum Ludovico iniret, quod coactus iniit, cum illis longe multo eſset inferior. Quare Ludovicus in terris Henrici habitus fuit, ut Imperator a ſæcularibus, & clericis utriuſque ſexus; talem eum agnovit Henricus, & ejus uxor Margarita. Timuit ergo Henricus, ne inciderit in cenſuras ab Joanne enuntiatas.

Verum mortuo Othone fratre, mortuo Henrico patruele totus Ducatus in illum recidit; proinde fortior factus voluit a fœdere ingratiis ſuis inito diſcedere, oratoreſque ad Benedictum miſit orantes veniam, & abſolutionem a cenſuris, & a fœdere juramento firmato;

Promiſitque, ſe obſervaturum eas conditiones, quas Pontifex impoſuiſſet, neque habiturum Ludovicum in Imperatorem, niſi fuiſſet ab A. Sede confirmatus.

Ergo Pontifex in perſona Gebhardi Procuratoris Henrici eum a cenſuris abſolvit, Eccleſiæque unitati reſtituit;

Vult tamen, niſi promiſſis ſteterit, ſi agnoverit Ludovicum Imperatorem, eum incurrere cenſuras, a quibus fuit ſolutus.

Nulli ergo &c; Siquis autem, &c.

D. Aven. XIII. Cal. Nov. P. a. III. a. D. 1337.

Abſolvendi a cenſuris Albertum Ducem Bavariæ facultas.

cccxlii. Ad an. 1354. §. 16. INNOCENTIUS VI. Herbipolenſi, & Spirenſi Epiſcopis.

Inc. *Nuper pro parte, &c.*

ALbertus Bavariæ Dux filius Ludovici licet impubes eſſet, cum pater ſuus mortuus eſt, tamen verens, ne inciderit in cenſuras, quod cum patris familiaribus converſatus fuit poſtea, abſolutionem a cenſuris a Pontifice petiit.

Quam alterutri e præfatis Epiſcopis illi dandam committit ſub his conditionibus;

I. Ut juramentum det, cujus apponitur formula, ſe obtemperaturum Pontifici ac ejus ſucceſſoribus, & credere quod credit Eccleſia;

II. Ut hoc juramentum firmet litteris ſigillo ſuo munitis.

Quod ſi juramento non ſteterit, in eaſdem reincidat cenſuras.

D. Aven. II. Cal. Apr. P. a. II. a. D. 1354.

Stephanus Bavariæ Dux a cenſuris abſolvitur cum aliis Fratribus.

cccxliii. Ad an. 1362. §. 15. INNOCENTIUS VI. Auguſtenſi, & Ratiſponenſi, & Gurcenſi Epiſcopis.

Inc. *Nuper pro parte, &c.*

STephanus Bavariæ Dux filius Ludovici Bavari abſolutionem a cenſuris a Pontifice petiit, & ut appareret, eum vere, & ex animo abſolutionem petere,

I. Damnavit hæreſim a patre ſuo diſſeminatam, nempe poſſe Pontificem exauctorari ab Imperatore,

II. Et ſpopondit damna Eccleſiis illata reparare, occupata dimittere, nec de cætero quicquam Eccleſiaſticum occuparaturum,

III. Nunquam initurum ſocietatem cum hoſtibus Eccleſiæ, & ſiquam habet, eam ſe ſoluturum;

Et de eadem abſolutione ſupplicarunt alii filii Ludovici Guillelmus, Albertus, Et Otho, qui petierunt quidem antea abſolutionem, ſed ex certis cauſis eam non fuerant conſequuti;

Eamdem petierunt quidam prælati, & Eccleſiaſticæ perſonæ; erroribus abjuratis, & iiſdem factis promiſſis, quæ Stephanus fecit.

Pontifex eos omnes abſolvi mandat a præfatis Prælatis, modo ſtent promiſſionibus.

In compenſationem tamen damnorum ab iiſdem Bavaris Eccleſiæ illatorum, vult, ut quotieſcumque Pontifex *vel per ſe, vel per ſuos officiales in partibus Italiæ conſtitutos iidem Stephanus, & alii ſui fratres fuerint requiſiti infra unum menſem a requiſitione hujuſmodi computandum ducentas barbutas, ſeu equites, quorum meditetatem dictus Stephanus, & ejus ſubditi, alteram dicti fratres, & ſubditi eorum de dicto Ducatu ad quaſcumque partes Italiæ eidem Eccleſiæ contra ejuſdem rebelles fideliter ſervituros deſtinent*, quos per ſex integros menſes incipiendos a die eorum ingreſsus in terras Eccleſiæ ſuis impendiis alent.

Injungit Epiſcopis ut ſalutares pœnitentias iiſdem abſolutis imponant.

D. Aven. VII. Cal. Dec. P. a. III. a. D. 1358.

Datur ampla facultas Stephano agendi cum Antipapa Clemente VII.

cccxliv. Ad an. 1390. §. 6. BONIFACIUS IX. Stephano Bavariæ Duci.

Inc. *Integra fides, &c.*

„ CUm expertus eſſet inutiles vias omnes ſeveritatis Bonifacius, ut reduceret Clementem VII.
„ Antipapam ad tollendum ſchiſma, tentare vult, an
„ mitia conſilia id efficere poſſent.

Quare Stephano prædicto viro ſummæ prudentiæ, magnæque auctoritatis, & obſequii in Chriſtianam Religionem ſummi ſcribit Bonifacius, eumque rogat,

Ut cum Roberto de Gebennæ olim Baſilicæ XII. Apoſtolorum Cardinali agat, illique exponat graviſſima detrimenta, quæ ex hoc ſchiſmate Eccleſia patitur; gloriam, quam conſequuturus eſt ex abrenuntiatione antipapatus; roget, ut errorem ſuum deponat, neque ex eo quod viri quidam doctrina clari ejus partes ſequuntur, ſe Pontificem credat: ſolent enim plerumque magni viri, ne ſe erraſſe fateantur, errores ipſos ſcientes, videnteſque propugnare.

Quod ſi nondum Robertus acquieſcat, offerat illi Stephanus veniam a Pontifice obtinendam, offerat legationem in Gallia, & in Hiſpania, in quibus regnis creditur verus Pontifex.

Demum ea polliceatur, illa agat, quæ prudentia, quæ religionis zelo motus munituſque excogitare Dux poterit; quæ omnia ſe rata habiturum Bonifacius pollicetur.

D. R. apud S. Petrum VIII. Id. Novemb. P. a. I. a D. 1390.

„ De origine ſuæ Domus Ludovicus Comes Palati-
„ nus Rheni, & Dux Bavariæ hæc ſcribit Martino
„ V. (Odoni de Columna) *Beatiſſime &c. Ego, quia*
„ *a progenitoribus meis a domo veſtra Columnæ, anti-*
„ *qua & excelſa Romana ſtirpe claram traxiſſe fateor*
„ *originem, quod mihi reputo ad culmen cedere mæ-*
„ *gnæ gloriæ &c.* apud Raynal. ad an. 1417. §. 4.

Excitatur Dux in Bohemos.

cccxlv. Ad an. 1428. §. 5. MARTINUS V. Ludovico Comiti Palatino Bavariæ Duci.

Inc. *Recreati ſumus &c.*

„ FRancofurti Conventus principum celebratus fuit,
„ decretumque in eo fuit, ut bellum communi-
„ bus viribus in Bohemos urgeretur, donec oppreſſi
„ hæretici fuiſſent.

Lætatur Pontifex ita ſtatuiſſe Germaniæ principes. At niſi facta ſequantur, inanis eſt gloria.

Quare monet Ducem Martinus, ut totis viribus ſui Ducatus bellum paret, excitetque alios principes ad idem agendum;

Efficiat, ne, ſicut evenerat æſtate proxima præterita, qua liberi, quietique hæretici in Bohemia vixerant, vivant hoc quoque anno.

D. &c.

Hortatio ad pacem.

cccxlvi. Ad an. 1481. §. 24. SIXTUS IV. Philippo Comiti Palatino Rheni.

Inc. *Animadvertentes &c.*

„ PHilippus Comes Palatinus adoptaverat Ludovicum
„ ex fratre nepotem in filium. Jura ſeptemvira-
„ tus ſpectabunt ad Ludovicum. Adoptans Philippus
„ ea in ſe tanquam patrem tranſtulerat. Id approba-
„ rant electores. Fridericus Imperator reclamavit,
„ rem eſſe peſſimi exempli, illa jura annexa eſſe per-
„ ſonæ, ita quemlibet principem, qui non ſit elector,
„ per adoptionem poſſe ſibi electorarum comparare.
„ Cum Philippus cedere nollet, neque Fridericus, jam
„ bellum imminebat.

Sixtus, qui pacem fecerat inter Italiæ principes, & per Legatum conciliarat Principes Germaniæ in fœdus

contra Turcas, timens, ne enaſciturum bellum poſſet expeditionem eam ſuſpendere, ſcribit Palatino,

Eum otans, obteſtansque, ne ſua diſcordia velit anſam dare principibus expeditionem in Turcas tanto ſudore, tot laboribus a principibus Germaniæ decretam diſſolvendi.

Reus in extremo judicio eſſuſi Chriſtiani ſanguinis graviſſime puniretur, & ab illo repeterentur omnia damna, quæ ex Turcis non fractis illa expeditione in rem Chriſtianam redundarent.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIX. Apr. P. a. X. a. D. 1481.

Hortatur Leo Palatinum Comitem, ut probum Imperatorem eligat.

CCCLVII. Ad an. 1519. §. 4. LEO X. Ludovico Comiti Palatino.

Inc. *Has ad te, &c.*

Die XIX. Januarii 1519. mortuus fuerat Imperator Maximilianus cum imperaſſet annos XXV.

Leo igitur Palatinum Comitem monet, qui erat mortui Cæſaris amiciſſimus, plurimumque auctoritate inter electores valebat, ut in demortui locum curet eligi probatiſſimum virum, qui mortui Maximiliani pietatem, devotionemque in Eccleſiam habeat.

Eligi curet principem potentiſſimum, qui poſſit Turcis regna Imperio finitima devaſtantibus obſiſtere, Imperiumque contra illos tutari.

Sciat Comes hoc ex officio ſe debere præſtare, neque in hac electione ullam aliam habendam eſſe rationem niſi univerſæ Eccleſiæ, & Imperii.

D. Pali Portuenſis Diœc. Die X. Febr. P. a. VI. a. D. 1519.

„ Idem ad omnes alios electores ſcripſit Leo,

„ Sed quia ipſe favebat Franciſco Galliarum Regi, „ uſuſque fuerat vocibus imperativis in ſuis litteris, „ *præſcribimus, jubemus, vetamus*, reſcripſerant: *mi-* „ *rantur non minus Principes Electores ſanctiſſimi D.N.* „ *inſtitutum, id quod ævo noſtro electionum temporibus* „ *ab aliquo Romanorum Pontificum auditum eſt num-* „ *quam, maxime hoc modo propoſitum, ut Electoribus* „ *legem præſcribat*, jubeat, vetet. *Sperant Beatitu-* „ *dinem ſuam alias clementiſſimam futuram, & illam* „ *Romanorum Regis electionem boni equique conſul-* „ *turam*.

Itaque potius nocuit Franciſci electioni.

De Smachaldica Lutheranorum conjunctione.

CCCXLVIII. Ad an. 1539. §. 1. PAULUS IV. Guillelmo, & Ludovico Bavariæ Duc.

Inc. *Eximia, & ſingularis, &c.*

„ PEr Oratorem ſignificarant Duces Pontifici Luthera- „ nos conjunctionem inter ſe contra Catholicos fe- „ ciſſe, quæ ex loco, ubi fuit facta, Smachaldica di- „ cta fuit. Sed Matthæi Helt opera fœdus initum fuit „ contra illos inter Imperatorem, ejus fratrem Ferdi- „ nandum, Georgium Bavariæ Ducem, Joachimum „ Marchionem Brandemburgenſem, & fratres hos Ba- „ varos; hi poſtremi rogarunt Pontificem, ut huic „ fœderi ne deeſſet.

Primum quidem pietatem, & zelum defendendæ Religionis Chriſtianæ, quo flagrabant Bavari, commendat Pontifex.

Tum, licet bello Turcico deſtineatur, tamen iis pollicetur, ſe huic fœderi non defuturum, ſicut per Legatum ſuum Imperatori ſignificaverat.

Eos demum hortatur, ne deſint Catholicæ fidei defenſioni.

D. R. apud S. Marcum Die XIX. Januar. P. a. V. a. D. 1539.

Laborent iidem Duces reſtitui Catholicam Religionem.

CCCXLIX. Ad an. 1540. §. 29. PAULUS III. Guillelmo &c.

Inc. *Cum audiſſemus, &c.*

„ COrruebat in pejus in Germania Catholica Religio- „ nam mortuo Joachimo electore Brandemburgen- „ ſi, ejus ſucceſſor permiſerat Lutheraniſmum in Ele- „ ctoratu prædicari; idem fecerat ſucceſſor electoris „ Georgii in Electoratu Saxoniæ, idem alii prin- „ cipes.

Carolus ut corruentem Religionem aliquo modo ſuſtineret, indixit. Principum conventum Spiram.

Quoniam defenſores acerrimi Chriſtianæ Religionis Catholicæ erant Bavariæ Duces, eos hortatur, monet, & enixe rogat Paulus, ut eam propugnent, ut perorent pro illa, ut inducant digreſſos ab Eccleſiæ ſinu ad illum reverti,

Amorem ſuum iis demum teſtatur.

D. Romæ apud S. Marcum Die XIV. Maji P. a. VI. a. D. 1540.

„ Statutum fuit in eo conventu, ut alius haberetur „ conventus Vvormatiæ, in quo Catholici, & Pro- „ teſtantes amice diſputarent de controverſiis fidei ar- „ ticulis. Articuli erant viginti octo, de quibus erat „ diſputandum, propoſitique fuerant ab Joanne Co- „ chlæo Canonico Uratislavienſi doctiſſimo.

Cauſa cur differendum ſit Concilium.

CCCL. Ad an. 1543. §. 20. PAULUS III. Guillelmo, & Ludovico &c.

Inc. *Cum nos, &c.*

JAmdiu Legati Pontificii erant Tridenti, & pauciſſimi Germaniæ Epiſcopi, ad quorum preces, & de quorum conſilio præcipue illud indictum fuerat, Tridentum venerant.

Quod cum mirum viſum Pontificii fuiſſet, eos excitavit, ut venirent; ac reſponderunt, ſe venire non poſſe; Namque graviſſime timebant, ne dum aberant, utentes abſentia Lutherani ſuas urbes aggrederentur, illiſque potirentur, populis ab obedientia ſubductis.

Expectaret igitur Pontifex tempora.

Hæc ratio juſtiſſima differendi concilii viſa eſt Paulo. Illud ergo diſtulit.

Hanc rationem prædictis Ducibus attulit.

D. Ancon. Die XXI. Jul. P. a. IX. a. D. 1543.

Eamdem rationem attulit & aliis principibus.

De inſtaurata Academia Ingolſtadii.

CCCLI. Ad an. 1551. §. 76. JULIUS III. Alberto Bavariæ Duci.

Inc. *Nihil ad honorem, &c.*

INſtauraverat Albertus Academiam Ingolſtadienſem, & ut Sacerdotes in Ducatu eſſe poſſent, qui hereticorum doctrinas refellerent, voluit ibidem Theologiam explicari,

Et pro conſtituendis lectoribus ſtipendiis impetraverat a Pontifice decimas triennales omnium ſui ducatus Eccleſiaſticorum bonorum.

„ Primi qui Theologiam ibidem docuerunt, fuere „ Claudius Jajus, Alphonſus Salmeron ſocii S. Igna- „ tii, ac Petrus Canifius.

Laudat hoc pium Ducis conſilium Pontifex, ex quo apparet, quanto ſtudio, curaque Catholicam religionem foveat.

D. R. apud S. Petrum Die XV. Febr. P. a. I. a. D. 1551.

Rogatur Albertus ut in Comitiis Auguſtanis Catholicam fidem tueatur.

CCCLII. Ad an. 1551. §. 44. PAULUS IV. Alberto Bavariæ Duci.

Inc. *Cum certiores &c.*

RElatum fuerat Pontifici in Comitiis, quæ habebantur Auguſtæ tentare hereticos quædam obtinere, quibus ſchiſma ſuum confirmaretur obtentis.

Pontifex religionis cauſam Duci Alberto commendat.

Videat ne quid detrimenti Religioni inferatur.

Pluribus rogari ejus devotio non vult.

D. Romæ apud S. Marcum Die VI. Jul. P. a. I. a. D. 1550.

Lau-

Laudatur Albertus, quod ſit religionem tutatus.

CCCLIII Lib. §. 42. PAULUS IV. Alberto.

Inc. *Jucundiſſimum, &c.*

GRatias agit Paulus Duci, quod ita commendatam ſuperioribus litteris propugnarit fidem, ut nihil in iis Comitiis actum ſit, quod illam læſerit.

In eo una cum ſanguine illius maiorum inſitam in S. Sedem, & Romanam Eccleſiam devotionem videt;

Eum proinde expectare a Deo tanta conſtantia dignum præmium jubet.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXVI. Jul. P. a. I. a. D. 1555.

„ Anno ſequenti conventus habiti ſunt Ratiſponæ. „ Paulus Eccleſiæ cauſam eidem commendavit, quam „ & defendit. Litteræ Pontificis ſunt apud Raynal. „ a. 1556. §. 20.

DE DUCIBUS SAXONIÆ.

Diſſuadet Pontifex Duci, ne interveniat Conventui habendo a Ludovico Bavaro.

CCCLIV. Ex Rayn. ad an. 1331. §. 21. JOANNES XXII. Rudolpho Saxoniæ Duci. Inc. *Nos ſapientis, &c.*

COnventum principum Germaniæ habiturus erat Ludovicus.

Interrogavit Rudolphus Pontificem, an illi intereſſe deberet.

Nequaquam, reſpondet Joannes; cauſam, inquit, neſcimus, *neſcimus dicere aliud, quam quod de talibus dixit Dominus per Prophetam*, Exi, *inquit*, de illa *ſcilicet congregatione profana, & ſordida*, populo meus; Et ne ejus ſis *particeps* delictorum, & de plagis; ſi ergo de illis, dicitur *exite, multo fortius, antequam interſit, eſt dicendum*, ne appropinquetis.

D. Aven. XIII. Cal. Febr. P. a. XV. a. D. 1331.

Rogatur Dux, ut Concilium Baſileenſe protegat.

CCCLV. Ad an. 1433. §. 7. EUGENIUS IV. Friderico Saxoniæ Duci. Inc. *His quæ, &c.*

DIſſolverat juſtis, rationalibuſque cauſis Eugenius Baſileenſe Concilium, illudque tranſtulerat Bononiam; iiſdem juſtis, rationalibuſque cauſis edixerat celebrandum rurſus Baſileæ. Motus ad id præcipue fuerat Eugenius, quia ſeptemviri electorales Pontifici ſcripſerant, eſſe ſibi incommodam Urbem Bononiam, iter eſſe longinquum, neque poſſe tam longe e ſuis ditionibus diſcedere, ſe effecturos, ut omnia quiete Baſileæ peragantur, ducturoſque milites, ut turbæ impediantur.

Ergo Pontifex rogat Fridericum, ut ſtet promiſſis, ut Baſileam ſe conferat cum ſuę ditionis prælatis, ibique ſit intra tres menſes;

Etiam ſibi fore pergratum Duci ſignificat Eugenius, ſi efficiet, ut de nulla alia re in concilio agatur, niſi de Bohemis deducendis ab hæreſibus ad unitatem Eccleſiæ.

Simulque eum rogat, ut apud alios electores agat, ut jus electionis ademptum injuſte Archiepiſcopo Trevirenſi reſtituatur.

D. R. IX. Cal. Mar. P. a. II. a. D. 1433.

Hortatio ad Ducem, ut perſtet in fide.

CCCLVI. Ad an. 1530. §. 169. CLEMENS VII. Georgio Duci Saxoniæ. Inc. *Hortaremur, &c.*

OMnes Familiæ Saxoniæ ab avita ſuorum majorum Catholica fide defecerant.

Georgius conſtantiſſime in ea perſeverabat, immo etiam alios hortabatur, ut Catholicæ Religioni mordicus adhærerent.

Clemens ait, ſe illum exhortatum fuiſſe ad Catholicam fidem tuendam, ſed cum ſciat, eos adhortari alios ad eam tenendam, potius convertere ſermonem ſuum ad eum, ut par eſt, commendandum.

Et ſane mirum eſt in tanta rerum perturbatione eum in avita fide permanere conſtantiſſimum.

Tantum igitur *quotidie aliquid amori* Pontificis *in eum accedit, cum Dux nullum finem faciat de Deo, & Sancta Sede bene merendi.*

D. R. apud S. Petrum Die XVII. Dec. P. a. VIII. a. D. 1536.

DE DUCATU BRUNSVICENSI, ET LUNEBURGENTI.

Gratulatur Pontifex Duci Brunſ. quod liberatus fuerit e carcere.

CCCLVII. Ad an. 1547. §. 105. PAULUS III. Henrico juniori Duci Brunſvicenſi, & Luneb.

Inc. *Ad noſtram, &c.*

NOn parvam lætitiæ ſuæ e Cæſaris victoria de Lutheranis conceptę acceſſionem fuiſſe factam, cum accepit Ducis e carcere, in quo ab Hattię Lantgravio detinebatur, liberationem, ſignificat eidem Duci Paulus.

Itaque gratulatur non ſolum Duci, ſed univerſe Catholicę Religioni, cujus fortiſſimus Athleta liberatus fuit.

Nihil ab illo poſtulat aliud Paulus niſi ut ſe talem erga Religionem præbeat in poſterum, qualem antea ſe præſtiterat.

D. R. apud S. Marcum Die XIII. Aug. P. a. XIII. a. D. 1547.

Litteris Ducis reſpondet Paulus.

CCCLVIII. Ad an. 1549. §. 4. PAULUS III. Henrico &c.

Inc. *Redditæ ſunt, &c.*

SCripſerat Henricus Pontifici magnam rerum perturbationem eſſe in Saxonia inferiore, & aliis partibus Septemtrionalibus quoad religionem,

Se tamen, ut Catholicum principem decet Catholicam fidem ſemper eſſe propugnaturum.

Reſpondet Pontifex, ſe ex parte prima litterarum Ducis dolorem ſummum percepiſſe,

Lætitiam concepiſſe ex parte ſecunda.

Ad præſtandum id quod promittit, eum hortatur,

Apoſtolicumque præſidium, amoremque eidem pollicetur.

D. R. apud S. Marcum Die III. Jul. P. a. XV. a. D. 1549.

DE MARCHIONIBUS BRANDEMBURGI.

Gratulatur Marchioni Pontifex, quod electus Dux fuerit exercitus in Bohemos.

CCCLIX. Ad an. 1428. §. 6. MARTINUS V. Marchioni Brandemburgenſi.

Inc. *Quoniam intelleximus, &c.*

IN Francofurdenſibus comitiis electus exercitus in Bohemos Dux fuerat Marchio Brandemburgenſis.

De hac electione plurimum Pontifex gaudet, ſperatque pro prudentia, & virtute, & experientia Marchionis fore ut tandem aliquando Eccleſia adeo ab iis hæreticis vexata conquieſcat.

Efficiat Marchio, ut ii, qui anno proxime præterito de ignominioſo receſſu loquuti ſunt, quem Marchionis culpa eveniſſe dicunt, ſermonem mutare cogantur.

D. deſunt notæ.

Rogatur Marchio, ut mittat Pontificias litteras ad Regem Poloniæ, Ducemque Lithuaniæ.

CCCLX. Ib. MARTINUS V. Marchioni &c.

Inc. *Quia nobis, &c.*

RElatum fuerat Pontifici a quibuſdam familiaribus Regis Poloniæ, & Ducis Lithuaniæ Sigiſmun-

dum Koributum ad Bohemos fuisse missum ut eos ad pacem induceret, qua composita, eum esse reversurum; sed cum videret Pontifex eum nunquam regredi, litteras ad eumdem regem, & ducem mittit per Marchionem Brandemburgensem,

Quem rogat Pontifex, ut eas ad illos mittat una cum notario, qui scribat eos illas accepisse, neque prætendere excusationes ullas possint, se nullas litteras accepisse.

Jubentur in iis revocare a Bohemia Sigismundum.
D.

Hortatio ad Marchionem Brandemburgensem, ut virum probum eligat in Imperatorem.

CCCLXI. B.M.p.3. vel t.9.p. 219. EUGENIUS IV. Marchioni Brandemburgensi.

Inc. *Solemnis natali*, &c.

„ ANno vigesimo septimo sui Imperii mortuus fuerat Sigismundus Romanorum, & Bohemiæ Rex.

Cum Ecclesiæ tempora Imperatorem probum, prudentem requirerent, Pontifex Electorem Brandemburgicum monet, ut in locum Sigismundi, quem meritis laudibus Pontifex extollit, nulla habita ratione nisi utilitatis Ecclesiæ, Imperiique decoris virum pium, castigatis moribus, prudentia insignem, experientiaque edoctum eligat.

Deinde illi significat unionem Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali faciendam, & adventum Imperatoris Orientis Venetias.

Rogatque eum, ut Ferrariam Nuntios suos mittat, qui celebrando ibidem concilio interesse.

D. Bononiæ prid. Cal. Janu. P. a. VII. a. D. 1437.

Laudatur Marchio de pace facta, invitaturque Mantuam.

ccclxii. Ad an. 1459. §. 58. PIUS II. Alberto Marchioni Brandemburgensi.

Inc. *Non potuerunt*, &c.

„ LUdovicus Bavariæ Dux Verdam occupaverat, „ quæ erat subjecta Imperatori. Hac de causa natum „ bellum erat Imperatorem inter, & Bavarum, & „ hujus defensionem susceperat Marchio Brandemburgicus. Per Legatum in Germaniam missum pacem „ inter eos principes conciliavit Pius, Verda Imperio „ restituta.

De hac pace gratulatur Pontifex Marchioni prædicto, qua nihil sibi lætius evenire posse testatur.

Gratiasque Deo agit, quia iis copiis uti poterit ad retundendos Turcarum impetus Marchio. Jam audaciores fuerant facti ex capto oppido Zeudren in Rassia, *e cujus amissione non minor, quam ex Constantinopoli creditur clades accepta*.

Eum Pontifex Mantuam invitat, quoniam de summa rerum agendum est, & quoniam etiam alii principes eo venturi sunt.

D. Mantuæ Die XXIV. Jul. P. a. II. a. D. 1459.

Excitatur ad pacem faciendam inter Comitem Palatinum, & Bavariæ Ducem idem Marchio.

ccclxiii. 18. p. 57. PIUS II. Alberto &c.

Inc. *Nisi auctoritas*, &c.

„ IN Conventu Norimbergensi, inscio Comite Palatino Friderico, quædam spoponderat eum factu„ rum Bavariæ Dux. His pactis, utpote quæ facta „ fuerunt se inscio stare nolebat Palatinus, bellum„ que indixit Bavaro, protestatusque est Pontifici, se „ culpa carere si Mantuam non venit, si milites in „ Turcas non mittit.

Quantum dissensio hæc turbatura sit publica consilia, Marchio videt; quantum detrimenti sit allatura Christianæ Reip. id quoque videt.

Ad eam sopiendam Pontifex mittit Legatum in Germaniam, quem Marchioni commendat, quem etiam orat, ut prudentia sua pacem inter eos principes stabiliat una cum Legato.

D. Mantuæ Die X. Oct. P. a. II. a. D. 1459.

Commendatur Elector, quod in Conventu Augustano tutatus est Catholicam causam.

CLEMENS VII. Joachimo Electori. ccclxiv. Ad an. 1530. §. 90.

Inc. *Litteræ dilecti*, &c.

„ AUgustæ indixerat Carolus Imperator habendum „ Conventum de religionis dissidiis, quæ tum „ Imperium tenebant divisum. Frequentissimi eo con„ venerant Principes, ibidemque erat Carolus ipse, „ ejusque Frater Ferdinandus.

„ Multa hinc inde dicta fuere, quibusdam opinan„ tibus remisse agendum cum Lutheranis, ut facilita„ te pellicerentur ad unitatem, quibusdam etiam sen„ tientibus permittendum esse cuilibet opinari, & sen„ tire ad libitum suum.

Elector Joachimus tam solide, tam constanter, tam invicte pro fide peroravit, ut bonam partem principum in suam sententiam traxerit, nempe rerum omnium jacturam potius faciendam esse, quam permittendum, hæresim in Germania esse; se esse paratum ditiones suas, vitam, sanguinem pro Ecclesia Catholica profundere.

Legatus A. Cardinalis Campegius ibi existens hæc Pontifici scripsit, qui sui esse muneris ducit illi gratias agere, quod tam strenue Religionis causam defenderit.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIII. Oct. P. a. VIII. a. D. 1530.

Rursus idem elector laudatur.

CLEMENS VII. Joachimo &c. ccclxv. Ibid. 169.

Inc. *Multis de causis*, &c.

QUia quotidie Joachimus pietatis, devotionisque in Catholicam Religionem insignia argumenta dabat, & quia non desistebat ab ejus acerrima, & constantissima propugnatione,

Rursus illi gratias agit Clemens;

Rursus eum commendat; jubetque tantæ in vera fidei constantiæ illum a Deo sibi, suisque posteris, ditionibusque mercedem amplissimam expectare.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVII. Dec. P. a. VIII. a. D. 1530.

Ne permittant Brandemburgenses Marchionatum Brandeburgi dati filio Ludovici Bavari.

JOANNES XXII. Communitatibus &c. & populis Marchionatus Brandeburgi. ccclxvi ex Rayn. ad an. 1325. §. 8.

Inc. *Nos dudum*, &c.

„ MArchio Brandeburgicus sine filiis heredibusque „ fuerat defunctus. Ludovicus, ducatum illum „ tanquam feudum ad Imperium devolutum, de quo „ Imperator poterat arbitratu suo disponere, dederat fi„ lio suo primogenito.

Joannes contendit his litteris, Ludovicum non potuisse de illo disponere;

I. Quidem, quia ab omnibus electoribus non fuit electus, sed a quibusdam in discordia,

II. Quia ejus electio non fuit confirmata ab Apost. Sede,

III. Quia est excommunicatus, privatusque qualibet dignitate, irritumque declaratum fuit quidquid ille egerit.

Quare Brandeburgenses monet, ne permittant hujusmodi investitionem, idque illis præcipit sub obedientiæ præcepto.

Præcipit etiam illis, ne auxilium, favorem, consilium dent aut Patri, aut Filio, alioquin in eas pœnas incident, quæ sunt denuntiatæ in processu edito contra Ludovicum, excommunicationis, privationis dignitatum, jurium &c.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Aven. Cal. Aug. P. a. IX. a. D. 1325.

DE

DE DUCE MEKELBURGENSI.

Mandatur Card. Ant. Barberino absolvere ab hæresi Christianum Ducem Mekelburg.

ccclxvii B.R. t.6. p. 1. p. 315. C.C. ALEXANDER VII. Card. Ant. Barberino.

Inc. *Cum sicut*, &c.

CHristianus Mekelburgensis Dux *a genitoribus hæreticis procreatus divina gratia dudum* decreverat ad Romanæ Ecclesiæ sinum redire.

Dat igitur Alexander facultatem prædicto Cardinali eum absolvendi a censuris Ecclesiasticis, *injuncta ei aliqua pœnitentia salutari*, excepta prius ejus abjuratione.

Adhibeat ad hos actus notarium publicum, & testes. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VI. Aug. P. a. IX. a. D. 1663.

DE WORMATIENSIBUS.

Dantur privilegia Vvormatiensibus.

ccclxviii B.R. t.3. p. 71. p. 395. C.C. ALEXANDER IV. Civibus Vvormatiensibus.

Inc. *Apostolicæ Sedis*, &c.

HIs civibus concedit Alexander,

I. Ne possint ne per litteras quidem Apostolicas trahi ad lites peragendas extra urbem suam, nisi Pontifex in illis litteris de hoc privilegio fecerit specialem mentionem.

II. Præcipit Ordinario, ut in eorum querelis dijudicandis, & litibus *stet juri, & auctoritati* statutorum civitatis illorum.

III. Si ob hoc quod exire e sua curia nolint, aliqua censura in eos jaciatur, sit nulla.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Anagniæ XIII. Cal. Junii P. a. II. a. D. 1256.

DE MAGDEBUGENSIBUS.

Absolvuntur Magdeburgenses a censuris ob illatam Bochardo Archiepiscopo necem.

ccclxix. ad an. 1326. §. 7. JOANNES XXII. ad p. r. m.

Inc. *Quamvis cædes*, &c.

JUsserat Joannes Bochardo sententiam a se latam in Ludovicum Bavarum publicare, & per censuras cogere suæ provinciæ incolas, ne illi faverent.

Id præstitit Archiepiscopus. Sed tanto odio exarserunt in eum populi, ut illum occiderint.

Sed in se reversi tanta, taliaque pœnitentiæ dedere signa, ut Joannes iis veniam dare coactus fuerit;

Receperunt summa cum reverentia Archiepiscopum Othonem, promiseruntque se illi, & ejus successoribus semper fore devotos; præterea universitati delinquenti aliquid relaxandum est de rigore Canonum.

Consules autem, & communitas, promiserunt, se constructuros capellam, in quo fuit Bochardus occisus; in qua Sacerdos instituendus per Archiepiscopum quotidie celebrabit pro illius anima; communitas dabit Sacerdoti quadraginta, & octo Florenos auri, duodecim ejus ministro, tres pro luminari, pro candelis cereis tres;

Dicta communitas in Ecclesia majori construet tria altaria, in quibus quinque Sacerdotes quotidie perpetuo pro anima ejusdem Archiepiscopi sacrificabunt; qui instituentur ab Archiepiscopo. Communitas assignabit sufficientes redditus.

Magdeburgenses ergo a censuris absolvi Pontifex ab Archiepiscopo jubet.

Interfectores tamen non possint absolvi; vult coram se præsentari a se absolvendos; eorum posteros notat infamia.

Mandat etiam, ut consules, & communitas cuilibet Archiepiscopo canonice intranti juramentum fidelitatis, & homagium præstent. N. O.

Nulli ergo &c.

D. Aven. XI. Cal. Maji P. a. XV. a. D. 1330.

DE LEODIENSIBUS.

Ne permittant Leodienses Episcopum suum parere Ludovico.

BENEDICTUS XII. Scabinis, Magistris, & Consiliariis, & Universitati civitatis Leodiensis. ccclxx. ad an. 1338. §. 69.

Inc. *Claruit antiquis*, &c.

INdixerat Coloniæ conventum principum Ludovicus habendum. Ad illum invitavit etiam Episcopum Leodiensem, ut accepturus idem feudum veniret, minabaturque se processurum in illum juxta leges Imperii si non venisset.

Benedictus, laudata Leodiensium pietate & devotione in Ecclesiam, eorumque veræ fidei constantia, eos monet, ne Ludovico pareant. Ludovicus enim non est Imperator, cum fuerit in discordia electus, Ludovicus est excommunicatus, per quam sententiam etiamsi Imperator esset, tamen ab Imperio decidisset;

Nunc esse, scribit, ostendendam eam animi fortitudinem, qua semper viguerunt, in his minis a Ludovico intentatis.

Quod si Ludovico parebunt, in easdem censuras, quibus est Ludovicus innodatus, incident.

D. Aven. III. Cal. Apr. P. a. IV. a. D. 1338.

DE COLONIENSIBUS.

Laudatur Colonienſium constantia in fide.

CLEMENS VII. Senatui, & populo Colonienſi. ccclxxi. ex Rayn. ad an. 1531. §. 65.

Inc. *Quod semper*, &c.

CIrcumsepti undique erant Colonienses hæreticis, a quibus urgebantur, ut Catholicam fidem deserent, injuriis etiam afficiebantur, intendebanturque minæ illis, quod in Catholica Religione præstarent.

Ergo his litteris merito, ut par erat, illos laudat Clemens:

Tantoque magis eorum constantiam splendescere, ait, quanto potentiores sunt stimuli iis admoti, ut a fide recedant;

Vere dici de illis posse eorum fidem esse veluti aurum, quod igne examinatum invenitur probatissimum.

Eos demum hortatur, ut porro pergant se gerere, ut cœperunt, & exemplum constantiæ dent aliis.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIX. Nov. P. a. IX. a. D. 1531.

Hortatio, ut in fide persistent.

PAULUS III. Senatui Colonienſi. ccclxxii. ad an. 1543. §. 22.

Inc. *Cum ex hac*, &c.

IN hæresim Lutheranam prolapsus fuerat Colonienſis Episcopus, eamque mordicus defendebat, studebatque & populum suum in eam inducere.

Ad Colonienses, ut persistent in fide, ita Paulus scribit:

Quotiescunque revolvit animo præclara decora Germanæ nationis, bellicæ laudis, principum nobilitatis, dignitatis Imperii, obedientiæ, reverentiæque in S. Sedem, nunc autem eam ita deformatam videt, ut alia prorsus natio videatur, spoliatas Ecclesias, distracta earum bona, principes singulos singulis adversos, dolorem ingentem concipit; cui quidem resistere minime posset, nisi quidam principes, quidam populi antiquæ suorum majorum Catholicæ fidei custodes adhuc essent.

Inter hos populos eminent Colonienses, qui circumvallati undique hæreticis, caput ipsum hæreticum habentes, tamen fidem servant.

Quantum laudis hoc apud omnes nationes iis afferat, sitque apud seram posteritatem iis allaturum, vix dici potest.

Ne se ergo exemplo non pastoris sui, sed Lupi, abripi sinant, & quam simul cum lacte hauserunt fidem, puram, integramque servent.

D. Rom. apud S. Petrum Cal. Febr. P. a. IX. a. D. 1543.

Ne

Ne permittant Lutheranos in Diœceſi Colonienſi prædicare.

cccLxxiii. Ib. 9. 26. PAULUS III. Burgomaſtris, & Senatui Colonienſi,

Inc. *Veſtra illa, &c.*

COlonienſes laudat Paulus, quod Epiſcopo ſuo res novare volenti viriliter refliterint, nec paſſi fuerint, Catholicam Religionem quicquam lædi.

Imo eum hortati ſunt, ne vellet ſe perdere, ne vellet hanc notam nomini ſuo inurere.

Quod ſi nolunt fidem ſuam corrumpi, ne permittant, Bucerum, & Lutheranos concionatores, qui in locis vicinis rugientes, & quærentes quos devorent, prædicare, nec in ſuas urbes admittant.

D. Bononiæ Cal. Junii P. a. IX. a. D. 1543.

Acta judiciaria contra Archiepiſcopum mittuntur ad Colonienſes.

cccLxxiv. ad an. 1546. §. 104. PAULUS III. Clero, & Univerſitati, & Populo Colonienſi.

Inc. *Dominus Deus, &c.*

GRatiæ Deo agendæ ſunt, quod Colonienſes in tanta morum, ſententiarumque corruptela, quanta eſſe in Germania dignoſcitur, ab illa fide, quam a ſuis majoribus acceperunt, neque minis, neque imperiis, neque pollicitationibus territi, & allecti deficere voluerint.

Hoc enimvero decus omnia quæcumque eorum decora longe multumque ſuperat.

Apud ſeram ergo poſteritatem hæc eorum fidei conſtantia meritis laudibus celebrabitur.

Itaque iis de illa gratulatur ſummopere Pontifex; qui quantum gaudii ex iis concipit, tanto ex defectione Hermanni dolore afficitur;

Quem cum Paulus nihil prætermiſiſſet, ut in Religione firmaret illum, *quoniam pro Dei, & Eccleſiæ filio factus eſt filius Sathanæ*, Archiepiſcopatu privavit, ſeparavit a communione fidelium, ceteraque fecit, quæ ſui muneris eſſe duxit.

Colonienſes autem hortatur, ut cum depoſito, & excommunicato Hermanno nullum habeant commercium, nullam illi præſtent obedientiam.

Juramentumque fidelitatis ab iis illi præſtitum ſolvit.

D. Rom. apud S. Marcum Die III. Jul. P. a. XII. a. D. 1546.

DE ARGENTINENSIBUS.

Invitantur ad Concilium Argentinenſes.

cccLxxv. ad an. 1545. §. 76. PIUS IV. Conſulibus, & Senatui civitatis Argentinæ.

Inc. *Commiſſo nobis, &c.*

QUare Concilium velit Pius proſequi, Argentinenſibus ſignificat, nimirum ne ſuo muneri deſit; cum enim Eccleſia Dei ſit ſibi commiſſa, ſui eſt muneris aperire fidelibus quid ſit credendum, quid non;

Præterea ſui etiam eſt muneris concordiam inter Chriſtianos ſervare. Cum hæreſis plures turbas excitarit, & eas adhuc foveat, Concilium eas ſedabit.

Ad illud ergo hortatur, rogatque Argentinos, ut Oratores ſuos mittant, cum ipſis quoque gratum eſſe debeat veritatem agnoſcere, & quiete vivere.

Quæ ſcripſit ad civitatem Argentinam tunc Imperialem liberam, nunc Franciæ ſubditam, ſcripſit Pius ad alias civitates liberas Imperii.

Deſunt notæ.

DE DUCATU CLIVIÆ.

Loca Ducis Cliviæ in Epiſcopatibus Colonienſi, & Monaſterienſi ſubjiciuntur alii Epiſcopo.

EUGENIUS IV. Epiſcopo Trajectenſi.

cccLxxvi. B.M.p.1. vel t. 9. p. 265. Inc. *Paſtoralis officii, &c.*

ARchiepiſcopus Colonienſis, & Epiſcopus Monaſterienſis favebant Felici V. Antipapæ (Amadeo Sabaudiæ olim Duci) & ideo hæretici habebantur.

Adulphus Dux Cliviæ cum haberet in iis Epiſcopatibus terras multas, rogavit Pontificem, ut eas ditiones ab omni juriſdictione eorum Epiſcoporum ſubduceret, mandaretque regi per alium Epiſcopum.

Quod præſtitit Eugenius jubens Epiſcopo Trajectenſi, ut aliquem Epiſcopum etiam titularem eo mittat, qui ibidem omnia jura Epiſcopalia exerceat. N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XVII. Cal. Febr. P. a. XIV. a. D. 1444.

Abſolvuntur ſubditi Clivienſes a fidelitate præſtanda prædictis Prælatis.

EUGENIUS IV. ad p. r. m.

cccLxxvii Ib.p.240. Inc. *Commiſſam nobis, &c.*

EXpoſito ſchiſmate ab Eccleſia Romana Archiepiſcopi Colonienſis, & Epiſcopi Monaſterienſis, abſolvit Eugenius populum ditionis Clivienſis ab juramento fidelitatis præſtito iiſdem prælatis, & ſubjicit eum alii Epiſcopo a Prælato Trajectenſi miſſo.

Omnes cenſuras, quas illi præſules jacient in eundem populum, nullas futuras eſſe declarat.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

D. Rom. apud S. Petrum VI. Id. Jul. p. a. XV. a. D. 1445.

DE MONASTERIENSIBUS.

Laudantur Monaſterienſes de conſtantia in fide.

PAULUS III. Capitulo, & Senatui Monaſterienſi. cccLxxviii ad an. 1543. §. 23.

Inc. *Benedictus Deus, &c.*

AMplexatus fuerat proteſtantium religionem Monaſterienſis Epiſcopus; propoſueratque eam amplectendam Capitulo, & Senatui. A Capitulo, & a Senatu ad Epiſcopum Præpoſitus, & Scholaſticus miſſi fuerunt; qui nomine Capituli, & Senatus illi denuntiarent, ſe proviſuros, ſi ille a ſuo officio deflecteret; caveret itaque, ne e paſtore fieri vellet Lupus; ſe enim opportuno remedio uſuros.

Nulla ſatis digna commendatio eſſe poteſt Chriſtiana hac libertate. Si omnes Germaniæ populi tam conſtantes fuiſſent, non ita fuiſſet prolapſa Catholica fides.

Quanquam ſatis magnas ſuæ rebellionis a vera fide luunt miſeræ illæ civitates pœnas, dumque ſperabant ſe futuras feliciſſimas, bellis, diſcordiis, inteſtinis rixis urgentur.

Interim jubentur a Deo ampliſſimam hujuſce Chriſtianæ fortitudinis mercedem expectare.

D. Bononiæ III. Cal. Apr. p. a. IX. a. D. 1543.

Hoc idem egit Capitulum, & Senatus Oſnabrugenſis; Idem Capitulum, & Senatus Mindenſis.

Abſolvitur Comitiſſa de Spaneheyem, quod in carcere detinuerit Archiepiſcopum Trevirenſem.

JOANNES XXII. Epiſcopo Leodienſi. ccclxxix ad an. 1543. §. 31.

Inc. *Ipſi & eorum, &c.*

„ BEllum atrox moverant Moguntini Archiepiſcopo, „ & Clero, ita ut multi Eccleſiaſtici fuerint vul„ nerati, quidam etiam interfecti. Cauſa hujus civilis „ diſcordiæ dicebatur Balduinus Trevirenſis Archiepi„ ſcopus cum ſuo Capitulo, & parte Cleri. Comitiſ„ ſa de Spaneheyem Domina oppidi Scharckemberg „ ca-

„ capi, & in carcerem conjici juſſit Archiepiſcopum „ cum præcipuis ex Clero, ibique eum aliquandiu de„ tinuit. Cum audiiſſet motus Moguntiæ fuiſſe ſeda„ tos, & in Moguntina Synodo excommunicatos fuiſſe „ qui Eccleſiaſticos violarant, pœnitentia mota dimiſit „ e vinculis Archiepiſcopum, & Clericos, & abſolu„ tionem a Pontifice petiit.

Eam abſolvendi provinciam demandat Joannes Leodienſi Epiſcopo his ſub conditionibus:

In feſto Pentecoſtes, vel in die feſto S. Joannis Baptiſtæ vel alio, milites, & domicelli, quorum opera uſa eſt Comitiſſa in captione Archiepiſcopi *nudis pedibus in tunicis ſine corrigiis abſque capitiis, & infulis, capitibus diſcoopertis* in ingreſſu loci portantes cereum ponderis quatuor librarum accenſum progreſſi ad Eccleſiam in altari majori tortitia offerant; publiceque confiteantur facinus ſuum. Si Comitiſſa cereum tanti ponderis portare nequiverit, alius ante eam portet illud, ipſaque aliud levius geſtet.

Comitiſſa mittat ad urbem Trevirenſem quinquaginta homines aliquo feſto die, qui nudis pedibus ab ingreſſu urbis portent accenſa tortitia prædicti ponderis, eaque accenſa offerant in majori Eccleſia; & Comitiſſæ fateantur peccatum publice.

Comitiſſa per eoſdem homines mittat quatuor lampades argenteas ponderis duodecim Marcharum ſingulas permanſuras ſemper ante altare majus ejuſdem Eccleſiæ, *quibus tenendis perpetuis temporibus ibi ſufficienter accenſis certos de ſuo proprio acquirat redditus, quos in perpetuum Eccleſiæ Trevirenſi aſſignet.*

De his omnibus fiat publicum inſtrumentum.

Requiſitus Epiſcopus, his peractis, ab excommunicatione eos juxta formam Eccleſiæ abſolvat.

Datum Aven. IV. Non. Maji P. a. XIV. a. D. 1330.

DE ECCLESIA GERMANICA.

Deputatur Bonifacius in Verbi Dei præconem per Germaniam.

I. B.R. t. 1. p. 116. C. C. GREGORIUS II. Bonifacio religioſo presbytero.

Inc. *Exigit manifeſtata, &c.*

INtentio fragrantis religioſi propoſiti, & approbata ſinceriſſimæ fidei Bonifacii perlata relatio effecerunt, ut ad diſpenſationem verbi divini eo comminiſtro uteretur Gregorius.

Jam norat, eum ab infantia ſacras litteras didiciſſe, *profectuſque indolem ad augumentum crediti cœlitus talenti proſpectu divini timoris extendiſſe, videlicet gratiam cognitionis cœleſtis oraculi in laborem ſalutiferæ prædicationis ad innoteſcendum gentibus incredulis myſterium fidei inſtanti conatu extendere.*

Quia autem ſe reverenter tanquam membrum capiti Apoſtolicæ Sedi ſubmiſit, *ideo in nomine indiviſibilis Trinitatis, per inconcuſſam B. Petri Apoſtolorum Principis auctoritatem eum inſtituit, & præcipit, ut ad quaſcunque gentes infidelitatis errore detentas properare Deo annuente poterit myſterium Regni Dei per inſinuationem nominis Chriſti Domini Dei noſtri veritatis ſuaſione deſignet, & per Spiritum virtutis, & dilectionis & ſobrietatis prædicationem utriuſque Teſtamenti mentibus indoctis conſona ratione tranſfundat.*

Diſciplinam denique ſacramenti, quam ad initiandos Deo prævie credituros tenere ſtudeat, ex formula officiorum Sanctæ Apoſtolicæ Sedis, inſtitutionis ejus gratia prælibata, vult Gregorius, *ut intendat.*

Quod vero actioni ſuſceptæ ſibi deeſſe proſpexerit Pontifici (ut voluerit) intimare curabit. Bene vale.

D. Id. Maji Imperante Domino piiſſimo Auguſto Leone II. a Deo coronato anno tertio Imperii ejus, Indictione ſecunda. a. 719.

„ Apponit Collector formulam profeſſionis Fidei præ„ ſtitam a Bonifacio Pontifici Gregorio, quam ante „ ſui conſecrationem in Epiſcopum propria ſubſcriptio„ ne munitam depoſuit Bonifacius pro more illorum „ temporum ſupra Corpus B. Petri, in qua pollicetur „ ſe nonniſi ſanam doctrinam prædicaturum, ſe cor„ recturum peccantes &c.

Bonifacius commendatur Epiſcopis, & principibus.

II. Ib.p.136. C. C. GREGORIUS II. Coepiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, glorioſis Ducibus &c.

Inc. *Sollicitudinem nimiam, &c.*

SCiens Gregorius ſedere aliquas gentes in Germaniæ partibus in umbra mortis, alias idolorum culture ſervire, aliquas nec Dei cognitionem habere, harum vices miſeratus, ſignificat prædictis Gregorius, ſe mittere ad eas Epiſcopum Bonifacium, qui *illis prædicando verbum ſalutis vitam provideat ſempiternam*; ut alios corrigat, alios inſtruat &c.

Eos enixe rogat, ut illi opitulentur in tam pio opere; ut in mente habeant illud Chriſti, *qui vos recipit, me recipit*, ajebat Apoſtolis.

Meritum ingens ſibi apud Deum comparabunt ii omnes, qui illi præſtabunt auxilium.

Anathematis vinculo declarat eum ligatum, qui Bonifacium in prædicatione impediverit.

D. Cal. Dec. Imperante Domino piiſſimo Leone Imperii ejus anno ſeptimo; ſed & Conſtantini Imperatoris ejus filii anno quarto, Indictione ſexta.

Commendatur Bonifacius Clero & plebi.

III. ex Epiſt. ad an. 719 §. 9. GREGORIUS II. Clero & plebi.

Inc. *Probabilibus, &c.*

PRimum quidem ſignificat Bonifacius Clero, & populo, quæ obſervanda præceperit Bonifacio ad eos miſſo ad prædicandum,

I. *Ne unquam ordinationes præſumat illicitas,*

II. *Ne bigamum, & qui virginem non eſt ſortitus uxorem, neque illiteratum, vel qualibet corporis parte vitiatum, aut ex pœnitente, vel curiæ, vel cuilibet conditioni innoxium notatumque ad ſacros ordines permittat accedere; ſed ſi quos hujuſmodi repererit, non audeat promovere.*

III. *Afros paſſim ad Eccleſiaſticos ordines prætendentes nulla ratione ſuſcipiat, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati ſæpius ſunt probati.*

IV. Miniſteria, & ornatum Eccleſiæ, & patrimonium augeat, non imminuat,

V. De redditu Eccleſiæ, & oblationibus fidelium quatuor partes faciat, unam ſibi retineat, alteram diſtribuat Clericis pro officiorum fedulitate, tertiam pauperibus, & peregrinis, quantum reſervet Fabricis Eccleſiaſticis.

VI. *Ordinationes vero Presbyterorum, & Diaconorum nonniſi quarti, ſeptimi, & decimi menſis jejuniis, ſed & in ingreſſu Quadrageſimali, atque medio veſpere Sabbati noverit celebrandas.*

VII. Sancti autem baptiſmi Sacramentum nonniſi in Paſchali feſtivitate, & Pentecoſte noverit eſſe præbendum, exceptis iis, qui in mortis urgente periculo verſantur, eſt dandum.

Tum eum illis commendat.

D. ut ſupra.

Commendatur Nobilibus Thuringis.

IV. Ib.p.140. GREGORIUS II. Viris Magnificis Atolpho, Godolao, Vvillario, Gunthario, Albodo, & omnibus Thuringis.

Inc. *Inſinuatam, &c.*

THuringos laudat Gregorius, quod potius quam idola colere parati ſint mortem oppetere; ait ſe de hoc gratias maximas Deo agere; ſe eſſe lætiſſimum.

Ut magis in fide roborentur, ſcribit, ſe ad eos Bonifacium mittere, quem illis commendat, & jubet, ut eum audiant, illique faveant.

D. ut ſupra.

Ad populum Thuringorum adhortatio.

V. Ib. §. XI. GREGORIUS II. Universo populo Thuringorum.

Inc. *Dominus Jesus, &c.*

IN mente habens Gregorius illud Christi præceptum Apostolis datum, antequam in cœlum ascenderet, *euntes docete*, cum ipse non possit illuc se conferre, mittit Episcopum Bonifacium, ut verbum Dei inter eos disseminet.

Eos hortatur, ut quæ ab illo audierint, opere adimpleant.

D. ut supra.

Monita ad populum provinciæ Alt-Saxonum.

VI. Ib. §. XIII. GREGORIUS II. Populo &c.

Inc. *Sapientibus, &c.*

ET Christiani, & idololatræ erant in Saxonia, ad utrosque scribit Gregorius his litteris.

Eos hortatur, ut constantes in fide sint, ne se decipi sinant, ut Bonifacii monitis adhæreant;

Hos rogat ut oculos Lumini, aures veritati aperiant; & illud & hanc ad eos esse allaturum Episcopum Bonifacium imitentur vocinos suos, & Christianæ Religioni nomen dent, ut felices in hac vita, feliciores sint in alia.

D. ut supra.

Approbatio actorum a Bonifacio, responsioque ad ejus dubia.

VII. Ib. p. 144. C. C. GREGORIUS III. Bonifacio Episcopo.

Inc. *Doctoris omnium, &c.*

LÆtatur Gregorius, numerum tam ingentem animarum ad centum millia *conamine Bonifacii, & Caroli* Francorum regis opera ad Deum fuisse conversum.

Tum eum laudat, quod, ut restitueret labentem Ecclesiasticam disciplinam, præter Vivilum a Pontifice ordinatum Episcopum cum assensu Utilonis Bajariorum Ducis alios tres Episcopos ordinasset, quibus assignaverat & provincias.

Deinde respondet ad illa dubia, quæ Bonifacius proposuerat.

I. Si dubium sit, fuisse vere Episcopos eos, qui quosdam presbyteros ordinarunt, si presbyteri sint probi, *ab Episcopo suo benedictionem presbyteratus suscipiant, & consecrentur, & sic ministerio sacro fungantur.*

II. *Non rebaptizentur ii, qui per linguam gentilitatis sunt baptizati, modo baptisma sit in nomine sanctissimæ Trinitatis; sed oportet, eos per manus impositionem, & sacri Chrismatis confirmari.*

III. Vivilus, si quid errat, docendus est.

IV. Concilio celebrando ad ripam Danubii præsideat nomine Pontificis ipse Bonifacius.

V. Ubi opus fuerit, quos idoneos repererit, ordinet in Episcopos.

D. IV. Cal. Novembris Imperante D. Piissimo Leone Augusto Imperii ejus anno XXIII. sed & Constantini Imperatoris ejus filii an. XX. Indict. VIII. an. 739.

Monita ad recens constitutos Episcopos.

VIII. Ib. p. 145. C. C. GREGORIUS III. Episcopis per Bojariam, & Alemanniam constitutis.

Inc. *Catholica sanctorum, &c.*

MOnet Gregorius recenter consecratos Episcopos, ut quotannis curent *synodalia celebrare*,

Ut pareant Bonifacio Vicario Sedis Apostolicæ,

Ut conveniant vel juxta Danubium, vel in urbem Augustam ad celebranda concilia, ut expedire Bonifacius crediderit.

Confirmatio erectorum Episcopatuum, & monita, quomodo se Bonifacius gerere debeat in quibusdam casibus.

ZACHARIAS Bonifacio Episcopo. IX. Ib. p. 145. C. C.

Inc. *Susceptis sanctissimæ, &c.*

TRes Episcopatus, quos supra diximus, Bonifacium erexisse, confirmat Zacharias

Jam in eorum erectione meminerat Bonifacius Pontificiæ admonitionis, *ne in villulas, & modicas civitates ordinarentur Episcopi, ne numero* nimio vilescerent Episcopi.

Jam primus Episcopatus erectus fuit in oppido, quod dicitur VVitzburos, alter in Berneburg, tertius in Erphesphurt.

Permittit autem Bonifacio, ut juxta petitionem Carolomanni in urbe regni Francorum Concilium cogat, & lapsam Ecclesiasticam disciplinam restituat.

Privet ministerio Sacerdotali, vel Diaconali, vel Episcopali si quos repererit adulteros, vel plures uxores habentes; *Si sanguinem Christianorum, vel paganorum effuderint; si deteriores sæcularibus noscantur*; vetet etiam, Clericos secundam uxorem ducere, prima defuncta.

Corrigat abusum, si est, contra sacros Canones successorem viventi adhuc Episcopo eligendi. Eidem tamen Bonifacio ex speciali gratia permittit, ut obitu suo instante, successorem sibi eligere possit, præsentibus Episcopis, consecrandum a Romano Pontifice.

Illum autem, qui viduam avunculi sui, & ipsa fuit uxor consobrini sui, & sacrum velamen habere monstrata est, ajebat, se licentiam a Gregorio III. habuisse ducendi in uxorem, jubet Zacharias, admoneri, ut eam dimittat; neque enim S. Sedes dispensat in iis, quæ sunt omnino contraria sacris Canonibus, & Patrum institutis.

Jubetur etiam Bonifacius amputare superstitiones, quæ gentilitatem redolent, *de Calendis Januarii, & cæteris auguriis; de philacteriis, & incantationibus, & aliis diversis observationibus*; neque illa, quæ semel fuerunt a Pontificibus vetita, permittat.

Præcipue illi inculcat, ut censuris coerceat Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos adulteros, & fornicatores; ex eorum enim moribus pendet laicorum honestas, vel turpitudo.

Demum nihil aliud prædicet, & doceat, nisi quod consonum sit Ecclesiæ doctrinæ.

D. Cal. April. Imperante D. Piissimo Augusto Constantino a Deo coronato magno Imperatore an. XXIV. Imperii ejus an. II. Indict. XI. a. 742.

Duobus primis postulatis nationis Germanicæ satisfit.

EUGENIUS IV. Friderico Romanorum Regi, Archiepiscopo Moguntino, & Marchioni Brandemburgensi. X. Ad an. 1447. §. 5.

Inc. *Ad ea, &c.*

„ QUatuor natio Germana postularat ab Eugenio, quæ non est ausus negare; nimium insignia, & recentia erant ejus merita in Ecclesiam in extinguendo Basileensi schismate.

I. *Ut generale concilium in tempore, locoque designando convocetur,*

II. *Ut professio potestatis, auctoritatis, & præeminentiæ generalium Conciliorum militantem Ecclesiam repræsentantium per oratores Pontificis facta ejus litteris approbetur.*

III. *Ut nationi Germanicæ super gravaminibus opportune provideatur,*

IV. *Ut quæ in præjudicium duorum principum electorum vel suarum Ecclesiarum* (Trevirensis, & Coloniensis) *acta sunt ex suæ Sanctitatis clementia revocentur, & in pristinum redigantur.*

Alias petierat natio Germana a Pontifice, ut generale concilium in una ex his quinque urbibus convocaret intra decimum mensem Constantia, Argentina, Moguntia, VVormatia, Treviris. Sed id non concesserat Eugenius, quia diversa fuit aliorum principum sententia. Nunc vero cum videat Concilium esse necessarium paci in Ecclesia ponendæ promittit se illud indi-

indictum habendum in una e prædictis urbibus intra mensem decimum a die harum litterarum vel decimum octavum. Curent autem Germani reges, & principes eo trahere.

Quod si de loco non conveniatur, indicetur pro alio loco inchoandum post alios menses decem.

Concilium autem generale Constantiense, decretum Frequens ac alia ejus decreta, sicut cætera alia Concilia Catholicam militantem Ecclesiam repræsentantia, ipsorum potestatem, auctoritatem, honorem, & eminentiam, sicut & cæteri antecessores sui, suscipit, amplectitur, & veneratur Eugenius.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Febr. P. a. XVI. a. D. 1447.

Reliqua duo postulata se adimpleturum spondet Pontifex.

XI. Ib. §. 6. EUGENIUS IV. ad f. r. m.

Inc. *Ad tranquillitatem, &c.*

MUlta fuerant edita in Basileensi Concilio ad preces Imperatoris pro sublevandis gravaminibus nationis Germanæ, quæ fuerunt acceptat, & ex eorum observantia commoda multa natio percipit.

Omnia illa decreta, omnia circa illa gesta confirmat Eugenius; vultque ut in posterum firma semper sint, & inviolabilia, tutique sint, qui illa acceptarunt, acceptaturique sunt.

Pollicetur se missurum legatos, qui alia gravamina colligant, & de iis cum consensu partium decidet.

Sperat tamen, Imperatorem, & Principes Germaniæ non passuros interim Ecclesiam Romanam suis juribus spoliari.

Et hanc concessionem non intendit ad eos extendi, qui obedientiæ Pontifici præstandæ sese opponerent; qui eam præstabunt, absolventur a censuris.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. ut supra.

Reintegratio provisionum male factarum in Germania, sententiarum judicum non competentium.

XII. B. M. t. I. p. 355. B. M. p. 3. vel t. 9. p. 247. B. R. t. 3. p. 3. p. 53. C. C. EUGENIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Inter cætera, &c.*

TEmpore dissensionis Ecclesiæ, aliis stantibus pro Concilio Basileensi contra Eugenium, aliis pro Eugenio contra Synodum, Germaniæ proceres dixerant, se servaturos neutralitatem. Ea incœperat *ab anno millesimo quadringentesimo octavo*, per quod tempus multa facta fuerunt in Germania contra statuta inter Ecclesiam Romanam, & hanc nationem, ita ut Ecclesias Archiepiscopales, Episcopales, dignitates, beneficia curata reservata S. Sedi ipsa distribuerit; jam rebus turbidis Ecclesiæ compositis, Imperator Fridericus, & alii principes oratores ad Pontificem miserunt, qui nomine totius nationis ei reverentiam, & obedientiam præstarent, cumque orarent ut provisiones male factas approbaret; reliquiæ fierent in posterum, ut partes inter se convenissent.

Ita agit Eugenius, & male provisis concedit beneficia, quæ possident, eosque absolvit a censuris, in quas incurrerunt ea beneficia possidendo, *perinde ac si a S. Sede essent impetrata.*

Sententias latas a judicibus non competentibus, modo juste decisæ fuerint, confirmat;

Cassat tamen, & irritat, quæcunque acta sunt in prejudicium Ecclesiarum, quas in sua jura, & bona vult restitui; eos tamen, qui hujusmodi detrimentum Ecclesiis intulerunt, a censuris absolvit;

Vetatque successoribus Pontificibus super his molestare Germanorum quemquam.

N. O. *Nulli ergo, &c.*

D. Rome apud S. Petrum VII. Id. Febr. P. a. XVI. a. D. 1446.

Quidam principes, & Episcopi Germaniæ recipiuntur in gratiam & absolvuntur.

NICOLAUS V. ad p. r. m. XIII. Ib. §. 18.

Inc. *Quia dilectus, &c.*

OBedientiam præstiterunt Pontifici Ludovicus Comes Palatinus Rheni Bavariæ Dux, Otho, & Stephanus Comites Palatini, Duces Bavariæ, Episcopi VVormatiensis, & Spirensis, Ludovicus, & Ulricus Comites de VVirtembergh; idem facturum se promiserat Episcopus Argentinensis coram legato mittendo.

Ergo decernit Pontifex prædictos principes, & Prælatos cum suo clero, & populo esse absolutos, & gaudere concessionibus datis ab Eugenio in suis litteris (suntque proxime superiores.)

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Non. Dec. P. a. I. a. D. 1447.

Conventiones inter S. Sedem, & Germanos super collatione beneficiorum.

NICOLAUS V. ad p. r. m. XIV. Ib. p. 357. Ib. p. 61. C. C.

Inc. *Ad sacram, &c.*

INter Legatum Apostolicum ad hoc missum in Germaniam ex una parte, & Fridericum III. Imperatorem, & alios Germaniæ principes ex alia, convenerat de reservatione, & collatione Beneficiorum illius nationis.

Hæ conventiones confirmantur a Nicolao V.

I. Qui reservat sibi collationes eorum beneficiorum in Germania, quorum possessores venientes Romam, vel inde recedentes *in locis ultra duas dietas legales non distantibus ab ea objerint*;

II. Omnes Ecclesias Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales, dignitates, prioratus conferet natio;

III. Factæ electiones deferentur ad Romanam sedem. Si canonice factæ fuerint, & de personis idoneis, Pontifex eas ratas habebit, secus Pontifex alias eliget personas;

IV. Incipiendo a Februario mensibus alternis collationes beneficiorum spectabunt ad Ordinarios, incipiendo ab Januario mensibus alternis spectabunt ad Pontificem,

V. Si per tres menses nulla provisio fiet a Pontifice, collatio devolvetur ad Ordinarios.

VI. De Ecclesiis Cathedralibus, & monasteriis virorum duntaxat vacantibus, & vacaturis solventur de fructibus anni primi annatæ jam ab Ap. Camera taxatæ.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Rome apud S. Petrum Cal. Apr. P. a. II. a. D. 1447.

Capitula pro Beneficiorum provisionibus, causis Ecclesiasticis, &c. hujus nationis.

NICOLAUS V. ad p. r. m. XV. B. M. p. 3. vel t. 9. p. 252.

Inc. *Si juxta, &c.*

MArtinus V. Eugenius IV. Nicolaus V. institerunt per suos legatos, ut schisma inter Ecclesiam, & nationem Germanam super Beneficiis tolleretur; sublatum fuerat sub Nicolao V. quibusdam concordatis, quæ licet facta sint non omnia sub Nicolao, sed partim sub Martino V. partim sub Eugenio IV. quia tamen Nicolaus ultimam imposuit huic tractatui manum, adscribuntur Nicolao, in quibus præcipue habita fuit ratio eorum, quæ jusserat jampridem Concilium Constantiense.

Capitula porro conventionis sunt hæc:

I. Ut Cardinales non sint plures viginti quatuor, & inter eos sint doctores in jure Canonico, in civili, in Theologia, assumanturque ex omnibus nationibus;

II. III. IV. V. VI. Capitula conveniunt cum relatis in proxima superiore constitutione *ad sacram, &c.*

VII. Ut in Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus nationis Germanicæ sexta pars Canonicatuum, &

præbendarum ſit pro doctoribus, & licentiatis in ſacra Pagina, aut Theologia, aut jure Canonico, aut civili, qui ſtuduerint per quinquennium in aliquo ſtudio Generali, & beneficia, quæ dantur ſolis nobilibus, dentur potius Baronibus, & Comitibus, vel ex utroque ordine militaribus, quam ſimplicibus nobilibus;

VIII. In collegiatis autem ſit ſemper ſexta pars doctorum;

IX. Beneficia habentia *animas communicantium duas mille* non conferantur aliis, quam doctoribus;

X. Sed nullus graduatus habeat niſi unum beneficium.

XI. Graduatus non debet præferri graduato *in pari data*;

XII. Vicariæ in Cathedralibus, & Collegiatis non dentur niſi perſonis idoneis ad eas res, pro quibus aſſumuntur.

XIII. De annatis ut in citata Bulla *ad ſacram*.

XIV. Cauſæ in Romana Curia non agantur aliæ, niſi quæ de natura ſua ſunt ibi tractandæ;

XV. Prioratus Conventuales, qui non habent niſi decem religioſos non poſſint dari in commendam neque Cardinalibus;

XVI. Simoniaci expelljantur a Beneficiis, & teneantur reſtituere fructus perceptos, aliique in eorum locum ſubſtituantur;

XVII. Nemo teneatur alicujus conſortium effugere, niſi ejus, in quem nominatim, & expreſſe, & ſpecialiter fuerit ſententia publicata, exceptis percuſſoribus clericorum, qui ipſo facto ſunt excommunicati;

XVIII. Ultra triennium ad conſecutionem beneficiorum, prioratuum &c. pro defectu ætatis nullum longius tempus dabitur;

XIX. Papæ, & Cardinalibus videtur pro eorum ſubſtentatione *aliter provideri non poſſe, quam huc uſque factum eſt, ſcilicet per beneficia, & communia ſervitia, quæ vacantia nuncupantur*;

XX. Cavebit Pontifex, ut nimias indulgentias promulget, & revocabit editas, & conceſſas ab obitu Gregorii XI.

XXI. Hæc omnia capitula obſervabuntur ad quinquennium tantum, quo tranſacto, quælibet Eccleſia *utatur jure ſuo*.

Conſtantiæ Die III. Martii P. a. II. a. D. 1418.

Hæc acta ſunt inter Germanos, & Martinum V. & poſtea diſcuſſa ſub Eugenio IV. confirmata demum ſub Nicolao V.

Declaratio ſuper beneficiis Germaniæ S. Sedi reſervatis.

XVI. B.M. t.1. p. 636. B.R. t.4. p. 1. p. 109.C.C. CLEMENS VII. ad ſ. r. m.

Inc. *Admonet nos, &c.*

POſt direptionem Romæ a Carolo Borbonio Caroli V. Imperatoris exercitus duce factam, Prælati nationis Germanicæ diſtribuebant beneficia vacantia etiam reſervata juxta conventiones S. Sedi.

Quapropter declarat Clemens, hæc omnia beneficia eſſe male collata, contra bonam fidem poſſeſſa, ac proinde eorum poſſeſſores teneri ad fructuum reſtitutionem.

Ceterum electis a S. Sede juxta conventa ubicunque, & quocunque tempore jus erit contra intruſos.

Irritat propterea quaſcunque ſententias prolatas in favorem proviſionum Beneficialium ita factarum. N.O.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Julii P. a. XI. a. D. 1533.

Declaratio de ſpatio trium menſium ad proviſionem Beneficiorum a S. Sede faciendam.

XVII. B.M. t.2. p. 438. B. R. t.4. p. 1. p. 324.C.C. GREGORIUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Quæ in Eccleſiam, &c.*

NIcolaus V. Ordinariis Germaniæ conceſſerat, ut beneficia vacantia etiam menſibus reſervatis S. Sedi conferrent, niſi prædicta S. Sedes proviſiſſet intra tres menſes a die vacationis.

Sed cum ſpatium trium menſium parvum videatur Gregorio ob diſtantias locorum, itinerum difficultatem, & aliquam moram in urbe pro obtinenda gratia faciendam, revocat conceſſiones Nicolai;

Et decernit intra tres menſes a die vacationis debere fieri certiorem Pontificem de vacatione, non autem intra tres menſes a die obitus beneficium dandum a Pontifice.

Atque ita accipi vult Nicolai Breve.

Collator qui contra hanc conſtitutionem fecerit, ſuſpendatur, donec veniam a S. Sede impetraverit.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Nov. P. a. V. a. D. 1576.

Declaratio dubii ſuper Gregorii conſtitutione enati.

SIXTUS V. ad p. r. m. XVIII. B.R. t.5. p. 1. p. 91.C.C.

Inc. *Ad Romani, &c.*

SIcut Gregorius declaravit ſenſum Conſtitutionis Nicolai V. ita Sixtus enodat dubium exortum ſuper litteris proxime ſuperioribus, quæ integræ afferuntur, ipſius Gregorii.

Dubium erat, num notificatio impoſita a Gregorio deberet fieri intra tres menſes computandos a die vacationis, an a die diſpoſitionis factæ a S. Sede.

Sixtus declarat, infra tres menſes debere fieri notificationem vacationis; nam fieri non poteſt, ut tam brevi tempore fiat notificatio diſpoſitionis Pontificiæ.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Janu. P. a. V. a. D. 1590.

Facultates Cardinalis Legati a Latere in Germaniam.

PAULUS V. Joanni Garziæ Card. Millino Legato a Latere in Germania, & Hungaria. XIX. B.R. t.5. p. 3. p. 306.C.C.

Inc. *Solemne eſt, &c.*

CArdinali Millino ituro A. Sedis Legato ad Imperatorem Rodulphum Hungariæ, & Bohemiæ regem dat Paulus facultates

I. Viſitandi Eccleſias, Capitula, domos Regularium,

II. Corrigendi abuſus, reos puniendi,

III. Cauſas Eccleſiaſticorum cognoſcendi,

IV. Diſpenſandi ab irregularitatibus, promovendi ad dines,

V. Commutandi fructus beneficiorum male perceptos, diſpenſandi ſuper quibuſdam impedimentis matrimonialibus,

VI. Conferendi beneficia dimiſſa, & vacantia,

VII. Lites componendi,

VIII. Erigendi Canonicatus, dignitates, parochias, hoſpitalia, confraternitates, creandi Notarios, equites militiæ auratæ, Comites Palatinos,

IX. Indulgendi licentiam celebrandi in locis interdictis,

X. Concedendi indulgentias, & alias tales. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum III. Non. Mar. P. a. III. a. D. 1608..

Impoſitio decimæ in Germania.

PAULUS V. ad p. r. m. XX. B. R. t.5. p. 4. p. 288.C.C.

Inc. *Militantis Eccleſiæ, &c.*

UT Ferdinandus Imperator poſſet propulſare bellum ab hæreticis, quorum anteſignanus erat Fridericus Elector Palatinus, ſibi motum, ſuper bonis Eccleſiaſticis Germaniæ decimam Paulus imponit.

Collectorem deputat Nuncium Ap. apud Imperatorem reſidentem, & Epiſcopum Eyſtetenſem. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXXI. Jul. P. a. XVI. a. D. 1620.

Hortatio ad Epiſcopos, ut ipſi, & eorum ſubditi Deum orent, ut Catholicorum arma in Germania contra hæreticos protegat.

URBANUS VIII. ad p. r. m. XXI. B.M.t.4. p. 86. B.R. t.5. p. 3. p. 316.C.C.

Inc. *Tonitrua ultionis, &c.*

CUm undique per Germaniam armorum fragor obſtreperet, & hæretici contra Catholicos armarentur,

tur, ſcribit Urbanus ad omnes Eccleſiæ Prælatos, ut & ipſi ad Deum preces fundant, & fideles ad orandum Deum hortentur, ut aut avertat bellum, aut Catholicorum armis faveat.

Illis etiam ſignificat, ſe elegiſſe nepotem ſuum Franciſcum Barberinum Legatum a latere ad principes pro pace.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXV. Mar. P. a. II. a. D. 1625.

Eadem hortatio.

XXII. B.M.t.5. p. 142. B.R.t.6. p. 1. p. 317.C.C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Unanimi Catholicæ, &c.*

EOdem tendit, quo proxime ſuperior, hæc conſtitutio: Nimirum ut Epiſcopi orent Deum, & hortentur populos ad preces, ut ſedet bella inter principes, neque Eccleſiam in Germania deſerat.

Significat ſe indicturum Jubilæum, ſe miſſurum Nuncios ad Imperatorem, alioſque principes, ut defenſionem Eccleſiæ ſtrenue proſequantur.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Apr. P. a. IX. a. D. 1633.

Jubetur Nuntius Apoſt. Germaniæ fructus Palatinatus dare Fœderi Catholico.

XXIII. B.R. t.6. p. 1. p. 261.C.C. &c. URBANUS VIII. Nuncio Ap. in Germania.

Inc. *Alias a nobis, &c.*

ELectoris Palatini profligati, ejectique nedum a Bohemia, cujus ſe in regem coronari fecerat, ſed ab electoratu etiam, & electorali dignitate ſpoliati, cæterorumque hæreticorum cum illo fœderatorum ſuperatorum defenſionem contra Ferdinandum II. Imperatorem, alioſque Catholicos Germaniæ principes ſuſceperat Guſtavus Adulphus Svetiæ rex, qui bellum ſtrenue proſequebatur, minabaturque toti Germaniæ, cui ut ſuccurreret Urbanus, jam mandaverat an. 1628. (bulla integra affertur) Nuncio ſuo in Germania, ut bonorum Eccleſiaſticorum in Palatinatu exiſtentium ipſe perciperet fructus, eorumque medietatem daret Imperatori Ferdinando, alteram medietatem inſumeret in reficiendis Eccleſiis a Svetiæ rege dirutis, idque per annos decem.

Anno ſubſequente juſſit, ut daret Imperatori partes tres, & una tantum parte uteretur ad reficienda loca ſacra.

Cum Germaniæ principes Catholici imploraſſent ab Urbano auxilium contra Regem, committit nunc, ut ſemiſſem eorum fructuum det Ferdinando, ſemiſſem principibus fœderatis in Guſtavum. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Mar. P. a. VIII. a. D. 1631.

Nuntio mandatur, ut Fœderatis principibus det medietatem bonorum Eccleſiaſticorum Germaniæ.

XXIV. T. 5. p. 274. C. C. URBANUS VIII. Eidem Nuncio.

Inc. *Militantis Eccleſiæ, &c.*

UT reſiſterent Catholici Germaniæ principes Guſtavo, majoribus ſubſidiis opus habebant.

Itaque jubet Urbanus ut medietatem omnium reddituum bonorum Eccleſiaſticorum totius Germaniæ det Fœderi Catholico Nuncius. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die IX. Apr. P. a. VIII. a. D. 1631.

Aſſignatio fructuum bonorum Palatinatus inferioris facta Ferdinando datur Bavariæ Duci.

XXV. B.R. t.6. p. 3. p. 119.C.C. INNOCENTIUS X. Nuncio Apoſt. apud Imperatorem.

Inc. *Apoſtolatus officium, &c.*

URbanus VIII. a. 1628. duas tertias Fructuum partes omnium Monaſteriorum, & Eccleſiarum in Palatinatu inferiore exiſtentium dederat Ferdinando Imperatori, quas ad annos decem poſtea aſſignavit, deinde ad annos duos, & tertiam partem voluit ab eo inſumi in reſtaurationem earundem Eccleſiarum.

Ferdinandus expoſuit Pontifici, ſe hos fructus æquo animo cedere Maximiliano Bavariæ Duci impenſis in bellum factis optime de ſe merito, ſub iiſdem conditionibus, nempe ut reſtauret Eccleſias, ut congruam det paſtoribus: dat Pontifex eidem Maximiliano ad annos decem hos fructus. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die V. Jul. P. a. III. a. D. 1647.

Declaratio Jurium S. Sedis ſuper Eccleſiis Metenſem, Tullenſem, & Virdunenſem.

INNOCENTIUS X. ad p. r. m. XXVI. B.R. t.6. P. 3. p. 124.C.C.

Inc. *Quamvis Eccleſiæ, &c.*

SUſpicans Innocentius inter Imperatorem, & regem Galliæ aliquas conventiones in generalis capitulis pacis fieri poſſe ſuper Eccleſiis Tullenſi, Metenſi, Virdunenſi in præjudicium jurium S. Sedis, *ad cujus liberam diſpoſitionem illæ ſemper ſpectaverunt*, per præſentes litteras declarat,

Se non paſſurum, ullam fieri diminutionem prædictorum jurium S. Sedis ſuper illas Eccleſias; omniaque acta; vel agenda tanquam non acta cenſeri vult. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Aug. P. a. III. a. Ds 1647.

Nuncius Apoſt. Coloniæ mittitur ad congreſſum Monaſterienſem.

URBANUS VIII. Fabio Nuncio Apoſt. Coloniæ. XXVII. B.R. t.6. p. 1. p. 406.C.C.

Inc. *Cum, ſicut, &c.*

JAm apertus erat congreſſus Monaſterii in Veſtphalia, unde illi nomen, ad componendam pacem inter principes poſt bellum tam diutinum.

Deputaverat Urbanus Cardinalem Ginettum Legatum a latere; ut eo ſe conferret, & illi aſſiſteret ut mediator, curaretque, ne quid detrimenti ex hac pace in Eccleſiam redundaret.

Dum illuc ire ſe parat Ginettus; jubetur Fabius Ghiſius, qui fuit poſtea Alexander VII. tunc Nuncius Apoſtolicus Coloniæ eo ſe conferre, ut actibus interveniat nomine S. Sedis;

Opportunaſque ei ad id facultates impertitur Urbanus.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Dec. P. a. XXI. a. D. 1643.

Proteſtatio contra pacem VVeſtphalia.

INNOCENTIUS X. ad p. r. m. XXVIII. B.M. t.5. p. 466. To.p.173. C. C.

Inc. *Zelo domus, &c.*

MOnaſterii in Veſtphalia, unde inditum illi nomen, facta tandem fuerat pax poſt longum acerrimum bellum a Guſtavo Adulpho rege Svetiæ contra domum Auſtriæ excitatum in hæreticorum favorem.

Plures Epiſcopatus ſæcularizati fuerant, monaſteria multa data profitentibus Auguſtinam confeſſionem.

Jam proteſtatus fuerat nomine Pontificis in congreſu Monaſterienſi palam Nuncius Ghiſius; antequam hæ ſæcularizationes, & aſſignationes fierent; ſed fruſtra.

Igitur hanc pacem, hos omnes articulos factos in præjudicium Catholicæ religionis damnat, caſſat, & irritat Innocentius.

Inſuper horum bonorum ſæcularizationem nullam omnino haberi a quibuſcunque vult, etiam poſt immemorabile tempus. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Nov. P. a. V. a. D. 1648.

Nuncius Coloniæ mittitur ad congreſſum pacis faciendæ inter Reges Franciæ, & Hiſpaniarum.

XXIX. B.R.t.6. p. 6. p. 207. C.C. CLEMENS IX. Nuncio A. in inferiori Germania. M. P.

Inc. *Cum ſicut &c.*

DElegerant jam Reges Chriſtianiſſimus, & Catholicus Plenipotentiarios pro pace.

Clemens ut citius ea fiat, & firmius perduret, deputat legatum nomine S. Sedis pro eadem pace ſupradictum Nuncium, qui quo ſe conferent Plenipotentiarii regii, ſe transferat, & *ibi mediator interſit, & omnia faciat, & agat, quæ crediderit condupibilia ad conſequendum tam boni operis effectum.*

D. R. apud S. M. Maj. Die XXI. Oct. P. a. I. a. D. 1667.

Ad Cardinalem de Lamberg, ut curet nullius Epiſcopatus in Germania fieri ſæcularizationem.

XXX. B.R.t.16 p. 176. BENEDICTUS XIV. Cardinali de Lamberg.

Inc. *Ut primum &c.*

CUm accepiſſet Benedictus ad componenda bella inter Reginam Hungariæ, poſtea Imperatricem Mariam Thereſiam Auſtriacam cum ſuis fœderatis ex una parte, & Bavariæ Electorem, qui fuit Carolus VII. Imperator cum ſociis ſuis ex alia, ſtatutum fuiſſe, aliquos Epiſcopatus in Germania ſæcularizandos, vel ex ditioribus Epiſcopatibus partes aliquas reddituum eſſe detrahendas, ingemuit maximopere, reminiſcens bello ſuperiore in pace Weſtphaliæ duas Sedes Metropolitanas, Magdeburgenſem, & Bremenſem fuiſſe abolitas, præter alios Epiſcopatus, & Abbatias ſæcularizatas, & nimis proinde imminutam fuiſſe Eccleſiaſticam juriſdictionem.

Significat Cardinali, ſe ſcripſiſſe ad Germaniæ principes Catholicos, ne id permittant, ſe certe id numquam paſſurum.

Tum Epiſcopos monet, ut pro virili parte ſua reſiſtant huic ſæcularizationi; eorumque conſilia in tam arduo negotio exquirit.

Quia tamen multi Germaniæ principes, etiam Catholici, aiebant, Epiſcopos non debere eſſe ſimul principes ſæculares, ac proinde eos Epiſcopatus eſſe ſæcularizandos, relicta Epiſcopis convenienti portione redituum, ait Pontifex, ſe jam reſpondiſſe principibus, & oſtendiſſe apertis rationibus, conducere, in Germania Epiſcopos eſſe divites, ut poſſint & hæreticis reſiſtere, & redeuntes ab hæreſi ſuſcipere, & alere.

Rogat demum Epiſcopos, ut bonis operibus, & eleemoſynis oburent os principibus ita loquentibus.

Litteras has ſingillatim miſit ad unumquemque Germaniæ Antiſtitem.

D. R. apud S. M. Maj. Die XV. Febr. P. a. IV. a. D. 1744.

Bona Eccleſiaſtica in electoratu Saxoniæ retenta ab Hæreticis illis condonantur, etiamſi redierint ad Eccleſiam.

XXXI. B.R.t.p.8. vel t.14. p 233. CLEMENS XII. ad p. r. m.

Inc. *Sedes Apoſtolica, &c.*

COnverſionem Auguſti II. Poloniæ regis, Electoriſque Saxoniæ, & Friderici III. ejus filii itidem Poloniæ regis, totiuſque Saxonicæ familiæ ad fidem Catholicam, unde ejus majores defecerant, ut Lutheranam ſectam amplecterentur, non ſequebantur ii fructus, qui ſperabantur in Saxoniæ electoratu.

Ratus Clemens inter cauſas, cur ille populus non abjuraret hæreſim, hanc eſſe vel præcipuam, quod qui converterentur, debebant bona Eccleſiaſtica jam occupata initio hæreſis Eccleſiis reſtituere, atque ita vitæ commodis ſe ſpoliare neceſſariis; ut prætextum hunc auferat, converſioneſque plures, & promptiores fiant,

Condonat poſſeſſoribus eadem bona; eos revertentes in S. Sedis ſinum abſolvit a cenſuris a ſacris canonibus inflictis bonorum Eccleſiaſticorum uſurpatoribus, & ea retinentibus.

Idque de conſilio Cardinalium, quorum nomina huic conſtitutioni ſunt ſubſcripta. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. R. apud S. M. Maj. VI. Id. Jul. P. a. II. a. D. 1732.

Eorumdem bonorum Eccleſiaſticorum remiſſio poſſeſſoribus in Palatinatu fit.

CLEMENS XII. ad p. r. m. XXXII. B.M.p.9. vel t.15. p.18. B.R.t.14 p.36.C.C.

Inc. *Inter multiplices, &c.*

COnſtitutionem factam in favorem hæreticorum poſſidentium bona Eccleſiaſtica in ditionibus Auguſti III. Polonorum regis eo ipſo die, quo hæc ſcribebamus, defuncti, extendit Clemens & ad Acatholicos, qui ſunt in Palatinatu inferiori, & in Ducatu Neoburgi;

Præcipue cum Alexander VII. conceſſerit hæc bona Eccleſiaſtica ipſi Duci, & Electori poſſidenda tuto, ſed hac conditione & bona illa, & fructus per tot annos inde perceptos remittit, ut redeant ad Catholicam religionem.

Vetat redeuntibus ullam moleſtiam afferri ab Epiſcopis, & ab ordinibus regularibus, quorum illa bona quondam erant. N, O.

Nulli ergo, &c.

D. R. apud S. M. Maj. Die XIII. Junii P. a. V. a. D. 1735.

Nuntio Apoſtolico Coloniæ datur facultas menſibus reſervatis conferendi Beneficia in Vveſtphalia, Imperio vacante.

PAULUS V. Nuntio A. Colonienſi. XXXIII. B.R.t.5. p. 4. p. 89.C.C.

Inc. *Ad Veſtphaliæ, &c.*

MOrtuo Imperatore Rodulpho, juxta ſtatuta inter S. Sedem, & nationem Germanicam, dat Paulus facultatem Nuncio ſuo Colonienſi menſibus reſervatis S. Sedi providendi de beneficiis vacantibus in Weſtphalia, & in diſtrictu Aquiſgranæ Leodienſis Diœceſis exiſtentibus in regionibus quoad temporalia ſubjectis imperio hæreticorum.

Contradictores per pœnas Eccleſiaſticas Nuncius coercere poſſit. N. O.

Vult tamen Paulus, ut in hujuſmodi collationibus obſerventur decreta Tridentini Concilii, & ut intra ſex menſes expediantur litteræ Apoſtolicæ.

D. R. apud S. Petrum Die X. Mar. P. a. VIII. a. D. 1612.

Nuncii AA. inferioris Germaniæ jubentur tradere chartas ad Nunciaturam attinentes ſuis ſucceſſoribus ad officium.

URBANUS VIII. ad f. m. XXXIV. B.R. t.6. p. 2. p. 393. C.C.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

FAbius Ghiſius, poſtea Alexander VII., Epiſcopus Neritonenſis Nuncius in inferiore parte Germaniæ cum nullas ſcripturas inveniſſet *ad directionem Nunciaturæ* in Palatio anteceſſorum Nunciorum, omnia archivia Monialium, Regularium, & Eccleſiarum Cathedralium perquiri fecit, chartaſque ad Nuncios, & Nunciaturam attinentes collegit, & in triginta volumina diſpoſuit cum ſuis indicibus.

Tum ſupplicavit Pontifici, ut decerneret, ne hæ ſcripturæ diſtraherentur, ſed integræ traderentur ab anteceſſoribus ſucceſſoribus Nunciis, addendo etiam illas, quæ ad negotia, quæ quotidie a Nunciis peraguntur, attinerent.

Ita faciendum decernit Urbanus. N. O.

D. R. apud S. M. Maj. Die XVIII. Aug. P. a. XXI. a. D. 1643.

Fœde-

Eccleſiaſtici in dominiis Auſtriacis ne locent bona Eccleſiaſtica hæreticis.

XXXV. B.R.t.5. p. 4. p. 238.C.C. PAULUS V. ad p. r. m. M. P.

Inc. *Paſtoralis officii, &c.*

JAm alias vetuerat Clemens, ne bona Eccleſiaſtica locarentur hæreticis.

Cum tamen Paulus ſciviſſet, in dominiis Auſtriacis hæc bona hæreticis locari, id vetat ſub pœnis a Canonibus, & a Clemente ſtatutis.

Locationes factas, & faciendas, etiam juramento interpoſito, ceſſat, & irritat.

Executoremque deputat Nuncium Apoſtolicum apud Ferdinandum Archiducem. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die V. Jul. P. a. XI. a. D. 1615.

Commiſſio Cardinali Caraffæ, ut cogat Eccleſiaſticos ditionum domus Auſtriacæ ad tradenda vaſa argentea pro bello in Turcas.

XXXVI. B.R. t.6. p. 5. p. 344.C.C. ALEXANDER VII. Cardinali Carolo Caraffæ.

Inc. *Cum, ſicut, &c.*

ARmorum ſuorum viribus eo uſque in Hungariæ regnum penetraverat Turca, ut non ſolum cuncta in ſua jura, legeſque coegerit, ſed etiam aliis provinciis partim comminis, partim diſſitis poſthac comminaretur.

Cum *nec vires erarii Leopoldi regis in Imperatorem electi, nec facultates Laicorum tantæ belli moli uſquequaque pares* forent, Alexander committit Cardinali Caraffæ, ut cogat Eccleſiaſticos cujuſque ordinis, & gradus exiſtentes in ditionibus Leopoldi ad danda vaſa aurea, & argentea utenſilia ſuarum Eccleſiarum (exceptis Calicibus, & patenis) vel Archiepiſcopo Pragenſi, vel Salisburgenſi, vel Strigonienſi, vel Epiſcopo Viennenſi, ut inde fiat pecunia in uſus tantum belli contra Turcas inſumenda. N. O.

D. R. apud S. M. Maj. Die XXIII. Feb. P. a. IX. a. D. 1664.

Eadem commiſſio Cardinali ab Harrach fit.

XXXVII Ib. p. 348 C.C. ALEXANDER VII. Cardinali ab Harrach Archiepiſcopo Pragen. & ſuffraganeis.

Inc. *Cum luctuoſiſſimas, &c.*

COmmittit Alexander præfatis ſuperius Prelatis ut quiſque cogat Eccleſiaſticos regulares, & ſæculares ſibi ſubditos ad tradenda ſibi vaſa aurea &c. in ſubſidium belli &c.

Ipſi Archiepiſcopi deputent collectores, executoreſque. N. O.

D. R. apud S. M. Maj. Die XXIII. Febr. P. a. IX. a. D. 1664.

Confirmatio emptionis quorumdam locorum a Lotharingiæ Duce factæ.

XXXVIII B.R. t.5. p. 5. p. 235. C.C. URBANUS VIII. Henrico Lotharingiæ Duci.

Inc. *Circumſpecta Sedis, &c.*

OPpida de Zizheim, & de Craftal ſpectantia ad Fridericum Comitem Rheni, & alia quædam parva loca erant ita circumſcripta ditionibus Lotharingiæ Ducis, ut inde exire, & illuc ire nemo poſſet, quin per hujus ditiones tranſiret.

Ex frequenti tranſitu hæreticorum verens Dux, ne ſubditi ſui inficerentur hæreſi, loca illa emit.

Quia autem in iis oppidis erant quædam monaſteria, quorum bona ſibi uſurpaverant Comites Rheni, eaque monaſteria erant extincta, Henricus ſupplicavit Pontifici, ut emptionem confirmaret.

Urbanus eam confirmat, permittitque illi, ut tuta conſcientia poſſit retinere illa bona Eccleſiaſtica.

Jubet tamen, ut paroecias erigat, ubi opus fuerit, ad earum animarum curam. N. O.

D. R. apud S. M. Maj. Die XIV. Junii P. a. I. a. D. 1624.

Facultas datur Bavariæ Duci tradendi octo Monaſteria in Palatinatu recuperata ab hæreticis Religioſis cujuſque ordinis, & ex duobus monialium conficiendi unum Ambergæ.

CLEMENS IX. Ferdinando Mariæ Bavariæ Duci.

Inc. *Sacroſancti Apoſtolatus, &c.* XXXIX. B.R. t.6. p. 6. p. 108. C.C.

IN pace Vveſtphalica quædam bona Palatinatus data fuerant Maximiliano Electori Bavariæ ſubtracta ab Electore Palatino jam a Ferdinando II. Imperatore electori ceſſa. Inter hæc bona octo erant monaſteria virorum diverſorum ordinum, & duo monialium, pollicituſque Ferdinandus filius Maximiliani Pontifici fuerat, ſe acturum de his Monaſteriis quod ille juſſiſſet.

Pontifex mandat, ut ea monaſteria reddantur iis ordinibus, quorum erant, & ut conſtrui faciat Ambergæ pro duobus illis monaſteriis monialium aſceterium unum, in quo ſervetur regula aut Ciſtercienſis, aut S. Brigittæ, quæ regulæ vigebant in illis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIV. Aug. P. a. I. a. D. 1667.

Permiſſio Religioſis Monaſteriorum Palatinatus ſuperioris ſolvendi 80. mil. Florен. in extinctionem debitorum Eccleſiæ Ratiſponenſis.

CLEMENS IX. ad f. r. m.

Inc. *Alias pro parte.* XL. B.R. t.6. p. 6. p. 333. C.C.

CONceſſerat etiam in proxima immediate Bulla Clemens, ut medietas fructuum horum monaſteriorum per triennium inſumeretur in extinctionem æris alieni, quo Ratiſponenſis Eccleſia gravabatur.

Verum cum monaſteria vidiſſent, longe ſatius eſſe una vice tantum Flor. 80. m. ſolvere quæ erat ſumma debitorum Eccleſiæ, quam per triennium ratam dare portionem, ſupplicarunt Pontifici, ut hoc ſibi liceret.

Clemens id eis permittit. N. O.

D. R. apud S. M. Maj. Die XVI. Febr. P. a. II. a. D. 1669.

DE DUCATU FLANDRIÆ.

Privilegium datum Comiti, & Comitiſſæ Flandriæ.

INNOCENTIUS III. Balduino Flandriæ Comiti, & Mariæ uxori ejus. I. B R.t 3. p. 1. p. p. 80.C.C.

Inc. *Apoſtolica Sedes, &c.*

I. COmpenſare volens Innocentius Balduini Comiti Flandriæ, ejuſque uxoris Mariæ fidelitatem erga S. Sedem inhibet, ne quis eos audeat excommunicare; & eas terras interdicere *ſine manifeſta ratione*;

II. Si Comes *ſe prægravari ſenſerit, libere poſſit appellare* ad S. Sedem;

III. Si inter appellandum jaciatur ſententia, ſit nullius roboris.

Nulli ergo, &c. Siquis, &c.

D. Later. IV. Cal. Maji a. 1199.

Arguitur Flandriæ Comes, quod bellum cum Rege Galliæ nolit componere.

JOANNES XXII. Roberto Comiti Flandriæ. II. Ex Rayn. ad an. 1318. §. 22

Inc. *Ecce noſti, &c.*

REus tot bellorum, quæ jam incœperant ſub Ludovico Rege, tot expenſarum, tot cædium, quæ per tot annos factæ fuerant, arguitur Robertus.

Videat ergo quot criminum, & gravitſimorum reus ſit,

Videat quantum diſcrepet a rege Chriſto, qui eſt rex pacis.

Bellum

Bellum ergo componat, & populos ſuos, & regnum Galliæ ne turbet.

D. Aven. III. Cal. Maji P. a. III. a. D. 1318.

Rurſus Comes excitatur ad pacem.

III. Eb. §.22. JOANNES XXII. Comiti &c.

Inc. *Ex abyſſo, &c.*

NEque ſolum cauſa eſt Robertus tot funerum, tot turbarum, & everſionum in Gallia, ſed etiam jacturæ quam Terra S. percipit.

Creſcunt enim infidelibus animi, majoreſque vires e diſſidiis Chriſtianorum aſſumunt;

Ipſe in cauſa eſt, cur expeditio in Terram S. in Concilio Viennenſi decreta non ſuſcipiatur a Rege Philippo, & a Rege Angliæ, qui milites ſuos eo tranſmittere nequeunt.

Jam ſi ab hoc bello Comes non deſiſtat, cogetur Pontifex extrema parare remedia, & Dei cauſam, ut Pontificem decet, defendere.

D. Aven. III. Id. Maji P. a. III. a. D. 1318.

Objurgatur Comes, quod inſectetur Fratrem ſuum.

IV. §b.§.14. JOANNES XXII. Roberto &c.

Inc. *Sedes Apoſtolica, &c.*

HAbebat Robertus Fratrem Joannem Comitem Namurci. Hic quoque erat hoſtis Philippi, fœderatus autem fratris ſui Roberti. Clemens V. miſerat Legatum, qui pacem inter principes ſtatueret, qui eam juramento firmarent. Paruit Rex Angliæ Pontifici, paruit Joannes, juraruntque ſe pacem ſervaturos. Robertus cum ſuis Belgis obtemperare noluera.

Imo inſectabatur Fratrem, cum puſillanimum, eum vilem dictitans, ejuſque comitatum devaſtabat.

Declarat Joannes, Joannem eo quod paruerit Clementi, eſſe laudandum, eo quod ſervet juramentum, eſſe pium, Robertum contra eſſe vituperandum;

Quem monet, ut ab hac infectatione deſiſtat.

Cum enim Pontificis ſit videre, ut pax ſervetur, ut ſerventur juramenta, non poterit non aſſiſtere Joanni contra illum quibuſcunque modis.

D. Aven. II. Cal. Apr. P. a. III. a D. 1318.

Principem Philippum permittant Status educari a Patre.

V. ad an. 1285.§.10. SIXTUS IV. Tribus Statibus Flandriæ.

Inc. *Audiveramus jam, &c.*

„ NOmine uxorio hereditate habebat comitatum „ Flandriæ Maximilianus, ducta in uxorem Ma„ ria Philippi nata unica, ex qua habuerat Philippum, „ qui duxit in uxorem Joannam heredem Hiſpaniarum, „ Patrem Caroli V. Imperatoris, & Margaritam. Sta„ tus deſponderant Margaritam Galliarum Delphino „ fremente ejus Patre Maximiliano, adduxerantque in „ Gallias, Philippum tenebant Gandavi, ubi educa„ batur. Maximilianus volebat eum ſecum, ajens a „ Patre eſſe educandum filium. Hinc diſcordiæ maxi„ mæ erant inter Maximilianum, & Status.

Pontifex ut eas ſedet, paterne Status alloquitur, videri quidem hanc amorem eximium Statuum erga principem Philippum, qui non patiuntur eum a ſe divelli, ſed tamen cum nulla major poſſit eſſe caritas quam paterna, certe ſperare debent, Maximilianum Ducem nihil eorum prætermiſſurum eſſe, quæ ad principem bene educandum ſpectare poſſe credet.

Præcipue cum Dux ille ſapientia, magnanimitate, & probitate ſumma ſit præditus, unde non ſolum pater, ſed optimus pater ſit cenſendus.

Eos ergo enixe rogat Pontifex pro illa caritate, qua ſcit eos Romanam Sedem proſequi, & pro illa, qua eadem Sedes eos proſequitur, ut materiam hanc rixarum tollant, deinque Patri principem.

D. Romæ apud S. Petrum Die IX. Jul. P. a. XIII. a. D. 1484.

Commendatur Card. Polus Legatus in Anglia Gubernatrici Flandriæ.

PAULUS III. Reginæ Mariæ Gubernatrici Flandriæ, VI. ad an. 1538. §. 92.

Inc. *Ut populus, &c.*

UT Populum Angliæ in Catholica Religione firmaret contra Henricum res innovantem Paulus Cardinalem Reginaldum Polum A. S. L. in Angliam mittere volebat.

„ Erat Polus propinquus Regis, ſed quia noluerat „ ejus Primatum agnoſcere, inimiciſſimus Rex illi erat. „ Dum degebat Patavii, contra Regem libros tres ſcri„ pſit de unitate Eccleſiæ.

Illum Paulus prædictæ Mariæ commendat.

„ Erat hæc ſoror Caroli V. nupta fuerat Chriſtierno „ Daniæ Regi e ſolio a ſuis expulſo propter tyran„ nidem.

Etiamſi Pontifex eum illi non commendaret, tamen pro ea devotione, quam gerit in Romanam Eccleſiam, eum benigne exciperet, & foveret.

Eum illuc mittit Paulus ut e propinquo loco fideles Anglos confirmet, ut ſi ſpes effulget, Henricum ad unitatem fidei reducat.

D. Romæ apud S. Marcum Die XV. Febr. P. a. III. a. D. 1537.

„ Quinquaginta aureorum millium præmium interfe„ ctori Poli promiſerat Henricus. Pontifex ne tanto „ periculo eum exponeret, illum revocavit e Legatio„ ne ſuſcepta.

Belgæ ſolvuntur a cenſuris.

JOANNES XXII. Archiepiſcopo Rhemenſi, Epiſcopo Silvanectenſi, & Decano Eccleſiæ Rothomagenſis. VII. ex Rayn. ad an. 1328.§.70.

Inc. *Petitio cariſſimi, &c.*

CUm pax per Legatos Pontificios inita fuit inter Carolum IV. Galliæ Regem, & Belgas, poenam excommunicationis denuntiarunt iidem Legati parti illi, qui pacem fregiſſet. Fregerant eam Belgæ. Victi turpiter a Rege Philippo pacem cum illo componere coacti fuerunt. Ut autem liberarentur a cenſuris, quibus ob violatam pacem erant innodati, ejuſdem Philippi opera uſi ſunt, qui a Pontifice abſolutionem iis impetravit.

Hæc omnia Pontifex præfatis præſulibus narrat.

Tum iis mandat, ut Belgas abſolvant, ita tamen ut de rebellionibus, & de aliis attentatis competentem faciant eidem Regi emendam, jurentque ſe obſervaturos factæ pacis conditiones.

D. Aven. XIV. Cal. Nov. P. a. XIII. a. D. 1328.

„ Belgæ an. 1341. ſe conjunxerunt cum Eduardo „ Anglorum Rege contra Gallum, fueruntque cenſuris „ a Benedicto XII. innodati.

Facultas datur abſolvendi Clericorum homicidas.

BONIFACIUS IX. Guillelmo Epiſcopo Anconitano A. S. N. VIII. ad an. 1398.§.4.

Inc. *Centum perſonas, &c.*

„ JOannes Burgundiæ, & Belgii Princeps favebat An„ tipapæ Clementi VII. Quia multi Clerici cum „ agnoſcere nolebant, ſed adhærebant Bonifacio, fue„ rant vexati, & plures etiam occiſi. Homicidæ in ſe „ reverſi veniam a Pontifice petierunt, qui mandat „ prædicto Nuntio,

Ut eos abſolvat; nudi & diſcalceati ſint, virgam ferant in manibus, & corrigiam circa collum, & ante fores Eccleſiarum a Presbyteris verberentur, dicantque interim Pſalmum *miſerere*, fateanturque crimen ſuum.

Si beneficia, ſi jura-patronatus habent, iis priventur, eorum filii ſint inhabiles ad beneficia conſequenda, niſi diſpenſetur ſuper iis a Sede A.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Id. Febr. P. a. II. a. D. 1391.

Gan-

Gandenſes monentur, ut fidem Regi Gallorum datam ſervent.

IX. ad an. 1348.§.2. BENEDICTUS XII. Advocato, Scabinis, Conſulibus, & Communi Villæ Gandenſis.

Inc. *Utinam filii, &c.*

PErtraxerat in fœdus ſuum Eduardus Angliæ Rex jam conſtitutus Vicarius Imperii in Germania inferiore a Ludovico Bavaro contra Philippum Galliæ Regem Brabantinos, Hannonios, & Belgas Gallicæ aulæ clientes, tentabat pertrahere etiam Yprenſes, Brugenſes, & Gandavenſes.

Ne id eveniat ſcripſit ad prædictos Cives Benedictus eadem fere, quæ ad Gandavenſes, quos dehortatur a fœdere ineundo cum Anglo:

I. Quia patria Flandriæ, quæ nobiliſſimis viris conſtat, & referta eſt urbibus, indiget gratia, & benevolentia Regis Galliæ,

II. Quia indiget victualibus, & mercibus ejuſdem Regni, ſine quarum rerum commercio diutius ſtare non poſſet;

III. Quia nondum patria reſpiravit ab acceptis cladibus, & devaſtationibus agrorum perpeſſis ab exercitibus Gallicis,

IV. Idem exitus veriſimiliter iis imminet, quoties enim arma in Gallum moverunt, fuerunt victi ſuperatique,

V. Quia bene vivunt immediate ſub Comite, mediate ſub Galliæ Rege, huic fidelitatem comes, & ipſi jurarunt, eam ſervent, ne ſe ſubjiciant imperio alterius regis, cujus regnandi rationem ignorant, longinqui, alieni ab eorum moribus, qui eos tutari non poterit.

D. Aven. VI. Id. Jan. P. a. VI. a. D. 1340.

Confirmatio privilegiorum civium Lovanienſium.

X. B.M p.3. vel t. 9. p. 219. BONIFACIUS IX. Abbati Monaſterii Parchenſis.

Inc. *Magnæ devotionis, &c.*

AD inſtantiam Scabinorum, & communitatis Lovanienſis confirmat Bonifacius omnia privilegia huic civitati conceſſa a Regibus, & Principibus, & Pontificibus.

Gregorius XI. confirmavit conſtitutionem Urbani IV. qua dabat his civibus privilegium, ne poſſent trahi extra ſuam urbem ad peragendas lites.

Pontificatus anno I.

Urbanus V. (cujus litteræ referuntur) hoc privilegium confirmavit.

Pontificatus anno I.

Idem Urbanus V. (& hæ quoque litteræ referuntur) confirmavit omnia privilegia a regibus conceſſa Lovanienſibus.

Pontificatus anno I.

Hæc omnia confirmat Bonifacius.

Executorem hujus Bullæ deputat Abbatem ſupradictum, qui hæc privilegia violantes poſſit per cenſuras coercere, & per brachii ſæcularis invocationem punire. N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Perulii II. Cal. Nov. P. a. III. a. D. 1392.

DE ECCLESIA FLANDRO-BELGICA.

Confirmatio ſtatutorum ab Eccleſiis Flandro-Belgicis Collegiatis decretorum.

I. B.M.p.1. vel t. 9. p. 150. NICOLAUS V. Archidiacono Antuerpienſi.

Inc. *Rationi convenit, &c.*

CUm frequentius, quam par eſſet, evocarentur Eccleſiæ Collegiatæ Flandro-Belgicæ ad Cameracenſem Curiam, cui ſuberant, maximo cum diſpendio, & incommodo, & interdum ob negotia nullius momenti, & interdum fallacia, ſocietatem inter ſe inierunt, atque digeſſerunt capitula quædam, quorum hic eſt tenor,

I. Ut omnes Eccleſiæ ſeſe invicem defenderent contra quoſcumque,

II. Ut quicunque ſubditus eſſet gravatus, ad reſpective ſuum capitulum confugeret, & gravamen referret, & capitulum remedium apponeret;

III. Unuſquiſque diceret opinionem ſuam, & ſi caſus eſſet juſtus, defenſio ſumptibus communibus ſuſciperetur;

IV. *Si ſubditus male informaret capitulum*, ſi ſolvendo eſſet ſatis, ſolveret expenſas a capitulo factas; ſecus puniretur.

V. Et alia talia, quæ Eccleſiæ obtulerunt Eugenio, ut ea confirmaret.

Eugenius jam dederat illa examinanda; interim moritur; ea confirmat Nicolaus.

D. Romæ apud S. Petrum XIV. Cal. Apr. P. a. VIII. a. D. 1456.

Erectio in Belgio Archiepiſcopatuum trium.

PAULUS IV. ad p. r. m. II. B.M.p.4. vel t.10. p. 71. B.R. t.4. p. 1. p. 359.C.C.

Inc. *Super univerſas, &c.*

IN Germania inferiori, ſeu Gallia Belgica, ſciens Paulus, *meſſem eſſe multam, operarios autem paucos*, quæ provincia ſubjacebat Philippo II. Hiſpaniarum Regi, ad ejuſdem Philippi inſtantiam tres Archiepiſcopatus erigit, Mechlinenſem, Cameracenſem, Ultrajectenſem.

Unicuique ſuos ſuffraganeos Epiſcopos aſſignat,

Confinia ipſis præſcribit,

Ita ut totum Belgium his tribus Metropolitanis ſedibus ſit ſubjectum;

Suas Cathedrales inſtituit,

Aſſignatque prælatis, & Canonicis ſuos redditus. N. O. *Nulli ergo, &c.*

D. Romæ apud S. Petrum IV. Id. Maji P. a. IV. a. D. 1559.

Jus nominandi ad beneficia in Belgio, & Burgundia datur Regi Philippo.

URBANUS VIII. Philippo Hiſpaniarum Regi. III. B. R. t.6. p. 2. p. 262. C. C.

Inc. *Olim poſtquam, &c.*

PLus IV. conceſſerat Philippo II. ut poſſet nominare ad monaſteria abbatialia, ad prioratus, & ad præpoſituras in Belgio; quod indultum extendit Gregorius XIII. ad omnia beneficia ſimilia in Burgundia exiſtentia.

Dubitantibus autem nonnullis, an etiam monaſteria conventualia intelligenda eſſent, Sixtus dubitationem amputavit, concedens eidem regi hanc facultatem ad ejus vitam duntaxat.

Hanc eandem facultatem dat Urbanus Philippo IV. pro iiſdem ditionibus Belgii, & Burgundiæ. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VI. Oct. P. a. XVIII. a. D. 1640.

Confirmatur idem jus.

CLEMENS IX. Regi Catholico. IV. B.R. t.6. P. 6. p. 172. C.C.

Inc. *Olim poſtquam, &c.*

EXoptaverat Carolus indultum nominandi ad dignitates Belgii, & Comitatus Burgundiæ, ſicut habebat Philippus II. a Pio IV. & poſtea a Gregorio XIII. & a Sixto V.

Hoc illi concedit Clemens,

Poſſit ergo Rex nominare ad Eccleſias Prioratus, Monaſteria, exceptis officiis intra clauſtra, intra decem menſes a die vacationis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj Die II. Aug. P. a. I. a. D. 1667.

Nun-

Nuncius apud Belgas deputatur judex ordinarius subditorum Diœcesis Leodiensis in Ducatu Brabantiæ.

V. B. R. t. 5. p. 2. p. 352. C. C. CLEMENS VIII. Nuncio A. in Belgicis ditionibus.

Inc. *Intelleximus nuper, &c.*

NOlebant duces Brabantiæ subditos suos in temporali judicari in causis Ecclesiasticis ab Episcopo Leodiensi, licet in spiritualibus illi Episcopatui subessent.

Grave damnum ex hoc patiebantur subditi.

Quod ut avertat Clemens, in causis Ecclesiasticis eorum populorum constituit ordinarium judicem Nuncium A. pro tempore apud Belgas.

Illi proinde jubet, ut tribunal erigat, judicet causas Ecclesiasticorum criminales, & mixtas.

Easque omnes addit facultates, quibus judices ordinarii indigent. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XII. Apr. P. a. X. a. D. 1691.

Indictio Jubilæi in Belgio.

VI. t. R. t. 4. p. 1. p. 265. C. C. INNOCENTIUS X. ad f. r. m.

Inc. *Salvatoris, & Domini, &c.*

QUia pauci admodum ex Belgio Romam venire potuerunt, ut indulgentias anni Sancti lucrarentur, indicit ibidem Jubilæum Innocentius.

Reliqua communia sunt cum Bullis hujusce generis.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VII. Jan. P. a. X. a. D. 1654.

Irritatio Decreti Consilii Brabantiæ contra Archiepiscopum Mechlinensem.

VII. B. M. t. 8. p. 396. CLEMENS XI. Decretum.

Inc. *In Congregatione, &c.*

CONsilium Brabantiæ ediderat decretum, quo jubebatur Archiepiscopus Mechlinensis cassare quasdam litteras Monitoriales contra quendam deservientem Ecclesiæ S. Catharinæ de rebus ad fidem spectantibus (ad Jansenismum) & quo insuper jubebantur Ecclesiastici iis litteris non parere; eas enim nihil valere, ajebat.

Cum hoc sit omnino alienum a jure Ecclesiastico, ut Episcopus impediatur in sua Diœcesi, quin consulat rebus ad fidem attinentibus, Clemens de consilio Cardinalium supremæ Inquisitioni deputatorum, revocat consilii Brabantiæ decretum, illud cassat, illud irritat;

Vultque edicta Archiepiscopi in suo robore permanere.

Pœnas injungit Ecclesiasticas iis, qui decreto consilii parebunt; quod vult abradi ab omnibus libris, regestis, & codicibus, ac si factum non fuisset.

D. Romæ Die X. Apr. P. a. VIII. a. D. 1708.

Absolutio eorum, qui contra Ecclesiam egerant.

VIII. B. M. t. 4. p. 1. vel t. 10. p. 160. GREGORIUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Sub die, &c.*

PHilippus II. auditis, quæ in Belgio nonnulli egerant contra Religionem; ratus, eos egisse ex ignorantia, supplicavit Pontifici, ut deputaret aliquem Episcopum, qui a censuris eos absolveret.

Gregorius deputavit Archiepiscopum Cameracensem, cui dedit facultatem eligendi alios Episcopos, qui reos ejusmodi absolverent vere pœnitentes. N. O.

Tunc fervebant in Belgio bella ob Religionem. Narrant Historici Ecclesiarum, Ecclesiasticorumque bonorum direptiones.

D. Romæ apud S. Petrum V. Cal. Mar. P. a. IV. a. D. 1576.

DE ECCLESIA ULTRAJECTENSI.

Confirmantur privilegia hujus Ecclesiæ.

EUGENIUS III. Decano, & Capitulo. I. B. R. t. 2. p. 284. C. C.

Inc. *Supplicatio carissimi, &c.*

COnradus III. Romanorum Imperator Ultrajectensi Ecclesiæ privilegia multa concessit. Affertur diploma, in quo Imperator ait, se ideo huic Ecclesiæ privilegia dare,

I. Quia debent Imperatores Christiani id agere;

II. Quia Imperatores inter eos Canonicos a fundatione ejusdem Ecclesiæ *primum locum obtinent, & eorum præbendam duo Canonici deserviunt;*

III. Quia Episcopus, & Canonici Imperatricem Geltrudam Ultrajecti morantem uxorem ipsius Conradi maximo obsequio coluerunt;

IV. In remedium animæ suæ, & Henrici III. Avi sui, cujus corpus ibi jacet,

V. Precibus conjugis suæ Geltrudis, & Conradi Fratris hujus Ecclesiæ Præpositi.

Præter confirmationem bonorum, & eorum exemptionem, electionem Episcopi, quæ ad Imperatorem spectabat, concedit *Præposito, Decano, & Capitulo S. Bonifacii.*

Et huic privilegio vult se testes subscribere.

Tum supplicavit Pontifici, ut hoc diploma confirmaret.

Eugenius illud per has litteras ratum habet, firmatque eodem tempore omnia alia jura hujus Ecclesiæ.

Nulli ergo &c. Si quis &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die XV. Cal. Aprilis Pontificatus nostri anno I. a. 1145.

Privilegium ne cives, & incolæ urbis, & agri Trajectensis extra eam Diœcesim litigare cogantur.

LEO X. ad p. r. m. II. In folio separato

Inc. *Debitum pastoralis, &c.*

PHilippus Trajectensis Episcopus videns damna ingentia, quæ in Ecclesiasticos & Laicos urbis, agrique Trajectensis redundabant, ex eo quod trahebantur in litibus Ecclesiasticis & profanis ad forum Archiepiscopi Colonensis, a quo multi distabant ultra quatuor, & quinque dietas, ibique protrahebantur lites, multique, etiamsi pro iis ratio staret, præ inopia non poterant eo se conferre, ibique diu morari, cansaque cadebant; videns etiam in temporali Trajectensis Ecclesiæ dominio esse multos Prælatos, Peritos, Practicosque, qui possent integerrime, & sapienter eas causas decidere, supplicavit Leoni, ut provideret.

Pontifex ergo tam justis postulatis annuere volens statuit, & ordinat *tenore præsentium, quod de cetero perpetuis futuris temporibus dictus Philippus electus, & pro tempore Episcopus Trajectensis, & ejus fiscus, & subditi tam Clerici, quam laici civitatis*, & Patriæ Trajectensis in prima instantia *pro & in quibuscunque causis civilibus, criminalibus vel mixtis, Ecclesiasticis, Temporalibus, & spiritualibus contra eos, vel eorum aliquem per quoscunque motis vel movendis coram præfato Archiepiscopo tanquam A. Sedis legato nato, & ejus commissariis præsentibus, & futuris, ac aliis quibuscunque judicibus extraordinariis, & conservatoribus AA. quacunque, etiam ejusdem Sedis auctoritate fulgentibus, prætextu quarumcunque litterarum AA.* impetratarum a communitatibus, capitulis, collegiis &c. personis etiamsi imperiali, regali &c. dignitate fulgentibus *extra dictam civitatem, & territorium, præterquam per appellationem, aut in eventu denegatæ justitiæ ad judicium trahi non possint, nec debeant quoquo modo;* sed coram judicibus Ecclesiasticis, & Secularibus ibidem existentibus *teneantur de justitia respondere.*

Signanterque Colonensi Archiepiscopo inhibet citare, convenire &c. ejus urbis ejusque agri cives, & incolas;

Sententiasque quascunque ab extraneis judicibus in Trajectensis Ecclesiæ subditos emanatas declarat *nullius roboris vel fundamenti existere.*

Et sic ab omnibus judicibus judicari vult. N. O, *Nulli ergo, &c.*

D. *Pali Portuen. Diœc.* Die XXX. Nov. a. D. 1517.

Electio ad hanc Ecclesiam fit de jure patronatus Comitum Hollandiæ, & Ducum Brabantiæ.

III. B. M. p. 4. vel t. 10. p. 581. CLEMENS VII. ad p. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

INter Duces Gheldriæ, & Episcopos Ultrajectinos sæpius ortæ erant acerrimæ contentiones, sed plerumque Duces Gheldriæ, utpote prævalentes, erant superiores.

Henricus Comes Palatinus erat Ultrajectinus Episcopus. Is obtulerat quinquaginta millia Florenorum numerata, & quorundam castrorum occupatorum fructum Duci Gheldriæ Carolo, ne Episcopatus quietem turbaret.

Acceptavit Carolus conditionem, pollicitusque est se servaturum pacem.

Sed occasione oblata, cum Henricus seditione popolari fuisset ejectus, Dux Carolus omnia Episcopatus bona invasit, Ecclesias, monasteria spoliavit.

Episcopus cum Margareta (erat hæc soror Caroli V. Imperatoris Ducis Brabantiæ, & Comitis Hollandiæ) Gubernatrice Hollandiæ pro fratre transegit, de cedendis juribus Episcopatus Imperatori; modo ipse expelleret e bonis hujus Ecclesiæ occupatis Gheldriæ Ducem.

Imperator eo misso exercitu facile ducem expulit, juramentum fidelitatis a subditis accepit, omniaque recuperavit, restituitque eundem Henricum in Episcopatum.

Cessio hæc nota facta fuit Clementi, rogatusque fuit, ut approbaret, Episcopatum Ultrajectensem esse in posterum de jure patronatus Comitum Hollandiæ, & Ducum Brabantiæ.

Quod per has litteras jubet Clemens;

Jubens tamen, ut pensionem duum millium Carolenorum Duces Brabantiæ darent Episcopo, si unio beneficiorum fieret cum mensa capitulari, hoc est si bona mensæ Episcopalis incorporentur capituli bonis.

Etiam diœceses dependentes ab hoc Episcopatu decernit Clemens futuras de jure patronatus eorundem Ducum. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XIII. Cal. Sept. P. a. VI. a. D. 1529.

Episcopatus Ultrajectensis erigitur in Archiepiscopatum.

IV. Ro. p. 83. PIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Ex injuncto, &c.*

ULtrajectensem Episcopatum suffraganeum Archiepiscopatus Colonensis, a quo illum eximit, Pius erigit in Archiepiscopatum.

Designat suffraganeos Episcopos: 1. Harlemensem, 2. Deventriensem, 3. Leovardiensem, 4. Gronningensem, 5. Middeburgensem.

Et huic Archiepiscopo omnia privilegia Archiepiscoporum concedit, & Ecclesiæ sic erectæ omnia Metropolitanarum Ecclesiarum jura.

Canonici sint novem, totidemque præbendæ.

Canonici graduati si ab Ecclesia absint per duos menses, amittant omnes fructus totius anni, nisi fuerint legitime impediti, vel missi ab Archiepiscopo ob Ecclesiæ gravia negotia. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Mar. P. a. II. a. D. 1560.

„ *Ultrajectensis, simulque totius Hollandiæ Ecclesiæ status melius exponi non potest, quam Epistola, quam Petrus Joannes Meindarts (de quo v. Bullas XI. XII. XIII. XIV. XV.) Archiepiscopus Ultrajectensis scripsit ad Benedictum XIV.*

„ Inc. *Officii nostri, &c.*

„ NOtum facit Benedicto Petrus, se die XXV. Febr. an. 1758. consecrasse Episcopum Daventriensem, cui astitit consecrationi Episcopus Harlemensis, & Decanus Ultrajectensis Ecclesiæ. Jam ut hoc posset facere, licet Concilium Nicænum velit assistentes esse Episcopos, scripserat Archiepiscopus Pontificis, „ Quem cum sciviſſet.

„ Morbo laborare, in casu necessitatis usus est Decano suæ Ecclesiæ.

„ Tum significat Pontifici suum, suæque Ecclesiæ „ dolorem ex ejus primo morbo conceptum, acerbissi„ mumque factum ex renovato, cum videret se orba„ tam illo Pontifice, qui posset eam solari.

„ Cum Ecclesia Batava audivit, eum fuisse electum „ in Pontificem in maximam spem erecta fuit, fore „ ut ex gravissimo luctu, in quo jamdiu jacet, erige„ retur; quam spem illi fecerant illius eximiæ virtu„ tes, præstansque scientia. Hac spe excitati Episcopi „ ad eum scripserunt; sciveruntque animum Pontificis „ non fuisse alienum ad eam sublevandam, sed unum „ e Cardinalibus victum artibus ejus Ecclesiæ hostium „ eum ab hoc revocasse. Non ideo tamen omnem spem „ abjicere Episcopos, sed se ad alia tempora servare.

„ Sed cum anni labantur senescatque Pontifex, ultra „ differendum non esse censuit illa Ecclesia suarum „ angustiarum oppressionisque seriem ad Pontificem mit„ tere; quæ quidem oppressio talis est ut non possit „ non maximopere animus Pontificis commoveri.

„ Anno duodecimo a mutato in iis provinciis Reli„ gionis statu *Sasboldo Vosmeno Ecclesiæ Ultrajectensis „ Sede vacante Vicario Generali, & totius Belgii Vi„ cario A. in Belgium irrepserunt quidam homines se „ Jesu Socios dicentes, multam habentes speciem pie„ tatis, magnam exhibentes humilitatem, summo, ut „ videbatur, studio animarum accensi, quasi gratuitam „ operam promittentes, nihilque præter victum, & ve„ stitum postulantes. Quod foris apparebat miratus Sas„ boldus quod intus latebat non odoratus, homines Dei „ Angelos ratus benigne excepit, & ad ministerium „ animarum laetus admisit. Verum haud multo post se „ non Dei Angelos, sed carnales homines excepisse in„ tellexit: non enim venerant ea, quæ sunt Jesu Chri„ sti, sed sua quæsituri.*

„ Multa Socii invenere in Belgio, Hierarchiam per„ fectam, Sedes Episcopales cum suis Episcopis, præter „ Metropolitanam vacantem, Capitula, Canonicos, „ pastores in urbibus, oppidis, pagis, plebem inter & „ pastores, Clerum inter & laicos concordes, Ecclesiam „ demum Batavam unanimem cum capite Roma, do„ ctrinam sanam, inconcussa prædestinationis, & gra„ tiæ efficacis dogmata, administrationem Sacramento„ rum juxta Rituale Romanum, moralem disciplinam „ puram; *incolarum divitias sat opulentas; quorum „ omnium ultimum sociis istis arrisit, cetera omnia vi„ lipenderunt, imo evertere omni ope studuerunt.*

Vix in Belgium ingressi, Ecclesiam turbarunt. Co„ nati sunt absterrere Clementem VIII. clandestinis mo„ litionibus, ne Archiepiscopum daret Trajectensi Ec„ clesiæ, sed Clemens *qui non minus eorum arti, quam „ doctrinæ adversabatur* Sasboldum, *Clero eligente, & „ principibus Belgii instantibus* ei præfecit. Vocatus „ fuit Archiepiscopus Philippensis, *ne Acatholici titulo „ Archiepiscopi* Ultrajectensis exacerbarentur. Redux in „ patriam Sasboldus ob obtentam confirmationem Ar„ chiepiscopatus Ultrajectensis reus agitur, & de *man„ dato Principis Auriaci, & Supremi Senatus amoli „ patrimonii confiscatione multatur*. Occasionem sibi „ datam rati Jesuitæ absente Episcopo, omnia suo lu„ bitu patrandi, traduxerunt optimos quosque Cleri, „ indulgentias venditarunt, peccatores sine prævia præ„ paratione absolverunt, clandestine fideles matrimonio „ junxerunt &c. qui solis eleemolynis se contentos di„ cebant, corrasere undequaque nummos, quos e Ba„ tavia asportabant, ita ut supremi ordines edictis suis, „ & summi Pontifices suis constitutionibus vetuerint id „ sed frustra.

„ Sasboldus primo paterne eos admonuit, desisterent „ a turbanda Ecclesia, ab usurpandis Episcopalibus ju„ ribus. Cum nihil proficeret, edicto publice eos ve„ tuit quicquam in sua diœcesi agere; & quia in Edi„ cto *Jesuitarum nomine designati fuerant* Romam que„ relas deferunt, postulant, ut removeatur a functio„ nibus. Quod rejecit Paulus P. V. *accusatorum pro„ terviam indignatus*, confirmavitque Sasboldi edictum. „ Tandem de quibusdam articulis, quos concordata „ vocant, conveniunt, quæ Pontifex confirmavit, quo„ rum nullum Jesuitæ servarunt. Moritur inter hæc „ Sasboldus.

„ *Cui* sufficitur Philippus Rovenius, confirmaturque „ a Paulo V. Archiepiscopus Ultrajectensis *ad votum „ Cleri, & ad Archiducum designationem*, qui ad evi„ tandam Ordinum iram assumit nomen Philippensis „ Ecclesiæ. Hic quoque ad assumptum Archiepiscopi „ Ultrajectensis titulum exulat. Quare nemo eo titu„ lo usque ad Cornelium Steenovium usus est.

„ Jesuitæ, ascitis aliis Regularibus, & Rovenium, „ & Clerum oppressere.

„ Confugit Clerus ad Pontificem, qui contra Clerum „ decidit; sed Clero sua jam repetente, Episcoporum „ Provinciæ Mechlinensis vicinorum judicio causa com„ missa est. Hi concordiam inter partes fecerunt; ap„ probatam ab Urbano VIII. sed cum semper eam in„ fringerent Jesuitæ, Alexander VII. *eam in constitu„ tionem erexit* servandam sub pœnis &c. Quam ta„ men Jesuitæ non servaverunt.

„ Rovenio defuncto, fit Episcopus Jacobus Torrius „ sub titulo Archiepiscopi Ephesini, qui allectus a Je„ suitis spe ditioris infulæ in præjudicium concordato„ rum multa iis indulsit, rescissa a Congregatione Sa„ cra reclamante Clero. Hic unus Episcopus non fuit „ vexatus a Jesuitis.

„ Joannes Neercasselius *ascitio Castorionsis Ecclesiæ* „ titulo substituitur Torrio. Erat Joannes *vir abundanti „ excultus doctrina, opere potens, & sermone, & om„ nium virtutum genere præditus*. Sæpe eum Jesuitæ „ vexarunt, sed non oppresserunt,

„ Oppressio refundenda erat in Petrum Coddæum „ Archiepiscopum Sebastenum. *Recruduerant tunc tem„ poris, quæ Jesuitæ in odium doctrinæ S. Augustini „ intulerant de Jansenismo jurgia*. Si quis Societati mi„ nime placebat, *mira quadam arte Jansenismi labe in„ fectum aspergebant*. Jam omnes Sacerdotes Batavi hoc „ nomen a Jesuitis contraxerant jamdiu, utpote qui „ doctrinam Augustini sequebantur; sciebant enim ab „ Episcopo Sasboldo Clementem VIII. illi dixisse, *se „ cum Lovaniensibus sentire, & curaturum ut omnes „ ita sentiant; se autem pro Augustini doctrina, si opus „ foret, martyrium velle pati*. Hinc Batavæ Ecclesiæ „ labes prima. Jesuitæ Archiepiscopum clanculum hac „ labe infectum denuntiant Romam. Sebastenus occa„ sione Jubilæi vocatur Romam, contra jus Belgarum „ nixum Leonis X. Bullæ (v. supra) interrogatur de „ doctrina, dimittitur cum Apostolica benedictione; „ litteras interim a Patria accipit, se esse suspensum. „ Scripta in sui defensionem, purgationemque Cleri sui „ edit; & a muneris sui exercitio abstinet con„ stanter.

„ Coddæo mortuo, Batavus Clerus tentavit res com„ ponere; sed prævalentes Jesuitæ effecerunt, ne Cleri „ vota exaudirentur. Ergo Capitulum Metropolitaniæ „ usum *officio, & jure suo tum antiquo, tum novo per „ Germaniæ concordata rato, & confirmato elegit* Cor„ nelium Steenovium in Archiepiscopum Ultrajecten„ sem; cujus electione Summo Pontifici facta nota, & „ confirmatione humillime petita, ab Episcopo Baby„ lonensi consecratur.

„ Quæ consecratio mire torsit Jesuitas, arteque con„ tra Coddæum adhibitas renovarunt in Steenovium. „ Ubique declamabant Hollandiæ provincias esse Mis„ siones, corruisse Episcopales Sedes, Capitula nulla es„ se. Quod falsissimum est, cum *frequens sit Catholi„ corum populus, & tam numerosus Clerus*. Præterea „ Ecclesia Romana cum servet nomina earum urbium „ Episcopalium, ubi nullus est Catholicus, dicunturque „ Episcopatus in partibus, multo magis debet servare „ nomina earum Sedium, in quarum provinciis & Cle„ rus & Catholici sunt: Jesuitæ dicunt Ecclesias nul„ las esse in Batavia, quia templa diruta sunt, nulli„ que sunt redditus. Hic enimvero se prodit Jesuitarum „ animus, qui omnia redditibus metiuntur. Populus est „ templum Dei, populus constituit Ecclesiam, non mu„ ti, non parietes, multoque minus redditus. Sed fin„ gatur etiam in Batavia paucos esse Catholicos; certe „ erunt plures quam Babylone; Babylone tamen resi„ det Episcopus. Sex alios Episcopatus ducentis ab hinc „ annis in Belgio erexerat S. Sedes, præter Ultraje„ ctensem; decet ergo eorum nomina servari; si sua „ beneficia servant principes, cur non servabit Sedes „ Apostolica? Errant, & errare alios volunt, cum di„ xerunt an. 1724. *jam a pluribus super annis centum „ capitula* in Batavia periisse. Bussius enim Internun„ cius Bruxellis *ad Ultrajectentium, & Harlemensium „ cœtus an.* 1702. *scribens eos nuncupat præclara „ capitula*.

„ Hinc deceptus a Jesuitis Benedictus XIII. quoddam „ edidit Breve, in quo apertissima Jesuitarum menda„ cia leguntur a Jesuitis obtrusa, nempe consecratio„ nem Steenovii factam fuisse in domo cujusdam laici „ Donheri; ac proinde Donherum, quod domum suam „ accommodasset huic consecrationi *morte* pœnas luis„ se. Tamen consecratio peracta fuit in privato Sa„ cello Babylonensis Episcopi, & Donherus per tres „ annos Missas Romæ celebravit, cum consecratio „ Steenovii fuit facta erat Pastor Amstelodami sanus, „ vegetusque, diuque superstes Benedicto fuit. Ex his „ argui potest, qui sint Jesuitæ. Steenovius interim ita „ denunciatus declaratus fuit invalide electus, illicite „ consecratus suspensusque fuit a divinis, Catholicique „ jussi ne cum illo in divinis communicarent.

„ Eodem modo a S. Sede omnes deinceps Ultraje„ ctenses Episcopi sunt habiti.

„ Sed sicut genitores falsis famulorum delationibus „ decepti filios ejiciunt, quos recipiunt, famulosque ex„ pellunt mendaciis detectis, ita sperat Archiepiscopus „ fore ut Benedictus, qui probe Jesuitarum ingenium „ novit, sublevet Hollandiæ Ecclesiam ex iis ærumnis, „ quibus affligitur.

„ E Pontificiis brevibus, quibus damnantur Episcopi, „ multa mala in Batavam Ecclesiam derivantur; pu„ sillis offendicula objiciuntur, ita ut nesciant quid sibi „ sit credendum, agendumque; hinc Schismata. Rident „ Acatholici videntes oves in suos pastores invehi; & „ Catholici vicini Episcopi modo pro nobis, modo „ contra nos stant. Quidam Episcopus Belgio vicinus „ rursus confirmavit quosdam, quos Steenovius con„ firmarat;

„ Nuncius Apostolicus cui Ecclesia Batava adhæret, „ ut suo superiori cum non resideat, multa ignorat, & „ si ea novit, ferre remedium nequit; proinde supre„ mus Senatus publicis pœnis in reos utitur, unde Ca„ tholicæ fidei deturpatur nomen. Si a S. Sede con„ firmarentur Episcopi, hi prudenter malis obviam „ irent, & occulte remedium afferrent. Regulares, & „ Sæculares Sacerdotes avaritiæ soli student, contem„ nuntque animarum curam. Hoc divitiarum studium „ protulerunt Cardinali Valenti in Epistola ad eum „ scripta adversus Capitulum Harlemense ann. 1753. „ in qua ducenti, & quinquaginta & amplius ei scri„ pserunt *Clericos, & Regulares Harlemensi capitulo „ addictos, potius quam se, ad pinguiores stationes „ mitti, ad pinguiora beneficia promoveri*.

„ Corruat etiam Ecclesiastica disciplina necesse est; „ nam Sacramenta non recte administrantur; absolvi„ tur quicumque, cuicunque ad Eucharistiam patet adi„ tus, quin suæ rationis vivendi emendationis argu„ mentum ullum det; ita ut magis se ad coenam suam „ Hæretici præparent, quam Catholici: Vident Hæretici „ fieri apud Catholicos generales communiones sed ge„ neralem corruptionem correctam non vident.

„ Hinc deridentur Catholici, & hæ scissuræ in cau„ sa sunt, ut qui vellent fidem Catholicam amplecti, „ absterreantur. *Duo sunt*, inquiunt, *inter nos Catho„ licorum genera, vos, qui estis boni, quos Papa dete„ statur, & Jesuitæ, quorum impietas fovetur. Jesui„ tis adhærere nolumus, ne cum perversis pervertamur*, „ neque vobis, *ne diras Pontificias subeamus*.

„ Ob Jesuitas nomen Catholicorum blasphematur; „ & parati veram fidem amplecti, nolunt eam am„ plecti. Nam *gens Batava naturæ ductu amans Reli„ gionis &c. cerea in veritatem flecti, ad audiendum „ velox, & agnitæ veritati concedere parata*.

„ Tum descendit Archiepiscopus ad Jesuitarum artes „ detegendas, amplificandasque; eorum malas doctri„ nas exagitat, mala, quæ inducunt, recensет, discor„ dias, quas excitent, memorat.

„ His malis medicinam sperat a Pontifice Archiepi„ sco-

„ scopus; morbus, inquit, neque ex parte Pontificis „ est insanabilis, neque ex parte Ecclesiæ Batavæ.

„ Non ex parte Pontificis. 1. Licet enim prove„ ctissimam ætatem habeat, facili negotio litem deci„ det, utpote qui intus & in cute adversarios Ecclesiæ „ Batavæ noscit: sunt Jesuitæ noti jam Punica fide, „ artibus, machinationibus in Batavia, Galliis, Hispa„ niis, Æthiopia, Cocincina, in Sinarum Imperio, in „ Indiis; noti sunt libellis, thesibus, dictériis, quibus „ plures Romanos Pontifices prosciderunt, & e malis „ quibus Ecclesiam affecerunt, ita ut si Christi Eccle„ sia subversioni subjaceret, hanc duobus abhinc fe„ re sæculis jam subvertissent.

„ Non est optandum cuiquam accusari, sed ab hu„ jusmodi hominibus accusari decus est; eorum enim „ accusatio indicat honestatem accusati.

„ 2. Quid ex parte Sedis Apostolicæ impedimento „ esse potest? fortasse quia, ut dicunt Acatholici, la„ tam sententiam nunquam mutat? Sed hanc opinio„ nem falsam esse S. Bernardus (Epist. 180. ad Ap. „ Innocentium) testatur, cujus hæc sunt verba; *Hoc „ solet habere præcipuum Apostolica Sedes, ut non pi„ geat revocare, quod a se forte deprehenderit fraude „ elicitum, non veritate promeritum. Res plena æ„ quitate, & laude digna, ut de mendacio nemo lu„ cretur præsertim apud sanctam, & summam Sedem*.

„ Exponit laudem, Archiepiscopus, quam conse„ quetur apud Protestantes Pontifex, si Ecclesiam Ba„ tavam quasi alteram Susannam ab impactis calum„ niis vindicabit, & in pristinum statum eam restituet. „ Moveatur Pontifex damnatione, cui per annos su„ pra triginta patientissime subjacet.

„ Excitetur in Benedicto spiritus Danielis, calumnia„ toresque rubore perfundat, eripiatque ex ærumnis Ba„ tavam Ecclesiam.

„ 3. Nil demum ex parte Batavæ Ecclesiæ esse potest, „ quod Benedictum retinere possit. Ab Hæreseos Jan„ senianæ labe, qua infectam eam Jesuitæ dicebant, „ jam se purgavit; eam purgat Innocentius XII. qui „ ad Episcopos Belgii ita scribit. *Ne ullaratione quem„ quam vaga ista accusatione, & invidioso nomine Jan„ senismi traduci, aut nuncupari finatis, nisi prius „ subjectum esse legitime constiterit, aliquam ex iis pro„ positionibus docuisse, aut tenuisse; nec quenquam sub „ hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, „ gradibus, ac concionibus habendis, vel alia quacun„ que Ecclesiastica functione permittatis; nisi servato ju„ ris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholi„ cis gravissima est, commeruisse probatum fuerit*.

„ Objicitur *Phantastica* esse Ecclesiæ Batavæ capitu„ la. *Sed ante Sebasteni exauctorationem nemini* hoc „ dicere in mentem venerat. *Extant apud Batavos „ monumenta, quæ evincunt ipsos Jesuitas ea pro ve„ ris Capitulis habuisse*. Nuncii Apostolici, quorum lit„ teræ extant, vel Coloniæ, vel Bruxellis commoran„ tes ad eorum Decanos scripserunt. Nam quod di„ cunt Jesuitæ ea non esse capitula, quia proventus „ non habent, scandalosum est. Ait denum Archiepi„ scopus sexcentis, & amplius monumentis se probare „ Pontifici, ea semper jura Capitulorum retinuisse.

„ Verum quidem est Capitulum Ultrajectense ple„ rumque titulum Vicariatus potius quam Capituli usur„ passe; *ne videlicet Nobilium odium incurreret, qua„ si temporalia sua jura revocare videretur. Sed mu„ tatis nominibus res non mutantur*.

„ Semper ut Canonicos Batavi se reputarunt, eli„ guntur ut aliorum Capitulorum Canonici, jurant „ de juribus Capituli servandis; *vident, & legunt in„ strumentum originale, & authenticum Philippi Rove„ nii, quo prudenter præcavit, erecto præfato Vica„ riatu, ne Acatholicis Canonicatus decedentium cano„ nicorum occupantibus, capitulum tandem intercideret*. „ Hic Vicariatus semper se gessit pro vero capitulo pa„ storatus contulit, sedem vacantem per Vicarium ge„ neralem administravit; præsentavit Archiepiscopos „ suos Pontifici, quos dixit Vicarios ad evitandam or„ dinum supremorum offensam. Vicarius hic a tempo„ re Rovenii nunquam excidit.

„ Hæc faciunt ut bona fide se canonicos putent; „ qui, si erant, est error excusabilis. Habent titulum „ saltem coloratum; nempe bonam fidem. Ceterum ad„ versariorum est inanitatem tituli probare; non enim „ satis est dicere Capitulum Ultrajectense esse purum „ putumque phantasma; si hæc assertio id præstare posset, „ nullus titulus esset, qui hoc modo infirmari non posset.

„ Jam satis afflicta fuit Ecclesia Batava, cum hæ„ resis ejus subditos populos ex parte infecit, quin Ca„ tholici quoque eam affligant.

„ Nota sunt Pontifici illa Leonis Magni aurea ver„ ba: *privilegia Ecclesiarum ... nulla possunt improbi„ tate convelli, nulla novitate violari*; & alia plura San„ ctorum Patrum testimonia.

„ Cum igitur in Belgio semper jura Ecclesiarum ser„ vata fuerint, utcunque novitates irrepserint, etiam „ Sedes Episcopales capitula semper viguisse, & stetis„ se, & stare nunc necesse est.

„ 4. Neque etiam ex parte Ecclesiarum Batavarum „ quicquam obstare potest. Malorum enim, de quibus „ Jesuitæ puniri debebant, pœnam Ecclesia Batava sol„ vit indignissime. Ipsi turbas moverunt, culpaque in „ Batavos rejicitur. Quale sit eorum ingenium satis „ patet, *norunt Eminentissimi Patres in urbe Prænestæ „ congregati, quorum rectam agendi rationem nuperri„ me carpere, atque traducere ausi sunt; novit & ipsa „ Sanctitas sua, quam malignitatis suæ jaculis petere „ non sunt veriti*. Quid simile per tot annos quibus „ Ecclesia Batava oppressa fuit, ausa est illa suicipere „ & patrare? annon patientia in illa effulsit? ne con„ questa quidem est, cum nullum responsum a S. Se„ de, ad quam toties confugi, obtinere potuit.

„ Sed hujusmodi patientiæ finis tandem aliquando „ imponendus est. Impositi Sanctitas sua finem discor„ diis quæ tandiu Gallicam Ecclesiam vexarunt, im„ positique prudentia tanta, imponat finem etiam ve„ xationibus Ecclesiæ Batavæ. Hoc unum illi restat „ peragendum opus ad cumulatissimam ejus Pontifica„ tus gloriam. Ecclesia Batava Ecclesiæ Romanæ filia „ a longo tempore gemit; ejus lacrimas Benedictus ab„ stergat, primamque lætitiam illi restituat.

„ Hoc a Pontifice tanto illa sperat; ne de tanta „ spe Pontifex eam dejiciat.

Per viscera Jesu Christi, cujus vices Pontifex in ter„ ris sustinet, Ecclesia Batava rogat Pontificem, ne ul„ terius preces suas Pontifex Romanus rejiciat, qui est „ visibilis Ecclesiæ visibile caput.

„ 5. Forsan obstare poterit huic paci, quia illam „ iniquo animo Jesuitæ sunt laturi? *qui cum præpo„ tentes sint, periculum est, ne omnia audeant omnia „ misceant, omnia conturbent. Sed posuit Deus Societati illi „ malitiæ terminum, quem non transgredietur. Jam „ affulgere videtur tempus, quo impiendum sit illud „ Apostoli*: ultra non proficient: *sociorum enim istorum „ insipientia jam cœpit fieri omnibus manifesta*.

„ Hæc ut scriberet ad Pontificem, timor, ne reus „ ante Dei tribunal, nec tanquam Ecclesiæ proditor „ damnaretur, movit Archiepiscopum; quæ si move„ bunt Pontificem, lætior ultimo diei, qui jam pro„ pe adest, obviam ibit, sin minus saltem innocens „ coram Deo erit, venerabiturque mœsta Ecclesia Ba„ tava imperscrutabilia Dei judicia, qui nondum diu„ tinis malis finem valt imponere.

„ De recuperata valetudine gratulatur Pontifici. Ultrajecti Idib. Febr. a. 1758.

Damnatio duorum librorum Petri Coddæi Episcopi Sebasteni, ejusque remotio a Vicariatu Ecclesiæ Ultraject.

CLEMENS XI. Decretum.

V. *In folio separato.*

Inc. *In congregatione, &c.*

„ CUm annus sanctus esset, Romam accitus fuit „ Episcopus Sebastenus, & cum multa contra il„ lum, ejusque Clerum ad sacram Congregationem de„ lata fuissent, jussus fuit se purgare ab impactis ac„ cusationibus. Feliciter, ut ille ajebat, se purgavit; „ sed ita non est visum sacræ Congregationi, quæ in„ terrogationes, & responsa ad Pontificem detulit, „ qui de consilio ejusdem Congregationis eum a mu„ neribus Episcopalibus, & a regimine Missionum Hol„ landicarum suspendit.

„ Quare ille hæc duo infrascripta volumina edidit, „ ut innocentiam suam patefaceret:

I. *Declaratio Archiepiscopi Sebasteni Apostolici in Hollandine Missione Vicarii super pluribus, quæ tum ad ipsum, tum ad clerum pertinent interrogationibus*. Ro„ mæ Typis Reverendæ Cameræ Apost. 1701.

II. *Responsiones Archiepiscopi Sebasteni in Belgio Fœ„ derato Vicarii Apostolici ad scriptum varia accusatio„ num*

num capita continens jussu Eminentissimorum Deputatorum ei traditum. Romæ Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ 1701.

Prævio accurato eorundem librorum examine, & habita relatione, & censura a pluribus in sacra Theologia magistris auditisque Eminentissimorum Cardinalium supremæ Inquisitioni Præfectorum suffragiis, Clemens eos prohibet, & damnat *ut continentes doctrinas & assertiones ad minimum suspectas, & singulares, atque Ecclesiasticis Constitutionibus repugnantes, &c.*

Nemini igitur eos libros imprimere quovis idiomate liceat, nemini eos in aliud idioma vertere, nemini illos retinere, aut legere; sed illos qui habent deferant Ordinariis, vel Inquisitoribus *sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis*.

Ipsum vero R. P. D. Archiepiscopum Sebastenum, eo quod post diuturnam, ac plenam totius causæ discussionem Apostolicæ Sedi, quoad ea, de quibus fuerat denunciatus, ut præfertur, minime satisfecerit, ab omni Hollandicarum Missionum regimine, dudum ei ad ejusdem Sedis beneplacitum commisso, & a quo nuper suspensus fuerat, penitus removendo (sic), *Sanctitas sua ad alterius Vicarii Apostolici deputationem in ejus locum libere procedi, ac proinde hac de re in Congregatione negotiis Propagandæ fidei proposita juxta solitum agi mandavit*.

Die 3. Ap. a. 1704.

„ Coddæus fuit septimus Archiepiscopus Ultrajectenses, electus fuerat an. 1688.

„ Electus fuit a Pontifice in ejus locum Theodorus „ Coch Provicarii titulo, qui in Hollandia habebatur „ hostis acerrimus Coddæi, caputque turbarum. Supre„ mi ordines eum admittere noluerunt, jusseruntque ab „ Hollandia exulare.

Vicariis Apostolicis in Hollandia Jurisdictio adempta fuerat anno ante.

VI. *In folio separato.* CLEMENS XI. Catholicis in Hollandia existentibus.

Inc. *Illius vices, &c.*

QUam pacem Christus nascendo mundo attulit, par est, ejus Vicarium inter fideles sartam tectam servare, & præcipue inter eos, qui Roma longe distant.

Quare cum turbæ in Hollandia in dies singulos excrescerent, *Archiepiscopo Sebasteno justis, gravibusque de causis suspenso, Provicarioque interim donec a Sancta Sede provideretur in ejus locum subrogato* (Theodoro Coch), declarat Pontifex, *nulli alteri facultatem ullam competere Pro-vicariatus, Archi-presbyteratus, aut assertorum capitulorum assessoratus, seu cujusvis alterius muneris, etiam prætextu necessitatis, constituendi, seu deputandi*; singulasque deputationes supradictorum officiorum nomine factas prorsus irritas, ac nullius roboris, vel momenti esse decernit; ac propterea Clericis Missionum præfatarum Apostolica auctoritate, & sub excommunicationis ipso facto, & absque ulla declaratione incurrendæ pœna inhibet, ne in illarum spirituali regimine se ingerere quovis pacto audeant, vel præsumant.

Hoc notum facit Pontifex per has litteras omnibus Catholicis in Hollandia existentibus, ne se duci patiantur ab iis pastoribus, qui lupi sunt, neque eorum vox est bonorum pastorum vox; sed Vicario Christi pareant, qui eos paterne monet, ne ab illis, qui sunt intrinsecus lupi rapaces venientes in vestimentis ovium, se decipi patiantur.

Eos monet, se credidisse in Domino expedire, si suspenderet, quod fecerat, ab officio Archiepiscopum Sebastenum. Proinde ne illum audiant.

Illi etiam Pontifex injunxit, ne fautores suos commoveret, & turbas excitaret, sed haberet in mente illud Apostoli: *obedite superioribus vestris, & subjacete eis*.

Ne igitur sint veluti infantes fluctuantes eos admonet, ut ab illis abstineant, neque cum illis communicent; sibique persuadeant, obedientiam esse Deo omnium sacrificiorum gratissimum.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VII. Apr. P. a. III. a. D. 1703.

Jussu Pontificis denunciat Cardinalis Pauluccius suspensos Vicarios in Hollandia.

VII. *In folio separato.*

Inc. *Significatum fuit, &c.*

CUm Ecclesia Batava vidvata esset Sebasteno jam suspenso, remotoque prorsus a regimine, & exulare jussus esset Theodorus Coch, ut aliquem superiorem haberet, Trevirensis Elector apud Pontificem egit, ut Clerus posse sibi eligere aliquem in Episcopum, cui Missionarii subessent. Electus fuit *Georgius Potkamp*, quem Pontificis jussu Internuncius Bruxellensis approbavit.

Potkam cum tres Vicarios pro jure Episcoporum Provinciarum Fœderati Belgii elegisset, unum pro Ecclesia Ultrajectensi, alterum pro Harlemensi, tertium pro Deventriensi, censuere capitula se habere jus, sicut antea, vel nominandi, vel confirmandi Vicarios. Electos igitur ab Episcopo Potckamp confirmarunt. Confirmati rati, se esse jure confirmatos, munia sua exercebant bona fide. Jussu Pontificis suspenduntur per Epistolam ad eorum singulos a Cardinali Pauluccio missam, cujus hæc est summa:

Magnum Pontificem ex eorum inobedientia percepisse dolorem; eos enim non latuisse, omnem facultatem regendi missiones cuilibet a Pontifice fuisse ademptam; & quamvis haberent facultatem, dum vivebat Vicarius Potckamp, tamen eo mortuo arguere debebant eorum facultatem expirasse.

Quidquod admoniti fuerant a Nuncio Ap. Colonienses, ne in Missionum administrationem ullo pacto se ingererent?

Quare Pontifex, ut scandala avertat, & turbas reprimat, *facultatem, & delegationem Vicariis a quocunque hactenus illis concessam revocat, irritat, & nullius roboris vel momenti esse declarat*.

Illis præterea Apostolica auctoritate, & sub excommunicationis ipso facto, & sine ulla alia declaratione incurrendæ pœna districte mandat, & præcipit, ut *ab usurpanda deinceps spirituali jurisdictione in præfatas missiones omnino caveant*.

D. Romæ Die XXXI. Jul. a. 1706.

„ Electus fuit in Pro-vicarium, ita suggerente Nun„ cio Apostolico Colonensi, Hollandicarum Missionum „ a Clemente Adamus Daemen Bruxellensis Canonicus.

„ Quem tamen supremi Ordines recipere noluerunt, „ sed volebant electionem Vicariorum a Clero factam „ valere; & fortasse quia antea requisiti non fuerant, „ utrum Daemenn iis placeret, an non.

„ Quia Jesuitæ harum turbarum habebantur auctores, intra tres menses ab Hollandia exulare jussi „ sunt; jussus etiam fuit exulare Daemen, qui confe„ cratus fuerat Archiepiscopus Andrinopolis.

„ Miserat eo Pontifex Jubilæum. Tanto magis su„ premi Ordines accensi sunt, vetuerunt gravissimis sub „ pœnis bullas, brevia, chartas a Roma; & a Colo„ niæ Nuncio, & a Daemen accipi; jusseruntque Ca„ pitularibus Cleri præsidere Ecclesiæ, & Missioni.

Quorumdam opusculorum pro Petro Coddæo damnatio.

CLEMENS XI. ad p. r. m.

VIII. B.M t.7. p. 61. B.R.t.10. p. 1. p. 187. C.C.

Inc. *Cum sicut, &c.*

EDiderat decretum anno 1704. Clemens, quo suspensum Archiepiscopum Sebastenum prorsus removerat ab Episcopatu, & quædam ejus scripta damnaverat. Ad hoc decretum, quasi sublatum signum plures prodiere libri pro Sebasteno quovis idiomate Gallico, Latino, & Belgico scripti; quos examinandos commisit Clemens, ut de illis sententiam ferret; suntque sequentes:

1. *Apologia pro Clero Ecclesiæ Batavorum Romano-Catholicæ; seu rationes ob quas Clerus censuit in locum Reverendissimi Archiepiscopi Sebasteni non esse illico recipiendum D. Theodorum Cokkium. Per Joannem Palæopistum.* Delphis apud Enricum Van-Ryen. 1702.

2. *Assertio juris Ecclesiæ Metropolitanæ Ultrajectinæ Romano-Catholicæ adversus quosdam, qui eam ad instar Ecclesiarum per infidelium persequutiones destructarum jure pristino penitus excidisse existimant. Per I. C. E. I. U. Licent. ejusdem Ecclesiæ Canonicum.* Delphis Typis Henrici Rhenavi. 1703.

3. *Ima-*

3. *Imago Pontificiæ dignitatis penicillo Sacrarum Scripturarum ac Traditionis native delineata: ubi quid Pontifici Romano competat, vel non competat, collectis ex Ecclesiastica supellectile documentis, luculenter, ac compendio demonstratur. Auctore Desiderio Paleophilo.* Constantiæ apud Æneam Sylvium. 1704.

4. *Clerè Catholici per Fœderatum Belgium, & Archiepiscopi Sebastieni Religio vindicata contra libellum memorialem de statu, & progressu Jansenismi in Hollandia. Joannis Clerici in S. Augustinum censura refellitur; scripta varia ad rem attinentia ad calcem appenduntur. Authore Christiano Philireno Presbytero S. T. Professore* Trajecti ad Rhenum. 1703.

5. *Motivum juris pro capitulo Cathedrali Harlemensi.* Harlemi typis Nicolai Braau. 1703.

6. *Refutatio responsi ad Libellum, cui titulus:* Motivum juris pro Capitulo Cathedrali Harlemensi, *sive elucidatio ulterior jurium ejusdem Capituli.* Harlemi typis Nicolai Braau. 1703.

7. *Epistola Petri Coddæi Archiepiscopi Sebasteni ad Catholicos incolas Fœderati Belgii de suo ad urbem itinere, ac de muneris sui administrandi interdictione.* Trajecti ad Rhenum typis Theodori ab Eyndem. 1704.

8. *Epistola secunda Petri Coddæi Archiepiscopi Sebasteni ad Catholicos incolas Fœderati Belgii.* Trajecti ad Rhenum ex Bibliopolio Theodori ab Eyndem. 1704

9. *Even redige Samenspraak Ophot Verwyzen Van Onsen Saligmaker Jesus Christus, en op de Zack van den Arschbischop van Sebasten.*

10. *Xenicum Chronographicum, sive selecta Innocentiæ per invidiam calumniamque oppressæ exempla Illustrissimo, ac Reverendissimo D. Petro Coddæo Archiepiscopo Sebasteno &c. pro strena oblata cordis, & animi sinceritate.* 1705.

11. *Lettre de Monsieur N. à un Seigneur d'Angleterre sur la domande, s' il est bon d'employer le PP. Jesuites dans une Mission? Qu'on a trouvé à propos de donner derechef au public en tant qu'elle fournit de la lumiere dans l' affaire de Monseigneur de Sebaste.* 3. Fevrier. 1686.

12. *Klagende Merkurr Opgedragen aan de Herr Franciscus Firlemnt Thed. Doct. Door Henrick Spoor Ph. & Med. Doct. Tot. Utrecht Gedrukt Voor den Autheur by Johan Visch.* 1703.

13. *Lettre d' un Homme de qualité pour servir de response à une autre à lui addressée par Monjeigneur l' Internonce Apostolique avec la Bulle, qui a pour titre, Datée à Rome le 7. d' Avril* 1703.

14. *Adeodatus Pr. Compresbyteris de Clero per Fœderatum Belgium D. Theodorum Cokkium, ut provicarium non recipientibus S. P. D.* Delphis apud Henricum Van-Rhyn. 1703.

15. *Responsio Henrici Spoor ad Epistolam sibi scriptam a D. Internuncio Bruxellensi edita latino, & Belgico idiomate, & data Ultrajecti. Maji* 1703.

16. *Lamenta, & querelæ Sponsæ Sebastenæ per Clementem XI. viduatæ ad eumdem pro Sponso suo.*

17. *Cato Uticensis redivivus ad amplissimos Archidiœceseos Ultrajectensis, & Diœceseos Harlemensis Capitulares viros.* Pro aris, & focis.

18 *Gisberti Amstelii expostulatio altera adversus Lojolitas, fœdos Societatis Jesu desertores.* Coloniæ apud Balthasar ab Egmont. 1704.

19. *Collyrium Theodoro de Cok dono missum per MM. A. P. C.* Cordis amicitia. 1704.

20. *Declaratio, & responsiones ab Archiepiscopo Sebasteno, cum in Urbe esset, EE. DD. Cardinalibus tradita, & jam orbi pandita Christiano.* 1704.

21. *Avis sinceres aux Catholiques des Provinces Unies sur le decret de l' Inquisition de Rome contre M. L' Archevêque de Sebaste Vicaire Apostolique, avec plusieurs pieces, qui ont raport à son affaire.* 1704.

22. *Reflexions succintes sur la lettre d'un Catholique Romain à un de ses amis d'Italie touchant l' etat present des Catholiques Romains en Hollande.* 7. Novembre 1704.

23. *Litteræ ad Episcopum Sebastenum nomine Sacræ Congregationis de Propaganda Fide 25. Augusti* 1703. *ut fertur, scriptæ ab inquietis quibusdam hominibus hodie in lucem editæ, notis vero brevibus illustratæ per Janum Parrhasium.* Amstelodami 1714.

24. *Diotrephes, sive Spiritus, & opera Theodori Cokkii accurate descripta & justificando clero eum in Vicarium Apostolicum non recipienti in lucem data ab Eugenio Clario Theologo.* Lugduni apud Henricum Aersen. 1704.

25. *Jesuitarum, aliorumque Romanæ Curiæ adulantium de Summi Pontificis Authoritate Commenta, Regnis, Regibusque infesta, ac specialiter Supremis, Præpotentibusque Fœderati Belgii Ordinibus periculosa fidelitæ proposita per Juris Consultum Batavum Ecclesiæ, & Patriæ amantem.* Amstelodami. 1704.

26. *Notæ Breves in Epistolam ad Catholicos Hollandiæ, quæ sub nomine Pontificis Clementis XI. circumfertur per Juris Consultum Batavum.*

27. *Notæ in decretum, quod sub inquisitionis nomine circumfertur contra Archiepiscopum Sebastenum per Janum Parrhasium.*

28. *Disquisitio Theologica de potestate, ac jurisdictione, quibus in Fœderati Belgii provinciis etiamnum fruitur Archiepiscopus Sebastenus, ablato licet Vicariatu Apostolico, nunquam antehac typis edita.*

29. *Zedelyke overweveginge van het Decreet der Roomse inquisitie des Jaars.* 1704. 3. *April. Tegens de Ver Klaringe en Verantwoordinge des Aartsbischops Van Sebasten.* Rotterdam 1704. Id est *modesta consideratio Decreti Romanæ Inquisitionis anni* 1704. 3. Aprilis &c.

30. *Vreedzamige Vvaarschouwing, over Zettere Brief de Naam Voerende van Clemen. XI.* Id est *Pacifica admonitio super certam Epistolam nomen ferentum Clementis XI.*

31. *Denunciatio Apologetica Petri Coddæi Archiepiscopi Sebasteni sinceris, solidisque documentis firmata, quam circa præcipua causæ suæ capita evulgandam duxit.* Trajecti ad Rhenum.

Auditis ergo Theologorum sententiis, auditoque Cardinalium consilio & præfatos libros, & omnes qui edentur contra remotionem Petri Episcopi, quocumque idiomate edantur, damnat, & reprobat, & pro damnatis, reprobatisque haberi decernit.

Vetat proinde eos imprimi, legi, verti, retineri sub pœnis jam constitutis.

Præterea sub pœna excommunicationis vetat in concionibus, in Catechismis, in lectionibus, aut quocumque alio modo remotionem Sebasteni impugnari. N. O.

Tum hortatur omnes Christifideles, ut pareant hujusmodi decreto, ut partium studia deponant, ut cum Pontifice Pastore suo supremo idem sentiant.

D. Rom. apud S. M. Maj. Die IV. Oct. P. a. VII. a. D. 1707.

Declaratio, Archiepiscopo Sebasteno deneganda esse Ecclesiæ suffragia, & Ecclesiasticam sepulturam.

CLEMENS XI. Decretum.

IX. B.M.t.8. p. 100.

Inc. *In Congregatione &c.*

AD mortem Sebastenus Archiepiscopus ægrotabat, declarationemque, quam an. 1691., quo anno morti proximus fuit, fecerat, relegit, cumque nihil in ea reperisset, quod suam conscientiam turbaret, eam ratam habuit, confirmavitque. Nihil enim prædicaverat, ut ille ajebat, quod Evangelio consonum non esset, nihil egit in Sacramentorum administratione, quod cum Ecclesiæ praxi non conveniret.

Accusabatur, quod Alexandrinæ formulæ subscribere recusasset; atque ab hac accusatione se purgat, affirmans se *famosas quinque Jansenii propositiones damnare; & eodem sensu damnare, quo summi Pontifices eas damnarunt, absque ulla explicatione, distinctione, ac restrictione, in quocumque libro deprehendantur, etiam in Libro Jansenii, cui titulus est* Augustinus.

Ait, *nihil aliud unquam difficultatis se passum fuisse, nisi circa meram de facto quæstionem; utrum nempe illæ propositiones, quas sincere condemnat, in eo libro ad geminam Auctoris mentem intellecto revera contineantur*.

Cum cerneret igitur (inquit) *ex una parte quæstionem ejusmodi, quæ circa factum mere versatur, nec ad fidem pertinere, nec ad hæreseos materiam reduci posse; ex alia vero parte nonnisi horrendum sacrilegium videretur, si in re, quæ illi dubia erat, affirmanda sanctum Dei nomen interponere auderet, formulæ cum tali mentis dispositione subscribere nefas duxisse; ne conscientiam suam nefando perjurio violaret.*

Verum, ait, *absit a me, ut Ecclesiæ pacem unquam turbarim, aut circa eam controversiam recesserim*

rim ab observantia illa pia, ac religiosa, qua sedem Apostolicam semper coluit, & quod vitæ superest, semper colam.

In quorum omnium fidem subscribit.

D. Die XI. mensis Novemb. Ultrajecti, Anno Domini 1710.

„ Factus certior Nuntius Colonien sis gravissimo mor-
„ bo laborare Archiepiscopum Sebastenum, ad eum mis-
„ sit Auditorem suum cum epistola, in qua significat
„ dolorem suum Nuncius Archiepiscopo, quod ægro-
„ tet, eumque rogat ut velit ad Ecclesiam redire per
„ obedientiam Pontificio decreto præstandam;
„ Plura scribit illi dicturum Auditorem suum.
„ Ait verba hæc, hæc studia sua ante faciem Archie-
„ piscopi ad tribunal Christi esse futura.
„ His igitur adhortationibus Archiepiscopus se vinci
„ patiatur.
„ Auditor autem hortatus est Archiepiscopum, ut
„ juraret formulam, & ut subscriberet sententiæ a S.
„ Sede emanatæ. Neutrum præstare voluit Coddæus,
„ ajens se nolle juramentum falsum præstare, neque
„ injustæ sententiæ se subscribere.
„ Epistolam tamen Nuncio scripsit, in qua illi gra-
„ tias agit de sollicitudine suæ salutis; & si Deus illi
„ vitam servabit, pollicetur, sibi jucundissimum fu-
„ turum, si sua obsequia illi præstare poterit.

Hæc ad sacram Congregationem Nuncius scripsit: quæ, re mature discussa, censuit die 30. Decembris 1710. *eidem Archiepiscopo, quatenus sine debita pœnitentia discessit, aut decedat, deneganda esse a Christi fidelibus solita suffragia, tamquam notarie inobedienti, & refractario constitutionibus, & decretis Apostolicis, & privandum esse Ecclesiastica sepultura: eaque de re per eumdem D. Nuncium Colonien sem admonendos esse omnes Catholicos in Hollandiæ partibus existentes.*

Quod Congregationis decretum Clementi relatum *Sanctitas Sua approbavit, & executioni demandari jussit.*

Cum vero postea eidem Nuncius scripsisset, quam *fuerit infelix, & undequaque deplorabilis ejusdem Archiepiscopi obitus absque ullo pœnitentiæ de præfata publica inobedientia signo*, Eadem Sacra Congregatio die 14. Januarii 1711. censuit, supradictum decretum diei 30. Dec. 1710. *non tam ad damnandam defuncti memoriam, quam ad aliorum contumaciam, & refractationis exemplum, & admonitionem per eumdem Nuncium omnibus per Hollandiam Catholicis esse significandum, ut tremendi Judicis Dei memores animarum suarum saluti opportune consulant.*

Quæ omnia & singula Clemens approbavit, & executioni demandari jussit.

Die XIV. Janu. a. 1711.

„ Sebasteno mortuo, omnes amici Archiepiscopi,
„ qui erant primores Cleri Batavi fuerunt excommuni-
„ cati. Hi contra hujusmodi excommunicationem scri-
„ pserunt; omnes ejusmodi Libri a Sacra Romana In-
„ quisitione fuerunt damnati.

Cornelii Steenoven in Archiepiscopum Ultrajectinum Electio, & Consecratio irrita declaratur.

X. B.M.p.7. vel t.13. p.142. B.R.t.11. p. 2. p. 375.C.C. BENEDICTUS XIII. Catholicis in Hollandia existentibus.

Inc. *Qua solicitudine.*

IN Archiepiscopum Ultrajectinum electus fuerat Cornelius Steenoven. Hanc electionem, & postea ejusdem consecrationem irritat Benedictus, & hanc irritationem notam facit per præsentes Catholicis in Hollandia existentibus. Eam autem irritam declarat his de causis,

I. Quia fuit electus a septem Clericis se jactantibus Canonicos Ultrajectenses, quod capitulum tamen *jam ante annos abhinc plures* supra centum intercidit.

II. Quia Cornelius jam innodatus censuris Ecclesiasticis erat, utpote *turbulentæ factionis anteSignanus*,

III. Quia illi Clerici sciebant, quamlibet electionem ab iis faciendam improbandam fore a Sancta Sede.

Electio facta fuerat Die XXVII. Aprilis an. 1723.

Improbatur Consecratio.

I. Quia peracta fuit a Dominico Maria Varlet Episcopo Babylonensi jam ab exercitio Episcopalis ordinis suspenso; cujus suspensionis litteræ erant in Hollandia notæ;

II. Quia sine Episcopis Assistentibus, ut præscribunt Sacri Canones, fuit facta;

III. Quia nulla obtenta fuit Apostolica dispensatio.

Facta fuerat Die XV. Octobris an. 1724.

Irritam ergo declarat Benedictus Steenoven electionem, & prorsus nullam, illicitam & execrandam ejus consecrationem; ac proinde Cornelium carere omni jurisdictione, atque illicite consecratum esse suspensum ab omni Episcopali munere.

Et sub pœna excommunicationis absque ulla alia declaratione incurrendæ ipsi Cornelio interdicit deputare ministros ad animarum curam, dare Sacramenta confirmationis, & ordinis, & quicquam, quod sit Episcopalis officii peragere.

Catholicis mandat, ne pro Archiepiscopo Ultrajectensi Steenovium habeant, & agnoscant; ne sacramenta ab illo accipiant; Clerici ab illo ordinati sint suspensi, & irregulares, si ordinum acceptorum exercitium peregerint.

Omnes demum ad obediendum huic constitutioni fideles Benedictus hortatur.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXI. Febr. P. a. I. a. D. 1725.

Cornelii Berckman in Archiepiscopum Ultrajectinum irritatur electio.

XI. Ib.p.185. B.R.t.12. p.25.C.C. BENEDICTUS XIII. Catholicis in Hollandia existentibus.

Inc. *Novis isthic, &c.*

DIe tertia mensis Aprilis lethali morbo correptus obiit Cornelius Steenovius, & intra eumdem annum 1724. periit Presbyter Jacobus Kriis, *qui præ cæteris* vehementior auctor fuerat sacrilegæ Cornelii consecrationis, & Laicus Donchers etiam mortuus est, in cujus ædibus Steenovius consecratus fuerat.

Speravit Benedictus his divinæ iræ signis movendos fuisse eos Clericos, qui se Canonicos Ultrajectinos dicunt; sed tantum abfuit, ut resipiscerent, ut etiam mensis ejusdem Aprilis die decima sexta Lugduni Batavorum *suarum partium, sueque pertinaciæ consortem Cornelium Berkman Archiepiscopum Ultrajectinum eligere non erubuerint.*

Sicut ergo Steenovii electionem irritaverat Benedictus, ita & hanc Berckmani irritam declarat, eique sub excommunicationis pœna interdicit, ne se consecrari patiatur, neque se gerat pro Episcopo Ultrajectensi, aut alterius Ecclesiæ antistite; ne deputet ullum ministrum in animarum curam, neque ullum Episcopale munus exerceat.

Tum ad Archiepiscopos, Episcoposque sermonem convertit, eisque mandat, ne cum illo societatem ullam habeant in divinis, neque eum consecrent, aut ejus consecrationi assistant; omnibus etiam Christi fidelibus mandat ne illum Episcopum agnoscant, ne ab illo sacramenta accipiant, & qui ordines acceperint, sint ipso facto suspensi ab exercendo ordinis accepti officio, exercentesque sint irregulares.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Aug. P. a. II. a. D. 1725.

Petri Joannis Maindarts electio in Archiepiscopum Ultrajectensem declaratur nulla.

XII. B.M.p.9. vel t.15.p. 305. B.R.t.14. p.392.C.C. CLEMENS XII. Universis Catholicis in Hollandia existentibus.

Inc. *Magna nos, &c.*

DIe secunda Julii anno 1739. mortuo Archiepiscopo Cornelio Berckman, Canonici Capituli Ultrajectensis elegerunt in Archiepiscopum ejusdem Ecclesiæ Petrum Joannem Maindarts Pastorem Leovardiæ.

In quo reprehendit Clemens eorum Clericorum audaciam, qui scientes jamdiu Capitulum esse extinctum, improbaras fuisse aliorum Archiepiscoporum electiones ita factas, tamen ausi fuerint eam electionem facere.

Quare Clemens electores, adhærentes, faventesque eidem Petro excommunicat, anathematizat, & ab Ecclesiæ communione separat, & ut Schismaticos habendos, & evitandos esse constituit, indicit, & declarat.

Præterea mandat, districteque præcipit eidem Maindarts,

darts, ne nominet, instituat, præficiatque pastores animarum curæ sub pœnis ecclesiasticis, neque quicquam pro Episcopali jurisdictione agat.

Et pastoribus ab eo nominatis, deputatisque præcipit, ne in animarum curam se quicquam ingerant.

Ordinatos ab illo, vel litteras dimissoriales ab illo accipientes, ut ab alio Episcopo ordinentur, suspensos declarat ab exercendis suorum ordinum officiis.

Clericis ergo mandat, ne in illo ullam Episcopalem jurisdictionem agnoscant;

Illi autem præcipit, ne præsumat manuum impositionem accipere, quam illegitimam, illicitam, & execrandam futuram esse declarat; Episcoposque illum consecrantes pœnis Ecclesiasticis innodat.

Catholicos demum omnes in Hollandia commorantes monet, ne Maindarts pareant, ne cum illo societatem habeant.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VI. Oct. P. a. X. a. D. 1739.

Petri Joannis Maindarts consecratio damnatur, & ipse excommunicatur.

XIII. B.M.t.16. p. 18. BENEDICTUS XIV. Catholicis per Hollandiam constitutis.

Inc. *Auget pastoralem, &c.*

LIcet Clemens XII. irritasset Petri Joannis electionem illique sub excommunicationis pœna præcepisset, ne consecrationem acciperet, contempta tamen & excommunicatione, & inhibitione Pontificia consecrari obstinate, & contumaciter voluit.

Quæ quidem pertinacia mirum quantum horrore animum Pontificis corripuit. Jam consuluit Dominum Benedictus quid *filio tam degeneri non audienti vocem amantissimi Patris, & ad Ecclesiasticæ disciplinæ plagas obdurescenti fieri debeat*; cum omnibus Pontificis vox illa terribilis resonuit, *curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam, quo diro fulmine nullum profecto majus.*

Quare alloquitur Benedictus Catholicos in iis regionibus existentes, eosque rogat, ne fabulis verbis, ne venenatis vocibus, *quas* Maindarts *infundere conatus est sua illa captiosa, & in simplicium subversionem, & schisma aperte tendente epistola pastorali data die* 1. *Decembris elapsi anni* 1739. se subduci sinant.

Interim Maindarts consecrationem *illicitam, illegitimam, sacrilegam, ac contra supremæ Sedis mandata, & Sacrorum Canonum jussionem factam declarat.*

Deinde excommunicat, anathematizat, atque ab Ecclesiæ communione segregatos, ac prorsus Schismaticos habendos, & evitandos esse iterum constituit & ipsum Maindarts, & ejus fautores.

Vetat, eundem quicquam agere, quod jurisdictionem Episcopalem sapiat, ut sunt ordinationes, confirmationes, administratio, Virginum consecratio &c.

Suspensos declarat Clericos ab illo ordinatos, exercentesque officia ordinum ab illo acceptorum irregulares.

Omnes demum Episcopos monet, omnes Catholicos, ne cum illo communicent.

D. R. apud S. M. Maj. Die XXIV. Jan. P. a. I. a. D. 1741.

Erectio Ecclesiæ Harlemensis.

XIV. B.M.p.4. vel t.10. p. 76. PIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Ex injuncto, &c.*

NUncius missus a prædecessore Paulo IV. in Hollandiam ad instantiam Philippi II. Hispaniarum Regis statuerat erigendum Episcopatum in oppido Harlemensi in eadem Hollandia, cujus confinia jam describerat; dotem assignaverat, & eum suffraganeum fecerat Archiepiscopatus Ultrajectensis.

Pius approbat hæc omnia.

Supprimit autem, ut dotem effurmet Episcopatui, Abbatiam Egmontanam Ord. S. Benedicti.

Cathedralis autem Ecclesia statuitur Ecclesia Sancti Bavonis.

Ad efficiendas autem præbendas Canonicorum extinguit Prioratum Heyloensem Ord. Canonicorum Regularium S. Augustini; pauci erant Canonici, eosque facularizat.

Decem vult esse Canonicos, unum Præpositum, tres doctores in Theologia, tres in juribus, tres nobiles ejusdem Diœcesis. N. O.

Nulli ergo &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. IV. Id. Mar. P. a. II. a. D. 1560.

Hieronymi de Bock in Episcopum Harlemensem electio declaratur nulla.

BENEDICTUS XIV. Universis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus. XV. Ib.p.115.

Inc. *Quanquam inhærens, &c.*

RElatis superiorum Bullarum tenoribus & Clementis XII. irritam declarantis electionem Petri Joannis Maindarts, & sui illegitimam ejusdem Maindarts consecrationem constituentis, mandantisque, ne quicquam ageret, quod ad Episcopalem jurisdictionem attineret;

Tamen, inquit Benedictus, *tantum abfuit, ut homo illæ Ecclesiasticæ pacis inimicus aut a supremo patrefamilias minitando, rogandoque revocatus, aut ingenua instinctus verecundia, aut publica execratione deterritus deflexerit a via iniquitatis, ut immo quam semel ingressus fuit insistat viam, pergatque audacius.* Non erubuit enim quendam Hieronymum Bock Harlemensi donare Episcopatu jamdiu exolero, quem sibi ex ingenio fingit. *Illum cum suo commentitio Ultrajectensi Capituło* elegit in Episcopum. Atque hinc præcipue vehementer angitur Benedictus, *quod renovari hoc tempore videt veterem aliquot schismaticorum insaniam, Episcopales Cathedras, ubicunque liberet, excitantium.*

Ut igitur hanc temeritatem comprimat, sequens veterum Canonum *disciplinam, sacrarumque legum morem, & exempla tradita sibi a Cœlo potestate electionem Hieronymi de Bock in Harlemensem Episcopum a Pseudo-Archiepiscopo Petro Joanne, & ab ejus fictis Canonicis factam nullam, inanem, nefariam, illegitimam, ac sacrilegam declarat, eamque rescindit, delet, abrogat.*

Deinde sub excommunicatione ipso facto incurrenda præcipit eidem Bock, ne ullam Episcopalem jurisdictionem exerceat, ne det litteras dimissoriales, ne pastores, missionarios instituat, ne Sacramenta administret; & qui ordines ab eo susceperint, sint suspensi, nec eorum officia exerceant, & exercentes sint irregulares.

Ipsi Hieronymo sub ejus pœnæ interminatione mandat, ne cuiquam Episcopo se consecrandum præbeat; præcipitque Maindarts, aliisque Episcopis, ne Hieronymo manus imponant; tunc enim & Hieronymus, & Maindarts præter alias pœnas incursas & alias incurrent.

Denique ad Catholicos Fœderati Belgii sermonem convertit Benedictus, & iis mandat, ne Hieronymum Episcopum agnoscant, ne illi pareant, ne cum illo communicent.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1742.

Hieronymi de Bock consecratio damnatur; ipse, & Petrus Joannes Maindarts excommunicantur.

XVI. Ib. p.127. BENEDICTUS XIV. Catholicis in Fœderato Belgio existentibus universis.

Inc. *Obsurdescit quotidie, &c.*

QUamvis præcedenti proxime constitutione vetuisset Benedictus & Maindarts consecrare, & Bock consecrari, tamen Petrus Joannes *funestissimum schismatis caput ausus fuit refricare illatum Catholicæ Ecclesiæ tam diræ perduellionis vulnus, illegitimo ritu, & fucatis cæremoniis consecrato in Harlemensem Pseudo-Episcopum Hieronymo de Bock, ejus similo, parique inverecunda fronte, ac protervitate.*

Tum memorat Pontifex quid egerit, ut eos ad bonum tramitem reduceret; rogavit, hortatus est, minitatus; preces, adhortationes, minas contempserunt; pœnas inflixit, pœnas quoque pertinaci, obstinatoque animo pertulerunt, & in iis obdurati sunt. Quid ergo restat, nisi ut eos a dominico grege separatos esse declaret? quod per præsentes litteras facit.

Nul-

Nullam declaravit electionem Petri Joannis, vetuit ne consecraretur, ne quicquam pro Episcopali jurisdictione ageret, elegit Hieronymum; electio Hieronymi declarata fuit nulla, vetitusque fuit consecrationem accipere, voluit consecrari, consecratusque a Petro Joanne fuit.

Neque solum excommunicatos declarat Petrum Joannem, & Hieronymum, sed eorum fautores, adhærentes, assecias, & quotquot huic execrabili facinori operam suam, consilium, consensum præstiterunt, *auctoritate* Dei omnipotentis.

Renovat eidem Hieronymo inhibitionem, ne quicquam agat pro Episcopali jurisdictione &c. suspensos, & irregulares declarat Clericos ab illo ordinatos, & ordinandos &c.

In fine adhortatur Catholicos, Clericos, & Laicos, ut eos devitent, ne illis pareant, ne illos Episcopos agnoscant.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Dec. P. a. III. a. D. 1742.

Joannis Van-Stiphout electio in Episcopum Harlemensem irritatur.

XVII. lb. p. 202. BENEDICTUS XIV. Universis Catholicis in Fœderato Belgio commorantibus.

Inc. *Hieronymus de Bock, &c.*

E Vivis sublato Hieronymo de Bock Ecclesiæ Harlemensis Pseudo-Episcopo die XI. mensis Decembris anno 1744. Petrus Joannes Meindarts *scelestissimus execrandæ perduellionis anteſignanus* Pseudo-Archiepiscopus Ultrajectensis nihili faciens *vibrata toties omnium Ecclesiasticarum pœnarum in ipsum* fulmina eidem Ecclesiæ primum præfecit *Vicarium Generalem, tum die XV. mensis Maji anno* 1745. *Episcopum constituit, & designavit quendam schismaticum virum Joannem Van-Stiphout Amstelodami Pseudo-pastorem; deinde ad Pontificem etiam litteras dedit, quibus eum de temeritate sua, detestabilique Pseudo-Episcopi designatione certiorem faciens patrati quoque criminis, ac sceleris confirmationem a Benedicto expostulavit.*

Ad tantam audaciam pene concidit Pontifex, nec patest satis aptis verbis explicare, & debitis lachrymis deflere tam pervicacem perditi hominis in malitia sua gloriantis, & sceleribus scelera adjicientis insaniam, furoremque. Tum rem totam narrat, quomodo ejus electio fuerit irritata a Clemente XII. quomodo a se ejus consecratio declarata illegitima, ut fuerit justus agere nihil pro Episcopali officio, quomodo elegerit Hieronymum de Bock, cujus electio fuit declarata nulla, ut fuerit vetitus eum consecrare, & tamen consecrarit, ut fuerit excommunicatus; ut tamen his omnibus non obstantibus in locum de Bock elegerit Van-Stiphout.

Hujus igitur electionem contra omnia jura, contra omnes canones, totamque, quanta quanta est, Ecclesiasticam disciplinam irritat Benedictus;

Illique inhibet ne ullam Episcopalem jurisdictionem exerceat &c. ut in superioribus Bullis.

Sub excommunicationis etiam pœna illi vetat consecrationem accipere; quam pœnam subituros etiam consecrantem, & consecrationi assistentes esse denunciat.

Catholicos demum hortatur, ut Archiepiscopum Ultrajectinum fugiant, ne agnoscant Van-Stiphout, nec ab Ecclesiæ Romanæ unitate per detestandum Schisma recedant.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVI. Jun. P. a. V. a. D. 1745.

Damnatio libri a supradictis Pseudo-Episcopis compositi.

XVIII. lb. p. 303. BENEDICTUS XIV. ad p. r. m.

Inc. *Altissimo divinæ, &c.*

EPiscopi Ultrajectinus, & Harlemensis, quorum electiones declaratæ fuerunt nullæ, utpote quæ factæ fuerunt contra canonicas sanctiones a turbulentis quibusdam Sacerdotibus, se earum Ecclesiarum, quæ jamdiu a fide defecerant, ac proinde erant suspensi, canonicos appellantibus, librum ediderunt, inscriptum *Illustrissimorum, ac Reverendissimorum Archiepiscopi Ultrajectensis, & Episcopi Harlemensis instrumentum appellationis ad Concilium Generale futurum a duobus Brevibus, quæ præferunt nomen SS. D. N. Benedicti XIV. scriptis ad universos Catholicos in Belgio Fœderato.*

Quamvis autem omnes libri, in quibus fit appellatio ad futurum Concilium sint per se damnati, tamen Pontifex ipse voluit illum examinare, examinandumque dedit.

Auditis igitur plurium in Sacra Theologia insignium Magistrorum suffragiis, & de plurium Cardinalium ad hoc deputatorum sententiis, & consilio *præfatum librum ut continentem propositiones falsas, seditiosas, scandalosas, captiosas, ad schisma, ac eversionem Hierarchiæ Ecclesiasticæ pellientes, & Ecclesiasticæ jurisdictionis eversores* Benedictus damnat &c.

Inhibita ejus impressione, lectione, versione, retentione &c.

Imo omnia alia scripta vel manu exarata, vel typis excusa, in quibus ejusmodi errores, vel aliqui eorum similes continentur, vel defenduntur, seu eos in posterum renovari, & defendi contigerit, damnat Pontifex his litteris sub consuetis pœnis.

Ut autem hujusmodi libelli damnatio nota sit, vult eam publicari; earumque transumptis fidem ab omnibus decernit habendam esse.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVI. Jul. P. a. V. a. D. 1745.

Damnatur consecratio Pseudo-Episcopi Van-Stiphout.

XIX. lb. p. 311. BENEDICTUS XIV. Universis Christi-fidelibus in Fœderato Belgio constitutis.

Inc. *Dum præclaram, &c.*

LIcet vetuisset Benedictus & Joanni Maindarts consecrare, & Joanni Van-Stiphout consecrari, neuter obediit.

Cum ergo electio utriusque irrita fuerit, illegitimam etiam esse consecrationem necesse est.

Uterque autem scripsit ad Pontificem, Maindarts Die XXX. mensis Julii, Van-Stiphout Die XXIX. ejusdem mensis an. 1744. Hic ad Pontificem scripsit de sua designatione in Episcopum, & de sua consecratione; ille primum queritur, nullam a Pontifice responsionem habuisse, tum significat, abs se factam fuisse consecrationem, *tum causam obtendit, qua adductus ad tantum scelus paulo citius, dempto ternario Episcoporum numero perficiendum devenit, diuturnum scilicet morbum, in quem inciderat;* & quo liberatus ut querimoniis suorum Collegarum satisfaceret, *& ne Episcopalis ordo illic jamdudum interruptus, & ab Apostolica Sede nunquam post primam interruptionem agnitus, imo semper explosus morte sua abrumperetur. Quamplurimis demum, fucatisque verbis uterque suam erga Sanctam Apostolicam Sedem ipsumque Pontificem observantiam obedientiamque protestantes incautis illudere videntur.*

Nulla igitur earum epistolarum ratione habita, sicut irritam Van-Stiphout declaravit electionem, ita illegitimam sacrilegam, & execrandam ejusdem consecrationem esse pronunciat, quia non astiterunt eidem Episcopi ex præscripto Sacrorum Canonum, quia nulla Apostolica dispensatio fuit obtenta, quia fuit facta ab Archiepiscopo Ultrajectino totius omnium Ecclesiasticarum censurarum laqueis innodato, & ab omni jurisdictionis Episcopalis exercitio suspenso, contra suprema Sanctæ Apostolicæ Sedis mandata; proinde declarat & ipsum Van-Stiphout omni jurisdictione carere.

Præterea mandat, districteque interdicit memorato Van-Stiphout sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ne ullum Episcopale munus exerceat.

Clericis inhibet ordinationes, aut litteras dimissoriales ab illo petere sub suspensionis ab officio pœna.

Christifideles denique adhortatur, ut caute ambulantes vocem veri pastoris audiant, falsique fugiant; hoc illi erit jucundissimum.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVIII. August. P. a. VI. a. D. 1645.

Damna-

Damnatur electio Gualterii Michaelis Nieuwenhuysem in Archiepiscopum Ultrajec.

CLEMENS XIII. Universis Catholicis in Fœderato Belgio existentibus.

XX. In folio separato. Inc. *Etsi satis, &c.*

FActus fuerat certior Clemens, Ultrajectenses quosdam Clericos se Canonicos ejus Ecclesiæ dicentes convenisse in unum & elegisse in Ultrajectinum Archiepiscopum in locum demortui Joannis Maindarts die VII. Februarii a. 1768. quendam Gualterium Michaelem Nieuwenhuysem, & fuisse consecratum a falso Episcopo Harlemensi Van-Stiphout.

De his duobus Archiepiscopo Ultrajectino, & Episcopo Harlemensi superius loquuti sumus.

Sequens ergo Clemens morem a Clemente XI. inceptum electionem hujusmodi nullam, & illicitam declarat; tum quia facta fuit a non habentibus jurisdictionem, cujusmodi sunt Canonici Ultrajectenses: tum quia hujusmodi Canonici a Superioribus Pontificibus vetiti fuerant quicquam agere circa electionem.

Etiam consecrationem Gualterii illegitimam, & sacrilegam declarat, quia facta fuit a Pseudo-Episcopo, cujus electio nulla fuerat, & cui jam fuerat interdictum, ne quicquam ageret, quod jurisdictionem Episcopalem involveret.

Electum, Electores consecratum, consecrantesque in excommunicationem soli S. Sedi reservatam edicit lapsos.

Vetat sub eadem pœna eidem Gualterio pro Episcopo se gerere, & Episcopi jurisdictionem exercere.

Clericos, qui ab illo ordinabuntur, suspensos ab officio esse vult.

Fideles demum eorum locorum hortatur, ne illi pareant, ne illum ut Episcopum agnoscant.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. Cal. Junii P. a. X. a. D. 1768.

Concilium in Hollandia habitum damnatur.

CLEMENS XIII. ad p. r. m.

XXI. In folio separato. Inc. *Ad nostras, &c.*

ECclesiæ Batavæ Archiepiscopus Ultrajectensis, & Harlemensis, & Deventrienſis Episcopi cum suo clero Concilium Ultrajecti habuerunt an. 1763. in quo multa fuerunt statuta ad disciplinam spectantia; erroresque non paucos damnarunt.

Hujus Concilii habiti delata fama Romam, Clemens illud omnino improbat, & tanquam *temerarium, illegitimum, clandestinum*, sine requisita auctoritate coactum, & habitum damnat.

Damnat eos omnes qui illi Concilio interfuerunt;

Vetat, decreta in illo a quolibet servari.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XV. Maji P. a. V. a. D. 1765.

„ Pontificis Brevi responderunt Episcopi, cujus responsionis ne grave sit Lectori summam legere.

„ Ajunt, se causam ignorare, cur ita Pontifex de-
„ ciderit; se tamen in hoc Jesuitarum artem agnosce-
„ re. Cum enim in eo Concilio damnati fuissent il-
„ li, qui Primatum Romanæ Ecclesiæ negant, dam-
„ natique errores Harduini, Beruyeri, & laxa Jesuita-
„ rum Moralis, præsertim quoad confessionem, & re-
„ gicidium, mirum non esse, si Jesuitæ nullum non
„ lapidem moverint ut hoc concilium damnaretur.

„ Facile autem iis fuisse id obtinere a Clemente XIII.
„ se nihil feciſſe aliud nisi quod Concilium Triden-
„ num præscribit, ut sæpe concilia provincialia, &
„ nationalia habeantur, præcipue si causæ adsint, cur
„ sint facienda.

„ Purgant se, quod Schismatici appellari non de-
„ beant. Schismaticus est ille, qui ab Ecclesia se se-
„ parat; se semper Sanctam Sedem matrem agnovis-
„ se, semper se voluisse illi adhærere. Cum etenim
„ juxta concordata Nationis Germanicæ capitula sua
„ habeant facultatem sibi eligendi Episcopos, quoties
„ vacarunt Ecclesiæ Ultrajectensis, Harlemensis, De-
„ ventrienſis, ad Pontificem scripserunt, a quo injus-
„ rias tantum reportarunt, idque a Pontificatu Cle-
„ mentis XI. qui primus has Ecclesias separatas voluit.
„ Si elegerunt Archiepiscopum Ultrajectinum, con-
Conſt. Pontificiarum Tom. II.

„ suluerunt prius universitates Lovanienſem, & Pari-
„ sienſem, nihilque de Consilio suo in hac re feco-
„ runt; putarunt enim illæ Academiæ, debere, &
„ posse ab iis eligi.

„ Demum probare nituntur, capitulum Ultrajectense
„ non habuisse crimen cur excommunicaretur; censu-
„ rasque ess e nullas,

„ 1. Quia dicitur illa Sedes vacasse per annos cen-
„ tum, & amplius, quod ex monumentis, actisque
„ ostenditur falsum;

„ 2. Quod non fuit servatus ordo jussus per sacros
„ Canones in his censuris infligendis;

„ 3. Quod denunciatio solemnis non fuit servata
„ in censuris edendis. Et hæc quoad censuras in se
„ consideratas.

„ Quoad judicem hæ censuræ sunt nullæ,

„ 1. Quia judices super loca non fuerunt deputati.

„ 2. Quia Pontifex est pars in causa: nam quæstio
„ est, utrum ordo jurisdictionis Hierarchicæ subsistat
„ in Ecclesia Hollandica, an sit eversa, & subsit im-
„ mediate Pontifici contra concordata cum Natione
„ Germanica. Quo in casu leges volunt, ut Pontifex
„ id examinandum demandet aliis judicibus.

„ 3. Judicium de Episcopis in prima instantia spe-
„ ctat juxta antiquos Canones ad Concilium provin-
„ ciale, non ad Pontificem.

„ 4. Cum appellatum sit a primis censuris, exami-
„ nanda prius erat appellatio, & tunc decidendum.
„ Ita judicialis ordo requirit.

„ Dicendum est ergo, Jesuitas fuisse in causa cur
„ censuræ illæ jacerentur.

„ Ceterum, pergunt illi, non solum Episcopi Hol-
„ landiæ nullas reputarunt in quibusdam casibus cen-
„ suras Romanas: Ecclesia Asiatica nullas recognovit
„ censuras Pontificis Victoris, & aliorum Pontificum
„ contra S. Melecium, Flavianum, Pontificis Zozimi
„ contra Heroem, & Lazarum Episcopos Galliæ, S.
„ Leonis contra S. Hilarium Arelatensem.

„ Rogant demum Clementem, ut prius curet mem-
„ bra separata unire cum Capite Ecclesiæ, quam quæ
„ fuerunt, suntque unita, separet.

DE STEDINGHIS HÆRETICIS.

Impia horum hæreticorum dogmata.

GREGORIUS IX. ad Archiepiscopos, & Episcopos Germaniæ, &c. XXII. ex Rayn. ad an. 1233. §. 42.

Inc. *Totus in amaritudine, &c.*

IN Ducatu Bremensi ortum habuere hi hæretici Stedinghi, & jam se disseminarant per Germaniam superiorem, inferioremque.

Archiepiscopus Moguntinus, Episcopusque Hildesehemensis jam scripserant de horum Hæreticorum dogmatibus Gregorio, qui ea hac in Constitutione enarrat Germaniæ præsulibus.

Hujus pestis initia talia perferuntur: dum novitius in hanc sectam quisquam recipitur, apparet ei species quædam ranæ, quam bufonem consueverunt aliqui nominare; hanc quidam a posterioribus, & quidam in ore damnabiliter osculantes, lingua bestiæ intra ora sua recipiunt, & salivam. Hæc apparet interdum in debita quantitate, & quandoque in modum asseris, vel anatis, plerunque furni etiam quantitatem assumit; demum novitio procedenti occurrit miri palloris homo, nigerrimos habens oculos, adeo extenuatus & macer quod consumptis carnibus sola cutis relicta videtur ossibus superducta; hunc novitius osculatur, & sentit frigidum sicut glaciem, & post osculum Catholicæ memoria fidei de ipsius corde totaliter evanescit.

Ad convivium postmodum discumbentibus, & surgentibus completo ipso convivio, per quandam statuam, quæ in scholis hujusmodi esse solet, descendit retrorsum ad modum canis mediocris gattus niger, retorta cauda, quem a posterioribus primo novitius, post magister, deinde singuli per ordinem osculantur, qui tamen digni sunt, & perfecti: imperfecti vero, qui se dignos non reputant, pacem recipiunt a magistro, & tunc singulis per loca sua positis, dictisque quibusdam carminibus, ac versus gattum capitibus inclinatis, parce nobis dicit magister, & proximo cuique hoc præcipit, respondente tertio, ac dicente, scimus magister: quartus ait; & nos obedire debemus. Et his ita peractis extinguuntur

candelæ, & proceditur ad fœdissimum opus luxuriæ, & ad alia infanda crimina.

Completo vero tam nefandissimo scelere, & candelis iterum reaccensis, singulisque in suo ordine constitutis de obscuro scholarum angulo, quo non carent perditissimi homines, quidam homo procedit a venibus surSum fulgens, & sole clarior, sicut dicunt, deorsum hispidus sicut gattus, cujus fulgor illuminat totum locum. Tunc magister excerpens aliquid de veste novitii fulgido illi dicit; Magister hoc mihi datum tibi do; illo fulgido respondente, bene mihi servisti pluries, & melius servies; tuæ committo custodiæ quod dedisti; & his dictis protinus evanescit.

Corpus etiam Domini singuli: annis in pascha de manu recipiunt sacerdotis, & illud ad domos suas in ore portantes in latrinam projiciunt in contumeliam Redemptoris.

Ad hæc infelicissimi omnium miserorum gubernantem cœlestia pollutis labiis blasphemantes asserunt delirando cœlorum Dominum violenter contra justitiam, & dolose Luciferum ad inferos detrusisse. In hunc etiam credunt miseri, & ipsum affirmant cœlestium conditorem, & adhuc ad suam gloriam præcipitato Domino redituruM, per quem cum eodem, & non ante ipsum se sperant æternam beatitudinem habituros,

Omnia Deo placita non agenda fatentur, & potius agenda quæ nolit.

Proh dolor! pergit Pontifex; mœroremque suum iisdem prælatis significat ex eo conceptum, quod tot animæ iis erroribus imbutæ perituræ sint, & quotidie magis ii perfidi homines alios in suos errores pertrahunt;

Facillimam autem viam homines decipiendi eos invenisse, nempe corporis illecebras, venereasque voluptates tanquam licitas, meritoriasque proponendo.

Ad hos convertendos excitat eos præsules Gregorius. Enimvero eorum peccata sunt enormia, sed sicut misericordia Dei est infinita, ita sperare juvat, si respiscant, eos a Deo non esse respuendos.

Quod si adhortamentis, admonitionibus eos convertere non possint, excitent contra illos principum arma non deponenda, nisi tunc cum hujusmodi pestifera secta fuerit prorsus deleta.

D. Later. Id. Junii P. a. VII. a. D. 1233.

Ad Episcopos, principesque Germaniæ ut in Stedinghos arma capiant.

XXIII. E litteris Greg. l. 7, & 178.

GREGORIUS IX. Episcopis, &c.

Inc. *Sicut dolenter, &c.*

JAm latius serpebat Stedinghorum hæresis, & rusticos plurimos in suas opiniones pertraxerant, ita ut nisi citius in eos arma principes verterent, brevi formidandi fierent.

Alia eorum crimina recenset Gregorius, quærunt responsa dœmonum, simulacra faciunt cerea, consulentes etiam in suis spurcitiis erroneas pythonissas, & quod deterius est, omnibus viaticum salutis æternæ horribilius, quam debeat exprimi, pertractantes.

Clericos etiam, & religiosos impie lacerantes cruciant omni genere tormentorum, & quos in suos errores traducere non possunt, pluribus immanibus cruciatibus enecant.

Igitur cum tam infanda dogmata doceant, cum tam horrenda, & crudelia patrent, cum in dies singulos fortiores fiant,

Monet Gregorius Episcopos, & Principes Germaniæ, ut arma in eos sumere populos jubeant, & illos armis coerceant.

Publicent Episcopi indulgentias sumentibus arma contra illos, quæ crucesignatis euntibus in Terram sanctam dantur.

D. Later. IV. Non. Mar. P. a. VIII. a. D. 1234.

Litteris suis excitare Pontifex in eos studuit Imperatorem Fridericum II. ejusque filium Henricum

„ Sed tandem suorum populorum periculo moti Henricus Dux Brabantiæ, & Florentius Hollandiæ Comes viribus conjunctis Bremam, ubi erat sedes præcipua horum populorum se contulerunt, eosque agressi ad sex millia & amplius occiderunt, aliquot millia ceperunt: quidam abjurarunt errores, quidam obstinati in iis qua igne, qua ferro fuerunt sublati. „ *Hæc Stadenses in Chronico.*

DE REGNO GALLIÆ.

Gratulatio Clodoveo, quod Christianæ Religioni nomen dederit.

I. Ex Labbeo t. 5. p. 912. ANASTASIUS II. Cludoecho.

Inc. *Tuum glorioSe, &c.*

SIgnificat Anastasius Regi, nihil sibi gratus contingere potuisse in ipso sui Pontificatus exordio, quam quod audierit Clodoveum Francorum Regem Christianam Religionem fuisse amplexatum.

Non potest non lætari maximopere cum videat accessionem tanti Regis fidei esse factam.

Eum hortatur, ut *lætificet matrem suam* (Ecclesiam) *ut sit illi in columnam ferream.*

Orat Deum, ut ejus Serenitatem beneficiis cumulet.

a. 496.

Significatur Carolo Martello Bonifacium mitti ad prædicandum Evangelium in Germaniam.

II. Ex Baron. ad ann. 723. §. VI. GREGORIUS II. Domino Glorioso filio Carolo Duci.

Inc. *Comperientes te, &c.*

SIgnificat Gregorius Carolo, se mittere Bonifacium a se consecratum Episcopum ad prædicandum Evangelium Germaniæ gentibus, *ac diversis in orientali Rheni fluminis parte consistentibus gentilitatis errore detentis, vel adhuc ignorantiæ obscuritatibus præpeditis.*

Eum Carolo commendat, ut *eum in omnibus necessitatibus adjuvet, & contra quoscunque adversarios defendat*, sibique persuadeat, se *Deo exhibiturum*, quæ pro Bonifacio faciet.

D. a. 723.

Opem Caroli Subreguli implorat Pontifex, eumque titulo Christianissimi *appellat.*

III. Ex Baron. ad ann. 741. §. 32. GREGORIUS III. Domino Excellentissimo filio Carolo Subregulo.

Inc. *Nimia fluctuamus, &c.*

NArrat Gregorius Carolo quæ gravia mala Romanæ Ecclesiæ, & quæ in partibus Ravennatium nunc *gladio* nunc *igne cuncta* devastantes Luitprandus, & Hilprandus Longobardorum Reges intulerint, minenturque majora inferre;

Eum proinde rogat, ut ejus filius *Carolus adveniat, apud quem refugium, & exercitus Francorum est.*

Eum etiam rogat, ne credat falsis delatoribus qui dicunt Duces Spoletanum, & Beneventanum culpam commisisse, ut rei veritas innotescat, *Christianissime fili jubeas* venire nuncium, & inspicere, ut res se habeant,

Hortamur tuam bonitatem coram Domino, & ejus terribili judicio, Christianissime fili, *ut propter Deum, & animæ tuæ salutem subvenias Ecclesiæ S. Petri, &c.*

Illi testatur Gregorius se pro illo semper Deum orare *coram sacris SS. Principum Apostolorum Petri, & Pauli confessionibus.*

D. a. 740.

„ Titulum Christianissimi, ut *hæreditarium* Regum „ Francorum agnovit Pius II. Epist. 385. ad Carolum VII. licet eum in Epistolæ inscriptione dicat „ *illustrem* ex veteri more. Raynaldus itaque errat „ scribens ad annum 1496. §. 25. *Christianissimi* nomen Ludovico XI. *cum Pragmaticam sanctionem convulsisset a Pio II. inditum* v. Mabillonium lib. 2. de „ re diplom. cap. 3. num. 5. pag. 70. & libr. 5. tabula 22, p. 384. „

Raven-

Ravennatis Palatii musiva ad Carolum M. mittuntur.

IV. B. M. p. 1. vel t. 9. p. 1. HADRIANUS I. Carolo regi, &c.

Inc. *Potentiæ vestræ, &c.*

POstulanti per litteras Carolo regi a Pontifice Ravennatensis palatii *musiva, & marmora, cæteraque exempla tam in strato, quamque in parietibus fita*, Pontifex ea concedit, & ad illum mittit. a. 782.

„ Leo PP. III. Ut Principem de Romana Eccle„ sia optime meritum ad ejusdem defensionem, cui „ Orientis Imperatores jampridem renunciasse vide„ bantur, novo beneficio incitaret, ipso Natali Chri„ sti Domini die in Vaticana S. Petri æde nihil tale „ cogitantem Carolum appellavit Romanorum Impe„ ratorem, & decoratum corona inunxit oleo sancto.

„ Antea ad illum Leo *miserat legatos cum muneri„ bus, claves etiam Confessionis S. Petri, & vexillum „ Romanæ urbis eidem direxerat.* (Annal. Franco„ rum Loiseliani ad an. 796. apud Duchesnium t. 2. „ p. 39.) *Quorum insignium duorum altero quidem ci„ vilis, altero vero Ecclesiasticæ rei defendendæ facul„ tat Carolo deferebatur.* (Nicolaus Alemannus de La„ teranensibus Parietinis cap. 14. in Thesauro antiqui„ tatum, & Historiarum Italiæ tom. 8. p. 4. p. 54. „ & 55.) quæ claves missæ ad Carolum fuerint, quæ„ runt Historici. Easdem Gregorius III. Carolo Mar„ tello antea miserat, cum Urbanam illi obtulit præ„ fecturam, petiitque ab eo, ut Romanæ Ecclesiæ su„ sciperet defensionem.

„ Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad „ an. 824. §. 21. probat Romanos Pontifices fidelita„ tem Regibus Francorum promisisse. *Deinde fidelitas „ illis* (Regibus Francorum) *a Papa, populoque Ro„ mano promittebatur. Exemplum habes apud Anasta„ sium in Sergio II. qui Lothario Ludovici Pii filio fi„ delitatem cum Romanis promittit. Ijtius fidelitatis „ juramentum duabus præcipue consistebat in rebus, „ quarum una spectabat ad Pontificem, ad Francorum „ Reges altera. Francorum enim Regibus Romani pro„ mittebant, se Romanis Pontificibus tanquam urbis „ Dominis obedituros, & ad illam promissionem Lotha„ rius capitulo primo respexit*: Decernimus, ut Dom„ no Apostolico justa servetur obedientia, seu duci„ bus, & judicibus suis ad justitiam faciendam: *item „ capitulo nono sic*: novissime præcipimus, ut omnis „ homo, sicut Dei gratiam, & nostram habere desidе„ rat, ita præstet in omnibus obedientiam, atque re„ verentiam Romano Pontifici. *Romanus vero Ponti„ fex, populusque Romanus Regibus Francorum tan„ quam defensoribus, ac protectoribus promittebant, in „ eorum amicitia se permansuros, adeoque constanter, „ ut eosdem, quos illi, cum amicos tum inimicos in „ perpetuum habituri essent.*

„ Hæc Anastasius Bibliothecarius in vita Sergii II. „ pag. 352. scribit: *His peractis a prædicto postulave„ runt Pontifice, ut omnes Primates Romanorum fide„ litatem ipsi Ludovico Regi per sacramentum promit„ terent. Quod prudentissimus Pontifex fieri nequa„ quam concessit, sed sic orsus est illis: quia si vultis „ Domino Lothario magno Imperatori hoc sacramentum „ ut faciant, solummodo consentio, atque promitto. „ Nam Ludovico ejus filio ut hoc peragatur, nec ego, „ nec omnis Romanorum nobilitas consentit. Tunc de„ mum in eadem Ecclesia sedentes pariter tam beatis„ simus Pontifex, quam magnus Rex, & omnes Ar„ chiepiscopi, atque Episcopi, stantibus reliquis Sacer„ dotibus, & Romanorum, & Francorum Optimatibus, „ fidelitatem Lothario magno Imperatori semper Augu„ sto promiserunt.*

Nullus Episcopus &c. possit excommunicare regem Franciæ, ejusque uxorem.

V. B. R. t. 3. p. 1. p. 350. C. C. ALEXANDER IV. Franciæ regi.

Inc. *Sublime regnum, &c.*

CLaritatem sanguinis, generositatem animi, puritatem religionis Regum Franciæ jure ac merito laudatam decebat, ut ornaret Pontifex *eximiæ dono gratiæ.*

Mandat itaque, ut nullus Ordinarius, nullus S. Sedis Legatus, aut delegatus, vel subdelegatus in regem Franciæ, & ejus consortem, eorumque legitimos successores sententiam interdicti, & excommunicationis pronunciare valeat *sine S. Sedis licentia.*

Nulli ergo &c. Si quis, &c.

D. Neap. VII. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1255.

Significatio de salute, & lætitia de matrimonio Mariæ filiæ Calabriæ Ducis.

VI. B. M. p. 3. vel t. 9. p. 185. CLEMENS VI. Joannæ Reginæ Franciæ.

Inc. *Quia scimus, &c.*

CErtiorem reddit Clemens Reginam Joannam de sua salute,

Lætatur, salvam, & incolumem eam esse & regem;

Lætitiam suam ei significat, quod a Nunciis Apost. accepit, quanta devotione res divinæ colantur ab illa, & a rege.

Ei narrat, Mariam filiam Caroli Calabriæ Ducis absque consilio amicorum matrimonium contraxisse per verba de præsenti cum Carolo duce Duratii.

D. Avenione V. Cal. Apr. P. a. I. a. D. 1342.

Privilegium de audienda Missa in locis interdictis.

VII. Ib. p. 186. CLEMENS VI. ad Joannem regem, & Joannam reginam.

Inc. *Devotionis vestræ, &c.*

PLurima privilegia concessit regibus Galliæ hic Pontifex, quæ nos strictim afferemus.

Regibus, reginisque Galliæ concedit privilegium, ut possint etiam in locis interdictis audire Missam, data licentia eorum Capellanis eam ubique dicendi.

D. Aven. III. Cal. Maji P. a. IX. a. D. 1352.

Priv. electionis Confessarii.

VIII. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Benigno sunt, &c.*

DAt etiam facultatem sibi quem malint eligendi Confessarium, qui eos absolvat ab omnibus casibus etiam reservatis S. Sedi.

Ib. XII. Cal. Maji eod. an.

Confessarius possit commutare vota.

IX. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Votis vestris, &c.*

ELectus autem Confessarius possit mutare vota eorum simplicia, & solvere juramenta.

Ib. XIX. Cal. Maji eod. an.

Et dare licentiam vescendi carnibus diebus, &c.

X. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Provenit ex tuæ, &c.*

POterit etiam Confessarius hic dare licentiam vescendi carnibus diebus vetitis regibus existentibus in exercitu.

D. ut supra &c.

Et dispensare ab jejuniis.

XI. Ib. p. 187. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Devotionis vestræ, &c.*

POterit etiam Confessarius eos dispensare ab jejuniis, & abstinentia carnium, *quoties medico videbitur expedire.*

D. ut supra.

Priv. ingrediendi monaſteria.

XII. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

FAcultatem impartitur regibus, & reginis Clemens ingrediendi ob devotionis affectum monaſteria religioſorum, & religioſarum, etiam incluſarum cum quibuſdam honeſtis perſonis.
Dat. ut ſupra.

Priv. altaris portatilis.

XIII. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

ULterius dat illis, ubi opus fuerit, uſum altaris portatilis, ubi celebretur miſſa.
D. ut ſupra.

Indulgentia datur audientibus Miſſam.

XIV. Ib. CLEMENS VI.

Inc. *Ut erga, &c.*

REgibus, & reginis, & aſſiſtentibus Miſſæ celebratæ a Capellano regio dat Pontifex indulgentiam unius anni, & quadraginta dierum.
D. ut ſupra.

Confeſſarius poſſit abſolvere eos plenarie, &c.

XV. Ib. p. 188. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Devotionis veſtræ, &c.*

FAcultatem dat Confeſſariis regiis Pontifex abſolvendi reges, & reginas plenarie in articulo mortis, & quoties grave periculum regno imminebit.
D. ut ſupra.

Neque filii neque filiæ regum poſſint excommunicari.

XVI. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Ob veſtrorum, &c.*

NEque filii, neque filiæ regum poſſint excommunicari, & interdici a quoquam, donec ſunt ſub patria poteſtate.
D. ut ſupra.

Priv. audiendi Miſſam ante auroram.

XVII. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Sinceræ devotionis, &c.*

POſſint reges, & reginæ, quoties negotia exigent, audire Miſſam antequam *eluceſcat circa horam diurnam alta voce* celebratam; *ſed parce* hoc privilegio utantur.
D. ut ſupra.

Clerici regum converſantes cum excommunicatis excommunicationem non incurrunt.

XVIII. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Progenitorum veſtrorum, &c.*

CLerici *jurati*, & familiares regum, & reginarum, etiamſi cum excommunicatis excommunicatione majore verſentur, dummodo non *communicent in criminoſis excommunicationem non incurrunt.*

Rectores Eccleſiarum, ubi eſt aula, cenſeantur Parochi ordinarii aulæ.

CLEMENS VI. &c. XIX. Ib.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

REctores Eccleſiarum, ad quas reges, & reginæ accedent, poſſunt eorum familiaribus ſacramenta adminiſtrare non ſecus ac eſſent eorum proprii rectores.
D. ut ſupra.

Indulgentia datur orantibus pro rege.

CLEMENS VI. &c. XX. Ib. p. 189.

Inc. *Sinceritatis veſtræ, &c.*

QUibuſcunque confeſſis, & pœnitentibus orantibus pro rege, & regina indulgentiam annorum centum impartitur Clemens.
D. ut ſupra.

Reges excommunicati ob percuſſionem Clericorum poſſunt a quolibet abſolvi Confeſſario.

CLEMENS VI. &c. XXI. Ib.

Inc. *Veſtræ devotionis, &c.*

SI manus violentas injecerit rex in aliquem Clericum, ab hac excommunicatione contracta poſſit abſolvi a quolibet Sacerdote electo a ſe in confeſſarium.
D. ut ſupra.

Terræ regum non poſſint interdici.

CLEMENS VI. &c. XXII. Ib.

Inc. *Illo caritatis, &c.*

TErras ſubjectas regibus Galliarum nemo cujuſcunque ſit dignitatis, mandat Clemens, ut poſſit interdicere ſine licentia S. Sedis.
D. ut ſupra.

Reges non tenentur reſtituere bona tradita a majoribus.

CLEMENS VI. &c. XXIII. Ib.

Inc. *Cum in vobis, &c.*

NOn teneantur reges ad reſtitutionem illorum bonorum faciendam, quæ acceperunt a ſuis progenitoribus, quorum bonorum ignorentur poſſeſſores, ſed illa eleemoſynis, quas faciunt, compenſent.
D. ut ſupra.

Confeſſarii in bello poſſint abſolvere milites, &c.

CLEMENS VI. &c. XXIV. Ib.

Inc. *Benigno ſunt, &c.*

COnfeſſarii electi a regibus in bellis poſſint abſolvere & regem, & milites ab omnibus caſibus, illis exceptis, de quibus eſſet conſulenda S. Sedes.
D. ut ſupra.

Capellæ regiæ non poſſunt interdici.

CLEMENS VI. &c. XXV. Ib. p. 190.

Inc. *Illa filialis, &c.*

CApellas regias, quas habent reges, & reginæ actu in terris ſuis nemo poteſt interdicere, quicunque is ſit, ſine mandato ſpeciali S. Sedis.
D. ut ſupra.

Indul-

Indulgentia regibus intervenientibus dedicationi Eccleſiæ.

XXVI. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Eximiæ caritatis, &c.*

INtervenientibus regibus aut reginis dedicationi, aut conſecrationi alicujus Eccleſiæ concedit Clemens anni unius & dierum quadraginta indulgentiam.
D. ut ſupra.

Aſſiſtentes prædicationi verbi Dei, quæ fit regi, indulgentiam conſequentur.

XXVII. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Conſideratione, &c.*

INtervenientes prædicationi Verbi Dei, quæ fit coram regibus, & reginis intra Miſſarum ſolemnia, ſicut conſequuntur reges, & reginæ, conſequentur anni unius, & dierum quadraginta indulgentiam.
D. ut ſupra.

Religioſi ex inſtituto non veſcentes carnibus regum Confeſſarii eas edere poſſunt.

XXVIII. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Vota veſtra, &c.*

SAcerdotibus regularibus, quibus ex inſtituto ſui ordinis eſt vetitus eſus carnium, electis in Confeſſarios regis, aut reginæ, hunc vel illam comitantibus permittitur carnium uſus.
D. ut ſupra.

Aulici ſequentes aulam a quacumque Eccleſia poſſunt petere ſacramenta.

XXIX. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Etſi quælibet, &c.*

AUlici ſequentes regiam curiam ad quamcumque parochialem Eccleſiam advenerint, poſſunt ab ea petere ſacramenta, non ſecus ac eſſet ſua parochialis Eccleſia.
D. ut ſupra.

Clerici addicti regibus poſſunt ordinari a quovis Epiſcopo.

XXX. Ib. p. 191. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Ut erga, &c.*

CLerici addicti regum, & reginarum obſequiis a quocumque Catholico Epiſcopo poſſint ordines accipere.
D. Ut ſupra.

Aulici ſequentes Curiam regiam poſſunt ſibi eligere Confeſſarium.

XXXI. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

AUlici regiam curiam ſequentibus privilegium impartitur Pontifex eligendi ſibi quem maluerint confeſſarium, qui eos abſolvat *præterquam in caſibus S. Sedi reſervatis.*
D. Ut ſupra.

Clerici regii dicant officium juxta Eccleſiam Pariſienſem.

XXXII. Ib. CLEMENS VI. &c.

Inc. *Sinceræ devotionis, &c.*

CLericis, Capellanis, Confeſſariis regis addictis regum ſervitiis permittit Clemens recitationem officii ad inſtar Eccleſiæ Pariſienſis (niſi fuerint per aliquot dies in iis Eccleſiis, in quibus habent beneficium: tunc enim tenentur ſe conformare Eccleſiæ.)
D. Ut ſupra.

Indulgentia orantibus pro pace regni Galliæ.

CLEMENS VI. &c. XXXIII. Ib.

Inc. *Cupientes, ut, &c.*

ORantibus pro pace regni Galliæ, ut eam Deus illi concedat i anni unius Indulgentiam vere pœnitentibus, & confeſſis impartitur Clemens (ardebat tunc bellum cum rege Angliæ.)
D. Avenioni Non. Junii p. a. III. a. D. 1344.

Clerici inſervientes regibus percipiant fructus beneficiorum non reſidentes.

CLEMENS VI. &c. XXXIV. Ib.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

CLericis beneficiatis addictis obſequiis regum, & reginarum permittit Pontifex, ut poſſint percipere fructus ſuorum beneficiorum, etiamſi non reſideant.
D. Avenioni Cal. Maji p. a. IX. a. D. 1348.

Deputatio ad colligendos fructus beneficiorum Clericorum addictorum regibus.

CLEMENS VI. &c. XXXV. Ib.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

DEputat Pontifex Abbatem S. Genovefæ, & Abbatem S. Dionyſii, ut vel per ſe, vel per alios colligant fructus beneficiorum, quæ poſſident regii capellani, & clerici; illoſque iis tradant.
Hoc jubet Pontifex, ne illi a regum ſervitiis abſint.
D. Ut ſupra.
„ Fere omnia hæc privilegia jam ab aliis Pontificibus conceſſa Regibus fuerant.

Rex, & Regina Galliæ poſſint tangere res ſacras & ſumere Euchariſtiam ſub utraque ſpecie.

CLEMENS VI. Joanni primogenito Philippi Regis Franciæ &c. XXXVI. Ex Odorico Raynaldo t. 6. p. 370.

Inc. *Tuis devotis, &c.*

HAc Bulla permittit Duci Burgundiæ Joanni Clemens ut res ſacras attrectare poſſit, *præterquam corpus Dominicum, quod per alios quam Sacerdotes tractare non convenit;*
Etiam illi permittit, ut *cum per Confeſſorem, aut alium Sacerdotem ſacra communio corporis D. N. Jeſu Chriſti illi miniſtrabitur, poſſit etiam illi miniſtrari poculum ſanguinis* N. O.
Sed Confeſſor, vel Sacerdos caveat ne aliqua gutta effundatur.
D. Aven. XI. Cal. Julii p. a. III. a. D. 1344.
„ Hoc privilegium ad ſucceſſores reges extenſum fuit.

Facultas data Regi non ſtandi juramento de non alienandis bonis Coronæ.

CLEMENS VII. Franciſco Galliarum Regi. XXXVII. B. M. p. 4. vel p. 10. p. 56.

Inc. *Votis tuis, &c.*

JUraverat Franciſcus I. Galliarum Rex, ſe numquam alienaturum res, bona, jura Coronæ.
Cameraci inter ipſum, & Carolum Imperatorem ut pax conveniret, opus fuit, ut quædam alienationes, ceſſioneſque bonorum Coronæ Franciæ Parolo fierent.
Petiit ergo rex a Pontifice abſolutionem de facto juramento.
Clemens reſpiciens utilitatem, quæ ex iis ceſſionibus in totam Chriſtianam Remp. redundabat, eum abſolvit, ceſſioneſque factas ad hunc finem habet ratas. N. O.
D. Bononiæ III. Cal. Dec. p. a. VII. a. D. 1529.

Pœnæ

Pœnæ in seditiosos contra Regem, & Regnum.

XXXVIII. B.M.p.3. vel t.9.p. 203. URBANUS V. ad p. r. m.

Inc. *Quam sit, &c.*

CONtra regem Carolum inita fuerat tetra seditiosorum hominum confœderatio dicta *la grand Compagnie* & Parisiis, & in aliis urbibus regni.

Pontifex & animarum salutem, & Ecclesiarum ruinas respiciens omnibus his seditiosis excommunicationem minatur.

Minatur etiam illis, qui iis victualia suppeditabunt, qui illos intra mœnia recipient, qui ad illos arma deferent, vel quocumque modo auxilium subministrabunt.

Eos etiam privat omnibus dignitatibus, omnibus bonis, & officiis, inhabilesque reddit ad munia exercenda, clericos beneficiis spoliat, neque vult, amplius eos promoveri posse ad eadem. N. O.

D. Marsiliæ VI. Id. Maji p. a. V. a. D. 1367.

Excommunicatio denunciatur Galliæ proceribus, si rebellibus regis faverint.

XXXIX. B.R. t.5. p. 4 p. 169.C.C. GREGORIUS XV. Universis principibus, Ducibus &c. in regno Franciæ constitutis.

Inc. *Postquam Dominus, &c.*

QUidam Galliæ proceres arma contra regem sumpserunt, & licet rex eos devicisset, tamen rursus arma rebelles parabant.

Ut eorum fautores deterreat Gregorius, pœnam excommunicationis, privationis dignitatum &c. denunciat iis, qui contra regem bellabant, qui auxilium, consilium, &c. rebellibus dabunt.

Eos autem, qui arma jam sumpserunt, vult, sub interminatione earumdem pœnarum infra quindecim dies arma deponere.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die X. Aug. P. a. I. a. D. 1621.

Episcopi orent pro rege pugnante contra hæreticos.

XL. Ib p.172. C.C. GREGORIUS XV. Archiepiscopis, Episcopis Galliæ &c.

Inc. *Sacri Apostolatus, &c.*

HOrtatur idem Gregorius prælatos Galliæ, ut ipsi, suique Diœcesani Deum orent, ut a Domino exercituum impetrent regi, qui pugnaturus erant contra hæreticos, exitum felicem.

Ideoque orationem quadraginta horarum indicant.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXI. Aug. P. a. I. a. D. 1621.

Facultas datur quibusdam prælatis procedendi in Ecclesiasticos molientes in Ludovicum regem & regnum.

VII. B.R. t.6. p. 1. p. 326.C.C. URBANUS VIII. Archiepiscopo Arelatensi, Episcopis Bolonien si, S. Flori, Maclovien si.

Inc. *Exposuit nobis, &c.*

SIgnificavit Pontifici Ludovicus, quosdam Laicos, & Ecclesiasticos machinari nefaria in se, suumque regnum.

Urbanus mandat præfatis Prælatis, ut in hos Ecclesiastos inquirant, & in via juris procedant in personas, & in bona horum scelestorum.

Si aliquis ex nominatis prælatis sit impeditus, potestatem facit Archiepiscopo alium substituendi. N. O.

D. In arce Gandulphi Die VIII. Oct. P. a. X. a. D. 1632.

In cudentes falsam monetam in hoc regno.

XLII. B.R. t.3. p. 2. p. 119.C.C. CLEMENS V. ad p. r. m.

Inc. *Prodiens quasi, &c.*

NOnnulli habentes facultatem cudendi monetam, falsam cudebant in hoc regno.

Alii monetas bonas studiose depravabant, *& ex hoc cadebat a suo recto pondere.*

Quidam habentes jus fabricandi monetam, regis Galliæ imaginem in ea imprimebant, non proprium nomen, & stemma, ut facilius a mercatoribus deceptis imagine regis acciperetur, cum hæc esset inferioris auri, & argenti, quam regia moneta.

His omnibus sententiam excommunicationis minatur Pontifex, ni absistant; ejus pœnæ absolutione soli Pontifici reservata.

Nulli ergo, &c. Siquis, &c.

D. Tolosæ II. Cal. Janu. P. a. IV. a. D. 1308.

Confirmatio.

XLIII. B.M.p.3. vel t.9.p. 192. CLEMENS VI. ad p. r. m.

Inc. *Prodiens quasi, &c.*

MAlas artes, quas quidam adhibent, ut monetas vitient, de quibus in præcedenti constitutione, reprehendit Clemens.

Et pœnam enunciatam in hos falsarios supra confirmat, adducens eamdem Clementis V. constitutionem.

Nulli ergo, &c. Siquis, &c.

D. Tolosæ II. Cal. Janu. P. a. IV. a. D. 1346.

Alia confirmatio.

XLIV. B.R. t.4. p. 4. p. 46. C.C. GREGORIUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

CONstitutiones Pontificum Clementis V. & VI. pœnas infligentium vehentibus, percutientibus, tondentibus, & disseminantibus in regno Franciæ monetas falsas, vel minoris valoris Gregorius renovat, & confirmat. N. O.

D. Tusculi V. Id. Febr. P. a. XII. a. D. 1584.

Responsio ad Philippum aventem Fratrem suum eligi Imperatorem.

XLV. B.M.p.3. vel t.9.p. 132. CLEMENS V. Philippo Francorum regi.

Inc. *Quia sicut, &c.*

AVebat Philippus (*erat IV. nomine, cognomento Pulcher*) Fratrem suum eligi in Romanorum regem (*erat hic Carolus Andegavensis Comes*;)

Misit igitur ad Pontificem Nuncios, per quos orabat Clementem, ut scriberet pro eodem Carolo electoribus Moguntino, & Trevirensi; jam enim Colonien sis promiserat, se electurum Carolum.

Respondet Clemens Philippo, se jam scripsisse Marchioni Brandemburgensi, Ducibus Saxoniæ, & Bavariæ (& ad regem mittit exemplar litterarum iis scriptarum) sed nisi ii primis litteris responderint, non esse ad illos rescribendum.

Nullam se spem habere, ait, in Archiepiscopo Trevirensi, qui certe favebit potius Fratri suo Comiti Luceburgensi, qui imperium affectat;

Nullam spem in Archiepiscopo Moguntinensi, qui aperte suffragatur Duci Carinthiæ, *qui se gerit pro rege Bohemiæ*. Neque vero potest Pontifex ejus electionem impedire, *nullo conquerente de ipso*.

Mittit ad regem litteras, quas ab Electore Saxoniæ acceperat.

D. apud Cadelhacum Burdegalensis Diœcesis P.a.III. a. D. 1307.

Respon-

Responsio ad eumdem regem de Caroli electione ad Imperium Constantinopolitanum.

XLVI. Ib.p.133. CLEMENS V. Philippo &c.

Inc. *Dudum prout, &c.*

LItteris Philippi respondet Clemens, qui eumdem Carolum illi commendaverat pro Imperii Constantinopolitani consequutione, si Romanus rex factus non fuerit, se jam egisse cum Dominio Venetiarum, se accepisse a Duce litteras, quas ad regem mittit.

Mittit etiam ad eum Rudolphi Bavariæ Ducis litteras, quas acceperat de rege Romanorum eligendo.

D. in Laureo monte apud Burdegalas XI. Cal. Nov. P. a. III. a. D. 1307.

Deputatio duorum Cardinalium, ut pacem firment inter Reges Franciæ, & Angliæ.

XLVII. U. R. t.2. p.41.C.C. ALEXANDER III. Gillelmo, & Odoni Cardinalibus.

Inc. *Quanta universæ, &c.*

CONsideratis detrimentis, quæ in rem Catholicam redundabant ex dissensione regum Galliæ, & Angliæ mandat Alexander supradictis Cardinalibus, ut concordiam inter eos principes componant, *nihil ad petitionem, & favorem unius cum alterius scandalo statuentes.*

Inhibet, ne vel uterque, vel alteruter ingressus in Angliam quicquam cum rege agant de consecrationibus Episcoporum aliisque rebus ad Ecclesiam spectantibus, *nisi prius regi penitus Archiepiscopus Thomas reconcilietur.*

D. Beneventi II. Cal. Sept. a. 1168.

Confirmatio conventionis Ludovici Regis cum Henrico Angliæ Rege &c.

XLVIII. B.R. P.4. vel t.10. p. 4. ALEXANDER VI. ad p. r. m.

Inc. *Illius vices, &c.*

CArolus Francorum Rex cum Henrico VII. Angliæ rege convenerat, se daturum ei ad summam septingentorum, & quadraginta quinque millium coronatorum auri statutis temporibus, quæ regi Angliæ debebat pro substentatione armatorum, quos Henricus miserat in auxilium Reginæ Franciæ uxoris dicti Caroli Ducissæ Britanniæ.

Mortuo Carolo hoc æs alienum devolutum fuit ad Ludovicum, qui spopondit se satisfacturum Henrico, prout Carolus receperat; ni satisfaciat, subjicit excommunicationi se, & regnum suum interdicto.

Rogavit autem Ludovicus Alexandrum, ut auctoritate Apostolica conventionem confirmaret.

Quod per præsentes litteras facit Alexander.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Id. Junii P. a. VIII. a. D. 1500.

Confirmatio fœderis initi inter Regem Galliæ, & Comitem Flandriæ.

XLIX. B.R. t.3. p.69.C.C. INNOCENTIUS III. Philippo Galliæ Regi.

Inc. *Licet ex injuncto, &c.*

FOedus initum inter Galliæ regem Philippum, & Baldum Flandriæ Comitem confirmat Innocentius.

Tenor hujus Fœderis apponitur; in quo Baldus jurat, se auxilium præstiturum Regi Philippo contra omnes, præterquam contra Episcopum Leodiensem *de terra Hainensi dominum suum, neque contra Imperatorem de eadem terra.*

Baldus mittet viginti homines seligendos a rege, qui præstent juramentum de hoc; *qui tenebuntur Parisios ire in captionem regis, si Comes deficiet a promissis*; Et hos de terra Hainensi.

De comitatu Flandriæ mittet quadraginta homines cum iisdem clausulis.

Quoties Rex novus Franciæ coronabitur, præstabit ipse Comes, & successores idem juramentum.

Nulli ergo, &c. Siquis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum a. 1198.

Archiepiscopo Rhemensi mandatur, ut castiget Regem Henricum.

L. Ex Baronio ad an. 1059. §. LXXVI I. NICOLAUS II. Guillelmo Archiep. &c.

Inc. *Licet de vestra, &c.*

QUædam sinistra relata de illo ad S. Sedem significat Alexander Archiepiscopo, quæ tamen non credit, Eum hortatur ut bonis operibus has calumnias refutet.

Tum illi ita scribit: *Vestrum regem gloriosum castiga, precare, admone, ne pravo nitatur pessimorum consilio, qui nostra discordia putant, se Apostolicam censuram evadere, caveatque sacris canonibus, immo B. Petro resistere, hosque, qui eum sicut pupillam volumus amare oculi, contra se movere. Satis enim mirari potest, si pro aliquo stulto, sicut est, quem voluit ordinari, Matisconis Episcopus, vult Dominum, & S. Petrum offendere, vestram caritatem, atque sinceram dilectionem circa se parvi pendere. An putat aliquis membrum Antichristi, quod non plus possit ei prodesse gratia B. Petri quam omnium impiorum perfida fidelitas? Agat itaque gloriosus rex, ut libet contra nos, quamvis pro illo, ejusque exercitu semper precari parati sumus.*

Opus fuisse scribit, Ducem Godfridum venire Romam.

Nomine Cardinalium Episcoporum, & præcipue Hil. debrandi, qui fuit Gregorius VII. eum salutat.

D. Romæ P. a. I. a. D. 1059.

Rex Galliæ Philippus admoneatur, ut nisi pareat Apostolicæ Sedi privandus fuerit regno.

LI. Ex Baronio n. 1. & 3. §. lxxiii. GREGORIUS VII. Calibonensi Episcopo.

Inc. *Inter cæteros, &c.*

SIgnificat præfato Episcopo Gregorius, inter ceteros principes qui Ecclesiam vexant, Philippum potissimum eam vexare. Quod non potest non esse Gregorio gravissimum, præcipue cum maxime devotus erga Ecclesiam semper Philippus fuit.

Jam minitatus illi fuerat Gregorius, se in illum gravius animadversurum, nisi cessasset; rexque per cubicularium suum notum Gregorio fecerat, se esse correcturum quidquid male egisset.

Gregorius ait, se velle experiri, utrum Philippus fidem soluturus sit in Matisconensi Ecclesia, ad quam unanimi Cleri, populique consensu Augustodunensem Archidiaconum elegerant; utrum gratis assensum suum præstiturus electo sit, an simoniace.

Si gratis non dabit, testatur Gregorius se non passurum tantam Ecclesiæ labem, & *coercituram regis inobedientiæ duram contumaciam. Nam aut rex ipse repudiato turpi simoniacæ hæresis mercimonio idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permittet, aut Franci pro certo (nisi fidem Christianam abjicere maluerint) generalis anathematis mucrone percussi illi ulterius obtemperare recusabunt.*

Hæc ideo præfato Episcopo Gregorius scribit, ut hæc qua prudentia pollet, regi insinuet eo meliori modo, quem expedire crediderit.

D. Piperni II. Non. Dec. p. a. I. a. D. 1073.

Ad Comitem Pictavien sem de excessibus Philippi Regis.

LII. Ib. a. 1074. §. LXVII. GREGORIUS VII. Guillelmo Comiti &c.

Inc. *Licet Philippi, &c.*

GRavia multa patrarat in Ecclesia Bellovacensi Philippus, patrarat & ita gravia, ut Clerus, & populus excommunicati fuerint, sed per preces Episcopi absoluti in concilio Romano. Scripserat etiam Philippo Gregorius, ut se corrigeret, gravitatemque criminum eidem exposuerat. Sed cum nihil profeciisset, scribit ad Episcopos Galliæ, & ad nobiles ejus regni, præcipue ad Guillelmum præfatum,

Esse

Esse supervacaneum narrare Comiti, quæ egerit Philippus, cum jam nota sint ejus scelera, quæ contra Ecclesias commisit, earum bona devastando, earum jura usurpando, & mercatores Italiæ, qui ad eas plagas devenerant spoliando.

De his quoniam Gregorius scripserat ad Galliæ Regem, voluit etiam ad eumdem Comitem scribere.

Eum rogat Pontifex ut simul cum Episcopis regem commoneaciat, ut bonos Franciæ reges imitetur, ut emendet quæ mala fecit.

Quæ nisi Rex faciet, & impœnitens fuerit, *in Romana Synodo corpore, & communione S.R. Ecclesiæ ipsum, & quicumque sibi regalem honorem, & obedientiam exhibuerit sine dubio sequestrabit Gregorius, & ejus quotidie super altare S. Petri excommunicatio confirmabitur.*

D. Romæ Id. Nov. p. a. I. a. D. 1074.

Adhortatio ad Philippum ut acta corrigat, & de Archiepiscopo Rhemensi.

LIII. Ad an. 1098. p. LXXVI. GREGORIUS VII. Philippo Glorioso Regi Francorum.

Inc. *Sæpe per Nuntios, &c.*

SÆpe Nuntij Philippi significarant Gregorio, regem cupere ejus amicitiam.

Respondet Pontifex, sibi id maxime placere; sic enim rex se ostendit suæ salutis sollicitum (sicut Christianum Regem decet.) Amicitiam Pontificis sibi rex comparare poterit, si *se in Ecclesiasticis negotiis diligentem devotumque exhibuerit*; quod antea non fecit: sed hoc ejus adolescentiæ condonatum fuit.

Eum hortatur ad justitiam servandam, ad Ecclesiarum defensionem, ad pupillorum, viduarumque præsidium.

Illi mandat, ut Manassi Rhemensi Archiepiscopo *propter suas iniquitates irrecuperabiliter depositio nullum sui favoris solatium præbeat, sed eum a sua amicitia rescindat.*

Mandat, ut electionem faciendam a clero, & a populo Archiepiscopi illius Ecclesiæ nullo modo impediat,

Quoniam Philippus jam vir factus est, strenue arripiat virtutis iter, & illud recte conficiat.

D. Romæ VI. Cal. Jan. P. a. VIII. a. D. 1080.

Significat Pontifex Regi desiderium suum, ut servet pacem cum Imperatore.

LIV. B.M.p.3. vel t. 9. p. 144. CLEMENS V. Philippo Francorum regi.

Inc. *Rex pacificus, &c.*

SIgnificat Clemens Philippo desiderium, quod habet, ut Rex cum Henrico Imperatore perpetuam servet concordiam, & pacem.

Videns autem facile posse oriri bella, si regna Arelatense, & Viennense Romani Imperii membra, vel unita, vel separata darentur uni, vel duobus viris, *non intendit impartiri assensum suum* Pontifex, si Imperator ea concedat alii personæ, quam Romano Pontifici, aut alii Ecclesiæ, quam Romanæ.

D. Avenione Cal. Maji p. a. VI. a. D. 1309.

Jubetur Archiepiscopus Rothomagensis inducere Regem ad parcendum Jacobo Majoricarum Regi.

LV. Ib. p. 136. CLEMENS VI. Archiepiscopo Rothomagensi.

Inc. *Intellecto nuper, &c.*

REx Philippus *ob novitatem factam* a Rege Majoricarum in comitatu Rossilionis, villam, & Baroniam Montis Pessulani attinentes ad eumdem Jacobum jusserat *ad regiam manum poni.*

Clemens mandat Archiepiscopo Rothomagensi, ut regem inducat ad parcendum Jacobo, & ad restituendam Baroniam, præsertim cum Jacobus, qui est e regio sanguine, si careat redditibus Baroniæ, nesciat regiam dignitatem substinere, filiosque suos substentare.

D. Avenioni XI. Cal. Sept. p. a. VI. a. D. 1347.

Ratio, cur Urbanus velit excommunicare Regem Franciæ.

LVI. Ib. p. 2. B.R. t. 1. p. 77. C.C. URBANUS II. Raynaldo Rhemensi Archiepiscopo.

Inc. *Si Sacerdotale, &c.*

CUr excommunicare velit Galliæ regem Urbanus, docet Raynaldum Rhemensem Episcopum; quia scilicet *humani pudoris oblitus, divini timoris immemor contra jus, & fas*, contra sacros Canones, contra Ecclesiæ consuetudinem *uxorem suam inordinate reliquit, & propinqui sui conjugem amore sibi nefario copulavit.*

Leviter etiam coarguit eumdem Raynaldum, quod non deterruerit Sylvanectensem Episcopum sibi subjectum a danda benedictione huic matrimonio: quæ si dari per sacros canones bigamis non potest, multo minus adulteris.

Simul etiam eum rogat, ut ad regem adeat, eum moneat, ut a tanto flagitio desistat;

Eumque roget *pro ereptione Carnotensis Episcopi.*

Si parere nolit, eum perterreat minis excommunicationis infligendæ a Pontifice; & ipse Archiepiscopus regem, & loca ipsius interdicto supponat.

Dat. sexto Cal. Nov. anno videlicet Dei Christi MXCII.

Reprehenduntur quidam Episcopi, qui volebant conversari cum rege, eumque absolvere.

LVII. Ib. p. 3. Ib p. 108. C. C. URBANUS II. Servus servorum Dei ad p. r. m.

Inc. *Auditum est, &c.*

QUidam Galliæ Episcopi dixerant, se communicaturos cum rege Philippo, immo paratos esse ad illum absolvendum.

Quos graviter reprehendit Urbanus; si enim Metropolitæ nequeunt absolvere aliquem a suffraganeo suo Episcopo damnatum, maxima audacia est, Episcopos velle absolvere eum, quem S. Sedes damnavit, cui Metropolitæ ipsi parent.

Hanc Pontificis auctoritatem a nemine infringendam esse Urbanus probat verbis illis Domini ad Moysem Levit. 13. *Considerabit Leprosum Sacerdos, & immundum judicabit, & clausus tenebitur ad arbitrium Sacerdotis.* Est ergo Pontificis judicare, quandonam rex absolvi debeat, non Episcoporum.

Iterum excommunicat regem, donec respiscat, & cum illo communicantes,

Arelate *in octavis Apostolorum Petri, & Pauli* ad concilium eos invitat. a. 1096.

Absolutio regis, si vere resipiscat, jubetur.

LVIII. Ib. p. 8. PASCHALIS II. Archiepiscopis, Episcopis per Rhemensem, Senonensem, Turonensem provincias constitutis.

Inc. *Significatum nobis, &c.*

TAndem Philippus *abjurare decrevit pellicem*, & hæc regem; de qua conversione maximopere lætatur Paschalis.

Causam hanc commiserat Pontifex Albanensi Episcopo, qui idcirco in Gallias iverat; si egressus e Gallis est, eam cognoscendam committit Atrebatensi Episcopo.

Si vere rex, & *illa lateralis*, hoc est propinqua, *tactis Evangeliis, omnem carnalis copulæ consuetudinem abjurarint, colloquium quoque, & contubernium, & testimonio personarum minime suspectarum* promiserint, *ad idem flagitium non redituros*; ipse Episcopus Atrabatensis, absente Albanensi, vel præsens Episcopus Albanensis simul cum Episcopis provinciarum dictarum *satisfactione eorum vice Apostolica suscipiat, & a vinculo excommunicationis eos absolvat.*

Data Latherani per manum Joannis III. Non. Oct. anno 1104.

Apponitur juramentum, quod in præsentia Episcoporum Galliæ in manu Lamberti Atrabatensis Episcopi edidit Philippus; conceptum est juxta supradicta; se non cohabitaturum esse.

Juravit similiter & Bertrada (nomen pellicis)

Nomi-

Nomina Archiepiscoporum duorum, Episcoporum octo, Abbatum quatuor præsentium actui adjuntur, aderat alia turba Laicorum, & Ecclesiasticorum.

Taliter itaque ex Apostolicæ Sedis auctoritate reincorporatus est Rex Francorum Philippus Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ matri suæ IV. Nonas Decembris Indict. XIII. anno autem Dei Christi MCIV. Pontificante vero in Sede Romana Paschali (sic) Papa II. anno sexto.

„ Ivo Carnotensis jam scripserat Paschali: *ut secun-
„ dum moderationem litterarum vestrarum causam ejus
„ (Regis) temperetis, ne contingat de eo illud Sa-
„ lomonis* qui multum emungit, elicit sanguinem. No-
„ stræ suggestionis summa est, ut imbecillitati hominis
„ ammodo quantum cum salute ejus potestis, condescen-
„ datis, & terram, quæ ejus anathemate periclitatur,
„ ab hoc periculo eruatis.

In his litteris probare vult Innocentius, Pontificis esse munus principes ad pacem excitare.

LIX. ex Raynaldo t. XIII. p. 90. INNOCENTIUS III. Philippo Francorum Regi.

Inc. *Utinam considerasses, &c.*

BEllum gerebat Rex Galliæ Philippus contra Joannem Angliæ Regem, victorque erat. Innocentius miseratus eorum populorum vices inducias inter utrumque Regem indixerat sub minis Ecclesiasticarum pœnarum per Abbatem Casemarii, quem ideo in Galliam miserat. Nuntio primum non respondit Philippus, deinde re in consilium deducta, respondit, *non esse Pontificis Regum controversiis se ingerere; nec teneri imperia Sedis Apostolicæ excipere in iis, quæ ad Regni stipendiarios spectarent.* Hoc regis responsum significavit Abbas Pontifici, qui has litteras ad Regem mittit,

In quibus ait, si Rex considerasset, Sedem Apostolicam non fuisse Regno Francorum inutilem, non ita respondisset; vidisset enim eam ejus majoribus semper tuta, semper sana consilia dedisse; si considerasset, quam varii possint esse bellorum eventus, præsenti rerum statu illectus non ita respondisset;

Neque hoc dicit, Innocentius, *tanquam sibi velit potestatem indebitam usurpare, vel quicquam injungere quod ad officii sui non pertineat potestatem. Quid enim monuit? quid suggessit? numquid inhonestum? numquid injustum?* suggesserit, ut fieret pax, vel saltem induciæ, ut posset utriusque partis justitia examinari.

Tum descendit ad ostendendum suas præcipue esse partes ad pacem principes cohortari. Id probat Innocentius multis Scripturæ locis, in quibus pax laudatur.

Quod si omnibus Apostolis Christus præcepit, ut intrantes aliquam domum dicerent, *Pax huic domui*, multo magis id præceptum est Pontifici, qui est caput Episcoporum succedentium in locum Apostolorum intelligendum est.

Præterea minatur Christus pœnas pacem turbantibus. Nam quid bellum non involvit malorum? & hic enumerat Pontifex mala e bello proficiscentia. Boni ergo Patris est hæc mala averruncare.

Nonne Christus beatos dicit pacificos? pax ergo præferenda bello est; & cum ipse suggessit pacem, bonum suggessit.

Rex Angliæ nonnisi invitus ad arma descendit, nullumque modum prætermisit, quo posset pacem servare; sæpiusque postulavit, ut antiqua pacta servarentur.

Quæ cum ita sint, non poterit non exequi Pontifex, quod Christus jussit, nempe si quis bis terque admonitus in sua pertinacia persistat, ut habeatur sicut Ethnicus, & publicanus.

D. Anagniæ II. Cal. Nov. P. a. VI. a. D. 1203.

Hortatur Pontifex Philippum ad ignoscendum Episcopis Antissiodorensi, & Aurelianensi.

IX. Ib. p. 175. INNOCENTIUS III. Regi Philippo.

Inc. *Cum alii, &c.*

SOleo, inquit Pontifex, Regibus, & Principibus, cum audio eos Ecclesiæ jura, & personas violare, exemplum tuum, Philippe Rex proponere, cujus regnum ita Deus auget, & amplificat, & amplificaturus est multo magis, nisi Ecclesias perturbabis.

Cum hæc ita se habeant, non possum non dolere maximopere, cum accipio te vexare Episcopos Antissio-

dorensem, & Aurelianensem, confiscatis eorum regalibus, quod quidam eorum milites in tuo exercitu ire noluerunt quo jusseras.

Cum illi ad S. Sedem confugerint, quæ afflictis deesse non potest, te hortor, ut in pristinum statum illos restituas, ac si quam ab illis accepisse injuriam putas, regia clementia deleas.

D. Later. XVII. Cal. Jan. P. a. XIII. a. D. 1210.

Abbati Cistercienſi, & Abbati Claravallensi mandatur, ut suadeant Regi pacem.

LXI. Ib. p. 233. HONORIUS III. Abbati Cistercienſi, & Ab. Cla.

Inc. *Devotioni vestræ, &c.*

QUoniam hi duo prælati gratissimi Regi Philippo, ejusque filio Ludovico erant, ad eos scribit Honorius, ut curent utrumque Regem & filium ad pacem inducere cum Rege Angliæ Henrico, qui Patri suo Joanni jam vita functo in Regnum successerat.

Id agat Rex pro sua reverentia erga Christum, erga S. Sedem; novum regem nullam paternarum injuriarum culpam habere, cum sit pupillus, restituat usurpata ex Joanne ejus filio.

Neque putet hoc esse indecorum; imo gloriosum illi erit; omnes enim vident, eum esse victorem, vident eum prosequi posse bellum; quare fatebuntur, si pacem dabit, eum motum pietate in Deum, reverentia in Pontificem, misericordia in puerum pacem facere; omnesque ejus virtutem deprædicabunt.

Quod si pacem nolit facere, faciet Honorius *secundum quod fuerit sibi desuper inspiratum.*

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Id. Dec. P. a. I. a. D. 1216.

Laudes Regni Galliarum.

LXII. Ib. HONORIUS III. Prædictis Abbatibus.

Inc. *Quantum Romana, &c.*

NE posset Rex Galliæ suspicari, velle Pontificem opprimere Regnum Galliæ, & extollere Regnum Angliæ, laudes ejus regni exponit; testaturque se nolle per hanc pacis insinuationem ei regno præjudicium ullum afferre; Namque sicut illud est devotissimum in S. Sedem, ita æquum est Sedem A. illius utilitatibus consulere.

Semper in angustiis Reges Galliæ S. Sedi sunt patrocinati, assiduoque studio modo contra hæreticam pravitatem, modo contra Paganorum perfidiam pugnarunt, & Petri Cathedram sunt venerati.

Quod si Pontifex eum ad pacem hortatur, ideo hortatur, quia videt utilius esse regi pacem inire, quam bellum prosequi.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Jan. P. a. I. a. D. 1216.

Suadetur Regi, ut revocet filium Ludovicum ex Anglia.

LXIII. Ib p. 244. HONORIUS III. Philippo Regi &c.

Inc. *Tristitia nobis, &c.*

GRaviſſimum se mœrorem percipere, ait Pontifex cum videat Philippi filium Ludovicum ita a suorum majorum semitis discedere, & potius ardere acquirendi terras, quam sectandi justitiam amore.

Debuisse illum, scribit, primitias suæ militiæ Deo dicare potius, cum expeditio in Terram S. jam tanto ardore curetur a Pontificibus, quam arma in Regem Catholicum convertere, & bello innocuum puerum persequi; & ita damna bello sacro inferre.

Rogat ergo Philippum, ut patris officium adimpleat, cum revocet ab invasione Angliæ; ne Dei iram in se provocet.

Deum, ait, se semper orare, ut illi cor rectum det.

D. Later. XI. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1217.

Gratulatio de Regis consecratione.

LXIV. Ib. p. 393. HONORIUS III. Ludovico (VIII.) Galliarum Regi.

Inc. *Ineffabilis providentiæ, &c.*

„ MOrtuus erat Philippus, de quo D. Antoninus hæc scribit: *Vir certe mirabilis fuit, & omni*
„ *memoria dignus, cui post Carolum Magnum vix ali-*
„ *quis similis reperiri potuit ex Regibus Franciæ.*
„ Successit in Regnum ejus filius primogenitus su-
„ sceptus ex Isabella filia Balduini Hanoniæ Comi-
„ tis; *in hoc rediit Regnum ad stirpem Caroli Impe-*
„ *ratoris, de quo originem habuit ex parte Matris.*
„ VIII. Id. Augusti Rhemis coronatus ab Archiepisco-
„ po fuit, cujus coronationi interfuit Joannes Hiero-
„ solymitanus Rex. Annos triginta & sex natus erat.

Delata ad Honorium novi Regis fama, ad eum statim has litteras misit, in quibus

Dolorem suum Ludovico significat ex morte illius patris perceptum; sed hanc esse, ait, humanarum rerum conditionem, ut caducæ sint;

Lætandum tamen esse Regno Galliæ, quod optimum genitorem in filio reflorescentem videt.

Lætandum est etiam Pontifici, qui certus est, filium imitaturum Patris pietatem, devotionemque in Apost. Sedem,

Quo animo fuit Honorius in Patrem, ut semper ejus decori consuluerit, testatur futurum esse in Ludovicum quoque,

Eum rogat, ut sicut ejus majores, ejusque pater semper auxilium Ecclesiæ præstiterunt, ita ille eorum vestigiis insistat.

D. Later VIII. Cal. Nov. P. a. VIII. a. D. 1223.

Commendatur duplici ex causa Rex Ludovicus.

LXV. Ib. p. 304. HONORIUS III. Regi Ludovico, &c.

Inc. *Te satis, &c.*

CArdinalis Portuensi significarat Pontifici Regis Ludovici responsum, cum illi nomine Pontificis Catholicam Religionem commendavit, eumque rogavit, ut Albigenses persequeretur; nimirum *malle se rei suæ injuriam inferri, quam pati Catholicam Religionem ab Albigensibus oppugnatam, suis opem non ferentibus, detrimenti quicquam accipere.*

Quod quidem responsum nunquam satis pro merito laudari posse, ait Honorius.

Decem argenti marcharum millia ex largitionibus Patris sui Philippi relicta Catholicis subsidio miserat.

Hoc quoque liberalitatis opus maximopere laudat Honorius.

Quare omnia fausta illi, illiusque regno a Deo jure ominatur Pontifex. Illa enim præstitit Rex, quæ Sacræ Litteræ præstanda esse sæpissime docent.

D. Later. Id. Dec. P. a. VIII. a. D. 1223.

„ Ludovicus eodem anno mense Aprili edictum vul-
„ gari fecit contra Hæreticos, quorum bona proscribi
„ jussit; præmia promisit eos inquirentibus, & reve-
„ lantibus.

Hortatio ad Regem, ut armis domet Albigenses.

LXVI. Ib. p. 303. HONORIUS III. Ludovico &c.

Inc. *Cum reges, &c.*

REges, & *Principes cum Ecclesiam matrem suam, ex qua spiritualiter nati sunt, & quam a Christo, ut eam temporibus suis foveant, susceperé tuendam, Deo teneantur reddere rationem*, videt Ludovicus, quantum teneatur e Regno suo, ejusque terminis propulsare Hæreticos, qui Ecclesiæ pacem turbant, doctrinamque corrumpunt.

Vetuit Nabuchodonosor blasphemari Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, quem ipse non adorabat: persequuntur principes fures, qui aliena rapiunt; multo magis Christianus Princeps debet honorem Dei sui curare, & hæreticos animarum perditores profligare.

Et sane præcepit Deus in Veteri Testamento & ita Deus Moisi jussit; *Si audieris in una ex civitatibus, quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare illic dicentes, eamus, & serviamus diis alienis, pones illos in ore gladii, & igne civitatem incendes.*

Putet Ludovicus, hoc sibi a Deo edictum, & imperatum.

Tum quæ turbæ, quæ discordiæ, in comitatu Tolosano sint illi enarrat Honorius; & quantum periculum immineat, ne tota Christiana Religio ibi deleatur.

Ei commendat Almaricum de Montforte paratum omnia pati & quidquid in Comitatu Tolosano habet, dare regi, ut hæretici deleantur;

Comes Raymundus jam est excommunicatus, & obstinatus in sua pervicacia,

Ait, se ad illum mittere Archiepiscopum Bituricensem, Episcopos Lingonensem, & Sylvanectensem, quos rogat, ut humaniter excipiat, & benigne eos audiat,

D. Later. XIX. Cal. Jan. P. a. VIII. a. D. 1223.

Querelæ ad Regem, quod inducias respuerit.

LXVII. Ib. p. 308. HONORIUS III. Ludovico,

Inc. *Divinæ procul, &c.*

URgebat apud Imperatorem Fridericum expeditionem in Terram S. Honorius; eidem rescripserat Fridericus, se alacriore animo illuc iturum, si res inter Regem Galliæ hinc, & Regem Angliæ inde videret compositas; posse enim ex iis Regnis vim magnam militum extrahi.

Misit igitur statim Honorius ad Ludovicum Regem Galliæ Legatum, ut pacem componeret, vel saltem inducias faceret. Et illum, & has Ludovicus respuit.

His ergo litteris queritur Pontifex; atque se nunquam putasse, fore ut Ludovicus primitias Pontificiarum precum esset aspernaturus; se nihil suggessisse, quod in ejus detrimentum redundare posset; se ideo treguas proposuisse, quia videbat ita negotium Terræ Sanctæ requirere.

Videat tamen Philippus, ne Deus ille, cujus causam deseret, graves pœnas ab illo exposcat.

D. Later. III. Non. Aug. P. a. IX. a. D. 1224.

Hortatio ad Regem ne bello prosequatur Angliæ Regem, & ut arma in Albigenses convertat.

LXVIII. Ib. p. 310. HONORIUS III. Ludovicus &c.

Inc. *Utinam fili, &c.*

PRimum quidem rogat Honorius Ludovicum, ut credat eum animo paterno loqui, suumque honorem esse illi summopere cordi,

Deinde eum rogat, ut cieeat se cum illi scripsit, ut bellum motum in Angliæ regem componeret, vel saltem inducias faceret, magis respexisse regium Ludovici decus, emolumentumque, quam Regis Henrici utilitatem.

Cum enim respuerit Pontificis preces, videtur Ludovicus *in contemptus, & elationis vitium incurrisse*, & jam putare casum belli semper sibi futurum esse propitium; quo tamen quid inconstantius? exemplum ab Imperatore Othone desumat; *ejus nomen ab austro ad aquilonem erat formidabile.* Inflatus spiritu superbiæ Fridericum tunc pupillum, nunc Imperatorem aggressus est: rogatus a Pontifice, ne id faceret, prosequutus est bellum; sed turpiter victus fuit, imperium etiam amisit; neque ad A. Sedem, cujus monita spreverat, aditus illi amplius patuit.

Richardus Rex Angliæ provocavit ad bellum Philippum Ludovici Patrem; Philippus Romanæ Ecclesiæ auxilium imploravit, illa dedit, coegitque Richardum pacem inire. Nunc Ludovicus movit bellum in Angliam Rexque Angliæ præsidium Pontificis implorat. Ita est, inquit Honorius,

Ludit in humanis divina potentia rebus,
Victorem a victo superari & sæpe videmus.

Quid quod non levis criminis apud Deum Ludovicus sit reus, dum in causa est, cur tantum detrimenti negotium Terræ S. accipiat? Plurimi enim Galli, plurimi Angli se illuc conferrent, nisi essent domestico bello impliciti.

Cum porro criminum, quæ in perniciem Catholicæ Religionis recidunt, vindex Pontifex esse debeat, non potest, quin Ludovicum admoneat, ut a bello desistat, ut oppresso Regi ignoscat. Si parebit, sciat se promeritu-

ritum ingentia præmia a Deo; si non parebit, paveat, ne Deus insontem Henricum protegat, & victorias hactenus relatas in gravissimas jacturas mutet.

Ait, se ad illum Legatum A. mittere, eum audiat & de hoc negotio, & de aliis.

D. Reate Non. Dec. P. a. IX. a. D. 1225.

Motus his litteris Ludovicus bellum composuit, quod felicius in Albigenses movit.

Rogatur Rex, ne velit bellum in Angliæ Regem prosequi.

LXIX. Ib. p. 345. GREGORIUS IX. Regi Ludovico.

Inc. *Pro prærogativa, &c.*

OMnes superiores Pontifices, qui singulari amore, ut merebatur, prosequuti Regnum Galliæ sunt, testatur Gregorius se velle imitari; ac proinde quæcunque proponet, sibi Rex persuadeat, eum proponere amore Regis famæ ductum.

Ludovici pater cum posset omnes regiones, quas citra mare Angli tenent, capere, monitus benigne ab Ecclesia, ne vellet bellum prosequi, arma deposuit, paruitque Ecclesiæ.

Imitetur patrem suum filius, sciat se esse Regem, ac proinde regere debere, non regi a consiliariis, qui utilitatem tantum proponunt, nullam rationem nominis regii habentes.

Ob reverentiam Ecclesiæ ne moveat bellum contra Anglum.

D. Later. VIII. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1227.

Hortatio ad Regem ad persequendos Albigenses.

LXX. Ib. p. 347. GREGORIUS IX. Illustri Regi &c.

Inc. *Cum dilectus, &c.*

SCripserat Clerus Pontifici, se in Concilio Bituricensi assignasse decimas suorum bonorum Regi donec persequeretur bello Albigenses; cum extinctus fuisset Rex Ludovicus VIII. nolebat eam amplius solvere. Pontifex ratus bene se agere, Legato A. in Galliis scripsit, ut Regem, qui decimam sibi solvi volebat, moneret, ne illam amplius exigeret; dederatque facultatem eidem Legato ulterius progrediendi.

Sed cum accepisset, Albigenses convalescere, mortuum esse Regem Ludovicum acerrimum eorum hostem, mortuum Guidonem Comitem Montisfortis, ac proinde hæreticos amplificandos esse, spretis Cleri querelis, Legatoque inhibito, ne pro Clero loqueretur,

Regi scribit, Clerum in Concilio Bituricensi promisisse se daturum Regi per quinquennium decimam suorum bonorum pugnaturo contra Albigenses; eo mortuo Cleram ad A. Sedem confugisse orantem ab hac solutione solvi;

Sed cum videat, quantum Ecclesiæ intersit, ut Albigenses omnino deleantur, se mandasse Legato suo ut illam exigeret, daretque regi insumendam in bello contra eosdem,

Ad quod illum exstimulat.

D. Later. Id. Nov. P. a. I. a. D. 1227.

In idem argumentum.

LXXI. Ib. p. 352. GREGORIUS IX. Regi Ludovico.

Inc. *Negotium quod, &c.*

NEgotium, *quod agitur adversus Albigenses hæreticos, negotium est pacis, & fidei orthodoxæ, pro qua semper stetit Regnum Francorum tanquam ipsius soliditate fundatum; & progenitores Regis personas posuerunt, & bona causam ad honorem Dei, ac Regni præditi gloriam prosequentes, ita quod ejus devotio universo mundo specialiter existere nuntiatur.* Testis locupletissimus hujus rei est pater Ludovici ipsius.

Ejus ergo exemplo Ludovicus motus voluit, dicare arma sua Deo: inchoatum proinde opus ne derelinquat. Meminerit causam Dei agi, meminerit, quod fecit Nabuchodonosor, qui mortem minitatus est blasphemantibus Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, quem ignorabat. Contundat Albigenses tam graviter Deum, & Ecclesiam offendentes.

Rescribit, se remittere in Galliam Legatum, qui nuper Romam advenerat, quia ita Regi placet; quem Ludovico commendat.

D. Perusii IV. Non. Oct. P. a. II. a. D. 1228.

Tandem Albigensium hæresis in Tolosano comitatu fuit extincta, & hæreticorum fautor acerrimus Comes Raymundus pacem cum Rege fecit; & in Ecclesiam fuit admissus. Apud Raynaldum §. 24. 25. 26. legere est pacta initæ concordiæ cum rege, & reconciliationis cum Ecclesia.

Episcopus Carnotensis rebellantes Magnates compescat.

LXXII. Ib. p. 374. GREGORIUS IX. Carnotensi Episcopo.

Inc. *Etsi juxta, &c.*

MOrtuo Ludovici Regis Patre, Ecclesia susceperat Regem, regnumque in sui protectionem, ita exigentibus regis majorum in Ecclesiam meritis plurimis, & amplissimis.

Ne inutilis hæc Apostolica defensio regi sit, cum accepisset Gregorius quosdam Magnates regem, & reginam, & regnum variis molestiis afficere, & velle hostes in regem excitare ab eo rebellantes mandat præfato Episcopo,

Ut eos Magnates primum paterne moneat, ut ab incœptis desistant, tum nolentes desistere ut eos censuris defigant.

D. Later. IV. Non. Apr. P. a. IV. a. D. 1230.

Pontifex controversiam inter Regem, & Archiepiscopum Rothomagensem componere studet.

LXXIII. Ib. p. 391. GREGORIUS IX. Ludovico &c.

Inc. *Utinam fili, &c.*

ECclesiæ Rothomagensis Archiepiscopus *ex consuetudine hactenus observata* hoc privilegio gaudebat, *ut in spiritualibus, & temporalibus nullum post Deum præter Pontificem judicem habeat.* Quosdam Archiepiscopus excommunicarat, qui ad Regem confugerunt. Rex Episcopum citavit, ut super excommunicatione lata, & aliis quibusdam articulis responderet; qui ostendens suæ Ecclesiæ privilegia respondere recusavit. Eum igitur Rex bonis, & possessionibus ad Ecclesiam eam spectantibus spoliavit. Hæc omnia significarat Archiepiscopus Gregorio;

Qui primum quidem hortatur Regem, ut quoniam inter omnes alios principes *Christianissimus* dicitur, curet etiam factis Christianissimum esse;

Tum dolorem suum ex hoc dissidio Regi significat,

Postea illum monet, ut factum corrigat, neque hoc privilegium, quod semper intactum ejus majores voluerunt esse, lædat;

Eidem testatur Gregorius, si quid contra Archiepiscopum, & hoc privilegium habet Rex, decreturum se quod justitia suaserit;

Demum Regi significat, se Episcopis Parisiensi, & Sylvanectensi mandasse, ut compellerent Regios ministros ad restituenda Archiepiscopo occupata bona; eosque recusantes excommunicarent, provinciamque interdicerent.

D. Anagniæ III. Cal. Dec. P. a. VI. a. D. 1232.

Ita susceptit Gregorius causam Episcopi Bellovacensis, qui fuerat dominio Bellovaci a rege deturbatus, scripsitque ad matrem Blancam Reginam, & ad Ludovicum *sicut narraverunt*; sic eum excitavit, ut Ecclesiæ Narbonensi oppressæ a malis hominibus succurreret, *Mirantes accepimus*; quas quidem litteras quia paucis immutatis eædem sunt, prætermittimus.

Dispensatio super quarto consanguinitatis gradu pro ineundo matrimonio concessa Regi pro Fratre.

GREGORIUS IX. Ludovico &c.

LXXIV. Ib. 415.

Inc. *Dixisse Petro, &c.*

JAm alias rogaverat Rex Gregorium, ut terram, quam in Provincia possidebat Raymundus Tolosanus, quam-

que, dum erat excommunicatus, Rex custodiverat, illi restitueret Pontifex.

Nunc iterum eum rogat, tum quia ipse Comes fiet validior in defendenda Ecclesia, quicum fuerat conciliata, cum quia cum unam tantum filiam habeat, eamque ducere intendat Regis Frater, ea regio jure uxorio devolveretur ad Galliæ Regnum,

Simulque dispensationem Apostolicam super quarto consanguinitatis gradu petit.

Pontifex multa præfatus de sua potestate, expositaque Regis petitione, *licet nihil amplius, quam necessitas dispensantem ad dispensationem inducat*, attenta utilitate, quæ ex hoc matrimonio inter Regem, & Margaretham Comitissam Tolosanam redundatura est in Ecclesiam, attento bono pacis, & fidei, profecturo ex hoc matrimonio de consilio Fratrum dispensationem dat Gregorius.

D. Lat. IV. Non. Jan. P. a. VII. a. D. 1234.

„ In epistola regis petitur dispensatio pro Fratre „ Regis, *quæ carissimo Fratri nostro ex dispensatione* „ *vestra matrimonialiter est copulanda*, & in Bulla di- „ citur Regi, *cum de matrimonio contrahendo inter te* „ *& dilectam filiam.* Et sane Rex duxit in uxorem „ Margaretham.

Ad Regem de treguis cum Rege Angliæ.

LXXV. GREGORIUS IX. Ludovico. lb.

Inc. *Serenitati tuæ, &c.*

JAm alias, dicit Gregorius, se scripsisse ad Regem, ut eum induceret ad pacem faciendam cum Rege Angliæ.

Iterum de hoc Regem orat, quia hoc negotium maxime cordi sibi est, inquit,

Et quoniam pax iniri nequit, nisi induciæ fiant; eum rogat, ut ad triennium inducias faciat.

D. Lat. II. Id. Febr. P. a. VII. a. D. 1234.

Litteras etiam dedit *Zelus Domini* ad eundem Regem Gregorius, quibus eum excitat ad ferendum auxilium Terræ Sanctæ.

Admonetur Rex, ut revocet legem latam contra libertatem Ecclesiasticam.

LXXVI. GREGORIUS IX. Ludovico &c. lb.p.438.

Inc. *Rex qui, &c.*

LEgem tulerat Ludovicus, qua vetabatur, ne subditi confugerent ad forum Ecclesiasticum ad dicendam causam lacessiti, etsi aliqua pœna Ecclesiastica in eos ferretur; jubebatur, ut bona ejus Ecclesiastici qui censuram jecerat, a fatellitio occuparentur, detinerenturque donec latam sententiam revocaret.

Lex hæc perlata ad Pontificem eum movit, ut has litteras S. Ludovico scriberet.

Christus Rex regum, qui propter Ecclesiam suam sanguinem fudit exemplo suo Principes invitat ad Ecclesiam suam honorandam.

Hoc exemplo certe motus Carolus M. Regis prædecessor ita Ecclesiam dilexit, ita Ecclesiasticis favit, ut plurimis privilegiis & eam, & hos donarit. Nimirum etiam recordabatur a Pontifice Zacharia Pipinum patrem suum in regnum fuisse immissum. Proinde voluit ut edictum Imperatoris Theodosii per regnum suum servaretur, nempe ut quicumque vellent, possent adire Ecclesiasticorum tribunalia, & sententias ab Episcopis prolatas servarent.

Etiam successores Caroli, progenitores Ludovici æque devoti in Ecclesiam se ostenderunt, neque res Ecclesiæ unquam ausi sunt quovis prætextu tangere.

Si ergo Ludovicus sanguinem ab illis trahit, habeat ille quoque eamdem in Ecclesiam devotionem, neque se ab illis in ea vinci sinat, sed cum illis certet. Quis unquam ei consulere potuit, ut juberet bona Episcopi contumacem censuris ferientis esse occupanda? Jam si ita est, de libertate Ecclesiastica est prorsus actum, cum impune præcepta laicis transgredi posthac liceat.

Recogitet Ludovicus, se esse a Deo constitutum defensorem Ecclesiæ, non oppressorem, potius illius jura esse augenda, quam violanda; audiat Pontificem loquentem, imiteturque Valentinianum Imperatorem, qui suffraganeis Ecclesiæ Mediolanensis dixit: *talem nobis pontificali constituite in sede, cui & nos, qui gubernamus imperium, sincere nostra submittamus capita.*

Cæterum non potest Pontifex non admonere regem, quale decretum ediderit Honorius Papa III. nempe ut omnes qui edunt aliqua statuta contra Ecclesiæ libertatem nisi ea intra duos menses revocent, sint excommunicati; quæ quidem excommunicatio candelis accensis, pulsatis campanis quovis die dominico festoque est iteranda.

D. Viterbii XV. Cal. Mart. p. a. X. a. D. 1236.

Graves etiam litteras Gregorius Regi scripsit, quia Rex spoliavit jure dicendi jus, puniendi reos Episcopum Bellovacensem, & quia Episcopus quædam onera non solverat, quæ debebat, ejus bona occupari fecerat; eumque monuit, ut antiquum jus Episcopo restitueret, & e regesto suorum prædecessorum hoc illius Ecclesiæ privilegium exscribi fecit & ad regem misit; increpuit etiam Episcopos, quod terram interdicto non suppositerint.

Sed cum Pontifex animadvertisset Regem id male ferre, tacuit.

Rogatur Ludovicus, ne bello petat Navarræ Regem.

GREGORIUS IX. Ludovico &c. LXXVII. lb.p.491.

Inc. *Cum sicut, &c.*

REx Navarræ, qui & Comes Campaniæ erat, crucem assumpserat, votumque ediderat de eundo in Terram S.

Cum accepisset Gregorius, velle Ludovicum bellum in eum movere, dissuadet illum his litteris;

Saltem per quadriennium jussæ treguæ sunt inter principes, excommunicatione denuntiata iis, qui in aliquem Crucesignatum arma inferrent, terrasque ejus invaderent;

Damnum ingens redundaturum est ex hoc bello in Terram S. cum milites, qui illuc ire possent, alii debeant defendere regnum, alii velint impugnare; quod quidem damnum non feret pro sua pietate rex Christo illi, qui pro eo sanguinem fudit.

D. Interamnæ XIV. Cal. Jul. P. a. X. a. D. 1236.

Privilegia dantur Capellæ regiæ.

INNOCENTIUS IV. Ludovico, &c. LXXVIII. lb.p.532.

Inc. *Sicut ex parte, &c.*

GRaviſſimo morbo laborabat Ludovicus, ita ut jam desperarent de ejus salute medici. Mater ejus Blancha partem Crucis Christi, spinasque aliquot de Christi corona, aliasque reliquias sensu pene destituto filio cum fide admovit. Rex de repente convaluit, *postulavitque se signo crucis signari vovens se in Terram S. aditurum.*

Restitutus S. Rex Ludovicus in pristinam sanitatem eleganti opere in regia sacrarium construi fecit, in quo pretiosissima redempti humani generis ea instrumenta, per quæ sanitatem recuperarat, ponerentur, & custodirentur, vectigalia pinguia dedit sacerdotibus, qui ibidem divina peragerent; tum supplicavit Pontifici, ut aliquo privilegio illud sacellum ornaret.

Innocentius, in indicium ejusdem capellæ libertatis decernit, *ut nullus in capellam ipsam, vel personas inibi constitutas, aut constituendas excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententias absque speciali mandato Sedis Ap. faciente plenam de hac indulgentia mentionem promulgare valeat; quas si per præsumptionem cujuscunque promulgari forsan contigerit, A. auctoritate decernit irritas, & inanes.*

D. Later. IX. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1244.

Regi gratiæ aguntur, quod velit bellum in Fridericum movere.

INNOCENTIUS IV. Ludovico, &c. LXXIX. Ad an. 1242. §. 13.

Inc. *Lætentur cæli, &c.*

„ STatuerat Fridericus victis Mediolanensibus, & Par- „ mensibus in Galliam exercitum ducere contra „ Regem Ludovicum Innocentii defensorem. Sed cum „ frustra Parmam obsedisset, amisissetque ibidem magnam sui exercitus partem, quod intendebat animo „ exequi non potuit.

Factus certior de hoc Friderici consilio Sanctissimus Rex Ludovicus sententiam Innocentii exquisivit, an vellet, se ire in Italiam contra Fridericum? se enim, ajebat, esse paratum illum aggredi, & Ecclesiam a tanto tyranno vindicare.

Rescribit Pontifex in hunc modum:

Nunc enimvero dicendum esse, Deum convertisse faciem suam ad Ecclesiam, cum regi tanti nominis, æquiparando cum suis illis majoribus, quorum nomina æternitatis fastis sunt consecrata, hujusmodi immisit consilium, ut velit cum suis fratribus, & nobilibus sui regni, & cum valido exercitu contra acerrimum Ecclesiæ ejusdem hostem Fridericum pugnare.

Reservet Deus hujusmodi inexplicabilem meriti quantitatem illi ad illius retributionem præmii, quo æternorum principum beata noscitur acies coronari. Regem laudibus onerat, illius posteritati bona innumera præfagat;

Eum rogat in suscepto proposito permaneat.

Vult tamen, ne ad iter se accingat, nec exercitum mittat, *quousque super hoc per Apostolicum nuntium, vel speciales litteras votum Sedis Apostolicæ agnoscat.*

D. Lugduni XV. Cal. Jul. P. a. IV. a. D. 1247.

Eadem de causa gratiæ aguntur Reginæ.

LXXX. INNOCENTIUS IV. Reginæ Blancæ, &c. lb. §. 15.

Inc. *Vocibus gementis, &c.*

ETiam mater matrona sanctissima, & spectatissimæ virtutis filios suos æmulari desiderans volebat contra Fridericum ita Ecclesiam affligentem bellum movere.

Laudat summopere studium Reginæ Innocentius, eamque rogat, ut illud foveat, neque extingui patiatur.

Interim bene agi cum Ecclesia, ait, quæ hujusmodi Patronos in regno Galliæ est nacta; nunc enimvero minas Friderici eam posse contemnere; nunc illud adimpleri, quod promisit Ecclesiæ Christus, eam fore semper stabilem, contra eam portas inferi non prævalituras unquam.

Reginam monet, sicut Regem monuerat, ne exercitum moveat, nisi monita fuerit aut per Nuntium, aut per speciales litteras.

D. ut supra.

Reginæ grates aguntur de beneficiis in Pontificem collatis in sua Lugduni mora facta.

LXXXI. INNOCENTIUS IV. Reginæ Blancæ. Ad an. 1251. §. 19.

Inc. *Nota nobis, &c.*

DIscessuro Lugduno Pontifici in Italiam Regina Blanca, quoniam Rex erat in regionibus transmarinis, obtulit milites, qui eum in Italiam & Romam comitarentur; etiam significavit, se ardere desiderio illum videndi, sed se non posse iter illud arripere, quia recreata satis non erat ex morbo recenti.

Respondet Pontifex Reginæ, ac primum quidem extollit ejus studium, devotionemque in Ap. Sedem; pro quo studio, pro qua devotione omnia fausta felicia que a Christo hujus Ecclesiæ sponso sibi, regi, regiæ familiæ, regnoque expectet;

Eam laudat, illique grates agit de oblato exercitu;

Ejus etiam desiderium laudat de itineris Lugdunum versus arripiendi, sed illi consulit, ut salutis suæ rationem habeat, custodiatque se in regis absentia pro regni regimine.

Significat, se quoque summopere cupere cum illa colloqui: sed cupiditatem hanc satiare nequit, quia revocatur Romam, quæ diu jam pastorem suum desiderat.

Eam rogat, ut studium suum in Ecclesiam conservet; ejusque, ejusque filii in se meritorum memoriam ætas nulla, nulla locorum distantia ex animo Pontificis delebit.

Deus eam, filios, subditos sospites velit, & incolumes.

D. Lugduni XV. Cal. Apr. P. a. VIII. a. D. 1251.

Consolatur Pontifex Regem de ejus primogeniti morte.

ALEXANDER IV. Ludovico Regi, &c. LXXXII. ad an. 1250. §. 46.

Inc. *Vox horroris, &c.*

LUdovicus Ludovici Regis primogenitus, qui omnes in magnam sui expectationem erexerat, mortuus erat, dum in Gallia Rex Angliæ Henricus ad fanciendam pacem versabatur, qui humeros in efferendo funere feretro supposuit. Mœrorem maximum concepisse Regem ex hac filii morte, historiæ narrant.

Ad eum solandum scribit illi Pontifex, qui initio statim virtutes Ludovici filii exponit, propter quas in cœlis regnare pium esse credere, ait, ac proinde invidendum potius, quam deflendum esse ejus obitum;

Graviora passus est Rex mira patientia, cum procul a suo regno inter infideles in carcere fuit, nimirum in Terra sancta;

Luctus inanis est, qui defunctum filium revocare non potest.

Subjicienda est divinæ voluntati voluntas nostra, & ex hac moriendi necessitate ille percipiendus est fructus, nempe meritum apud Deum in ferendo patienter, quidquid ille nos ferre voluerit.

Erigat ergo sese Rex, & quoniam dignitate adeo alios antecellit, ita etiam constantia eos superet.

Jam Regia Domus successores habet, qui se regnaturos probe integreque pollicentur, tanti magistri, qualis Rex est; exempla imitaturi.

Abstergat ergo lacrimas, exemplumque christianæ fortitudinis Reginæ det, quæ ob debiliorem sexum majori dolore feriretur.

Suffragia pro defuncto fieri jubeat, ut cito expurgatis, quas ex humana fragilitate potuit contrahere, maculis, citius conspectu Dei frui possit.

D. Anagniæ III. Cal. Mar. P. a. VI. a. D. 1259.

Laudatur Rex quod nolit affinitatem cum Aragonum rege contrahere.

URBANUS IV. Ludovico Regi. LXXXIII. Ad an. 1262. §. 17.

Inc. *Nuper a Viterbio, &c.*

UT iræ, quæ jamdiu inter regem Galliæ, & regem Aragoniæ exardebant, extinguerentur, optimum factu duxerat Ludovicus petere ab Aragonum Rege Jacobo ejus filiam in uxorem filii sui Philippi, & fœdus cum Jacobo inire, cujus fœderis hæ fuerant conditiones initæ, ut Aragonius quidquid in urbibus Carcassona, Biterris, & Amiliano possidebat, Gallo cederet, Gallusque Aragonio quidquid possidebat in comitatu Develandi, Ampuriarum, Rocilionis, Barcinoniæ, & Cathaloniæ. Jamque apud Clarum-montem in Avernia maxima cum pompa erant faciendæ nuptiæ.

Sed cum audisset Ludovicus Aragonium conjunxisse filium suum Petrum cum filia Manfredi acerrimi Ecclesiæ hostis, a cœptis resiliit.

Hac de re monitus Urbanus laudat summopere Regis studium, & devotionem in Ap. Sedem; qui nihili duxerit emolumenta, quæ in regnum suum redundabant ex eo matrimonio, & potiorem Ecclesiæ devotionem duxerit;

Pollicetur illi Pontifex, eum reportaturum a Deo uberrimam tam præclari facinoris mercedem, &c.

„ Desunt notæ Chronologicæ.

„ Ex eo die cogitavit Pontifex transferre regnum „ Siciliæ in regis Fratrem, & ut imminueret poten- „ tiam Manfredi, cui tantum æmulum parabat, & „ ut regi grati animi sui argumentum daret, quoniam „ jam Rex Angliæ Henricus stare conditionibus tergi- „ versabatur.

De concordia inter Reginam, & ejus Levirum Comitem Andegavensem.

URBANUS IV. Reginæ, &c. LXXXIV. Ad an. 1263. §. 2.

Inc. *Nosti filia, &c.*

UT ostenderet Pontifex quanti faceret Regem Galliæ Ludovicum regnum Siciliæ illi obtulit dandum ali-

alicui ex ejus filiis. Cui oblationi non fuit Rex assensus.

Quia Manfredus in dies singulos graviores infert Ecclesiæ injurias, neque Ecclesia eas amplius perferre potest fratri Regis Comiti Andegavienſi Reginæ leviro illud obtulit *de regis conſcientia, & beneplacito*. Jamque approbatæ, confirmatæque sunt.

Sed ne retardetur negotium, prudentis est omnia tollere obstacula. Discordia inter Comitem, & reginam potest esse gravissimum obstaculum. Tollendum est igitur, paxque inter utrumque firmanda, cujus pacis fructus in Ecclesiam, cujus quietis, tranquillitatisque studiosissima Regina est, redundabit.

Depositis igitur mutuis odiis, efficiat Regina, ut tuto possit auxilio Comitis frui Ecclesia; quem fructum acceptum reginæ referet.

D. apud Urbem Veterem XIV. Cal. Dec. P. a. III. a. D. 1263.

Clemens exposcit auxilium Regis.

LXXXV. CLEMENS IV. Ludovico Regi. Ad an. 1265. §. 23.

Inc. *Sicut Pharao, &c.*

CUm Manfredus accepit, Carolum investitum regno Siciliæ fuisse excanduit, nullumque immanitatis genus fuit, quod exercere in Ecclesiam, & in Ecclesiæ subditos non statuerit, & nervis omnibus contendere cœpit, ut e regno dejiceret Carolum; milites cogit, societates init, fœdera sancit, urbes subornat, promittit, minatur.

Ex his omnibus Ludovicus videt, quam necessarium sit auxilium Carolo ferri.

Non multis verbis opus est, ut hoc persuadeatur Regi fratri Caroli &c. satis loquitur natura ipsa, satis sanguis communis.

Hoc unum consideret agi de Ecclesia, cum ille, & hæc in extremis versentur angustiis.

D. Perusii XV. Cal. Aug. P. a. I. a. D. 1265.

Commendat Regi Angliæ Regem.

LXXXVI. CLEMENS IV. Ludovico &c. Ib. p. 66.

Inc. *Occurrunt frequenter, &c.*

GRavissimam seditionem in regem Henricum, ejusque filium primogenitum Eduardum a Baronibus, primoribus, & nobilibus regni Angliæ narrat Clemens Ludovico.

Serpsit ulterius rebellio, & sæviit in reginam, & in Richardum Regis Fratrem, & in aulicos, quorum bene multi honoribus, bonisque fuere spoliati, & ipse Richardus carceri datus.

Quin imo eo audaciæ progressi sunt rebelles, ut iniquissimas conditiones regi proposuerint, adegerintque jurare, se passurum se spoliari regno nisi eas reservasset.

Neque dici potest in rebellium excusationem, eum esse spoliatorem suorum subditorum bonorum, eum esse tyrannum, cum sit humanissimus, & pius.

Videt ergo Ludovicus agi hic de causa communi regum omnium; si impune ferent Angli, animos etiam alii sument turbas in suos reges excitandi.

Quare accingat sese, & ut valido cum exercitu eam in insulam descendat regique, regiæque familiæ, bonis omnibus opem ferat, rebellesque admonet.

D. Perusii IV. Cal. Jul. P. a. I. a. D. 1265.

Non descendit Rex in Angliam, sed auxilium ad regem misit.

Hortatio ad Regem, ut Patrem imitetur.

LXXXVII. GREGORIUS X. Philippo Regi. Ad an. 1272. §. 87.

Inc. *Si eximio, &c.*

MOrtuo optimo genitori Ludovico succesſit Philippus, cui scribit Gregorius,

Supervacaneum videri, se velle Philippo præcepta tradere, cum ejus Pater Ludovicus Rex pientissimus morti proximus præcepta præstantissima dederit.

Ergo Pontifex de hoc uno illum monet, ut præcepta Ludovici patris semper mente revolvat. Sicut enim illa exculta effecerunt, ut regimen ejus esset felicissimum, ita iis semper Philippus adhærens felix regnabit.

Abstineat a vitiis, occasionesque peccandi cane pejus, & angue fugiat. Ita fecit ejus pater; amorque recti, pietasque in Deum, in Ecclesiam devotio ita in ejus animo hæserunt, ut in ejus naturam conversa fuerint; quod accidet etiam Philippo, si sui genitoris sanctitatem imitari studuerit.

D. apud Urbem Veterem III. Non. Maji P. a. I. a. D. 1272.

Suadetur regi pax cum Imperatore Rodulpho.

GREGORIUS X. Philippo, &c. LXXXVIII. Ad an. 1274. §. 61.

Inc. *Pertulit ad nos, &c.*

„ EXoriebantur quotidie novæ bellorum causæ Rodulpho volenti usurpato Imperii jura recuperare vel antiquitus, vel in diuturno interregno a Germaniæ principibus, vel a finitimis usurpata. Quædam „ loca ad Imperium spectantia a Galliarum rege possideri detexerat; eaque vindicare armis parabat ut „ erat ad bellicos labores impiger, & manu strenuus. „ Philippus jam copias coegerat in Germaniam mittendas.

De hoc belli apparatu factus certior Gregorius ad Regem scribit, ne bellum moveat, hoc præcipue tempore, cum de Christi causa agitur, de recuperanda ejus terra; ne mittat in Alemanniam copias;

Illi significat, se mississe nuntios ad Rodulphum, ut illum ad pacem inducerent, *ut si quid in eisdem partibus præsumptum est in Regis, regiorumque injuriam, emendatione celeri taliter corrigatur, quod nulla superesset querelæ materia.*

Hæc suspensio jam nihil Regi nocet, sed potius affert pacis commoda illi, ejusque regno.

D. Lugduni XIII. Cal. Nov. P. a. III. a. D. 1274.

Hortatio ad pacem cum Castellæ Rege.

NICOLAUS III. Regi Philippo. LXXXIX. Ad an. 1277. §. 52.

Inc. *Successor Apostolorum, &c.*

JAm bellum parabatur ingens inceperatque inter Philippum Galliarum Regem, & Regem Castellæ.

Arrepta occasione a more prædecessorum Pontificum mittendi litteras nuntias suæ electionis ad principes, utitur Nicolaus, ut pacem Philippo suadeat.

Illi ergo significat electionem suam Nicolaus seque paratum esse pro rege facere quæcunque poterit, testatur: ita vult amor, quo fertur in Galliæ regem, regnumque, ita prædecessorum Philippi in Ecclesiam merita;

Se non optasse, ait Pontificatum; videt enim, sentitque ejus pondus, sed se felicem existimabit, si in suo Pontificatu omnes principes pacem inter se fovere videbit.

In tantis Ecclesiæ periculis, in tantis Terræ S. angustiis, ne ferrum expediat Philippus in Christianos populos. Non desunt hostes, in quos illud exacuere possit, & gloriosius, & utilius, nempe hostes fidei. In illos copias suas moveat, parcatque Christiano sanguini.

D. Viterbii IV. Non. Dec. P. a. I. a. D. 1277.

Placatur Philippus erga Castellæ Regem.

NICOLAUS III. Philippo, &c. XC. Ad an. 1278. §. 25.

Inc. *Quam amare, &c.*

PAruit Pontifici Philippus, & bellum suspendit, miseratque Tolosam, ubi conventum fuerat, ut articuli pacis fierent, & ederentur, oratores suos. Suos eo mittere noluit Castellæ Rex, quasdam pueriles asserens causas, eam urbem esse ditionis Gallicæ, dignitatem suam lædi, si ibidem pax sanciretur. Graviter id tulit Nicolaus, multoque gravius id tulisse Philippum suspicans, ac proinde atrocius bellum parari ratus, ad eundem Philippum scribit,

Eumque hortatur, ut hanc injuriam contemnat, hanc esse veram magni animi ultionem contemnere, meminerit illud, *quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Quoniam inivit viam pacis, illi insistat. Laudem æqui, modestique principis sibi comparabit.

Scribit Pontifex, se mandasse legatis suis, ut alium locum eligant, quo oratores utriusque Regis conveniant, diemque constituant.

Rogat

Rogat Regem, ne differat in locum eligendum tempore statuto oratores suos mittere.

D. Romæ apud S. Petrum III. Cal. D. P. a. I. a. D. 1278.

„ Ut pax inter Philippum, & Castellæ Regem fieret, mandavit Pontifex Archiepiscopo Turonensi, „ ejusque suffraganeis, ut publicas preces indicerent.

Bulla est apud Raynaldum ad an. 1280. §. 13.

De morte Regis Philippi, & indulgentia data orantibus pro illo,

XCI. HONORIUS IV. ad p. r. m. Ad an. 1285. §. 27.

Inc. *Qualiter hoc, &c.*

„ PErrexerat Philippus in Hispaniam, obviumque habuit Aragonium Petrum, quicum dimicavit; eo „ in prælio vulneratus Rex Petrus fuit, ex quo vulnere periit, dum, ut scribunt Historici, conversabatur cum meretrice: mors hæc celata fuit Gallo, qui „ obsedit Gerundam. Gravis epidemia grassata per exercitum Philippi eum prope ad internecionem delevit; „ male etiam a Gallo pugnatum in mari fuit cum Rodrigo Deloria Duce Petri. Tetro igitur concepto mœrore Rex Philippus Perpiniani obiit dum redibat in „ Galliam.

Cum semper defensor Christianæ Religionis fuerit, justitiæ tenax, probis ornatus moribus, partibus Ecclesiæ addictus, ut fuerant ejus majores, merito ejus mortem deflet Honorius.

Ut in mortuum testetur amorem suum Pontifex iis, qui vere contriti, & confessi *pro remedio animæ dicti Regis orationem Dominicam dixerint*, de injunctis pœnitentiis dies decem misericorditer relaxat.

D. Tiburi III. Non. Aug. P. a. II. a. D. 1285.

Hortatio ad regem, ut legem tollat de præsentia Episcoporum in suis causis.

XCII. NICOLAUS IV. Philippo (*dicto Pulchro*) *&c.* Ad an. 1289. §. 41.

Inc. *Nuper ad nostrum, &c.*

IN Curia regia viris decorata prudentibus non absque juris injuria statutum, seu consuetum esse dignoscitur, quod in ea nulli prælatorum regni per procuratorem quamcumlibet legitime constitutum agere liceat, vel actionem etiam modicam quomodolibet intentare; proinde coguntur annis singulis causis ipsis durantibus per longi temporis spatium moram in illa pertraherc personalem, & ab Ecclesiis suis per consequens abesse non absque detrimento permaximo animarum.

Jam statutum hoc utpote alienum a jure, dissonum æquitati & damnosum populis non est tolerandum, *præsertim cum Deo displiceat, & claris titulis deroget regiæ auctoritati.*

Regem igitur rogat Nicolaus, ut illud abroget, permittatque Prælatos, quod faciunt reliqui omnes regni subditi, causas suas per procuratorem agere posse; cum certe magis debeat esse cordi Regi animarum cura, quam Prælati deserunt, dum litibus vacant, quam hujus statuti observantia.

D. Romæ apud S. M. Maj. Id. Apr. P. a. II. a. D. 1289.

Permittitur Clero Galliæ, ut regi subveniat.

XCIII. BONIFACIUS VIII. Archiepiscopis, Episcopis &c. per Galliam, &c. B. M. p. 2. vel c. 9. p. 112.

Inc. *Pridem ad nostram, &c.*

„ UT celebris hujus controversiæ, quæ fuit Bonifacium inter, & Philippum Pulchrum Galliarum „ regem habeatur series, ab hac constitutione incipiendum, quæ revera esset ponenda inter Constitutiones „ ad Ecclesiam Gallicanam attinentes.

„ Robertus Flandriæ Comes cum ingenti exercitu in „ Galliam irruperat. Philippus in gravi nummorum „ difficultate erat; bellum enim gesserat cum Rege Aragonio, & cum Eduardo Angliæ Rege, & exercitum pararat contra Adolphum Imperatorem, qui „ Galliæ invadere minabatur.

Illius regni præsules, ut opem ferrent Regi suo in iis angustiis versanti supplicarunt Pontifici, ut sibi liceret subsidium pecuniarium suppeditare Philippo, præsertim cum periculum ingens imminebat regno, quæ quidem ruina etiam Ecclesias regni involvisset.

Bonifacius id illis permittit, dummodo *de forma, modo, & quantitate* hoc subsidium colligendi, erogandique ad Ap. Sedem scriberent.

Jam Episcopi antea omnia Pontifici scripserant.

His ergo litteris Pontifex, approbatis forma, modo, & quantitate conferendi, & colligendi subsidii, iis facultatem requisitam dat.

D. R. apud S. Petrum Id. Maji P. a. I. a. D. 1297.

Declaratio constitutionis, qua vetabatur Laicis imponere exactiones bonis Ecclesiasticis.

BONIFACIUS VIII. Archiepiscopo Rhemensi, ejusque suffraganeis. XCIV. Ib. p. 112.

Inc. *Etsi de statu, &c.*

VIx ac dederat eam facultatem Bonifacius Galliæ Clero subsidium pecuniarium regi dandi, ad ejusdem Cleri aures pervenit, Pontificem edidisse constitutionem, qua excommunicabantur laici, qui imponerent exactiones Clericis, & Ecclesiastici suspendebantur, si eas contulissent, (Est hæc constitutio in c. de immunitate ecclesiastica *Clericis laicos.*)

Hæc constitutio motum non parvum excitavit in Gallis; videbatur enim Pontifex eam fecisse contra Regem Philippum, & Clerum regni; qui quidem Clerus avebat regi suo hostibus circumvento opitulari. Poposcit ergo a Pontifice editæ constitutionis vim; nam si periclitaretur regnum, essetne recurrendum ad Pontificem? & si interim Rex vel aliquid exigeret, vel Clerus aliquid sponte daret ad subita pericula avertenda, essetne ille excommunicatus, hic suspensus?

Vim ergo ejus constitutionis declarat Bonifacius: nimirum si periclitetur regnum, tunc ad ejus conservationem dari posse ab Ecclesiasticis regi subsidia, *etiam inconsulto Romano Pontifice;*

Addit autem, in præjudicium animæ ipsius regis redundaturum quidquid exiget, vel retinebit præter id, quod regni defensioni sufficiat.

Prælatis ergo Ecclesiæ Gallicanæ jubet eligere duos, aut unum ex ipsis ad colligendas has exactiones dandas Regi.

D. apud Urbem Veterem VII. Id. Febr. p. a. III. a. D. 1297.

„ Secundum hanc Pontificis explicationem clerus Gallicanus existimans necessitatem Regis esse urgentem, „ decrevit, dandam eidem esse decimam unius anni „ in futura media quadragesima partem unam, & aliam „ in instanti.

„ Quod Pontifex sciens clerum laudavit, & ejus decretum de solvenda decima Regi per annum eam „ confirmavit. Supersedeo afferre Bonifacii litteras.

Facultas datur Regi in Cathedralibus, & Collegiatis Regni beneficium unum Clerico conferre.

BONIFACIUS VIII. Philippo &c. XCV. Ex Bonif. Ep. 49. L. 2.

Inc. *Quia nos, &c.*

UT sibi animum Regis Bonifacius devinciret, si exasperatus edita constitutione *Clericis laicos* esset, facultatem illi dat,

In omnibus sui regni Cathedralibus, & collegiatis Ecclesiis clericum aliquem sibi bene visum Sacerdotio donare, hoc est, aliquod beneficium in iis Ecclesiis illi dare.

Vult beneficium in singulis Ecclesiis unum tantum esse, vult provisum esse bonis moribus ornatum.

Per hoc non intendit præjudicium afferri capitulis, quorum erat beneficia suarum Ecclesiarum conferre.

D. apud Urbem Veterem IV. Non. Nov. P. a. II. a. D. 1297.

Si Rex hanc regni neceſſitatem non poteſt ob ætatem videre, decernant Eccleſiæ prælati, conſiliarii &c.

XCVI. Ib. §.50. BONIFACIUS VIII. Archiepiſcopo, &c.

Inc. *Romana mater, &c.*

NE autem ſcrupulus aliquis oriri poſſit, num hæc neceſſitas ſit hic, & nunc, Rex decidere debet; quam ſi imminere videt, inconſulto Romano Pontifice exactionem poſſit imponere, teneaturque clerus illam ſolvere.

Quod ſi rex ob teneram ætatem diſcernere non poſſit, utrum hæc neceſſitas adſit, vel non, tunc Prælati regni, conſiliarii, tutores Regni decidant.

Eorum conſcientiam, ſicut etiam regis, ſi poterit per ætatem, onerat Bonifacius, ſi præter prædictam neceſſitatem eas ſolutiones præſtandas clero imponat.

D. apud Urbem Veterem XI. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1297.

Ut rex liberetur a captivitate, poſſit exactiones imponi.

XCVII. Ib. BONIFACIUS VIII. Archiepiſcopo &c.

Inc. *Ut omnia, &c.*

PRæter prædictum neceſſitatis caſum, alium addit Pontifex, in quo poſſint clero hujuſmodi onera imponi, nempe ut Rex, vel ejus filius aliquis, aut filii, aut ſucceſſores ad Regnum e captivitate hoſtium liberentur.

Tunc Prælati, & magnates Regni audita pecuniæ quantitate, quam pro libertate danda hoſtes poſtulabunt, clericis hanc ſolutionem imponere poſſint.

Nulli ergo, &c. Siquis autem, &c.

D. apud Urbem Veterem VI. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1297.

Abrogare legem, ne Eccleſiaſtici pecunias extra regnum mittant, Rex rogatur.

XCVIII. A. an. 1297. §. 40. BONIFACIUS VIII. Philippo &c.

Inc. *Exiit a te, &c.*

EDictum publicari fecerat Philippus, quo vetabatur generatim extractio pecuniarum, & certarum rerum a regno, *& de regno non oriundis eodem converſatio ſolita impediebatur.*

Alias jam ſcripſerat de hoc Pontifex Philippo, ſed generatim de conſervanda libertate Eccleſiaſtica. Nunc edictum ipſum aggreditur.

Si, inquit, edictum eo conſilio factum eſt, ne pecunia feratur extra regnum ad regni hoſtes, optimum edictum eſt; ſi de nummis laicorum eſt intelligendum, eſt laudandum; at ſi eſt etiam de nummis bonorum Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum intelligendum, *de quibus diſponendi illi non attributa poteſtas, ipſius edicti ſententia explicetur.* Et quaſi crimen ingens Philippus patraſſet extractionem vetando, eum redarguit Pontifex, undenam hoc didicerit? num a ſuis progenitoribus? *Sumne iſta præſidia, quæ rependis Eccleſiæ? Eſt iſte modus acceptus, per quem regiæ dignitatis fama clareſcat, ac te, & regnum tuum Deo, & hominibus reddas gratum?*

Quare corrigat hæc Rex; neque hanc conſtitutionem ſiniſtra interpretatione intelligat, quod faciunt quidam ex ejus conſiliariis; Nil intelligit aliud Pontifex, niſi ejus gloriæ, ejus ſaluti animæ conſulere.

D. Romæ apud S. Petrum VII. Id. Febr. P. a. III. a. D. 1297.

Mandatur duobus prælatis cenſuras jacere in Regem, ſi eo edicto teneri etiam Eccleſiaſticos vult.

BONIFACIUS VIII. Bernardo Albanenſi, & Simoni Prænestino Epiſcopis Nuntiis AA. XCIX. Ib. §. 16.

Inc. *Fraternitati veſtræ, &c.*

JAm facultatem dederat Pontifex Antiſſiodorenſi Epiſcopo, & Philippi confeſſario regem abſolvendi ab excommunicatione, quam incurriſſet, ſi intelleziſſet prædicto edicto includi etiam Eccleſiaſticos, cum neceſſario mittenda ſit Romam pecunia eorum clericorum, qui ſunt in Pontificia curia, beneficiatorum.

Nunc Nuntiis ſuis mandat, ut diligenter inquirant, an Rex, & ejus officiales tacite, vel expreſſe inhibeant, ne ea pecunia ex Eccleſiaſticis bonis, vel a perſonis Eccleſiaſticis miſſa extrahatur. Si id eos juſſiſſe repererint, eum, & illos excommunicent, *tamquam impingentes aperte in Eccleſiaſticam libertatem.* N. O.

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Febr. p. a. III. a. D. 1297.

Rex monetur, ne intolerabilia onera Eccleſiis imponat.

BONIFACIUS VIII. Philippo &c. C. Ad an. 1299. §. 51.

Inc. *Dudum Celſitudini, &c.*

MEmorat regi Bonifacius, ſe dum bello eum urgebant, illi facultatem dediſſe ſubſidia a clero exigendi, omnium præbendarum, & beneficiorum in regno redditus unius anni percipiendi.

Sed cum, jam bello finito, audiat a prælatis regni querelas fieri, ſe æque gravari a Rege, ac ſi bellum adeſſet, immo iis onera importabilia imponere, eum monet, ut deſiſtat, præcipue cum officiales, quos mittit ad ea colligenda, plus æquo colligant, & onera graviora reddant.

D. Later. V. Cal. Febr. p. a. V. a. D. 1299.

De electione Archiepiſcopi Rhemenſis, & de juramento clientis dando ab illo Regi.

BONIFACIUS VIII. Philippo &c. CI. Ib. §. 24.

Inc. *Sicut regiam, &c.*

RObertum de Cortiniaco, *præpoſitum, decanum, & capitulum Eccleſiæ Rhemenſis unanimiter, & concorditer ad ejuſdem Eccleſiæ regimen elegerant.*

Qui electioni conſentiens ad Apoſtolicam Sedem, ut tenebatur acceſſit, pro confirmatione electionis obtinenda.

Sed coram Pontifice ductus ſaniore conſilio *omne jus, quod ſibi fuerat ex* electione quæſitum, ſponte ac libere in manibus Pontificis reſignavit.

Accepit Pontifex reſignationem, ſed conſideratis meritis Roberti precibuſque ipſius Rhemenſis Eccleſiæ, ipſum Robertum de eadem Eccleſia providit.

Ait Pontifex ſe ſperare, hanc proviſionem fore gratam Regi.

Eum illi commendat,

Tum illum rogat, ut diem ipſi *ad clientis ſacramentum præſtandum extrahat.*

D. Later. IV. Cal. Maj. p. a V. a. D. 1299.

Mandatur Regi, ut Appamienſi Eccleſiæ bona reſtituat.

BONIFACIUS VIII. Philippo &c. CII. Ad an. 1301. §. 28.

Inc. *Secundum divina, &c.*

SEcundum divina, canonica, & humana jura Eccleſiarum prælati, & perſonæ Eccleſiaſticæ tam regulares, quam ſæculares, in quibus laicis nulla eſt attributa poteſtas multa debent libertate, & immunitate gaudere. Et hoc laudabilium prædeceſſorum Philippi *tempore ſervabatur.*

Tanto autem magis dolet Pontifex ab exemplo ſuorum majorum diſcedere Philippum, quanto magis eos ampli-

amplificavit, & auxit; unde deberet Deo eſſe gratior ejuſque miniſtros impenſius fovere. At ille contra facit.

Appamiarum enim Epiſcopum ad ſe trahi fecerat, *quem ſub colore ſecuritatis perſonæ ipſius cuſtodiendum* commiſit Narbonenſi Archiepiſcopo ejus Metropolitano.

Rogat Philippum Pontifex, ut eum Epiſcopum ad curiam liberum venire permittat, omniaque bona ad eum, & ad ejus Eccleſiam ſpectantia occupata vel ab ipſo, vel ab ejus miniſtris eidem reſtituat.

Eum monet ut *manus occupatrices cohibeat, ne offendat majeſtatem divinam, nec Apoſtolicæ Sedis dignitatem, ne cogatur* Pontifex *aliud remedium adhibere, illudque ſciat quod niſi ad Juam excuſationem aliquid rationabile coram d. Sede propoſitum fuerit, vel oſtenſum, & præmiſſis veritas ſuffragetur, quia incurrerit ſententiam canonis propter injectionem temerariarum manuum in dictum Epiſcopum,* ad alia remedia confugiet.

Illi ſignificat, ſe mandaſſe Archiepiſcopo Narbonenſi, ut præfatum Epiſcopum ad curiam mittat.

D. Later. Non. Dec. P. a. VII. a. D. 1301.

Invitantur Prælati, Doctoreſque Galliæ ad Synodum habendam coram Pontifice.

CIII. B. M. a. 5. vel t. 9. p. 116. BONIFACIUS VIII. Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Capitulis Cathedralibus, ac doctoribus in Theologia, & in jure Canonico, ac civili de regno natis eodem.

Inc. *Salvator mundi, &c.*

„ COnſulturus Eccleſiaſtici ordinis dignitati, cum
„ Rex Epiſcopatuum vacantium redditus regio fi-
„ ſco interret, ac jura Eccleſiaſtica ſibi arrogaret, de-
„ crevit Bonifacius Synodum cogere. Ita S. Antoninus
„ 3. p. t. 20. c. 8. §. 20. de Philippo loquitur: *Epi-*
„ *ſcopatus vacantes cum eſſent, bona Epiſcoporum di-*
„ *ripiebat, & inveſtituras eorum facere volebat. Quam-*
„ *obrem Bonifacius, ut magnanimus & audax, nemi-*
„ *nem timens cœpit contra eum agere tamquam inimi-*
„ *cum Eccleſiæ, & ad efficacius procedendum vocavit*
„ *per litteras Apoſtolicas, & nuntios ſpeciales omnes*
„ *Epiſcopos, & Prælatos Franciæ ad urbem ad cele-*
„ *brandum concilium.*

Imitans, inquit Bonifacius, cujus eſt in terris Vicarius, Chriſtum Pontifex, ſicut Deus legem Moſaycam inſtituit, & poſtea eam abrogavit, poteſt ſic Pontifex dare gratias, & eas revocare, præcipue ſi ſint collatæ indignis, iiſque turpiter abutentibus.

Præterea non ita ſe adſtringit Pontifex in concedendis gratiis, ut eas revocare amplius non poſſit.

Cum ergo quædam indulta, proviſiones præcipue beneficiorum, & retentiones bonorum Eccleſiaſticorum vacantium toto vacationis tempore, & exactionis ſuper bonis Eccleſiaſticis conceſſiſſet Bonifacius Philippo in defenſionem ſui regni, hiſque indultis abutatur in gravamen Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, illa indulta nunc ſuſpendit, præcipue cum jam opera ſua Angliæ regem ad pacem cum Philippo ineundam pertraxerit, neque opus ſit, ut eadem indulta amplius perdurent.

Vetat proinde Eccleſiarum prælatis quicquam quocumque ſub titulo decimæ, vigeſimæ, ſubſidii, doni gratuiti dare eidem Regi.

Extinctionis horum privilegiorum peremptorium terminum indicit ad calendas Novembris anni venturi.

Jam ante promotionem ſuam ad Pontificatum multa audierat Pontifex, & multa relata ſibi Pontifici fuerunt *ſuper exceſſibus, culpis, inſolentiis, injuriis, atque damnis, quæ prælatis, Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis regularibus, & ſæcularibus in regno Franciæ conſtitutis per Philippum regem, & per ſuos officiales inferuntur.* Ad iis providendum de conſilio Fratrum duxit prælatos, & doctores prædictos coram ſe evocare.

Ergo eos omnes, & ſingulos monet, rogat, & hortatur, & in virtute ſanctæ obedientiæ iis præcipit, *quatenus in Calendis Novembris proximo futuris, quas pro peremptorio termino illis aſſignat, inſtructi, & informati ſuper præmiſſis, & aliis, ſuper quibus inſtructionem, & informationem ſuam viderint opportunam Archiepiſcopi, Epiſcopi, doctores, & magiſtri perſonaliter veniant, & capitula mittant procuratores ſuos, ut ſuper præmiſſis, & ea contingentibus poſſit habere eorum conſilia,* quoniam ſunt regi ſuſpecti, *& tractare, & ſtatuere quæ ad honorem Dei, & S. Sedis, & augmentum Catholicæ fidei, conſervationem Eccleſiaſticæ libertatis, ac reformationem regis, & regni, correctionem*

præteritorum exceſſuum, & bonum regimen regni ejuſvidebuntur expedire.

Illis ſignificat, ſe ſcripſiſſe regi, *ut ſi rem ſuam agi putaverit in præmiſſis,* vel per ſe, vel per fideles ſuos habendæ ſynodo interveniat.

Eos monet, ne deſint, nam in eos procedet, ut viderit expedire in Domino.

D. Laterani Non. Dec. p. a. VII. a. D. 1301.

Abbates etiam invitantur.

BONIFACIUS VIII. Ciſtercienſi, Cluniac. Præmonſ. S. Dionyſii, ac Montis Majoris Abbatibus &c. CIV. Ex Epiſ. Mont. L. 3 Ep. 104.

Inc. *Quoniam nos, &c.*

PRædictis Abbatibus quoque notum facit Pontifex, quæ facere conſtituerit, ut libertati Eccleſiaſticæ in regno Galliæ oppreſſæ conſulat.

Quoniam eorum monaſteria injuriis & damnis fuerunt a Philippo affecta, ipſi quoque veniant inſtructi &c.

D. eadem die.

De excuſationibus admittendis abſentium, & de Academicis.

BONIFACIUS VIII. Archiepiſcopis &c. CV. Ep. 105.

Inc. *Cum nos, &c.*

QUia non omnes poterant venire doctores, quod jam prævidebat Bonifacius, ideo ſcribit iiſdem prælatis multa, e quibus hæc tantum verba excribimus:

Illos doctores, ſeu magiſtros in jure canonico, & civili ab hujuſmodi perſonali comparitione volumus excuſatos haberi, qui coram ſuis ordinariis ſe duxerint excuſandos legitime, & ſuper hoc fidem fecerint coram eis. Impedimenta vero legitima, ſiqua, quod abſit, vobis Archiepiſcopis, & Epiſcopis electis, & Abbatibus, vel veſtrum alicui, vel aliquibus evenirent, probari legitime volumus coram nobis ab illo, vel illis, quos ad hoc duxerimus deputandos.

De Academicis vero hoc eſt de profeſſoribus in Academia Pariſienſi ita decernit:

Diſcretioni veſtræ committimus, quatenus vel duo, vel unus veſtrum, præſertim tu, Cancellarie, providere poſſitis de tot, & talibus doctoribus, & magiſtris ut Pariſiis remaneant ad actu regendum ibidem de quot, & de quibus videritis providendum, ita quod tam utile ſtudium, & famoſum doctores ſufficientes habeat in Theologia & in canonico jure. Per hoc autem tu Cancellarie ſtatuto tempore venire perſonaliter ad noſtram præſentiam non omittas.

D. ut ſupra.

De his omnibus admonetur Rex.

BONIFACIUS VIII. Philippo &c. CVI. Ib. §. 30.

Inc. *Nuper ex rationabilibus, &c.*

EXemplum litterarum miſſarum ad clerum Galliæ mittit Bonifacius ad Regem, *Salvator mundi.*

Rogat regem, ne turbetur, cum id faciat utilitatis publicæ cauſa.

Eum admonet de termino, in quo prælati venturi ſunt in curiam.

D. ut ſupra.

Eraſa e publicis regiſtris juſſu Clementis V. fuit illa Bulla.

Reprehenduntur multa regis crimina.

BONIFACIUS VIII. Philippo &c. CVII. B. R. t. 5. vel p. 9. p. 116.

Inc. *Auſculta fili, &c.*

REprehendit Bonifacius Philippum, quod a more ſuorum majorum diſceſſerit, & oblitus ſit, quod in ſuſcipiendo baptiſmate pollicitus fuerat, ſe renuntiare diabolo, & mundo.

Eum monet, ut submisse subjaceat Hierarchiæ Ecclesiasticæ;

Excusat sese, si eum arguit; cum enim constitutus sit a Deo speculator domus Israel, se non posse, ait, silere, vel dissimulare quin judicis magni iram incurrat; quæ *contra sacros canones in Nuntios, Prælatos, Comites & domesticos Pontificis patrat*, egestatem Ecclesiæ Lugdunensis ab eo inductam propter nimias impositiones, reddibus vacantium beneficiorum usurpatos, *quos per abusum appellat regalia*;

Inhibitionem injustam factam alienigenis, ut non possint bona propria e regno extrahere;

Interdictum factum, ne pecunia efferatur e regno.

Ait, se evocasse prudentes viros e Gallia, ut Romam veniant ad Calendas Novembris, ut cum illis consulat quid sit agendum;

Eum monet, ne abutens vocabulo appellationis ad futurum concilium, aut ad Pontificem melius informatum, & animatum, interim omnia sus deque impune misceat;

Eum hortatur, ut quosdam, qui sua tantum respiciunt, non quæ sunt Dei, ne audiat, *respiciat Rex præsentia, memoret præterita, prævideat futura*.

D. Laterani Non. Dec. P. a. VII. a. D. 1301.

Exemplum proxime superiorum litterarum mittitur ad Clerum Gallicanum.

CVIII. Bull. p. 32. BONIFACIUS VIII. Archiepiscopis, Episc. Abbat. Doct. &c.

Inc. *Ex rationabilibus, &c.*

AD omnes, quos invitaverat Romam litterarum ad regem missarum exemplum Bonifacius mittit:

Ideo autem illud ad eos mittit, ut secundum criminum capita, quæ in prædictis litteris recensentur, informationem capiant, & Romam eam secum deferant.

D. Later. VIII. Id. Dec. P. a. VII. a. D. 1301.

De Episcopo Appamiarum in carcerem detruso.

CIX. B.M. p. 5. vel t. 9. p. 120. BONIFACIUS VIII. Philippo &c.

Inc. *Deum time, &c.*

„ EPiscopus Appamiensis Nuncius A. in Gallia, quia *insolentius dixerat* regi, eum esse subjectum Pontifici non modo in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, fructus beneficiorum eum retinere non posse, fuit in carcerem conjectus.

„ Bonifacius ad hæc audita hanc Epistolam scribit ad regem (quam tamen nonnulli superiorum litterarum *auscultа fili* partem esse putant.) Nos eam exscribemus verbo ad verbum;

Deum time, & mandata ejus observa. Scire te volumus, quod in temporalibus, & spiritualibus nobis subes; Beneficiorum, & præbendarum collatio ad te nullo modo spectat; & si aliquorum vacantium custodiam habeat, fructus eorum successoribus reserva; & si quæ contulisti, collationem hujusmodi irritam decernimus, & quantum de facto processerit, revocamus. Aliud autem credentes hæreticos reputamus.

D. Lat. Non. D. P. a. VII. a. D. 1301.

Ib. p. 123. ## REGIS RESPONSIO.

Philippus D. G. Francorum Rex Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice salutem modicam, seu nullam.

SUpradictis Bonifacii litteris ita respondet Rex Philippus:

Sciat maxima tua fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse; Ecclesiarum, & præbendarum collationes ad nos jure regio pertinere: fructus earum nostros facere, collationes hactenus factas a nobis, & in posterum faciendas fore validas in perpetuum, & in futurum; & earum possessiones nos viriliter tueri contra omnes; secus autem credentes fatuos, & dementes reputamus.

D. Parisiis.

Querelæ Bonifacii, quod Episcopi Galliæ nolint Romam venire.

CX. §. 37. BONIFACIUS VIII. Archiepiscopis &c.

Inc. *Verba delirantis, &c.*

„ REx congregavit magnates regni, magistratus, „ milites, prælatos, eosque interrogavit a quo „ sua feuda, & bona tenerent? illi responderunt, a „ Rege, qui juravit pro sui regni juribus se vitam per„ fusurum, idemque jurarunt omnes. Tunc iterum re„ novavit Rex edictum, ne pummi extraherentur e „ regno,

„ Omnes invitati a Bonifacio Romam decreverunt „ scribendum esse Pontifici, se non posse illum adire; „ e quibus litteris hæc excerpit Raynaldus §. 12. ad „ an. 1302. *Nobis cæterisque personis Ecclesiasticis supradictis, necnon & baronibus, œconomis, syndicis, & procuratoribus communitatum, & villarum, & aliis sic juxta præmissæ vocationis formam ad mandatum regium hac die martis decima præsentis mensis Aprilis in Ecclesia B. Mariæ Parisiensis in præsati regis præsentia constituris, idem dominus rex proponi fecit cunctis audientibus palam, & publice, sibi ex parte vestra fuisse inter alia per prædictos Archidiaconum (Narbonensem) & litteras intimatum, quod de regno suo, quod a solo Deo ipse, & prædecessores sui tenere hactenus recognoscunt, temporaliter vobis subesse, illudque a vobis tenere deberet; nec contenti verbis hujusmodi sic mirabilibus, sicque novis, & inauditis a stilo apud incolas dicti regni, sed eaproducere satagentes executionis in actum præ„ latos prædictos, ac magistros in Theologia, & pro„ fessores utriusque juris oriundos de regno prædicto pro „ corrigendis excessibus, necnon & pro culpis, insolentiis, injuriis, atque damnis, quæ prælatis, Ecclesiis, „ Ecclesiasticisque regularibus, & sæcularibus in regno „ constitutis eodem, & alibi per ipsum dominum regem, ac officiales, seu balivos ejus, atque a Paribus, „ baronibus, comitibus, aliisque nobilibus, universitatibus, & populo dicti regni illata præmittitis, emendandis, ad vestram præsentiam evocastis; &c.* Concludunt demum se venire non posse.

Quare Bonifacius hæc ad illos scribit:

Utcumque injuriola, & fœda sint filiæ delirantis in matrem verba, nec matris puritas inficitur, nec amor ejus in filiam extinguitur, sed misericordia genitrix in illam movetur,

Quæ in Parlamento Parisiis convocato mendicatis suffragiis, ne vocati ad vocationem Sedis Apostolicæ venirent, jam delata ad Pontificem fuerunt, fuerunt etiam delata, quæ contra illum, & Ecclesiam dicta sunt, & quæ præcipue eyomuit *Filius Belial Petrus Flore semividens, & mente totaliter excæcatus, & quidam alii prædicaverunt sanguinem sitientes populi Christiani*, qui cæci, & duces cæcorum Philippo ducatum præstant.

Videant prælati, an possint vi suæ professionis matri suæ deesse, & *obedientiæ filialis nervum obtundere*, & curare ut magis placeant hominibus, quam Deo.

Etiam ipsi, qui unitatem Ecclesiæ curare deberent in ea concione multa declamarunt, quibus *velle eamdem Ecclesiæ unitatem dissirabere, & tunicam inconsutilem Christi discerpere videntur*. At hujusmodi prælati talibus in matrem suam dictenis tatis se indignos produnt iis præbendis, quibus eos Ecclesia ornavit.

At in vanum laborant ii omnes, qui contra integritatem Ecclesiæ obloquuntur,

In vanum sese extollunt, *disponentes ab Aquilone sedem erigere contra Vicarium* Christi, *corruent quantacumque fulciantur potentia*.

Eos demum monet, ut æterna respiciant, non temporalia, ut *ascendant ad cor altum, & exaltabitur Deus, qui dissipat consilia principum & reprobat cogitationes populorum*.

D. Lat. Id. Oct. P. a. VIII. a. D. 1302.

Eo tempore edidit Bonifacius celebrem constitutionem *Unam Sanctam*, quam vide c. *de Conclavi* p. 1. p. 384. XXXVII.

Excom-

Excommunicantur impedientes eos, qui venire Romam volunt, ne veniant.

CXI. ad an. 1302. §. 14. BONIFACIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Excommunicamus, &c.*

„ VEterat Philippus, ne invitati a Pontifice, ut „ Romam venirent, irent illuc. Bonifacius „ edidit excommunicationem hanc, in qua licet Phi„ lippum non nominet, tamen apparuit contra illum „ esse evulgatam.

Ergo excommunicat eos omnes, qui quocunque modo impediunt, vel impedire nituntur venientes Romam, qui eos spoliant, qui illis minantur &c. Non obstantibus quibuscumque privilegiis impedientes gaudere possint, ne excommunicentur.

Excommunicat eos omnes, qui vel per se, vel per officiales suos eos retinebunt, efficientque ne evectiones illis dentur, demum quicunque vel directe, vel indirecte eorum iter impedient; sint cujuscunque dignitatis, & gradus.

Vetat Ecclesiarum prælatis sacramenta iis administrare, suspendunturque ab officio ea illis ministrantes.

Actum Laterani in festo Dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe P. a. VIII. a. D. 1303.

Ab impactis in se criminibus se purgat Pontifex.

CXII. B.M. t. 5. vel p. 9. p. 117. BONIFACIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Nuper ad audientiam, &c.*

NArrat Bonifacius, die Festo S. Joannis Baptistæ Regi Philippo aulicorum caterva stipato *in jardine regio multa crimina in se fuisse denunciata, rogatumque Regem, ut consilium super hoc apponeret, & convocaret Concilium generale*; & præfatum regem, aliosque ibi præsentes assensum præbuisse.

His litteris Bonifacius se purgare nititur ab affictis sibi criminibus, & præcipue ab hæresi; hæresis enim quoque insimulabatur.

Cur hæreticus, inquit Pontifex, fingitur Bonifacius ille, qui *heri, & nudius tertius erat innocens, & impollutus?* Quia beneficiis heri, & nudius tertius afficiebat regem; vix ac eum increpuit, suspenditque in pace beneficia data tempore belli, colligendi decimas, percipiendi fructus vacantium beneficiorum &c. statim hæreticus jactatur!

Fuse Bonifacius exponit, quam grave crimen sit de Vicario Christi maledicere, & quidem falso.

Imo ad hæresim accedere ipsum Philippum, ait Pontifex: recepit enim Stephanum de Columna excommunicatum contra mandata A. Sedis, nihilique duxit excommunicationem, quam denuntiaverat Bonifacius incursuros illos, qui eundem Stephanum recepissent, & cum illo egissent;

Jam satis argui ex eo, quod nolit Philippus reprehendi, parum in illo pietatis, parum religionis inesse. Non ita enim restiterunt Ambrosio Archiepiscopo Mediolanensi, Nicolao Pontifici, & Innocentio Papæ Imperatores Theodosius, Lotharius, Fridericus;

Demum testatur, se, non ideo quod Philippus minetur se convocaturum esse Concilium, aut appellaturum esse ad Pontificem canonice electum, passurum, ut Rex impune contra jus, fasque agat, se non omissurum, quæ Pontificis partes sunt, adimplere & exequi.

D. Anagniæ Cal. Sept. P. a. IX. a. D. 1303.

Mittitur Cardinalis Legatus in Galliam cum facultate absolvendi Regem.

CXIII. §. 15. BONIFACIUS VIII. Joanni tit. SS. Marcellini, & Petri Presbyt. Card.

Inc. *Cum te, &c.*

COnsuetis formulis alia bulla constituerat Bonifacius Legatum in Gallia prædictum Cardinalem fidens ejus prudentiæ, probitati, doctrinæ &c.

Nunc hac Bulla illi mandat, cum intellexisset Regem Philippum esse excommunicatum, si requisitus a

rege fuerit, ut juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium illi impertiatur.

D. Later. VIII. Cal. Dec. P. a. VIII. a. D. 1302.

Jam hæc capita data fuerant Legato, ut posset conveniri de concordia cum Philippo; summa capita attingemus;

I. Rex revocet edictum vulgatum de itinere Romam versus vetito Prælatis;

II. Restituat omnia aut per se, aut per ministros occupata;

III. Potiorem in quibuscumque beneficiis vacantibus vel in curia, vel extra disponendis partem habere Pontificem, & sine ejus auctoritate nulli jus super iis acquiri declaret,

IV. Declaret, jus esse Pontifici mittere quos vult, quando vult, quo vult Legatos, quin requirat assensum eorum principum ad quos eos mittit.

V. Relinquat administrationem bonorum Ecclesiasticorum Ecclesiasticis, & ab ea removeat laicos; & Ap. Sedem posse de illis disponere, nullius assensu requisito, fateatur.

VI. Declaret, nulli principi licere censere bona Ecclesiastica, & Ecclesiastica jura occupare, vel trahere ad judicium sæculare Ecclesiasticos;

VII. Ne impediatur spiritualis gladius prælatorum, ut eo libere uti non possint, & specialiter in monasteriis sive locis, quorum guardiam rex ipse recipit;

VIII. Rex per se, vel per procuratorem compareat coram Pontifice innocentiam suam ostensurus de combustis bullis Pontificiis, quibus erat appensa in plumbo imago Pontificis cum faciebus BB. Petri, & Pauli;

IX. Significetur regi, velle Pontificem revocare omnia privilegia bullata concessa regi, ejusque successoribus ab omnibus Pontificibus;

X. Promittat se non dissipaturum bona Ecclesiarum, & tempore vacationis earum se moderatas expensas facturum;

XI. Restituat gladium spiritualem Episcopis, non obstantibus privilegiis regibus Galliæ concessis, quod non possint ab Episcopis excommunicari;

XII. Moneatur rex de mutatione monetæ bis a temporibus paucis in magnum damnum prælatorum, Ecclesiarum, &c.

XIII. Lugdunensi Ecclesiæ restituat jura sua antiquæ.

XIV. Moneatur, nisi intra certum terminum hæc rex emendarit, Pontificem provisurum statuendo, ordinando, declarando, & procedendo spiritualiter, & temporaliter prout, & quando videbit expedire.

Quisque concipere mente potest, quid senserit de his articulis Philippus. Respondit ad eorum singulos, quæ responsa cum non placuissent,

Pontifex defert querelas suas Carolo Comiti Alanzonensi.

CXIV. ad an. 1302. §. 32. BONIFACIUS VIII. Carolo Comiti, &c.

Inc. *Litteras dilecti, &c.*

SIgnificat præfato Comiti Bonifacius, se recepisse litteras a suo Legato cum Philippi responsionibus ad singulos articulos &c.

Se iis responsionibus valde fuisse commotum, cum veritati contradicant, nec æquitati consonent;

Se decidisse illa spe, quam habuerat ab ipso Comite, cum dicessit e Romana Curia;

Sed nisi rex corrigat eas responsiones, se processurum in eum spiritualiter, & temporaliter.

D. Later. VI. Cal. Mar. P. a. IV. a. D. 1303.

„ Episcopi cum sciviissent quos proposuerat articulos „ regi Pontifex, illi scripserunt, ut daret operam „ concordiæ ineundæ, scandalisque tollendis; patris „ esse, monebant, ferre, vel dissimulare aliqua filiorum peccata; hanc discordiam nocere pietati, fovere vitia; & ex ea plurima mala in religionem proficisci; amore esse regendos Christianos.

Rex, exulare jusso e suo regno Legato A. appellavit per publicum instrumentum ad futurum Concilium & ad Pontificem melius animatum, legitime electum, & non hæreticum. A qua criminatione hæresis se purgavit Bonifacius (v. supra *nuper ad audientiam*.)

Archiepiscopus Nicosiensis exstimulator Philippi privatur dignitate.

CXV. §. 37. BONIFACIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Quanto in Ecclesia, &c.*

QUo altiorem gradum in Ecclesia obtinet quis, tanto magis illi studere debet.

Gerardus tamen Archiepiscopus Nicosiensis oblitus dignitatis ab Ecclesia acceptæ, oblitus muneris sui defendendæ ejusdem, *vilipendens Pontificem*, illique *illudens* ad partes Burgundiæ properavit, *ibique audito*, *quod* Philippus Francorum rex a Pontificis, & S. Sedis reverentia deviabat, & *se reddebat* rebellem, eum *callidis commentis ad hujusmodi rebellionem instigat*, & *fovet in ea*.

Ex hac mora in aula regis, quam facit Archiepiscopus, videns Bonifacius damna ingentia spiritualia, & temporalia in præfatam Ecclesiam redundare, ipsum ab administratione ejusdem Bonifacius suspendit ad suum, & A. Sedis beneplacitum, ita ut ejusdem fructus percipere nequeat,

Alias contra eum nihilominus processurus, prout cervicositatis suæ culpa exegerit, sibique expedire videbitur. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Anagniæ XVIII. Cal. Sept. P. a. IX. a. D. 1303.

Magistri ne dent lauream in Academia Parisiensi.

CXVI. §. 38. BONIFACIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Sedes Apostolica, &c.*

BEneficia collata fuisse plurima a se, & a prædecessoribus suis regibus Galliarum, ait Bonifacius, sed male his beneficiis Philippus respondet, & quo plura, & majora ea sunt, eo ingratior ille est.

Quia Rex Magistros in Theologia, & in jure in suam rebellionem trahere nititur, & jam multos traxit, & eos, quos trahere nequit, e regno exulare jubet,

Mandat Pontifex iisdem Magistris, & doctoribus, ne quemquam ad doctoratum admittere debeant, donec rex in sua inobedientia perstiterit,

Irritumque decernit quidquid contra hanc constitutionem Doctores, magistrique facient. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Anagniæ XVIII. Cal. Sept. P. a. IX. a. D. 1303.

Vacantibus Ecclesiis providendi jus sibi reservat Pontifex.

CXVII. §. 39. BONIFACIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Sedes Apostolica, &c.*

MUltos prælatos adhærentes Bonifacio ejecerat e regno Philippus, multos jam habebat suarum partium studiosos. Qui adhærebant Philippo, adhærebant spe moti, se nominandos esse a rege in aliquam Ecclesiam.

Bonifacius, ut rationem hanc conciliandi sibi Ecclesiasticos Philippo adimat, declarat omnium Ecclesiarum vacantium, & vacaturarum provisiones sibi reservare;

Vetatque universis & singulis, ad quos nominatio, institutio, confirmatio spectat, nominare, instituere, & confirmare quemcunque, qui a Pontifice non sit provisus.

Irritum decernit quidquid aliter fiet,

D. ut supra.

Sanctio de citatione reorum.

CXVIII. §. 48. BONIFACIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Rem non novam, &c.*

JAm alias sancitum fuit, ut contumax haberetur, qui ne accipiat citationem, se abscondit, qui impedit, ne ad se perferatur,

Ut quamlibet excusationem non comparendi, quia citatio facta voce non fuit citatio, tollerent prætores, jusserunt, eam in album relatam publice exponi, ut a prætereuntibus legi posset, voluerunteque citatum hoc modo esse revera citatum, ac proinde declararunt esse contumacem, si non compareat.

Pontifex ergo, ut excusationes amputet, hoc idem, quod prætores decreverant, sancit, cum sciat, quosdam esse posse, qui efficient, ne citationes perveniant ad citatos, nimirum

Ut censeatur citatus personaliter ille, cujus citatio in album relata fuerit affixa januis majoris Ecclesiæ illius loci, in quo residet Romana Curia, ad quam cum ex omnibus nationibus advenæ veniant, facile citationis nuntius venire ad eum poterit, qui citatur, N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. ut supra.

„ Hæc quoque constitutio facta est contra Philippum, qui omnes citationes, quas mittebat Bonifacius, intercipiebat, nec volebat citatis eas dari.

Præcedens constitutio mitigatur.

CLEMENS V. ad p. r. m. CXIX. ex Lit. Clem. 753, p. 1.

Inc. *Quoniam sicut, &c.*

QUia fieri sæpe potest, ut nemo, qui citationem in Curia legit, transeat per ea loca, in quibus sunt citati rei, vel ob difficultatem itinerum, vel ob cœli inclementiam, vel quia a militibus pugnantibus obsessæ sunt viæ, reique de citatione admoneri nequeant, nimisque acerbum videtur, citatum debere censuras enuntiatas a Bonifacio incurrere, Clemens decernit,

Eas censuras afficere tantum reos illos, qui darent operam, ne citatio ad se deferretur.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Lugduni Id. Febr. P. a. I. a. D. 1306.

Expositio criminum Philippi, ejusque excommunicatio.

BONIFACIUS VIII. ad p. r. m. CXX. B.M. t.5, vel p. 9, p. 118. B.R. t.3, p. 2. p. 103. C. C.

Inc. *Super Patri, &c.*

CUm spectet ad Pontificem tanquam Medicum secare infectum membrum, ne & alia ab illo corrumpantur, debet Bonifacius, ita exigentibus malis Philippi operibus, severe in eum agere, & a cœtu fidelium eum removere.

Ne autem videatur id temere facere Bonifacius, causas affert, quare eum excommunicet.

Cum Philippus spoliaret libertate Clericos, & Ecclesiam Gallicanam, & eorum, & hujus jura violaret, occuparetque bona, Pontifex eum correxit per nuntios regios, qui erant in Romana Curia; cum nihil profecisset Bonifacius, misit ad eum *Notarium suum*, *quem animo infrunito Rex male habuit*.

Spoliavit venientes Romam contra Pontificum decreta, qui excommunicationem denuntiant molestantibus recurrentes ad A. Sedem; cui sententiæ Pontifex Nicolaus subjecit Imperatores, & reges, & ipse Bonifacius jampridem sententiam confirmarat (v. supra *excommunicamus*).

Philippus vetuit, ne Episcopi Romam venirent, minitatusque illis est, si venissent, Id quoque vetitum fuit fieri a Pontificibus sub excommunicationis pœna.

Pontifex, ut Philippum reduceret ad bonum tramitem, ad eum misit Cardinalem Joannem t. SS. Marcellini & Petri *oriundum ex Gallia amicum Regis*, qui eum absolveret, & proponeret concordiæ articulos; respuit Philippus articulos, absolutionem respuit oblatam a Cardinali, & *regio banno eum subjecit*.

In carcerem conjecit Abbatem Cistercienſem, quia jura S. Sedis tutabatur; in vincula detrusit Appamiarum Episcopum ob eandem causam, & Capellanum ejusdem Cardinalis in compedibus detinuit, quia Ap. Sedem defendebat;

Retinet apud se Stephanum de Columna, & alios ejusdem familiæ jam excommunicatos, eorumque consilia Ecclesiæ inimica exequitur;

Philippum ergo ob hæc gravissima crimina in excommunicationem incidisse Bonifacius declarat;

Subdi-

Subditos a fidelitatis juramento liberat,

Vetat Ecclesiasticos a Philippo nominatos beneficia illa adire, & administrare, adeuntesque illa, vult tanquam eorum invasores pœnis Ecclesiasticis subjici;

Omnia fœdera ab illo cum principibus facta irritat;

Processumque hunc ad omnium notitiam publicari mandat.

Actum Anagniæ in aula nostri Palatii VI. Id. Sept. P. a. IX. a. D. 1303.

Restitutio privilegiorum ab antecessore Bonifacio abrogatorum Regi.

CXXI. B.M. t.5. p. 9. p. 121. BENEDICTUS XI. Philippo &c.

Inc. *Ut eo, &c.*

„ SImul ac accepit Philippus, in Pontificem fuisse electum Benedictum, ad eum litteras misit, quibus illi gratulabatur de accepta dignitate; se, suumque regnum devotum esse in illum scripsit, seque testatus est fidelem Ecclesiæ filium. Quædam de acerbitate Bonifacii conquestus est. Se, familiam suam regiam, Gallicanam Ecclesiam, regnumque illi commendavit. Benedictus, de quo hæc scripsit S. Antoninus 3. p. tit. 20. c. 9. in principio: *Is prius vocatus est Nicolaus, qui in sæculo fuit vilissimæ conditionis de Trevisio (alias Tarvisio) & inde Venetias accessit, pueros docens in grammaticalibus, ut paupertatem suam sustineret. Ingressus autem ordinem Prædicatorum non segniter conversatus virtutibus, & scientiæ se dedit, ut in modico tempore doctissimus evaserit, magnæ memoriæ, & acris ingenii, omnibus amabilis, & in ordine per omnes dignitates ascendens ex superiore prior effectus, ex prioratu conventuali ad provincialem ascendens, inde in magistrum ordinis generalem electus a Bonifacio VIII. propter scientiam, & probitatem suam inter Cardines terræ constitutus, demum Cathedram Petri ascendit.*) mitis ingenii nihil magis cordi habuit, quam discordias cum Rege Philippo tollere.

Ergo miserrime mortuo Bonifacio, reservationem beneficiorum *certis ex causis* factam A. Sedi, irritationem omnium beneficiorum, collationum ab aliis, quam a S. Sede factarum, quæ omnia jusserat Bonifacius, revocat Benedictus;

Restituitque Regi jus provisionum beneficiorum

Collationesque factas tempore Bonifacianæ inhibitionis a Rege ratas habet. N. O.

Nulli ergo, &c. Siquis autem, &c.

D. Perusii III. Id. Maj. P. a. I. a. D. 1304.

„ Plura alia acta & decreta Bonifacii Benedictus rescidit, ad quod se hac ratione impulsum fuisse ait „ in Epist. cur. 44. *Quia Prædecessor ipse de Fratrum „ suorum consilio statuta non edidit supradicta, eadem „ communicato fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica totaliter duximus suspendenda.*

D. Later. XIX. Cal. Febr. P. a. I. a. D. 1304.

A censuris Bonifacianis absolvuntur Galli.

CXXII. ad an. 1304. §. 10. BENEDICTUS XI. ad p. r. m.

Inc. *Cum sicut, &c.*

CUm totum fere Regnum Galliæ fuisset a Bonifacio excommunicatum, Prælati, Capitula, Magistri, Doctores, quia noluerant Romam venire, Nobiles, Barones, officiales quia adhærebant Regi, quidam etiam, *quod in cautione Bonifacii se reddiderant culpabiles*,

I. Benedictus attendens *utilitates, & commoda, quæ ex eodem regno, dum in devotione ipsius Ecclesiæ perstitit, Ecclesiæ prædictæ provenerunt*,

II. *Quodque propter evitandum scandalum, præsertim ubi multitudo deliquit, est aliquid severitati detrahendum*,

III. *Speransque insuper, quod Rex, & incolæ tanto Deum, & dictam Ecclesiam studebunt per amplius, & devotius revereri, quanto eadem Ecclesia misericordius, & gratiosius egerit cum eisdem*,

Sanctissime, & prudentissime Prælatos, Barones, Comites, Officiales, Doctores ab excommunicationis vinculo absolvit, eosque restituit communioni fidelium, & Ecclesiæ Sacramentis.

Vult eos gaudere singulos suis privilegiis, juribus, dignitatibus &c. quibus eos per excommunicationem Bonifacius privaverat.

Guillelmo de Nogareto Milite, cujus absolutionem sibi, & Sedi Apostolicæ specialiter reservat, dumtaxat excepto.

D. ut supra.

„ Speciales etiam Bullas edidit, quibus absolvit regem, Academiæ restituit jus doctorandi; Clericis „ aperuit aditum ad beneficia &c.

„ Hæc fuit celebris controversia inter Philippum, & „ Bonifacium.

Litteræ consolatoriæ ad Reginam de morte Filii.

JOANNES XXII. Clementiæ Reginæ &c. CXXIII. ad an. 1316. §. 14.

Inc. *Si finem, &c.*

„ INtra paucorum mensium spatium duo funera viderat Regina Constantia viri Philippi, & filii „ Joannis. E mœrore morbum conceperat.

Eam solari nititur Pontifex

I. Ex humanæ naturæ fragilitate. Dolor hic si superstum, est accipiendus, si mortuum, superstitibus dandus. Si prævisa jacula minus feriunt, cum nihil sit morte certius, vix ac aliquis nascitur, ita nos conformare debemus, ut ejus mortem semper expectemus;

II. Puer convertit planctum in gaudium. Quot mutarent conditionem cum illo! commutet Regina planctum pro filio in gemitum pœnitentiæ, merebiturque eum in cœlis gloriosa videre.

D. Avin. Die XXVIII. Nov. P. a. I. a. D. 1316.

De duobus viris a Rege commendatis promotis ad Cardinalatum.

JOANNES XXII. Philippo Regi Franciæ, & Navarræ. CXXIV. Ibid. §. 19.

Inc. *Adveniente nuper, &c.*

JAcobum, & Petrum Rex Philippus commendarat Pontifici, ut eos Cardinalatu decoraret. Sese excusarat Pontifex, si eos statim non fecisset.

Nunc *cum advenisset jejuniorum observantia solita* ad eum scribit, se illos Cardinales creasse.

Tum monet Regem, si ad eos non mittit rubrum pileum ne minetur. Nam prædecessores Pontifices nunquam consueverunt pileum mittere Cardinalibus extra Curiam. Fuit quidem ad duos missus ex Gallis; sed ii erant A. Sedis Nuntii in Anglia. Et pileum ad eos misit Pontifex, ut eorum dignitatem augustiorem redderet.

Præterea Arnoldus aliquid debebat agere etiam in aula Gallica, debebatque esse simul cum Episcopo; ut præferretur Episcopo, ornandus erat pileo rubro.

Nulla ex his causis cum sit in creatis ad preces regis, si non mittit ad illos Pontifex pileum, ne gravate Rex ferat.

D. Aven. Die XX. Dec. P. a. I. a. D. 1316.

De modo standi in Ecclesia, & sanctificandi dies festos.

JOANNES XXII. Philippo Regi. CCXXV. ad an. 1317. §. 3.

Inc. *Nosti fili, &c.*

PUlcherrima monita dat Regi Joannes.

Ecclesia Dei est Sancta, est Domus orationis; ergo non debet rex, dum missæ præcipue assistit, cum aulicis colloqui; sed debet reverenti obsequio eam audire, Deum orare, & simul cum Sacerdote Deo sacrificium devote offerre; ergo non admittat colloquium aliorum, sed eos comprimat.

Mittat post acceptam regiam unctionem gestus leves pristinos, & agat, quæ digna rege sunt; induat Epitogium longum, ut in hoc se suis conformet progenitoribus.

Ne permittat diebus festis judicia fieri, & intendi radendis, ac tondendis barbis, & capit ibus; nam

dies

dies festi præcipue dedicati divino cultui his rebus profanandi non sunt. Sanctificatio Sabbati jubetur in decalogo.

Hæc igitur rex corrigat, & fieri diebus festis vetet.

D. Aven. XV. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1317.

„ Multi nobiles conjurarunt in regem Philippum. „ Pluribus litteris conatus est Joannes eos ad officium „ redigere. A nobis prætermittuntur, quia sunt fere „ omnes similes, de obedientia præstanda Regi, ut subditos decet.

Consolatur Pontifex regem Carolum de morte Fratris.

CXXVI. Ad an. 1322. §. 23. JOANNES XXII. Carolo Regi, &c.

Inc. *Affectu benigno, &c.*

SIgnificarat Joanni mortem Regis Philippi fratris sui Carolus. Antequam moreretur, commendarat se Pontifici, ut suffragiis fidelium adjuvaretur.

Conatur Pontifex consolari Carolum a probitate vitæ, quam duxit Philippus, a patientia, qua diutini morbi dolores pertulit, a devotione, qua sacramenta sumpsit: quæ omnia in spem Carolum adducere debent, ut credat fratrem suum esse salvum.

Ergo deponat Carolus gemitum, & voluntatem suam Deo ita volenti subdat;

Se certe, testatur Joannes, oraturum esse pro ejus fratre, effecturumque, ut etiam Cardinales pro illo orent.

Tum quædam monita Carolo dat: nempe sciat se esse hominem, dignitatemque regiam eum non eximere a divino servitio, quod quisque mortalium debet Deo præstare: sentiat ergo de se dimisse;

Meminerit, se esse morti obnoxium, ut quilibet de plebe illi est obnoxius; si hanc in mente habebit, omnia munia adimplebit recte;

Meminerit, se redditurum esse de se, de regimine tanti regni rationem Deo,

Ecclesias tutetur;

Conformet se ad virtutes, & iis exercendis assuescat,

D. Aven. VI. Id. Febr. P. a. VI. a. D. 1332.

De divisione statuta inter Ludovicum Bavarum, & Fridericum Austriacum.

CXXVII. Ad an. 1325. §. 5. JOANNES XXII. Carolo Regi.

Inc. *Diligenter percepimus, &c.*

„ IN suspicionem inciderat Joannes se efficere velle, „ ut Rex Galliæ Imperator eligeretur; & ideo no„ luisse approbare electionem Imperatoris Friderici; „ qui liberatus a Ludovico fuerat, cum audivit electo„ res velle eligere Imperatorem, & eam dignitatem „ Carolum ambire. Tunc Albertus Austriæ Dux Fra„ ter Friderici pacem inter electos reges constituit, mul„ tos Germaniæ principes in fœdere cum iis conjun„ xit, convenerunteque electi ut alter haberet Imperium „ Germanicum, alter Italicum. Fœderis hujus nun„ tius gravissime Pontificem pupugit; videbat enim „ triumphantem Ludovicum, & statum Ecclesiæ in „ gravi periculo; Italicum enim regnum dabatur Lu„ dovico.

Scribit Pontifex Regi Galliæ se id accepisse ex ejus litteris, & etiam e litteris, quas acceperat ex Alemannia.

Monet ergo Carolum, ne nuncium hunc spernat; agi de summa rerum; posse electos vires conjungere, & negotium ingens regi facessere nisi provideat.

Milites paret, & antequam duo imperia Alemannicum, & Italicum conjungantur, præveniant, excutiat torporem; vigilandum est in tanto negotio.

D. Aven. III. Cal. Aug. P. a. X. a. D. 1325.

De pace inita inter Regem Galliæ, & Angliæ.

CXXVIII. Ad an. 1325. §. 12. JOANNES XXII. Archiepiscopo Viennensi, & Episcopo Arausicano A. S. N.

Inc. *Lætanter fraternitati, &c.*

LÆtatur summopere Pontifex pacem tandem aliquando fuisse factam inter prædictos reges, fa-

ctamque fuisse ope Spiritus S. retur, quia in die Pentecostes facta fuit.

Permittit autem Nuntiis in partibus illis moram trahere, donec a Rege Odoardo homagium præstitum Regi Angliæ fuerit.

D. Aven. IV. Non. Junii P. a. X. a. D. 1325.

Conditiones pacis hæ fuerunt,

I. Ut rex Carolus retineret omnia loca, quæ vicerat,

II. Ut Rex Galliæ illi homagium præstaret pro Ducatu Aquitaniæ. v. *Aquitaniam.*

De legatione Friderici Austriaci petentis confirmationem Imperialis electionis.

JOANNES XXII. Carolo Regi &c. CXXIX. ad an. 1326. §. 7.

Inc. *Regali magnificentiæ, &c.*

„ CUm videret Fridericus Joannis animum prorsus es„ se a Ludovico Bavaro alienatum, legationem ad „ Pontificem erat missurus, cujus legationis princeps „ futurus erat Albertus Frater suus: postulaturus erat, „ ut electionem suam in regem Romanorum confirma„ ret. Interim Archiepiscopi Moguntinus, & Colonien„ sis præmiserant ad Pontificem oratores, qui eum de „ hac legatione monerent, eumque rogarent, ut ele„ ctionem Friderici confirmaret. Oratores satis aperte „ viderant animum Joannis nimis alienum ab hac con„ firmatione, ejusque responso ad Archiepiscopos mis„ so Fridericus ab ea mittenda destitit,

De hac legatione scribit igitur Pontifex ad Carolum, quem ad Imperium promovere satagebat.

Eique significat responsum quod dederat oratoribus Archiepiscoporum: nempe se esse paratum agere pro Friderico omnia, quæ justitia exigit, seque ejus electionem confirmaturum, si postularetur opportune.

Tum eidem regi significat, inter hanc moram obstacula plura nasci posse, cur Friderici postulationi satisfieri non possit;

Interea se scripturum, ait, esse illis, ne eorum devotio ideo torpescat in Pontificem, & in Ecclesiam.

D. Aven. IX. Cal. Sept. P. a. XI. a. D. 1326.

De pace cum Rege Angliæ.

JOANNES XXII. Carolo, &c. CXXX. lb. §. 13.

Inc. *Ad nostram, &c.*

ACceperat Joannes, Regem Carolum arma parare contra Eduardum Angliæ Regem res in Vasconia novantem. Hujus rei causa hæc fuit.

„ Uxor Eduardi erat Isabella soror Caroli. Illa præ„ textu pacem inter virum, & fratrem conciliandi ex „ Anglia in Galliam venerat; cum diutius in Gallia „ morari videretur quam par esset, primum quidem „ epistolis, tum nuntiis accersivit Reginam, quæ re„ spondit, se nolle redire, nisi prius expulisset e re„ gno Hugonem Ledespensierum, qui dominabatur E„ duardo ipsi omnibus exosum, a quo regina dicebat „ sibi injurias fieri, & insidias parari. Noluit Rex il„ lum ejicere, noluitque Regina in Angliam redire. „ Arma ergo ut cogeret regem Galliæ eam dimittere „ in Vasconia parabat Eduardus; jamque turbare pa„ cem cœperat.

Joannes ergo ad regem scribit, ne velit tam cito pacem factam dissolvi; se missurum legatos ad utrumque Regem, qui pacem component.

D. Aven. Cal. Sept. P. a. X. a. D. 1326.

De exitu ab Urbe Ludovici Bavari, & de Populo Romano.

JOANNES XXII. Carolo, &c. CXXXI. ad an. 1328. §. 50.

Inc. *Post plures, &c.*

QUæ acceperit ex Urbe, narrat Joannes Regi.

Die quarta mensis Augusti Ludovicus Bavarus *cum ignominia, & dispendiis* exivit urbe, eamque ingressi sunt Stephanus de Columna, & Bertholdus de filiis Ursi, qui adeo effecerunt, ut populum pœniteret, se recepisse Bavarum, illique favisse.

Cardinalis legatus ingressus est Urbem die Dominica immediate sequenti, magna vi populi comitante eum,

eum, & exclamante, *Vivat sancta mater Ecclesia, & sanctissimus pater Papa Joannes, ac Cardinalis legatus, & moriantur Petrus de Corbaria, hæretici, & Patarini, ac alii proditores.*

Tum rescissa sunt omnia acta a Bavaro, & a Corbario.

Sudarium Jesu Christi, quod per aliquos Romanos servabatur in Ecclesia B. Mariæ Rotundæ fuit a Card. legato magna cum devotione deportatum in die B. Laurentii ad Basilicam S. Petri.

Quare agendæ sunt gratiæ maximæ Deo de tanta rerum immutatione.

Præter litteras legati, accepit etiam ex Nuntiis, hæc ita evenisse.

D. Aven. V. Cal. Sept. P. a. XII. a. D. 1328.

Consolatur Pontifex Reginam de morte Regis.

CXXXII. lb. §. 68. JOANNES XXII. Joannæ Reginæ Franciæ, & Navarræ.

Inc. *Infesti rumoris, &c.*

„ REges quinque intra annos quindecim erant mor„ tui in regno Galliæ, Philippus Pulcher, Ludo„ vicus Hutinus, Joannes, Philippus Longus, & Ca„ rolus IV.

Tristissimum se nuntium accepisse, scribit Reginæ Joannes, ejus virum Carolum fuisse fato functum immaturo. Ne mœrore contabescat Regina, eam solatur Joannes

I. Ab humana conditione obnoxia morti, juvenes, senesque, subditi regesque pari fato tolluntur. Gallica aula est testis, quæ intra annos quindecim quinque regia vidit funera,

II. A brevitate vitæ; vita nihil aliud est quam cursus ad mortem.

Hæc si regina secum reputabit, se solabitur; multo magis solabitur, si meminerit, Carolum munitum omnibus sacramentis fuisse mortuum; magnamque spem esse, nunc beatorum in patria vivere.

D. Aven. X. Cal. Mar. P. a XII. a. D. 1328.

Gratulatio de victoria e Belgis relata.

CXXXIII. lb. §. 70. JOANNES XXII. Philippo Franciæ, &c.

Inc. *Sane fili, &c.*

„ BEllum rebellantes Belgæ renovarant; qui ad „ tentoria usque Regis pervenerant, parumque „ abfuit, quin caperetur. Sed conglobati Galli hostes „ ejecerunt magnamque eorum ediderunt stragem.

De hac victoria gratulatur Philippo Joannes, qui ex narrata irruptione Belgarum usque ad tentorium regis argumentum desumit suadendi regis, eam victoriam profectam fuisse a Deo, proinde illum excitandi ad gratias Deo agendas, ad recte justitiam administrandam, ad curanda summa diligentia quæ sunt Dei, & ad ejus Ecclesiam defendendam.

Eum in captivos Belgas monet, ut clementia utatur, qua nulla in rege admirabilior virtus est.

D. Aven. VIII. Id. Sept. P. a. XIII. a. D. 1328.

De lectione sacræ Scripturæ, & de tuenda Ecclesia.

CXXXIV. lb. §. 71. JOANNES XXII. Philippo, &c.

Inc. *Accedit nobis, &c.*

ACceperat Pontifex, sacrorum librorum lectioni vacare Philippum.

Ejus consilium laudat, & ex historiis antiquorum regum in testamento veteri relatorum ait, eum addiscere posse rationem agendi bella, regendi populos, ab iis vitiis cavendi, quæ regnis nocent.

Etiam in defendendis Ecclesiarum juribus erat sollicitus.

Ideo quoque eum commendat; quam quidem sollicitudinem ut semper habea, eum hortatur.

D. Aven. VI. Id. Dec. P. a. XIII. a. D. 1328.

De Nunciis Ludovici, & Populi Romani.

BENEDICTUS XII. Philippo Regi. CXXXV. ad an. 1335. §. 14.

Inc. *Benigne receptis, &c.*

VIx electo Pontifici & Ludovicus de Bavaria misit oratores pro concordia cum Ecclesia ineunda, & Populus Romanus, ut Benedictus induceret animum Romam redire.

De utroque negotio certiorem Pontifex Regem facit.

Oratores populi orarunt, ut rediret, nimium diu Roma, ubi divina providentia voluit Apostolatus sedem esse, Pontifices abfuisse; cogunt ii provinciarum Episcopos identidem visitare sacra limina Apostolorum, ipsi autem ea visitare contemnunt;

Pontifex habito consilio cum Fratribus, quia nolebat oratores inanes dimittere, iis respondit, se iis responsurum Calendis Octobris.

Consulit Regem, quid sibi sit faciendum.

Legatos Bavari, ait, fuisse dimissos, quia non erant instructi super iis quæ spectant ad decus Ecclesiæ, ad indemnitatem Roberti regis Siciliæ.

Rex proponat, si quod negotium habet cum Ludovico, quod velit in suam utilitatem definiri, cum ejus legati instructi redibunt.

D. apud Pontem Sorgiæ Aven. Dioc. II. Cal. Aug. P. a. I. a. D. 1335.

„ Ex historia scimus, Regem dissuasisse Pontifici reditum Romam.

De conciliatione Ludovici, & de quæstione de visione Beatifica.

BENEDICTUS XII. Philippo, &c. CXXXVI. lb. §. 72.

Inc. *Æstimamus equidem, &c.*

DEsiderium suum ineundæ concordiæ cum Ludovico ostendit Regi Benedictus,

I. Et quia videt utilitatem magnam ex hac concordia in Ecclesiam redundaturam,

II. Et quia jacturam tot animarum fictis oculis videre nequit.

Scribit, se recessurum ad Pontem Sorgiæ, ut ibi vacare possit quietius, attentiusque solutioni quæstionis de visione beatifica, seu faciali.

Significet rex, si quod negotium habet aut pro se, aut pro rege Siciliæ Roberto, quod velit peragi cum oratoribus Ludovici.

D. Aven. V. Cal. Nov. P. a. I. a. D. 1335.

De fœdere cum Ludovico non faciendo.

BENEDICTUS XII. Philippo, &c. CXXXVII. ad an. 1336. §. 32.

Inc. *Cum fiducia, &c.*

„ ANepte sua uxore Ludovici rogatus fuerat Phi„ lippus patruus, ut pacem cum Ludovico face„ ret, & fœdus iniret; libenter illud fecisset. Philip„ pus, ut eum a societate cum Anglo divelleret. Prius „ tamen interrogavit Pontificem, an sibi esset hoc „ fœdus faciendum.

Respondet Pontifex, fœdus cum Ludovico non posse non esse utile Philippo, sed non esse faciendum, antequam Ludovicus Ecclesiæ non concilietur;

I. Quia omnes fautores, adhærentes &c. Ludovici sunt excommunicati;

II. Quia cum Ludovicus sit privatus omnibus dominiis, si moreretur, fortasse futurus Imperator, ut sententiam Joannis exequeretur, posset occupare ejus statum, ejusque filii ad ipsum Philippum confugerent;

III. Si fœdus fiat ante reconciliationem, difficilius se conciliabit Ludovicus cum Ecclesia; auctus enim tanto fœdere eam parum curabit facere,

IV. Cum Ludovico sunt antea conciliandi principes Germaniæ; nam periculum imminet, ne hostes Ludovici fiant hostes etiam Philippi; tunc partas detrimentum, quam utilitatem ex hoc fœdere rex accipiet. Prius ergo tentandi sunt principum animi, quid de hoc fœdere sentiant.

Mittat Rex nuntium ad Pontificem, qui sensa Regis referat.

Cæte-

Cæterum non est in hac fœdere prætereundus Robertus Siciliæ Rex avunculus Regis, quicum simultatem Ludovicus habet.

D. Aven. CX. Cal. Dec. P. a. II. a. D. 1336.

Multa nota fiunt Regi.

CXXXVII. Ad an. 1337. §. 12. BENEDICTUS XII. Philippo Regi.

Inc. *Hæc quæ, &c.*

HÆc fuerant delata ad Pontificem, qui statim ea Regi scribit;

Ludovicum Bavarum cedere imperio, sed sibi retinere Alemanniæ regnum, accepta ab Electoribus sæcularibus pecuniæ magna vi; regemque Angliæ creandum esse Imperatorem, & fortasse etiam regem Germaniæ; si non poterit conveniri de illo in Imperatorem eligendo, eum creandum esse Vicarium in inferiori Germania, ut facilius finitimum Galliæ regnum invadere possit;

Ad hæc conficienda magnas pecunias fuisse depositas, & assignatos certos obsides, alios que esse assignandos;

Fere omnes Germaniæ principes sæculares, excepto Bohemiæ rege, fœdus composuisse contra regnum Galliæ; & etiam singulos principes sibi divisisse eas regni partes, quam quisque post bellum esset habiturus.

Se hæc a certo auctore accepta communicasse cum quibusdam Cardinalibus, ut eorum consilium exquireret;

Ludovicum se nominantem Imperatorem scripsisse ad Benedictum quasdam litteras, quarum exemplar mittit ad Regem, in quibus vult probare, se non violasse pactiones: nam Rex Galliæ fuit, qui impedit, quin cum Ecclesia pacem faceret; se scribit, non aggredi Regem Galliæ tanquam Ludovicum Bavarum, sed ut caput Imperii, ut recuperaret eas terras, quas Reges Galliæ ex imperio occuparant;

In iisdem litteris orabat Benedictum, ut moneret Gallum, ut pacifice ea imperii loca dimitteret;

In iisdem litteris non appellat Philippum Regem Galliæ, sed Philippum, *qui se dicit Regem Galliæ*;

Colonien sem Archiepiscopum nolle in hoc esse fœdere, viderique neque illud inire velle Juliacensem Comitem magnæ inter eos auctoritatis;

Quæ si ita sunt, magna impendere regno Galliæ discrimina, quæ ut evitentur, se nullam aptiorem rationem videre, quam a Germanorum societate Anglum regem divellere.

Magna itaque toti Christianæ Reip. impendere pericula, quæ Deus avertat, magnumque bellum parari;

Præstare multo omnia jurgia de Ducatu Aquitaniæ cum Anglo componere: pacato enim Anglo, enerves futuros in Gallum omnes Germanorum conatus;

Demum Germanos moliri insidias in regem ipsum, & in ejus primogenitum;

Quare vitæ suæ, filiique consulat, caveat ab omnibus, neque se, filiumque cuique credat.

Respondeat rex, quid agere proponat.

D. Aven. VIII. Id. Nov. P. a. III. a. D. 1337.

Reprehenditur Rex, quod orator Eduardi Angliæ Regis in aula Pontificia fuerat captus.

CXXXIX. Ad an. 1340. §. 19. BENEDICTUS XII. Philippo, &c.

Inc. *Sane fili, &c.*

„ JAm bellum ardebat Anglum inter, Gallumque. Orator Regis Angliæ apud Benedictum erat Nicolinus Fliscus. Avenione nocte intempesta quidam „ Galli foribus effractis domus ipsum oratorem ejusque „ filium Andream ceperunt, abduxeruntque in terras „ Regis mancipandos carceri. Hoc facinore ratus Pontifex jus gentium violari, violari Pontificiam dignitatem, pœnas Ecclesiasticas in auctores, executoresque „ facinoris edixit, Galliasque edicto suppositit.

„ Statim rex scripsit ad Pontificem, testans se id non „ jussisse, querensque de Pontificis severitate, justitiaque oratorem perhonorifice deduci in aulam Pontificis.

Regis litteris respondet Benedictus;

Se quidem credere tanti facinoris, tamque audacis regem fuisse ignarum; nimis enim infandum esse, ut credi possit, in regis animo consilium hoc potuisse enasci.

Tum ei enarrat, quomodo fuerit captus, cum nil mali ab ipso expectandum erat, qui venerat Avenionem, ut de pace ageretur, quod in utilitatem Philippi cadebat.

Audaciam facinoris auget Pontifex, quia sciebat captores quibus pœnis sint innodandi qui impediunt, retrahunt accedentes ad Romanam curiam, multo magis, qui in ea existentes capiunt violenter.

Illi gratias agit, quod oratorem remiserit, quo merebatur, honore.

Amorem in illum suum ei Pontifex testatur.

D. Aven. II. Cal. Junii P. a. VI. a. D. 1340.

Reprehenditur Rex quod fœdus cum Ludovico Bavaro inierit.

BENEDICTUS XII. Philippo, &c. CXL. Ad an. 1341. §. 11.

Inc. *Non sufficimus, &c.*

FOedus inierat Rex Philippus cum Ludovico Bavaro simul ut illum distraheret a fœdere cum Eduardo Angliæ rege, simul ut suis rebus consuleret.

Eum igitur objurgat Benedictus, miraturque quomodo oblitus animæ suæ salutis nullam rationem habuerit societatem cum excommunicato componere, cum Ludovico in sua pervicacia obstinato aperto Dei, & Ecclesiæ hoste, & omnium bonorum infectatore.

Illud quoque maxime miratur; illum fœdus hoc sanxisse Pontificis, & Apostolicæ Sedis licentia minime obtenta, imo contra Pontificis consilium (v. supra *cum fiducia, &c.*)

Cæterum testatur Benedictus, se recepturum Ludovicum, quoties ad sinum Ecclesiæ redire voluerit.

D. Aven. IX. Cal. Maji P. a. VII. a. D. 1341.

De Ludovico Bavaro.

CLEMENS VI. Philippo Galliæ regi. CXLI. Ad an. 1345. §. 16.

Inc. *Regiam volumus, &c.*

EXcommunicatus Bavarus Ludovicus a Clemente ad regem Galliæ confugerat, ut se intromitteret, & cum Pontifice ageret de reditu suo ad Ecclesiam. Spe frustratus Pontifex fuit; namque nihil ex iis, quæ Pontifex illi facienda præscripserat, facere voluit.

Ad regem ergo scribit, se jam prævidisse, quid Bavarus esset acturus, se non fuisse falsum vatem, cum Regi scripsit, velle Bavarum tempus trahere, & ex animo ad Ecclesiam redire nolle.

Videat saltem Rex, a se non stetisse, quin concordiam iniret, si Ludovicus bona fide egisset.

D. apud Villam Novam Aven. Diœc. V. Id. Maji P. a. III. a. D. 1345.

Reprehenditur Rex, quod absentium prælatorum redditus beneficiorum usurpasset.

CLEMENS VI. Philippo, &c. CXLII. Ad an. 1346. §. 19.

Inc. *Fili dilectissime, &c.*

„ MUlti prælati ab Ecclesiis suis aberant obliti prorsus suorum munerum.

„ Tanquam vacantes eas Ecclesias reputans Philippus usus regaliæ jure earum redditus sibi dari jussit.

Hoc relato ad Pontificem has litteras scribit Philippo, in quibus ait, se nunquam crediturum fuisse nefas tale in Philippo, ut earum Ecclesiarum redditus occuparet, quos illius majores iis dederant liberaliter;

Culpam tamen rejicit in consiliarios, quos audire ne debuisset quidem Rex.

Considerare ii debebant eos redditus esse pauperum patrimonium, esse mercedem sacrorum ministrorum, neque posse in alios usus converti vi sacrorum canonum, *Pontificis Romani licentia non obtenta*;

Debebant præterea animadvertere iidem, Regem hæc peragendo in grave crimen induci, cum illum, qui debet esse Ecclesiarum defensor, earundem raptorem fecerint.

Quare curet divinam iram mitigare jure motam.

D. Aven. VI. Non. Maji P. a. V. a. D. 1346.

Rogat

Rogat Pontifex regem, ut prædonum excursiones comprimat.

CXLIII. Ad an. 1357. §. 4. INNOCENTIUS VI. Joanni, &c.

Inc. *Quoniam morbus, &c.*

„ GAlli inter se divisi intestino se odio prosequebantur; turmasque efformarant, regnumque totum „ infestabant, præcipue hæ manus irruperant in Provinciam. Ita rex edixerat, & Dux Normanniæ re„ gis primogenitus etiam edixerat, ut hujusmodi coi„ tiones solverentur; sed prædones spreto edicto, om„ nia ferro, & igne miscebant. Contra Ecclesias præ„ cipue, monasteria locaque pia inferebantur.

Hæc omnia Innocentius Regi significat,

Eumque rogat, ut eos comprimat; & quoniam in regibus Galliæ Ecclesia semper asylum reperit, ostendat, hujusmodi asylum etiam in rege Joanne illi esse.

D. Aven. II. Id. Aug. P. a. V. a. D. 1357.

Hortatio ad Delphinum ut Patrem liberet.

CXLIV. ad an. 1358. §. 2. INNOCENTIUS VI. Carolo Duci Normanniæ &c.

Inc. *Etsi te, &c.*

MUlta, & gravia negotia occupabant Ducem; quæ non tam facile poterat expedire, cum esset in tenera ætate constitutus; tamen eum monet Pontifex, inter omnes curas liberationem patris sui e captivitate, in qua detinebatur ab Eduardo Angliæ Rege, maxime illi esse debere cordi.

Tum eum monet, ut discordiis intestinis, quæ erant in regno, consuleret, sibique persuadeat, graviora detrimenta in regna ex intestinis dissidiis, quam ex exterioribus bellis redundare.

Ad eum mittit Pontifex legatos AA. quos audiat Carolus, & eorum consilia sequatur.

D. Aven. VIII. Cal. Jan. P. a. VI. a. D. 1358.

Gratulatio de inita pace.

CXLV. Ad an. 1360. §. 4. INNOCENTIUS VI. Joanni Galliæ regi.

Inc. *Nostris admodum, &c.*

DE liberatione regis a captivitate, in qua fuerat apud Eduardum, eidem regi gratulatur Innocentius.

Gratulatur etiam de pace cum eodem rege inita, quam Deum orat, ut perpetuam esse velit.

Rebus igitur externis compositis, regni internæ discordiæ sedandæ illi restant, quas tollet de medio, si colat justitiam, si se patrem omnibus præbeat, ita ut populi sentiant, quidquid ille agit, omnia pro eorum quiete, & utilitate agere.

Assumat sibi probos, Deum timentes, prudentesque consiliarios, nullumque magni momenti negotium suscipiat, quin eorum consilium exquirat.

Præcipue in prædones animadvertat, qui regnum sus deque miscent, qui omnia igne, ferroque devastant, universoque regno terrorem ingentem injiciunt.

D. Aven. V. Cal. Dec. P. a. VIII. a. D. 1360.

Excitatur Rex ad exstirpandos Turlupinos e suo regno.

CXLVI. Ad an. 1373. §. 19. GREGORIUS XI. Carolo Galliæ Regi.

Inc. *Christianorum regum, &c.*

VEterem pietatem Galliæ regum optime noscens Gregorius certo scit, regem Carolum omnem adhibiturum esse curam, ut errores, hæresesque e suo regno tollat.

Acceperat Gregorius in quibusdam ejusdem regni partibus esse utriusque sexus personas erroribus Begardorum, qui alias Turlupini dicuntur, infectas.

Acceperat in partibus Delphinatus Viennensis esse multos VValdenses; & quosdam regios officiales impedimenta multa opponere inquisitoribus, ne munus suum exequi possent in iis detegendis, puniendisque, *& quod non permittunt, ut iidem Inquisitores procedant sine judice sæculari, & compellunt eosdem, quod processus suos judicibus sæcularibus ostendant, si quos fecerint sine ipsis; hæreticos quoque, seu suspectos de hæresi captivatos per Inquisitores eosdem, eis irrequisitis, præcipiunt e carceribus liberari; requisiti præterea a dictis inquisitoribus, quod præstent juramentum a jure dispositum de expurgando hæreticos, & suspectos de hæresi, illud præstare contemnunt.*

Rogat igitur Gregorius Regem, ut & Turlupinos, & VValdenses inquiri faciat, eosque repertos puniat;

Ut inhibeat ministris suis, ne inquisitores impediant, hæreticisque faveant.

D. Aven. VI. Cal. Apr. P. a. III. a. D. 1373.

„ Plures inventos Turlupinos combustos fuisse, tra„ dunt historiæ.

Rogatur rex, ut impium morem negandi pœnitentiam reis afficiendis morte tollat.

CXLVII. Ad an. 1375. §. 28. GREGORIUS XI. Carolo, &c.

Inc. *Ad pietatis, &c.*

IN plerisque partibus Galliarum regni mos hic, *seu corruptela*, erat, ut ultimo supplicio reis puniendis sacramentum Pœnitentiæ, licet illud enixe requirerent, negaretur: proinde grave periculum animas perdendi suas incurrebant ii miseri,

Pontifex *pro speciali munere petit* a rege, ut quoniam mos hic sacris canonibus adversatur, jubeat, ut tollatur prorsus.

Satis puniuntur morte corporea, ne puniantur infelices æterna.

Acquiescat iis, quæ super hoc negotio Episcopus Parisiensis illi dicet.

D. Aven. V. Cal. Nov. P. a. V. a. D. 1375.

De juribus Romanæ Ecclesiæ in quædam loca in Delphinatu Viennensi sita.

GREGORIUS XI. Regi Galliæ Carolo. CXLVIII. Lib. 9. 29.

Inc. *Scimus quod, &c.*

NE in oblivionem irent jura Romanæ Ecclesiæ in quædam loca, quæ primogenitus Regis possidebat, eo libentius de iis scribit Pontifex Regi; quo magis scit, eum esse justissimum.

Carolus Delphinus Viennensis ergo *medietatem Villæ de Romanis, ac de Nionis, & de Mirabellis castra, & majus dominium Castri de Vinsobrio, necnon duas partes, & jura Vassallatica duarum partium Dominii meri, & mixti imperii ac jurisdictionis omnimode castri Reppesaure, & Parenam, dominium, & jurisdictionem, merum & mixtum Imperium proprietatis, & jura vassallatica castri podii Hugonis, nec non medietatem, dominium, & jura vassallatica, & quidquid hospitale S. Joannis Hierosolymitani tenebat a Domino Montis Albani in castro de Novavisano, & insuper quartam partem feudi, & dominii meri, & mixti imperii, & jurisdictionis territorii Albanhaneti; tertiam quoque partem feudi, jurisdictionis meri, & mixti imperii territorii S. Andreæ de Spontazano, medietatem etiam pro indiviso jurisdictionis, & jus vassallaticum, & quidquid habet in territorio Baldibe S. Mauritii, & de Quoqueto, & quidquid juris habet, & habere debet, ut visus est habere in dictis Castris, locis, & territoriis Viennensis, Vasconensis, & Aurascensis diœcesis a Pontifice, & a Romana Ecclesia in feudum tenet: proinde ratione præmissorum Pontifici homagium, & fidelitatis juramentum præstare tenetur, sicut regia sinceritas bene novit.*

Sed cum ob teneram ætatem præstare id Delphinus non possit, rogat Pontifex regem, ut gubernatori Delphinatus hoc juramentum, & homagium R. Ecclesiæ præstare jubeat nomine ejusdem Delphini, ne ullum in posterum præjudicium generetur juribus Ecclesiæ.

D. Aven. V. Cal. Oct. P. a. V. a. D. 1375.

De morte Caroli regis, & monita ad novum Regem.

CXLIX. Ad ann. 1422. §. 33. MARTINUS V. Carolo Francorum Regi.

Inc. *Non dolere, &c.*

„ CArolus ſenio, & alienatæ mentis vitio laborans
„ mortuus fuerat. Henricus ex filia nepos, &
„ Carolus filius ob Philippi Burgundi vim terrorem-
„ que hereditate antea iniquo decreto depulſus regnum
„ inter ſe armis partiti ſunt. Delphinus Pictavii coro-
„ natus fuit, & in ſui regiminis exordio maximum
„ vitæ diſcrimen adiit, collabentis enim ædificii ruinis
„ fuit prope extinctus.

Ergo Pontifex jubet Carolum ſpem bonam de ſalute patris ſui habere, qui ſi potuiſſet, regias ſuas explicuiſſet virtutes.

Quia vero maxime e diutinis bellis afflictum regnum erat, Carolus ad pacem hortatur, quæ una efficere poteſt, ut recreetur, refloreatque; non ſine conſilio Deus voluit eum a repentino caſu incolumem, nempe, ut ſubditis ſuis hoc tantum bonum, quale pax eſt, det.

Sciat juſtitiam, fidemque eſſe pretioſiora multa regio diademate, regiaque purpura. Ne credat ſibi licere quidquid libuerit. Quo majora a Deo beneficia accepit; graviora ab illo Deus exiget.

Deum timeat, Eccleſiam veneretur, virtutem protegat, vitia e ſuo regno eliminet, ſeque exemplum populo ſuo præbeat pietatis, juſtitiæ, Deique timoris.

D. Romæ apud S. Petrum XII. Cal. Dec. P. a. V, a. D. 1422.

Se purgat Pontifex, ſi Rex Angliæ movet in Carolum bellum.

CL. Ad an. 1429. §. 16. MARTINUS V. Carolo Regi Franciæ;

Inc. *Nuper cum, &c.*

EXcitarat in Bohemos regem Angliæ Martinus, ibique Crucem cum ſolitis indulgentiis prædicari fecerat. Cum putabant omnes regem Angliæ eſſe ducturum exercitum contra Huſſitas, rumor percrebuit, eum bellum cum exercitu illo Regi Galliarum inferre velle.

Dolorem ſuum regi Galliæ ſignificat ergo Martinus, quia videt deſertam cauſam Dei, eoſque milites, qui contra Bohemos parati erant, cum ex parte regis Galliæ tum ex parte regis Angliæ pugnaturos eſſe inter ſe cum Chriſtiani ſanguinis miſera effuſione.

Tum teſtatur eidem regi, præter ſuam voluntatem id evenire, præterque ſcientiam ſuam.

D. Ferentini III. Id. Aug. P. a. XII. a. D. 1429.

„ Et ſane bellum regi Galliæ illatum ab Anglo fuit.

De tollendo conciliabulo Baſileenſi.

CLI. Ad an. 1432. §. 24. EUGENIUS IV. Carolo,

Inc. *Conſolati ſumus, &c.*

LÆtitiam ſe ſummam concepiſſe, ſignificat Regi Eugenius, cum ejus orator retulit, Carolum fuiſſe pollicitum, ſe curam omnem adhibiturum, ut ſchiſma tollatur.

Et ſane merito hanc lætitiam concepit Eugenius; tanta enim eſt pervicacia, tanta malignitas eorum, qui Baſileæ ſunt adhuc, ut dici, credique vix poſſit; quæ certe contundi non poterit, niſi principum auctoritas intercedat.

Eorum apertum conſilium eſt, omnia tentant, ut ſchiſma in Eccleſia ponant.

Quia vero Carolus eum cœtum appellarat *Concilium*, eum Pontifex redarguit, atque ſynagogam malignantium eſſe dicendam, qui, invito Pontifice, derelicti a ſaniore, & majore chriſtiani orbis parte in ſua pertinacia perſiſtere volunt; & illa agunt, quæ nulla unquam ſynodus egit; omnes enim aliæ ſynodi ſimul cum Pontifice decreta ſtatuerunt, illa autem omnia invito Pontifice agit; aliæ Eccleſiæ unitati, pacique conſuluerunt, hæc unam pacem evertit, ſciſſuramque quærit.

Exempla oſtendunt qua fide agant; finxerunt homines illi ſe curam Græcorum habere, hoc nomine pecunias coegerant, qua utuntur non in Græcis ſubleyandis, ſed *in ſuis cupiditatibus explendis*.

Etiam reprehendit Regem Eugenius, quod ad Concilium Florentinum oratores ſuos non miſerit. Hoc enim audaciam Baſileenſium auxit, ut de Florentino concilio detraherent, oſtenderentque illud non eſſe œcumenicum; ſed eſſe œcumenicam ſynodum ſuam; namque, inquiebant, ſi illud generale Rex Galliæ putaſſet, miſiſſet ad illud ſuos oratores, ſicut miſerat ad Synodum Baſileenſem; præterea qui dici œcumenicum illud poteſt, cum nulli Galli nomine regis, regnique, quod eſt pars magna Eccleſiæ, interſint eidem?

Cæterum Turonenſis Archiepiſcopus *ex odio, quod habet in Pontificem, & in Eccleſiam, a qua exaltatus eſt, & promotus, ſignifer eſt omnium errorum, qui fiunt contra Pontificem*. Eum rex revocarat ab illa ſynagoga, & parere noluit, revocavit eum Pontifex, cui juramentum præſtiterat, neque obediit, unde & ingratus, & inobediens, & perjurus exiſtit.

Cum videat ergo Rex quibus in periculis, gravibus, ſummiſque verſetur Eccleſia, filium ſe præbeat eidem, eam tutetur, removeat ab illa imminens ſchiſma, neque a conſuetudine ſuorum majorum deficiat.

D. Florentiæ prid. Cal. Junii P. a. IX. a. D. 1439.

De eodem argumento.

CLII. Ib. §. 25. EUGENIUS IV. Carolo,

Inc. *Venit ad nos, &c.*

OPportune miſerat Rex Galliæ ad Pontificem oratorem, qui eidem teſtaretur, regem diligentiſſime annixurum, ut ſchiſma tolleretur.

„ Opportune, inquam. Baſileenſes enim eo devenerant
„ amentiæ, ut Eugenium exauctorarent, & ut trigin-
„ ta duo ex ipſis convenirent cum Arelatenſi Archi-
„ epiſcopo, qui inter eos primas tenebat, ut eligerent
„ e privatis clericis viginti novem, qui vices Epiſco-
„ porum facerent.

Gratias proinde agit Pontifex regi, eumque rogat, ut quamprimum poteſt, auctoritatem ſuam interponat; jam enim ſchiſma erupit, jam ſe acephalos Baſileenſes declararunt, cum ſe ab obedientia Romani Pontificis ſubduxerunt ſuo decreto.

Revocet Rex ſub gravibus pœnis ſubditos ſuos ab illa ſynagoga, quæ ſynodi nomine diſcordiam, impietatem, bæreſimque fovet.

Vidit hoc Burgundiæ Dux Philippus, qui vetuit ſubditis ſuis eidem conciliabulo intereſſe, ejuſdemque decreta admittere.

Quod ſi Pontifex hactenus in eos non animadvertit, in cauſa rex ipſe fuit, qui Pontificem rogarat, ut ſuſferret; in cauſa fuit innata Eccleſiæ benignitas, quæ præſtolatur ſemper, quæ ſemper opperitur peccatores;

Sed cum patientia animos mala majora patrandi iis adderet, tandem in Concilio Florentino contra illos ſententiam pronuntiavit, paratus tamen eos paterne recipere, ſi revertantur ad ſanam mentem.

D. Florentiæ Non. Sept. P. a. IX. a. D. 1439.

Laudatur Rex, quod facinus conciliabuli Baſileenſis improbavit.

CLIII. Ad an. 1440. §. 4. EUGENIUS IV. Carolo, &c.

Inc. *Magnum gaudium, &c.*

„ BAſileenſes exauctorato Eugenio IV, elegerant Fe-
„ licem V, (Amadeum Ducem de Sabaudia. Im-
„ probavit ſummopere Rex Carolus & decretum, &
„ electionem.

In hac reprobatione agnoſcit Eugenius regis pietatem, devotionemque erga Sedem A. & Pontificem, & in eo agnoſcit propugnaculum fortiſſimum fidei.

Quapropter eum commendat quam maxime, illumque rogat, ut pergat Eccleſiam protegere, & ſchiſma funditus tollere.

D. Florentiæ, 1440. deſunt Chronologici characteres alii.

Repre-

Reprehenditur Rex, quod nolit fœdus contra Turcas inire.

CLIV. Ad an. 1456. §. 3. CALLISTUS III. Carolo Francorum Regi.

Inc. *Scribit nobis, &c.*

EX everſo orientali imperio, ex expugnata ejuſdem imperii ſede Conſtantinopoli facti audaciores, potentioreſque Turcæ & Hungariæ minitabantur, & Germaniæ.

Obicem iis ponere Catholici principes ſtatuerunt, inieruntque inter ſe fœdus; etiam Reges Caſtellæ, & Aragoniæ, & Portugalliæ huic fœderi ſe addixerant.

Sæpe, ac ſæpius nomine Pontificis rogatus Carolus Legato S. A. roganti reſponderat, ſe nolle in hoc fœdus ingredi.

Ad eum igitur Calliſtus ſcribit, eum objurgans quod a ſuorum majorum exemplis adeo recedat, quibus nihil magis cordi erat, quam hoſtes fidei domare, & Eccleſiam defendere.

Eum rogat, ne velit repellere legatum A. quem ideo ad illum mittit, ut eum hortetur, ut eum rationibus moveat ad conjungenda arma ſua cum fœderatis principibus;

Ne deſit huic occaſioni Turcas ſuperandi & extinguendi, per quidquid ſacri, ſanctique uſpiam eſt eum orat, obſecratque, ne deſerat Chriſtianæ Reip. cauſam communem, ne permittat tantam Eccleſiæ partem miſerrime perire impune &c.

D. Romæ apud S. Petrum VII. Cal. Nov. p. a. II. a. D. 1456.

Invitatur Rex vel Utinum, vel Mantuam, rogaturque ut in Turcas bellum paret.

CLV. Ad an. 1458. §. 16. PIUS II. Carolo &c.

Inc. *Ut perſolvamus, &c.*

UT victoriis Turcarum modus imponeretur, viſum fuit Pontifici, & Cardinalibus dietam generalem convocare vel Utinum, vel Mantuam, quo ſe conferret Pontifex, & quo principes irent dicturi quiſque ſententiam. Jamque hanc dietam ad Calendas proximi Junii indixerat.

Eo igitur Carolum Pius invitat, aitque non opus eſſe verbis multis, ut regi id perſuadeatur. Cum enim non diſcedat a ſuorum majorum inſtitutis, cum illi nihil magis cordi habuerint quam hoſtium fidei depreſſionem, ipſe quoque alacri animo religionis propugnationem ſuſcipiet.

Cæterum perſonaliter vel Utinum, vel Mantuam veniat; *etenim cum Vicarius Chriſti in terris hoc agat, quem recte volentem ſequi Chriſtianus populus debet, non ſibi debent principes terræ grave ducere laborem ab illo ſuſceptum ampecti.*

Vicem Chriſtianæ totius Reip. tandem aliquando doleat Rex, ſtatuatque ex imminenti e Turcis excidio illam ſubducere.

Sciat, hanc eſſe veram gloriam, quæ e propugnatione Chriſtianæ religionis proficiſcitur, ſicut ejus progenitorum, quorum opera in hoc eluxit, immortale nomen eſt.

Mittat Oratores ſuos, ſi unquam, quod non credit eſſe eventurum, ille perſonaliter venire non poterit.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIV. Oct. p. a. I. a. D. 1458.

De Zizimo in Gallias perducendo.

CLVI. Ad an. 1482. §. 36. SIXTUS IV. Regi Ludovico.

Inc. *Etſi in omnibus, &c.*

ZIzimus erat frater Bajazetis Turcarum Domini. Is ejectus a fratre ab Aſia minori in Ægyptum confugerat; cum urgeretur a Bajazete e Cilicia navi conſcenſa Rhodum ſe recepit, ut imploraret principum Chriſtianorum arma, & reſtitueretur in patrium regnum, multa Chriſtianis pollicitus, ſi illud per eos obtineret. Cum inſtaret minis Bajazetes, repeteretque a Magiſtro Rhodio Fratrem, volebat eum in Galliam mittere ſcripſitque de hoc Pontifici,

Qui ad Regem Galliæ de Zizimo ſcribit, quæ modo ſunt dicta;

Tum eum rogat, ut velit in regnum ſuum illum recipere, tutarique a Bajazetis fratris ira: neque ullum periculum ejus regno imminere ex hac cuſtodia illi ſcribit, cum Gallia ita ab imperio Turcico diſtet;

Rem utilem Rex Reip. Chriſtianæ faciet, ſibique omnium commendationem comparabit.

D. Romæ Die XXVIII. Junii p. a. XII. a. D. 1482.

„ Matthias Rex Hungariæ apud ſe hunc juvenem
„ volebat; diviſionem enim inter Turcas feciſſet.

Mittitur Breve Regi, quod det Franciſco a Paula.

SIXTUS IV. Ludovico Regi &c.

CLVII. Ad an. 1483. §. 29.

Inc. *Quoniam celſitudinis, &c.*

„ LUdovicus Galliæ rex perhorreſcebat ſupra quam
„ credibile eſt mortem, variiſque infirmitatibus af-
„ flictabatur. Cum accepiſſet in Italia eſſe virum ſan-
„ ctiſſimum (Franciſcum a Paula) qui plurima pro-
„ digia patrabat, ſupplicavit Pontifici, ut juberet eum
„ in Gallias venire.

„ Illuc ivit Franciſcus juſſu Sixti.

Cum illic eſſet Franciſcus, Pontifex duo brevia per Regem ad eum miſit, quorum uno in virtute ſanctæ obedientiæ ei præcipiebat, ut pro rege oraret, in altero ſub excommunicationis pœna illi mandabat pro rege precari Deum, quidquid poſſent quidam illi afferre, ne oraret.

Utrum velet Rex, Franciſco det.

D. Romæ apud S. Petrum Die II. Junii P. a. XII. a. D. 1483.

Regis vota in opera pia mutantur; de Calice aureo dato Eccleſiæ Lateran.

SIXTUS IV. Ludovico &c.

CLVIII. Ib. §. 31.

Inc. *Gratiſſimæ fuerunt, &c.*

ITa rogantis Regis vota in quædam pia opera immutarat Sixtus; quæ quidem opera jam ſtatim fecerat Ludovicus.

Tum miſerat Romam ſcuta quingenta *ad baſilicam principis Apoſtolorum de Urbe pro illius tectorum, & Eccleſiæ reparatione, & totidem in ſupplementum fabricæ B. Petri in monte aureo.*

Calicem etiam aureum ad Eccleſiam Lateranenſem miſerat; *ex quo tanto majoris id illi apud Deum meriti eſt, & apud mortales laudis.*

D. Romæ Die V. Mar. P. a. XII. a. D. 1473.

De morte ejuſdem Ludovici.

SIXTUS IV. Delphino &c.

CLIX. Ib. §. 35.

Inc. *Auditus eſt, &c.*

EX jactura facta in morte Ludovici a Chriſtiana Rep. & ex illo amore, quo ſingulariter Pontifex illum amabat, & ex ejus præclaris virtutibus, e quibus ornamentum ingens Galliarum regnum accipiebat, non poteſt Pontifex non dolore ingenti affici; & tanti principis obitum lacrimis proſequi.

Sed cum ad Deum, cujus gloriam tam anxie quæſivit, & cujus cauſam ſemper protexit, mentem Sixtus convertit, videt ejus mortem eſſe potius invidendam, quam deflendam. *Mortuus eſt glorioſiſſimus princeps ea laude, iis rebus geſtis, ea religione, ea pietate, ut de illius felicitate ſit potius lætandum quam de morte contriſtandum.* Sic enim vixit ut ſuorum majorum præclara opera fuerit imitatus, ſic religioſe occubuit, ut ejus mors exemplo aliis eſſe debeat.

Sicut autem vivens pater Carolum Pontifici commendarat, ita illum in ſuam protectionem Pontifex ſuſcipit, illique pollicetur, ſemper ſe ejus cauſa omnia facturum.

Eum monet, ut Deum timeat, ejus gloriam inquirat, præcipuo cultu proſequatur Eccleſiam, & ab oppreſſoribus eam defendat, juſtitiam adminiſtret, & a ſuorum majorum veſtigiis ne declinet.

D. Romæ apud S. Petrum Die XI. Sept. p. a. XIII. a. D. 1483.

Uxor Federici de Aragonia commendantur Regi.

CLX. Ad an. 1504. §. 40. JULIUS II. Regi Galliæ Ludovico.

Inc. *Præter spem, &c.*

„ FEdericus Aragoniæ Siciliæ citra Pharum rex spo-
„ liatus a Ludovico XII. regno Siciliæ fuerat, ca-
„ ptivusque in Galliam ductus, ubi interiit.
Regi scribit Julius, se non posse *secundum carnem non commoveri de morte Federici, quem paterne amabat ob ejus egregias dotes,*
Se accepisse, eum *æquiore animo excessisse e vita*, quod uxorem, filiasque relinquebat in manu Regis magnanimi.
Quamvis ergo certo scit, Regem eam, illasque liberalitate, & favore opportunis prosequuturum, *ex abundantia tamen caritatis* eos regi Julius commendat.
D. Romæ apud S. Petrum Die IV. Dec. P. a. II. a. D. 1504.

CLXI. Ad an. 1006. §. 33. *Rogatur Rex, ut Genuenses perturbantes Saonenses compescat.*

JULIUS II. Ludovico Regi &c.

Inc. *Cum dilecti, &c.*

ANtiani, & commune civitatis Saonæ, ex qua patria Julius erat, cum vexarentur nimis ab Januensibus, confugerant ad regem Galliæ, & ad Pontificem, ut ab hujusmodi vexationibus liberarentur.
Et rex, & Pontifex Januenses monuerant, ut desisterent. Sed frustra; & quamvis causam actam ante tribunal Pontificium Julius adjudicasset Saonensibus, gravius eos premebant Januenses.
Rursus ergo ad Pontificem confugerunt; Pontifex Ludovicum orat, ut Saonensium patrocinium suscipiat tanto æquius, quod Januenses juridice sint damnati, Civitatemque ejus nomini addictissimam liberet.
D. Romæ Die XXVIII. Febr. P. a. III. a. D. 150

CLXII. Ib. §. 34. *Laudatur Rex, quod assensus fuerit populis suis.*

JULIUS II. Ludovico &c.

Inc. *Recte, & sapientissime, &c.*

„ DEsponderat Ludovicus filiam Carolo Philippi Ar-
„ chiducis Austriæ Castellæ, Legionisque Regis fi-
„ lio attributo dotali principatu Mediolanensi, cujus in-
„ vestituram ab Imperatore Maximiliano acceperat. In-
„ tercessere huic matrimonio Gallici regni ordines; æ-
„ gre ferebant, eum principatum divelli a regno; præ-
„ terea timebant, ne Carolus futurus potentissimus ex
„ hoc matrimonio jura sibi arrogaret quasdam provin-
„ cias regni, & regnum ipsum deficientibus heredibus
„ masculis invadendi, quod fecerat Eduardus III. An-
„ glorum Rex. Orarunt que regem, ut Claudiam Fran-
„ cisco Duci Engolismensi daret, qui erat futurus Rex.
„ Ita egit Ludovicus. Sponsalia diremit, filiamque de-
„ dit Francisco, qui fuit hujus nominis primus Galliæ
„ Rex.
Julius igitur Ludovicum laudat, quod suorum populorum preces, & vota audierit;
Deumque rogat, ut quos matrimonio conjunxit, de virtute in virtutem transire faciat, & ad ultimam senectam deducat, & prole donet.
D. Romæ apud S. Petrum Die XXIX. Julii p. a. III. a. D. 1506.
Hinc prima discordiarum Austriacos inter, & Gallos semina.

Excommunicantur Galli, & Dux Estensis, quod fœdus contra Pontificem iniverant.

CLXIII. B.M.p.4. vel t. 10. p. 13. JULIUS II. ad p. r. m.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

ARma moverat Pontifex in Venetos, ut recuperaret quasdam urbes, quas Ecclesiæ occupatas esse e Venetis ajebat; contra eos accenderat alios Principes, quos in fœdus (*Cameracense*) acciverat: Inter hos Galliarum Regem Ludovicum XII. & Alphonsum Estensem Ducem. Postea vero fœdus cum Gallis disrupit, factusque fuit eorum hostis. Gallorum partibus adhæsit Alphonsus.
Hunc iniquitatis filium, & perditionis alumnum excommunicat Julius, eum privat, & ejus successores, germanos, fautores, adhærentes &c. feudis, urbibus, dominiis, subditosque ei populos a fidelitatis juramento absolvit.
Et simul renovat excommunicationis pœnam in Regem, in Carolum de Amboisa, & in ductores exercitus Gallici, & in exercitum,
Jubetque milites relinquere signa, & in domus suas reverti,
Præcipitque omnibus Episcopis, & Parochis, ut singulis diebus Dominicis & festivis candelis accensis, & deinde extinctis cum trina lapidum projectione, cum Crucis vexillo, & pulsatis campanis hæc excommunicationis pœna publicetur in prædictos.
D. Bononiæ Prid. Id. Oct. P. a. VII. a. D. 1510.
„ Clerus eodem anno Cæsaraugust (Tours) con-
„ gregatus decidit, hanc sententiam non tenere.
„ Ludovicus concilium in Julium per quosdam Car-
„ dinales Pisas coegerat. Sed anno 1513. magno præ-
„ lio ab Helvetiis fœderatis Maximiliani Ducis Media-
„ lanensis superatus, & Italia pulsus, & Cardinalibus
„ suis fautoribus reversis ad Ecclesiam per Julianum de
„ Medicis fratrem Leonis Pontificis concordiam tenta-
„ vit, absolutionemque; hosque articulos proposuit,
I. Se inductum sententiis quorumdam in Pisanum schisma consensisse,
II. Profitetur se venerari Pontificem Leonem, quicum cupit pacem facere,
III. Se nullum odium cum Pontifice habere, & illud dimisisse ex animo, Julio extincto,
IV. Se damnare conciliabulum Pisanum, & quidquid in eo est actum,
V. Se dissipaturum schismaticos Lugdunenses;
VI. Se effecturum, ut accipiatur Concilium Lateranense;
VII. Se missurum ad Pontificem Oratores, & procuratores, qui veniam a Pontifice petant, & jurent; hæc omnia Regem præstiturum esse,
VIII. Se purgat demum, quod non miserit hactenus oratores ad Concilium, quia nimirum bella ardebant; promittit, se propediem missurum.

Sententia excommunicationis in Franciscum primum Galliarum Regem.

LEO X. ad p. r. m. CLXIV. Ex Lunig. t. 2. p. 14. 82.

Inc. *Ad bonorum, &c.*

IN Concilio Lateranensi sub hoc Leone celebrato statuta fuerat confœderatio principum Christianorum in Turcas; indictæque proinde fuerant ad quinquennium induciæ sub excommunicationis pœna in violatores. Franciscus Galliæ Rex in Italiam tamen descendit, occupavitque Mediolani Ducatum, Ducemque captivum fecit. Leo ut ejus acquirendi cupiditati satisfaceret, relaxavit Parmam, & Placentiam, se contulit Leo Bononiam, quo invitavit Regem, quicum de restituendo Duce, Ducatuque egit. Tum misit ad eum Nuncium, ut ad fœdus contra Turcas illum moveret. Se acceptare illud affirmavit Franciscus, & pro cautione respondit se daturum Pontifici in custodiam Ducatum Mediolani, & filium suum in obsidem usque ad expeditionis finem. Quis non credidisset?
Sed victoria elatus promissorum fidei est oblitus; immo *universalem pacem perturbare adortus est.*
Intellexerat Rex, populares disceptationes per absentiam Caroli Romanorum Imperatoris, & Hispaniarum regis exortas. Eum implicitum videns *nulla injuria ab eo provocatus contra illum moliri cœpit*. Navarræ regnum est aggressus.
In regno Neapolitano seditiones in Carolum excitavit, in Comitatu Flandriæ. Prætextu expeditionis in Turcas habuerat facultatem Rex a Pontifice colligendi decimas e bonis Ecclesiasticis, & pecunia est usus ad movendum bellum. Plura contra Ecclesiasticam libertatem egit, monitusque a Pontifice pluries non destitit.
Urbem Regii *civitatem S. Sedis* per Locumtenentem Mediolani occupare voluit ex improviso facto impetu; fructus

fructus beneficiorum in ejus agro positorum usurpavit. Salem abstulit qui erat Cameræ A.
Cives Florentinos contra salvum-conductum Lugduni detineri fecit.
Sed Carolus ejecit e Navarra a Deo in justo bello adjutus Gallos, repressit rebelles.
Regium copiis Francisci restitit; Parma, & Placentia ad S. Sedem non redierant tamen.
Ait ergo, tot, tantisque injuriis Leo provocatus a Francisco, ut Ecclesiam ab illo læsam, ut Pontificiam dignitatem ab eo contemptam, ut Christianam Remp. ab eo damnis affectam in impedienda contra Turcas expeditione Leo vindicet, quindecim dierum spatium, dierum quinque pro quvois trino termino, assignat Regi Francisco, Odeto, & Thomæ de Foix, ut Parmam, & Placentiam Ecclesiæ restituant; ut reddant Cameræ salem, ut restituant fructus beneficiorum;
Excommunicat Regem, & præfatos; minatur se terras regis interdicto suppositurum.
Mandat Ecclesiarum prælatis, ut hanc sententiam in vulgare Romanum versam, ut ab omnibus indoctis intelligatur, publicari faciant &c. N. O.
Nulli ergo, &c. Siquis autem, &c.
D. Romæ prid. Non. Sept. P. a. IX. a. D. 1521.

CLXV. Ad an. 1515. §. 23. *De fœdere inter Regem, & Pontificem.*

LEO X. Francisco &c.

Inc. *Capita fœderis, &c.*

DEscenderat in Italiam Franciscus Galliarum Rex moturus bellum Maximiliano Mediolanensi Duci; misitque ad Pontificem capita fœderis, quod proponebat Pontifici;
I. Promitteret Pontifex deducere præsidia ex Parma, & Placentia,
II. Curaret copias subsidiarias deduci Verona,
III. Fœdus cum Cæsare dissolveret;
IV. Franciscus pollicebatur contra quoscumque se defensurum statum Ecclesiasticum, Medicæos, & Florentinam Remp.
V. Juliano fratri Leonis se daturum in Galliis amplissima vectigalia, & militaria munera cum magno stipendio.
Has conditiones se legisse libentissime, inquit Pontifex; quia putat fœdus hoc redundaturum in honorem Dei, & gloriam Ecclesiæ.
Confidit Regem præstiturum quæ pollicetur, neque ab hoc fœdere discessurum; in hanc spem inducitur ejus virtutibus.
D. Romæ apud S. Petrum V. Cal. Oct. P. a. III. a. D. 1515.
Uterque progressus Bononiam est, habitumque ibi fuit colloquium.

Frustulum S. Crucis dat Pontifex dono Regi.

CLXVI. Ib. §. 28. LEO X. Card. Jacobatio Romæ Legato relicto.

Inc. *Quoniam in hoc, &c.*

CUpiens aliquod præclarum monumentum habere Francisci cum colloquii habiti Bononiæ cum Pontifice, mandat Leo Cardinali prædicto,
Ut tantum de Sanctissima Cruce, quæ asservatur in Ecclesia, quæ dicitur in Jerusalem, quanta est formula chartulæ, quam ad illum mittit, & bene obsignatum *cum facti testificatione propria manu scripta* per tabellarium *celerem* mittat.
D. Florentiæ IV. Non. Dec. P. a. II. a. D. 1515.

Gratulatio de redditis Regis liberis.

CLXVII. Ad an. 1530. §. 180. CLEMENS VII. Francisco &c.

Inc. *Quanta simul, &c.*

„ CAptivus factus fuerat Rex Franciscus a Cæsareis
„ in prælio apud Ticinum commisso, ductusque
„ in Hispaniam. Conditiones pro illius liberatione fa-
„ ctæ fuerunt, quas donec impleret, obsides Imperatori
„ Carolo dederat duos liberos suos.
„ Conditionibus adimpletis restituti Francisco filii.
De hac restitutione certiorem fecerat Franciscus Pontificem;
Qui se maximopere ad hunc nuntium lætatum fuisse rescribit Regi; & gratias egisse Deo, quod gaudium tantum Regi dederit, quod quidem gaudium Pontificis rex conjicere potest ex eo mœrore, quo fuit affectus, cum casus ille inopinatus illi accidit,
Quoniam autem & ipse, & ejus liberi feliciter liberati sunt, causam Dei defendendam contra Turcas suscipiat, deque Deo hoc argumentum grati animi ex beneficio sibi concesso ab illo amplectendi sanos incolumesque suos natos.
D. Romæ apud S. Petrum Die XXVI. Jul. P. a. VII. a. D. 1530.

Hortatio ad regem, ut affinitatem cum Scoto jungat, & arma in Anglum moveat.

PAULUS III. Francisco Regi Galliarum. CLXVIII. Ad an. 1535. §. 30.

Inc. *Cum nuper, &c.*

ERat in Gallia apud Regem Scotorum Rex, quicum dicebatur velle amicitiam, & fœdus, & affinitatem jungere Franciscum Galliæ Regem.
Ad id faciendum eum hortatur Paulus:
Ita enim Scotus firmior in Catholica fide erit, quam ut deferat, nervis omnibus contendit Angliæ Rex;
Ita Rex Angliæ non afficiet molestiis illud regnum, ut consuevit, cum Regem Scotum videbit conjunctum fœdere, & affinitate cum Rege Gallo.
Ita facile erit Anglum opprimere, cum urgebitur armis Scoti hinc, Galli inde.
Jam occasio movendi arma in Anglum optima nunc est; ejus enim populi illius tyrannidis pertæsi rebellionem in eum excitarunt. Modo Rex cum parvo exercitu in Angliam eat, res est confecta.
Non enim suspicari potest Pontifex velle opem ferre Regi Henrico hæretico, rebellique.
D. Romæ apud S. Marcum Die VII. Nov. P. a. III. a. D. 1536.

Rogatur Rex, ut cum fœderatis contra Lutheranos arma sua conjungat.

PAULUS III. Regi &c. CLXIX. Ad an. 1546. §. 96.

Inc. *Ex quo, &c.*

INsidiis, dolisque Lutherani grassari non desistebant contra ac decretum fuerat in multis Imperialibus conventubus, recusabant venire ad Concilium; etiam coitiones inter se faciebant contra publicam Germaniæ quietem, contra Imperatorem, Catholicosque principes.
Jamque Catholici principes, ut se contra eos tutarentur, arma sociarant.
Pontifex fuse enarratis, quæ qualiaque fecerit, ut Lutheranos ad Concilium pelliceret, quæ quantaque Imperator egerit, ut Germaniæ pacem conciliaret,
Regem orat, ut quoniam ad eos reprimendos nulla reliqua ratio est, quam arma in eos expedire, conjungat arma sua cum Germaniæ Catholicis principibus;
Ita facile in officio continebuntur, si videant etiam Galliæ Regem hæresim velle deletam.
D. Romæ apud S. Marcum Die II. Jul. P. a. XII. a. D. 1546.
Idem Paulus scripsit Poloniæ Regi; idem Venetis.

Oratur Galliæ Rex, ut auxilium ferret Scotis.

PAULUS III. Francisco &c. CLXX. Ad an. 1547. §. 115.

Inc. *Recepimus litteras, &c.*

DE morte illata Cardinali Betonio, de invasione arcis S. Andreæ facta, ab interfectoribus scripserat Franciscus Paulo. (v. cap. Scotiæ *Scribit ad nos &c.*)
Rescribit Francisco Pontifex, rem optimam illum facturum, ex qua magna utilitas in Christianam Remp. & in illum gloria esset redundatura, si Scotis opem ferret.
Rescribit etiam, se facultatem dedisse quibusdam prælatis occisores Cardinalis absolvendi.
D. R. apud S. Marcum Die III. Feb. p. a. XIII. a. D. 1547.
... misit ad Scotos classem, & Angli recesserunt.

Conso-

Conſolatur Paulus Henricum de morte Patris.

CLXXI. Lib. parag. 117. PAULUS III. Henrico Regi &c.

Inc. *Summum dolorem, &c.*

PRidie Calendas Aprilis anno ætatis ſuæ quinquageſimo tertio mortuus fuit Franciſcus. Qua morte audita ſtatim ad Henricum (II.) ejus filium Paulus ſcribit.

Dolet Paulus de morte hac & quia Chriſtiana Catholica Religio ſtrenuum defenſorem amiſit, & quia ob ejus præclaras virtutes illum Paulus amabat.

Verum cum videt ejus filium Henricum in ejus locum ſucceſſiſſe, non poteſt non mitigare dolorem. Heres quippe Henricus eſt Regni & filius ſanguine, & moribus, & virtutibus.

Quam ergo Eccleſiæ defenſionem ſuſceperat parens, gerat etiam filius,

Eumque amorem, quo Paulus proſequebatur Patrem, convertet in filium,

Omnia fauſta illi, regiæ familiæ, regnoque a Deo adprecatur.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVII. Apr. P. a. XIII. a. D. 1547.

De conſilio reaſſumendi Concilium.

CLXXII. ad an. 1550. par. 116. JULIUS III. Henrico Regi &c.

Inc. *Intelleximus nuper, &c.*

SIgnificat Julius Henrico a Nuncio ſuo Imperatorem rogatum fuiſſe, ut *juberet* Pontifex *inchoatum Concilium in proximis Quadrageſimæ jejuniis proſequi;* & reſpondiſſe Imperatorem, ſe ſemper auxilium Pontifici præſtiturum.

Rogat ergo Julius etiam Henricum, ut huic pio operi aſſenſum præbeat, & ad illud oratores ſuos, ſuique regni Epiſcopos mittat,

Novit pietatem regis, devotionem ejus novit, ac proinde ſperat, eum non defuturum, cum de tollendis in Eccleſia diſſenſionibus agatur.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXII. Sept. P. a. II. a. D. 1550.

„ Scripſit eodem modo & ad alios principes; a quibus cum reſponſum fuiſſet, ſibi maxime id conſilium „ placere, edidit Bullam de reaſſumptione.

Rogatur Rex, ut dimittat e carcere Baronem Oppedæ.

CLXXIII. Ib. 35. JULIUS III. Henrico &c.

Inc. *Cum nuper, &c.*

CReſcebat in dies ſingulos in Gallia Calviniſtarum numerus, & hæreſis habebat Patronos ſuos.

Joannes Maynerii Baro loci Oppedæ Cavallicenſis diœceſis Vaſſallus Pontificis & Curiæ Parlamenti Provinciæ primus Præſidens tanquam Locumtenens Franciſci Regis interfuit obſidioni, & expugnationi loci de Capreriis Comitatus Venayſini pro exterminatione quorundam hæreticorum in eodem loco de Capreriis, & in aliis dictæ Provinciæ exiſtentium de mandato Pauli III. & de ordinatione Vice-Legati, & ſe egregie geſſit.

Sed fuit in carcerem detruſus, & coram certis officialibus regni moleſtabatur.

Julius regem rogat, ut eum dimitti faciat. Quidquid enim fecit, fecit juſſu pontificis, & regis Franciſci, fecit pro conſervatione Fidei.

Præterea patet, eum ſic vexari a fautoribus hæreticorum, qui de punitis ab eo hæreticis ultionem volunt ſumere.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVIII. Jul. P. a. I. a. D. 1550.

De pace cum rege firmanda.

CLXXIV. ad an. 1551. par. 31. JULIUS III. Henrico &c.

Inc. *Eo die, &c.*

SUſceperat Henricus defenſionem Octavii Farneſii contra Imperatorem, & Pontificem (v. Caput de Imper.) pluraque damna intulerat Bononienſi agro. Pertæſus belli Julius, motuſque a Venetis iniit pacis conſilia, miſitque ad Imperatorem, & Regem Legatos, qui de pace agerent.

Hiſce litteris officioſiſſimis ſignificat Regi, ſe, cum electus fuit Pontifex, induxiſſe in animum ſemet communem Patrem omnibus eſſe;

Sed cum ſciret, Galliæ reges tot beneficia Eccleſiæ contuliſſe, non potuiſſe quin præ cæteris principibus Henricum amaret, quem quidem amorem nulla diſſenſio ſuborta poſtea inter regem, & ſe extinguere potuit.

Amor hic in cauſa eſt, cur cupiat cum illo pacem inire, quæ ita neceſſaria eſt hoc præcipue tempore, quo celebratur Concilium.

Ad Regem Legatum mittit, qui exponet Regi, quanti ſiat, quantum ametur;

Illique ſpondet, ſe confirmaturum quidquid Legatus aget cum ipſo de pace,

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Oct. P. a. II. a. D. 1551.

Regina orat ur, ut ad pacem inducat virum ſuum.

JULIUS III. Catharinæ Francorum Reginæ. CLXXV. Ib. § 33.

Inc. *Quod nos, &c.*

CAuſæ cur Julius ad Reginam confugiat, hæ ſunt,

I. Religio, & pietas Catharinæ,

II. Amor, quo Rex eam merito proſequitur,

III. Quod fuit Neptis duorum Pontificum Leonis X. & Clementis VII. a quibus dilectus Julius fuit.

Eam rogat, ut Legato Pontificio ad Regem miſſo pro pace aſſiſtat, ut regem ad eam ineundam moveat.

D. Romæ ut ſupra.

Celebris hæc Regina eſt in hiſtoriis; erat e domo Medicea.

Commendatur Regi Cardinalis Polus, & res Angliæ.

JULIUS III. Henrico, CLXXVI. ad an. 1553. § 52.

Inc. *Cum in his, &c.*

„ MOrtuus fuerat Eduardus Angliæ Rex, ſucceſſe„ ratque Maria filia Henrici ex Catharina Aragonia in Catholica Religione alta.

„ Pontifex ſtatim eo legavit Cardinalem Polum Anglum Mariæ affinem e regio Anglorum regum ſanguine.

Julius Legatum regi commendat, illumque rogat ut in re tanti momenti, quanti erat converſio religionis ex hæretica in Catholicam, quæ antea in eo regno dominabatur, jam ex parte facta, cum ſciretur, Mariam eſſe Catholicam, & facienda conſiliis ſuis eidem aſſiſtat.

Eum etiam rogat, ut pro devotione, qua fertur in Religionem, eidem in Anglia excitandæ opituletur.

Erit hoc Deo gratum, nomenque ſibi Rex comparabit æternum.

D. Romæ apud S. Marcum Die VI. Aug. P. a. IV. a. D. 1553.

„ Eundem Legatum commendavit Cæſari iiſdem fere „ verbis Julius.

Hortatio ad Regem, ut auxilium Sabaudiæ Ducis promiſſum det.

PIUS IV. Franciſco (II.) Francorum Regi. CLXXVII. ad an. 1560. § 29.

Inc. *Audivimus, &c.*

„ COnflata fuerat in Regem Franciſcum conjura„ tio, auctore Joanne Calvino, ſicut conflata „ fuerat etiam in Ducem Guiſium ab Hugonottis; in„ ter rebelles erat etiam Ludovicus Condæus Princeps. „ Ea inita fuerat Genevæ. Ergo conſilium iniit Fran„ ciſcus cum Philiberto Sabaudiæ Duce expugnandi „ eam urbem, expurgandique Hugonottos. Expugnanda „ erat a Duce, & mittenda erant auxilia a Rege.

Laudat Pius hoc Regis conſilium. Eſt enim ea urbs hæreticorum Galliarum, Italiæque ſentina.

Donec illa in poteſtate hæreticorum erit, Gallia ab hæreticis vexabitur; cum enim eam urbem habebunt tanquam aram tutiſſimam, quo ſe recipiant, nihili auctoritatem regiam facient, nihili edicta. Ea ſublata, cum neſcient, quo ſibi ſit confugiendum, minus audaces erunt.

Ne deſit ergo Philiberto Duci, promiſſumque præſidium ad illum mittat, ut poſſit eam expugnare.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIII. Junii P. a. I. a. D. 1560.

Cardinalem Armeniacum Regi commendat Pontifex.

CLXXVIII. Ib. parag. 36. PIUS IV. Franciſco &c.

Inc. *Inviti quidem, &c.*

ACceperat Pius in Bearnia hæreſim eſſe, regemque Navarræ Antonium cum uxore Joanna hæreſim fovere. Ad eum mittit Pius Legatum Cardinalem Armeniacum, ut ab hæreſi eum revocet,

Franciſcum, poſtquam admonuit qua de cauſa in Navarram prædictum Legatum mittit, orat Pontifex.

Ut eidem Legato aſſiſtat, præſidioque ſit in opere tam pio.

Quoniam jam nota Legati probitas, & ſcientia erat Regi, eum pluribus non commendat.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIII. Julii P. a. I. a. D. 1560.

Conſolatur Carolum Pius de morte Regis.

CLXXIX. ad an. 1560. par. 33. PIUS IV. Carolo Francorum regi.

Inc. *Obitu immaturo, &c.*

„ MOrtuus fuerat Franciſcus III. Rex ſine prole „ immaturo fato, magno cum Eccleſiæ detri„ mento. Hæreticos enim acerrime perſequebatur, & „ graviſſima in eos edicta publicarat, quæ fuerunt „ revocata poſtea, Jura etiam uxoris ſuæ Mariæ Stuar„ tæ in Regnum Angliæ defendere in animo habebat, „ Eſt aliter viſum ſuperis.

„ Succeſſit Fratri Carolus IX.

Eum conſolatur de morte Fratris Pius, eumque monet, ut, ſicut Chriſtianum decet, voluntatem ſuam divinæ voluntati ſubjiciat.

Dolendum etiam magnopere Eccleſiæ fuiſſet de Franciſci morte, cum in illo ſtrenuum propugnatorem amiſerit; ſed cum reputat Carolum ex iiſdem progenitoribus natum, inſitamque una cum ſanguine habere in Catholicam fidem devotionem, quam propugnationem habebat in Franciſco, experietur in Carolo; hac una ſpe ſe conſolatur.

Eam hortatur, ut exempla Fratris ſequatur, ne permittat hæreticos in ſuo regno eſſe; ingenium hæreticorum jam novit; quid contra Franciſcum moliti ſint, eum non latet.

Plura A. Nuncius de hoc cum illo loquetur.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIV. Dec. P. a. I. a. D. 1560.

Conſolatus eſt etiam Pius Franciſci uxorem Mariam.

De morte Antonii Navarræ Regis.

CLXXX. ad an. 1564. par. 171. PIUS IV. Catharinæ Reginæ Francorum.

Inc. *Obitus claræ, &c.*

MOrtuus erat Antonius Rex Navarræ.

Hunc ſibi nuntium dolorem attuliſſe ſcribit Reginæ Pius,

I. Tum quia eum amabat, eo quod ſtrenue Catholicam Religionem defendebat,

II. Tum quia erat tutor Regis Caroli IX.

At cum audiit in ejus locum illius Fratrem ſucceſſiſſe, & tutelam ſuſcepiſſe regis, lætatus eſt.

Videt enim optimum tutorem, imo patrem contigiſſe Regi.

Voluit Pius hæc Reginæ ſcribere, ut inde argueret, quam ſibi cordi ſint illius regni res.

D. Romæ apud S. Petrum Die VII. Dec. P. a. III. a. D. 1562.

Excommunicatio Henrici Borbonii.

SIXTUS V. ad p. r. m. CLXXXI. B.M.P. 4. vel c. 10. p. 163.

Inc. *Ab immenſa, &c.*

HEnricus Borbonius Navarræ Rex cum Henrico itidem Borbonio Principe Condenſi ab infantia ſequutus eſt Joannis Calvini errores.

Fuit Pariſiis in aula Caroli IX. Regis Galliarum in Vigilia S. Bartholomæi, in qua tanta Hugonottorum fuit facta ſtrages; tunc Henricus hæreſim abjuravit, præſente eodem Carolo, & Catharina de Mediciis Franciæ Regina; imo ipſe Henricus ad Gregorium XIII. ſcripſit de ſua abjuratione Calvini errorum, eumque rogavit, ut acciperet paterne pœnitentiam ſuam, & converſionem.

Ita etiam Rex Carolus, & Regina ſcripſerunt Pontifici. Quibus litteris credens Gregorius Henricum ab omnibus cenſuris abſolvit.

Interim Henricus duxit in matrimonium Margaritam ſororem ejuſdem Caroli.

Sed clam aufugit a rege, & cum hæreticis ſe iterum conjunxit; multa mala, quæ recenſentur a Sixto contra Catholicos egit, eadem fecit & alter Henricus Condenſis Princeps.

Quibus omnibus perpenſis, Sixtus eum excommunicat, privat quacumque dignitate, reddit ipſum, & ejus Succeſſores ad quamcunque dignitatem, & præcipue ad ſucceſſionem in Regnum Galliæ inhabiles. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Marcum V. Id. Sept. P. a. I. a. D. 1585.

„ Etiam Gregorius XIV. voluit regem excommuni„ care, & contra ejus fautores procedere. Sed Clerus „ congregatus Carnuti an. 1591. definiit, monitoria, „ excommunicationes, & interdicta, quæ Pontifex mi„ nitabatur, eſſe nulla & quoad materiam, de qua „ agebatur, & quoad formam; ea eſſe injuſta, quia „ erant extorta artibus regni hoſtium, neque iis ho„ mines teneri. Dicit definitionem ſuam inniti ſacris „ litteris, Conciliorum decretis, Canonicis ſanctioni„ aus, SS. Patrum exemplis, & privilegiis, & liber„ tate Eccleſiæ Gallicanæ. Etiam univerſitas Pariſien„ ſis declaravit die XXII. Aprilis an. 5592. non ob„ ſtantibus Pontificiis monitoriis Henricum IV. haben„ dum eſſe legitimum Galliæ Regem, illique eſſe pa„ rendum. Facultas Theologica Pariſienſis hanc ſen„ tentiam confirmavit anno 1595. declaravitque, licet „ Pontificia monitoria non eſſent revocata, tamen a „ Gallis præſtandam eſſe Regi Henrico obedientiam, „ & pro illo eſſe orandum; Regem enixe fuiſſe ro„ gatum, ut mitteret Romam Legatos, ut cum Ponti„ fice conciliaretur, non quia crederet, id eſſe neceſ„ ſe, ſed ne ſchiſma in regno fieret.

Abſolutio Henrici IV. regis Francorum.

CLEMENS VIII. Henrico Francorum regi. CLXXXII. B.R. t. 5. p. 2. p. 227. C.C.

Inc. *Divinæ gratiæ, &c.*

QUanto acerbior fuit omnibus bonis Henrici Regis a Sixto V. facta damnatio, tanto lætior eſt abſolutio, quæ fit a Clemente VIII.

Fuerat quidem a præſulibus Galliæ ille abſolutus, ſed cum fuiſſet hæreticus relapſus ſine S. Sedis auctoritate, abſolvi non poterat.

Rex autem Legatos Romam miſerat, ut peterent a Pontifice abſolutionem, quæ per aliquot menſes fuerat dilata, ut veritas ejus converſionis magis innoteſceret, & ut purior ad eam faciendam redderetur.

Rurſus Henricus miſit Jacobum Perronium, & Arnoldum d'Oſſat, ut hanc abſolutionem impetrarent.

Tot, tantaſque attulerunt Pontifici rationes Oratores, ut ille, indictis prius publicis proceſſionibus, & precibus, auditiſque Cardinalium votis, admiſerit in Porticu Baſilicæ Vaticanæ Oratores, qui litteras obtulerunt, & mandata regis expoſuerunt; die autem XVII. Septembris Henricum abſolvit, modo promitteret parere mandatis S. Sedis, erroribus per Oratores jam prius abjuratis.

Apponitur formula juramenti ab oratoribus nomine Henrici præſtiti, & profeſſionis fidei.

Tum

Tum hæc injungit Clemens facienda regi;
Ut observari faciat in suis ditionibus decreta Tridentini Concilii,
Ut utrumque Clerum in specialem protectionem suscipiat,
Ut infeudationes locorum piorum factæ ab illo, vel ejus officialibus revocentur,
Ut Catholicos promoveat ad gradus regni;
Ut singulis diebus non impeditis recitet Coronam B. M. Virginis, feria quaque quarta addat Litanias, singulis Sabbatis Rosarium dicat;
Servet, si potest jejunia Ecclesiæ; quater saltem in anno confiteatur, & communicet; quotidie interfit Missæ, & diebus festis etiam conventuali in aliqua Ecclesia;
In singulis provinciis, & in principatu Bearniæ ædificet conventum unum virorum, vel Monialium reformationis;
Ratificet in manu Legati Apostolici abjurationem;
Scribat ad reges, & principes Catholicos, se abjurasse hæresim,
Preces in gratiarum actionem in toto Regno fieri mandet.
Eum hortatur ad hæc patienti animo peragenda. N.O. *Nulli ergo, &c.*
D. Romæ apud S. Petrum XV. Cal. Oct. P. a. IV. a. D. 1595.

Ratificatio professionis fidei a rege facta.

lb.p.134. C.C. HENRICUS D. G. Francorum Rex.

Inc. *Cum sicut, &c.*

NE quisquam dubitaret de professione veræ fidei facta per suos Oratores in manu Pontificis,
Eam ratam habet, & renovat Henricus coram Cardinali de Medicis Legato a Latere.
D. Parisiis Die XIX. Sept. a. D. 1596. regni VIII.

HENRY.

Gratulatio Pontificis regi de ejus conversione.

clxxxiii. lb.C.C. CLEMENS VIII. Henrico &c.

Inc. *Benedicimus Dominum, &c.*

GRatulatur Clemens regi, quod redierit in gremium matris suæ; significatque illi gaudium Romanæ aulæ, totiusque Christiani orbis, regem eximium bellicis artibus professione veræ fidei esse revera Christianissimum;
Multa ab eo sperare Ecclesiam, quæ certe rex præstabit.
D. Tusculi Die XIII. Oct. P. a. V. a. D. 1596.

De absolutione Ducis Parmensis, de abolenda Societate Jesu, de restituendo Avenione, & Benevento.

CLEMENS XIV. Ludovico XV. Regi Christianiss. clxxxiv. *in folio separato.*

Inc. *Expecto jam, &c.*

HÆc Pontificis epistola ad Galliarum Regem scripta circumfertur.
Scribit Pontifex, se jam prævidere fore ut Legati Borboniæ Domus eum urgeant, ut illius postulationibus adhæreat. Quare satius putat Regis postulata præoccupare; illique sui animi sensa aperire.
I. Ad Regium Infantem Parmensem Ducem matrimonialem dispensationem misit; effectusque Brevis, de quo queritur, Regis intuitu suspendit; sicut suspendit Bullas eodem spectantes, & Apostolicam benedictionem ex animo illi impartitur.
II. Quoad Jesuitas nec potest vituperare, nec abolere institutum laudatum, confirmatumque a decem & novem prædecessoribus suis, tantoque minus illud abolere potest, quod *(a)* authentice confirmatum fuit a Tridentino Concilio, & quia generale Concilium secundum Gallorum opinionem est supra Pontificem. Si hoc requiritur, Concilium convocabit, in quo omnia rite, recteque hinc inde discutientur; in quo Jesuitæ audientur; ut se purgent; quoniam tenetur & Jesuitas, & omnes ordines protegere, & omnibus ordinibus se æquum præbere. Ex altera parte Imperator, Rex Sardiniæ, & Rex Prussiæ pro illis ad Pontificem scripserunt: Quare Societatem abolendo non potest displicere quibusdam Principibus, ut aliis placeat,
III. Ait, se esse bonorum S. Sedis administratorem, non dominum, vendere, & cedere Avenionis Comitatum, Ducatumque Beneventi se non posse; quidquid in hoc negotio faceret, successores suos tanquam male factum revocare posse; se cessurum esse vi, neque vi vim esse repulsurum, etiamsi id facere posset.
Ille est filius Ecclesiæ primogenitus, novit ejus æquitatem, libenter sine Nunciis, sine arbitris solus cum solo omnia negotia, quæ sunt expedienda, expediet.
Testatur demum Pontifex, se quotidie Deum pro illius felicitate orare, illique ex animo benedictionem Apostolicam impartitur.
D. Romæ Die . . . mensis Julii P. a. I. a. D. 1769.

(a) Finito tempore Novitiatus, Superiores Novitios, quos habiles „ invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio eos ejiciant. „ *per hæc tamen Sanctæ Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Soc. J. juxta pium eorum institutum a S. Sede Apostolica approbatum, Domino, & ejus Ecclesiæ inservire possit.* Sess. 25. c. XVI.

DE

DE ECCLESIA GALLICANA.

Responsio ad Episcopos Galliæ querentes, nimias expensas a se fieri, ut in Curia litigent.

I. B.M.p.5. vel t. 9. p. 43. B.R.t.3. p. 1. p. 238.C.C. HONORIUS III. Archiepiscopis, Episcopis per Regnum Galliæ constitutis.

Inc. *Super muros, &c.*

QUerebantur multi, se impensas maximas debere facere, ut Romam veniant, ut Romæ morentur ad lites peragendas;
Sin autem Cathedrales, & Collegiatæ mittant Procuratores, multo majores expensas fieri.
Sæpe Pontifex, ut iis præcidat hos questus, significavit, ideo tot impensas fieri, quia procuratores missi Romam ad lites peragendas *suis voluptatibus applicabant subsidium datum.*
Sed ut prorsus has querimonias extingueret, de consilio Fratrum postulat, in singulis Cathedralibus Ecclesiis *ad opus Sedis Apostolicæ præbendam unam;*
Hæc de novo erigatur, detractis aliquibus nummis quotannis ab omnibus præbendis, quibus hæc præbenda fundetur, qua fundata, præbendæ integræ dabuntur Canonicis.
Redditus erectæ præbendæ distribuentur in officiales Curiæ Pontificiæ, & omnia gratis Romæ expedientur.
Tum graviter has querelas objurgat: nonne decet, inquit, filios opem ferre matri? nonne antiquitus, cum concilia fiebant, omnes Ecclesiæ faciebant necessarios sumptus.
D. Later. V. Cal. Febr. P. a. IX. a. D. 1225.

Quomodo se gerere debeant Prælati in promulgatione legum factarum a Baronibus regni contra libertatem Ecclesiasticam.

II. ad an. 1247. par. 49. INNOCENTIUS IV. Archiepiscopis, Episcopis &c. per Galliæ Regnum &c.

Inc. *Angustiæ nobis, &c.*

SIcut vetuerat Rex Ludovicus ne Laici irent ad fora Ecclesiastica, ita id vetuerant fere omne Regni Barones. Consuluerunt Pontificem Prælati illius Regni, quid sibi esset agendum?
Pontifex, infelicitatibus Ecclesiæ comploratis, quibus addebant alias etiam filii sui dilectissimi Galli,
Inquit, non debuisse Barones Gallos hoc tempore eas leges ferre, sed potius illi manum porrigere adjutricem. Si attendissent Barones quomodo erga Ecclesiam se gesserunt Carolus Magnus, & Theodosius Imperatores, non ita egissent.
Præterea tandiu hæc consuetudo in Gallia viguerat, populique quieti vivebant; non erat ergo abroganda.
Si scivissent Barones omnes, qui leges contra Ecclesiasticam libertatem ferunt, esse excommunicatos, eas non tulissent.
Hortatur Clerum, ut resistat, neque se vinci patiatur; sit instar columnæ ferreæ contra hujusmodi Ecclesiasticæ libertatis aggressores.
Suum, & Ecclesiæ auxilium consiliumque illi pollicetur Innocentius.
Ad Episcopos mittit decretum Honorii, quo excommunicantur illi omnes, qui Ecclesiasticam libertatem læserint, quod quidem fuit confirmatum in Concilio. Jubeant illud publicari: incipit *Noveritis quod nos.*
D. Lugduni XVI. Cal. Sept. P. a. V. a. D. 1247.

Mandatur Legato quid agere debeat in attentantes contra Ecclesiasticam libertatem.

III. lb.f.51. INNOCENTIUS IV. Episcopo Tusculano A. S. L.

Inc. *Cum per prædicta, &c.*

ITa mandat Innocentius Legato suo esse ab illo agendum in hoc negotio:
I. Denuntiet, & denuntiari faciat excommunicatos, quicunque servari fecerint statuta edita contra Ecclesiasticam libertatem;
II. Excommunicatos declaret statutarios, & scriptores harum legum, barones, nobiles, potestates, consules, rectores &c. locorum, ubi hæc statuta edita fuerunt, & eos omnes, qui secundum illa judicare præsumpserint;
III. Publicari faciat ea statuta non esse servanda, & juramenta de iis servandis data non tenere.
IV. Excommunicet, qui in societatem harum legum ferendarum, vel latarum intrarunt, vel intraverint;
V. Excommunicet, qui impedient prælatos, ne suas consuetudines judicandi exercere possint, in casibus, in quibus iis de jure competit (non apponit Pontifex qui sint hi casus);
VI. Excommunicet impedientes eos qui volunt ire ad forum Ecclesiasticum, patronos, scribas &c.
VII. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, &c.
VIII. Si pertinaces hi nobiles sint, priventur feudis, si qua habent ab Ecclesia; eorumque posteri ad Clericatum, & ad beneficia, si sunt in domo Clerici, non admittantur;
IX. Moneantur Clerici, qui sunt in obsequio horum nobilium, ut ab iis statim recedant, nisi statuta revocant, sub pœnis suspensionis ab officio, & beneficio.
D. ut supra.

Regis responsum significatur Galliæ prælatis.

IV. ad an. 1254. par. 22. INNOCENTIUS IV. Archiepiscopis, Episcop. per Galliam &c.

Inc. *Gravem dudum, &c.*

REgressus ex infelici expeditione in terram Sanctam Rex Christianissimus Ludovicus in Regnum suum ex tumultubus, qui erant inter Ecclesiasticos hinc, Baronesque regni inde super statuto de judiciis edito ab his dolorem ingentem accepit. Non enim Barones ea tantum in suis terris statuerant, quæ decreverat Rex, sed multo plura, ita ut jurisdictio Ecclesiastica omnino esset extincta. Motus his turbis, motus Legati Pontificii querelis ad Pontificem scripsit, nihil se magis mente, & animo curare, quam ut jura Ecclesiastica in suum decus assererentur.
Tanti regis responso recreatus Innocentius illud Galliarum Prælatis significat.
Ac primum, ut mos curiæ est, rem ab ovo exordiatur, quam legem tulisset Rex, quæ statuta Barones, repetitque quid Regi scripserit, quas facultates Legato suo dederit, nempe excommunicandi, interdicendi &c.
Quam facultatem dederat etiam Episcopis.
Nunc autem cum velit Pontifex Regis honori deferre, qui promiserat, se effecturum, ut Ecclesiastica jura integra servarentur, eisdem Episcopis mandat, ne in Baillivos, in officiales, in Barones pœnas Ecclesiasticas expediant.
Irritumque decernit quidquid contra hanc constitutionem egerint.
D. Later. Id. Jan. P. a. XI. a. D. 1254.

Pro libertate Ecclesiastica in Galliis asserenda.

V. ad an. 1257. par. 56. ALEXANDER IV. Archiepiscopis, Episcopis per Galliam, &c.

Inc. *Improbis quorundam, &c.*

UT perversorum hominum evertere in Galliis Ecclesiasticam libertatem cupientium obsistat conatibus Alexander, inhærens vestigiis prædecessorum Pontificum Honorii, & Innocentii
Eos omnes excommunicat, *qui de cætero servare fecerint statuta edita, usus, consuetudinesque introductas contra Ecclesiasticam libertatem, nisi infra duos menses a publicatione hujusmodi editti ea de suis capitularibus fecerint amoveri.*
Excommunicat statuarios, scriptores, consiliarios &c.
Cum Episcopi conservatores hujusmodi libertatis esse debeant, eorum officium exigit, & iis id præcipit Alexander, ut hujusmodi Pontificium edictum in Synodis provincialibus, & Episcopalibus Conciliis & per

suas diœceses, & urbes publicari faciant, & inviolabiliter observari.

Contradictores per censuras compescant non obstante &c.

Si qui pertinaces sua statuta observari velint, eos feudis, quæ ab Ecclesiis tenent, spolient, eorum proles a beneficiis præcipue in Ecclesiis Cathedralibus consequendis, & a Clericatu arceantur.

Clerici, qui ab eorum consortio non recesserint, priventur beneficiis, & Clericatus privilegiis &c.

D. Viterbii Non. Jul. P. a. III. a. D. 1257.

De conciliabulo Basileensi.

VI. ad an. 1419. par. 19. EUGENIUS IV. Tribus Statibus patriæ linguæ Auxitanæ.

Inc. *Benedictus sit, &c.*

LAudat his in litteris Eugenius Episcopos patriæ linguæ Auxitanæ, hoc est *Tenlosages*, qui cum viderent scandala multiplicari in Basileensi conventu, nihilque aliud ibidem fieri, nisi ut in Ecclesiam inveheretur schisma, summis precibus sæpe Regem orarunt, ut auctoritate sua Basileenses comprimeret, Synagogamque illam solveret.

Ob hanc devotionem in Ecclesiam, ob hanc curam, sollicitudinemque ab iis præstitam, sperent a Deo præmium Teutosages.

Ii exemplo sunt aliis, qui censendi sint Basileenses.

D. Florentiæ V. Non. Febr. P. a. IX. a. D. 1439.

Cleri Gallici mores corrigat Legatus A.

VII. ad an. 1483. par. 16. SIXTUS IV. Joanni Episcopo Albanensi in Gallia Legato A.

Inc. *Fraternitati tuæ, &c.*

TUro legato prædicto in Gallias demandat Sixtus omnes, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, & alios Prælatos, & Ecclesiasticos regulares sæculareisque corrigere, & pœnis Ecclesiasticis eos cogere vivere secundum Canones, & honestatem Ecclesiasticam; *fugiendo venationes, aucupationes, deferendo in Ecclesiis, & locis publicis roquetos, & mantellum, devitando brevas vestes cum corvestis, causas eorum in foro seculari non tractando, de Sede Apostolica, & membris non obloquendo, neque de Sedis Apostolicæ auctoritate judicando: & a reservando confirmationes electionum ad Cathedrales, vel Metropolitanas Ecclesias, ac Monasteria & alias dignitates electivas contra reservationes Apostolicas*, eos abstinere iisdem censuris cogat.

D. Romæ apud S. Petrum VI. Id. Oct. P. a. XIII. a. D. 1483.

Duc Borbonius oratur efficere, ut revocetur, quod contra Ecclesiam statutum fuerat.

VIII. lb. par. 39. SIXTUS IV. Duci Borbonio,

Inc. *Intelligimus, &c.*

IN Cleri cœtu habito quidam Ecclesiastici prælati electi fuerant, qui ordinis Sacerdotalis clientelam gererent, Ecclesiæquæ Gallicanæ mores perpoliendos, & corruptelas abolendas curarent.

Hoc visum est Pontifici tanquam absurdum, & sacris canonibus, & consuetudinibus contrarium.

Quare rogat Ducem Sixtus, ut curet, ut hoc inceptum maxime improbandum tollatur, cum ad Pontificem spectet hæc omnia præcidere.

D. R. apud S. Petrum Die XXIV. Dec. P. a. XIII. a. D. 1483.

Ne permittat Rex aliquid contra Apostolicam Sedem in habendis Cleri comitiis agi.

IX. ad an. 1485. par. 7. INNOCENTIUS VIII. Carolo Regi &c.

Inc. *Intelleximus, &c.*

„ LUdovico qui pragmaticam sanctionem sustulerat, „ mortuo, timebat Innocentius ne Clerus, co„ gendus ad Calendas Augustas aliquid statueret, „ quod in præjudicium Romani Pontificis caderet „ Ergo monet Carolum;

Se intellexisse *indictum esse quendam Prælatorum, & Ecclesiasticorum conventum ex omnibus regni provinciis ob nonnulla tractanda, quæ tendunt in diminutionem Sanctæ Sedis.*

Consideret Rex, se descendere ab iis regibus, qui Ecclesiam amplificarunt;

Revolvat sui regni monumenta, videbit felices fuisse eos reges, qui S. Sedis jura amplificarunt, infelices autem eos, qui ea læserunt;

Ne se abripi sinat consiliis malis; si amat salutem animæ, ne permittat quicquam attentari contra Pontificiam auctoritatem: *rescindat, & dissipet malas hominum prave sentientium voluntates, petant a nobis, siquid volunt, & honesta eis non denegabimus; non est tam dura tam inexorabilis A. Sedes, quæ recurrentibus ad se cum humilitate filiis non consueverit in his, quæ cum Domino, & honore licet, concedere.*

D. Romæ apud S. Petrum Die XXV. Jul. P. a. I. a. D. 1485.

Ad Clerum Gallicanum de decima.

X. ex Rayn. ad an. 1489. par. 55. CLEMENS IV. Decanis, & Capitulis,

Inc. *Rhemensis Ecclesiæ, &c.*

MIserat Pontifex Legatum A. in Galliam, ut prædicaretur sacra militia in Terram S. & ut supeterent bello nummi, illi mandarat ut decimam exigeret ex omnibus bonis Ecclesiasticis regni per triennium.

Clerus, cui ingrata hæc solutio erat, misit ad Pontificem oratores, ut mandatum revocaret, illique ostenderent, ex decimarum collatione præcipue natam esse amissionem Terræ S.

Pontifex respondet, licet videat in Cleri litteris se lædi, tamen quia caritas patiens est, his non commovetur. Certe si Clerus rem bene perpendere velit, Pontifices in causa non sunt, cur terra illa fuerit amissa; quæ egerint, quæ expenderint ut recuperaretur, ne amitteretur recuperata, satis superque Cleri Gallicani convicium refellunt.

Neque *negotium decimarum secum deducit anathema*, ut Clerus ait. His diebus Regnum Siciliæ ad obedientiam Ecclesiæ fuit deductum decimæ subventione.

Neque impositio decimæ, ut vult Clerus G. separavit Ecclesiam Orientalem ab Occidentali; *testantur antiqua, & authentica scripta, occasionem separationis hujusmodi quendam Constantinopolitanæ Sedis Antistitem* (Photium) *præstitisse, qui juste Apostolico judicio Patriarchatus dignitate privatus post subductum de medio substitutum illius* (S. Ignatium) *multa exhibens pœnitentiæ, ac devotionis indicia, & emendationem vitæ prætendens obtinuit per Apostolicam Sedem* (erat tum Pontifex Joannes VIII.) *gratiose restitui, vel potius reassumi ad Patriarchatus honorem, sed tandem ingratus ad gratiam, & injuriam reputans, quam pertulerat in privatione, justitiam, damnatas hæreses suscitant, & schismata excitans Constantinopolitano ejus temporis Imperatore seductio* (erat Basilius dictus Macedo) *prædictam separationem, cujus non causam pro causa confingit Clerus procuravit.*

Clerus appellarat etiam hanc solutionem *servitutem, tributum*. Nihil habet, inquit Clemens, subventio hæc cum servitute commune: non potest dici tributum id quod datur pro Christo, qui Ecclesiam fundavit, ex bonis ipsius Ecclesiæ.

At est servitus, est tributum, inquiebat Clerus: nam Ecclesia excommunicat illos, qui hanc servitutem non præstant, qui hoc tributum non solvunt.

Excommunicatur, inquit Pontifex, pertinacia, quia cum unusquisque teneatur necessitati alterius subvenire, cum A. Sedes videt hanc necessitatem, & utilitatem maximam, eam indigitat. Videt quam sit necessaria Terræ S. recuperatio, quam sit universæ Christianæ Reip. utilis, & decora. An soli Ecclesiastici huic necessitati opem non ferent?

Ita responsum vult Pontifex Cleri litteris.

Nam ad ea, quæ oratores Cleri dixerant de ejusdem Cleri mandato, eum paratum esse potius excommunicationis sententiam perferre, quam decimam solvere, Clemens respondet, hanc esse miserabilem audaciam, hoc esse argumentum, Clero magis cordi esse pau-

paucos nummos, quam salutem ipsam animarum. Habet Vicarius Christi quid aliud, quod possit infligere præter excommunicationem; potest privare beneficiis, deponere, degradare, invocato brachio sæculari, exequi potest quod statuit. Quanquam apud Christianos plus valere debet quod Christus dixit vinculum a suo Vicario in terris positum hominibus etiam positum esse in cœlo iisdem hominibus.

Si Clerus hæc omnia responsa considerabit, non poterit quin se pudeat, quin se pœniteat se scripsisse, ea se dixisse.

Rex regni caput, dominusque ipse eo se contulit, milites illuc mittit, thesauros effundit, militibus ex aliis nationibus illuc confluentibus larga subsidia mittit, id faciunt nobiles, id populus, laicique universi, agitur quippe de Christo ipso, Clerusque qui exemplo præcedere deberet, retrahit manum auxiliatricem, nihilque erogare statuit?

Demum unde habent ea bona, e quibus decima exigitur? ab Ecclesia, quam Christus sanguine fundavit suo. Jure igitur potest pro Christo aliquid ex iis bonis a professoribus clericatus, qui testantur, Christum esse hereditatem suam exigere: exigit enim e bonis suis, quorum Clerici sunt administratores.

Ex eo præcipue conscientia eos deberet arguere, quod laicis onera gravia ultra subeuntibus pro tam necessario Crucifixi obsequio, Clerus invitatus, contractus levia etiam subire recusat.

Ergo rescissis omnibus illorum provocationibus imperatas decimas in subsidium Terræ S. Clerum solvere jubet Clemens.

D. Viterbii VIII. Cal. Oct. P. a. III. a. D. 1267.

Ne Clerici in Regno Galliæ nec per se, nec per alios pugnent in duello.

XI. Ex Raynaldo ad an. 1252. §. 31. INNOCENTIUS IV. Archiepiscopis, Episcopis &c. per Galliam, &c.

Inc. *Consuetudo quædam, &c.*

HÆc consuetudo, *quin potius corruptela in plerisque locis regni Franciæ inoleverat, quod videlicet quando Ecclesiarum homines de corpore ad alienum dominium se convertunt, si eos Ecclesiastici, quorum ipsi sunt homines, forte conveniant coram judice competenti, necesse habent suam per duellum intentionem fundare: alioquin ab actione proposita repelluntur, licet per testes, vel alia documenta intentionem ipsam velint, & valeant legitime comprobare.*

Cum clerici absque sui ordinis periculo duellum acceptare nequeant, vel offerre, eo quod sive per se, sive per alios pugnaverint in duello, ipsos ab executione suorum ordinum canonicæ constitutionis severitas repellat, volens Pontifex duellorum abusum, præcipue cum de rebus Ecclesiasticis agitur tollere, eo quia Deus tentatur, & sæpius vera judicia pervertuntur, vult,

In quibuslibet judiciis omnium probationum genere a jure concesso Ecclesiasticos uti, prædicta consuetudine non obstante;

Et edicto perpetuo statuit, ut si aliquibus Ecclesiasticis in quibuslibet casibus defendere per duellum recusantibus causam suam, aut in hujusmodi reprobo probationis genere succumbentibus propter hoc contra tales sententia, seu executio quæcunque processerit, eandem, & quidquid ex ea secutum fuerit vel ob ipsam nullius penitus sit momenti.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Perusii X. Cal. Aug. P. a. X. a. D. 1252.

Laudatur regium decretum de admittendis ad Beneficia in Gallia alienigenas, & de pace Anglica.

XII. E. M. p. 5. vel t. 9. p. 185. CLEMENS VI. Joannæ Reginæ Franciæ.

Inc. *Serenitatis tuæ, &c.*

LAudat Clemens Joannam, quod induxerit regem ad revocandam sententiam, qua jubebat, ne familiares Cardinalium, & Pontificis habere possent beneficia in Gallia, nisi essent indigenæ.

Ei significat, se misisse Legatos Apostolicos in Angliam, ut permoveant Eduardum aut ad pacem, aut ad treguas cum rege Philippo.

D. Avenione Id. Apr. P. a. V. a. D. 1347.

Consil. Pontificiarum Tom. II.

Gabella super vino vendito ab Ecclesiasticis denegatur regi.

NICOLAUS V. Carolo Francorum Regi. XIII. lb. p. 259.

Inc. *Receptis litteris, &c.*

GAbellam *vino, quod vendebatur per personas Ecclesiastica* volebat rex Galliæ Carolus VII. imponere, petieratque facultatem a Pontifice.

Nicolaus sese excusat, si elargiri hanc licentiam non potest, *namque infamia summa sua esset*, si cum debeat Ecclesiasticam libertatem tueri, eam prodat.

Tamen offert se regi paratum ad alia pro eo facienda.

D. Romæ apud S. Petrum Die II. Maji P. a. IV. a. D. 1450.

Denegat Nicolaus regi exemptionem quorundam onerum.

NICOLAUS V. Carolo Francorum regi. XIV. lb. p. 260.

Inc. *Accedens ad præsentiam, &c.*

PEr quadraginta annos cum vastatum esset bellis regnum Galliæ, postulaverat Rex Carolus a Pontifice per suos Nuncios, ut liberaretur a quibusdam gravaminibus, quæ regnum suum ne florens quidem ferre poterat.

Respondet Nicolaus longo verborum circuitu ingerens plurimas laudes in regem, id se facere non posse.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Febr. P. a. VI. a. D. 1459.

Rogatur Rex abolere pragmaticam sanctionem.

EUGENIUS IV. Carolo, &c. XV. ad an. 1439. §. 37.

Inc. *Consideramus, &c.*

„ REnovata fuerat pragmatica sanctio in Gallia „ tempore schismatis conciliabuli Basileensis, quæ „ jam incœperat in schismate sub Urbano VI. & Pe„ tro de Luna Benedicto XIII. statuta Bituris, nempe „ ut Episcopi darent sacerdotia, & Capitula canonico„ rum eligerent Episcopos. Canonici Andegavenses ele„ gerant Episcopum, & Episcopum nominarat Ponti„ fex. Pontifex vult Episcopum a se nominatum esse „ verum Episcopum, ejiciendumque electum a Ca„ nonicis.

Primum miratur Pontifex litteras tam *irreverenter scriptas fuisse ad Vicarium Christi, quod imputat culpæ consulentium, & temeritati secretarii, qui neque pro quo, neque ad quem scriberet advertens, tam stulte, tam insolenter inconsiderato impetu potius, quam ulla ratione scripsit.*

Tum coarguit scriptorem, quod hæc scripserit, *tentasse* Eugenium *providere Ecclesiæ Andegavensi. Non respondendum est multis verbis illius ignorantiæ; relinquendus est enim cum sua stultitia. Tale verbum non convenit neque sapientiæ regiæ, neque auctoritati Pontificiæ, & Apostolicæ sedis, quæ ea quæ facit, non attentat, sed juste, sancte, & prudenter facit.*

Nam qui sacros Canones qui scripsit allegat, & quod mandant a nobis fieri petit, ridiculum est velle nos docere canonum sanctiones, quorum editio, promulgatio, observatio, interpretatio sicut a Pontificibus processerunt, ita & ab iisdem suspendi, mitigari; aboleri, & commutari possunt, quorum in potestate est jura condere, & interpretari.

Scripsit etiam secretarius, velle regem pragmaticam sanctionem servare: Respondet Pontifex, ita certe sentiendum a Rege non esse; nam cum interrogasset doctos, & probos viros quid sentirent de iis sanctionibus Bituris confectis, respondissentque esse injustas, contra conscientiam Deumque ageret si quod injustum, & contra Deum est, vellet servare.

Quare Regem orat, ut admittat Episcopum Andegavensem electum a S. Sede, vetetque electo a capitulo ejus Ecclesiæ possessionem capere.

Cum enim ea statuta edita sint, cum schisma erat in Ecclesia, si nunc servarentur, videretur, adhuc durare schisma, quod cum sit abolitum, etiam eæ sanctiones tollendæ sunt, quæ durante illo fuerant latæ.

D. Florentiæ Non. Sept. P. a. IX. a. D. 1439.

Rurſus rogatum Rex tollere ſanctionem pragmaticam.

XVI. Ad an. 1490. §. 5. EUGENIUS IV. Carolo, &c.

Inc. *Ex noſtrorum, &c.*

OMnia egregie pro Eccleſia Carolus faciebat; quem idcirco meritis laudibus exornat Pontifex;

Verum, ſcribit, *unum opus, quod tua virtus, & devotio videtur maxime requirere, reſtat perficiendum, ut quædam ſanctio dudum non a te, prout certi reddimur, ſed a nonnullis quærentibus quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti in diminutionem obedientiæ, quæ ſemper Romanis Pontificibus in regno Galliæ præſtita eſt, in enervationem auctoritatis Sedis Ap. præter divina, & humana jura Bituris edita, per opus tuæ prudentiæ abrogetur, ut appareat omnibus, velle te defenſionem auctoritatis, & dignitatis ipſius Sedis, & noſtræ tibi quodammodo a tuis progenitoribus hereditaria devotione relictam conſervare.*

D. Florentiæ a D. 1440.

„ Sanctio Pragmatica, ſeu Caroſina, nihil eſt aliud „ quam celebris illa conſtitutio in Concilio Bituricenſi „ ſub Carolo VII. Gallorum Rege anno 1438. ex de„ cretis fere ſynodi Baſileenſis conflata, inque tres, & „ viginti titulos diviſa. Præponitur auctoritas Concilii „ auctoritati Pontificiæ; electiones Epiſcoporum, quas „ Pontifices ſibi reſervarant, Canonicorum Collegiis „ dantur. *Expectativis præterea gratiis*, ut ait Gaguinus lib. 10. de Geſtis Regum Francorum pag. 226, „ *locum eſſe non ſinit. Beneficia, vivo eorum rectore, „ nemini reſervari permittit.* Itaque Romani Pontifi„ ces, ut ait idem Gaguinus ibidem pag. 228. *regiam „ conſtitutionem non ſecus ac perniciоſam hæreſim ex„ ſecrati* egerunt cum Galliæ Regibus, ut abrogaretur; „ certatumque acerrime ſuper hac re per annos am„ plius ſeptuaginta utrinque fuit. Anno demum 1516. „ per *concordatum* inter Leonem X. & Franciſcum I. „ controverſiæ ſedatæ fuerunt, ægre tamen Gallicano „ Clero ferente, iterumque electiones Epiſcoporum col„ legiis Canonicorum fuerunt abrogatæ, nominatione „ Epiſcoporum delata Regibus, confirmatione reſerva„ ta Pontificibus, ut videre eſt in ſubſequentibus Bul„ lis. *Pragmatica* ſtatuta cetera partim abolita, par„ tim omiſſa, partim correcta, partim approbata fue„ runt. Legendus eſt Petrus de Marca lib. 6. de con„ cordia cap. 9. §. 13. Dupinus in nova Bibliotheca „ Auctor. Eccleſiaſticor. tom. 13. cap. 1. §. 8. & 10. „ & Raynaldus ad an. 1439. §. 37. & 1516. §. 22. „ ut hujuſce controverſiæ tota habeatur hiſtoria.

Laudatur Ludovicus (XI.) quod velit abolere Pragmaticam ſanctionem.

XVII. Bull. p. 5. vol 1. 9. p. 266 PIUS II. Ludovico XI. Regi Franciæ.

Inc. *Accepimus ex litteris, &c.*

PAratum ſe oſtenderat Galliarum rex ad tollendam e regno ſuo conſtitutionem, *quæ Pragmatica Sanctio* appellatur.

Laudatur propterea a Pio, æquiparaturque magno Conſtantino, diuoque Theodoſio, & Carolo Magno.

Quod ſi prælati, & univerſitas Galliæ a Pontifice aliquid deſiderant, rege mediante ad Pontificem recurrant.

Ei commendat Reginam Cypri venientem in Galliam, cujus regni dominium uſurpaverat Soldanus Ægypti, eumque rogat, ut reſpiciat Chriſtianitatem pene oppreſſam a Mahumete Turcarum Domino, qui jam Græciam, & Trapezuntem occupaverat.

D. Romæ Die XXVII. Oct. P. a. IV. a. D. 1461.

Reſponſio regis ad præfatas Pii litteras.

Ib. p. 267. LUDOVICUS D. G. Francorum Rex Sanctiſſimo, & B. Patri Pio P. II.

Inc. *Deum ſolum, &c.*

„ PIi litteris reſpondet Ludovicus per has litteras, „ quarum hic eſt tenor.

„ Licet Pragmatica Sanctio *magno Prælatorum con„ ventu, magna temporis deliberatione concluſa fuerit,* „ tamen gratum facere volens Pio Ludovicus pollice„ tur, ſe eam e regno eliminare ita convictum ratio„ nibus adductis ab Joanne Epiſcopo Atrabatenſi le„ gato a latere,

„ *Et quam qualemve ante pragmaticæ ipſius editio„ nem circa Eccleſiarum Beneficiorum, aliarumque re„ rum diſpoſitionem* in regno Galliæ habebant Præde„ ceſſores Pontifices, habebit & Pius.

D. Turonii ſub magno Sigillo Die XXVII. Nov. an. 1461.

„ *Omnibus victimis potiorem obedientiam eſſe: Teſta„ tur ſe abrogare pragmaticam ſanctionem, utpote quæ „ in ſeditione, & ſchiſmate nata ſit, & quæ Ro„ mano Pontifici, a quo ſacræ leges oriuntur, & ma„ nant, omne jus, & omnem legem diſſolvit.* „

D. Turonii ſub magno Sigillo Die XXVII. Nov. an. 1461.

Decreta ad ſubvertendam Pragmaticam ſanctionem.

SIXTUS IV. ad p. r. m. XVIII. Ib. p. 281.

Inc. *Ad Univerſalis, &c.*

NE ſemina diſcordiarum ob pragmaticam ſanctionem orjantur, quæ certe orirentur inter S. Sedem, & regnum Galliæ, ſi illa diutius ſervaretur, hæc decreta edere optimum duxit Sixtus;

I. Ut incipiendo a Menſe Februario alternatim per ſex Menſes electio ad beneficia pertineat ad Ordinarios regni, ſint ea cum cura, vel ſine cura, incipiendo ab Januario alternatim ſpectet per alios ſex menſes eorum proviſio ad S. Sedem;

II. *In conceſſionibus gratiarum expectativarum perſonis idoneis regnicolis* Pontifex concedit *ſex expectativas ad quamlibet collationem, ſeu diſpoſitionem ſingulorum ex prælatis;* ex quibus quidem ſex gratiis quæ concedantur Clericis regnicolis; & poſt illas ſex aliæ ſex cum duabus gratiis dentur Clericis regnicolis, & ſic deinceps.

III. Beneficia, quæ poſſidentur a Cardinalibus, ſint reſervata S. Sedi etiam poſt annos ſex ab eorum interitu, & diſponatur de iis, ut ſunt notati ſuperius menſes deinceps.

IV. Ita dicatur de conſecrationibus, quæ alternatim debent fieri vel per alios Epiſcopos, vel per Pontificem;

VI. Etiam Notarii in regno Franciæ poſſint habere beneficia,

VI. Lites ante primam inſtantiam non poſſint appellari, poſt definitivam ſententiam poſſint, & in aliis inſtantiis agantur in Curia Romana;

VII. Cauſæ beneficiales pendentes in Romana Curia inter Pontificem, & familiares Cardinalium, cognoſcantur, & decidantur per quos Pontifex voluerit;

VIII. Cæteræ cauſæ Beneficiales in regno Franciæ audiantur, & decidantur ab judicibus competentibus.

IX. Quia multæ cauſæ in Romana Curia ſunt ſuper petitorio, & in diverſis curiis regni ſuper poſſeſſorio, vult Sixtus, ut ſuſpenſo petitorio, ſuper poſſeſſorio terminentur intra biennium, quo elapſo liceat partibus procedere ſuper petitorio,

X. In litteris Apoſtolicis ſervetur taxa a PP. Joanne XXII. edita,

XI. Annuatim exiget rex a beneficiatis juxta taxas antiquas,

XII. Rex poſt quatuor menſes a datis his litteris, hæc decreta acceptabit, & obſervari faciet per regnum Galliæ, & Delphinatum.

D. Romæ apud S. Petrum Id. Aug. P. a. I. a. D. 1472.

Hortatio ad regem, ut ratificationem concordatorum Romam mittat.

SIXTUS IV. Ludovico Francorum regi. XIX. Ib. p. 284.

Inc. *Quotidie ad nos, &c.*

RElatum fuerat Pontifici, regem Galliæ non ſervare conventa, & portantes in Galliam Apoſtolicas proviſiones capi, & male haberi.

Hæc cum tenderent in contemptum Sedis Ap. honoriſque regis, eum rogat Sixtus, ut ratificationem concordatorum Rex mittat Romam; nimium enim eum diſtuliſſe; Et mala illa fieri vetet.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXX. Dec. P. a. III. a. D. 1474.

Inhibitio, ne quiſquam agat juxta capitula pragmaticæ Sanctionis.

XX. Bull. t. 1. p. 570. Bull. R. t. 3. p. 3. p. 430. C. C. LEO X. ad p. r. m.

Sacro approbante Concilio.

Inc. *Paſtor æternus, &c.*

JUlius II. invitaverat ad Generale Lateranenſe Concilium prælatos Gallos principe ſtudio, ut diſcuteretur negotium pragmaticæ ſanctionis,

Eo mortuo, Leo iis tempus ad veniendum prorogavit, iis ad prædictos terminos pluries prorogatos non comparentibus, Sacro approbante Concilio pragmaticam ſanctionem, *corruptelam tempore Schiſmatis a non habentibus auctoritatem editam* a Ludovico XI. caſſatam Leo omnino abolet.

Neque quicquam prodeſt dicere, approbatam fuiſſe a Concilio Baſileenſi; nam cum approbata fuit, jam illud Concilium non erat legitimum, quippe quod ab Eugenio IV. diſſolutum.

Deinde etiam Leo I. revocavit acta in II. Epheſina ſynodo, eamque tranſtulit Chalcedonem.

Inhibet ergo Leo cujuſcumque cujuſcumque gradus, & dignitatis tacite, vel expreſſe quicquam agere ſecundum & ejus ſanctionis capitula.

Confirmat Conſtitutionem Bonifacii VIII. *Unam ſanctam*, quin deroget Conſtitutioni Clementis V. *Meruit.*

Agentes incurrant penas Eccleſiaſticas, ſint infames &c. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ in publica Seſſione in Lateranenſi Sacroſancta Baſilica ſolemniter habita XIV. Cal. Janu. P. a. IV. a. D. 1516.

Pers annos ſeptuaginta perdurarat.

Pacta inita inter Pontificem & Franciſcum I. Galliæ Regem.

XXI. Ib. p. 572. Ib. p. 413. C. C. LEO X. ad p. r. m.

Sacro approbante Concilio.

Inc. *Primitiva illa, &c.*

QUia ex electionibus, quæ in Eccleſiis Cathedralibus, & Metropolitanis, ac monaſteriis dicti regni a multis annis (70.) fiebant, grandia animarum pericula proveniebant, cum pleræque per abuſum ſæcularis poteſtatis, nonnullæ vero præcedentibus illicitis, & ſimoniacis paſſionibus, aliæ particulari amore, & ſanguinis affectione, & non ſine perjurii reatu fierent, cum electores ipſi etiamſi ante electionem per eos faciendam magis idoneum, & non eum, quem promiſſione, aut datione alicujus rei temporalis, ſeu pretio, vel precibus per ſe, vel alium interpoſitis electionem procurare didiciſſent, eligere ſponte jurarent, juramentum hujuſmodi non ſervarent, ſed contra proprium hujuſmodi juramentum in animæ ſuæ præjudicium venirent, ut nobis notorie conſtat ex crebris abſolutionibus, & rehabilitationibus a nobis, & prædeceſſoribus noſtris obtentis, ſæpe conati fuerant Pontifices pragmaticam ſanctionem has electiones permittentem tollere.

Cum tamen incaſſum omnia iverint, diſpoſuit Deus, *ut perſonaliter Franciſcus Rex præſtiterit obedientiam Pontifici*, quicum collocutus de hac re Leo obtinuit, ut hæc pacta ſimul inirent *perpetuis futuris temporibus loco prædictæ pragmaticæ ſanctionis* valitura.

I. Vacantibus Eccleſiis Metropolitanis, & Cathedralibus in regno Galliæ, & in Delphinatu, & Comitatu Dien. & Valentino Rex Franciæ *doctorem unum licentiatum in univerſitate famoſa majorem annis XXVIII. idoneum infra ſex menſes a die vacationi computandos Pontifici nominet.* Nominatus per Pontificem provideatur.

II. Si Beneficiatus moriatur in Romana Curia, Pontifex nominet, & provideat; ita ſibi reſervat Pontifex facultatem erigendi in quavis Cathedrali, & Collegiata præbendam Theologalem dandam a collatore ordinario Doctori, aut Licentiato in Theologia; hic ſaltem bis in hebdomada leget, & abſens cauſa ſtudii habebitur tanquam præſens.

III. *Conſanguinei tamen regis, & perſonæ ſublimes ex cauſa rationabili in nominatione exprimenda, & religioſi, qui ob inſtitutum non poſſunt ad gradus promoveri ſub prohitione præmiſſa non comprehenduntur;*

IV. In Abbatiis, prioratibus rex nominet perſonam majorem annis XXIII. intra menſes ſex a die vacationis, ſi hic recuſet, intra trimeſtre alium nominet;

V. Rejiciantur omnes gratiæ expectativæ,

VI. Ordinarii in ſuis capitulis eligant tertiam partem Canonicatuum, Beneficiorum; præbendam Theologalem dent Doctori, *qui per decennium in univerſitate famoſa ſtuduerit.* Multa hic de qualitatibus eligendorum; præferatur Doctor in Theologia doctori in jure canonico, hic doctori in jure civili, hic doctori in philoſophia;

VII. Parochiales Eccleſiæ in urbibus, & locis muratis non dentur niſi *perſonis qualificatis*, & qui ſaltem ſtuduerint alterutri juri, & Theologiæ in aliquo ſtudio generali. Moneantur Magiſtri ſtudiorum, ut non promoveant ſcholares per ſaltus ad gradus doctorales,

VIII. Litteræ Pontificiæ erunt in forma mandati, quod Pontifex ſemel in Pontificatu dare poſſit, *ita ut collatorem habentem collationem decem beneficiorum in uno, habentem collationem quinquaginta in duobus beneficiis tantum gravare poſſit;*

IX. Beneficiorum conferendorum per Pontificem verus valor exprimatur,

X. Cauſæ agantur in ſuo foro, & gravati poſſint appellare ad Superiorem immediatum; ad S. Sedem aſſerantur cauſæ majores expreſſæ in canonibus. Appellationes eorum qui immediate ſubjiciuntur S. Sedi, fiant ad eamdem S. Sedem, quæ delegabit judices ſupra locum, ut eas decidant;

XI. Quas lites judices terminare debeant infra biennium ſub pœna excommunicationis,

XII. Et poſt tertiam ſententiam definitivam fiat executio;

XIII. Qui pacifice per triennium poſſidet beneficium non poſſit ſuper eo amplius moleſtari,

XIV. Poſſidentes beneficium ſine titulo inquirantur, deturque illud huic, vel illi;

XV. Pœnæ infligendæ clericis concubinariis, ſi poſt duos menſes a publicatione harum non reſipuerint, præſcribuntur amiſſio beneficiorum, ſuſpenſio &c.

XVI. Curent prælati e ſuis Diœceſibus concubinatum omnino tollere,

XVII. Modus proponitur, quomodo præbati ſe gerere debeant circa pœnas excommunicationis, & interdicti; caveant, ne abutantur his pœnis, neque ulla civitas, oppidum &c. interdici poſſit, niſi prius fuerit excommunicatum.

XVIII. Reſignatio Beneficii non credatur, niſi in litteris appareat, ita neque depoſitio, neque privatio,

XIX. Huic concordiæ nihil derogare poſſit;

XX. Hanc concordiam, & abolitionem pragmaticæ ſanctionis approbatam a Concilio, Rex intra ſex menſes publicari faciat, & obſervari;

XXI. Per hanc conſtitutionem tamen non intendit Pontifex afferri præjudicium S. Sedi, ſi qua ſtatuta in regno Galliæ ſunt alia, ac in præmiſſis.

XXII. Contradictores pœnis Eccleſiaſticis, & pecuniariis puniantur. N. O.

Nulli ergo, &c.

Apponitur formula mandati Apoſtolici, de quo §. VIII.

LEO X. Venerabili Fratri Epiſcopo N. & dilectis Filiis, Capitulo, ſingulique Canonicis Eccleſiæ N. S. & Ap. B. Ib. p. 577. Ib. p. 444. C. C.

Inc. *Vita, ac morum, &c.*

Apponitur alia formula.

DIlectis Filiis N. & N. & N. Officialibus S. & Ap. B.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XV. Cal. Sept. P. a. IV. a. D. 1516.

„ Quantum laborandum fuerit a Rege, ut hujuſmodi „ concordatum reciperetur a Parlamento, publicaretur„ que, quantum reclamarit univerſitas Pariſienſis, &

„ Capi-

„ Capitula, quæ antea eligebant suos Episcopos, tra-
„ dit continuator historiæ Ecclesiasticæ Fleury lib. CXXV
„ à §. XLVIII. usq. ad §. LXXI.

Confirmatio approbationis Concilii prædictorum conventorum.

XXII. Ib. p. 578. Ib. p. 441. C. C. LEO X. ad p. r. m.

Sacro approbante Concilio.

Inc. *Divina disponente, &c.*

PRædictam concordiam inter S. Sedem, & regem Galliæ constitutam, ut plus roboris haberet, voluit Leo, legi in Concilio, & ab eo approbari.

Approbavitque illam Concilium, approbationemque Concilii confirmat Leo. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ in publica Sessione in Lateranensi Sacrosancta Basilica solemniter habita XIV. Cal. Janu. P. a. IV. a. D. 1516.

De tempore exprimendi verum valorem beneficii.

XXIII. Ib. p. 519, Ib. C. C. LEO X. ad p. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

IN concordatis appositum fuerat, ut verus valor beneficiorum mitteretur Romam pro expeditione litterarum Apostolicarum §. IX.

Cum sæpe, contingat, nominatum esse extra regnum, aut procul a beneficio, neque ita cito possit verus valor haberi, concedit Leo facultatem illum significandi intra annum.

Qui nisi intra annum mittatur, provisiones obtentæ sint nullæ.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Oct. P. a. IV. a. D. 1517.

Damnatio beneficiorum confidentialium.

XXIV. B. M. p. 4. vel t. 10. p. 168. SIXTUS V. ad p. r. m.

Inc. *Pastoralis officii, &c.*

IN Galliam etiam irrepserat mos malus beneficiorum confidentialium.

Quem morem Sixtus damnans juxta prædecessores Pontifices ait, se *de Ecclesiis, ac monasteriis, aliisque beneficiis Ecclesiasticis ad Henrici III. Regis nominationem spectantibus juxta concordata, & indulta a Sede Apostolica ei concessa velle*;

Fructus ex beneficiis alio modo collatis perceptos ab Ordinariis in Ecclesiarum utilitatem esse distribuendos decernit. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Marcum Id. Aug. P. a. III. a. D. 1587.

Ne observentur decreta contra immunitatem Ecclesiasticam.

XXV. B. R. t. 1. p. 2. p. 582. C. C. ALEXANDER IV. Episcopis Galliæ.

Inc. *Improbis quorumdam, &c.*

EXcommunicat Alexander omnes, *qui servari fecerint statuta, usus, & consuetudines introductas* contra Ecclesiæ libertatem, & nisi de capitularibus infra duos menses a præsentium publicatione illa abraserint;

Excommunicat Statutarios, scriptores statutorum, dominos, rectores, qui jusserint hæc observari.

Ordinariis mandat, ut hoc decretum publicent in conciliis Diœcesanis, & provincialibus, & in Cathedralibus;

In contradictores censuras expediant,

Clericos privent beneficiis, vel non promoveant ad ordines, vel suspendant, laicos excommunicent.

D. Viterbii Non. Jul. P. a. IV. a. D. 1258.

Solutio decimæ imponitur Ecclesiasticis pro expeditione Francisci I. in Turcas.

LEO X. ad p. r. m. XXVI. B. M. p. 4. vel t. 10. p. 34.

Inc. *Etsi dispositione, &c.*

FRanciscus Galliarum Rex ab ineunte ætate destinaverat expeditionem in Turcas suscipere. Rex effectus hoc promisit,

Prævidens Leo quanta vi pecuniæ ad illam opus esset, jubet Ecclesiæ Gallicanæ, ut collectionem decimarum faciat pro una vice tantum ab omnibus bonis Ecclesiasticis Ecclesiarum quarumcumque, exceptis commendis Cardinalitiis, pro quibus Cardinales solvent in manu Pontificis, & militibus Hierosolymitanis.

Vetat hanc pecuniam in alios usus posse converti, & anathema jacit in eos, qui voluerint contra hanc expeditionem prædicare. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XV. Cal. Janu. P. a. IV. a. D. 1516.

Ne promittat Archiepiscopus Senensis hæresim Calvinianam propagari.

PAULUS III. Archiepiscopo Senonensi. XXVII. Ex Rayn. ad ann. 1542. §. 52.

Inc. *Cum cæteræ, &c.*

AUdierat Pontifex jam clanculum per Gallias hæresim Calvinianam serpere, & Calvini institutiones legi summa cum voluptate ob styli elegantiam, interimque ebibi venenum mortiferum.

Verens igitur, ne latius malum propagetur, prædicto præsuli scribit,

Se sæpius ejus virtutes laudasse, sed ejus vigilantiam custodiamque gregis laudasse plurimum; effecisse enim ne hactenus Lutherana hæresis quampiam ex ejus ovibus inficeret;

Sed nunc se timere, cum sciat Calvini libros legi.

Quare efficiat ne libri hujusmodi teneantur, legantur a laicis, & Clericis.

Ad hoc pœnis Ecclesiasticis cogat etiam clericos ab ordinaria jurisdictione exemptos, nullamque eorum appellationis ad S. Sedem habeat rationem. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXII. Dec. P. a. IX. a. D. 1542.

Deputantur duo Cardinales Legati, qui mores &c. corrigant &c.

PIUS IV. Cardinali de Turnone, & Card. Carolo de Lotharingia. XXVIII. Ad an. 1560. §. 32.

Inc. *Cum sicut, &c.*

CUm accepisset Pius in urbibus, castris, lociscque Galliæ fieri coitiones hominum perversorum, excitari seditiones, hæreses disseminari, moresque esse corruptissimos, Ecclesiarumque pastores vel timidos, vel negligentes officio suo decesse,

Præfatos Cardinales deputat, ita requisitus a Francisco II. Rege, qui ad imitationem suorum Christianissimorum progenitorum vult in regnis suis solam Catholicam religionem coli, in Legatos in eo regno.

Cardinales eligant sibi aliquot doctos homines in Theologia, vel in jure, & cum horum consilio in eos hæreticos inquirant; eos puniant, invocent, si sint Ecclesiastici, ad eos coercendos etiam brachium sæculare.

Procedant in omnes, sint cujuscumque dignitatis, in exemptos, & non exemptos, privilegiatos, & non privilegiatos.

Imponant pœnas corporales, & pecuniarias, & etiam spirituales, prout expedire crediderint.

Quidquid acturi sunt, pollicetur Pontifex, se approbaturum, & auxilium præbiturum, si opus fuerit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum XVI. Cal. Jul. P. a. I. a. D. 1560.

De qui-

De quibusdam Galliæ Episcopis vel hæreticis, vel de hæresi suspectis.

XXIX. Ad an. 1563. §. 18. PIUS IV. Carolo Cardinali de Lotharingia.

Inc. *Præsiximus Reginæ, &c.*

„ REgina Navarræ Joanna jam aperte hæresim pro-
„ fitebatur, & commonita a Pio fuerat; Cardi-
„ dinalis Odettus Castilionæus hæreticus erat, nonnulli-
„ que Episcopi in Galliis hæretici, vel de hæresi erant
„ suspecti. Jam Pontifex eos deponere habebat in ani-
„ mo. Cardinalis de Lotharingia Pontifici hos omnes
„ commendaverat; Cui Pontifex respondet;

Semestre tempus dedisse Reginæ, ut ad fidem reverteretur, pollicitum revertentem benigne amplecti; secus se paratum esse in eam procedere *non permotum a rege Catholico, sed purissimo divini cultus tuendi studio*;

Quoad processus factos contra Cardinalem Castilionæum, aliosque Episcopos, nihil esse actum contra constitutiones regni, *quia Cardinalium, & Episcoporum causæ reservatæ sunt Pontifici ex ipsis concordatis cum Gallis regibus, causæque majores, & graviores semper Sedi A. reservantur*; Si Cardinalis se læsum putat, in jus veniat, redintegrabitur in eo statu, in quo erat ante primam citationem, & excipietur humanissime; insons absolvetur; si ad Ecclesiam declaratus reus redibit, erga illum misericordia adhibebitur;

Contra Episcopos se pronuntiasse, ut vidit Carolus in schedula, ei tamen se non subscripsisse; majori ex parte eos esse hæreticos notorios, omnes incurrisse in pœnas monitorio contentas; ut gratum Cardinali faciat, se non editurum sententiam, donec Carolus responderit;

Tuta conscientia permitti non posse Episcopos hæreticos Ecclesiis Gallicanis præesse; se quidem cupere ejus regni quieti consulere, sed salvo divino honore, conscientia salva;

Episcopum Aquensem laborare magna hæresis suspicione apud Inquisitores; non posse cum illo se agere; nec eum promovere ad alia Sacerdotia; se purget, & suspicionem diluat; habebiturque ejus ratio.

D. Romæ apud S. Petrum Die XX. Nov. P. a. IV. a. D. 1563.

Bona Ecclesiastica vendantur quam maxime pretio.

XXX. B. M. p. 4. vel t. 10. p. 139. PIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Pro injuncti, &c.*

AD incitas redactus Carolus IX. Francorum Rex a rebellibus, qui hæreticos in regnum introduxerant, cum non haberet aliud, unde nummos pararet ad conducendos milites, coegit Ecclesiasticos ad dandam summam centum millium scutorum auri.

Quam summam Ecclesiastici cum non haberent, misit Rex œconomos, qui bona Ecclesiarum, & locorum piorum venderent, promittens, se soluturum, & *principale, & proventus bellis cessantibus*.

Œconomi vendebant ea bona pretio, vilissimo.

Quam læsionem videntes clerici, dixerunt se vendituros, sperantes, regem impetraturum a Pontifice veniam vendendi.

Revera Pius negotium hoc mandat pietati Archiepiscoporum, & Episcoporum, rogans eos, ut quam minimum detrimentum in his venditionibus Ecclesiæ capiant;

Ut prius vendant res minus nobiles, eas, quibus per aliquod tempus carere possint,

Et quisque Ecclesiasticus quotannis aliquid compartiens quam citissime fieri poterit, alienata bona recuperet; moneantque prælati regem, ut sicut pollicitus est, *condigna satisfactione, & regia liberalitate farciat quod Ecclesiæ ademit*.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVII. Oct. P. a. V. a. D. 1564.

Permissio, ut alienentur bona Ecclesiastica in subsidium regis.

PIUS V. Carolo t. S. Chrysogoni Cardinali Borbonio. XXXI. Ib. p. 149 C. C.

Inc. *Gravi cum animi, &c.*

PEr Annibalem Auricellarium significaverat Carolus IX. Pio V., quam exhaustæ essent suæ vires ad resistendum Hugonottis in regno suo, & hæreticis extra illud,

Rogat ergo Pontificem, ut regno subveniat.

Per hanc itaque constitutionem permittit Pius Cardinali Borbonio, ut de bonis Ecclesiarum, locorumque piorum tantum alienet, quantum conficiat summam centum quinquaginta mille librarum.

Caveat tamen, ne dicta summa impendatur in alios usus, sed tantum in defensionem regni, ob cujus rei causam traditio ejus pecuniæ in manus regis per notarium ibi præsentem fiat, & confirmetur.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1568. XXXII. Ib. p. 148.

Subsidium regi dandum decernitur.

GREGORIUS XIII. Carolo t. S. Apollinaris Card. a Lotharingia, & Carolo t. S. Chrysogoni Card. Borbonio.

Inc. *In maximis, &c.*

DOlens Gregorius de miseriis, ad quas redactum erat floridissimum Franciæ regnum ob bella intestina Ecclesiis Gallicanis præesse; se quidem cupere ejus regni quieti consulere, sed salvo divino honore, conscientia salva;

Episcopum Aquensem laborare magna hæresis suspicione apud Inquisitores; non posse cum illo se agere; nec eum promovere ad alia Sacerdotia; se purget, & suspicionem diluat; habebiturque ejus ratio.

D. Romæ apud S. Petrum Die XX. Nov. P. a. IV. a. D. 1563.

Bona Ecclesiastica vendantur quam maxime pretio.

XXX. B. M. p. 4. vel t. 10. p. 139. PIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Pro injuncti, &c.*

AD incitas redactus Carolus IX. Francorum Rex a rebellibus, qui hæreticos in regnum introduxerant, cum non haberet aliud, unde nummos pararet ad conducendos milites, coegit Ecclesiasticos ad dandam summam centum millium scutorum auri.

Quam summam Ecclesiastici cum non haberent, misit Rex œconomos, qui bona Ecclesiarum, & locorum piorum venderent, promittens, se soluturum, & *principale, & proventus bellis cessantibus*.

Œconomi vendebant ea bona pretio, vilissimo.

Quam læsionem videntes clerici, dixerunt se vendituros, sperantes, regem impetraturum a Pontifice veniam vendendi.

Revera Pius negotium hoc mandat pietati Archiepiscoporum, & Episcoporum, rogans eos, ut quam minimum detrimentum in his venditionibus Ecclesiæ capiant;

Ut prius vendant res minus nobiles, eas, quibus per aliquod tempus carere possint,

Et quisque Ecclesiasticus quotannis aliquid compartiens quam citissime fieri poterit, alienata bona recuperet; moneantque prælati regem, ut sicut pollicitus est, *condigna satisfactione, & regia liberalitate farciat quod Ecclesiæ ademit*.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVII. Oct. P. a. V. a. D. 1564.

Permissio, ut vendantur quædam bona Ecclesiastica in subsidium regis.

SIXTUS V. Carolo Borbonio, & Ludovico a Guisia S. R. E. Cardinalibus. XXXIV. Ib. p. 166.

Inc. *Cum carissimus, &c.*

CUm bella in Gallia per tot annos grassarentur Regios inter, & Hugonottus, Henricus III. non haberis, unde exercitum compararet, comparatumque aleret, rogavit Pontificem, ut permitteret, clerum Galliæ vendere quædam Ecclesiarum bona immobilia.

Sixtus considerans, si rex victor existeret, alia bona Ecclesiastica, quæ hæretici possidebant, recuperaturum, postulatis regis benigne annuit;

Ita, *tamen ut in præsens alienentur bona ad summam quinquaginta millium ducatorum*, alienentur bona omnium Ecclesiarum, & Monasteriorum, exceptis bonis Ecclesiarum mendicantium, & pauperum;

Alia

Alia quinquaginta millia ſcuta ſolvantur poſt menſes tres,

Advertantur Cardinales, ut hæc ſumma integra ad manus regis perveniat. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum II. Cal. Febr. P. a. I. a. D. 1585.

Similis alia permiſſio.

XXXV. Ib. p. 167. SIXTUS V. Carolo Borbonio &c.

Inc. *Si Francorum, &c.*

OB eaſdem cauſas eodem tenore de bonis iiſdem Eccleſiarum Sixtus permittit clero Gallicano facere alienationes ad ſummam ſcutorum quinquaginta millium. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Marcum III. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1587.

Similis permiſſio.

XXXVI. B.R. t. 5. P. 4. p. 373. C. C. GREGORIUS XV. ad f. r. m.

Inc. *Militantis Eccleſiæ, &c.*

ERant jam hypothecata quædam Eccleſiaſtica bona in regno Galliæ ob ſubventionem regi præſtandam contra hæreticos militanti.

Ut Ludovico tanto bello implicito aliquo modo ſuccurrat Gregorius mandat Nuncio ſuo ibidem exiſtenti, ut hæc bona hypothecata juſto pretio perſoluto, vendat iis, quibus fuerant hypothecata,

Et hoc ulterius pretium det regi ad vires comparandas. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIII. Sept. P. a. I. a. D. 1621.

Collectio ſubſidii.

XXXVII. Ib. p. 175. C. C. GREGORIUS XV. Nuncio Ap.

Inc. *Militantis Eccleſiæ, &c.*

AD opem majorem ferendam regi mandat Gregorius Nuncio ſuo, ut ex bonis Eccleſiaſticis, locorumque piorum colligat ſubſidium decies centenorum millium ſcutorum;

Quibus rex utatur in bellum adverſus rebelles, non in alios uſus;

Ideoque Eccleſiaſticis dat facultatem bona hypothecandi ſuarum Eccleſiarum uſque ad prædictam ſummam. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIII. Sept. P. a. VII. a. D. 1621.

Permiſſio collectionis duarum decimarum.

XXXVIII. Ib. p. 177. C. C. GREGORIUS XV. ad p. r. m.

Inc. *Militantis Eccleſiæ, &c.*

OB eamdem cauſam jubet Gregorius ſolvi ab Eccleſiaſticis beneficiis gaudentibus, a Monaſteriis locisque piis duas decimas, darique regi. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. XVI. Cal. Oct. P. a. I. a. D. 1621.

Decernitur ſubſidium regi.

XXXIX. T. M. p. 4. vel t. 10. p. 150 URBANUS VIII. Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis Galliæ.

Inc. *In ſupremæ, &c.*

CUm obſideret rex Rupellam, urbem munitiſſimam, quo rebelles ſe receperant, & hæretici inobedientes, obſidioque indigeret magno apparatu ſaltem ad ſummam unius millionis, & jam Laici regi magnam vim auri dediſſent,

Pontifex præcipit utrique clero, ut ipſe quoque regi ſubſidium præſtet juxta ſummam a deputatis cleri aſſignandam.

Ordines mendicantes, loca pia, milites S. Joannis Hieroſolymitani excipiuntur. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die V. Nov. P. a. V. a. D. 1627.

Impoſitio alius ſubſidii.

XL. B.R. t. 6. p. 1. p. 93. C. C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Cum primum, &c.*

UT recreet ab oneribus expenſarum bellicarum Ludovicum Urbanus, imponit clero utrique ſubſidium decies centenorum millium ſcutorum regi ſolvendorum.

Reliqua ſunt communia. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XII. Nov. P. a. V. a. D. 1627.

Franciſco II. conceditur jus nominandi quaſdam Eccleſias.

XLI. B.R. t. 4. p. 2. p. 3. C. C. PIUS IV. Francorum regi Chriſtianiſſimo.

Inc. *Sinceritas fidei, &c.*

EXpoſito paucis tenore pragmaticæ Sanctionis firmatæ inter Leonem X., & Franciſcum I. de jure regio nominandi ad Cathedrales, Metropolitanas, & Monaſteria, quæ omnia confirmavit Clemens VII. volens tamen excipi monaſteria, ad quæ Generales ordinum deberent promovere; poſtea vero Henrico III. confirmavit hoc indultum Paulus III. prorogavitque Julius III.

Rogavit Franciſcus II. ut ſibi quoque hoc privilegium concederet Pius ad vitam, ut ad Eccleſias poſſet eligere idoneos viros, ſepoſito partium ſtudio.

Id illi concedit Pius. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XIV. Cal. Febr. P. a. I. a. D. 1559.

Confirmatio indulti dati regi nominandi ad quaedam beneficia.

XLII. B.R. t. 5. p. 4. p. 174. C. C. PAULUS V. Henrico Galliæ regi.

Inc. *Cum, ſicut, &c.*

CLemens VIII. dederat Henrico IV. indultum nominandi ad Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias in Ducatu Britanniæ, & in provincia Provinciæ.

Petenti Henrico, hoc indultum ſibi confirmari, Paulus confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die X. Sept. P. a. I. a. D. 1605.

Conceſſio ejuſdem facultatis.

XLIII. B.R. t. 5. p. 4. p. 174. C. C. PAULUS V. Ludovico &c.

Inc. *Cum nonnulli, &c.*

EAmdem facultatem nominandi ad beneficia ſupradictarum provinciarum concedit Ludovico Paulus. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXX. Apr. P. a. X. a. D. 1615.

Confirmatio.

XLIV. B.M. t. 6. p. 2. p. 415. URBANUS VIII. Ludovico &c.

Inc. *Cum nonnulli, &c.*

EAmdem facultatem prorogat Regi Urbanus, quoad vixerit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die VII. Mart. P. a. XXI. a. D. 1644.

Admo-

Indultum Regi nominandi ad Eccleſias Cathedrales Metenſem, Tullenſem, Virdunenſem.

XLV. B.R. t. 6. p. 6. p. 65. C. C. ALEXANDER VII. Ludovico regi Chriſtianiſſimo.

Inc. *Orthodoxæ fidei, &c.*

VOlens Alexander dare Ludovico argumentum aliquod gratitudinis ob ejus præclara merita apud S. Sedem, illi dat indultum nominandi, *quoad ipſe vixerit*, ad ſupradictas Eccleſias, *quocumque modo eas vacare contigerit, quibuſvis modis, & ex quorumcumque perſonis, non tamen per obitum apud S. Sedem.* N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XI. Dec. P. a. X. a. D. 1664.

Indultum nominandi ad monaſteria, prioratus, dignitates prædictarum Diœceſum Regi.

XLVI. Ib. p. 241. C. C. CLEMENS IX. Ludovico &c.

Inc. *Cum fel. rec.*

QUoniam jam hi Epiſcopatus ſuberant Regi Chriſtianiſſimo in temporalibus, ſub iiſdem clauſulis dat illi Clemens indultum nominandi ad Abbatias, ad prioratus, ad monaſteria, non tamen ad officia clauſtralia monaſteriorum, ad dignitates, & ad alia beneficia harum Diœceſum. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIII. Mar. P. a. I. a. D. 1668.

Conceſſio regi, & ſucceſſoribus nominandi ad Eccleſiam Atrebatenſem.

XLVII. Ib. p. 248. C. C. CLEMENS IX. Ludovico Regi &c.

Inc. *Præclara majeſtatis, &c.*

JUs patronatus nominationis ad Eccleſiam Atrebatenſem ſub iiſdem clauſulis concedit Clemens Ludovico, & ſucceſſoribus. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die IX. Apr. P. a. I. a. D. 1668.

Jus præſentandi ad Eccleſiam Eluens.

XLVIII. Ib. p. 249. C. C. CLEMENS IX. Lud. R.

Inc. *Eximia, &c.*

IDem Clemens dat eidem regi, & ſucceſſoribus jus præſentandi ad Eccleſiam Eluenſen, & ad Monaſteria Conciſtorialia in comitatibus Ruſcinonenſi, & Confluentino, & parte Cardanæ verſus Galliam.

Eodem die & anno.

Et ad dignitates, &c.

XLIX. Ib. p. 251. C. C. CLEMENS IX. Lud. R.

Inc. *Majeſtatis, &c.*

COncedit etiam illi & ſucceſſoribus Clemens nominandi ad dignitates Abbatiales, regimina Monaſteriorum jus; non ideo tamen ad officia clauſtralia, prioratus, Præpoſituras exiſtentia in locis, & ditionibus Belgicis, quæ per nuperam pacem cum Rege Catholico illi adjudicatæ fuerant.

D. eodem die.

Et ad Eccleſiam Tornacenſem.

L. Ib. p. 282. C. C. CLEMENS IX. Lud. Reg.

Inc. *Supplicationibus, &c.*

IDem indultum dat Clemens Regi, & ſucceſſoribus nominandi ad Eccleſiam Tornacenſem.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVII. Aug. P. a II. a. D. 1668.

Et ad beneficia in ditionibus Belgicis.

LI. Ib. p. 283. C. C. CLEMENS IX. Lud. R.

Inc. *Cum tua, &c.*

AMpliat illi jus nominandi ad Monaſteria, & Eccleſias, quæ ſunt in iis ditionibus Belgicis, quæ ex pace inita cum rege Catholico ſuberunt poſthac regno Galliæ.

D. eodem die.

Admonitiones ad Epiſcopos Galliæ.

LII. B.M. p. 3. p. 95. CLEMENS VIII. Archiepiſcopo Lugdunenſi, & Epiſcopis Galliæ,

Inc. *Dives in miſericordia, &c.*

PAx erat inita inter Henricum IV. Galliarum regem, & Philippum II. regem Hiſpaniarum. Nulli ergo erant bellorum prætextus, cur Epiſcopi Galliæ munus ſuum peragere detrectarent.

Eos ergo monet Clemens, ut nonniſi probos admittant ad Clericatum, Simoniam fugiant, tempora, & interſtitia in ordinationibus ſervent, ſeminaria erigant, Concilii Tridentini decreta & obſervent ipſi, & obſervari faciant; reſideant in ſuis Eccleſiis, Diœceſes quiſque ſuas viſitent, Sacramentorum uſum inculcent, doctrinam doceant, arceantque hæreſes undique frementes.

D. Romæ apud S. Petrum XIII. Cal. Sept. P. a. VIII. a. D. 1599.

Quidam Epiſcopi jubentur monere quoſdam prælatos, ut ſe corrigant.

LIII. B.R. t. 6. p. 174. C. C. URBANUS VIII. Epiſcopis Ebroicenſi, Sagienſi, Sylvanectenſi,

Inc. *Cum, ſicut, &c.*

COmmonefactus a Rege Ludovico Urbanus, quoſdam ſui regni Prælatos eſſe ſcandalo ovibus ſuis, quibus deberent eſſe ædificationi,

Mandat Urbanus præfatis Epiſcopis, ut eos intra proximum triennium corrigant, moneantque de munere ſuo recte peragendo.

Hos peccantes Epiſcopos Rex illi manifeſtabit.

D. Romæ apud S. Petrum Die V. Febr. P. a. XVI. a. D. 1639.

Publicatio Jubilæi in Francia.

LIV. B.R. t. 5. p. 2. p. 104. C. C. CLEMENS VIII. Univerſis Chriſtifidelibus in regno Franciæ conſtitutis.

Inc. *Quam ſemper, &c.*

CArdinali Alexandro de Medicis ituro Legato Apoſtolico in Galliam mandat Clemens, ut jubilæum ibi indicat.

Decebat illud publicari, ut grates Deo agerentur ob regis Henrici IV. converſionem, & ut Deus vellet Catholicam fidem, ſuperatis ibi hæreſibus, promoveri magis, magiſque.

Viſitationes unius, vel plurium Eccleſiarum ad arbitrium Ordinariorum, jejunium feria quarta, ſexta, & Sabbato, confeſſionem, & communionem, & eleemoſynam *pro ſuo arbitrio* ad ejus conſequutionem Pontifex imponit.

Facultatem dat Ordinariis abſolvendi a caſibus &c.

Irregularitates tamen abſolvi non poſſint, & abſolutiones valeant in foro conſcientiæ tantum.

Perdurabit quovis in loco ad dies quindecim. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Junii P. a. V. a. D. 1596.

Jubilæum pro urbe, & Diœceſi Pariſienſi.

LV. B.R. t.5. p. 5. p. 333. C.C. URBANUS VIII. Univerſis Chriſtifidelibus,

Inc. *Salvator noſter, &c.*

OB excurſiones bellicas nequibant Pariſienſes Romam accedere ad comparandas ſibi indulgentias anni Sancti.

Ne eſſent earum expertes, Jubilæum concedit Urbanus Civitati, & Diœceſi Pariſienſi.

Præſcribitque ad ejus conſequutionem ſolita opera, datque confeſſariis conſuetas facultates, & tempus quindecim dierum aſſignat ad illud conſequiendum. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIII. Junii P. a. II. a. D. 1625.

Publicatio Jubilæi in locis Fontis Belauſii, & Moreti Diœceſis Senonenſis.

LVI. B.R. t.6. p. 5. p. 130. C.C. ALEXANDER VII. Epiſcopo Rhedonenſi,

Inc. *Cum ſicut, &c.*

NOndum in Diœceſi Senonenſi publicatum fuerat Jubilæum, quod maxime regi diſplicebat;

Igitur Alexander mandat Epiſcopo Rhedonenſi, ut illud auctoritate Apoſtolica publicet in locis Belauſii, & Moreti Senonenſis Diœceſis.

Reliqua conveniunt cum Bullis hujus generis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die X. Junii P. a. VII. a. D. 1661.

Publicatio Jubilæi in Gallia, collectæque inde eleemoſynæ inſumantur in bellum contra Turcas.

LVII. B.R. t.6. p. 6. p. 331. C.C. CLEMENS IX. ad ſ. r. m.

Inc. *Cum nos, &c.*

JUbet Clemens, ut publicetur omnibus in ditionibus Regis Galliæ Jubilæum conſequendum modis ſolitis;

Et ut adjuvet Venetos præliantes in Turcas, præcipit ordinariis, ut nummos erogatos in capſam ad hoc deſtinatam in ſingulis Eccleſiis viſitandis in eleemoſinas cuſtodiant, deinque regi inſumendos in auxilium Venetorum contra Turcas.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Febr. P. a. II. a. D. 1669.

Jubilæum in Gallia pro ſalute regis.

LVIII. B.M.t.16. p. 287. BENEDICTUS XIV. Ludovico Galliarum Regi Chriſtianiſſimo.

Inc. *Nullis verbis, &c.*

PUblicari præcipit in Gallia Jubilæum Benedictus; juberque, ut qui volunt illud conſequi, orent pro ſalute regis, qui gravi morbo conflictatus nondum reſtitutus fuerat priſtinæ ſanitati.

Injungit ſolita peragenda pia opera, conceditque confeſſariis facultates ſolitas; tempuſque conſequutionis præfigit dies quindecim.

Ab ejus tamen conſequutione repellit Refractarios Bullæ *Unigenitus*. Hi enim ſunt velut reciſa membra.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Febr. P. a. V. a. D. 1745.

Hortatio ad regem, ut recipiat in ſuum regnum Inquiſitores Fidei.

LIX. B.M.p.3. vel t. 9. p. 208. GREGORIUS XI. Carolo regi.

Inc. *Zelus Catholicæ, &c.*

ADmonitus Gregorius ab Inquiſitoribus Fidei Delphinatus, plures hæreticos in Gallia eſſe, ſciens pietatem Caroli, eum rogat, ut velit inducere in regnum ſuum Inquiſitores;

Nullum eſſe, ajens, præſentius remedium ad hæreticos tollendos, quam hoc.

Ei commendat Nuncium ſuum.

D. Avini. Non. Maji P. a. V. a. D. 1375.

Hortatio ad regem, ne patiatur imprimi in ſuo regno libros contra Catholicam fidem.

LX. B.M.t.5. p. 4. p. 419. CC. GREGORIUS XV. Ludovico regi, &c.

Inc. *Reddet majeſtati, &c.*

CUm multi prodirent in Gallia libri adverſus Catholicam religionem, aut alibi impreſſi eo aſportarentur, & publice venderentur,

Gregorius advertens damnum ingens hinc proveniens rogat regem, ut impreſſionem eorum, aut alibi impreſſorum venditionem in ſuo regno vetet.

D. Romæ apud S. Petrum Die IV. Febr. P. a. I. a. D. 1622.

Hortatio ad Prælatos Galliæ, ut aliquid impendant in ſubſtentationem hæreticorum converſorum.

LXI. B.M.p.4. vel t. 10. p. 178. PAULUS V. Clero Gallicano.

Inc. *Benedictus Deus, &c.*

HEnricus IV. Hæreticorum converſioni ſtudens advertit, eo facilius converti poſſe, ſi aliquod iis converſis ſubſidium, unde vivere poſſent, ſubminiſtraretur.

De hoc rex ſupplicavit Pontifici;

Qui mandat Prælatis, & Cleto, ut in tam bono opere de redditibus ſuis Eccleſiaſticis regi opitulentur. N. O.

D. Tuſculi IV. Id. Junii P. a. IV. a. D. 1608.

Facultas datur Card. de Richelieu abſolvendi hæreticos.

LXII. B.R. t.6. p. 1. p. 171. C.C. URBANUS VIII. Cardinali de Richelieu.

Inc. *Cum ad ſalutem, &c.*

CUm maxime putet Urbanus intereſſe quieti Galliæ, & ſaluti animarum hæreticos pœnitentes abſolvi,

Hanc facultatem eorum converſionem recipiendi, eoſque vere pœnitentes abſolvendi dat ſupradicto Cardinali. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Maji P. a. II. a. D. 1639.

Jubetur Legatus A. abſolvere a cenſuris Ducem De Eſpernon.

LXIII. Ib. p. 374. C. C. URBANUS VIII. Alexandro Card. Bichio Legato in Gallia.

Inc. *Alma, & pia, &c.*

BUrdigalenſis urbis Gubernator erat Dux de Eſpernon Joannes Aloyſius. Cum ille, ejuſque miniſtri violentias intuliſſent Archiepiſcopo Burdigalenſi, & quibuſdam Clericis, Archiepiſcopus appellavit ad Sanctam Sedem.

Interim ut conſuleret Dux ſuæ conſcientiæ, petiit abſolutionem pro ſe, & officialibus ab Urbano;

Qui committit prædicto Cardinali, ut vel ipſe, vel aliquis Antiſtes ab eo delegatus Ducem, & miniſtros abſolvat;

Abſolvatur autem *cum reincidentia eo ipſo incurrenda poſt lapſum præfati temporis appellandi*, promittatque, ſe facturum, quod S. Sedes decreverit.

D. Romæ apud S. Petrum Die XII. Mar. P. a. XI. a. D. 1634.

Confirmatio actorum ab Epiſcopo Malleacenſi in Valle Pragellæ.

LXIV. Ib. p. 314. C. C. URBANUS VIII. ad ſ. r. m.

Inc. *Univerſalis Eccleſiæ, &c.*

QUæ fecerit Epiſcopus Malleacenſis in Valle Pragellæ Taurinenſis Diœceſis, ut Catholicam Religionem ibi reſtitueret, exponit Ludovicus Urbano.

Jam

Jam ab anno 1547. diverſarum hæreſum labe vallis erat infecta: Prædictus Epiſcopus deputatus ad Religionem Catholicam in eam inducendam eo ſe contulit, loca omnia vallis inviſit, in unoquoque loco, Oula, Mentoule, Feneſtrelle, Uſceau, Rua deſignavit Parœciam cum ſuis decimis; ubi erant exſtructa templa, ea expiavit, oratoria exſtruxit, poſuitque rectores aut Canonicos Ord. S. Auguſtini, aut Fratres MM. de Obſervantia, qui curam animarum haberent.

Juſſit autem, Presbyteros S. J. in Burgo de Uſceau, aliiſque vicinioribus locis Parochos agere, idemque juſſit Presbyteris Doctrinæ Chriſtianæ in pago Rua.

Hæc acta Urbanus confirmat, inſtitutaſque paræcias tales haberi vult. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XV. Maji P. a. VII. a. D. 1630.

Hæc vallis nunc ſpectat ad Ducem Sabaudiæ.

DE PARLAMENTO PARISIENSI.

Confirmatio indulti Cancellarii, & præſidentium Parlamenti Pariſienſis.

I. B.M.p.4. vel t.10. p.202. CLEMENS IX. ad p. r. m.

Inc. *Summi regis, &c.*

INdultum, quod dederat Eugenius IV. (Bulla deeſt in U. B.) ad inſtantiam Caroli VIII. Francorum regis, confirmatum a Paulo III. (hæc quoque Bulla deeſt) Cancellario, Præſidentibus, & Conſiliariis Parlamenti Pariſienſis, ut eſſent capaces Commendarum, Monaſteriorum, exceptis Prioratibus conventualibus, & vere electivis, hoc eſt dandis per concurſum, non excedentium valorem ducentarum librarum Turonenſium, confirmatur a Clemente IX.

Idque ideo facit Pontifex, quia nonnulli collatarii ſupradictis dabant beneficia curam animarum habentia, aut exigentia reſidentiam; & ita nimis ampliabant hoc privilegium. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. XVI. Cal. Apr. P. a. I. a. D. 1667.

DE RUTENENSI COMITATU.

Confirmatio ſtatutorum pro hoc Comitatu.

II. B.R.t.2. p. 376. C. C. ALEXANDER III. Hugoni Rutenenſi Epiſcopo.

Inc. *Quoties ea, &c.*

EPiſcopus Rutenenſis cum comite Fratre ſuo hæc ſtatuit pro bono regimine provinciæ, & Cleri,

I. *Omnes homines provinciæ Clerici, & Laici in perſonis, & rebus ſuis ſint ſecuri;*

II. Nullus præter milites ferat arma, ſed baculum tantum,

III. Abbates, Archidiaconi, presbyteri, clerici, milites, Burgenſes qui facultatibus abundant, clerici, & Laici habentes par bovum, ſeu aliorum animalium, vel qui habuerint *ſuum equum, vel equam, mulum, vel mulam duodecim denarios Rutenenſes ſolvent*,

IV. Clientes, & artifices *ſex, ſeu duodecim denarios ſecundum ſuorum Capellanorum arbitrium dabunt*;

V. Si familia non ſit ſeparata, unus ſolvet pro omnibus.

VI. *Iſtud commune debet reddi cum ſcripto unius parochianorum, quem Capellanus cum conſilio ſui Archipresbyteri, & voluntate ſuorum Parochianorum elegerit per ſingulas Parochias.*

VII. Res mobiles ablatæ *de communi emendabuntur, & reſtituentur domino.*

VIII. *Violatores hujus pacis a divinis vacent officiis.*

IX. Hæc omnia Pontifex confirmat, eorumque jubet executionem

X. *Nulli ergo &c. Si quis &c.*

D. Verulis II. Idus Maji Pontificatus noſtri an. II. an. D. 1161.

Privilegium Comitis Rutenenſis.

III. B.M.p.3. vel t. 9. p. 78. CLEMENS IV. Henrico Comiti Rutenenſi.

Inc. *Intendentes quieti, &c.*

HEnrico concedit privilegium Clemens, ne poſſit a Legatis, Subdelegatis, Executoribus, Conſervatoribus excommunicari, aut interdici.

Nulli ergo, &c. Si quis &c.

D. Viterbii X. Cal. Febr. P. a. III. a. D. 1268.

„ Regio hæc dicitur Rutenenſis (*Rovergne*) cujus eſt „ caput *Rodes* in tractu Burdigalenſi.„

DE DUCIBUS BRITANNIÆ.

Confirmatio excommunicationis in Ducem.

IV. B.M.p.3; vel t.9. p. 64. B.R. t.3. p. 1. p. 252. C.C. GREGORIUS IX. Epiſcopo, & Magiſtris *de la Valle*, & Canonicis Cenomanenſibus.

Inc. *Si Nobilis, &c.*

BRitanniæ Dux *fallaciter aſſerens, omnes Laicos multipliciter ab Eccleſia gravari, & ſpecialiter in tertia parte judiciorum defunctorum, necnon in decimis ſubtrahendis a Laicorum manibus, juramentum præſtit, noquiſſimum, impium, ſophiſticum, & recepit a quibuſdam, quod ſervabunt ſeſſivas ſuas, nec de cætero ſuptiſas Eccleſiaſticorum tolerabunt.*

Epiſcopi illius ducatus videntes tam graviter læſam Eccleſiaſticam libertatem Ducem jam admonitum canonice cum ſuis complicibus excommunicarunt, & interdixerunt ejus terram.

Nihil ad hæc reſipiſcens Dux puniit dantes decimas Eccleſiis, & paſſus non fuit, dari tertiam partem judicii defunctorum.

Ita jubet Gregorius Epiſcopo, magiſtris, & Canonicis Cenomanenſibus ut ſententiam excommunicationis in Ducem, & ejus complices *ſolemniter pulſatis Campanis, candelis accenſis diebus Dominicis, & feſtis intra Miſſarum ſolemnia publicent.*

Quod ſi neque ad hæc reſipuerit Dux, ejus Vaſſallos ab juramento fidelitatis abſolvant.

D. Aſſiſii IV. Cal. Junii P. a. II. a. D. 1228.

Decreta a Gregorio obſerventur.

V. ex Rayn. ad an. 1239. 75. GREGORIUS IX. Comiti Britanniæ &c.

Inc. *Olim inter, &c.*

ALius Comes mortuo illi, qui cum concordia inita fuerat, ſucceſſerat in comitatum, qui ajebat ſe non teneri ad obſervanda ea decreta, quæ Gregorius ſtatuerat; mortuum eſſe illum, qui tenebatur.

Eccleſiaſtici ejus provinciæ confugerunt ad Pontificem orantes, ut mentem ſuam declararet.

Declarat ergo Gregorius, *intentionis ſuæ fuiſſe, quod hujuſmodi proviſio robur firmitatis perpetuæ obtineret, eo quod juſtum ſit, ut eandem proviſionem provide factam, & a partibus ſponte receptam Comes obſervet, cum in onere ſucceſſerit, & honore.*

Quoſdam Prælatos deputat, ut cogant præfatum Comitem ad articulorum eorum obſervantiam.

D. Later. V. Cal. Maji P. a. XIII. a. D. 1239.

Conventiones inter Ducem, & Clerum.

VI. B.M.p.3. vel t.9. p. 142. CLEMENS V. ad p. r. m.

Inc. *Multo ſicut, &c.*

NUnquam ſedatæ fuerant diſcordiæ inter Clerum Britanniæ ex una parte, & Ducem, & Nobiles ex alia.

Tandem Dux Arcturus, & Prælati elegerunt Procuratores ſuos, qui in hæc convenerunt coram Pontifice.

Ut conſuetudo ſuper *mortuagia*, hoc eſt, ut tertia pars bonorum mobilium, *quæ dicitur tertiagium*, detur rectori Parochiæ, in qua erat mortuus; ſint inventarium horum bonorum infra quindecim dies, ſubtrahatur æs alienum, jurent heredes, ſe rite inventarium

feciſſe, & tertiam partem dent Parocho; qui defraudatus ab hac legitima tertia parte poſſit ad judicem confugere.

Quod ſi aliqua bona mobilia ſpectantia ad defunctum quocumque tempore emergent, poſſit Parochus eorum partem tertiam exigere; ita parochus rata portione tenebitur reſtituere, ſi novum æs alienum contractum a defuncto emergat.

Sed cum hæc tertia pars nimis populo gravis eſſet, juſſit Clemens, ut daretur ſub iiſdem conditionibus pars nona perpetuis futuris temporibus.

Eximuntur a præſtatione hujus nonæ partis defuncti illi, qui non habent in bonis quadraginta ſolidos;

Omnium fructuum cujuſcumque generis naſcentium in campis, & prædiis ſolvant decimam partem Eccleſiis domini,

De partu nuptiali (erat mos, ut nupti aliquid darent juxta facultates ſuas parocho die nuptiarum, quod dicebatur *partus nuptialis*) hæc convenerunt:

Si nupti non habeant in bonis ad valorem triginta ſolidorum, nihil ab illis Parochus exigat;

Ab iis, qui habent ultra quinquaginta exigant tres ſolidos, ab iis, qui minus, ſed tamen ſupra triginta habent, duos ſolidos;

Et hæc præſtatio fiat præter oblationes, quæ ſecundum conſuetudinem fieri debebunt.

Poſt Sacramentum extremæ unctionis dentur tantum octo denarii, a qua datione excuſentur non habentes ad triginta ſolidos.

De arreragiis ſupradictarum ſolutionum nihil exigere velint Parochi.

Parvuli in his ſtatutis non includantur.

Omnes alias conſuetudines abrogat, & caſſat Clemens, & hæc tantum decreta obſervari præcipit.

Si qua dubietas orietur ſuper his, vult conſuli S. Sedem.

Nulli ergo &c. Si quis, &c.

D. Avenione V. Cal. Julii P. a. IV. a. D. 1309.

DE COMITATU TOLOSANO.

Raymundus Toloſanus Comes excommunicatur.

VII. ex Rayn. ad an. 1205. §. 15. INNOCENTIUS III. Nobilibus &c. univerſis militibus per provincias Narbonenſem, Arelatenſem, Ebredunenſem, Aquenſem, & Viennenſem conſtitutis.

Inc. *Rem crudelem, &c.*

CUm Albigenſes hæretici eſſent in Toloſano Comitatu miſerat illuc Innocentius probos Presbyteros, doctoſque, qui eos confutarent, & ad fidem perducerent, inter hos F. Petrum de Caſtro Novo Monachum, & Sacerdotem pietate, & doctrina inclitum.

Quia Comes Raymundus eos fovere videbatur, vitiiſque erat pluribus fœdatus, eum non ſemel paterne correxerat Petrus; eumque ſe non emendantem cenſura percuſſit. Finxit Comes pœnitentiam, fuitque abſolutus.

Invitavit Legatos Pontificios, & Petrum ad villam S. Ægidii, ut ibidem, ſicut ajebat, admoneretur de modo vivendi. Admonitionibus factis volebant diſcedere; ſed noluit Comes, minatuſque eſt illis mortem, ſi diſcederent; neque ab hoc propoſito dimoveri potuit precibus Abbatis S. Ægidii. Ibi ergo apud Comitem pernoctarunt. Mane facto, Miſſa celebrata, ad iter ſe accingunt. Comitis milites, qui noctu eo venerant, diſpoſiti erant ad ripas fluminis, dum tranſitum Legati, & Petrus parant, unus e militibus haſtam projicit, *& inter coſtas inferius* Petrum vulneravit, qui percuſſorem mitis reſpiciens illi pepercit, mortuuſque fuit;

Petrus certe cum ſummæ virtutis eſſet, cumque pro Chriſti cauſa occubuerit, *ſigna facere deberet, niſi incredulitas incolarum obeſſet.*

Ob tam atrox facinus ergo Pontifex excommunicat Comitem, quam ſententiam in Eccleſiis prædictarum provinciarum vult ſolemniter diebus Dominicis, & feſtis publicari;

Omnes ejus fautores, conſiliarios, miniſtros pari pœnæ ſubjicit; ſupponit interdicto eum locum, & omnia loca illa, quæ illum, aut eorum aliquem ſuſcipient.

Solvit ab juramento fidelitatis ſubditos,

Tum ſermone verſo ad Epiſcopos earum provinciarum rogat Innocentius, ut eas terras ab hæreſi purgent; iiſque dat facultatem cenſuris illaqueandi hæreticos, eorumque fautores.

D. Later. VIII. . . . Mart. P. a. XI. a. D. 1208.

„ Pœnituit Comitem, fuitque abſolutus, traditurque „ modus, ib. §. 23.

Reprehenditur Raymundi filius.

HONORIUS III. R. Filio N. U. Raymundi quondam Toloſani Comitis Spiritum conſilii ſanioris. VIII. Ib. ad an. 1217. §. 60.

Inc. *Licet pater, &c.*

EX omnibus bonis, quæ Raymundus habebat, & ſpoliatus a S. Sede fuerat, terram quandam citra Rhodanum eadem Sedes tenuerat miſerata filii conditionem ei dandam, ſi paterna veſtigia non ſequeretur.

Sed Raymundus filius paternæ malitiæ imitator & pacem turbabat, & Legatum A. divexabat, & eam terram devaſtabat in contemptum Sedis A. cujus auctoritatem revereri domeſticis infortuniis doctus debebat.

Eum ergo Honorius monet, ut prava conſilia abjiciat, velitque Sedis Apoſtolicæ benignitatem potius experiri, quam ſeveritatem.

Reſpiciat patris pericula; ne Deum contrarium habere velit, querelaſque, ſi quas habet, ad Legatum, vel ad Sedem A. deferat.

D. Lat. IV. Cal. Jan. P. a. II. a. D. 1217.

Filius Comitis Montfortis inveſtitur de Toloſano Comitatu.

HONORIUS III. Almarico &c. IX. Ib. ad an. 1218. §. 59.

Inc. *In regeſtis, &c.*

COmes Almaricus, per perfidiam extincto in bello, quod diu contra Albigenſes ſuſtinuerat ſumma virtute pater ſuus, Comite Montforti, ſupplicavit Pontifici, ut terras, quas illi conceſſerat Innocentius III. haberet & ipſe. Hæ terræ fuerant armis ereptæ e Raymundo Comite Toloſano hæreticorum fautore.

Honorius in regeſtis Innocentii hanc conceſſionem perquiri voluit, invenitque, eum fuiſſe inveſtitum iis terris, e quibus expulerat hæreticos.

Invenit etiam, ejus Patrem promiſiſſe ſe annuatim ſoluturum pro hac inveſtitione S. Sedi tres denarios per ſingulos domos, quæ in iis terris erant;

Etiam hoc illi conceſſerat Innocentius in generali Synodo, ut terras, quas crucefignati occupaverant adverſus hæreticos, & eorum fautores, ſalvo Catholicorum per omnia jure, teneret.

Eum ergo Honorius inveſtit iiſdem conditionibus, quibus ejus pater inveſtitus fuerat.

D. Laterani XVI. Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1218.

Excitantur Epiſcopi ad opem ferendam Almarico.

HONORIUS III. Archiepiſcopis, Epiſcopis, &c. X. Ib. §. 59.

Inc. *Cum diſcuſſis, &c.*

CUm inibi erat, ut Chriſtiana Religio triumpharet de domitis Toloſanis, hoſte humani generis operante, Avenionenſes, & Comites Furenſis, & Convenarum perfide VV. de Baucio principem genere clarum, ſed clariorem pietate occiderunt, & in fruſta redegerunt. Ita interiit Comes ille Montfortis.

Ejus virtutis heres non minus, quam ſanguinis Almericus Dux exercitus factus ſtatuit patris mortem ulciſci, & Chriſtianam fidem protegere.

Quare Honorius Eccleſiarum Prælatos rogat, ut velint populos ſuos excitare ad auxilium Almarico ferendum.

Arma ſumentibus, milites, vel pecuniam ad eum mittentibus eaſdem indulgentias conceſſas cunctis crucefignatis in Terram Sanctam elargitur.

D. Later. III. Id. Aug. P. a. III. a. D. 1218.

DE DUCIBUS AQUITANIÆ.

Aquitaniæ Dux ſervet fidelitatem Angliæ Regi.

XI. ex Rayn. ad an. 1226. §. 41. HONORIUS III. Aquitaniæ Duci.

Inc. *Fidelitatis vinculum, &c.*

EST adeo celebre apud omnes fidelitatis vinculum, quo Dominis adſtringuntur vaſſalli, ut pro ſacro aliquo gentium, & terrarum habeatur.

Certe legimus multos vitam impendiſſe ſuam, ut vitam domini ſervarent, in obſidionibus quoſdam in ſumma inopia fraudaſſe ſe cibis, eoſque dediſſe domino, quibus vitam protraheret;

At vero Dux Aquitaniæ oblitus hujuſce vinculi, a quo recedere nullum imminens grave periculum eum cogit, illud ſolvere meditatur, vult dominum ſuum relinquere, & ad partes Gallicas tranſire.

Quo audito non potuit Honorius non graviter commoveri, & ad eum ſcribere ut ab incœpto deſiſtat, ut conſulat famæ ſuæ, ne ita graviter peccet.

Quod ſi juravit, juramentum ut illicitum ſolvit Pontifex.

D. Reate VI. Id. Jan. P. a. X. a. D. 1226.

Monita ad Aquitaniæ Ducem.

XII. ad an. 1235. §. 13. JOANNES XXII. Aquitaniæ Duci.

Inc. *Quia recte, &c.*

CONvenerat inter Reges Galliæ, & Angliæ, ut rex Angliæ homagium regi Galliæ præſtaret pro Ducatu Aquitaniæ.

Eduardus ne illi hoc homagium præſtaret, Ducatum ceſſit filio admodum juveni, qui homagium Carolo præſtitit.

Pontifex ad eum hæc ſcribit, monens ut habeat ſecum viros maturos, ut in officiis ponat viros probos, ut *Carolo Franciæ, & Navarræ regi velut ſuo Domino ſpetiali, & Eduardo ut Patri ſuo reverentiam, & obedientiam præſtet*; ut Iſabellam ſororem Caroli matrem ſuam colat;

Ut juſtitiam exerceat, ut benignum ſe præbeat viduis, pupillis, & iis opituletur, & Deum timeat &c.

D. Avin. II. Non. Oct. P. a. X. a. D. 1344.

DE BURGUNDIÆ DUCATU.

Hortatur Pontifex Ducem, ut a fœdere cum Anglis diſcedat.

XIII. ad an. 1410. par. 1. §. 14. MARTINUS V. Philippo Burgundiæ Duci.

Inc. *Pacem regnorum, &c.*

NIhil magis cordi habuiſſe ſe, Martinus ſignificat, ſimul ac Pontifex electus fuit, quam pacem inter Reges Galliæ, & Angliæ conciliare; Plures ſeſe oppoſuerunt difficultates, ſed quo plures fuerunt, eo ardentius illas Pontifex ſuperare annixus eſt.

Cum nondum pax ſit compoſita, ſciatque Anglos honeſtas conditiones non recuſaturos, & ideo in bello perſiſtere, quia fœdus cum Philippo habent,

Eum Martinus rogat, & hortatur, ut hoc fœdere diſcedat; tunc enim pax fiet, cum ad illam ſponte ferantur Angli, & fœderato Philippo deſtituantur.

Videat Philippus quæ graviſſima mala e bello naſcantur, videat ut ea quæ ſpectant ad Religionem, ad Deum in pejus ruant.

D. Ferentini III. Id. Aug. P. a. XII. a. D. 1430.

„ Philippus extincto. Narmucenſi principe avunculo „ ſuo, & Duce Brabantino partim jure hereditario, „ partim vi eas regiones habuit.

Suadetur Philippo, ut Renatum Andegavenſem Comitem e vinculis emittat.

EUGENIUS IV. Philippo &c. XIV. ad an. 1435. par. 1. rag. 15.

Inc. *Quamvis non exiſtimemus, &c.*

„ JOanna ſecunda Regina Siciliæ adoptarat in filium „ Alphonſum regem Aragoniæ, & teſtamento he„ redem reliquerat Renatum Andegavenſem Comitem. „ Neutrum facere ſine Pontificis licentia poterat; Nea„ politani Renatum regem depoſcebant, ſed captus in „ bello fuerat a Philippo Burgundiæ Duce, detinebatur„que in captivitate.

Ad illum igitur Eugenius ſcribit, ſtudetque ſuadere Duci, ut eum liberet,

I. Quia virtus clementiæ, & humanitatis eſt peculiaris Domus Franciæ virtus,

II. Quia natura impellimur ad amandos eos, qui e noſtro ſanguine ſunt;

III. Quia Chriſtus nobis jubet inimicos etiam diligere,

IV. Quia nulla virtus eſt tam neceſſaria ſaluti animæ, & ſocietati, quam clementia, & humanitas.

Oſtendat igitur factis Philippus, Pontificiam commendationem aliquid ponderis pro Renati liberatione habuiſſe.

D. Florentiæ Cal. Jul. P. a. V. a. D. 1435.

Rurſus oratur Burgundus, ut Renatum dimittat.

EUGENIUS IV. Philippo, &c. XV. ad an. 1436. par. 1. rag. 120.

Inc. *Hortati ſumus, &c.*

CUm motus primis Eugenii litteris Dux non fuiſſet, iterum illi Pontifex ſcribit, repetitque ad eum movendum eadem argumenta;

Tum hæc addidit,

I. E Renati detentione plura damna inſurgere Pontifici, & Eccleſiæ,

II. Infinita in regnum Siciliæ;

III. Cadere in decus Philippi, in ſuæ familiæ gloriam plures reges, principeſque ex ea eſſe,

IV. Omnibus virtutibus, quibus Philippus eſt præditus, acceſſionem laudis maximam fieri ex hac in Renatum adhibenda magnanimitate, & Clementia;

Colligit hæc argumenta, eumque rogat, ut Renatum liberet.

D. Bononiæ. Deſunt notæ.

Sententia lata in Baſileenſes ad Ducem mittitur, oraturque Eccleſiam tutari.

EUGENIUS IV. Philippo, &c. XVI. ad an. 1439. par. 27.

Inc. *Litteras Apoſtolicas, &c.*

„ SUbditis ſuis vetuerat Philippus conciliabulo Baſi„ leenſi intereſſe, ejuſque decretis adhærere.

Ad illum igitur de Eccleſia ita benemeritum mittit Eugenius ſententiam, a ſe pronuntiatam contra Baſileenſes in Florentino Concilio.

Tum illi gratias agit de Eccleſiæ propugnatione ſuſcepta;

Illumque demum rogat, ut nunc præcipue eam tueatur, cum Baſileenſes ſatis aperte explicuerint, quid animo intenderent. In ſchiſma enim proruperant, cum decretum de exauctorando Pontifice ediderc.

D. Florentiæ Die II. Menſis Sept. P. a. IX. a. D. 1439.

Laudatur Regius Præfectus Ducatus, quod hæreticos repreſſerit.

PIUS IV. Marchioni de Tavanes Regis Ducatus Burgundiæ præfecto. XVII. ad an. 1562. par. rag. 169.

Inc. *In maxima, &c.*

DIſſeminare hæretici cœperant per hunc Ducatum hæreſim ſuam, jamque ſpoliabant Eccleſias, invadebant bona Eccleſiaſticorum &c.

Sed

Sed regius præfectus valida militum manu collecta eos inde expulit magna cum strage, & Ecclesiis usurpata bona restituit, & quieti populorum optime consuluit.

Etiam receperat ex hæreticorum manibus Montisconum, Cabillonem, quas urbes hæretici detinebant.

Pius eum laudat, quod fecerit, quæ virum Catholicum decent.

Memoria hujus fidelitatis erit regi, eumque præmio afficiet, cum adoleverit; erat enim adhuc minor;

Deus certe hujusmodi præclarum facinus non patietur esse sine præmio.

Eum hortatur ut pergat Religionem defendere.

D. Romæ apud S. Petrum Die IV. Aug. P. a. III. a. D. 1562.

DE CIVIBUS LUGDUNENSIBUS.

Lugdunum suscipitur in protectionem S. Sed.

XVIII. Ex Rayn. ad an. 1251. §. 15. INNOCENTIUS IV. Civibus Lugdunensibus,

Inc. *Multa, & devota, &c.*

UT insectationem Imperatoris Friderici Innocentius fugeret, se Lugdunum receperat, ibique per annos fere septem moratus fuerat; Friderico defuncto statuit reverti Romam. Memor autem quanta in reverentia a Lugdunensibus habitus fuerit, quo animi ardore cives cujusvis ordinis certarent in eo excolendo, suumque obsequium illi ostendendo, iis laudatis magnifice, gratissque verbis amplissimis actis,

Volens paternum affectum, quem ad illos pro tot acceptis obsequiis gerit demonstare, eorum personas cum familiis, & omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possident, aut in futurum justis modis præstante Domino poterunt adipisci, sub B. Petri, & sua protectione suscipit, & præsentis scripti pagina communit.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Lugduni XVI. Cal. Mar. P. a. VIII. a. D. 1251.

„ Dum inibi Innocentius fuit Ecclesiam S. Justi, apud „ quam morabatur, amplissimis decoravit privilegiis, „ canonicorum numerum auxit, titulisque insignivit, „ & ad canonicatus nonnisi nobiles purissimo sangui„ ne natos admitti voluit, v. Innocentii Litteras l. 8, 318. 319. 320. 411. 412. 413. 414. 415.

Commendantur Lugdunenses omnium Ecclesiarum Prælatis.

XIX. 3b. §. 16. INNOCENTIUS IV. Universis Archiepiscopis, &c.

Inc. *Lucida Lugdunensium, &c.*

NArrat Innocentius prælatis, qua de causa (ob Friderici persecutionem) Italia excedere coactus fuerit, & cur Lugdunum se receperit, motus scilicet Lugdunensium fide, devotione, constantia, situ urbis, & affluentia populi, & rerum omnium.

Ibidem se celebrasse generale concilium narrat, in quo depressus, & depositus Fridericus fuit, sancita expeditio in Terram sanctam, & contra Tartarorum impetus, incursusque inita consilia, & *generaliter super statu Ecclesiæ consultum.*

Tum narrat, quo in honore fuerit ab iis civibus habitus, &c.

Quare cum non satis habeat eos, eorumque bona suscepisse in suam, Ecclesiæque tutelam, eos omnes, & singulos prædictis prælatis commendat. Siquis eorum per provincias ipsorum pertransiet, in iis morabitur, auxilium ei præstent, in persona, & in rebus favorabiliter protegant; provideant illi de salvo conductu, non permittant eos molestari, injuriasque illi illatas puniant;

Sibique persuadeant se gratum Romanæ Ecclesiæ facturos, si bene Lugdunenses habebunt, & eandem Ecclesiam recepturam tanquam sibi factum quidquid in Lugdunenses contulerint.

D. Lugduni Id. Febr. P. a. VIII. a. D. 1251.

DE MASSILIENSIBUS.

Privilegium datur Massilienſibus.

GREGORIUS IX. Civibus Massilienſibus. XX. B. R. t. t. p. 1. p. 461. C. C.

Inc. *Gaudentes in Domino, &c.*

CIves Massilienses reversos ad S. Sedem, *cui seducti fallaciis tentatoris fuerunt aversi*, recipit Gregorius in protectionem ejusdem S. Sedis;

Decernitque, eos excommunicari non posse *sine manifesta, & rationabili causa, vel interdici.*

Oblationem centum aureorum obolorum quotannis S. Sedi persolvendorum in censum a Massilienſibus sponte factam acceptat.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Later. X. Cal. Apr. P. a. IV. a. D. 1230.

DE NAVARRÆ REGIBUS.

Hortatio ad Navarræ regem, ut revocet quædam decreta contra libertatem Ecclesiasticam.

GREGORIUS IX. Navarræ Regi, & Comiti Campaniæ. I. B. R. t. 3. p. 1. p. 47. C. C.

Inc. *Rex, qui regni, &c.*

NAvarræ rex, qui & Comes Campaniæ erat, quædam decreta ediderat contra Ecclesiasticam libertatem.

Ut eum Gregorius inducat ad illa revocanda proponit illi exempla suorum malorum, Pipini, Caroli Magni, qui voluerunt Theodosii Imperatoris decretum de immunitate Ecclesiastica in suo regno observari, & ideo tot victorias eos reportasse ab hostibus, Gregorius ait, quia Christi sponsam Ecclesiam tutati sunt.

Quod si Valentinianus Imperator suffraganeis Mediolanensis Ecclesiæ dixit, *eligite talem in Episcopum, cui sincere nostra submittamus capita ad monita*, ipse rex pareat ipsius Pontificis hortationibus.

Eum conatur deterrere etiam Gregorius afferendo decretum Honorii III. jubentis, ut excommunicentur ii, qui intra duos menses admoniti non revocant edicta a se edita contra Ecclesiam.

Ei enarrat, quomodo idem Honorius excommunicarit Fridericum Imperatorem hujus Ecclesiasticæ libertatis violatorem.

D. Viterbii XII. Cal. Mar. P. a. IX. a. D. 1236.

Rex Navarræ suscipitur in protectionem Ap. Sedis.

INNOCENTIUS IV. Theobaldo regi. II. Ex Rayn. ad an. 1253. §. 47.

Inc. *Etsi cunctis, &c.*

MOrtuus erat Theobaldus rex, reliqueratque regnum filio Theobaldo adhuc puero sub tutela matris; quæ verebatur ne Jacobus Aragonum rex aggrederetur regnum, licet pacem cum illo iniisset.

Pontifex licet omnium regum curam habere ut communis pater, eorum tamen præcipue eorum gerere debet, qui propter ætatem videre nequeunt, & consulere, quid regimini expediat.

Quare sub suam, sanctique Petri protectionem hoc regnum suscipit cum persona regis, cum matre, & familia, omnibusque terris, quas rex in præsentia rerum possidet.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Præsentes valituræ sint ad quinquennium tantum. Tunc rex erit futurus extra tutelam.

D. Assisii V. Cal. Junii P. a. XI. a. D. 1253.

Mandatur Episcopus Pampilonensis inungere, & coronare Regem.

III. Ad an. 1257. §. 57. ALEXANDER IV. Pampilonensi Episcopo.

Inc. *Sane carissimas, &c.*

SUpplicaverat optimus Rex Theobaldus Pontifici, ut exoptanti bene regnum suum administrare, cum sacra incoronatione unctio plurimum juvet ad bene regendum, eligeret aliquem, qui sibi unctionem daret, & coronam imponeret.

Laudata pietate juvenis, qui a probitate, & devotione in S. Sedem suorum majorum non discedit,

De consilio fratrum deputat Episcopum Pampilonensem ad hoc munus. Ille convocet quos poterit Episcopos *cum propter ejusdem Regis honorificentiam, tum propter reverentiam sacramenti*, & auctoritate Ap. eum inungat, & regium diadema illius capiti imponat.

Dat autem illi, ejusque successoribus Pampilonensis Ecclesiæ Episcopis Alexander privilegium Reges Navarræ coronandi.

D. Viterbii III. Non. Nov. P. a. III. a. D. 1257.

Navarræ Domini vix ac clypeo sunt elati, gaudeant titulo regis.

IV. Ibid an. 1259. §. 14. ALEXANDER IV. Theobaldo, &c.

Inc. *Tuis supplicationibus, &c.*

MOs hic erat in Navarra, ut mortuo rege, is, qui succedere debebat, a Navarrensibus imponeretur clypeo, & sursum attolleretur, ut posset ab omnibus conspici; & tunc facta hac elevatione Dominus habebatur.

Rogavit Theobaldus Pontificem, ut liceret Dominis Navarræ ita elevatis assumere nomen regium, etiamsi coronati nondum essent,

Et ut coronationem accipere possent cum vellent.

Hæc omnia concedit Theobaldo Alexander.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Anagniæ II. Id. Febr. P. a. V. a. D. 1259.

In absentia Episcopi Pampilonensis possint Reges inungi a quovis Episcopo.

V. Ib. §. 15. ALEXANDER IV. Theobaldo, &c.

Inc. *Meminimus, &c.*

ETiam hoc postulavit optimus Rex ab Alexandro, ut Regibus Navarræ liceret inungi a quocunque Antistite, ne eorum inauguratio protrahatur;

Fieri enim potest, ut Ecclesia vacet,

Ut procul absit Episcopus,

Ut sit censuris innodatus,

Ut ægrotet.

Hanc facultatem concedit Alexander.

Per hanc tamen facultatem imminutum non vult privilegium Episcoporum Pampilonensium, qui si adsint, & possint, ipli Reges inungere, & coronare debent.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Anagniæ Id. Febr. P. a. V. a. D. 1259.

Theobaldus regia magnificentia erexit templum apud Igniacum in Diœcesi Suessionensi, quam Alexander subjecit jurisdictionatus Regis. Alex. ep. 37. lib. 5.

„ Superfuit Joanna una, quæ fuit exclusa a succes„ sione regni, cui succedere feminæ poterant, quia „ ejus mater adulterii convicta partum dubium fecerat. Successit proinde in hoc Philippus Husinnus Galliæ Rex.

Oblationibus Reginæ Navarræ respondet Pontifex.

VI. Ad an. 1323. §. 23. JOANNES XXII. Joannæ Navarræ Reginæ.

Inc. *Missa nobis, &c.*

„ MOrtuo Carolo IV. Rege Francorum Philippus „ ex linea Valesia successit; Philippus Longus „ hoc regnum occuparat ob adulterium matris Joannæ. „ Hac linea extincta recidit Regnum in Joannam filiam „ Ludovici Hutinni cum rationes tenendi illud regnum, „ quas habuerat Philippus Longus, & ejus successores, „ non haberet Philippus Valesius, & etiam illud di„ misit, ne hostes in se excitaret.

Joanna ergo ad regnum assumpta obtulit illud, seque Pontifici, seque devotam Apostolicæ Sedi professa est.

Gratulatur Pontifex de ejus ascensu ad solium,

Gratias illi agit de facta oblatione, quam acceptat.

Eam monet, ut gratias de hoc Deo agat,

Et ne regia auctoritate abutatur.

D. Aven. VI. Cal. Sept. P. a. XII. a. D. 1328.

„ Nupserat Joanna Philippo Duci Ebroicensi regia „ Francorum stirpe sato, ac S. Ludovici pronepoti.

Laudatur Rex quod arma paret in Maures.

JOANNES XXII. Philippo Navarræ Regi. VII. Ad ann. 1330. §. 49.

Inc. *Gratias agimus, &c.*

GRatiæ Dei Joannes adscribit tot Reges bellum sociasse in Saracenos, inter quos erat etiam Philippus Navarræ Rex.

Eum summopere laudat Pontifex, quod tanto fervore ducatur.

Illique paucis narrat quas excursiones depopulationesque in Granatæ regno Mauri faciant.

Eum rogat, ut perstet in suscepto proposito, eorumque retundat ferociam, expectetque magnam a Deo mercedem.

D. Aven. VI. Cal. Mar. P. a. XIV. a D. 1330.

Solatur Pontifex Reginam de morte viri.

CLEMENS VI. Joannæ Reginæ Navarræ. VIII. Ad an. 1343. §. 32.

Inc. *Non sine, &c.*

SUmmo cum dolore se accepisse nuntium mortis Regis Philippi Joannæ viri, significat Clemens; sed tamen se consolatur reputans eum vixisse probe, Christianæ fidei addictum, ejusdemque fervidum zelatorem, munitum sacramentis decessisse.

E suo dolore dolorem metitur Reginæ; quam tamen bono animo esse jubet, quia hæc est humanæ naturæ conditio, quia gemitus nihil prosunt, quia divinæ dispositioni se aptare debet.

Opem Pontificiam illi spondet in iis quæ ad ipsam, ad ejus liberos, ad ejus regnum spectare possunt.

D. Aven. VII. Cal. Dec. P. a. II. a. D. 1343.

Liberatur Rex a suspicione necati veneno Legati Ap.

GREGORIUS XI. Carolo Navarræ Regi. IX. Ad an. 1373. §. 24.

Inc. *Iidem Nuncii, &c.*

„ MIssus fuerat Guido Cardinalis Episcopus Por„ tuensis in Hispanias, ut bellum inter reges „ Aragonium, & Castellanum sopiret. Mortuus est, „ antequam pacem componeret; Carolus Navarræ Rex „ in suspicionem incidit se eum veneno de medio su„ stulisse. Purgare conatus se est Carolus ab hac su„ spicione, a qua absolvitur a Gregorio percunctato „ Guidonis familiares, qui testati sunt, eum naturali „ fuisse defunctum morbo.

Se purgat Gregorius apud Regem, si in hanc suspicionem incidit. Cum enim vox omnium una esset, Guidonem mortuum fuisse opera regis, se venia esse dignum, si rem intus, & in cute scire voluit.

Præterea cum agatur de re tanti momenti, nulla unquam diligentia est nimia censenda. Quare si iterum, iterumque Cardinalis familiares examinavit, non est reprehendendus.

Quid quod hæc severitas in honorem regis cedit? ita enim purgatus omnino juridice est ab hoc gravissimo impacto crimine.

Cæterum incredibile ipſi videbatur crimen hoc, cum ſciat religionem, pietatemque regis.

D. Sallon. Arelatenſis Diœc. X. Cal. Julii P. a. IV. a. D. 1373.

„ Non ita facile purgare ſe potuit Carolus ab hoc „ crimine veneficii intentati in Regem Galliæ. Ideo- „ que ſpoliatus fuit iis urbibus, quas fiduciario jure in „ Gallijs a Galliæ regibus ejus majores obtinuerant.

Rogatur Regina, ut foveat pacem inter Imperatorem, & Franciſcum.

X. Ad an. 1538. §. 19. PAULUS III. Margaretæ Navarræ Reginæ.

Inc. *Summe gratum, &c.*

SCripſerat Pontifici Regina, quæ erat ſoror Franciſci Galliarum Regis, ſe rerum ſuarum fiduciam, ſpemque omnem in Pontifice collocare.

Cui Pontifex gratias, quod in ſe hanc fiduciam collocet, agit

Eique operam ſuam teſtatur, amoremque.

Quia vero conciliavit Franciſcum ejus Fratrem, & Carolum ita ut plurima mutuæ amicitiæ ſigna ſibi dederint, eam rogat Pontifex, ut fratrem in hac amicitia foveat, qua Chriſtianæ Reip. nihil poteſt eſſe fructuoſius.

D. Romæ apud S. Marcum Non. Aug. P. a. IV. a. D. 1538.

Gratulatio, quod ad fidem Catholicam regina redierit.

XI. Ad an. 1561. §. 68. PAULUS III. Navarræ Reginæ,

Inc. *Reverſus nuper, &c.*

„ SErpſerat Lutherana hæreſis ex Germania in Gal- „ lias, e Galliis penetrarat in Navarram. Hæreti- „ ticis faverat Regina Margareta, & jam ipſa infe- „ cta illa hæreſi erat.

„ De hoc factus certior Pontifex ad eam miſit Hie- „ ronymum Dandinum ſecretarium ſuum, qui ei per- „ ſuaſit redire ad fidem, & expellere e regno ſuo Lu- „ theranos.

Id illa præſtitit, ut reverſus Romam Dandinus ſignificavit Paulo.

De hoc igitur ſummopere Reginæ gratulatur Pontifex; illique gratias agit, quod paternis monitionibus paruerit, & inter beneficia ſumma ab illa S. Sedi collata hoc quoque ſe eſſe recenſurum teſtatur.

Eam rogat, ut velit in incœpto perſiſtere;

Neque quicquam timeat, præteritus lapſus ejus virtutem magis manifeſtat, & eam cariorem Eccleſiæ reddit.

D. Romæ apud S. Marcum Die XV. Jul. P. a. VIII. a. D. 1541.

De obſequio præſtito grates aguntur.

XII. Ad an. 15[illegible]. §. 36. JULIUS III. Antonio Navarræ regi.

Inc. *Venerabilis frater, &c.*

LItteras per Cardinalem de Turnono miſerat Rex Antonius ad Pontificem, in quibus & de collato Pontificatu gratulabatur, ſuumque obſequium ſignificabat.

Pontifex gratias ampliſſimas agit Regi, ejuſque pietatem, & devotionem commendat plurimum,

Illique ſe offert paratum pro illo agere, quæ in deeus regis cadent.

D. Romæ apud S. Petrum Die XI. Aug. P. a. I. a. D. 1550.

„ Jam hæreſis Calviniana infecerat aliquot urbes „ hujus regni, & Regina clanculum hæreticis favebat.

Conſtantia Regis, Reginæque laudatur.

XIII. Ad an. 1555. §. 64. PAULUS IV. Antonio Regi, & Joannæ Reginæ Navarræ.

Inc. *Tametſi magnum, &c.*

SCripſerat Antonius Pontifici, ſe curam omnem ſollicitudinemque adhibere, ne hæreſis regnum ſuum inficiat.

Reſcribit Pontifex, ſibi novam non accidere conſtantiam Regis in fide; cum natus ſit ex iis genitoribus, qui ſemper Chriſtianam religionem ſunt tutati.

cum proinde laudat de hujuſmodi conſtantia;

Quam utinam alii principes habuiſſent.

D. Romæ apud S. Marcum Die XVI. Jul. P. a. I. a. D. 1555.

„ At Bearniam Geraldus Ruffus Olorenſis Epiſcopus „ infecerat, & jam Regina in hæreſi alebat filios ſuos.

Hortatur Pius Regem, ne conciones hæreticorum audiat.

PIUS IV. Antonio Regi, &c. XIV. Ad an. 1560. §. 17.

Inc. *Quia Serenitatis, &c.*

„ PArticeps conjurationis conflatæ Genevæ contra „ Regem Galliæ ab hæreticis fuit Rex Antonius, „ licet non fuerit aſſenſus: tum conciones hæretico- „ rum audiebat, filioſque ſuos (quorum unus fuit Hen- „ ricus IV. Galliæ Rex) erudiendos hæreticis dede- „ rat; hæreſiſque in Bearnia dominabatur.

Pius his litteris Regi ſcribit; ſibi mirum videri, regem tam prudentem oblitum eſſe profeſſionis illius quam in baptiſmate edidit, de ſervanda catholica religione; oblitum illius devotionis, qua colebat Romanam Eccleſiam; non cognoſcere adhuc artes ſubdolas hæreticorum, quibus nihil æquum eſt, nihil juſtum cordi;

Ne illorum conciones audiat, per quas virus ſuum in incautos inſtillant, & inficiunt.

Natus eſt e genitoribus in catholica religione defunctis, ipſe per annos plures eam religionem profeſſus eſt, ne per hanc converſionem ignorantes fuiſſe majores ſuos, ſe imprudentem oſtendat; ſed perſtet conſtans in fide;

Ne pueros ſuos erudiendos hæreticis committat; facile molles animi documenta percipiunt, iiſque dum vivunt, adhærent, &c.

Scribit, ſe ad illum mittere Cardinalem Armeniacum ſingulari prudentia, & exquiſita doctrina virum præditum, ut errores in Regnum introductos tollat, reſtituatque veram Religionem.

Ejus conſiliis Rex acquieſcat, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Junii P. a. I. a. D. 1560.

Regina de iiſdem rebus admonetur.

PIUS IV. Joannæ Reginæ, &c. XV. Ib. §. 38.

Inc. *Serpere adeo, &c.*

CAuſam ſignificat Pius Reginæ, cur in Navarræ regnum miſerit Cardinalem Armeniacum, nempe ut contra hæreticos procederet.

Tum eam paterne monet, ut meminerit, ſe e regnum Chriſtianiſſimorum Franciæ originem trahere, ſe eſſe neptem Franciſci I. immortalis memoriæ, qui ſemper hæreticos eſt infectatus; ſe natam catholicam eſſe;

Ne det filios docendos hæreticis, &c.

Plus gloriæ in eam redundaturum e compreſſis hæreticis, quam ab immutatione Religionis; tunc laudandam eſſe ejus virilem fortitudinem, nunc reprehendendam ejus inconſtantiam ſcribit Pius.

D. ut ſupra.

„ Ceterum tanta eſt arte Regina uſa, ut Cardina- „ lem ipſum fefellerit, qui Pio ſcripſit, Reginam eſſe catholicam.

Laudantur Rex Reginaque: Regi commendatur Carolus IX. Galliæ Rex.

PIUS IV. Antonio, &c. XVI. Ib. §. 85.

Inc. *Dilectus filius, &c.*

„ ANtonius motus auctoritate Cardinalis Armeniaci „ oratorem miſit ad Pontificem cum litteris ſub- „ ſcriptis etiam a Regina Joanna, qui eidem teſtare- „ tur velle ſe profiteri catholicam Religionem, & in „ ſuo regno hæreſes extinguere.

Et

Et Nuntium exceptum benigne fuiſſe, exceptum honoribus debitis regum oratoribus, & e regis litteris maximum ſe gaudium percepiſſe, ſignificat Antonio Pius.

Ex his omnibus in maximam erigitur ſpem, ut fides ex morte Franciſci Galliarum regis nullum detrimentum patiatur;

Illi commendat Fratrem Carolum adhuc tenerum; cum proxime illum contingat, conſiliis illi aſſiſtat.

Credat Ap. Nuntio, cui plura regi dicenda mandavit Pius.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVIII. Dec. P. a. I. a. D. 1560.

De ſancito fœdere gratulatur Pontifex.

XVII. Ad an. 1562. §. 141. PIUS IV. Antonio Navarræ Regi.

Inc. *Ex litteris, &c.*

„ CUm prævalere Calviniſtas in Gallia Catholici vi- „ diſſent, fœdus inierunt contra illos Antonius „ Navarræ Rex, Principes Guiſiani, Anna Memoran- „ cius Magiſter equitum, Santandreanus Regiorum Ca- „ ſtrorum præfectus pro catholica cauſa propugnanda.

Admonitus a Cardinali Legato Ap. in Galliis de hoc fœdere Pius, commendat ſummopere zelum Regis Antonii, aliorumque;

Et nunc ſe in maximam ſpem adductum, ſcribit, fore ut cito hæreſis tollatur, cum tam validos patronos Eccleſia habeat.

Se non defuturum fœderatis Pius pollicetur.

Æternumque præmium a Deo illi eſſe paratum, ait.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Apr. P. a. III. a. D. 1562.

Gratulatus eſt etiam Pontifex Catharinæ Reginæ de hoc fœdere. Litteræ ſunt fere ejuſdem tenoris, cujus ſunt hæ.

Tum ſcripſit Duci Guiſio, Annæ de Memorancio Comeſtabulo ſicut ſcripſerat Antonio, eos hortans ut in fœdere fidi perſeverent.

DE EGGLESIIS LOTHARINGIÆ.

Facultas datur Ludovico XV. Regi Chriſtianiſſimo nominandi ad Lotharingiæ Beneficia.

I. B M. p. 9. vel t. 15. p. 309. B. R. t. 24. p. 398. C. C.

CLEMENS XII. Chriſtianiſſimo in Chriſto Filio. M. P.

Inc. *Alias quidem, &c.*

ALexander VII. regibus Franciæ nominationem conceſſerat ad Eccleſias Metenſem, Tullenſem, & Virdunenſem vacantes quacunque ex cauſa (excepta vacatione in Curia, nam tunc nominationem ſibi reſervavit Pontifex;)

Clemens IX. auxit hanc conceſſionem extenditque illam ad omnes Eccleſias earum Diœceſum.

Clemens XII. Ludovicum XV, Galliarum regem æmulantem artibus pacis, & belli majores ſuos remunerare volens pro eximiis meritis in catholicam religionem M. P. eidem, & ſucceſſoribus ejus concedit facultatem nominandi ad omnia beneficia Eccleſiaſtica, ſæcularia, & regularia quorumvis ordinum, congregationum, inſtitutorum (non tamen ad beneficia Militiæ Hieroſolymitanæ) perſonas idoneas, & probas, conferendi prioratus Conventuales, præpoſituras, præceptorias, & commendas, & officia (non tamen clauſtralia) in Ducatibus Lotharingiæ, & Barri, quæ regiones vi novæ ceſſionis Franciſci, poſtea Imperatoris, Lotharingiæ, Barrique Ducis aſſumpti in Ducatum magnum Hetruriæ datæ fuerant Regi Galliæ.

Excipitur Monaſterium Medianum, ordinis S. Benedicti, quod eſt caput Congregationis S. Vituri, & Hidulphi nullius Diœceſis provinciæ Trevirenſis.

Intra ſex menſes autem a die vacationis debebunt reges Pontifici ſignificare nominatos, ut a S. Sede iis detur collatio, ſeu proviſio, proviſique debeant ſolvere taxam Cameræ Apoſtolicæ.

Si nominatio non fiet intra ſex menſes, ea devolvetur ad S. Sedem.

Et hoc privilegio gaudeat Stanislaus electus Poloniæ Rex Dux Lotharingiæ, & Barri, quoad vivet.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XV. Janu. P. a. X. a. D. 1740.

DE HISPANIARUM REGNO.

DE CRUCIATIS.

Hortatio ad principes, ut comitem Evolum de Rocejo adjuvent in expulsione Paganorum ab Hispaniis.

I. B.R. t.2. p.25 C.C. GREGORIUS VII. Omnibus principibus in Hispaniam proficiſci volentibus,

Inc. *Non latere*, &c.

EX antiquis temporibus Hiſpaniæ regnum ad S. Sedem pertinebat, & quamvis a Paganis occupatum fuerat, tamen ad S. Sedem adhuc pertinere, nemo negaverit.

Jam Comes Evolus de Roccjo *cupiens terram illam de Paganorum manibus eripere, conceſſionem ab Apoſtolica Sede obtinuit*, ut partem illam, unde Paganos ejiceret, ſub certis conditionibus regeret.

Hortatur itaque Gregorius omnes principes, ut eum in hac expeditione adjuvent; vel ſi per ſe aliquam partem acquirere volunt, eos monet, jure eam illos non eſſe poſſeſſuros, niſi pactiones cum S. Sede ineant; niſi has pactiones contrahere velint, ſe non paſſurum, ait, ut illuc eant.

Datum Romæ ſecundo Calendas Maji Indictione undecima, a. 1073.

Callixtus concedit pugnantibus contra Saracenos in Hiſpaniis indulgentias Crucesignatorum Terræ ſanctæ.

II. Ib.p.179. C. C. CALLIXTUS II. Epiſcopis, regibus, principibus, &c.

Inc. *Paſtoralis officii*, &c.

VOlens Callixtus Hiſpaniarum regnis, & Eccleſiæ gementibus ſub Agarenorum tyrannide ferre opem excitat omnes Catholicos principes ad arma ſumenda, ad expellendos inde paganos.

Omnes indulgentias conceſſas Cruce ſignatis pro Terra ſancta concedit & militantibus in Hiſpaniis.

Excommunicat eos, qui cum Crucem ſumpſerint, *ab hoc Paſchate* (ſc. anni 1122.) *ad aliud Paſcha votum non adimpleverint.*

Oldegaricum Archiepiſcopum Tarraconenſem Legatum S. Sedis a Latere conſtituit, qui controverſias inter milites decidat, hos corrigat, &c.

Cui ad parendum hortatur omnes.

D. Laterani IV. Non. Apr. a. MCXXII.

Hortatio ad Chriſtifideles, ut Regem Caſtellæ & Legionis adjuvent in expulſione Agarenorum.

III. B.R. t.1. p. 1. p. 388. CC. GREGORIUS IX. Archiepiſcopo Toletano, & univerſis Epiſcopis per regna Caſtellæ, & Legionis conſtitutis.

Inc. *Sicut olim*, &c.

REx Caſtellæ, & Legionis ab Agarenorum poteſtate Cordubam urbem nobiliſſimam liberaverat, jamque ſpes erat, ut victorias alias reportaret.

Quod ut eveniat, Gregorius excitat fideles Chriſti eorum regnorum ad pugnandum cum Rege.

Quod ut faciant libentius, concedit indulgentias ſolitas conceſſas jam crucesignatis Terræ ſanctæ vel pugnantibus ipſis, vel mittentibus milites ad exercitum, vel pecuniam ſuppeditantibus.

D. Reate II. Nonas Sept. P. a, X. a, D. 1236.

Indulgentia Cruciatæ extenditur ad ſeculares, & regulares Eccleſiaſticos in Hiſpaniis.

IV. B.R. t.5. p. 5. p. 224. C.C. URBANUS VIII. Philippo regi.

Inc. *Alias felicis*, &c.

INdulgentiæ Cruciatæ hæ ſunt præcipue,

Ut tempore jejuniorum poſſint Laici veſci in Hiſpaniis ovis, & lacticiniis,

Ut poſſint ſibi eligere Confeſſarios, a quibus abſolvi poſſint a caſibus reſervatis;

Pius V. qui has indulgentias confirmarat, excluſerat ab earum participatione Eccleſiaſticos utriuſque Cleri;

Sed Urbanus harum indulgentiarum vult eſſe participes etiam Eccleſiaſticos.

Mandat tamen Patriarchæ Indiarum, ut jubeat, ut præter conſuetos confeſſarios in Monaſterio unoquoque eligatur unus vel proprii, vel alterius ordinis Sacerdos, qui abſolvere poſſit a caſibus omnibus, exceptis reſervatis S. Sedi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIV. Junii P. a. I. a. D. 1624.

Pro anno ſancto 1625. non ſuſpenduntur indulgentiæ Cruciatæ.

V. B.p.259. C.C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Decet Romanum*, &c.

OCcaſione venturi anni Sancti 1625. ſuſpenderat Urbanus omnes indulgentias.

Sed cum cordi maxime ſit Pontifici expeditio contra infideles, cujus expeditionis intuitu hæ indulgentiæ conceduntur Hiſpaniarum regnis, indulgentias Cruciatæ ibidem non eſſe ſuſpenſas declarat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Sept. P. a. II. a. D. 1624.

Indulgentiæ Cruc. typis edi poſſunt.

VI. Ib.p.284. C.C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Nuper a nobis*, &c.

QUo facilius ad omnium notitiam perveniant indulgentiæ Cruciatæ, Commiſſario generali ejuſdem cruciatæ permittit Urbanus, ut eas typis publicare poſſit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Dec. P. a. II. a. D. 1624.

Extenſio indulti de ovis &c. ad Clerum ſæcularem.

VII. B.R. t.6. p. 1. p. 201. C.C. URBANUS VIII. Philippo Regi,

Inc. *Alias felicis*, &c.

PIus V. conceſſionis indulti Cruciatæ ovis, & lacticiniis veſcendi in quadrageſima noluerat eſſe participes Eccleſiaſticos utriuſque Cleri, multo minus Archiepiſcopos, & Epiſcopos.

Urbanus ad inſtantiam regis derogat Pii litteris, & permittit etiam Eccleſiaſticis veſci ovis, & lacticiniis, majori hebdomada, temporibus, diebus Veneris, & Sabbatis exceptis. N. O.

Idque ad ſexennium. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die X. Oct. P. a. VII. a. D. 1629.

Prorogatur idem indultum.

VIII. B.R. t.6. p. 3. p. 15. C.C. INNOCENTIUS X. Philippo Regi &c.

Inc. *Alias a fel. me.* &c.

EAdem forma, qua Urbanus, extendit Innocentius indultum veſcendi ovis, & lacticiniis in quadrageſima quoad Eccleſiaſticos. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die II. Janu. P. a. I. a. D. 1645.

Ne Commiſſarius Cruciatæ vendat officia Notariatuum Cruciatæ.

IX. B.R. t.6. p. 1. p. 373. C.C. URBANUS VIII. Nuncio A.

Inc. *Apoſtolatus officium*, &c.

VUlt Urbanus, Nuncium ſuum commonefacere Commiſſarium Cruciatæ, ne permittat vendi a Laicis, aut clericos dare laicis pecuniam pro officiis Notariatuum Cruciatæ, cum ſint officia Eccleſiaſtica, ſub pœnis &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die X. Mar. P. a. XI. a. D. 1634.

Nullæ declarantur venditiones officiorum Cruciatæ.

X. B.R. t.6. p. 2. p. 42. C.C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Alias nos*, &c.

LIcet demandaviſſet Urbanus Nuncio ſuo, ut moneret Commiſſarium Cruciatæ, ne venderet officia ejuſdem Cruciatæ, tamen vendiderat.

Urbanus itaque has venditiones factas in regnis Caſtellæ, & Legionis irritat, & quæcumque inde ſecuta acta caſſat, & irritat. N. O.

D. Romæ apud S.M.Maj. Die III. Nov. P. a. XIII. a. D. 1645.

Nuncius exigat ſcuta 1500. pro fabrica Eccleſiæ Lateranenſis ratione Cruciatæ.

XI. B.R. t.6. p. 1. p. 99. C.C. URBANUS VIII. Nuncio A.

Inc. *Cum nos*, &c.

PRorogaverat Urbanus regi Philippo facultates Bullæ Cruciatæ, rexque per ſuum oratorem pollicitus fuerat Pontifici ſcuta 1500. ex his proventibus numeranda a Theſaurario pecuniarum.

Pontifex deputat Nuncium A. ibidem ad illa exigenda.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Dec. P. a. V. a D. 1627.

Colligere jubetur Nuncius a Clero pecuniam ob Cruciatam.

XII. B.R. t.6. p. 3. p. 4. C.C. INNOCENTIUS X. Nuncio A.

Inc. *Cum alias*, &c.

RAtione publicationis Cruciatæ in favorem Eccleſiaſticorum faciendæ quotannis, jubetur Nuncius exigere ſcuta mille, & quingenta, quæ inſervient Eccleſiæ Lateranenſis fabricæ.

Quam ſummam ille Romam mittet. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIV. Maji P. a. I. a. D. 1645.

Juſſio ejuſdem exactionis.

XIII. Ib.p.220. INNOCENTIUS X. Nuncio A.

Inc. *Cum nos*, &c.

OB extenſionem indulgentiarum ad Eccleſiaſticos jubetur Nuncius exigere ſcuta 1500. pro fabrica ejuſdem Baſilicæ Lateranenſis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVII. Junii P. a. VI. a. D. 1651.

Bulla Cruciatæ publicetur quovis anno in Indiis.

XIV. Ib.p.2. C. C. INNOCENTIUS X. ad f. r. m.

Inc. *Alias ſe. me.* &c.

GRegorius XIII. juſſerat, ut de biennio in biennium indulgentiæ Cruciatæ publicarentur.

Permittit Innocentius, ut per illud ſexennium, quo ille has concedit, poſſint publicari quovis anno non ſolum in Hiſpania, ſed etiam in Indiis. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die VIII. Nov. P. a. I. a. D. 1644.

Suſpenſio Indulgentiarum Cruciatæ.

XX. B M. t.8. p. 230. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex*, &c.

ENumeratis Hiſpaniarum regnis a prædeceſſoribus liberaliter conceſſis veſcendi ovis, & lacticiniis, in quadrageſima, indulti ſubſidii, & decimarum, quas gratias ipſe Clemens ſæpe, & ſæpius renovavit; quarum gratiarum colligendi pecuniam cauſa fuit expeditio Regis Hiſpaniarum contra infideles; quam expeditionem tamen nunquam Rex peregit; immo illis nummis collectis ex ſubſidiis, & decimis claſſem paravit contra fideles (*nempe contra Carolum VI. Imperatorem, & contra Regem Siciliæ Emmanuelem Sabaudiæ Ducem*) contra ac ſponderat, ſe non moturum arma, dum Bellum Turcicum perduraret, ad quod fœdus inierant Carolus VI. & Reſp. Veneta. (*Præſidebat ſummæ rerum in Hiſpania tunc Julius Cardinalis Alberonus Placentinus.*)

Ex qua armorum Chriſtianorum diverſione & crevere animi Turcis, & Chriſtiani coacti fuerunt cum Turcis pacem componere conditionibus deterioribus.

Videns itaque Clemens, hujuſmodi Apoſtolicarum indulgentiarum abuſum, Bullam Cruciatæ, vigore cujus his indultis perfruitur Hiſpania, ad beneplacitum S.Sedis ſuſpendit. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Junii P. a. XVIII. a. D. 1718.

Relaxatio ſuſpenſionis.

XVI. Ib.p.269. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Alias a nobis*, &c.

CUm grave nimis eſſet Regi, populoque Hiſpaniarum carere privilegiis Cruciatæ, præcipue cum Rex Hiſpaniarum ſemper naves habeat paratas contra Mauros, & populos Barbariæ, debeatque in quibuſdam urbibus Barbariæ magna habere præſidia;

Ulterius cum ad beneplacitum ſuum ſuſpenderit Clemens privilegia ſpiritualia, & temporalia Cruciatæ ejuſdem, nunc eadem privilegia cenſet relaxanda, & ſuſpenſionem an. 1718. pronunciatam prorſus tollere.

Et quia de ſexennio in ſexennium, cum renovatur conceſſio Cruciatæ, pecuia a Rege Catholico Cameræ A. exſolvitur, gratis nunc eam concedit.

Relaxationem tamen hanc, vult, eſſe ad ſuum beneplacitum, ſicut fuerat ſuſpenſio. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIII. Janu. P. a. XX. a. D. 1720.

Nova revocatio ſuſpenſionis.

XVII. Ib.p.202. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Alias nos*, &c.

TEndit eodem & hæc Clemens conſtitutio, ſcilicet ut revocet ſuſpenſionem Cruciatæ, aliarumque indulgentiarum a ſuperioribus Pontificibus regibus, & regnis Hiſpaniarum, & a ſe præcipue Philippo V. conceſſarum.

Eo libentius autem Pontifex ſuſpenſionem revocat, quod Philippus humiliter illi ſupplicavit. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Sept. P. a. XX. a. D. 1720.

DE REGNO CASTELLÆ, ET LEGIONIS.

Hiſpaniarum Prælatis mandatur, ut aſſiſtant Primogenito Regis Caſtellæ.

I. Ex Rayn. Ad ann. 1210. §. IV. INNOCENTIUS III. Archiepiſcopis, Epiſcopis &c.

Inc. *Significavit nobis, &c.*

FErdinandus primogenitus Alphonſi Caſtellæ Regis ſcripſerat Pontifici, pritnitias militiæ ſuæ optare Deo conſecrare *ad exterminandum inimicos Chriſtiani nominis de finibus hereditatis ipſius, quam impie occupaverant*; proinde rogabat Pontificem, ut ſuffragium mitteret, juberetque alios præſidia dare.

Pontifex id ſignificat earum regionum Epiſcopis, ut fideles hortentur ad dandum huic principi auxilium.

D. Later. IV. Id. Dec. P. a. XIII. a. D. 1210.

De auxilio mittendo ad Regem Caſtellæ.

II. Ib. ad an. 1212. §. XVII. INNOCENTIUS III. Alphonſo Caſtellæ Regi.

Inc. *De infortuniis, &c.*

SCripſerat Alphonſus Pontifici vim ingentem Maurorum ſeſe effudiſſe in Caſtellæ regnum, & omnia ſus deque miſcere; proinde auxilio ſe indigere, ut eos poſſit reprimere.

Reſpondit illi Pontifex, ſe maximo cum dolore ab eo accepiſſe de Maurorum irruptione,

Se ſcripſiſſe ad prælatos per Galliam conſtitutos, ut fideles hortentur ad capienda arma, ferendumque illi auxilium; ne deſperet, venturum eſſe auxilium, ſe enim mandaſſe Epiſcopis, ut indulgentias denuntient in ejus auxilium venientibus.

D. Later. P. a. XV. a. D. 1213.

„ Interim ut Dei auxilium imploraret, juſſit proceſ„ ſionem ſolemnem Romæ fieri Pontifex, cujus ordo „ narratur ib. §. XIX. cum ecce afferuntur Pontifici „ literæ Alphonſi, quibus ei ſignificat, ſe ingentem „ victoriam de Saracenis retuliſſe, ad centum homi„ num millia cecidiſſe, numerum magnum captivorum „ factum; ex exercitu autem Chriſtiano triginta ad „ ſummum periiſſe. Victoria relata fuit die XVI. Ju„ lii. Ideo in Hiſpania in memoriam hujus victoriæ „ inſtituta fuit dies feſta *triumphi Sanctæ Crucis*.

Ferrandus ſuſcipitur in protectionem S. Sedis.

III. Ib. ad an. 1218. §. 65. HONORIUS III. Ferrando &c.

Inc. *Ad impendendum, &c.*

ET virtutibus ipſius Ferrandi, & meritis ejus Avi Alphonſi Caſtellæ regis

Honorius & Ferrandum, & regnum ejus ſub ſpeciali ſua, & Sedis A. protectione ſuſcipit.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Later. XIV. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1218.

Ferrandus legitimatur, ut poſſit eſſe rex Legionis, & Caſtellæ.

IV. Ib. §. 67. HONORIUS III. Ferrandi &c.

Inc. *Regiæ dignitatis, &c.*

TAnta virtus erat in Ferrando, ut licet minus legitime natus eſſet, tamen conceſſerit Innocentius III. Alphonſo ejus patri Legionis regi, ut poſſet eum relinquere heredem regni.

Ne autem bella ſuccederent vacante regno Caſtellæ, mortuo Alphonſo Ferrandi avo, Honorius permittit, ut quoniam id gratum erat iis populis, poſſet & regnum Caſtellæ habere.

Ita jam ejus pater ſtatuerat, qui jure uxorio heres erat Caſtellæ regni.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Later. VI. Id. Jul. P. a. II. a. D. 1218.

Admonetur Ferdinandus, ne Epiſcopum Segobienſem perturbet.

V. ad an. 1225. §. 41. HONORIUS III. Ferdinando &c.

Inc. *Ad nos, &c.*

SEgobienſem Epiſcopum perſequebatur Rex Ferdinandus, nec volebat eum ſui Epiſcopatus poſſeſſionem capere; quia ſine aſſenſu ipſius facta fuerat Epiſcopi electio.

Reſpondet Pontifex, injuria id objici a Rege; quia electioni conſentire noluit, & quia electum, & confirmatum a ſede exire voluit, ejuſdemque bona occupavit.

Præterea aliqua excuſatio prætendi a rege poſſet, ſi minus idoneus electus eſſet; ſed ſatis conſtat, eum eſſe virum probum, doctum, juſtitiæ amantem, navum, diligentem.

Non poteſt ergo Pontifex non eidem favere, præcipue cum in hac cauſa tota Eccleſia concutiatur; cum enim electiones canonicæ de viris probis ſunt factæ, cum eſt data confirmatio, pes referri nequit.

Conſideret Ferdinandus, regiam majeſtatem non tollere libertatem providendi Eccleſiis, non poſſe proviſos libitu ſuo deſtituere, ad miniſtros Eccleſiæ ſpectare de rectoribus providere iiſdem.

D. Romæ III. Non. Apr. P. a. IX. a. D. 1225.

Ad proſequendum bellum in Saracenos accenditur Ferdinandus.

VI. Ib. §. 43. HONORIUS III. Ferdinando &c.

Inc. *Sane ſicut, &c.*

ACcenſus zelo fidei Ferdinandus *per ſe ipſum Crucis inimicos viriliter expugnare cœperat, et Domino cooperante* jam de iis aliquot victorias retulerat.

Gaudet de tam felici eventu Pontifex, & ut augeatur Ferdinandi exercitus ſolitas indulgentias pugnaturis concedit.

Regem autem hortatur, ne tædio, & labore in tam pio opere ſe ſuperari ſinat, ſed ſtrenuus illud urgeat, conceptamque opinionem ſuſtineat; ſperatque Deum ejus conatus eſſe promoturum in melius.

D. Romæ VI. Cal. Oct. P. a. X. a. D. 1225.

Archiepiſcopo Toletano, Epiſcopis Burgenſi, & Oxanenſi mandatur ut partem redditnum dent regi.

VII. ad an. 1236. §. 60. GREGORIUS IX. Archiepiſcopo Toletano &c.

Inc. *Expoſito nobis, &c.*

A Saracenorum dominio liberarat impiger Rex urbem Corduham, proſequique bellum volebat in Saracenos. Supplicavit igitur Pontifici ut ærario regio jam exhauſto ſubveniret.

Pontifex igitur mandat prædictis præſulibus, ut ſuorum beneficiorum redditnum partem dent Regi eam inſumpturum in opere tam pio, & Chriſtianæ fidei ita proficuo.

Vult autem ut annuatim per triennium eidem regi dent ſubſidium viginti millium aureorum, diviſo inter eos onere ſecundum facultates ſuas.

D. Romæ III. Non. Sept. P. a. X. a. D. 1236.

Jam excitat etiam omnes fideles Gregorius, ut Ferdinando opem ferrent, & crucem ſumerent, ſolitaſque indulgentias largitus ea ſumentibus fuerat;

Quæ quidem Bulla, quia parum frugis continet, prætermittitur.

D. Romæ II. N. Sept.

Excitantur fideles ad opem ferendam Alphonſo filio regis.

VIII. Ad an. 1246. §. 40. INNOCENTIUS IV. Fidelibus &c.

Inc. *Benedictionis filius, &c.*

EXemplo Patris, qui tam proſpere contra Saracenos pugnarat, ſemperque pugnabat, excitatus Alphonſus

phonſus ejus filius natu major votum ediderat contra Saracenos bellandi. Jamque quaſdam urbes recuperarat ex iis Conſtantinam, Reynam, & Loram, compuleratque Carmonam ad ſibi pendenda annua tributa.

Tanto ardore motus Innocentius, ut majores victorias reportaret ſtrenuus adoleſcens, populos earum partium excitat ad auxilium ferendum regio juveni; namque eorum quoque rei intereſt, Saracenos inde deturbari, quorum jam immanitatem ſunt experti.

Ut autem libentius illi opem ferant, ſolitas concedit Cruceſignatis indulgentias.

D. Lugduni VIII. Cal. Maji P. a. III. a D. 1246.

De regni Portugalliæ adminiſtratione.

IX. Ad an. 1246. §. 42. INNOCENIUS IV. Alphonſo Regi &c.

Inc. *Sinceræ devotionis, &c.*

REgis Portugalliæ Sanctii depoſiti frater Bononiæ Comes, quia maxima auctoritate, & prudentiæ laude florebat, regnum adminiſtrandum ſuſceperat. Jam removerat a gubernaculis eos, quos Mentia, quæ regis voluntatibus dominabatur, ex obſcuriore loco extulerat; Hac Pontificia auctoritate inſtructus Comes bellum movit, & plures urbes in ſuam poteſtatem redegit; inter quas nonnulla propugnacula, quæ Luſitaniæ Rex Alphonſo Caſtellæ Regis filio liberaliter donarat. Hanc ſibi illatam injuriam ſcripſit Rex Pontifici, rogans ut conſuleret; cui reſcribit ita Innocentius.

Laudato prius, ut revera merebatur, rege ex juſtitia, ex bellica virtute, ex imitatione ſuorum, ex reverentia in Eccleſiam, ex pietate in Deum,

Se paratum eſſe cauſam diſſidii tollere;

Ita ſe debuiſſe gerere motum clamore Epiſcoporum, & Nobilium ejus regni, ut a regimine illius adminiſtrandi removeretur Sanctius, dareturque regendum ejus fratri Comiti Bononiæ; ſed illi datum fuiſſe regendum his conditionibus,

Ut filiis legitimis Sanctii nullum inferatur præjudicium, ſed filius major, ut mos eſt, ſuccedat in regnum,

Ut, ſi rex reſipiſceret, firmamque ſpem dare tregendi bene regnum, ad illius regimen revocaretur;

Poteſtatem datam Comiti in eo conſiſtere, ut corrigeret abuſus per negligentiam regis in regnum illapſos;

Cæterum ita ſe amare Regem, ut ſtatim ſcripturus ſit Comiti, ut reſtituat ipſi regi occupata propugnacula, deſiſtatque a bello; effecturuſque, ut ſi exceſſit in aliquo, emendare ſtudeat protinus.

D. Lugduni VII. Cal. Jul. P. a. III. a. D. 1246.

De eodem argumento ad Regis filium.

X. Ad ann. 1247. §. 12. INNOCENTIUS IV. Alphonſo primogenito &c.

Inc. *Litteris tuis, &c.*

POſtquam narravit Pontifex Alphonſo, qua de cauſa fuerit a regimine ſuſpenſus Sanctius, & cur eidem regundo præfectus fuerit Bononiæ Comes, & quibus conditionibus,

Eidem ſignificat, ſe mittere in Luſitaniam Fr. Deſiderium pœnitentiarium ſuum, virum prudentem, & magnæ probitatis, ut inquirat de ſtatu illius regni, & omnia reſcribat;

Se autem facturum, quod, auctore Domino, regi, regno, & ſubditis magis expedire crediderit.

Regium juvenem rogat, ut Fr. Deſiderium benigne excipiat, ei credat, ejuſque conſiliis acquieſcat.

D. Lugduni V, Id. Maji P. a. IV. a. D. 1247.

Hortatio ad regem ut Eccleſias, locupletet.

XI. Ad ann. 1248. §. 47. INNOCENTIUS IV. Ferrando Caſtellæ &c. ejuſque primogenito.

Inc. *Virtutum Dominum, &c.*

QUoniam Deus Patris, Filiique conatibus benedixit, egregiaſque victorias de Saracenis reportarunt, eos hortatur Innocentius,

Ut ſedes Epiſcopales *de multiplici bonorum ſuorum affluentia pro divini honore nominis dotare magnifice ſtudeant*;

Ita eorum nomen apud præſentes, poſteroſque effulgebit,

Ita Epiſcopi poterunt ſuorum populorum anguſtiis opitulari.

D. Lugduni III. Cal. Apr. P. a. V. a. D. 1248.

Pro Alphonſo Rege ad præſules, & proceres Sueviæ.

XII. Ad ann. 1255. §. 33. ALEXANDER IV. Præſulibus, & Proceribus Ducatus Sueviæ.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

JAm incipiebat animum ſuum ab Eccleſia alienum oſtendere Conradinus, & abutens inveſtitura Ducatus Sueviæ ſibi facta ab Innocentio IV., qui Ducatus fuerat ab Imperatore ejus patri Conrado ademptus, mala machinari contra Eccleſiam parabat.

Alphonſus Caſtellæ Rex ex materna ſucceſſione jura protulit in ejus Ducatum, aliaſque Conradini terras, ſupplicavitque Pontifici, ut hoc in negotio ſibi aſſiſteret.

Pontifex ad præſules, magnateſque ejus Ducatus hæc Alphonſi jura ſignificat, volenſque ſtatui proſpero eorumdem conſulere; iiſdem commendat præfatum regem;

Et quia Rex meretur ob ſuas virtutes, & zelum Catholicæ Religionis, & quia commendatur ab A. Sede, hortatur eoſdem ad præſtandum illi auxilium ad conſequenda jura ſua.

D. Neapoli II. Non. Febr. P. a. I. a. D. 1251.

Laudatur conſilium Regis de conſtruendis ſepulcris in Inſula Gaditana.

XIII. Ad an. 1263. §. 61. URBANUS IV. Alphonſo regi &c.

Inc. *Excelſum fecit, &c.*

PRudentiam Alphonſi (*fuerat hic electus Romanorum Rex v. C. de Imperio*) laudat Urbanus, qui voluerat reges Hiſpaniarum ſepeliri in Gaditana inſula. Ex quo quidem conſilio, quantus ſit zelus Regis in propaganda Catholica Religione etiam poſt mortem conjici poteſt.

Gadicenſis inſula eſt maris portus accommodus, et tranquillus, propter mediterranei ſtruſturam maris Africæ eſt infeſta plurimum, et ad ejus conquiſitionem janua poteſt eſſe fidelibus, ſi ſuperexcreſcentibus Chriſtianis incolis repleatur. In quodam angulo ipſius inſulæ dicto Caliæ Rex conſtrui fecit Eccleſiam Sanctæ Crucis, in qua ſepelirentur Regum cadavera; reſtauravitque herculea ædificia, & mœnia antiqua.

Eam Eccleſiam in Cathedralem ad preces regis jam erexerat Urbanus, & omnia ab eodem rege facta ibidem confirmarat.

Jam hoc conſilium ſibi rex propoſuit muniendo eam inſulam, ut tanquam propugnaculum eſſet contra Saracenorum impetus, eligendo ibidem regum ſepulcra, ut accenderet Reges ad eam inſulam defendendam, ne cineres ſuorum majorum diſſiparentur, violarenturque a Mauris; quo quidem conſilio nullum poteſt eſſe præſtantius.

Grato igitur in hoc conſilium concurrens affectu Urbanus, clericis, & laicis mandat, ne regem in hoc opere perturbent, ut ejus cadaver in Eccleſia S. Crucis ſepeliant, ut nullis unquam temporibus hoc Regis conſilium violent, vel violati ſinant ſub excommunicationis pœna.

Nulli ergo, &c. Siquis autem, &c.

D. apud Urbem Veterem XII. Cal. Sept. P. a. II. a. D. 1263.

Increpatur Rex, quod Oratores ſuos Toloſam non miſerit.

XIV. Ad an. 1278. §. 27. NICOLAUS III. Alphonſo &c.

Inc. *Scire te, &c.*

UT pax iniretur inter Alphonſum, & Regem Galliæ Philippum, Pontifex elegerat Toloſam, quo convenirent utriuſque Regis oratores. Philippus ſuos miſerat, Alphonſus licet promiſiſſet, ſe ſuos miſſurum, non miſerat. Ad illum igitur Pontifex ſcribit, reſtatque ra-

que rationes illas, quas adduxerat Alphonſus, nempe Toloſam eſſe in ditione Gallica, imminui majeſtatem regiam, ſi illuc oratores mittat.

Ac primum oſtendit Nicolaus, ſe ſummam curam adhibuiſſe, ut urbem eligeret, quæ utrumque Regem deceret. Urbs eſt commoda, frequens, nobilis &c.

Secundo ait, tunc potuiſſe regem ſuſpicari, velle Philippum ejus dignitatem imminuere, ſi Philippus eam urbem propoſuiſſet, ſed cum propoſita fuerit a Pontifice, cui ipſe Alphonſus arbitrium urbem eligendi fecit, ſuſpicari id eum non poſſe.

Eum reprehendit, quod promiſſis non ſteterit; ita cauſam omnem belli, niſi pax fiat, dandam eſſe Alphonſo ab omnibus, cum omnes ſciant Philippum miſiſſe Toloſam Oratores ſuos, Alphonſum noluiſſe eos mittere.

Ei ſignificat, ſe mandaſſe Legatis ſuis ut indicant in Vaſconia in loco congruo habendum congreſſum Calendis Martii proxime venturi;

Rogatque Regem, ut eo Oratores mittat.

D. Romæ apud S. Petrum III. Cal. Dec. P. a. I. a. D. 1278.

De pace eadem, de qua ſuperius.

XV. ad an. 1279. §. 24. NICOLAUS III. Alphonſo.

Inc. *Digne quidem, &c.*

A Deo exaſperati Regis utriuſque animi erant, quia Alphonſus excluſerat filios primogeniti ſui Ferdinandi jam defuncti a ſucceſſione regni natos ex ſorore Philippi, ut irritis cadentibus quibuſcumque Legatorum conatibus, bellum atrociſſimum pararetur.

Nicolaus, ut illud impediat ad Alphonſum ſcribit, repetitque ab initio ipſo diſcordiæ, quantum laborarit Joannes XXI. ut pacem conciliaret, quantum ipſe per litteras, per nuntios, & quam turpiter a promiſſis receſſerit Alphonſus.

Per ſe ſtetiſſe, *ait* Pontifex, *ne Galli irrumperent in regnum Caſtellæ, quod ferro, & igne vaſtaſſent;* Dum ingreſſuri erant Cardinalis Gerardus Legatus A. S. ingreſſum retinuit, & tractatum propoſuit, quem Galli acceptarunt, protraxitque ad artem Alphonſus, eoque mittere legato noluit;

Bardigalæ alius tractatus habendus erat, re infecta, fuit diſſolutus, & hujus diſſolutionis cauſa potiſſima Alphonſus fuit.

Non poteſt igitur Pontifex non maxime affligi, cum videat tot labores inſumptos fruſtra; ſed multo magis affligitur, quod videt detrimentum ingens, quod negotium Terræ Sanctæ patitur ex hac duorum potentiſſimorum regum diſcordia.

Orat ergo Nicolaus per quidquid Sancti uſpiam eſt, ut aures præbeat paci, ne velit ſuorum ſubditorum, Chriſtianorum effundi miſerrime ſanguinem;

Se redintegraturum tractatum pacis polliceatur, cui accipiendo Alphonſus non deſit.

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Junii P. a. II. a. D. 1279.

De uſurpatis juribus Eccleſiæ Compoſtellanæ caſtigatur Alphonſus.

XVI. ib. §. 32. NICOLAUS III. Alphonſo.

Inc. *Senſibus tuis, &c.*

PLuribus privilegiis gaudebat Eccleſia Compoſtellana S. Jacobi Apoſtoli reliquiis nobilitata, inter hæc illud etiam habebat juris dicundi. Arbitratus Alphonſus jus ſuum per hoc lædi, dominium illud civile illi adimere ſtatuit, repugnavit Archiepiſcopus: Filium ſuum cum exercitu miſit Rex adverſus eos, qui pro Eccleſiæ juribus ſtabant. Querelæ ad Nicolaum delatæ eum moverunt, ut ad Regem ſcriberet,

Se hactenus e bellis, quæ plurima, & graviſſima pro Chriſtiana fide contra Saracenos ſuſceperat, putaſſe Alphonſum egregium Religionis Chriſtianæ defenſorem, ſed cum acceperit, eum arma moviſſe in Eccleſiam Compoſtellanam, hærere dubium, an talem eum cenſere poſthac debeat.

Eccleſiæ Compoſtellanæ dignitatem amplificat Nicolaus. Ea celebris eſt ubique terrarum, ad viſitandas reliquias S. Jacobi eunturſ longinquæ peregrinationes, quia in illa jacent reliquiæ S. Jacobi Apoſtoli.

Videat ergo Rex ne famam hactenus ſibi comparatam tot bellis amittat; nulla eſt violanda in ſuis privilegiis Eccleſia, multo vero minus erat violanda Compoſtellana.

Sinat ergo, eam ſuis antiquis privilegiis quiete frui &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Id. Febr. P. a. I. a. D. 1278.

De non violandis Eccleſiarum juribus.

NICOLAUS III. Alphonſo. XVII. Ib. §. 27.

Inc. *Præpara queſumus, &c.*

BLande jubet Nicolaus conſiderare Alphonſum quæ beneficia a Deo acceperit, quot victoriis eum inſigniverit, in quanta m nominis famam eum advexerit, videatque an Deus in ſuis miniſtris, in ſua Eccleſia ita lædi mereatur.

Tum recenſet injurias Clero, & Eccleſiis illatas.

In pœnam, concludit, harum injuriarum Deum permittere, ejus res nunc minus proſpere ſuccedere, ejus ſubditos minus eſſe fideles, armorum ſtrepitum ejus regnum circumſonare.

Tollat has injurias, corrigat, emendetque illatas, & omnia, ſicut ante, erunt illi proſpera.

Ad hoc peragendum eumdem hortatur.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Apr. P. a. II. a. D. 1279.

Regem conſolatur Pontifex de ſua expulſione e Regno facta a filio.

MARTINUS IV. Alphonſo &c. XVIII. ad an. 1283. §. 54.

Inc. *Dilectus Filius, &c.*

EXpulſus e ſolio a filiis ſuis fuerat Alphonſus. Oratorem ſtatim ad Pontificem miſit, qui hanc expulſionem illi referret, auxiliumque expoſceret.

Reſcribit Pontifex, ſe maxima cum mœſtitia hunc nuntium accepiſſe; ſe miſereri regis ſortis, qui ita habeatur a filiis ſuis, quos audiit meditari ad Saracenos tranſitum.

Poſtulaverat Orator nomine Regis, mitti in Caſtellam Legatum A. ſed cum nihil viderit de hoc Pontifex in regis litteris, ſe ſuperſedere eum mittere, reſpondet. Hoc enim rex ſcripſiſſet.

Non mittit etiam, quia cum Epiſcopi eorum regnorum juſſi fuiſſent opportuna remedia quærere ſuper eorumdem regnorum ſtatu, nondum reſcripſerant.

Reſcribat Rex, an Legatum velit.

D. apud Urbem Veterem XVI. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1283.

Hiſpanis mandatur ut redeant ad obedientiam.

MARTINUS IV. Archiepiſcopis, Epiſcopis &c. Militibus, nobilibus, &c. XIX. Ib. §. 56.

Inc. *Habet communis, &c.*

SE audiviſſe ex communi fama, ſcribit Pontifex, Filios Regis Alphonſi Sanctium, & Emmanuelem, ſubditoſque omnes Regnorum Caſtellæ, & Legionis *ſubito inſurgentes & aſpirantes ad totalem exheredationem ipſius, officiales inſtitutos a rege deſtituere, & amovere* auſos fuiſſe; & efficere, ne Rex in ſuo regno ullam auctoritatem habeat.

Hæc non poſſunt eſſe Pontifici niſi moleſtiſſima, cum videat violata tam fœde jura divina, humanaque omnia. Quibus ut remedium afferat,

Mandet, ut omnia loca regi reſtituant, ut obedientiam non præſtent niſi regi; & ſi juramentum fidelitatis Regis filiis præſtiterunt, illud Martinus ſolvit.

Niſi paruerint, eos monet, ſe mandaſſe quibuſdam Prælatis, ut cenſuras Eccleſiaſticas in eos expediant, interdicant loca, ſpolient inobedientes feudis &c.

Dat. apud Urbem Veterem V. Id. Aug. P. a. III. a. D. 1283.

Nuptias

Nuptias cum Maria jubetur ſolvere Sancius.

XX. Ib. §. 57. MARTINUS IV. Sancio primogenito Regis Caſtellæ.

Inc. *Tui proceſſus, &c.*

DUxerat Sancius in uxorem Mariam natam quondam Alphonſi, qui erat Frater Ferrandi patris Alphonſi, ex quo naſcebatur Sancius, ac proinde erat cum illa in tertio conſanguinitatis gradu.

Hoc, inquit Pontifex, non eſt matrimonium, ſed inceſtuoſa conjunctio; Copula eſt hæc *interdicta in Concilio generali, & legali cenſura non ſolum cæterorum bonorum, non extantibus ex alio matrimonio liberis, ac dotis publicatione, ſed etiam exilio, & cinguli, quo talia præſumentes forſitan potiuntur, ſpoliatione damnata.*

Nec debet igitur, nec poteſt Pontifex hoc matrimonium permittere, & ſi hæc conſanguinitas, ut fama refert, intercedit, ſtatim, appellatione poſthabita, Mariam dimittat.

Pœnas Eccleſiaſticas illi minatur niſi hoc fecerit.

D. apud Urbem Veterem Id. Jan. P. a. II. a. D. 1283.

Mandatur, ut pœnæ Eccleſiaſticæ in Regnis Caſtellæ, & Legionis tollantur.

XXI. ad an. 1286. §. 23. HONORIUS IV. Archiepiſcopo Toletano, & Epiſcopo Burgenſi.

Inc. *Dudum felicis, &c.*

MOrtuus hoc anno fuerat Alphonſus Caſtellæ, & Legionis Rex.

Quia quædam loca, quæ rebellionem contra eumdem fecerant, Regis filiis inſtigantibus, fuerant interdicta, & quidam fautores filiorum eorumdem excommunicati, juſſu Martini IV. (remque totam enarrat Honorius) nunc cum nulla cauſa ſublit cur illæ pœnæ perdurare debeant, præfatis præſulibus Honorius mandat,

Ut & interdictum, & excommunicationem tollant.

D. Romæ apud S. Sabinam VII. Id. Nov. P. a. II. a. D. 1286.

De pace inita cum Rege Galliæ, & de diſpenſatione matrimonii.

XXII. ad an. 1289. §. 50. NICOLAUS IV. Regi Sancio &c.

Inc. *Venientes ad Apoſtolicam, &c.*

VIx ac regni regimen Sancius cepit miſit Oratores ad Pontificem, qui illi ſignificarent, ſe concordiam cum rege Galliæ Philippo feciſſe, qui poſtularent, diſpenſationem Apoſtolicam ſuper impedimento matrimonii cum Maria jam a ſe in uxorem accepta.

Pontifex reſpondet ad ſingula; acciditſe ſibi pergratum nuncium initæ pacis, ad quam ſervandam eum hortatur, cum nihil utilius pace ſit populis;

Eum hortatur ad bene adminiſtrandum regnum, habeatque ſemper præ oculis Dei gloriam, & populi utilitatem.

Quamvis ob ejus devotionem in Eccleſiam omnia Rex mereatur, tamen ne gravate accipiat, ſi nihil certi de diſpenſatione adhuc illi reſcribere poteſt, *habita certitudine pleniori intentionis ſuæ propoſitum plenius in hoc aperire illi proponit.*

D. Romæ apud S. M. Maj. II. Non. Nov. P. a. II. a. D. 1289.

Filii Regis Sanctii natalium honore ornantur.

XXIII. ad an. 1301. §. 18. BONIFACIUS VIII. Mariæ relictæ qu. Sanctii Caſtellæ regis.

Inc. *Senſus hominis, &c.*

EX illegitimo matrimonio cum Maria, cum non potuiſſet obtinere diſpenſationem Pontificiam ſuſceperat Sancius filios tres Fernandum, Petrum, & Philippum, duasque filias Iſabellam, & Beatricem.

Viro ſatis functo confugit mater ad Bonifacium, eum rogans, obteſtanſque ut defectum legitimorum natalium ſuorum filiorum ſuppleret ſcilicet, ut evitarentur bella pro ſucceſſione regni, parcereturque Chriſtiano ſanguini, neque Saracenis anſa præberetur in ea regna deſcendendi.

Pontifex Mariæ votis annuit, defectumque ſupplet, declaratque eos eſſe capaces honoris regni, dignitatum Eccleſiaſticarum, non ſecus ac ſi ex legitimo matrimonio nati eſſent;

Sperat ſimul Pontifex, & Reginam, & filios tanti beneficii ab Eccleſia accepti futuros eſſe memores.

D. Anagniæ VIII. Id. Sept. P. a. VII. a. D. 1301.

Monita ad Regem Fernandum.

BONIFACIUS VIII. Fernando &c. XXIV. Ib. §. 20.

Inc. *Per hujuſmodi, &c.*

AD virtutem ſequendam, ad colendam pietatem, ad juſtitiam recte adminiſtrandam Bonifacius Fernandum novum Regem hortatur.

Quoniam putat, ob collatum illi beneficium ſe poſſe quodam jure aliquid ab eo petere, ut pacem ineat cum Alphonſo, & Ferdinando patrui ſui filiis, ut quos ſanguis conjunxit, ſimultas non ſeparet,

Petit ut in gratiam admiſſis priſtinos honores, dignitateſque, & jura reſtituat, & bona reddat.

D. Anagniæ V. Cal. Oct. P. a. VII. a. 1301.

Jubetur Regnum Caſtellæ Alphonſo reſtitui.

JOANNES XXII. Archiepiſcopo Compoſtellano. XXV. ad an. 1319. §. 24.

Inc. *Inſtante nobis, &c.*

ALphonſus Cerda ex Blanca filia S. Ludovici, atque ex Fernando Caſtellæ herede natus heres hujus regni eſſe debebat, quippe qui natus erat ex Fernando primogenito jam ante mortem avi Alphonſi mortuo. Avus Alphonſus prætulit filio primogeniti Fernandi Sanctium Filium ſuum, hujuſque filios. Cerda plures turbas excivit; tandem ad eas ſedandas electi fuerunt reges Portugalliæ, & Aragoniæ, qui judicarunt danda eſſe Alphonſo quædam prædia, & dimittendum. Injuſtam ſententiam ægre tulit Alphonſus, vaguſque & exul diu patria caruit. Tandem confugit ad Pontificem, qui cauſam æquiſſimam Alphonſi cernens ejus patrocinium ſuſcepit.

Committit itaque Joannes prædicto Archiepiſcopo, ut ſe conferat ad Mariam tutricem, tutoreſque filiorum Sanctii, & illam, & hos moneat, ut Alphonſo principatum dimittant, ad quem jure ſanguinis vocabatur, reſcindatque regis Portugalliæ, & Aragoniæ ſententiam;

Quod ſi dimittere illum nolint, per cenſuras eam & hos ad id cogat.

Ab Alphonſo autem juramentum exigat, ſe nullam injuriam ideo facturum Mariæ, tutoribus, filiiſque Sanctii.

D. Avenione XIII. Cal. Julii P. a. III. a. D. 1319.

Conventiones propoſitæ pro expeditione in Mauros.

JOANNES XXII. Alphonſo &c. XXVI. ad an. 1324. §. 15.

Inc. *Volumus quod, &c.*

PEr oratores ſignificarat Pontifici Alphonſus ſe decreviſſe bellum movere in Mauros, & ab iis regnum Granatæ eripere, poſtulavitque ſubſidium, & ut Pontifex quas vellet conditiones imponeret.

Ergo Pontifex vult, ut non ſolum ſit contentus Rex ejicere e ſuo regno Mauros, ſed illos procul arceat e confinibus;

Ut ſi ipſe exercitum regere non poterit, illi præficiat ducem ſtrenuum cum ſufficienti militum numero;

Ut in urbibus, caſtris, terriſque dicti regni Granatæ acquiſitis, & acquirendis *conſerventur, & ædificentur Eccleſiæ ſæculares, videlicet Cathedrales ſecundum mandatum, & ordinationem Pontificis, ejuſque ſucceſſorum, vel aliorum, quibus Pontifex, & ſucceſſores duxerit, vel duxerint committendum, conſiderata aptitudine, conditione, qualitate, & dignitate locorum, in quibus fuerint hujuſmodi Eccleſiæ ordinandæ: in quibus etiam de mandato Pontificis, vel ſucceſſorum ponentur, & conſtituentur perſonæ Eccleſiaſticæ ſæculares, per quas in eis divina celebrentur officia, & miniſtrentur locorum ipſorum habitatoribus Catholicis Eccleſiaſtica ſacramenta: Collegiatæ vero, & aliæ inferiores Eccleſiæ*

ſiæ a Cathedralibus fundari poſſint de mandato Prælatorum, vel aliorum Catholicorum, quibus hoc de jure competit, vel competet in futurum, ac ſimiliter inſtitutio, ſeu ordinatio perſonarum Eccleſiaſticarum, quas ſæculares eſſe vult Pontifex, in eiſdem Collegiatis, & aliis inferioribus Eccleſiis ponendarum, poſſit fieri per eoſdem, quibus competet id de jure, ſalvo jure patronatus regis, quod jus intelligi vult Joannes illud eſſe quod regi jura communia canonica in caſu, de quo agitur ſeu agetur, præſtiterint.

Quod ſi in locis acquirendis intra poſtulatum quadriennium contigerit vivere ſimul Saracenos, & Chriſtianos, & e præcibus, & ritibus, & e nomine Mahumedis Chriſtiani ſcandalum patiantur, rex cogat Mauros ne publice hi ritus fiant, ne elata voce fiant precationes, & Mahumedes nominetur.

Chriſtiani in locis acquiſitis, & acquirendis Eccleſiaſticis, qui ſacramenta adminiſtrabunt, decimas ſolvant; ut moris eſt.

Sententiæ excommunicationis, & interdicti ne reſtringantur, ſed adimpleantur quales ſunt.

Pactiones initæ ab Oratoribus regis, & a prælatis ex parte Pontificis illibatæ maneant, & ſi controverſia oriatur, debeat ab Apoſtolica Sede decidi.

Anno vertente Alphonſus pacta inita ab oratoribus ſuis confirmet.

Quidam prælati deputantur ad exigendam decimam e bonis Eccleſiaſticis regni Alphonſi inſumendam in hoc bello.

Libri, Calices, ornamenta immediate cultui divino inſervientia oppignorari, vendi, & alienari non poſſint.

D. Aven. Id. Junii P. a. XII. a. D. 1328.

De poſtulatis Regis Caſtellæ quoad decimas, & quoad beneficia regni non danda exteris.

XXVII. ad an. 1330 §. 45.

JOANNES XXII. Alphonſo &c.

Inc. *Nos cum, &c.*

„ ALphonſus Caſtellæ Rex, & Alphonſus Rex Portugalliæ ſcripſerunt Pontifici, ſe decreviſſe Agarenos perſequi, & e ſuis regnis expellere; ſed cum „ pluribus expenſis opus eſſet, bellum diutius ſe non „ poſſe proſequi, niſi Pontifex opitularetur. Rogarunt „ ergo *quatenus in ſubſidium manutenendi guerram per „ decennium regibus præfatis concederet decimas fructuum, redditumm, & proventuum omnium Eccleſiarum etiam Cathedralium, monaſteriorum ordinum, „ dignitatum, perſonatuum, aliorumque beneficiorum in „ ſuis regnis conſiſtentium percipiendas infra quinquennium proximum; quodque etiam eodem durante quinquennio percipere, & habere poſſent primi anni fructus, redditus, & proventus Eccleſiarum, monaſteriorum, &c. vacantium eodem quinquennio in ſuis „ Regnis.*

„ *Et quia quantitas licet magna appareat, tamen „ modica eſt, ſupplicarunt, quatenus Pontifex concederet „ eiſdem durante quinquennio tertiam partem omnium „ redditumm omnium beneficiorum eodem quinquennio „ vacantium, anno primo excepto.*

„ Etiam queſti ſunt prælatitias, & pinguiora beneficia dari alienigenis in grave regnorum ſuorum præjudicium. Nam indigenæ zelo accenſi fructuum beneficiorum partem in ſubſidium incolarum, bellique erogabant, alienigenæ autem pecunias colligebant, „ tranſmittebantque in ſuas regiones. Orarunt ergo ut „ Joannes provideret.

Quod reſpondit regi Caſtellæ, reſpondit etiam regi Portugalliæ Joannes. Nempe ejus poſtulationem videri nimiam; nullumque exemplum hujuſmodi datum fuiſſe a ſuis prædeceſſoribus Pontificibus; quare ſe excuſat, ſi ejus petitionibus annuere omnino nequit;

Præſertim *cum decimam Eccleſiaſticorum redditumm, præterquam militarium ordinum, & duas partes tertiæ decimarum reſervari ſolitæ pro fabricis Eccleſiarum regni ejuſdem ad quadriennium ei conceſſerat* in ſubſidium ejuſdem belli;

Addit eos, qui hæc ſuggeſſerunt regi, ſuggerere eidem potius debuiſſe exempla ejus majorum, qui ita Eccleſias locupleterarant;

Ut minus æquam querelam de Sacerdotiis Hiſpaniarum datis alienigenis coarguit Pontifex; nam pauci ſunt hi alienigenæ, & beneficia ita pinguia non habent.

D. Aven. Non. Febr. P. a. XIV. a. D. 1330.

Hortatur Pontifex regem, ut vitia e ſuis regnis eliminet.

XXVIII. ad an. 1335. §. 65.

BENEDICTUS XII. Caſtellæ &c.

Inc. *Quanto te, &c.*

VItia plurima in hoc regno eſſe non ſolum in populo, ſed etiam in magnatibus ſciebat Pontifex.

Benedictus igitur Regi ſcribit, ſe tanto majore dolore id ſe percipere, quanto ardentiore benevolentia regem proſequitur. Timet enim ne Deus tot criminibus, præcipue carnalibus, in quibus ejus populi voluptabantur immundi, iratus graviſſimas pœnas tandem aliquando ab iis exigeret.

Ut hoc maximum periculum imminens ſibi, ſuoque regno Rex avertat, ſummopere curare debet, ut populi corrigantur, qui pejora in Deum patrant, quam Saraceni ipſi hoſtes Chriſtianæ fidei aperti.

Ad hanc correctionem peragendam eum Benedictus hortatur.

D. Avin. II. Non. Maji P. a. I. a. D. 1335.

Ad ipſum aliis litteris an. 1338. excitavit Benedictus Regem; ſicut etiam eum excitavit Clemens VI.

Gratiæ regi aguntur de miſſis ad Pontificem hoſtium ſpoliis.

XXIX. ad an. 1341. §. 2.

BENEDICTUS XII. Alphonſo Caſtellæ &c.

Inc. *Miſſum pridem, &c.*

INſignem retulerat ex devictis Mauris victoriam Caſtellæ Rex. Quædam ditiora, & elegantiora ſigna miſit ad Pontificem indicium victoriæ, ſuique in eum cultus.

Illi gratias agit Benedictus de hoc munere.

Eum hortatur, ut pergat cauſam Dei agere, neque a bello deſiſtat.

Speret ſemper victorias hujuſmodi, ſi Deum, & Eccleſiam colat.

D. Aven. VIII. Id. Maji P. a. VII. a. D. 1341.

IV. Cal. Octobris aliis litteris gratulatus eſt Pontifex eidem Regi de alia e Mauris præſtanti victoria relata.

Externi præfici poſſunt Eccleſiis.

XXX. ad an. 1345. §. 15.

CLEMENS VI. Alphonſo Caſtellæ & Legionis Regi.

Inc. *Dum tuam, &c.*

ALienigenam præfecerat Eccleſiæ Caurienſi Epiſcopum Clemens. Reclamavit Alphonſus, nolebatque electum ad Epiſcopatum admittere. Cui ſcribit Clemens.

Dum ſperabat, fore ut Alphonſus devotionem in R. Eccleſiam ſuorum majorum imitaretur, miratur eum ab illorum veſtigiis diſcedere, & moleſte ferre *providam ordinationem ejuſdem Caurienſis Eccleſiæ tanta cum maturitate digeſtam levibus aliquorum allegationibus.*

Jam erant exteri Apoſtoli, qui fundamenta fidei jecerunt; alienigena fuit *B. Jacobus, per quem Hiſpaniis Evangelicæ veritatis lumen reſplenduit.* Nil mirum ſi alienigenas Eccleſiis Dei, apud quem non eſt diſtinctio Judæi, Græcique, ejus Vicarius præficit.

Quod ſi unus inter tot alienigenas Regi diſplicet, ne imputet Epiſcopo id, ſed *ſubditis ſuis, qui phreneticorum more languentium medelam, & medicinam reſpuerunt, imputet potius ad delictum;* ſi ejus vitam, moreſque conſiderabit, videbit quot quantiſque virtutibus fulgeat.

Quare ne gravetur rex, ſi interdum ejus Eccleſiis A. Sedes de plenitudine ſuæ poteſtatis quoſdam exteros præficit.

D. Aven. XV. Cal. Nov. P. a. VII. a. D. 1348.

De oblato auxilio grates aguntur Regi.

XXXI. ad an. 1365. §. 7.

URBANUS V. Petro Regi Caſtellæ &c.

Inc. *Devotionis regiæ, &c.*

„ FOederatæ militum turmæ Gueſilino Duce Aveni„ ni appropinquantes, maximo terrore Fontifici, &

„ Cardinalibus injecere, ingentem ab iis auri vim ex„ torſerunt; quæ ſtipendiorum honeſto nomine, cum „ ſe in Granatenſes Mauros ituros profiterentur, „ erogata eſt. Obtulit Petrus Pontifici copias ſuas ter„ reſtres, & maritimas, ne ſimili poſthac terrore per„ turbaretur.

In hac oblatione magnifica ſe agnoſcere, reſcribit Pontifex, regis devotionem in Pontificem, & Romanam Eccleſiam;

Se non poſſe illum pro meritis laudare, neque poſſe æquas gratias illi agere, quas tamen poteſt, agere paterne.

Deus, qui unus poteſt, quo dignus eſt, præmio illum compenſet.

D. Aven. Cal. Mar. P. a. III. a. D. 1365.

De ſuo diſceſſu e Gallia Pontifex Regem conſolatur.

XXXII. ad an. 1375. §. 21.

GREGORIUS XI. Henrico Caſtellæ regi &c.

Inc. *Longa tua, &c.*

MOerorem ſuum ingentem ſignificarat longa epiſtola Henricus Gregorio ex ejus diſceſſu ex Gallia, mœroremque hunc conceperat ex longinquitate.

Gratum ſibi eſſe, reſcribit Pontifex, hunc regis dolorem, quippe qui eſt argumentum ſummæ illius devotionis in Eccleſiam, ejuſque caput; ſed ſibi perſuadeat Rex, diſtantiam nihil imminuturam eſſe curam illam, quam de illo geret; æque benevolus illi erit Romæ ac fuit Avenione; opus eſt, ſe in Italiam ire.

Gratum illud quoque ſibi accidit, nempe regem, ſi pacem cum principibus Chriſtianis faciet, moturum eſſe arma in infideles.

Ad quod bellum illum excitat.

D. Aven. IV. Cal. Mar. P. a. V. a. D. 1375.

De Jacobo Aragonum Rege querelæ.

XXXIII. ad an. 1425. §. 3.

MARTINUS V. Joanni Caſtellæ & Leg. R.

Inc. *Dudum cum, &c.*

IN Alphonſum Aragoniæ regem, qui ſchiſma fovere in Eccleſia non deſiſtebat, jam ſtatuerat arma ſpiritualia movere Martinus. Prævenit hac conſtitutione animum Joannis, redditque cauſam criminibus Alphonſi enarratis, cur illum velit cenſuris innodare.

Diu multumque inſudavit Eccleſia, ut Schiſma tolleret, tandem ſublatum credebatur per Concilium Conſtantienſe, in quo tres pſeudo-Pontifices fuerunt depoſiti Gregorius XII. Joannes XXIII. & Benedictus XIII. Primi duo acquieverunt Concilii decreto; non acquievit tertius Petrus de Luna; confirmatuſque in ſuo ſchiſmate fuit ab Jacobo,

Qui a regis Fernandi genitoris ſui pietate, devotione, & juſtitia, aliiſque virtutum omnium exemplis longe multumque diſcedens Eccleſiam non ut filius, ſed ut hoſtis acerrimus impugnavit,

A qua nonniſi beneficia acceperat; ab illa enim Trinacriæ, Sardiniæ, & Corſicæ regnorum ad eam ſpectantium inveſtituram accepit, ut alia minora beneficia illi ab eadem collata reticeantur.

Ipſe contra niſi pruritu favendi ſchiſmati in ſuum regnum damnatum Petrum recepit, fovit, atque ſervavit; rogatuſque a Pontifice, ut eum deſereret, reſpondere non erubuit, ſe id facturum, ſi quædam caſtra diverſarum regionum, & nonnulla alia præmia ſibi darentur.

Defuncto Petro Paniſcolæ Dertunenſis Diœceſis cum putabat quiſque extinctuma; jm eſſe ſchiſma per quoſdam pſeudo-Cardinales a Petro electos creari voluit in Antipapam quendam Ægidium Munionem, quem in ſuo regno retinet, fovet, alitque in univerſæ Eccleſiæ ſcandalum.

Major ſit hæc in eo culpa, quod Neapoli in manu Pontificis juramentum edidit, quo faſus eſt, ſe agnoſcere, & venerari Martinum verum Pontificem, ſe illi obediturum eſſe, quod quidem juramentum tactu Evangeliorum firmavit.

Quidquod Ægidio, & ejus ſequacibus ad gremium Eccleſiæ redire volentibus auctor fuit, vimque inferre minatus eſt, ne redirent?

Ipſe in fideles Eccleſiæ, Eccleſiaſticos præcipue ſæviit, & acerrime eſt eos inſectatus;

Leges evertentes Eccleſiaſticam libertatem ſanxit, vetuitque, ne quiſquam ſuorum ſubditorum Romam veniret, ne executioni litteræ Apoſtolicæ mandarentur, pœna proſcriptionis bonorum indicta his edictis non parentibus.

Interea temporis nil intentatum Pontifex reliquit, ut eum ad bonum tramitem reduceret, & ad tollendum ſchiſma moveret; litteras illi ſcripſit crebras, Legatum miſit ejus conſanguineum, quem ſuperbe repulit.

Reſtat ad eum ad unitatem Eccleſiæ reducendum, ut Joannis opera utatur, qui cum regnum finitimum regno Jacobi habeat, alicui apud illum momento eſſe poſſet, ut corrigatur.

Quare Joannem rogat Martinus, ut pro ea pietate, qua Deum colit, pro ea devotione, qua Eccleſiam proſequitur, qua virtute, auctoritate, conſilio pollet, ei perſuadeat, ut ſchiſma tollat, & ad Eccleſiæ ſinum revertatur.

D. Romæ. Deſunt notæ chronologicæ.

Cauſam reddit Pontifex, cur Nuntios de ſua electione ad Principes non miſerit.

XXXIV. ad an. 1431. §. 9.

EUGENIUS IV. Caſtellæ & Leg. Regi.

Inc. *Intelleximus quod, &c.*

„ COnſueverant Pontifices ſimul ac electi fuerant, mit„ tere Nuntios ad Principes de ſua ad Pontificatum „ electione. Hi nuntii quacumque tranſibant euntes re„ meanteſque pecunias pro itinere exigebant. Euge„ nius cum electus fuit, litteras hujuſmodi dedit Prin„ cipum oratoribus in Curia exiſtentibus, qui eas ad „ illos mitterent. Graviter de hoc queſtus Rex Caſtel„ læ fuerat, ſuſpicans, Pontificem ad alios reges mi„ ſiſſe Nuntios, ad ſe per contemptum non fuiſſe „ miſſos.

Illi reſpondet Pontifex: ſe ad nullum principem nuntios miſiſſe; & ſi debuiſſet nuntium ad aliquem mittere, ad eum præcipue fuiſſe miſſurum, cujus tanta, totque in Romanam Eccleſiam exiſtunt merita.

Tum reddit cauſam cur ſuorum prædeceſſorum mittendi nuntios non ſervavit conſuetudinem; nempe electo Pontifici multi ſeſe offerunt in Nuntios; *unde viſum eſt Pontifici, deſtinationem hujuſmodi nuntiorum quæſtuariam eſſe, cum quaſi pro lucro laborem precibus impetrare conentur.*

Quare cum velit Pontifex *conſuetudines quæſtuarias* tollere, initio ſui Pontificatus hanc, quæ prima eſt, abrogavit; voluitque, ut procuratores principum reſidentes in Curia hujuſmodi litteras ad ſuos quiſque principes mitterent.

D. deſunt notæ.

Filius regis monetur, ut arma contra patrem deponat.

XXXV. ad an. 1440. §. 14.

EUGENIUS IV. Primogenito Caſtellæ regis.

Inc. *Audivimus non abſque, &c.*

„ CAuſa belli moti a Regina uxore, ab Joanne re„ ge Navarræ, & Henrico ordinis militaris de „ Spatha magiſtro hæc fuit nimia potentia Alvari, e Lu„ na apud Regem. Inter conditiones pacis hæc fue„ rat, ut expelleretur ab Aula Alvarus, & per ſex „ menſes ab illa exularet. Diſcordia tamen recruduit.

Jure, ac merito, ſcribit Pontifex Regis filio, ſe fuiſſe miratum, nec ſatis primum credidiſſe, cum ſibi nuntiatum fuit filium in Patrem arma moviſſe. Eſt enim hoc monſtri ſimile filium, qui venerari debet patrem, eum defendere, eum protegere, in patrem inſurgere, bello aggredi, & oppugnatum velle.

Quodnam poteſt eſſe facinus majus? Abſalonis exemplum eum deterreat, nolit ſubire impii filii nomen. Cum qui patrem deriſit, fuit maledictus, benedictique qui eum coperuerunt.

Etiam ingrati nomen ſubibit; cum nullus filius ſit, qui a patre plurima beneficia non acceperit; nullaque cauſa filio eſſe poteſt reſiliendi a patre, excepta religione, & fide.

Quare arma deponat, audaciam corrigat, legibuſque

divinis, humaniſque jubentibus obſequium, & reverentiam in genitorem pareat.
D. Florentiæ a. 1440.
Scripſit ſimul etiam Reginæ eam a bello dehortans,

Hortatio ad Reginam, ne bello perſequatur Virum.

XXXVI. Ad an. 1441. §. 19. EUGENIUS IV. Mariæ Reginæ,

Inc. *Sperabamus quod, &c.*

ALias ſcripſerat Eugenius Reginæ, ut pacem cum viro ſuo faceret, ſed cum audiiſſet diſſenſiones magis excreviſſe, ad eam iterum ſcribit; quam miratur, non advertere animum, ſemper eam vinci vincat, vel vincatur, cum ſemper pugnatura ſit contra ſe ipſam propriamque carnem, cum vir, & uxor *ſint duo in carne una.*
Vincat, vincaturque ſemper pereunt ejus ſubditi populi, & dum petit virum lædere, lædit regnum ſuum, quod hominibus ſpoliat, lædit filium, quem privat ſubditis,
Regnum ſuum ſibi, ſuiſque devaſtat, & flamma ferroque ſibi, natoque illud depopulatur.
Etiamſi cauſas maximas, plurimaſque haberet bello virum perſequendi, tamen his omnibus conſideratis ſatius illi eſſet juri ſuo cedere, & pacem cum viro ſuo inire, ad quam illam hortatur etiam, atque etiam.
D. Florentiæ a. 1441.

Regis Caſtellæ oratores locum habeant ſuper oratoribus Regis Aragoniæ.

XXXVII. Ad an. 1440. §. 29. EUGENIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Decet Romani, &c.*

COntentiones ſemper oriebantur inter Legatos Regum Caſtellæ, & Aragoniæ, utroque locum ſuper altero ſibi vindicare volente, quoties intererant capellæ Pontificiæ, conſiſtorio, aliiſque publicis actis.
Cupiens Pontifex eas definire, examinari fecit, quid conſueverit fieri retroactis temporibus; relatumque fuit Regem Caſtellæ, ejuſque oratores ſemper prælatum, prælatoſque fuiſſe regi Aragonio, illiuſque oratoribus.
Ergo hunc morem ſervandum eſſe & in poſterum Eugenius decernit,
Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.
D. Romæ apud S. Petrum Non. Mart. P. a. XIII. a. D. 1444.

Valida declaratur Joannæ profeſſio.

XXXVIII. Ad an. 1487. §. 18. INNOCENTIUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

„ JOanna, quæ ſe Caſtellani ſceptri heredem a patre
„ Henrico fuiſſe inſtitutam contendebat, e mona-
„ ſterio, in quo religioſam vitam erat profeſſa, egre-
„ di molita eſt. Ejus jura tuebatur Luſitaniæ Rex. Si
„ id eveniſſet bellum acerrimum natum eſſet inter Eli-
„ ſabetham uxorem Ferdinandi Aragoniæ Regis, quæ
„ in dotem Caſtellæ, & Legionis regna traxerat, &
„ Luſitanum.
Ut his bellis anſam Pontifex amputet, quæ fatalia Hiſpaniis fuiſſent, cum inde animos ſumpturi fuiſſent Mauri ad eas rurſus occupandas, vel ad dejiciendos Chriſtianos ex iis Africæ locis, quæ armis acquiſiverunt, motu proprio, non ad inſtantiam Ferdinandi Regis, & Eliſabethæ reginæ declarat,
Profeſſionem ſolemnem a Joanna editam eſſe veram profeſſionem, neque poſſe reſcindi, libere, ſolemniter fuiſſe factam, ut conſtat ex inſtrumentis, ac proinde eam non poſſe e monaſterio egredi.
Proinde jubet, eam regredi in Monaſterium S. Areni, e quo exire non poſſit, niſi cum Moniales omnes ejuſdem Monaſterii in aliud ſe transferunt juxta ordinis ſtatuta; nec poſſit velum deponere, nec ſe nominare reginam Caſtellæ, & Legionis.
Excommunicat eos omnes, cujuſcunque ſint dignitatis, qui eidem Joannæ ſuadebunt eam eſſe Reginam, talemque dicent, ejuſque profeſſionem eſſe invalidam.
D. K. apud S. Petrum X. Cal. Jul. P. a. III. a. D. 1487.

Studium Religionis Catholicæ Philippi commendatur.

PAULUS IV. Philippo (II.) Hiſpaniarum Regi. XXXIX. Ad an. 1563. §. 1.

Inc. *Reddite nobis, &c.*

„ FAyerat Philippus Eliſabethæ, ut poſt mortem uxo-
„ ris ſuæ Mariæ, illi deferretur Angliæ regnum,
„ Cumque leviter a Pontifice increpitus fuiſſet, reſpon-
„ dit, ſe ideo illi faviſſe, ut per eam Catholicam fi-
„ dem a ſe, & ab uxore ſua in Angliam reſtitutam
„ conſervaret. Multi putant Philippum voluiſſe eam in
„ uxorem ducere,
Pontifex laudat ergo devotionem Philippi, ejuſque ſollicitudinem Religionis Catholicæ propagandæ.
Illum igitur hortatur, ut in tam pio propoſito conſtans perſiſtat; hoc erit Deo gratiſſimum, ſaluberrimumque ipſi regi.
D. Romæ apud S. Marcum Die IV. Maji P. a. IV. a. D. 1559.

Rex ſuadeat Reginæ Angliæ Eliſabethæ, ut fidem Catholicam profiteatur.

PIUS IV. Philippo, XL. Ad an. 1560. §. 43.

Inc. *Cupientes, &c.*

„ PUtabat Pius, regem Philippum plurimum aucto-
„ ritatis habiturum apud Reginam Eliſabetham,
„ quia illam e morte eripuerat, cum propter conju-
„ rationem in eandem Mariam factam erat morte af-
„ ficienda; tum quia ſperabat, Eliſabetham facile ef-
„ ſe permovendam ab ipſo Philippo, a quo expectare
„ poterat præſidium, ſi Maria Stuarta Franciæ Regi-
„ na, quæ ſe jus in Angliam habere dicebat, regnum
„ Angliæ invaſiſſet.
Pius ſcribit Philippo, ſe miſiſſe ad Eliſabetham virum prudentem Reginæ notum, ut eam ad profitendam Catholicam fidem moveat;
Plurimum tamen ſpei ſe in Philippo habere, cujus conſilia Regina non repudiabit.
Nil intentatum rex relinquat; agitur de illius decore; ipſe ſimul cum Maria reſtituit Catholicam fidem, ne permittat reſtitutam relabi;
Præterea provinciis Belgicis finitima eſt Anglia, fa-
„ cile hæreſis ex illa inſula in eas provincias migrare
„ poteſt; hæreſi autem per illas diffuſa nihil aliud ti-
„ mere poteſt niſi bella, diſcordias, turbas.
D. Romæ apud S. Petrum Die V. Maji P. a. I. a. D. 1560.
„ Pius ſcripſit etiam Imperatori Ferdinando, ut Eli-
„ ſabetham hortaretur ad amplectendam Catholicam
„ religionem.

Imperator Carolus V. & Philippus Hiſpaniarum reges declarantur Innocentes a calumniis confictis a Cardinali Carolo Caraffa.

PIUS IV. ad p. r. m. XLI. Ad an. 1561. §. 81.

Inc. *Ad Romani, &c.*

CArdinalis Carolus Caraffa Pauli IV. Pontificis nepos ut patruum in Philippum Regem, & in Carolum V. Imperatorem Philippi patrem accenderet, finxerat, conjuraſſe eos principes voluiſſe eum de medio tollere veneno; litteras confinxit, teſtes corrupit, quoſdam tanquam complices comprehendi fecit, fecit torqueri, & cum quidam ea tormenta ſuſtinere non poſſet, fuiſſetque confeſſus conjurationis ſe fuiſſe participem, fuerat ultimo ſupplicio affectus, quoſdam etiam miniſtros Cæſaris, & Regis reos hujus conjurationis dixerat.
Pius Pontifex electus examinari proceſſus fecit, eamque veritatem detexit, quam jam ſemper crediderat eſſe ejuſmodi, nempe Imperatorem, & Regem innocentes eſſe, innocenteſque eorum miniſtros.
Quamvis eorum principum ex his calumniis nomen nihil ſit imminutum, tamen vult Pius, ut ne memoria quidem harum calumniarum in eos principes memoria apud poſteros extet.
Eos declarat innocentes, ſicut eorum miniſtros, declarat crimina illis afficta fuiſſe falſo afficta, vult factos proceſſus igni tradi, deceptoribus, impoſitoribus perpetuum imponit ſilentium.
Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.
D. Romæ apud S. Petrum VII. Id. Maji P. a. II. a. D. 1561.
Carolus Caraffa Cardinalis fuit in arce S. Angeli ſtrangulatus.

DE REGIBUS ARAGONIÆ.

Reges Aragoniæ coronentur Cæſarauguſtæ ab Archiepiſcopis Tarraconenſibus.

XLII. B. M. t. 1. p. 57. D. R. t. 3. p. 1. p. 113. C. C. INNOCENTIUS III. Petro Aragonum Regi.

Inc. *Cum quanta, &c.*

EPiſcopus Portuenſis Romæ in Eccleſia S. Pancratii Petrum Aragoniæ in regem coronavit juſſu Pontificis.
Pontifex poſtea illi regalia inſignia donavit, *manum, Colobium, Sceptrum, Pomum, Coronam, & Mithram.*
Petrus e contrario perpetuo *regnum ſuum S. Sedi exhibuit cenſuale.*
Facultatem dat Innocentius Archiepiſcopis Tarraconenſibus in urbe Cæſarauguſtana coronandi reges, dato prius juramento fidelitatis in S. Sedem a regibus, & coronandi Reginas.
Nulli ergo, &c. Si quis, &c.
D. Florentini XV. Cal. Jul. P. a. IX. a. D. 1206.
„ Idem Innocentius hujc Regi conceſſit ferre mitram
„ Raynaldus ad an. 1204. §. 71.
„ Juramentum ab hoc rege præſtitum Innocentio eſt
„ apud Lunig. t. 4. p. 16.

Confirmatio privilegii Urbani II. conceſſi regi Aragoniæ.

XLIII. Ib. p. 163. C. C. INNOCENTIUS III. Philippo Aragonum Regi.

Inc. *In privilegio, &c.*

COnfirmat Innocentius privilegium Urbani II. conceſſum Petro Pampilonenſi, & Aragonenſi regi; cujus hic eſt tenor;
I. Suſcepit Urbanus regnum Aragoniæ oblatum a rege Sancio S. Petro in tutelam S. Sedis;
II. Decrevit, ut ſucceſſores Sancti illud acciperent a S. Sede, *& ſe cognoſcerent miniſtros, & famulos B. Petri.*
III. Injunxit cenſum *quingentorum Mancuſorum annuatim* B. Petro perſolvendum;
IV. Vetuit a quoquam regnum moleſtari.
V. Voluit, ut neque rex, neque regina poſſit excommunicari ſine ſpeciali Pontificum mandato.
D. fuit anno 1195. P. a. VIII.
Nulli ergo, &c. Si quis, &c.
D. Later. IV. Non. Jul. P. a. XVI. a. D. 1216.

Aragonum Rex jubetur, ne opem Toloſanis ferat.

XLIV. Ex Rayn. ad an. 1217. §. 56. HONORIUS III. Jacobo Aragonum Regi illuſtri.

Inc. *Utinam prava, &c.*

JAm per legatum ſuum admonuerat Honorius Jacobum, ne auxilium Toloſanis qui favebant Albigenſibus, daret.
Cum minus legatus profeciſſet, has litteras ad eum Pontifex mittit, in quibus eum monet,
Ut fugiat prava conſilia, memorque ſit acceptorum beneficiorum ab Eccleſia, inter quæ *ſi aliud non eſſet, ſufficeret, quod ejus regnum ad Romanam Eccleſiam noſcitur pertinere.*
Ne pacem, quam Toloſanis civibus propoſuit Honorius, velit perturbare, ſed potius matris ſuæ Eccleſiæ conſilia adjuvet.
Audiat Legatum, quem in eas partes Honorius miſit, ut bonum hoc pacis eo inducat.
D. Later. V. Cal. Junii P. a. II. a. D. 1217.

Suſceptio regni Aragoniæ, & terræ Catalauniæ in tutelam S. Sedis.

HONORIUS III. Jacobo regi. XLV. Ib. p. 209. C. C.

Inc. *Sacroſancta, &c.*

ANnuit Honorius ſupplicationibus Jacobi regis poſtulantis *Clypeum Apoſtolicæ defenſionis* ſibi concedi.
Suſcipit ergo Honorius perſonam regis, regnum Aragoniæ, & terram Catalauniæ cum omnibus aliis regiis bonis in protectionem S. Sedis.
Nulli ergo, &c. Si quis, &c.
D. Romæ apud S. Petrum VIII. Id. Maji. P. a. III. a. D. 1219.

Excuſatio, cur non poſſit nunc Pontifex regem coronare.

GREGORIUS IX. Jacobo Aragonum Regi. XLVI. Ad an. 1229. §. 58.

Inc. *Gratias agamus, &c.*

LAudat ſummopere jure, meritoque Jacobum Regem Gregorius ob pietatem, ob devotionem in S. Sedem, ob amorem, quo regit populos ſibi commiſſos, ob reverentiam in Pontificem.
Tum, quia Jacobus per legatos ſuos ſignificarat Pontifici, ſe ardere deſiderio ab illius manibus regiam coronam accipiendi, reſcribit, ſe ob temporis difficultatem id facere nunc non poſſe; ſed illi pollicetur, ſe id facturum cum poterit.
Ex hac dilatione tanto gratior erit coronatio Regi; illa enim, quæ optantur cum differuntur eo ſunt jucundiora, quo tardius data fuerint.
D. Peruſii V. Cal. Maji. P. a. III. a. D. 1229.

Reſpondetur Regi de Inſulæ Majoricæ Eccleſia.

GREGORIUS IX. Jacobo Aragonum Regi. XLVII. Ad an. 1230. §. 36.

Inc. *Ex parte, &c.*

SUpplicaverat Jacobus Rex Dominus inſulæ Majoricæ Pontifici, ut quoniam omnes inſulanos ad Chriſtiani nominis cultum revocarat, inſtitueret in ea Cathedralem Eccleſiam, & Epiſcopam ordinaret.
Reſpondet Pontifex: cum Eccleſiæ Cathedrales ſint *magnifice dotandæ, ut Epiſcopus, & capitulum exinde honorifice ſuſtententur, eo quod alias facile ibi vileſceret Epiſcopalis titulus dignitatis*, quia rex nihil ſcripſit de dote aſſignanda, ſe nihil ſtatuere poſſe.
Ditet ergo Rex prius Eccleſiam, & de dote ſcribat, tunc Pontifex ejus poſtulationibus ſatisfaciet.
D. Later. XIII. Cal. Janu. P. a. IV. a. D. 1231.

Alphonſus ex injuſto matrimonio ſuſceptus juſtorum natalium dignitate augetur.

GREGORIUS IX. Alphonſo, &c. XLVIII. Ad an. 1235. §. 32.

Inc. *Ex parte, &c.*

JAcobus Aragonum Rex celebris ex Elionora Caſtellæ Regis filia natum ſuſceperat Alphonſum virtutibus regiis ornatiſſimum: matrimonium ob quædam legitima impedimenta a Pontifice diſſolutum fuit. Cum nullus alius legitimus filius ſupereſſet Jacobo, Alphonſus rogavit Pontificem, ut ſibi liceret legitimo facto ſuccedere in regnum, præcipue cum a populis amabatur, & conceptus, natuſque fuerat in matrimonio tunc juſtiſſimo credito, & ſemper ut filius habitus a Jacobo tenerrime fuit; & jam fuit declaratus a Patre ſucceſſor.
Pontifex, repetitis omnibus, quæ Alphonſus illi ſignificarat (ſunteque a nobis ſupra relata) ulterius credens, devotionis affectum, quem Jacobus fert in Eccleſiam, in Alphonſum derivatum,
De ſpeciali gratia eum legitimandum duxit, & cum illo, ut non obſtante tali defectu habeatur legitimus, diſpenſat, ac proinde vi hujus diſpenſationis poſſit ſuccedere pleno jure in patris regna.
D. Peruſii XII. Cal. Maji P. a. IX. a. D. 1235.

Gratulatio de regno Valentiæ a Saracenis recuperato.

XLIX. Ad ann. 1238.§.46. GREGORIUS IX. Univerſis Chriſtifidelibus, &c.

Inc. *Congratulamini, &c.*

JAcobus ſuorum, & Gallorum, Angloruмque auxiliaribus copiis, quæ induta Cruce a Gregorio promulgari juſſa eo confluxerant, Valentiam caput regni ejuſdem nominis, in qua erat Zaenus Valentinus Rex cum quadraginta millibus barbarorum, obſidione cinxit, & pluries hoſtibus erumpentibus ex urbe vel cæſis, vel in urbem compulſis, & claſſe Tunetana, quæ Zaeno opem ferebat profligata, eo Zaenum redegit, ut urbem inopia commeatuum laborantem dederit. Diſceſſere quinquaginta Maurorum millia. Jacobus templis expiatis, & poſito Valentiæ Epiſcopo, expulſis Mauris Chriſtianos ſubſtituit.

De hac tam inſigni relata victoria lætatur Pontifex; de amplificata in eo regno Chriſtiana religione gratulatur.

Quia vero in animo habebat Jacobus bellum ſuſceptum proſequi, debebatque eodem tempore recuperatum regnum tutari, Gregorius Arelatenſi, Aquenſi, Narbonenſi, Tarraconenſi, Januenſi, & Auxitano Archiepiſcopis mandat, ut ſinguli per ſuas provincias fidelibus crucem prædicari faciant.

Eam ſumentibus concedit Pontifex ſolitas indulgentias.

D. Later. VI. Id. Jan. P. a. XII. a. D. 1238.

Rex aſperrime reprehenditur, quod Gerundenſi Epiſcopo linguam amputari juſſerit.

L. Ad ann. 1246.§.44. INNOCENTIUS IV. Jacobo Aragonum Regi ſpiritum conſilii ſanioris.

Inc. *Receptis tuis, &c.*

GErundenſi Epiſcopo confeſſario ſuo juſſerat Rex linguam amputari, eamque in exilium ejecerat; quidam dicunt, quia confeſſionem regis manifeſtarat. Ita certe Rex ad Pontificem ſcripſit; cui reſpondet Innocentius;

Se præ horrore enormitatis flagitii irriguiſſe. Antequam promotus eſſet ad illam Eccleſiam ſumme carus regi erat, Epiſcopus electus carior evaſit, illius confeſſiones audiebat. Poterat, ſi confeſſionem detexerat ille, rex ad Pontificem ſcribere, non ſe tanto ſcelere polluere.

Non ita facile eſt probare, eum confeſſionem revelaſſe; interdum enim ea ipſa, quæ credimus nos remotis arbitris feciſſe, in lucem veniunt, ratioque prorſus ignoratur. Non ſtatim hoc confeſſariis eſt adſcribendum.

Graviſſimum eſt etiam Regis crimen, quia membro illo eum privavit, quo poterat, debebatque Epiſcopalia munera exercere, nempe prædicare, benedicere, abſolvere.

Quæ cum ita ſint ne differat pœnitentiam, ne differat Deo ſe reconciliare, exemplumque ſuis populis dare velit pœnitentiæ gravitati criminis reſpondentis; ne patiatur, Epiſcopum in exilio vivere.

D. Lugduni X. Cal. Jul. P. a. III. a. D. 1246.

„ In pœnitentiæ ſignum Benefacianum monaſterium „ Jacobus erexit, publicum hoſpitium Valentiæ pro „ pauperibus, & peregrinis ſuſcipiendis exſtruxit, in „ Gerundenſi templo redditus aſſignavit, quibus Sacer„ dos perpetuis ſacris divinum numen regi, & ejus „ poſteris placaret, & abſolutionem a Pontifice ob„ tinuit.

Dehortatur Pontifex Jacobum a contrahenda affinitate cum Manfredo.

LI. Ad ann. 1262.§.9. URBANUS IV. Jacobo Aragonum Regi.

Inc. *Dilectus filius, &c.*

„ ANimo ſpem conceperat Jacobus ſibi Siciliæ re„ gnum ſubjicere, ſciebat Conradinum eſſe inde „ ab Eccleſia expulſum, Manfredum jam victorem cer„ nebat, qui filiam unicam habebat; ut in illud in„ vadendi cauſam aliquam habere poſſet, vidit, ſe „ eam poſſe deſumere ex jure hereditario, quod in il„ lud regnum marito attuliſſet Manfredi filia. Conſti„ tuit igitur eam a Manfredo petere pro filio ſuo Pe„ tro, qui poſtea Siciliam hoc uxorio nomine occupa„ vit. Manfredus, qui videbat res ſuas multum am„ plificari, eam ſtatim Jacobo promiſit.

„ Soli Pontifici hæ nuptiæ ingratæ erant; prævide„ bat enim potentiam Manfredi ex hoc matrimonio „ ſummopere eſſe augendam. Nihil igitur intentatum „ reliquit, ne concluderetur.

Capit autem anſam Urbanus has nuptias diſſolvendi ex eo quod Nuntium ad ſe Jacobus miſerat, qui querelas Manfredi de Eccleſiæ duritie illi exponeret, & ex eo quod Jacobus operam ſuam pollicitus fuerat ad has diſcordias Manfredum inter, & Eccleſiam interponere.

Eum initio ſtatim ad irrependum in regis animum magnifice laudat, e genere, e prudentia, e bellis geſtis, e relatis victoriis, e zelo in Eccleſiam laudibus petitis.

Tum imprudentiam Manfredi exaggerat, qui audeat duritiei accuſare Eccleſiam, a qua ipſe inveſtitus fuit principatu Tarentino &c. *(v. c. de Sicilia ultra Pharum)* ad quam oppugnandam, & tyrannidem in eam exercendam uſus Saracenorum fuit opera, qui oblitus ſuorum natalium (erat Friderici nothus) regiam poteſtatem in opprobrium regum omnium in Siciliam ſibi uſurpavit, voluitque nepotem ſuum Conradinum, cujus erat tutor, vita ſpoliare,

Qui Eccleſias oppreſſit, qui in vehementem hæreſis ſuſpicionem incidit, qui nec ſexui, nec ætati pepercit, ut libidinem ſatiaret ſuam, qui crudelitatem ſummam in cujuſcumque conditionis homines exercuit,

Hæc quia publica nota eſſe debent regi; nota etiam debet eſſe regi Eccleſiæ in eum clementia, qua erat prorſus indignus; occidi fecit Nuntium nepotis ſui Conradi in ditione Eccleſiaſtica ſub Eccleſiæ protectione viventem; in Hetruria Eccleſiæ fœderatos injuriis, & damnis graviſſimis affecit, Marchiam Anconitanam invaſit, devaſtavitque, & ab Eccleſiæ dominio eam avellere conatus eſt.

Quare ſe retrahat Jacobus ab amicitia hujuſmodi hominis inconſtantis, infidi, perduellis, ſe, ſuamque utilitatem, & commoda tantum reſpicientis, a qua amicitia detrimenta duntaxat reportabit.

Multo vero minus affinitatem cum illo contrahat; ſciat Manfredum eſſe ex ea familia, in qua per propaginem eſt malitia, & nequitia; ne corrumpat ſanguinem illuſtrium Aragonum Regum optimorum principum ſanguine ſceleſti Manfredi, ne notam hujuſmodi inurat Rex jam maturæ ætatis præclaris facinoribus a ſe juvene factis;

Acquieſcat Pontificis monitis, a quo ſummopere Rex diligitur, ſuſpicitur, & qui regiæ gloriæ eſt ſtudioſiſſimus.

D. Viterbii VI. Cal. Majt. P. a. I. a. D. 1262.

De Murcia capta, & de fœnanda libidine.

CLMENS IV. Jacobo Aragoniæ, &c. LII. Ad ann. 1266.§.25.

Inc. *Datam tibi, &c.*

ANno ſuperiore quaſdam urbes ceperat Jacobus, terque, quaterque Saracenis ſuperatis. Nuper recuperarat Urbem Murciam, quæ rebellarat a Rege Caſtellæ, quam hoſtibus vacuam eidem Regi reſtituit.

Gratulatur Jacobo Pontifex de tot relatis victoriis, quæ efficient, ut ejus nomen commendetur poſteris.

Sed prima, & nobiliſſima victoria hæc eſt ſuperare cupiditates ſuas.

Quid enim prodeſt reges in campo proſternere, & ab ancilla, vel ſervo in domo viliter ſubjugari?

Eum abſtrahere a libidine effrœnata nititur Clemens

I. A macula, qua corrumpit omnia pulcherrima ſua facinora,

II. A ſcandalo, quod dat ſuis ſubditis,

III. Ab ætate jam provecta, quam hujuſmodi obſcenæ voluptates dedecent,

IV. A contemptu in quo habetur a populis,

V. A periculo amittendi regni cœleſtis, in quod nihil coinquinatum intrabit.

D. Viterbii III. Non. Julii P. a. II. a. D. 1266.

Negat

Negat Pontifex, ſe poſſe diſſolvere regis matrimonium.

LIII. ib. §.27. CLEMENS IV. Jacobo &c.

Inc. *Quos Deus, &c.*

UXor Jacobi Theraſia lepra laborabat. Quare ſupplicavit Pontifici, ut matrimonium ſolveret.

Reſpondet Clemens, quos Deus conjunxit, hominem ſeparare non poſſe; morbum hunc ſuperveniſſe Theraſiæ, jam matrimonio conſummato, & prole ex eo ſuſcepta, proinde non poſſe ſolvi.

Quæret fortaſſe, Rex, quid ſibi faciendum incumbat cum ſine corporis ſui periculo primæ cohabitare non poſſit? Satis eſt in promptu reſponſio; ſuſtineat manum Domini; quam fortuitus caſus induxit, culpæ non imputet patientis.

Imitetur Regem Galliæ Ludovicum, & quoniam amicitia cum illo eſt conjunctus, æmuletur ejus virtutum exempla, præcipue continentiæ, & patientiæ in ferendis quidquid aſperi, adverſique Deus ad illum mittit.

D. Peruſii XIII. Cal. Mar. P. a. II. a. D. 1266.

Ad Nuntiis cultum, ad Saracenos expellendos, ad ſublevandas Eccleſias, ad coercendos Judæos excitatur Jacobus.

LIV. Ib. §.29. CLEMENS IV. Jacobo.

Inc. *Agit nec immerito, &c.*

MAgnifices laudat Clemens Jacobum propter præclara facinora quæ fecerat.

Quia vero ſeneſcit, regnum ſuum pulcherrimis factis coronet. Incumbat majore cum ſollicitudine in Dei cultum;

Saracenos, quos jam toties ſuperavit, perſequatur, & eos e ſuo regno eliminet prorſus;

Et in recuperatis urbibus Eccleſias reſtituat, quarum jura inviolata velit eſſe;

Judæos ad publica officia non admittat, & ſi quos admiſit, ab iis dejiciat; non permittat eos impune in noſtræ Religionis myſteria blaſphemare; conceſſa tamen iis ab Apoſtolica ſede privilegia conſervet.

D. Peruſii III. Non. Apr. P. a. II. a. D. 1266.

De expeditione in Terram S. & de dimittenda pellice.

LV. Ad an. 1267.§.33. CLEMENS IV. Jacobo.

Inc. *Tuæ ſerenitatis, &c.*

SCripſerat ad Pontificem Jacobus, ſe paratum eſſe in Terram S. proficiſci.

Laudat ejus conſilium Pontifex, eumque rogat, ne illud mutet.

Tum addit, *Crucifixum non recipere, illius obſequium, qui inceſtuoſo contubernio ſe commaculans in ſe ipſum iterum crucifigit.*

Sicut alias ergo, & nunc iterato familiariter rogat, quatenus Nobilem mulierem Berengariam, quam in carnale commercium, non abſque nota inceſtus, & ſalutis ſuæ diſcrimine admiſit, a ſe prorſus abjiciat, nec ei ulterius copula miſceatur carnali; aliter enim complacere non poterit Crucifixo.

Inſuper autem ſcire eum vult Clemens, *niſi Pontificiis monitis acquieverit, ſe ad dimittendam eamdem per cenſuram Eccleſiaſticam eum compulſurum.*

D. Viterbii XVII. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1267.

De corrigenda libidine.

LVI. Ad an. 1273.§.23. GREGORIUS X. Jacobo &c.

Inc. *Utinam fili, &c.*

LUgdunum iverat Jacobus ad Lugdunenſe Concilium, & in eo ſe devoverat bello Sacro. Omnes patres ejus pietatem, zelumque proſequuti ſunt ſummis laudibus. Regreſſus in regnum ſuum, voluptatibus venereis, ut antea ſe dedit.

Ut ad bonam frugem eum redigat, iterum ei ſcribit Gregorius, eumque monet quanto in periculo ejus æterna ſalus verſetur; & quantam jacturam ejus gloria faciat.

Tum ei exponit gravitatem ſceleris, cum uxorata enim nobili per vim a viro abducta rem habebat,

Quod amplificat a circumſtantiis mali exempli dati filiis ſuis, ſcandali dati populis, ab ætate jam provecta &c.

Illique minatur, ſe deſcenſurum ad remedia graviora, niſi his paternis monitis pareat.

D. Belliquardi VIII. Cal. Aug. P. a. IV. a. D. 1275.

Cenſuras minitatur Pontifex Regi Jacobo.

GREGORIUS X. Jacobo Aragonio. LVII. Ib. §.31.

Inc. *Scimus quod, &c.*

GRaviter Jacobus tulerat Gregorii caſtigationem, illique ſcripſit acerbe, cui reſpondet Gregorius,

Se non feciſſe niſi id quod præcipit Apoſtolus, *argue, obſecra, increpa, publice peccantem publice argue;* ſe redditurum eſſe Deo rationem de illius anima; ſe nolle ſimul cum illo perire ob ſilentium.

Cæterum videat ne ita fœdatus coram judicio Dei compareat. Ibi reprehendetur, ibi caſtigabitur.

Sciat mortem non procul abeſſe, quæ, væ miſero! ſi imparato ſuperveniat; jam actum conclamatumque de illo eſt.

Neque adducat excuſationes, quæ præter quamquod ſunt inutiles, ſunt etiam falſæ.

Cæterum cum quo ſublimior eſt ſtatus, eo conſpectius ſit crimen, quoniam cauſa ſcandali tamdiu populis ſuis fuit, ei denuntiat, ſe dediſſe facultatem Archiepiſcopo Tarraconenſi, & Epiſcopo Dertunenſi, niſi infra octo dies pellicem dimittat, eum excommunicandi, interdicendi loca, ad quæ vel rex, vel adultera veniet.

Non obſtantibus privilegiis regibus datis.

D. Viennæ X. Cal. Oct. P. a. IV. a. D. 1275.

Superſedeo afferre litteras Gregorii datas ad eos Epiſcopos de hac re. In iis continentur enim, quæ in his Bullis ad regem ſcripta ſunt.

Vide Bullas alias attinentes ad reges Aragoniæ in c. de regno Siciliæ, & Sardiniæ.

Decimæ conceduntur ad biennium pro bello in Saracenos regi.

JOANNES XXII. Alphonſo Regi Aragonum. LVIII. Ad an. 1319.§.45.

Inc. *Gratias agimus, &c.*

ETiam Alphonſus Aragoniæ Rex ſe ſociarat cum rege Caſtellæ pro ejiciendis e Granatæ regno Mauris, qui in regnum Aragoniæ plurimas excurſiones faciebant, & populabantur illud.

Primum quidem gratias Deo agit Joannes, quod ad id regem moverit,

Tum illi concedit, ut prædicetur Cruciata in Mauros cum ſolitis indulgentiis,

Demum illi permittit, ut in regnis Aragoniæ, Valentiæ, Sardiniæ, & Corſicæ colligere decimam omnium reddituum ab Archiepiſcopis, Epiſcopis &c. exemptis, & non exemptis, uſque ad biennium incipiendum a calendis Junii juxta modum, quem ad illum Pontifex mittit poſſit.

D. Aven. prid. Cal. Apr. P. a. XIV. a. D. 1330.

Conditiones Regi appoſitæ.

JOANNES XXII. Alphonſo &c. LIX. Ib.

Inc. *Volumus inter, &c.*

HAs conditiones apponit Joannes:

Ut per tres integros menſes perſonaliter exercitui rex præſit, tempore eundi, redeundique e bello non computatis,

Ut abſens præficiat alium virum ſtrenuum, Catholicum cum quingentis equitibus armatis,

Ut re-

Ut reficiantur Eccleſiæ in locis captis, vel novæ conſtruantur,

Ut præficiantur paſtores populis; paſtoribus autem ſolvantur decimæ,

Reliqua conveniunt cum litteris datis ad Regem Caſtellæ (v. v. *Solumus quod*)

D. Aven. II. Cal. Junii P. a. XIV. a. D. 1330.

De remedio contra maleficorum inſidias.

LX. Ad ann. 1331. §. 37. JOANNES XXII. Mariæ Aragonum Reginæ,

Inc. *Tibi quærenti, &c.*

SCripſerat Regina Pontifici, perſonam quamdam magicis factionibus a quibuſdam in occulto curari lædi, cum eam lædere non poſſint aperte; poſtulavitque quonam modo ab his infectationibus ſe liberare poſſet;

Reſpondet Pontifex, permitti interdum a Deo diabolo, ut per quoſdam malos homines magicis maleficiis quis vexetur juſto judicio;

Se nullum aptius ſcire remedium quam ut perſona ita agitata ad Deum confugiat, per bona opera curet divinam opem implorare, *& de commiſſis vera cordis contritione, ac confeſſione integra, & ſatisfactione divinæ majeſtati ſatisfacere non omittat.*

Teſtatur ſe, *contra quem multa talia magica fuerunt attentata*, nullo alio fuiſſe uſum remedio.

D. Aven. XV. Cal. Febr. P. a. XV. a. D. 1331.

Hortatio, ut regnum Regi Balearico reſtituat.

LXI. Ad ann. 1345. §. 13. CLEMENS VI. Petro Aragonum Regi &c.

Inc. *Nuper ad ſedem, &c.*

„ REcuſantem Jacobum (v. c. de regno Majoricarum *Licet ad eum &c.*) Majoricarum regem obſequium Petro Aragonum regi præſtare, Petrus idem bello aggreſſus fuerat, compuleratque Perpinianum fugere, Deluſus Jacobus Petri de Exerica principis promiſſis ſalutem duntaxat, & libertatem pactus Perpinianum regi dedidit, a quo regno ſpoliatus fuit. In caſſum nervis omnibus contendit reſtitui ſibi regnum. Ad Pontificem ergo confugit, libellumque ſupplicem ei porrexit ſupplicans ut reſtitueretur.

Pontifex Petro ſcribit, ad Romanam Curiam veniſſe Jacobum, libellumque ſupplicem ſibi porrexiſſe, quem ad regem mittit;

Se dixiſſe eidem Jacobo, ſe daturum illi reſponſum *infra Calendas inſtantis Martii*, poſtquam a Petro habuerit reſponſum.

Conſideret Petrus quid congruat

I. *Saluti animæ ſuæ,*

II. *Quid ſalubri regni ſui ſtatui,*

III. *Quid domus ſuæ regiæ honori matura deliberatione.*

Se *negare hanc juſtitiam Jacobo non potuiſſe.*

D. Aven. XIV. Cal. Febr. P. a. III. a. D. 1345.

„ Petrus non ſolum regnum Jacobo ademerat, ſed „ etiam ejus uxorem Conſtantiam ſororem ſuam. Jaco„ bus vendidit Montem Peſſulanum cum adjecta re„ gione pretio centum millium aureorum Regi Galliæ „ Philippo, qui dicebatur accendiſſe Petrum ad hoc „ bellum contra Jacobum, ut poſſet vel armis vel argento urbem, agrumque illum acquirere.

Suadetur Regi, ne pacem Venetorum cum Januenſibus impediat.

LXII. Ad ann. 1352. §. 15. CLEMENS VI. Petro Regi Aragonum.

Inc. *Cum apud, &c.*

„ JAmdiu bellum ardebat aſperum, & acerrimum Ve„ netos inter, & Januenſes; quod cupiens extin„ guere Clemens, ad utroſque populos Legatos miſerat. „ Reſponderunt, Januenſes ſe quidem paratos eſſe „ pacem inire iis conditionibus, quæ placerent Ponti„ fici; Veneti reſponderunt, ſe non poſſe nec indu„ cias, nec pacem facere inconſulto Aragonum Rege, „ quocum fœdus compactum hac conditione habebant, „ ut neutra pars altera inconſulta pacem vel fœdus „ iniret.

Pontifex igitur Regi Aragonum ſcribit, ut eum moveat ad aſſentiendum huic paci ineundæ a Venetis cum Januenſibus;

I. Quia mala ingentia ex eo bello in Orientem redundant, cum ex eo infideles animos ſumant, cum maria ſint infeſta, cum milites illi, qui crucem in eas partes aſſumerent, id facere non poſſint addicti ſervitio alterutrius partis,

II. Quia rex dicebatur hoc bellum fovere,

II. Quia utraque ſupradicta cauſa gravis infamiæ notam ejus nomini inurit.

D. apud Villam Novam Aven. Diœc. XII. Cal. Apr. P. a. X. a. D. 1352.

De bonis reſtituendis Jacobo Balearium regi.

URBANUS V. Petro Regi Aragonum. LXIII. Ad ann. 1363. §. 9.

Inc. *Dilectus filius, &c.*

„ JAcobus hic erat filius Jacobi expulſi a Petro e „ Majoricarum regno. Erat tertius conjux Joannæ „ Siciliæ reginæ, quam deſponderat mortuo Ludovico; „ quia contra pacta affectabat coronam Siciliæ, gravi „ cum uxore diſcordia ſuborta aufugit, ſupplicavitque „ Pontifici, ut cauſam ſuam apud Petrum Aragonium „ protegeret.

Scribit igitur Pontifex Petro, ejus nepotem Jacobum omnium pœnarum, injuriarumque ab illo paſſarum oblitum confugere ad ejus clementiam, & ſuppliciter ab eo petere regnum Majoricarum, comitatum Roſſilionis, & Ceritaniæ ad ipſum ſpectantia ſibi reſtitui;

Se, qui eſt pater communis non potuiſſe non miſereri ſortis Jacobi, & non conſulere proſperitati, decorique ejuſdem Petri;

Reddat ſe eidem Infanti placabilem, benignum, ac etiam gratioſum, dando viam, et ordinationem, quibus poſſit de prædictis tractari.

D. Aven. Cal. Dec. P. a. I. a. D. 1363.

Rogatur Rex, ne ſchiſma foveat.

MARTINUS V. Alphonſo Aragonum regi. LXIV. Ad ann. 1423. §. 9.

Inc. *Per litteras, &c.*

„ FAto functus fuerat Paniſcolæ antipapa Benedictus „ XIII. (Petrus de Luna.) Pſeudo-Cardinales il„ li, quos Petrus crearat, elegerant Ægidium in Pon„ tificem; Alphonſus licet fingeret hæc ſibi diſplicere „ tamen ut ait Pontifex in litteris ad regem Caſtellæ, „ *in Chriſtianitatis ſcandalum, & animæ ſuæ damna„ tionem fovet, & ſuſtentat illum Ægidium, ſibi, &* „ *ſequacibus ſubminiſtrans ſumptus de bonis Eccleſiæ.*

Ad eum ſcribit Martinus, ut illum ad hoc ſcandalum tollendum moveat;

I. Quia in Alphonſi regnis peſtiferi ſchiſmatis labes incœpit,

II. Quia in iis regnis perdurat adhuc,

III. Quia famæ illius gravis nota inuritur ignominiæ,

IV. Quia in ejus laudem maximam redundaret, ſi illud extingueret.

V. Quia omnes, & ſinguli Chriſtiani principes illud deteſtantur;

VI. Quia Eccleſiæ paci maxime conſulet.

Ei ſignificat juſtis de cauſis Concilium translatum fuiſſe Ticino, ſeu Papia Senas; eumque rogat, ut eo mittat Epiſcopos ſui regni.

D. Romæ apud S. Petrum XII. Cal. Apr. P. a. VI. a. D. 1423.

„ Hæc agebat Alphonſus, in odium in Pontificem, „ quem ſuſpicabatur favere Joannæ II. reginæ Siciliæ, „ & Ludovico Andegavenſi; a quo favore ſi deſiſteret, „ ipſe invaſurus erat illud regnum.

Cauſa odii Alphonſi in Pontificem injuſta oſtenditur.

MARTINUS V. Alphonſo &c. LXV. In §. 12.

Inc. *Quid fecimus, &c.*

ALphonſi orator Senis, ubi erat Concilium, de Pontifice obloquebatur, *eumque tanto ſtudio perſequebatur,*

batur, quaſi ad nihil aliud, quam ad inſectandum ſtatum Romanæ Eccleſiæ, & nomen Pontificis ab ejus ſerenitate tranſmiſſus eſſe videretur. Quid faciat, & quid dicat, & quibus machinationibus publice, & occulte laboret contra honorem Pontificis, Martinus non ſcribit; quia ſi rex oratori ſuo hæc facienda commiſit, jam ſunt regi nota; ſi ſponte ſua hæc orator facit, rex ea inquirat ex aliis, videatque an ſint ferenda.

Hoc certo certius ſcit Pontifex, ſe tanto regis odio non eſſe dignum. Nam ſi illi non favit in occupatione regni Siciliæ, amare potius, quam odiſſe Pontificem deberet, a quo fuit revocatus, ne ex injuſto peracto opere nominis famæ apud omnes jacturam faceret.

Potius Pontifex eum odiſſe deberet, quippe qui cum navali claſſe hoſtili venit contra regnum Eccleſiæ, ei Pontifex non ſe oppoſuit, pacem illum inter, & Joannam componere ſtuduit, cum poſſet, deberetque vires Eccleſiæ cum Joannæ copiis conjungere, ut injuſtam invaſionem ulciſceretur.

Quæ quidem ſubventio debite Joannæ daretur, quæ fuit ab Eccleſia eo regno inveſtita, quæ eſt Eccleſiæ ſubdita.

Si ergo negotium Siciliæ minus proſpere ei ceſſit, ne ſuccenſeat Pontifici,

Immo grates illi habeat, quod pejus non ceſſit; quod pejus profecto ceſſiſſet, ſi copias Eccleſiæ ad Joannam miſiſſet; *qui ne adverſaretur ejus voluntati, omiſit fortaſſe multa, quæ facere debebat.*

D. Romæ apud S. Petrum III. Id. Apr. P. a. VI. a. D. 1423.

Alphonſi crimina narrantur, citaturque &c.

LXVI. Ad an. 1426. §. 2. MARTINUS V. ad p. r. m.

Inc. *Regnans in ſæcula, &c.*

ENarrat hic Pontifex quæ egerit Alphonſus.

Ne actum canamus, ea lege in c. de Caſtellæ regno *Dudum cum &c.*

Ne ergo muneri ſuo deſit, eum citat in uno peremptorio termino, intra diem centeſimum vigeſimum primum *a die publicationis, & affixionis continue numerando.*

Reliqua conveniunt cum bullis monitorialibus hujus generis.

D. Romæ apud SS. Apoſtolos Id. Jul. P. a. IX. a. D. 1426.

„ Quia vero a non parendo excitabatur Alphonſus, „ ab Joanne Comite Armaniaci, ipſe quoque citatus „ fuit, indictis ni paruerit, ſolitis pœnis. Et hæc mo„ nitoria ſe edidiſſe in utrumque regem, & Comitem „ ſignificavit Martinus omnibus principibus, Epiſcopiſ„ que finitimis Aragoniæ regno, mandavit, ut hujuſ„ modi monitoriales litteras publicarent.

Gaudium Pontificis de regis voluntate redeundi ad Eccleſiam.

LXVII. Ad ann. 1428. §. 1. MARTINUS V. Alphonſo &c.

Inc. *Pergratæ nobis, &c.*

ALegato S. A. litteras acceperat Martinus, quibus ſignificabat, regem Pontifici, *et Eccleſiæ totis affectibus obſequendi* cupidum.

Significat regi Martinus, ſibi nuntium hunc fuiſſe gratiſſimum; ita enim diſſipata nubecula illa odii, qua tenebatur rex, *devotionem ſuam in Eccleſiam dietim magis ac magis augebit*, experieturque, quam paterne cum Pontifex amplectatur, ita ut uſus mutuæ benevolentiæ, qui fuerat intermiſſus, dulcior poſthac futurus ſit, gratiorque.

D. Romæ apud SS. Apoſtolos III. Id. Sept. P. a. X. a. D. 1428.

De proviſione Eccleſiæ Majoricenſis.

LXVIII. Ad an. 1429. §. 5. MARTINUS V. Alphonſo &c.

Inc. *Recepimus, &c.*

IN conventu Paniſcolæ ſtatutum fuerat inter Legatum S. A. & Regem, ut Eccleſia Majoricenſis tunc vacans daretur Ægidio Munioni.

Poſtea rex Oratori ſuo apud Pontificem mandavit, ut proviſionem ejus Eccleſiæ peteret pro Glacerando Alberto.

Scribit rex Pontifex, ſe cum audiſſet *eſſe regis voluntatis, et beneplaciti*, ut Eccleſia Majoricenſis daretur Ægidio, ſe illi eam contuliſſe, ſe eam in conciſtorio publicaſſe proviſionem, hanc proviſionem notam eſſe Romæ, ſe proinde neſcire, quomodo eam revocare poſſit, eamque dare Glacerando Alberto ſine levitatis nota, quæ inuretur & Pontifici, & regi ipſi.

D. Romæ apud SS. Apoſtolos VI. Id. Nov. P. a. XII. a. D. 1429.

Poſſeſſio occidui orbis datur Eliſabethæ, & Ferdinando.

ALEXANDER VI. Ferdinando Aragoniæ, & Eliſabethæ Caſtellæ regibus. LXIX. Ad ann. 1492. §. 18.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

POſt reditum Chriſtophori Columbi ex ea terra quam detexerat in novo orbe, natæ erant rixæ inter reges Hiſpaniarum hinc, & Luſitanum inde, cum vellet rex Luſitanus in privilegiis ſibi datis etiam eas regiones detegendas eſſe ſui juris.

Res delata ad Pontificem eum movit, ut hanc ederet conſtitutionem;

In qua decernit occidui orbis partes ſpectare ad Hiſpaniarum reges, qui ſicut non erunt incommodo regibus Luſitanis in iis partibus Africæ, Guineæ, & Mineræ auri, ita non debere Luſitanos perturbare regiones detectas ab Hiſpanis.

Tum illa omnia privilegia, quibus gaudent Luſitani, ut nulla alia natio poſſit in eas regiones ire, ut nemo ad eos populos arma, & inſtrumenta bellica ferre poſſit, Hiſpanis concedit. N. O.

Nulli ergo, &c. Siquis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum V. Non. Maji P. a. I. a. D. 1493.

Conſilium Hiſpaniarum jubetur revocare leges contra Eccl. libertatem.

CLEMENS VII. Conſilio Hiſpaniæ. LXX. Ad ann. 1531. §. 9.

Inc. *Nihil hoc, &c.*

HIſpaniarum conſilium reprehendit Clemens quod *ab illius decretis, et editis quotidie Eccleſiarum libertatem, et auctoritatem imminui, ac Apoſtolicarum litterarum executionem, et obedientiam prohiberi, et illis utentes carceribus, et pœnis multari* audiret.

Scit Pontifex hæc eſſe aliena ab animo Imperatoris.

Miratur, homines tanti nominis nihil perhorreſcere excommunicationem denuntiatam impedientibus bullarum executionem.

Iis menſis ſpatium Clemens præfigit, intra quem revocare edicta hujuſmodi debeant; quo prætergreſſo, & iis non revocatis, ſe excommunicationem incurriſſe ſciant. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Dec. P. a. IX. a. D. 1531.

„ Nimirum conſilium decreverat, ut omnes Bullæ, „ omnia Brevia deferrentur ad conſilium, ex quo qui„ dam fuerant electi, qui eas, & hæc examinarent; „ quæ aliquo modo adverſari legibus, & conſuetudi„ nibus eorum regnorum poterant, ſupprimebantur.

„ Etiam decreverat, ut quicumque bullam, vel bre„ ve Roma acciperet, deferret ad conſilium, pœnæque „ indictæ fuerant non deferenti, aut exequenti, ſi con„ ſilium eam, vel hoc non approbaſſet.

„ Id didicerant Hiſpani a Gallis. Potito enim Du„ catu Mediolanenſi Franciſco I. Lautrecus Ducatus „ Gubernator ſub Leone X. ſtatuerat,

„ I. Ne in beneficia ejus Ducatus alienigenæ admit„ terentur,

„ II. Et ne executioni mandari poſſent acceptæ Pon„ tificiæ Bullæ, vel Brevia, niſi prius examinarentur, „ habereturque licentia.

Novo detecto Orbe inveſtiuntur Ferdinandus, & Eliſabeth Caſtellæ, & Aragoniæ reges.

LXXI. B.M. t. 2. p. 453 B.M. p. 4. vel t. 10. p. 2. B.R. t. 3. p. 3. p. 233. C.C. ALEXANDER VI. Ferdinando, & Eliſabethæ regibus Caſtellæ, Aragonum, Siciliæ, Granatæ.

Inc. *Inter cætera, &c.*

DEtectis inſulis novi Orbis a Chriſtophoro Columbo eo progreſſo cum navibus Hiſpanis, Ferdinando Aragoniæ regi poſſeſſionem earum confirmat Alexander, ita ut nullus Chriſtianus princeps ſine ejus, illiuſque ſucceſſorum licentia illuc ire poſſit.

Deinde *ducendo lineam a polo arctico ad antarcticum quæ linea diſtet a qualibet inſularum, quæ appellantur de los Azores, & Cabo Verde centum leucis verſus occidentem, & meridiem, omnes terras firmas inventas, vel inveniendas, ſint vel verſus Indiam, vel verſus aliam partem quamcumque*, dat, & aſſignat Alexander eidem regi.

Injungit tamen, ut ad inſtruendos in Catholica religione eos incolas, mittat illuc rex viros probos, & doctos.

Si quis hujuſmodi poſſeſſiones moleſtaverit, ſit cujuſcumque dignitatis, pœnam excommunicationis incurret.

D. Romæ apud S. Petrum V. Non. Maji P. a. I. a. D. 1493.

„ Hac in Bulla titulum Catholicorum bis dedit regi „ & reginæ *cognoſcentes vos tanquam veros Catholicos „ reges, & principes, prout decet Catholicos reges, & „ principes*, hinc titulus Catholici dari cœpit his re„ gibus.

Confirmatio tituli Catholici *dati Ferdinando.*

LXXII. B.R. t. 3. p. 3. p. 450. C.C. LEO X. ad f. r. m. M. P.

Inc. *Pacificus, & æternus, &c.*

JAm Alexander VI. Ferdinando, & Eliſabethæ ſupradictis titulum *Regum Catholicorum* conceſſerat, & quod *immenſos labores in expugnatione regni Granatæ adverſus Saracenos perfidos fidei Catholicæ hoſtes pertulerant*, quodque eos e ſuis regnis expulerant, & Regularium mores informaverant.

Hunc eundem titulum concedit Leo regi Carolo Auſtriaco, & ejus conjugi. (Ille enim ſuccedere debebat ratione matris ſuæ Joannæ filiæ unicæ Ferdinandi, & Eliſabethæ nuptæ Philippo Pulchro Auſtriaco in illa regna, fuitque etiam Imperator) certo ſperans, eum æmulaturum virtutes ſuorum avorum,

Omnibuſque ſucceſſoribus legitimis ejuſdem Caroli illum titulum deferendum concedit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Apr. P. a. V. a. D. 1517.

„ Spondanus ad annum 1493. §. 2. Ferdinando, & „ Iſabellæ regibus *poſt Granatæ expugnationem titu„ lum Catholici ab Innocentio VIII. tributum fuiſſe ſunt „ qui aſſerunt; Quod ut eſſet etiam conſequentibus Hi„ ſpaniæ Regibus proprium hæreditariumque, Alexan„ drum VI. Innocentii ſucceſſorem, hominem Hiſpanum „ conceſſiſſe, alii tradunt: aliique Ferdinandum a Ju„ lio II. id enixis precibus impetraſſe. Olim illud Rec„ caredo Regi ob reductam ſecum gentem ſuam Gothi„ cam ab Arianiſmo ad fidem Catholicam in Epiſcoporum „ Concilio a Patribus acclamatum fuiſſe conſtat: &* „ *centum ferme quinquaginta poſt annis ab Alphonſo e„ jus nominis Primo pro cognomine uſurpatum jam „ alias vidimus.*

„ Alia vide in c. de Regno Siciliæ ultra pharum de „ his regibus, & in c. de regno Sardiniæ, & Cor„ ſicæ.

Damnatur conſuetudo in Hiſpaniis de honore tuendo.

LXXIII. B.R. t. 4. p. 3. p. 334. C.C. GREGORIUS XIII. ad f. r. m.

Inc. *Humani generis, &c.*

IN regnis Aragoniæ, & Valentiæ, in principatu Catalauniæ, in comitatibus Roſſilionis, & Ceretaniæ erat quædam conſuetudo, *ut pro honore tuendo, injuriis propulſandis* factiones, præſertim Nobiles facerent, haberent ſecum armatos, & homicidia patrarent.

Pontifex ad malum morem hunc tollendum excommunicationem, & privationem Eccleſiaſticæ ſepulturæ denunciat his nobilibus, auxilium præſtantibus, dantibus conſilium, ſi fuerint Eccleſiaſtici, privationem dignitatum, beneficiorum, inhabilitatem ad omnia officia &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XV. Febr. P. a. V. a. D. 1577.

Annullatio pœnarum ſpiritualium inflictarum Bandoleriis in hoc regno.

SIXTUS V. ad p. r. m. LXXIV. B.R. t. 5. p. 1. p. 167. C.C.

Inc. *Provida Romani, &c.*

BAndoleriis, *hoc eſt inimicitias armata manu perſequentibus* pœnas ſpirituales inflixerat *Gregorius XIII.* per præcedentem proxime conſtitutionem.

Cum graves pœnas jam ſtatuerit in eos Philippus rex, ut iis omnino debeant deterreri, pronunciatas a Gregorio ſpirituales pœnas revocat Sixtus. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XV. Febr. P. a. II. a. D. 1587.

Centumviri Barchinonenſes nihil accipiant pro conferendis officiis.

URBANUS VIII. ad f. r. m. LXXV. B.M. t. 3. p. 2. p. 57. C.C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

COnſilium centumvirorum urbis Barchinonenſis anno 1634. decretum edidit, quo cavetur, *ne officia, quæ gratis concedi ſolent*, vendantur vel directe, vel indirecte, *nec quicquam poſſit accipi neque ratione impoſſulationis.*

Ne fraudes oriantur, petiit Communitas confirmationem Pontificis, qui ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna hujus decreti obſervantiam mandat. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IX. Apr. P. a. XIII. a. D. 1636.

Abrogatio quorumdam ſtatutorum in præjudicium Eccleſiarum.

GREGORIUS XI. ad p. r. m. LXXVI. B.R. t. 1. p. 2. p. 336. C.C.

Inc. *Si quis, &c.*

ALiqua ſtatuta edita fuerant in regno Aragoniæ, quibus Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum lædebatur libertas.

I. Statutum erat, quod dicebant Hiſpani *de ſono emiſſo*. Si aliquis malefactor, ne caperetur, fugiebat ad aliquod caſtrum, vel fortalitium, diruebatur & caſtrum, & fortalitium, & bona omnia, nulla habita ratione ſpectarent ad Eccleſias, vel non ſpectarent, diripiebantur, & incendebantur.

II. S. *Quod ipſi pacis*, & treguæ intitulabant. Si quis erat debitor, qui intra quindecim dies admonitus *ab juſtitiario* ſæculari aut non ſolviſſet, aut non dediſſet pignus, contra ipſius bona, iis diebus elapſis procedebatur, & prætextu hujus ſtatuti bonis Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum inferebantur damna.

III. S. ſi aliquando prælati vel ſinguli, vel in Concilio exiſtentes aliquem excommunicabant, aliquam terram interdicebant, excommunicatus, cives interdicti bona eorum prælatorum rapiebant;

IV. S. Barones, nobiles habentes aliquam controverſiam cum aliqua perſona Eccleſiaſtica, & expellebant Clericos, quos habebant in terris ſuis, & quotquot poterant, lædebant.

Gregorius vetat, obſervari hæc ſtatuta, ex communicationem infligit ea obſervantibus, & prætextu eorum Clericos offendentes; niſi intra menſem reparaverint injurias, damna reſarciverint, vult eos abſolvi non poſſe niſi in mortis articulo.

In has pœnas incident conſiliarii, mandantes, executores. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Avinio. Non. Febr. P. a. II. a. D. 1372.

Pœna

Pœna exilii ſtatuitur in Clericos archibuſium brevioris menſuræ ferentes.

LXXVII. B.M. t. 5. p. 1. p. 169. C.C. SIXTUS V. ad p. r. m.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

STatuerat Philippus II. pœnam exilii ferentibus archibuſum brevioris menſuræ quatuor palmis in regno Aragoniæ.

Supplicante eodem Philippo, hanc eamdem pœnam extendit Sixtus & ad Clericos ejuſdem regni;

Mandatque Ordinariis, ut in eos procedant etiam tanquam S. Sedis delegati. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXV. Febr. P. a. II. a. D. 1587.

Confirmatio vel abrogatio concordiæ inter Regem, & Archiepiſcopum Cæſarauguſtanum conceſſa Nuncio A.

LXXVIII. B.R. t. 5. p. 2. p. 83. C.C. CLEMENS VIII. Nuncio A.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

ARagoniæ regnum erat admodum ſterile, præcipue cum pluviæ deficiebant. Carolus V. ex fluminibus Ibero, & Xalone aquas in campos deduci mandaverat maximis expenſis; ad quas reſarciendas ab omnibus Eccleſiaſticis, & Laicis percipiebat primitias, & decimas augmenti facti, redditumm agrorum Theſaurus regius.

Hæ autem primitiæ, & decimæ imponebantur a miniſtris regiis ad arbitrium modo majores, modo minores.

Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus inivit concordiam cum rege, ut mature omnibus conſideratis, quantitas harum ſolutionum, quæ perpetuo durare deberet, præfiniretur; aſſignarenturque campi, qui deberent ſolvere; Et eſſent ii, qui ex excavationibus utilitatem perciperent; illique eximerentur, in quos nullum redundaret emolumentum.

Placuit concordia.

Clemens mandat Nuncio ſuo, ut eam inveſtiget, conſideretque, an cadat in detrimentum Cleri, & eam non approbet; Confirmet vero, ſi non cadat.

Ita Clementem rogaverat Philippus & Archiepiſcopus. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die X. Nov. P. a XII. a. D. 1605.

Confirmatio ſupradictæ concordiæ.

LXXIX. 3b. p. 276. C. C. PAULUS V. Nuncio A.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

SUpradictam conventionem repertam utilem Clero a Nuncio, talemque relatam Paulus confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXVI. Junii P. a. III. a. D. 1607.

Abſolvitur Archiepiſcopus quod coegit Clerum ſolvere gabellam, quin prius haberet licentiam a S. Sede.

LXXX. B.R. t. 6. p. 1. p. 9. C.C. ALEXANDER VII. Archiepiſcopo Cæſarauguſtano.

Inc. *Nuper tuo, &c.*

DUrante peſte an. 1653. adeo Civitas Cæſarauguſtana opprimebatur inopia rerum omnium, ut ad eam ſublevandam coegerit Archiepiſcopus Eccleſiaſticos ſimul cum Laicis gabellam ſolvere ad hoc impoſitam.

Videns deinde Archiepiſcopus, ſe incurriſſe cenſuras, quod licentiam a S. Sede non expetiverit, abſolutionem earum a Pontifice petit,

Quam obtinet & ipſe, & exactores. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Jul. P. a. I. a. D. 1655.

Archiepiſcopus pro ſolutione gabellæ Cleri petat aſſenſum ſui Capituli.

ALEXANDER VII. Archiepiſcopo, &c. LXXXI. Ib. p. 50. C. C.

Inc. *Nuper tuo, &c.*

PAterne monet Alexander Archiepiſcopum, ne impoſitam gabellam farinæ, & carni a clero velit exigere, niſi prius petierit aſſenſum Capituli ſuæ Eccleſiæ, quod ſemper repræſentavit, & repræſentat clerum, & cujus aſſenſus in hujuſmodi caſibus ſemper fuit requiſitus. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVI. Oct. P. a. I. a. D. 1655.

Archiepiſcopus juheat Clero ſolutionem gabellæ.

ALEXANDER VII. Archiepiſcopo &c. LXXXII. B.R. t. 6. p. 5. p. 160. C.C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

TEmpore peſtis, quæ perduravit ab an. 1648. uſque ad an. 1653. Hoſpitale S. Mariæ Gratiarum ad ſubveniendum infirmis gravatum fuerat ære alieno II. millium, & amplius ſcutorum.

Supplicarunt gubernatores regi, pro extinctione ut gabellam ſuper oleo, & vino imponeret ſolvendam etiam a clero.

Pontifex oratus mandat, ut Archiepiſcopus cogat clerum ad eam gabellam ſolvendam. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVIII. Aug. P. a. VI. a. D. 1661.

Eccleſiaſtici Urbis, & Diœceſis Oſcenſis cum Laicis ſolvant gabellam.

ALEXANDER VII. ad f. r. m. LXXXIII. B.R. t. 6. P. 4. p. 170. C.C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

URbs Oſcenſis gravata erat ære multo alieno. Ut illud extingueretur neceſſario contractum ratione peſtis, quæ ibi per biennium graſſata fuerat, impoſita fuit gabella,

Ad quam ſolvendam concurrere debere etiam clerum urbis, & diœceſis ita ab Epiſcopo, & Canonicis oratus Alexander decernit. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VII. Mar. P. a. II. a. D. 1657.

Facultas data Regi Catholico componendi lites &c.

CLEMENS VIII. ad f. r. m. LXXXIV. B.R. t. 5. p. 1. p. 452. C.C.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

PLures Pontifices facultatem dederunt regibus Hiſpaniarum componendi lites inter Epiſcopos, capitula, militias, etiam eas, quæ devolutæ eſſent ad Curiam.

Sixtus ab hac facultate exemerat lites vertentes inter Caurienſem Epiſcopum, & capitulum ex una parte, & militiam de Calatrava ex alia.

Sed cum hoc redundaret in maximum præjudicium Epiſcopi, capituli, & militiæ ob magnas expenſas, Clemens abrogat *Sixti V.*, & confirmat litteras aliorum Pontificum, præcipue Bullam Gregorii XIII. hanc facultatem regibus Hiſpaniarum impartientis. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die IX. Jul. P. a. II. a. D. 1593.

Eadem facultas quoad milites de Monteſia.

CLEMENS VIII. Philippo Hiſpaniarum regi. LXXXV. B.R. t. 5. p. 2. p. 97. C.C.

Inc. *Controverſiis, & litibus, &c.*

EAmdem modo ſupradictam facultatem, ob eamdem cauſam extendit Clemens eidem Philippo ad componendas lites enatas, & ena cituras inter militiam de Monteſia, & quoſcumque ordinarios. N. O.

D. R. apud S. Petrum Die XX. Mar. P. a. V. a. D. 1596.

Initio regni Philippi III. Jubilæum indicitur in omnibus ejus dominiis.

lxxxvi. Ib.p.234. C. C. CLEMENS VIII. Univerſis Chriſtifidelibus in dominiis regis Catholici conſtitutis.

Inc. *Cum ſicut*, &c.

MOrtuo Philippo II. cujus laudes percenſet Clemens ſucceſſit ejus filius Philippus III. qui Pontificem rogavit, ut orationibus fidelium ſibi a Deo impetraret felix ſuarum ditionum regimen.

Ejus pietate collaudata, in omnibus ejus ditionibus indicit Clemens Jubilæum; ad quod conſequendum duraturum per quindecim dies imponitur jejunium &c.

Viſitatio Eccleſiæ quolibet die vel primæ, vel ſecundæ hebdomadæ, confeſſio, communio, proceſſiones, Cum ſolitis facultatibus Confeſſariorum. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVI. Febr. P. a. VIII. a. D. 1599.

Abſolutio data regi, quod verterit in alios uſus, quam in quos datæ fuerant decimas.

lxxxvii. Ib.p.247. C. C. CLEMENS VIII. Philippo Hiſpaniarum Regi.

Inc. *Propenſa noſtra*, &c.

SCrupulus angebat Philippum, ſe incurriſſe in cenſuras eo quod perceptas decimas, primas, ſubſidia &c. in alios uſus expendiſſet, quam in eos, quos præſcribit Bulla Cruciatæ, vi cujus eas pecunias exegerat.

Eum abſolvit Clemens, conceditque illi, eam pecuniam in alia pia opera inſumere, non autem ſemper in bellum contra Mauros. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XII. Apr. P. a. X. a. D. 1601.

Abſolutio animæ Philippi II. ob divendita bona Eccleſiaſtica.

lxxxviii. B.R. t.5. p. 3. p. 51. C.C. CLEMENS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Cum alias*, &c.

COmparaturus claſſem in Hæreticos (Anglos) Philippus II. obtinuerat a Pontifice Gregorio XIII. facultatem capiendi bona Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & illa vendendi cum onere tamen ea reſarciendi.

Ab omnibus ordinibus Regularibus S. Benedicti, S. Auguſtini, S. Hieronymi, Ciſtercienſi, Cluniacenſi bona multa accepit, & vendidit, quas venditiones ratas habuit Gregorius.

Quædam monaſteria, & Eccleſiæ pecunia numerata redemerunt a Philippo ſuamet ipſa Fortalitia, caſtra, juriſdictiones.

Scrupulus poſtea Philippum momordit, ideo Gregorium approbaſſe quaſdam occupationes & venditiones bonorum Eccleſiaſticorum, quia non recte illi rem expoſuerat.

Mandavit igitur teſtamento, ut heres ſuus occupata bona reſtitueret.

Filius Philippus III. rem ad conſiliarios detulit, qui cenſuerunt, hanc integram reſtitutionem nullo modo fieri poſſe; illa enim ab uno in alium dominum tranſierant, fuerant diviſa &c.

Conſuluit ergo Philippus Clementem, quid hujuſmodi in caſu agere deberet?

Jubet Clemens bona addicta ærario regis, data aliis Eccleſiis, & Monaſteriis, his perſoluto accepto pretio, reſtituenda antiquis dominis; pro bonis divenditis particularibus perſonis exſolvendum pretium Monaſteriis, & Eccleſiis, & in emptionem aliorum bonorum ab his eam pecuniam inſumendam; abſolvitque Philippum a quacumque alia reſtitutione;

Animamque Philippi II. liberat ab iis cenſuris, in quas incurrit ob hujuſmodi occupationes, & venditiones. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVIII. Maji P. a. XIII. a. D. 1604.

Abſolutio regis, & Miniſtrorum ob exactum ab Eccleſiaſticis tributum inconſulta S. Sede.

lxxxix. B.R. t.5. p. 3. p. 309. C.C. URBANUS VIII. Philippo regi, &c.

Inc. *Singulari, atque eximia*, &c.

IN oppido Matriti pro Fabrica Palatii Reginæ certa quædam gabella ſuper rebus comeſtibilibus impoſita a regiis miniſtris exacta fuerat etiam ab Eccleſiaſticis.

Ob quam exactionem & rex, & miniſtri incurrerant in cenſuras a canonibus ſtaturas, ob non impetratam prius a S. Sede licentiam.

Petierunt itaque rex, & Miniſtri ab Urbano abſolutionem, quam etiam obtinent. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIX. Mar. P. a. I. a. D. 1624.

Alia abſolutio.

xc. Ib.p.364. C. C. URBANUS VIII. Philippo regi.

Inc. *Alias pro parte*, &c.

QUoddam vectigal exigendum ab Eccleſiaſticis concreſſerat Paulus V. Philippo per ſexennium;

Ejus miniſtri ultra id tempus illud exegerunt.

Ob quam rem cum incurriſſent rex, & Miniſtri cenſuras, abſolutionem petentes ab Urbano abſolvuntur. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IX. Aug. P. a. III. a. D. 1625.

Alia abſolutio.

xci. B.R. t.6. p. 1. p. 175. C.C. URBANUS VIII. Philippo regi &c.

Inc. *Nuper a nobis*, &c.

ANtequam obtineret licentiam a S. Sede, exegerat a Clero regnorum Caſtellæ & Legionis ſubſidium undecim millionum Philippus.

Ideo cum prolapſus eſſet in cenſuras, petiit a Pontifice ab illis abſolutionem;

Quam illi impartitur Urbanus; vult tamen, eum peragere pœnitentiam imponendam a Confeſſario. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die II. Junii P. a. VI. a. D. 1629.

Impartitio abſolutionis eidem Philippo.

xcii. B.R. t.6. p. 3. p. 9. C. C. INNOCENTIUS X. Philippo Regi &c.

Inc. *Alias Majeſtatis*, &c.

URbanus VIII. ad ſummam decem & octo millionum exigendi ſuper aceto, vino, oleo, & carne ſpatio annorum novem etiam ab Eccleſiaſticis dederat facultatem regi Philippo.

Jam ſpatium hoc erat præterlapſum, & adhuc vectigalis ſiebat exactio.

Quare poſtulavit Rex ab his cenſuris, quibus ob hoc erat innodatus, abſolutionem ab Urbano, ſed interea Urbano mortuo eam illi impartitur ſucceſſor Innocentius. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXII. Dec. P. a. I. a. D. 1644.

Abſolutio ob collectam ex cruciata pecuniam in alios uſus inſumptam.

xciii. Ib.p.240. C. C. INNOCENTIUS X. Philippo regi, &c.

Inc. *Propenſa noſtra*, &c.

IN alios uſus ſubſidium Cruciatæ, & primæ decimæ præterquam in eos, pro quibus conceſſum fuit, inſumpſerat Rex Philippus.

Quapropter noſcens, ſe incurriſſe in cenſuras, petit abſolutionem a Pontifice, quam & obtinet, inſumptamque diverſimode, ac debebat, pecuniam illi remittit. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XI. Maji P. a. VI. a. D. 1650.

Facul-

Facultates Capellani Majoris regis.

xciv. B.R. t.5. p. 1. p. 338. C.C. GREGORIUS XIV. ad p. r. m.

Inc. *Cum dudum*, &c.

FAcultates datas Majori Capellano Familiæ regiæ, qui tunc erat Archiepiſcopus Compoſtellanus, a Pio V. uberius explicat Gregorius;

Ut ipſe poſſit Capellanum alium deputare, qui, ſe abſente, regiæ Capellæ inſerviat;

Qui poſſit aliquam Eccleſiam viciniorem regiæ aulæ eligere, unde ſumat Euchariſtiam, olea Sancta miniſtranda infirmis officialibus aulæ,

Poſſit matrimoniis aulicorum aſſiſtere, audire confeſſiones,

Poſſit has facultates impartiri aliis nominandis a rege, deputare confeſſarios pro aulicis, dare facultatem prædicandi regularibus, habita prius licentia a ſuis ſuperioribus, & ſæcularibus presbyteris. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Apr. P. a. I. a. D. 1591.

Confirmatio.

xcv. B.R. t.5. p. 1. p. 58. C.C. PAULUS V. Philippo regi, &c.

Inc. *Piis Catholicorum*, &c.

DAtas Capellano Majori regio facultates Paulus ad inſtantiam Philippi renovat, & confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVII. Febr. P. a. IX. a. D. 1614.

Alia Confirmatio.

xcvi. B.R. t.5. p. 5. p. 109. C.C. GREGORIUS XV. Philippo regi &c.

Inc. *Piis Catholicorum*, &c.

ETiam Gregorius ipſis verbis, quibus Paulus, recenſet, & confirmat facultates Capellani Majoris regis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IX. Maji P. a. III. a. D. 1623.

Nova Confirmatio.

xcvii. B.R. t.6. p. 3. p. 52. C.C. INNOCENTIUS X. Philippo regi &c.

Inc. *Cum ſicut*, &c.

NOvo a rege nominato Capellano Majori facultates ſolitas Innocentius confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVI. Sept. P. a. I. a. D. 1645.

Confirmatur modus probandi puritatem ſanguinis juſſus a Rege Philippo.

xcviii. B.R. t. 5. p. 225. C. C. URBANUS VIII. ad ſ. r. m.

Inc. *Exponi nobis*, &c.

ITa decrevit Rex faciendum in ſumendis informationibus ſuper puritate ſanguinis in Hiſpania;

Ut in linea, ſive lineis, in quibus tres actus poſitivi nobilitatis, vel puritatis ſanguinis legitime facti reperirentur, perinde habeantur, ac ſi in rem judicatam, & executioni demandatam tranſiverint, deſcendentesque hinc lineæ nobiles habeantur.

Petente Philippo confirmationem, eam decreto apponit Urbanus. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die V. Jul. P. a. I. a. D. 1624.

Eccleſiaſtici in Hiſpaniis compellantur ad teſtificandum de puritate ſanguinis.

xcix. Ib.p.198. C. C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Cum ſicut*, &c.

EX eo quod recuſabant Eccleſiaſtici ſæculares, & regulares in Hiſpaniis vigore ſuarum exemptionum *Conſt. Pontificiarum* Tom. II.

in cauſis nobilitatis, & puritatis ſanguinis *teſtimonium perhibere*, multa erant orta damna.

Rex ad ea tollenda ſupplicavit Pontifici, ut conſuleret,

Qui mandat Ordinariis, ut utriuſque Cleri Eccleſiaſticos compellere poſſint ad teſtificandum de hoc, quoties requiſiti fuerint. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Mar. P. a. I. a. D. 1624.

Nuncius deputet aliquem in claſſibus regiis, qui juriſdictionem Eccleſiaſticam exerceat.

C. B.R. t.5. p. 2. p. 269. C.C. CLEMENS VIII. Nuncio A. in Hiſpaniis.

Inc. *Exponi nobis*, &c.

ROgavit rex Clementem, ut deputaret aliquem in claſſibus Hiſpanis, qui juriſdictionem Eccleſiaſticam exerceret.

Clemens Nuncio ſuo in Hiſpaniis hanc deputationem committit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIX. Oct. P. a. VIII. a. D. 1599.

Inquiſitor deputet aliquem in claſſibus regis contra hæreſim.

CI. Ib.C.C. CLEMENS VIII. Inquiſitori Generali Hiſpaniarum.

Inc. *Nuper ſiquidem*, &c.

VErens Philippus, ne ob militum copiam in ſuis claſſibus eſſet aliquis Apoſtata, vel hæreticus, qui diſſeminaret aliquem errorem, rogavit Pontificem, ut daret facultatem Inquiſitori Generali deputandi aliquem, qui hæc curaret in claſſibus.

Hanc facultatem dat Inquiſitori Generali Hiſpaniarum Clemens. N. O.

D. Romæ ut ſupra.

DE VALENTINIS.

Laudantur Valentini.

cii. ex Raym. ad an. 1423. §. 8. MARTINUS V. Juratis civitatis Valentinæ.

Inc. *Nuper audivimus*, &c.

MOrtuo Paniſcolæ Petro de Luna Antipapa (Benedicto XIII.) creatoque Ægidio, mens erat Valentinis Paniſcolam obſidere, & Schiſmaticos omnes, & ſingulos ad internecionem delere.

Eos laudat Martinus, eoſque rogat ut ab Eccleſia Dei nitantur hoc ſcandalum tollere, quod tandiu Eccleſiam affligit.

Iis ſignificat, ſe ſcripſiſſe Regibus Caſtellæ, & Aragoniæ de ſchiſmate extinguendo, ſcripſiſſe Reginæ Aragonum Mariæ, quam ſcit Pontifex, *vix cognita profanatione illa nefaria conſilium habuiſſe tollendi hujus opprobrii de finibus illius Regni.*

D. R. apud S. Petrum XII. Cal. Apr. P. a. VI. a. D. 1423.

„ Conſilium Pontificis, & Valentinorum fregit Rex
„ Aragonum, qui fingens odiſſe ſcelus facile illi fave-
„ bat: juſſerat enim Antipapam a ſuis Cardinalibus,
„ hoc eſt ab iis, quos crearat Petrus de Luna, eligi.

DE PAMPILONENSIBUS IN REGNO NAVARRÆ.

Pampilonenſes ſolvuntur a voto.

BENEDICTUS XIII. M. P.

CIII. B.M.p.7. vel t. 13. p. 391. B.R.t.12. p. 363. C. C. Inc. *Exponi nobis*, &c.

UT ab imminenti contagio liberaretur Pampilonenſis civitas cum aſſenſu Vicarii Generalis nomine civium Magiſtratus, ſive electi publici votum ediderunt, civium tamen, & incolarum conſenſu minime requiſito, ſe non admiſſuros, ut in ſua civitate comœdiæ, & tragœdiæ in poſterum fierent.

Sed progreſſu temporis cognitum fuit in detrimentum ipſius civitatis id cadere.

Nam illud tempus, quod inſumebant cives in audiendis

diendis actibus Theatralibus, honestis ceteroquin, non vacabant rebus turpibus.

Præterea hospitale spuriorum, & orphanorum, cujus est Theatrum, non modicum passum est detrimentum a diminutione hujus redditus.

A Pontifice ergo, ad quem confugerant pro commutatione voti, obtinuerunt, ut per tres dies continuos quotannis exponerent SS. Sacramentum, & in tertio canerent Hymnum *Te Deum*, & in die festo Purificationis B. Mariæ Virginis supplicationem solemnem agerent.

Sed cum huic expositioni faciendæ dos esset assignanda, difficilis ejus executio videbatur, cum ex quibus hæc dos fieret, redditus non suppeterent.

Cujus rei factus certior Benedictus, obligavit cives ad solvenda scuta quingenta fabricæ Ecclesiæ Fratrum Carmelitarum de Tudela, qua solutione facta liberat cives ab omni voto concepto, & edito.

Jam facta erat solutio, sed negabat ordinarius, eos revera solutos esse a voto; quia, ut ajebat, omnes comœdiæ sunt per se inhonestæ.

Sed Pontifex reputans, regem eas nunquam permissurum, si illæ essent ejusmodi; oratoribus ad hoc iterum deputatis declarat, cives esse revera a voto solutos,

Et ita ab omnibus censeri jubet. N. O.

D. Romæ ex Palatio Vaticano Die XVII. Mart. P. a. V. a. D. 1729.

DE ECCLESIA HISPANICA.

Libera decernitur Episcoporum electio in Aragoniæ Regno.

I. B.R.t.13. p. 1. p. 17.C.C. INNOCENTIUS III. Archiepiscopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & universis Clericis in Regno Aragonensi constitutis.

Inc. *Solet annuere, &c.*

PEtrus Rex Aragonum post peractam Romæ suam coronationem an. 1206. *æterna lege sanxit*, ut deinceps libera esset Episcoporum in Regno Aragoniæ electio, *assensu regio minime requisito.*

Ne tamen prorsus abjiceret jus regium, edixit, ut postquam electio facta fuisset, electus Regi præsentaretur *in signum regiæ fidelitatis*.

Diploma regis affertur integrum in Bulla.

Innocentius ergo hoc regis decretum confirmat, notumque illud per has litteras Episcopis, & Clero illius regni facit.

Nulli ergo, &c.

D. Corneti III. Cal. Nov. P. a. X. a. D. 1206.

Carolo V. datur facultas nominandi ad beneficia.

II. ex Lunig. t. 2. p. 1351. CLEMENS VII. ad p. r. m.

Inc. *Si ea, &c.*

JAm *diversi Pontifices prædecessores Clementis antiquis, & modernis temporibus Ferdinando Regi, & Elisabethæ Reginæ, & aliis Castellæ, & Legionis, & Aragonum Regnorum Regibus eorum prædecessoribus, necnon Carolo V. Imperatori semper Augusto dictorum regnorum Regi ejusque in dictis regnis successoribus jus patronatus præsentandi personas idoneas ad Cathedrales, & Metropolitanas Ecclesias, & quæcunque monasteria concistorialia pro tempore quovis modo vacantia, & vacatura tam motu proprio, ac potestatis plenitudine ratione illarum fundationis, ac recuperationis earundem de manibus infidelium; & ex diversis ac aliis causis per diversas eorum litteras concesserant.*

Revolvens mente Clemens quot expensas Carolus fecerit, quot exercitus comparaverit, quot pericula adierit, quot itinera fecerit, qui recens a Pontifice Imperiali diademate insignitus fuerat, ut Italiæ per tot annos fame, peste, bello laboranti succurreret, & Turcarum impetus reprimeret, renovat, & approbat quæ privilegia ejus antecessoribus, & illi ipsi Pontifices dederunt.

Ergo illi concedit *jus patronatus præsentandi personas idoneas ad Cathedrales &c. in Castellæ, Legionis, Aragonum, & Valledolit, necnon Cataloniæ, & ubi præsentandi non competebat in cæteris Hispaniarum regnis, ac dominiis respective consistentes, & consistentia, quotiescumque & illas, & illa quovis modo, & ex quacumque etiam eorundem Cardinalium persona, præterquam quoad illa monasteria, in quibus de novo eidem Carolo, ejusque successoribus jus patronatus conceditur, videlicet eo casu, quo in curia vacare contigerit.*

Et decernit, juspatronatus, & præsentandi hujusmodi illius naturæ, & efficaciæ existere & quoad omnes effectus ejusdem juris censeri debere, cujus juspatronatus ex fundatione, & dotatione Regum exiit, ac reservationis, affectionis, unionis mandata de Ecclesiis, & monasteriis hujusmodi per Romanos Pontifices pro tempore existentes facta, ne præsentare possent, nullatenus se extendere, sed illa invalida penitus existere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate Apostolica, & per Pontifices scienter, vel ignoranter contigerit attentari, N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Bononiæ III. Id. Mart. P. a. VII. a. D. 1530.

„ Joannes Marianna de rebus Hispaniæ Lib. 26. c. 5. „ *Hadrianus VI.* in gratiam Caroli V. alumni sui, cui „ debebat Pontificatum, ei, & successoribus concessit „ lege perpetua jus præsentandi Episcopos Hispaniæ, „ qui ante ad eorum supplicationem precario a Pon„ tificibus Romanis instituebantur.

„ Covarruvias in Regul. *Possessor malæ fidei* par. 2. „ §. 10. n. 5. tom. 2. pag. 405. ait jus præsentandi „ Episcopos pertinere ad Reges Hispaniæ non solum „ ex vi privilegii, sed etiam juris patronatus: *Siquidem Hispaniarum Reges patronatus jus obtinent in Ecclesiis Cathedralibus, cum eas erexerint, construxerint, & amplis patrimoniis dotaverint.*

Hortatio ad Hispanos omnes, ut amplexentur ritus S. R. Ecclesiæ.

III. B.R.t.1. p. 38. C. C. GREGORIUS VII. Alphonso, & Sancio Hispaniæ Regibus, & Patribus, & Episcopis.

Inc. *Cum Beatus, &c.*

ANtequam *vesania Priscillanistarum, & errores Arianorum Hispanias inficerent*, utpote quæ doctæ fuerant a S. Paulo, *qui eo se adiisse significat*, & eo septem Episcopos a B. Petro missos scimus, unam cum Romana Sede fidem, unos ritus colebant; Gothis, & Saracenis eas regiones diu tenentibus, omnia fuere perturbata.

Nunc ex aliquibus regnis Hispaniarum iis expulsis, omnes hortatur Gregorius ut *ad Romanæ Ecclesiæ ordinem, & officium redeant*, ut rejiciant Toletanæ, vel alterius Ecclesiæ ritus.

Approbat excommunicationem latam a Legatis Pontificiis in Munionem, qui Simoniace ordinatus fuerat Oscensis Episcopus.

D. Romæ decimoquarto Cal. Aprilis Indictione duodecima a. 1074.

Hispaniarum Episcopi Archiepiscopo Toletano ut Primati subsint.

IV. Ib. p. 1330. C. C. EUGENIUS III. ad Hispaniarum Episcopos.

Inc. *Apostolicæ Sedis, &c.*

SIgnificat Eugenius Hispaniarum Episcopis, se inspexisse privilegia Ecclesiæ Toletanæ, & inveniisse, primatum super omnes Ecclesias Hispaniarum eidem fuisse datum;

Se quoque illum eidem confirmare;

Quapropter se præcipere omnibus illorum regnorum prælatis, ut Toletano Archiepiscopo tanquam primati suo obedientiam præstent, & reverentiam.

D. Romæ apud S. Petrum Id. Febr. an. 1152.

Præ-

Prælati Hispaniarum ne publicent indulgentias ad quæstum.

V. B.M.t.2. p. 125. B.R. t.4. p. 391. C. C. PIUS V. ad p. r. m.

Inc. *Quam plenum, &c.*

QUod vetuerat Pius administratoribus hospitalium, ne publicarent indulgentias, & confessionalia ad quæstum, vetat Prælatis Ecclesiarum Hispaniæ, qui eas, & hæc ad quæstum publicabant.

Pœnamque suspensionis eas, & hæc sic largientibus minatur. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Non. Jan. P. a. IV. a. D. 1570.

Admonitio ad Philippum, ut ad Episcopatus nominet viros probos.

VI. B.R. t.5. p. 2. p. 237. CC. CLEMENS VIII. Philippo Hispaniarum regi.

Inc. *Magna dona, &c.*

CUm ad Pastorum normam grex incedat, tantum interest Christianæ Reipublicæ probos, & doctos habere pastores quam quod maxime.

Hortatur itaque Clemens Philippum, ut eos tantum ad Episcopatus nominet, qui pietate, & virtute superemineant ceteros, *carnis, & sanguinis nulla habita ratione*.

Ne petat crebras translationes eorundem Episcoporum; dum enim ipsi norunt vocem suarum ovium, & oves vocem ipsorum, si transferantur alio, detrimentum ingens in eas redundat;

Neque crebro ad aulam eos invitet, & invitatos diu ne retineant, ne destituantur Ecclesiæ suorum pastorum præsentia;

Renovatque vim Canonum residentiam jubentium. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVI. Febr. P. a. VIII. a. D. 1599.

Acta consilii Regii Castellæ declarantur nulla.

VII. B.M.p.5. vol. 11. p. 247. B.R. t.8. p. 72. C. C. INNOCENTIUS XI. ad p. r. m.

Inc. *Cum sicut, &c.*

ROgatus a quibusdam vocalibus Clericis Regularibus Minoribus Nuncius A. in Hispaniis, ut interesset Capitulo provinciali tenendo Matriti, præsidere jam incœperat.

Generalis Præpositus aliique ad Concilium regium Castellæ confugerunt, quod diversas ordinationes edidit circa Capitulum, & præsentiam Nuncii in eo.

Hæc omnia quia acta contra immunitatem Ecclesiasticam a potestate non habente in hac re competentem jurisdictionem contra Nuncium fungentem Pontificis vicibus pœnalia, & non pœnalia cassat, & irritat Innocentius. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVIII. Nov. P. a. III. a. D. 1678.

Irritatio actorum a Canonicis Ecclesiæ Abulensis.

VIII. B.M.t.8. p. 70. B.R.t.10. p. 1. p. 211.C.C. CLEMENS XI. ad p. r. m.

Inc. *In supremo, &c.*

CUm in locum mortui Episcopi Abulensis Philippus V. Rex, qui jus præsentandi ad illum Episcopatum habebat per Secretarium misisset ad Canonicos, qui dicerent, sibi fore acceptissimum, si Franciscum de Solis Ilerdensem Episcopum fecissent Vicarium Generalem dictæ Ecclesiæ, Canonici eum elegerunt.

Canonici, & Episcopus, qui reliquit Ecclesiam suam, ut Vicarius ministraret aliam, donec ea provideretur de Episcopo, reprobantur a Clemente, tanquam contra Canones agentes.

Irritat proinde quæ prædictus Episcopus fecisset, & quæ facturus esset.

Jubetque, eum ad Ecclesiam suam redire, & Episcopatus curam, & administrationem relinquere Vicario capitulari;

Quem vult a Canonicis juxta sacros Canones eligi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Aug. P. a. IX. a. D. 1709.

Irritatio actorum contra Archiepiscopum Tarraconensem a potestate laicali.

IX. Ib. p. 130. B.R.t.11. p. 2. p. 33.C.C. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *In excelsa, &c.*

ARchiepiscopus Tarraconensis antea Canonicus, & Archidiaconus majoris Ecclesiæ Gerundensis jam fuerat consecratus, pallium acceperat, & quiete fruebatur sua Ecclesia, cum litteræ ad illum mittuntur tanquam ad Archidiaconum Gerundensem intrusum in Ecclesiam Tarraconensem, & illis ei præcipiebatur, ut ab illa Diœcesi discederet; tum capitulo imperabatur, ne illum cognosceret in Archiepiscopum, & ut fructus mensæ Archiepiscopalis ipsum perciperet, & servaret sub deposito.

Quæ omnia a potestate Laicali cum essent facta in præjudicium, & contemptum summum Ecclesiasticæ libertatis, Clemens ea cassat, revocat, annullat,

Decernitque, neminem alium habere posse jus in prædictam Tarraconensem Ecclesiam, & Diœcesim nisi prædictum Episcopum;

Mandatque capitulo, ne ullum jurisdictionis actum in ea sede exerceat, neque reservet fructus illius mensæ, sed vel Archiepiscopo, vel ejus procuratori eos tradat. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVII. Mar. P. a. XIV. a. D. 1714.

Rescinduntur omnia acta contra Ecclesiasticam libertatem in Hispaniis.

X. Ib. p. 78. B.R.t.10. p. 1. p. 170. C.C. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Alias ad Apostolatus, &c.*

PLura contra Ecclesiasticam immunitatem facta fuerant in Hispaniis. (*Jam titulum regis Catholici Clemens invitus dederat Carolo III. Austriaco*) Expulsus fuerat Nuncius, clausa nunciatura, interdictum commercium cum alma Curia, vetiti Regulares, ne præstarent obedientiam Generalibus Romæ residentibus, impeditæ Apostolicæ commissiones, usurpati fructus Ecclesiarum vacantium spectantium ad S. Sedem, statuta nova forma pro expeditione litterarum Apostolicarum.

Clemens nullum non lapidem movit, ut reduceret res motas ad pristinam quietem, sed cum nihil profecisset, declarat,

Acta omnia esse nulla, nullius que roboris; cassat decreta facta, & facienda, & confirmat pœnas, in quas inciderunt, qui hæc patrarunt.

A quibus pœnis absolvi non possint nisi præstita S. Sedi æqua compensatione. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVIII. Oct. P. a. XI. a. D. 1711.

Facultas data Nuncio absolvendi Ecclesiasticæ immunitatis violatores.

XI. Ib. p. 279. B.R.t.11. p. 2. p. 104. C.C. CLEMENS XI. Nuncio Hispaniarum.

Inc. *Dudum a nobis, &c.*

RElata proxime superiori constitutione, qua Clemens irritaverat omnia contra libertatem Ecclesiasticam acta a regiis Ministris,

Cum Nuncius eo rediisset revocatus, restitutusque in jura sua fuisset, apertaque nunciatura, abrogataque decreta læsiva jurium S. Sedis,

Clemens dat Nuncio suo ibidem facultatem absolvendi ab Ecclesiasticis censuris Ecclesiasticorum jurium violatores ex corde resipiscentes. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XII. Janu. P. a. XVII. a. D. 1717.

Jube-

Jubetur reſtitutio Monaſticæ diſciplinæ in Hiſpaniis.

XII. Ex Rayn. ad ann. 1487. §. 18. INNOCENIUS VIII. Epiſcopis Abulenſi, Cordubenſi, Segobienſi, & Legionenſi,

Inc. *Fraternitati, &c.*

COrruerat prorſus Monaſtica diſciplina in Hiſpaniis ex diutino Maurorum incolatu in iis facto.

Rogarant Rex, Reginaque Ferdinandus Aragonus, & Eliſabetha Caſtellana, ut eam reſtituendam committeret quibuſdam prælatis Innocentius.

Præfatis Epiſcopis ergo id negotium ille demandat; quibus dat opportunas facultates monaſteria exempta, & non exempta viſitandi, transferendi de monaſterio in monaſterium monachos ejuſdem tamen ordinis, ſtatuta condendi, libros rationum examinandi, &c.

Pœnas indicit Monachis viſitatoribus non parentibus, &c.

D. Romæ apud S. Petrum III. Id. Dec. P. a. IV. a. D. 1487.

Reſtitutio diſciplinæ quoad Clerum ſæcularem, & beneficia.

XIII. Ib. §. 20. INNOCENTIUS VIII. Archiepiſcopis Toletano, & Hiſpalenſi, & Epiſcopis Abulenſi, & Civitatenſi.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

NOn ſatis habentes Regina Caſtellæ, & Ferdinandus Rex Aragoniæ ejeciſſe Mauros e ſuis regnis, eos abuſus, qui irrepſerant in Clerum ſæcularem, & in beneficia tollere voluerunt.

Pontifici ergo ſignificarunt a Laicis uſurpata fuiſſe bona Eccleſiarum, beneficia conferri indignis, Eccleſias quaſdam vix habere, quo Parochi ſubſtententur, rogaruntque, ut provideret.

Pontifex præfatis præſulibus mandat, ut de plano, & ſine ſtrepitu omnia peragant, quæ ad hanc reformationem expedire crediderint,

Removeant e beneficiis minus dignos, ſubſtituantque alios;

Eccleſiarum bonorum detentores per cenſuras Eccleſiaſticas, & ſi opus fuerit per brachium ſæculare ad reſtitutionem cogant, uniant parva beneficia vel in perpetuum, vel ad tempus pauperibus Eccleſiis, fructus quorundam beneficiorum ſine cura animarum aſſignent, ut iis viſum fuerit, ad longius breviuſque tempus conſtructioni, vel reparationi Eccleſiarum &c.

Confugiant ad Regem, reginamque ſi inobedientes quoſdam repererint;

Reos venientes ad pœnitentiam abſolvant.

Simoniace inſtruſos in beneficia fructus reſtituere cogant, quos dent regi inſumendos in bello Saracenico. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Cal. Oct. P. a. IV. a. D. 1487.

Decreta ad reſtituendam regularem, & Eccleſiaſticam diſciplinam collapſam in Hiſpaniis.

XIV. B M p 7. vel t. 13. p. 60. B.R.t.11. p. 2. p. 358.C.C. INNOCENTIUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Apoſtolicis miniſtris, &c.*

QUæ decreta hic edit Innocentius, edit precibus regis Hiſpaniarum, & Ordinariorum ad reformandam in utroque Clero diſciplinam, quæ jam penitus corruerat ob diuturnitatem bellorum, quibus ea regna fuerant oppreſſa.

Ergo jubet Innocentius, ut ad primam tonſuram non admittantur niſi qui ſpecimen dederint, te futuros bonos Eccleſiaſticos, neque quiſquam promoveatur, qui non ſit futurus utilis Eccleſiæ miniſter.

Clerici; qui in Seminariis degunt, diebus tantum feſtis Cathedralibus Eccleſiis inſerviant, reliquis diebus ſint exempti, & incumbant litteris, & ſtudio.

Promovendi ad ordines ſciant linguam latinam, poſſintque Chriſtianam doctrinam laicos docere;

Si Clericus aliquis habeat beneficium in hac Diœceſi, & natus ſit in alia, non poſſit ordinari, niſi unus Epiſcopus habeat litteras teſtimoniales alterius. Beneficium autem ſit congruum quod poſſit ſubſtentationem ſuppeditare ordinando, prout Tridentinum Concilium præcipit.

Clerici neque utentes habitu Clericali, vel ſua munera non adimplentes, vel vetita a ſacris Canonibus patrantes ſubjiciantur ab Ordinariis pœnis a Canonibus ſancitis.

In publicis functionibus ſuperpelliceum ſemper induant.

Quoniam beneficia, & Capellaniæ erant in Hiſpaniis, quæ non pertingebant tertiam partem congruæ neceſſariæ Clericis admittendis ad ſacros ordines, præcipit Innocentius, has, & illa ſupprimi; quæ vero aſcendunt ad tertiam, declarat, non eſſe idonea, ut Clerici ea poſſidentes promoveantur; & ſuperiora, & hæc beneficia cenſeantur ut legata pia.

Beneficiati vel per ſe, vel per alios ſuis tamen impenſis ſubjectas ſibi oves in rebus ad Chriſtianam fidem, & doctrinam attinentibus debent inſtruere.

Inde explicat Innocentius conſtitutionem quandam Pii V. de portionibus Eccleſiarum Vicariarum perpetuarum (v. t. de Parochis *ad exequendam*) ſcilicet portionem Vicariis aſſignandam nec debere eſſe majorem centum, nec minorem ſumma quinquaginta ſcutorum. Cæterum aſſignatio portionis his Eccleſiis Vicariis ſpectare debet ad Ordinarios.

Quia autem in multis locis Hiſpaniarum Eccleſiæ parochiales erant admodum diſtantes, ita ut non niſi cum gravi incommodo poſſent ſacramenta populo, præcipue infirmis, adminiſtrari, ideo Ordinarii jubentur, ut prudenter Vicarias Eccleſias inſtituant, ubi opus eſſe crediderint, præcipue cum hæ parochiales Eccleſiæ plerumque fructus pingues habeant, poſſitque congrua commode ſubtrahi pro Vicariis.

Quia Epiſcopalis dignitas maxima eſt, ideo in choro, in capitulo, in proceſſionibus, in quibuſvis actibus publicis Eccleſiaſticis Epiſcopo aſſignandus erit locus primus, & præcipuus.

Quia porro non minima pars Eccleſiæ ſunt regulares; hinc Innocentius etiam eorum reformationem præſcribit.

Ac primo jubet, ut in quolibet conventu tot ſint Religioſi, quot redditibus conventus ſubſtentari poſſint. Deinde ut Epiſcopus Diœceſanus non poſſit ordinare regulares, niſi ab eorum ſuperioribus acceperit litteras teſtimoniales,

Præterea Epiſcopi curent, obſervari quæ fuerunt ſtatuta circa ſanctimonialium clauſuram.

Earum Confeſſarii approbentur ab Ordinariis, neque ſine Epiſcoporum licentia confeſſiones audiant, ita intelligatur & de regularibus, qui confeſſiones audire non poſſunt Monialium ſine licentia Epiſcopi, licet earum monaſteria ſint ſuo ordini ſubjecta.

Quod ſi ſuperiores regulares Monialium non deputent confeſſarios extraordinarios, tunc Epiſcopi poſſint eos deputare.

Incumbant Epiſcopi, ut in divinis officiis celebrandis ſervetur Rituale, Cæremoniale, Rubricæ.

Etiam abuſus circa celebrationem Miſſarum, ſi irrepſerunt, tollant.

Et abuſus itidem circa Miſſas privatas in oratoriis, circa altaria portatilia, ut juſſit Clemens XI.

Quod ſi quis aliqua privilegia contra has ſanctiones jactet, ea cenſeantur nulla.

Cenſeantur etiam nullæ appellationes contra hæc decreta.

Uno verbo decreta Concilii Tridentini circa reformationem Eccleſiaſticorum obſerventur. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Maji P. a. II. a. D. 1723.

Confirmatio.

BENEDICTUS XIII. ad p. r. m. XV. B M. t.8. p. 172. Ib. p. 150. C. C.

Inc. *In ſupremo, &c.*

COnfirmat in omnibus, & per omnia Benedictus anteceſſoris ſui Innocentii conſtitutionem de Eccleſiaſtica diſciplina reformanda in Hiſpaniis.

Affert Innocentii Bullam in longum, & latum.

Ideo autem Benedictus eam conſtitutionem confirmat, quia nondum in ea præſcripta erant executioni demandata, e vivis Innocentio ſublato.

Benedictus ergo jubet, ut in illa contenta omnia & ſingula Ordinarii exequi faciant. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Sept. P. a. I. a. D. 1724.

Cada-

Cadavera privatorum ſepeliri non poſſint intra clauſtra Monaſteriorum ſed ſolum regum.

XVI. B.R.t.4. p. 4. p. 341. C.C. SIXTUS V. Nuncio Ap. in Hiſpaniis.

Inc. *Circa paſtoralis, &c.*

PRætextu quod corpora ſuorum majorum ſepulta eſſent intra clauſtra Monaſteriorum Monialium multi privati in Hiſpaniis ibi ſepeliri volebant.

Quod vetat Sixtus, ſolis cadaveribus Regum id permittens.

Immo ſepulcra privatorum ibi exiſtentia extrahi vult, & alio aſportari.

Et ſi quæ ſunt intra clauſtra privatorum Capellæ, vult aperiri januas, quæ ad eas ducant extra clauſtra.

Opportunas facultates dat Nuncio Ap. ad hunc abuſum tollendum infligendi pœnas Eccleſiaſticas, &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Maji P. a. II. a. D. 1586.

Prorogatio pro collectione ſubſidii ad aliud triennium.

XVII. B.R. t. 5. p. 3. p. 89. C.C. PAULUS V. Philippo Regi.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

COnceſſerat Clemens VIII. ſubſidium decem & octo millionum aureorum colligendorum intra triennium ab Eccleſiaſticis.

Sed cum ſpes non eſſet ea colligendi intra datum tempus, Paulus ad aliud triennium tempus prorogat. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die II. Oct. P. a. III. a. D. 1607.

Redditus unius menſis a proviſis de Beneficiis a Philippo rege ei ſunt perſolvendi.

XVIII. B.R. t.6. p. 1. p. 38. C.C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Alias a nobis, &c.*

DEcreverat jam alias, & nunc decretum confirmat Urbanus, debere proviſos a Rege Catholico de aliqua Eccleſia, vel Beneficio de jure patronatus ipſius regis eidem ſolvere omnes redditus, & obventiones ejus Eccleſiæ, vel beneficii unius menſis quatuor menſes ſtatim poſt proviſionem factam. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXII. Dec. P. a. IX. a. D. 1626.

Prorogatio conceſſionis fructuum unius menſis beneficiorum Hiſpaniæ, & Sardiniæ.

XIX. B. R. t.6. p. 5. p. 63. C. C. ALEXANDER VII. Philippo Regi.

Inc. *Orthodoxæ fidei, &c.*

ALexander prorogat, ut fecit Urbanus conceſſionem redditum omnium beneficiorum in Hiſpania, & Sardinia unius menſis;

Executorem deputat Nuntium Hiſpaniarum. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XII. Apr. P. a. V. a. D. 1660.

Impoſitio decimæ Clero dominiorum Regis Hiſpaniæ.

XX. B. R. t.6. p. 1. p. 338. C. C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Cum nos, &c.*

CRudeſcente bello inter Guſtavum Adolphum Regem Sueciæ, & Hæreticos ex una parte, & Imperatorem Ferdinandum, & principes Catholicos ex alia, Philippus ut adjuvet Ferdinandum, quem habebat conjunctionem magnam ſanguinis, & dominii, ſupplicavit Pontifici de conceſſione decimæ exigendæ a bonis Eccleſiaſticis ſuarum ditionum.

Pontifex annuens utrique Clero imponit decimam ſexcentum millium ducatorum.

Deputat Collectorem Nuncium Ap. in Hiſpaniis, cui dat ſolitas facultates. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die V. Febr. P. a. IX. a. D. 1632.

Nuncius acceptet modum propoſitum a Clero pro ſolutione decimæ.

URBANUS VIII. Nuncio Ap. &c. XXI. Ib. p. 310. C. C.

Inc. *Cum nos, &c.*

QUia fieri poteſt, ut Clerus conveniat de modo faciliori ſolvendi prædictam decimam,

Urbanus Nuncio ſuo mandat, ut illum acceptet. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XII. Febr. P. a. IX. a. D. 1632.

Nuncius det facultatem regi exigendi decimam.

URBANUS VIII. Nuncio Ap. XXII. Ib. p. 311. C. C.

Inc. *Nuper nos, &c.*

NE rex incurrat in cenſuras, Pontifex præcipit Nuncio ſuo,

Ut det licentiam Regi exigendi per ſuos Miniſtros præfatam ducatorum ſummam. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVIII. Febr. P. a. IX. a. D. 1632.

Qui penſionarii teneantur ſolvere decimam.

URBANUS VIII. Nuncio Ap. XXIII. Ib. p. 321. C. C.

Inc. *Alias nos, &c.*

CUm etiam penſionarios, & beneficiatos ſimplices velit Urbanus decimam ſolvere, natum eſt dubium, num omnes tenerentur?

Solvit dubium Urbanus declarans, qui habent penſiones, vel beneficia non excedentia valorem ducatorum vigintiquatuor de Camera, non teneri ad ſolutionem. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Jul. P. a. IX. a. D. 1632.

Facultas exigendi prædictam decimam datur Clero.

URBANUS VIII. ad f. r. m. XXIV. Ib. p. 330. C. C.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

FAcultatem exigendi prædictam decimam, quam Urbanus dederat Nuncio Ap. per has litteras dat Clero, qui deputabit idoneas perſonas ad eam colligendam.

Privationem beneficiorum denunciat eam non ſolventibus. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Aug. P. a. X. a. D. 1632.

Impoſitio decimæ bonis Eccleſiaſticis Philippo IV. ſubjectis pro Ferdinando Imp.

URBANUS VIII. ad f. r. m. XXV. B.R. t.6. P. 2. p. 20. C.C.

Inc. *Alias ad funeſtos &c.*

UT auxiliaretur Philippus Imperatori Ferdinando contra Germaniæ hæreticos militanti petiit a Pontifice, ut imponeret decimam ſuper omnibus bonis Eccleſiaſticis Hiſpaniarum, Portugalliæ, Indiarum Occidentalium, & Siciliæ.

Ita fieri vult Pontifex; ea tamen jubet colligi per Nuntium, & per collectorem ſpoliorum. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIV. Mar. P. a. XII. a. D. 1635.

Pro-

Prorogatio subsidii XX. millionum super Ecclesiis Hispaniarum, & Sardiniæ.

XXVI. B.R. t.6. p. 5. p. 219. C.C. ALEXANDER VII. Philippo regi, &c.

Inc. *Magnis causis, &c.*

PRorogat Alexander idem subsidium viginti millionum Regi, super Ecclesiis Hispaniarum, & Sardiniæ.

Congruit hæc Bulla cum aliis ejusmodi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVIII. Ap. P. a. VIII. a. D. 1662.

Prorogatio supradicti subsidii.

XXVII. B.R. t.6. p. 6. p. 29. C.C. ALEXANDER VII. Philippo, &c.

Inc. *Magnis causis, &c.*

SUbsidium ducatorum quadringentorum viginti millium super bonis Ecclesiasticis Hispaniarum, & Sardiniæ Alexander prorogat;

Ut necessitatibus regis in dies singulos crescentibus consulat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIX. Jul. P. a. X. a. D. 1664.

Impositio decimæ.

XXVIII. B. R. t.6. p. 5. p. 257. C.C. ALEXANDER VII. ad p. r. m.

Inc. *Cum sicut, &c.*

DEcimam ad summam octingentorum millium ducatorum in subsidium regis persolvi vult Pontifex ab utroque Clero in omnibus ditionibus eidem regi subjectis existente.

Conveniunt hæ litteræ cum aliis ejusdem generis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Oct. P. a. VIII. a. D. 1662.

Declaratio circa solutionem decimæ pro regno Aragoniæ.

XXIX. Ib. p. 347. C. C. CLEMENS IX. Nuncio Ap.

Inc. *Alias felicis, &c.*

NOndum Clerus Aragoniæ solverat antecedentem decimam 800m. scut. cum reductionem juxta mentem Caroli fecerat Alexander.

Prætendebat Clerus Aragoniæ, se non debere amplius solvere reliquam veterem decimam.

Clemens ad instantim regis declarat, Clerum solvere debere veterem decimam integram; novam autem eum soluturum juxta reductionem factam a Rege, & juxta ratam portionem statuendam a Nuncio Ap. cui id onus Clemens injungit. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die III. Jul. P. a. III. a. D. 1699.

Castellæ & Legionis Episcopis mandatur, ut Clerum corrigant.

XXX. Ex Rayn. ad an. 1335. §. 63. BENEDICTUS XII. Archiepiscopis, Episcopis, &c.

Inc. *Non sine, &c.*

SIgnificatum fuerat Pontifici in iis regnis non solum simplices Sacerdotes, sed etiam personas in Ecclesiasticis dignitatibus constitutas *adulteria, incestus, & contubernia committere; deprædationes, incendia, & rapinas, ac exactiones illicitas facere*, leges divinas, & humanas, & canonica statuta violare, ea demum agere, quæ Saraceni ipsi, qui student omnia in contemptum Catholicæ Religionis facere, non faciunt.

Quare præfatis præsulibus mandat, ut primum se corrigant, cum prius debeant purificari manus, quam vestis est purificanda, tam & verbis & exemplo potiore verbis Clerum, & populum sibi commissum corrigant,

Sciantque se esse de illis rationem Deo reddituros, quibus Deus illos credidit docendos, regendosque.

D. Aven. IV. Id. Mar. P. a. I. a. D. 1335.

Procuratores Ecclesiarum regnorum Castellæ, & Legionis absentes possunt percipere fructus præbendarum.

CLEMENS VIII. Congregationi generali Procuratorum Ecclesiarum regnorum Castellæ, & Legionis. XXXI. B.R. t.5. p. 2. p. 207. C.C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

SÆpe contingit, ut procuratores Ecclesiarum regnorum Castellæ, & Legionis debeant pro earum negotiis Romam, & Matritum se conferre, ibique diu permanere.

Rogarunt itaque Pontificem, ut interim possent recipere fructus suarum præbendarum.

Id iis Clemens permittit.

Et Thesaurariis Ecclesiarum mandat, ut hos fructus, & distributiones quotidianas illis reservent; immo procuratores Romam missi possint hos fructus percipere, etiamsi a residentia abfuerint per sex menses post obitum negotium.

Executores deputat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVIII. Febr. P. a. VIII. a. D. 1598.

Officiales Episcoporum horum regnorum sint Ecclesiastici juxta constitutionem Clementis VIII.

PAULUS V. ad p. r. m. XXXII. B.R. t.5. p. 3. p. 392. C.C.

Inc. *Provisionis nostræ, &c.*

PUblicat Paulus constitutionem Clementis VIII. *repertam in Secretaria domestica ipsius Clementis exscriptam verbo ad verbum ex minuta originali*, in qua jubet, ut Ordinarii regnorum Castellæ, & Legionis eligant Vicarios Generales, & judices, aliosque officiales omnes Ecclesiasticos.

Sane ita statutum est a Concilio Chalcedonensi, & postea ab Hispalensi; & in Toletana Synodo cum satis dilucide id mandatum non fuisset, statutum postea fuit, ut officiales Ordinariorum essent Ecclesiastici *ad tollendam indecentiam*.

Jam in his regnis copia doctorum, & proborum Ecclesiasticorum reperiebatur.

Mandabat ergo Ordinariis, ut removerent Laicos & Ecclesiasticos substituerent, declarans irritum, quidquid Laici in his officiis peregissent.

Has litteras Paulus confirmat, observarique præcipit. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XVI. Oct. P. a. V. a. D. 1609.

Dignitates majores in Cathedralibus, & Collegiatis, & rectores Ecclesiarum cum cura animarum non possunt esse familiares &c. in regnis C. & L.

URBANUS VIII. ad p. r. m. XXXIII. B. R. t.6. p. 2. p. 451. C.C.

Inc. *Alias felicis, &c.*

COnfirmarat Paulus V. decretum Synodi Toletanæ, quo vetabantur Canonici obtinentes dignitates majores in Cathedralibus, & Collegiatis, Canonici Magistrales, Doctorales, Lectores, Pœnitentiarii esse Episcoporum Vicarii, provisores, visitatores judices Ordinarii, vel delegati appellationum, an. 1615. apponunturque litteræ.

Gregorius XV. hoc decretum pertinens ad solam Toletanam Ecclesiam extendit ita rogatus ad omnes dignitates &c. Ecclesiarum regnorum Castellæ, & Legionis, a. 1622.

Urbanus oratus a Clero hoc decretum confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXI. Nov. P. a. XIII. a. D. 1635.

Confirmatio.

XXXIV. B.R. t.6. p. 2. p. 451. C.C. INNOCENTIUS X. ad p. r. m.

Inc. *Alias fel. rec. &c.*

BRevia Pauli, Gregorii, & Urbani Innocentius confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XII. Nov. P. a. IX. a. D. 1652.

Pœnitentiarii, Theologales, & doctorales Canonici Ecclesiarum Cathedralium in regnis C. & L. ne absint a suis Ecclesiis.

XXXV. B. R. t.6. p. 2. p. 234. C.C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Super universas, &c.*

JAm in omnibus Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus juxta decreta Tridentini Concilii instituti fuerant Canonici Theologales, Canonici Pœnitentiarii, qui debent lectiones super sacra Scriptura facere & audire confessiones; & in quibusdam Ecclesiis erant etiam juxta institutа Sixti IV. & Leonis X. Canonici doctorales, insigniti laurea doctorali, qui debebant consulere Canonicis quid agendum in litibus, controversiis, &c.

Jam quis non videt opera istorum omnes indigere posse quotidie?

Procurator itaque harum Ecclesiarum supplicavit Pontifici, ut provideret, ne hi a suis abessent Ecclesiis.

Urbanus ergo præcipit, quod rogatus fuerat; & si absint, participes non sint fructuum suarum præbendarum. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die X. Janu. P. a. XVII. a. D. 1640.

Parochi possunt ingredi in Ecclesias Regularium cum cruce, non tamen queunt functiones facere circa cadavera in regnis C. & L.

XXXVI. B.R. t.6. p. 4. p. 1. C.C. ALEXANDER VII. ad f. r. m.

Inc. *Alias a Ven. &c.*

PRoposito dubio, an Parochi, & Clerus sæcularis in associatione cadaverum in regnis C. & L. possent ingredi in Ecclesias Regularium,

Sacra Rituum Congregatio respondit, *posse*, non *posse* tamen functionem aliquam super cadavera facere.

Responsum hoc Alexander confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die VI. Maji. P. a. I. a D. 1655.

De associatione cadaverum in regnis C. & L.

XXXVII. Ib. p. 120. C. C. ALEXANDER VII. ad p. r. m.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

RUrsus Parochi horum regnorum interrogarunt sacram Congregationem usquequo possent progredi in Ecclesias Regularium cum cadavere, cruce, & stola?

Quæ respondit, usque ad locum, in quo collocandum est cadaver, modo tamen discedant, & omne super cadavere officium prætermittant.

Apponit decreto confirmationem suam Alexander. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VI. Jul. P. a. II. a. D. 1656.

Ecclesiastici regni Castellæ solvant ut statutum est in Comitiis; & hæc contributio per triennium post sexennium extenditur.

XXXVIII. B. R. t.5. p. 3. p. 94. C.C. CLEMENS VIII. Philippo Hispaniarum regi.

Inc. *Alias cum accepissemus, &c.*

COmitia Castellæ subsidium ad sexennium regi concesserant.

Vult Clemens etiam Ecclesiasticos, exemptos quoque ad illud solvendum teneri.

Cum autem nimis grave esset, si pro oleo, & vino tantum illud exsolveretur, permittit Clemens, ut extendatur etiam ad carnes, & exsolvatur etiam a Clero, qui ab Ordinariis cogi possit ad illud conferendum.

Petente autem Philippo ut prorogaretur exactionis tempus, Clemens mandat, ut, sexennio transacto, ad aliud triennium omnes Ecclesiastici illud solvant. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVII. Dec. P. a. XIII. a. D. 1604.

Concordia inter Clerum C. & L. & Regem super solutione primæ decimæ.

PAULUS V. ad p. r. m. XXXIX. B. R. t.5. p. 3. p. 376. C.C.

Inc. *Pro nostro, &c.*

CLerus uterque regnorum C. & L. debebat regi solvere ducentos, & quinquaginta mille ducatos per quinquennium quotannis; ad hoc enim tempus indultum hoc prorogaverat Paulus Regi.

Jam hæc concordia nihil aliud est, quam conventio hujus solutionis faciendæ bis in anno, & quantum quæque Ecclesia, & Monasterium debeat solvere.

Scopus operis haud permittit exiguæ frugis his rebus immorari.

Oblati conventionis articuli a Paulo approbantur. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XII. Nov. P. a. V. a. D. 1609.

Confirmatur conventio Cleri C. & L. pro solutione subsidii præstandi regi.

PAULUS V. ad p. r. m. XL. B. R. t.5. p. 4. p. 160. C.C.

Inc. *Pro nostro munere, &c.*

ALiud subsidium ducentorum, & quinquaginta millium ducatorum imposuerat pro rege utrique Clero horum regnorum Paulus.

Clerus convenit cum rege de quantitate solvenda a qualibet Ecclesia de tempore, &c. convenit cum proxime antecedenti Bulla.

Paulus concordiam confirmat.

Cardinales exemptos a solutione vult. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXXI. Oct. P. a. X. a. D. 1614.

Subsidium XVIII. millionum concessum regi ab utroque Clero C. & L.

GREGORIUS XV. Philippo Regi, &c. XLI. B.R. t.5. p. 5. p. 72. C.C.

Inc. *Alias a felici, &c.*

JAm approbarat Paulus V. oblationem factam a Laicis C. & L. regi XVIII. millionum persolvendorum super vino, oleo, aquato, carnibus, &c.

Laici idem subsidium ad alias res extenderunt ad pisces, candelas, &c.

Gregorius permittit, his gabellis etiam Clerum subjacere.

Pecunia hinc collecta in solam defensionem fidei insumatur. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die II. Dec. P. a. III. a. D. 1622.

Conventio Cleri C. & L. cum rege de persolvenda decima.

URBANUS VIII. ad f. r. m. XLII. B. R. t.5. p. 5. p. 340. C.C.

Inc. *Pro nostro, &c.*

COncessa ab Urbano facultate Philippo exigendi decimam ab utroque Clero C. & L. inita fuere Clero pacta eam persolvendi.

Est eadem hæc constitutio ac aliæ hujus generis.

Pacta rata habet Urbanus. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Junii P. a. II. a. D. 1625.

De solutione subsidii.

XLIII. Ib. p. 384. C. C. URBANUS VIII. Philippo regi, &c.

Inc. *Orthodoxæ fidei, &c.*

PErmittit Pontifex Philippo accipere subsidium XII. millionum auri per sex annos a subditis, & Clero utroque regni Castellæ. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Nov. P. a. III. a. D. 1625.

Approbatio concordiæ, &c.

XLIV. B. R. t. 6. p. 1. p. 334. C. C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Pro nostro, &c.*

COnfirmatio solutionis decimæ concessæ Regi ab Urbano faciendæ a Clero continetur in hac bulla simili aliarum hujus generis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Sept. P. a. VIII. a. D. 1630.

Oblatio XIX. millionum regi a Clero facta.

XLV. Ib. p. 341. URBANUS VIII. Philippo regi.

Inc. *Ad universas, &c.*

COmpatiens Clerus regnorum C. & L. summis expensis faciendis a rege illi obtulit subsidium XIX. millionum aureorum, modo Pontifex permitteret;

Petiit rex Pontificis permissionem, qui eam dat, *mediante solutione gabellarum super vino, aceto, oleo, & carne*; idque per sexennium.

Atque hoc subsidium sit loco decimarum eo sexennio persolvendarum. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die V. Mar. P. a. X. a. D. 1633.

Clerus prædictus eximitur a solutione decimæ.

XLVI. Ib. p. 343. C. C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Alias pro parte, &c.*

CONfirmat Urbanus quod innuerat immediate antecedenti constitutione, scilicet Clerum regnorum C. & L. ratione oblati regi subsidii debere esse immunem a solvenda decima.

Quam illi restitui jubet, si solverint, eamque conferri vult a Clero reliquorum regnorum,

Idque mandat exequendum Nuncio.

Eos tamen Prælatos horum regnorum, qui huic solutioni decimæ consenserunt, non solvit a decima contribuenda.

Ad restitutionem autem solutæ decimæ faciendam spatium annorum trium Urbanus præfigit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die V. Mar. P. a. X. a. D. 1633.

Declarantur exactores incurrisse censuras ob exactum tributum ante placitum Sedis A.

XLVII. Ib. p. 360. C. C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Cum alias, &c.*

LIcet Urbanus approbasset hoc subsidium imponendum, cum tamen fuerit exactum antequam exactionis tempus ipse præscripsisset, declarat, exactores incurrisse pœnas &c. N. O.

D. in arce Gandulphi Die XXVI. Oct. P. a. XI. a. D. 1633.

Jubetur Nuncius A. in Hispania admonere Commissarium Cruciatæ, eum gravasse Clerum Castellæ, & Legionis illum cogendo ad solutionem excusati post lapsum quinquennium.

XLVIII. B. R. t. 6. p. 1. p. 372. C. C. URBANUS VIII. Nuntio A. in Hispaniis.

Inc. *Apostolatus officium, &c.*

JAm elapsi erant anni quinque, de quibus convenerat inter Clerum Castellæ, & Legionis, & Philippum regem super solutione primæ decimæ ad rationem ducentorum, & quinquaginta millium ducatorum monetæ Hispanicæ; conventioque fuerat a S. Sede confirmata, idque per quinquennium.

Commissarius tamen Cruciatæ coegerat Clerum ad hanc solutionem faciendam ultra conventum tempus.

Igitur Pontifex mandat Nuntio suo, ut illum moneat de injusto hoc gravamine, præcipue cum nullam ipse ad hoc facultatem specialem haberet, *& ut consulat conscientiæ suæ, cum in censuras incurrerit*. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die X. Mar. P. a. XI. a. D. 1634.

Concordia inter Clerum C. & L. & regem super subsidio, &c.

XLIX. B. R. t. 6. p. 3. p. 341. C. C. INNOCENTIUS X. ad f. r. m.

Inc. *Pro nostro, &c.*

SUbsidium, quod *excusato* dicitur, concessit Innocentius Regi.

Jam hic habentur conventiones initæ inter regem, & Clerum, quantum quælibet Ecclesia dare debeat, & quo tempore.

Pontifex eas ratas habet. N. O.

Dat. Romæ apud S. Petrum Die X. Apr. P. a. I. a. D. 1645.

Extensio ejusdem Gabellæ ad annos sex.

L. B. R. t. 6 p. 3. p. 42. C. C. INNOCENTIUS X. Philippo regi, &c.

Inc. *Ad universalis, &c.*

ITa instante Philippo, ad alios annos sex extendit Innocentius gabellam super oleo, vino, aceto, carne exigendam a Clero utroque C. & L. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Dec. P. a. I. a. D. 1644.

Impositio xix. millionum Clero C. & L.

LI. Ib. p. 413. C. C. INNOCENTIUS X. Philippo regi, &c.

Inc. *Ad universalis, &c.*

SUpplicanti regi Philippo, ut permitteret Pontifex solvi ab Ecclesiasticis subsidium millionum decem, & novem cum dimidio in regnis C. & L.

Innocentius permittit. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXI. Oct. P. a. VII. a. D. 1650.

Aliud simile subsidium permittitur.

LII. B. R. t. 6. p. 4. p. 247. C. C. ALEXANDER VII. Philippo regi, &c.

Inc. *Orthodoxæ fidei, &c.*

BEllum ingens moverant Angli regi Philippo, ad quod substinendum cum opus illi esset ingenti pecunia, Pontifex ei permittit, ut posset imponere Clero regnorum C. & L. subsidium decem, & novem millionum cum dimidio.

Reliqua conveniunt cum bullis hujusmodi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIV. Sept. P. a. IV. a. D. 1658.

Aliud

Aliud subsidium ejusmodi.

XLIX. B. R. t. 6. p. 1. p. 216. C. C. ALEXANDER VII. Philippo regi.

Inc. *Orthodoxæ fidei, &c.*

ALiud subsidium XIX. millionum exigendum ab utroque Clero C. & L. ob eandem causam, de qua supra, concedit Alexander Philippo. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVIII. Apr. P. a. VIII. a. D. 1662.

Confirmatio reductionis decimarum quoad quantitatem, & quoad tempus exactionis in regnis Castellæ, & Legi.

LIV. B. R. t. 6. p. 6. p. 98. C. C. ALEXANDER VII. Nuncio A. in Hispaniis.

Inc. *Alias nos, &c.*

CONcesserat jam Alexander Carolo regi exactionem decimarum super omnibus bonis Ecclesiasticis ad summam 800. m. scutorum intra biennium colligendam a. 1662.

Rex respiciens necessitatem Ecclesiarum reduxit hanc summam ad summam quingentorum vigintiquinque millium ducatorum monetæ Hispanicæ, quæ debebat colligi intra quadriennium.

Mandat Alexander igitur Nuncio suo, ut hanc summam colligendam partiatur super iisdem bonis æqua portione, & ut quota quovis anno per annos quatuor colligenda sit, assignet. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IX. Dec. P. a. XI. a. D. 1655.

Imponitur contributio XIX. millionum cum dimidio Ecclesiasticis Castellæ, & Legionis.

LV. Ib. p. 239. C. C. CLEMENS IX. Carolo Regi, &c.

Inc. *Orthodoxæ fidei, &c.*

COnvenit hæc constitutio cum aliis hujus generis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Mar. P. a. I. a. D. 1668.

Impositio Clero Legionis & Castellæ XII. millionum.

LVI. Ib. p. 285. C. C. CLEMENS IX. Carolo regi &c.

Inc. *Orthodoxæ fidei, &c.*

PErmittit Pontifex regi colligere prædictam summam etiam ab Ecclesiasticis super carnibus, vino &c. congruit cum aliis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XII. Sept. P. a. II. a. D. 1668.

In principatu Catalauniæ, & Comitatu Rossilionis Ecclesiastici ne ferant archibusios ad rotam.

LVII. B. R. t. 5. p. 3. p. 291. C. C. PAULUS V. ad f. r. m.

Inc. *Carissimi in Christo, &c.*

AD instantiam Philippi *detentionem, usum, fabricationem archibusiorum*, quos vocant ad rotam, interdicit Paulus Ecclesiasticis, & etiam militibus S. Joannis Hierosolymitani ad A. Sedis beneplacitum.

Episcopo autem Granatensi dat facultatem hos inobedientes inquirendi, & puniendi.

Hæc constitutio extenditur ad Ecclesiasticos principatus Catalauniæ, Comitatus Rossilionis & Ceretaniæ. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVIII. Nov. P. a. III. a. D. 1607.

Confirmatio constitutionis Gregorii XIII.

LVIII. B. R. t. 5. p. 5. p. 377. C. C. URBANUS VIII. Archiepiscopis, Episcopis in principatu Catalauniæ constitutis.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

PEtierunt Ordinarii Principatus Catalauniæ, ut renovaret Urbanus constitutionem Gregorii XIII. super immunitate Ecclesiastica in principatu Catalauniæ, comitatu Rossilionis, & Ceretaniæ.

Urbanus eam renovat, jubetque eam observari. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XII. Nov. P. a. III. a. D. 1625.

Deputati duo Ecclesiastici de principatu Catalauniæ absentes possunt percipere fructus, & distributiones quotidianas suorum beneficiorum.

LIX. B. R. t. 4. p. 3. p. 281. C. C. GREGORIUS XIII. ad d. r. m.

Inc. *Pastoralis officii, &c.*

SEx solent eligi deputati, & auditores, inter quos duo Sacerdotes gaudentes beneficiis Ecclesiasticis, de triennio in triennium, qui morari debent Barcinone a principatu Catalauniæ, ut computorum Ecclesiasticorum rationes procurent. Cum debeant hi pro sua dignitate vivere, supplicarunt Gregorio, ut liceret sibi percipere fructus suarum præbendarum, & distributiones quotidianas æque ac si essent præsentes.

Attendens Gregorius, hoc abesse a choro causa publicæ utilitatis, iis benigne annuit,

Præcipue cum id iis indulserit etiam Eugenius IV. Executores deputat. N. O. *Nulli ergo, &c.*

Dat. Romæ apud S. Marcum Cal. Oct. P. a. III. a. D. 1574.

Prædicti deputati Ecclesiastici possunt interesse causis criminalibus.

LX. B. R. t. 4. p. 3. p. 289. C. C. GREGORIUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Romanum decet, &c.*

NOn solum prædictum privilegium concedit Gregorius his deputatis Ecclesiasticis,

Sed etiam illis permittit, ut possint immiscere se actibus criminalibus *absque conscientiæ scrupulo, seu inhabilitatis, & irregularitatis incursu*. N. O.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum Cal. Oct. P. a. III. a. D. 1574.

Beneficiati Ecclesiæ Barchinonensis excluduntur a perceptione distributionum si sint deputati &c.

LXI. B. R. t. 4. p. 3. p. 396. C. C. GREGORIUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Romani Pontificis, &c.*

SI ex Ecclesia Barchinonensi fiant deputati computorum non vult eos participes esse distributionum quotidianarum Gregorius, sicut alii, qui alibi sua beneficia habent,

Tum quia ex ipso onere emolumenta percipiunt,

Tum quia diebus festis cum non fiant computa possunt choro interesse, sicut & aliis diebus, cum admodum fero fiant.

Executores deputat. N. O.

D. Tusculi Die XI. Maji P. a. VII. a. D. 1579.

Episcopi Catalauniæ absolvant a censuris violatores immunitatis Ecclesiasticæ.

LXII. B. R. t. 6. p. 4. p. 111. C. C. ALEXANDER VII. ad f. r. m.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

IN motibus, qui per hunc annum facti fuerant in principatu Catalauniæ, multi violarant jurisdictionem, & immunitatem Ecclesiasticam, ac proinde in censuras incurrerant.

Ad preces Philippi regis Alexander mandat Episcopis ejus principatus, ut illos ab his censuris absolvant. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Maji P. a. II. a. D. 1656.

Constitutio Gregorii XV. de dandis Canonicatibus Pœnitentiariæ per concursum extenditur ad Ecclesias principatus Catalauniæ.

LXIII. B.R. t.6. p. 3. p. 322.C.C. ALEXANDER VII. ad p. r. m.

Inc. *Pro commissa, &c.*

MOrtuus erat Canonicus Pœnitentiarius Ecclesiæ Barchinonensis, cum fuit orta contentio, an dandus esset hic canonicatus per concursum; sicut statuerat Gregorius XV. in aliis Hispaniarum Ecclesiis Metropolitanis, & Cathedralibus debere hunc Canonicatum dari.

Oratus a rege Pontifex, ut decideret, quid agendum, respondet, quoquo modo (excepta morte Pœnitentiarii in Curia) vacare contigerit hunc Canonicatum in Ecclesiis prædicti principatus, debere per concursum conferri. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIX. Maji P. a. VIII. a. D. 1662.

Ecclesiasticis in principatu Cat. prohibentur excommissæ.

LXIV. Ib. p. 283. C. C. ALEXANDER VII. ad p. r. m.

Inc. *Pastoralis officii, &c.*

SOlebant quotannis conjici in urnam nomina officialium, & Curialium, qui deberent administrare res principatus Catalauniæ, & extrahi.

Multi Ecclesiastici habentes notulas nominum ponendorum in urna *excommissas magni pretii* faciebant spondentes, horum, vel illorum hominum nomina sortitura,

Nomine regis Catholici Cardinalis Coronæ protector supplicavit Pontifici, ut pravam hanc consuetudinem tolleret;

Alexander privat Ecclesiasticos sæculares beneficiis, titulis; regulares voce activa, & passiva; Laicos excommunicat, si in posterum has excommissas facient.

Executores deputat omnes Ordinarios ejus principatus. N. O.

D. Romæ apud S.M.Maj. Die III. Janu. P. a. VIII. a. D. 1663.

Confirmatio concordiæ inter Philippum, & Clerum Catalauniæ super decimis.

LXV. B.R. t.5. p. 1. p. 410.C.C. CLEMENS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Pro nostro, &c.*

ET Pius V., & Gregorius XIII., & Sixtus V., & Gregorius XIV. concesserant Philippo regi exactionem decimarum a Clero Catalauniæ.

Reclamavit clerus, confirmans, non sine gravi incommodo posse a se illam solvi;

Concordiamque cum rege post iniyit, quomodo eam solvere posset,

Apponitur conditio solutionis p. 441. Longa nimis, & minuta; qui legere eam avet, in Bullario legat.

Pontifex concordiam approbat, & conditiones; observari præcipit eas,

Defectus supplet, executoresque deputat. N. O.

Cardinales a solutione exemptos vult. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die V. Maji P. a. II. a. D. 1593.

Exactio a Clero regni Valentiæ.

LXVI. B.R. t.6. p. 1. p. 17.C.C. URBANUS VIII. Philippo regi.

Inc. *Eximius majestatis, &c.*

PEtenti Philippo, ut liceret sibi a regni Valentiæ clero utroque simul cum Laicis exigere subsidium unius millionis, & octoginta millium scutorum, Urbanus id permittit. N.O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VI. Oct. P. a. IV. a. D. 1626.

Ecclesiastici regni Val. possint simul cum Laicis solvere pro duobus militum millibus.

LXVII. B.R. t.6. p. 2. p. 379.C.C. URBANUS VIII. Archiepiscopo Valentino &c.

Inc. *Nuper pro parte, &c.*

BEllum erat in confinibus hujus regni, quod ut tutarentur Laici, instante Philippo rege, promiserunt se per duos menses duo militum millia conducturos.

Rogarunt Pontificem, ut in partem subsidii venirent etiam Ecclesiastici.

Archiepiscopo prædicto dat facultatem Urbanus de hoc conveniendi cum laicis. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die II. Maji P. a. XX. a. D. 1643.

Eadem facultas alendi milites datur iterum Clero regni ejusdem.

LXVIII. B.R. t.6. p. 3. p. 67.C.C. INNOCENTIUS X. ad f. r. m.

Inc. *Nuper pro parte, &c.*

ARchiepiscopus Valentinus de consensu sui Capituli, & incolarum regni Valentiæ statuit, ut colligeretur ab incolis Laicis, & Ecclesiasticis summa pecuniæ sufficiens alendis 1200. militibus in defensionem confinium.

Pontifex id permittit pro quatuor mensibus. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die II. Dec. P. a. II. a D. 1645.

Eadem licentia.

LXIX. Ib. p. 111. C. C. INNOCENTIUS X. Philippo regi &c.

Inc. *Majestatis tuæ, &c.*

EAmdem licentiam alendi milites dat Pontifex clero Val. & hoc anno. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXX. Mar. P. a. III. a. D. 1647.

Subsidium collatum ab Ecclesiasticis regni Galliciæ.

LXX. B.R. t.5. p. 3. p. 43.C.C. GREGORIUS XV. Philippo regi.

Inc. *Eximius Majestatis, &c.*

CLerus uterque regni Galliciæ obtulit regi Philippo subsidium centum millium scutorum, ut naves ad tutandas oras maritimas exstrueret.

Dat facultatem Gregorius clero illud solvendi, & regi illud accipiendi.

Vult tamen eorum collectionem fieri per Ecclesiasticos.

Salamantinus Episcopus deputatur executor. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIX. Jul. P. a. II. a. D. 1622.

Commissio, ut erigantur, & dotentur Ecclesiæ pro Mauris in Diœcesi Valentina.

LXXI. B.M. t.5. p. 2. p. 118.C.C. CLEMENS VIII. Archiepiscopo Valentino.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

JAm usque ab Imperatore Carolo V., & ejus filio Philippo II. cœperant in regnis Hispaniarum, ubi fuerant dominati Mauri, eorumque posteri erant, ædificari Ecclesiæ, & Collegia in agris, & ruribus, quoniam ibi erant pauciſſimæ, & Gregorius XIII. solutionem assignarat cuique Ecclesiæ Cathedrali pro erectione harum rusticanarum Ecclesiarum pro Mauris.

Sed cum interruptum opus fuisset, mandat Clemens, ita rogante rege, Archiepiscopo Valentino, Episcopo Dertu-

sensi, Episcopo Segorbiensi, & Episcopo Oriolensi, ne differant erectionem Ecclesiarum pro Mauris ad fidem conversis, & earum dotationem.

Et referant Romam, quid accidat.

Datque illis necessarias ad hoc facultates. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVIII. Febr. P. a. VI. a. D. 1597.

Occasione litium motarum super dotatione Ecclesiarum pro Mauris earum erectio non est retardanda.

LXXII. B.R. t.5. p. 2. p. 16.C.C. CLEMENS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Alias ad nos, &c.*

MUltæ Ecclesiæ in Diœcesi Valentina lites movebant nolentes conferre quod quisque Episcopus iis injunxerat in dotationem Ecclesiarum erigendarum pro Mauris, quæ non poterant non afferre impedimentum erectioni earum.

Clemens ad se causas advocat, confirmat litteras Gregorii XIII. jubentis erectionem.

Et vult ex contestatione harum litium nihil esse retardandam constructionem earum. N. O.

D. Romæ apud S.Marcum Die II. Aug. P. a. XII. a. D. 1603.

Solvantur taxæ juxta constitutionem Gregorii XIII.

LXXIII. B.R. t.5. p. 1. p. 318.C.C. PAULUS V. ad p. r. m.

Inc. *Inter cæteras, &c.*

JUbet Paulus in solutione taxarum pro erectione harum Ecclesiarum sequendam esse constitutionem Gregorii XIII. jam effomatarum ab Archiepiscopo Valentino, non litteras Clementis VIII.

Scilicet ut mensæ Episcopales, & Ecclesiæ pinguiores tantum taxentur, non omnes Ecclesiæ indiscriminatim. N.O.

Dat. Romæ apud S. Petrum Die VI. Mar. P. a. I. a. D. 1605.

Erectio Ecclesiarum Parochialium in Diœcesi Dertusensi pro Mauris.

LXXIV. B.R. t.5. p. 2. p. 423. CLEMENS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Apostolici muneris, &c.*

EX mandato Gregorii XIII. in hac Diœcesi Dertusensi quædam parochiales Ecclesiæ pro instructione Maurorum fuerant erectæ.

Sed illæ cum essent paucæ, & valde distantes, & parvæ, Philippus rogavit Pontificem, ut vellet, alias exstrui, & veteres ampliari.

Id jussit Clemens.

Jam Episcopus Dertusensis in sua Diœcesi sexdecim erexit, dotationem earum, nomina locorum, ubi sunt erectæ, Romam ad Pontificem misit.

Pontifex omnia approbat, & confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVIII. Maji P. a. XI. a. D. 1602.

In Diœcesi Segorbiensi erectio similis.

LXXV. Ib. p. 437. C. C. CLEMENS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Apostolici muneris, &c.*

EPiscopus Segorbiensis in Diœcesi sua fundavit, & dotavit Ecclesias viginti.

Apponuntur in bulla loca erectionum, summa dotium &c.

Quæ rata Urbanus habet. N. O.

D. eodem die, & anno.

Similis erectio in Diœcesi Oriolensi.

LXXVI. Ib. p. 449. C. C. CLEMENS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Apostolici muneris, &c.*

ORdinarius Oriolensis undecim Ecclesias erexit, & dotavit.

Reliqua conveniunt cum aliis supra relatis Constitutionibus hujus generis.

D. Romæ eodem die &c.

Prorogatio indulti Clementis VIII.

LXXVII. B.R. t.5. p. 3. p. 320.C.C. PAULUS V. ad f. r. m.

Inc. *Romani Pontificis, &c.*

ITa petente Philippo rege, indultum Clementis VIII. ut Ecclesiæ in regno Valentiæ pro Mauris erectæ possent regi etiam a Sacerdotibus alienigenis, Paulus ad sexennium prorogat. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XIV. Jul. P. a. II. a. D. 1606.

Ampliatio Collegii pro pueris Mauris, & Seminarii pro puellis Mauris.

LXXVIII. B.R. t.5. p. 2. p. 419.C.C. CLMENS VIII. Archiepiscopo Valentino.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

FUndaverat Carolus V. Valentiæ Collegium, ubi alerentur pueri ex Mauris nati, & seminarium, ubi puellæ ejusdem gentis. Ex illo viri probi, & docti prodierunt, ex hoc virgines prudentia, & pietate insignes.

Postulabat necessitas, ut augeretur uterque locus.

Archiepiscopatui Valentino satis pingui imposita erat pensio trium millium scutorum deponendorum annuatim, quibus provideretur Ecclesiis illius Diœcesis de paramentis, libris &c.

Visum est Philippo supplicare Pontifici, ut juberet Archiepiscopo sexaginta millia scuta expendere in augmentum utriusque loci collecta ex pensione.

Id jubet Clemens; horumque locorum jurisdictionem dat Archiepiscopo. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die VI. Maji P. a. XI. a. D. 1002.

DE REGNO INSULÆ MAJORICÆ.

Petrus Lusitanus in protectionem S. Sedis recipitur.

I. Ex Rayn. ad an 1233 §. 68. GREGORIUS IX. Petro &c.

Inc. *Nos tuis,, &c.*

ARagoniæ Rex Jacobus (*v.* Aragoniæ regnum *ex parte*) superatis Saracenis insulas Baleares acquisiverat. Eas concessit Petro e Lusitanorum regum sanguine fato jure fiduciario ea lege, ut Urgelitani comitatus ab uxore testamento relicti juri cederet. Quod fecit Petrus.

Qui ut quietius regnaret, insulas Beato Petro obtulit.

Oblationem acceptat Gregorius: ideoque in protectionem suam, & B. Petri suscipit regem, ejusque successores, insulas, & insulanos.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Later. XIV. Cal. Juni. P. a. VII. a. D. 1233.

Rursus tentavit Thunetanus rex eas insulas occupare. Petrus confugit ad Pontificem, qui litteris ad regis defensionem excitavit in Thunetanum &c. reges Aragoniæ, & Navarræ, & populos finitimos, & sumentibus arma annos tres de injunctis pœnitentiis remisit. Inter epistolas Gregorii Lib. 7. ep. 185.

Exci-

Excitantur fideles ad liberandam insulam Yvicam a Saracenis.

II. ad ann. 1235. §. 34. GREGORIUS IX. Episcopis, & principibus.

Inc. *Dilectus filius, &c.*

OCcuparant Saraceni insulam Yvicam minimam ex Balearibus,

Electus Tarraconensis in animum induxerat eos inde suis expensis expellere, rogavitque Pontificem, ut populos excitaret ad suppetias sibi ferendas in hoc opus.

Gregorius ergo fideles hortatur, ut Episcopo opem ferant;

Opem ferentibus concedit solitas Cruciatorum indulgentias.

D. Perusii VIII. Cal. Maji P. a. IX. a. D. 1235.

Eam liberavit Episcopus, fuitque Tarraconensi Ecclesiæ subjecta.

Episcopalem sedem Majoricæ erigi mandat Gregorius.

III. ad an. 1237. §. 27. GREGORIUS IX. Uticensi, & Ilerdensi Episcopis, & Raymundo (de Pennafort.)

Inc. *Gratias agentes, &c.*

REcuperarat Jacobus Aragoniæ Rex hanc insulam a Saracenis, & jam postulaverat a Pontifice ut ibidem erigeretur Episcopatus (v. Aragoniæ regnum *ex parte*.)

Nunc Gregorius prædictis Episcopis, & Raymundo de Pennafort ord. Prædicatorum inter sanctos postea relato, mandat, ut

Talem eidem Ecclesiæ præficiant Episcopum, & pastorem, qui tanto congruat honori, & oneri, cui adjuncto legitimo Collegarum numero, non quidem de Tarraconensi provincia, sed aliunde potius consecrationis gratiam impendant.

A consecrato recipiant juramentum fidelitatis, quod ad Pontificem transmitti curent.

D. Viterbii VII. Id. Julii P. a. XI. a. D. 1237.

Privilegium agendi lites in insula.

IV. Bull. M. p. 3. vel c. 9. p. 49. INNOCENTIUS IV. Episcopo, Clero consulibus, populo Majoricarum,

Inc. *Propter maris, &c.*

INterdum cadebant litibus incolæ insulæ Majoricæ, quia vocati ad longinqua tribunalia aut ire nequibant ob difficultatem maritimi itineris, aut nolebant.

Aragonum rex, qui erat insulæ a Saracenis recuperatæ dominus, rogavit Pontificem, ut provideret;

Qui decernit, non posse eos, extra insulam ad lites peragendas trahi, sed coram competente judice ibi eas peragere debere.

Nulli ergo, &c.

D. Lugduni prid. Id. Maji P. a. VII. a. D. 1250.

Conceduntur decimæ triennales Regi.

HONORIUS IV. Regi &c.

V. Ad an. 1285. §. 25. Inc. *Affluentis devotionis, &c.*

„ MOturus erat bellum Rex Galliæ Philippus contra Petrum Aragonium, qui occuparat regnum
„ Siciliæ, ita ab Ecclesia motus, quæ occupandum il-
„ lud regnum, dandumque filio suo secundogenito con-
„ cesserat, & Legatus A. Crucem contra prædictum
„ Petrum prædicabat.

Rex Majoricarum frater ejusdem Petri arma in fratrem sumsit, fœdusque iniit cum Philippo.

Ut posset bellum prosequi, supplicavit Pontifici, ut concederet sibi exactionem decimæ super bonis Ecclesiasticis sui regni.

Hoc illi concedit Honorius, immo permittit illi decimam exigere ex bonis Ecclesiasticis Rossilionis, Conflenti, & Seritaniæ Comitatuum.

Eamque illi concedit ad annos tres.

Nulli ergo, &c. Siquis autem, &c.

D. Perusii IV. Non. Janu. P. a. IV. a. D. 1285.

De restitutione Regis Jacobi in hoc regnum, & de valle Aragnes deponenda in manu Pontificis.

BONIFACIUS VIII. Regi Francorum &c. VI. Ad an. 1295. §. 27.

Inc. *Lætamur in te, &c.*

MAjoricani cum vidissent Regem suum Jacobum fratrem Petri Aragonum Regis cum Philippo Rege Galliæ iniisse contra fratrem suum ipsum Petrum fœdus Jacobum regno expulerunt. Filius Philippus Galliæ rex, quoniam viderat infelicem exitum belli a patre suo itidem Philippo suscepti contra Petrum, cum filio Petri Jacobo pacem fecit, præcipue cum esset in initio regni regiusque Thesaurus erat exhaustus.

Non erat relinquendus socius rex Majoricarum patruus Jacobi, qui successerat patri suo Petro in Aragoniæ regnum; volebat Philippus eum restitui in suarum insularum regnum, negabant oratores Aragonii facultatem datam sibi de hoc negotio agendi.

Bonifacius ergo instat apud Philippum, sicut & institit apud Aragonium Jacobum, ut Jacobus in regnum suum remittatur. Si enim Carolus Alanzonus, & Valesius frater Philippi omni juri dato sibi ab A. Sede in Aragoniam, & Valentiam, & Barcinonem cessit, æquum est Aragonium cedere juri, quod habet in insulas. Ex hoc bello nimis augeretur Aragonius; auctus est regno Siciliæ ultra Pharum, libera ejus regna in Hispaniis declarantur a rege Galliæ, renuntiet ergo patruo suo insulas.

De valle etiam Aragnes agitatum est inter Oratores, Philippus eam sibi retinere volebat, eam volebat Aragonius; jamque videbatur inibi res esse, ut pax inenunda non fieret.

Bonifacius consulit Philippo, ut tradatur custodienda Legato A. interim inquiratur, an antea spectaret ad regem Galliæ, an ad Jacobum Aragonium, & illi detur, ad quem spectabat antea.

Cæterum Jacobus patruus antequam admittatur in Majoricarum regnum juret, se non admissurum in regnum suum Saracenos, se inde eos expulsurum, si venerint; expellendis tamen Mauris relinquat pretium agrorum, quos habent, ab ipsis vendendorum, permittatque ipsis res suas mobiles secum inde transferre.

Demum per hanc restitutionem in suum insularum regnum nullum novum jus acquisitum, nullum antiquum jus deperditum regi Jacobo censeatur.

D. Anagniæ XII. Cal. Julii P. a. I. a. D. 1295.

De restitutione Jacobi in suum regnum facienda.

BONIFACIUS VIII. Philippo Galliarum regi. VII. Ad an. 1297. §. 25.

Inc. *Pridem celsitudini, &c.*

POllicitus Jacobus Aragoniæ Rex fuerat, se restituturum Majoricarum regnum patruo suo Jacobo Sed nondum promissa solverat.

Regi ergo Galliæ instanti apud Pontificem, ut eumdem urgeret ad restitutionem Bonifacius respondet,

Differat movere arma rex in Aragonium usque ad festum diem Natalis Domini: si ante illum Jacobus non sit in suum regnum remissus, ipse censuris Jacobum Aragonium feriet, Philippus armis ejus regna aggredietur.

D. apud Urbem Veterem IV. Id. Aug. P. a. III. a. D. 1297.

„ Aragonius fidem exsolvit, restituitque patruo suo regnum.

Rescin-

Rescinditur pactum de uniendo regno Majoricano cum Comitatu Barcinoniæ.

VIII. In app. t. 14. ad an. 1295. BONIFACIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Obligatione, &c.*

ALphonsus filius Petri Aragonii occupaverat insulam Majoricarum, & quasdam pactiones fecerat cum fratre suo Jacobo, & baronibus, & militibus, & Majoricanis, *quod regnum Majoricarum cum aliis sibi adjacentibus insulis sic comitatui Barcinoniæ perpetuo uniretur, ut sub eodem dominio, ac unione inseparabiliter remaneret.*

Videns Pontifex, hoc cadere in præjudicium Jacobi patrui contrahentium hujusmodi pactiones, per quas omnino spoliabatur eo regno, in quod restituendum esse jam statutum fuerat,

Eas pactiones, & conventiones rescindit;

Absolvit partes ab juramento dato, si quod datum fuit.

Irritum declarat quidquid aliter in hoc negotio actum fuerit.

Nulli ergo, &c. Siquis autem, &c.

D. Anagniæ VIII. Cal. Jul. P. a. I. a. D. 1295.

Consiliariis commendatur Jacobus Rex.

IX. Ad ann. 1324. §. 37. JOANNES XXII. Consiliariis Jacobi Regis Majoricarum.

Inc. *Fatali recolendæ, &c.*

MOrtuo Sancio sine liberis, regnum devolutum fuit ad ejus nepotem Jacobum Fernandi filium, cui Sancius reliquerat tutorem Philippum; Jacobo subrogatus fuit Ferdinandus, Ferdinando substituti Reges Aragonii a Sancio fuerant.

In hoc regnum moliri videbatur Aragoniæ rex; quod intelligens Joannes Consiliariis regis scribit, quoniam testamento relicti sunt a Sancio Consiliarii, & contutores, curent regis, & regni incolumitatem; devotionis affectum, quo prosequati sunt patruum, *propagent laudabiliter ad nepotem*, certoque sciant, se maximam mercedem a Deo habituros, si regem probum, justum, pium efformabunt.

D. Aven. XI. Cal. Oct. P. a. IX. a. D. 1324.

„ Præclara monita scripsit ad puerum regem Joannes.

Laudatur Rex quod e suo regno proscripserit hæreticos.

X. Ad ann. 1329. §. 38. JOANNES XXII. Jacobo regi &c.

Inc. *Quam laudabiliter, &c.*

NOn pauci hæresi Fraticellorum infecti confugerant in insulas Jacobo subditas. Rex commonitus ab Episcopo Elnensi, qui de hoc factus fuerat per litteras a Pontifice certior, rem ad Jacobum detulit, qui eos omnes, & singulos inde facessere jussit.

Eum ergo jure ac merito Joannes commendat, quod ita cautam Dei sollicite, ac prompte curarit.

Se semper Deum enixe, ut regem, regiam familiam, regnumque fospitet, & amplificet oraturum esse testatur.

D. Aven. V. Id. Nov. P. a. XVII. a. D. 1332.

Hortatio ad regem, ut præstet clientelarem sponsionem Regi Aragonio.

XI. Ad ann. 1336. §. 52. BENEDICTUS XII. Jacobo regi.

Inc. *Circumspectionem, &c.*

„ NAta contentio erat, an Baleares insulæ, & a-
„ liæ terræ, quas obtinebat Jacobus, Aragoniæ
„ Coronæ jure fiduciario addictæ essent, necne. Ara-
„ gonum rex Petrus ajebat, negabat Jacobus, vi &
„ injuria ab Aragoniis regibus id usurpatum esse dicti-
„ tans. Diem indixit Petrus Jacobo, ut clientis officia
„ præstaret, quod nolebat Jacobus: videbaturque exo-
„ riturum hinc esse bellum.

„ Pontifex regem Petrum rogavit, ut statutum diem,
„ quo volebat sibi a Jacobo homagium præstari, dif-
„ ferret; quod facile obtinuit.

His litteris monet Majoricanum regem, ut ad evitandam dissensionem agat, quod Jacobus avus, & Sanctius patruus ejus egerunt, & ipse Jacobus egit, cum erat sub tutore.

Illi regibus Aragonum avo, & genitori pacta, & conventiones servarunt, easque se observaturos jurarunt, cum novus rex regnum Majoricarum iniit, faciat Jacobus idem cum Petro, quoniam Petrus est novus rex, & ipse Jacobus est extra tutelam.

Ad eum litteras mittit, quas acceperat a rege Aragonum de dilatione dici.

D. Aven. VIII. Id. Mart. P. a. V. a. D. 1339.

Sollicitatur Rex ad pacem.

BENEDICTUS XII. Jacobo Majoricarum regi. XII. lib. §. 75.

Inc. *Licet ad eum &c.*

BEllum parabat Jacobus contra Aragonium, potius quam vellet animum flectere, & Aragonii supremum dominium agnoscere.

Iterum Pontifex ad pacem illum hortatur,

I. Quia periculum est, ne dum bellum gerit cum Aragonio, rex Marrochitanus ejus regnum invadat,

II. Quia subditi populi fortasse ad Aragonium deficient,

III. Quia vires non habet, sicut Aragonius, diu bellum sustinendi,

IV. Quia ejus majores regiam dignitatem ab Aragonia stirpe acceperunt, æquum ergo est, ut illi acceptam referat, & ut fateatur, se eam dignitatem a domo Aragoniæ habere.

D. Aven. XI. Cal. Apr. P. a. V. a. D. 1339.

DE ECCLESIA MAJORICANA.

Statuta pacta de Clericis in Catalaunia serventur in insulis Balearibus.

JULIUS III. Imperatori Carolo. I. Ex Raym. Ad ann. 1551. §. 83.

Inc. *Exponi nuper, &c.*

CUm semper lites exorirentur inter Clerum principatus Catalauniæ, & Comitatus Rossilionis, & Ceretaniæ, Eleonora Regina Aragonum, & Legatus A. convenerunt, ut Clerus exponeret suas querelas de violata Ecclesiastica libertate; quatuor fuerunt querelarum capita;

I. Querebatur, curiam regiam incœpisse facere processus occupationis temporalis contra Episcopos, quod nolebant revocare processus Ecclesiasticos contra Clericos, justissime factos,

II. Eam facere processus pacis & treguæ contra Clericos etiam in sacris constitutos, & contra prælatos,

III. Eam facere servare processus *soni emissi* (sententiæ emanatæ) contra Clerum, & castra eorum & loca eorum sita contra laicos; hinc sequi interdictum, & eorum locorum eversionem;

IV. Notorie citari prælatos, & ipsorum officiales ad instantiam laicorum, ut compareant in audientia regia; ut revocent processus contra laicos jure factos, quod nisi faciant, expelli prælatos e regno.

Cum pax amicabiliter super his fieri non posset, Gregorius XI. facultatem dedit Reginæ, & Legato pacta facere, quæ servarentur. Affertur Gregorii Bulla.

Convenerant autem ut

1. In iis quæ spectant ad correctionem spiritualem Clericorum Episcopi non possent impediri a Curia regia,

2. Ut non possent vocari ad Curiam pro iis quæ pertinent ad officia Episcopalia quoad sacramenta, prædicationes &c. pro laicis,

3. Ut Clerici, prælatique in iis, quæ turbant statum laicorum, quietem populi, læduntque obedientiam præstandam regibus, & in delictis gravioribus citari possent ante Curiam regiam.

Has conventiones firmavit A. auctoritate idem Gregorius.

Sopitæ hoc modo fuerunt in prædictis locis lites; Clericique caligatius vixerunt, cum viderent se posse

puniri.

puniri a Curia laica per carceres, pro traditione brachii secularis, & per mortem etiam.

Eædem, quæ in Catalaunia quondam, oriebantur etiam inter laicos, & Clerum in insulis Balearibus, & in Sardinia.

Carolus, ut eas extingueret doctus experientia supplicavit Julio, ut iisdem legibus subjiceret Clerum earum insularum.

Id per hanc constitutionem fieri jubet Julius. N. O. *Nulli ergo, &c. Si quis, &c.*

D. Romæ apud S. Petrum Die XX. Mar. P. a. II. a. D. 1551.

Eadem constitutio ad instantiam ejusdem Caroli extensa fuit etiam ad Clerum regni Valentiæ. ib. §. 85.

Canonici Majoricani eximuntur ab Inquisitoribus in iis, quæ non spectant ad fidem.

II. B.M. t.5. p. 167. B.R. t.6. p. 2. p. 341.C.C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Cum sicut, &c.*

JActabant sese Inquisitores fidei in Insula Majorica posse cognoscere Canonicorum Majoricensium non solum crimina ad religionem, & fidem spectantia, sed etiam eorum causas civiles: negabant Canonici.

Causa relata fuit bis ad supremam Congregationem Cardinalium Inquisitorum fidei, qui judicarunt,

Inquisitores Majoricenses non posse alias causas cognoscere nisi spectantes ad Religionem, & fidem.

Episcopo ergo insulæ mandat Urbanus, ut Inquisitoribus inhibeat alias causas Canonicorum dijudicare præter versantes circa fidem;

Irritumque declarat quidquid aliter judicarint. N. O. *Nulli ergo, &c.*

D. Romæ apud S. Petrum Frid. Cal. Ap. P. a. XIX. a. D. 1642.

Etiam simplices Sacerdotes eximuntur, &c.

III. B.R. t.6. p. 2. p. 881.C.C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Alias nos, &c.*

SIcut jusserat Urbanus Canonicos Ecclesiarum hujus insulæ non subesse Inquisitoribus fidei nisi in iis, quæ ad fidem spectant,

Ita per has litteras vetat, Inquisitores procedere posse contra Sacerdotes etiam simplices, nisi in causis ad fidem spectantibus.

Executores deputat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Sept. P. a. XX. a. D. 1642.

Absolutio Regularium Majoricæ ob recursum factum ad judices laicos.

IV. B.R. t.6. p. 2. p. 360. CC. INNOCENTIUS X. Hieronymo Meltio Capellano, &c.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

SUper *fundatione Collegii S. Martini Majoricæ* emersit lis inter Jesuitas fundatores ex una parte, & Regulares, & Canonicos ex alias.

Dum ea agebatur coram Nuncio Ap. in Hispaniis, a quo appellata fuit ad Auditorem Causarum Palatij, Regulares confugerunt ad judices seculares.

Cum inciderint ob hac in censuras, absolutionem a Pontifice petunt, qui eos absolvendi potestatem dat Præfato Meltio. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VIII. Janu. P. a. X. a. D. 1654.

Gregorii constitutio de dandis canonicatibus Pœnitentiariorum per concursum extenditur ad hanc Insulam.

V. B.R. t.6. p. 5. p. 284.C.C. ALEXANDER VII. ad f. r. m.

Inc. *Pro commissa, &c.*

AD instantiam regis Philippi, ut præcidantur omnes lites, Alexander extendit Gregorii XV. constitutionem de dandis Canonicatibus Pœnitentiariorum per concursum ad Ecclesiam Majoricensem. N. O.

D. Romæ apud S. Mar. Maj. Die II. Janu. P. a. VIII. a. D. 1663.

DE NUNTIIS APOSTOLICIS IN HISPANIIS.

Irritat Urbanus quædam decreta, & gesta Nuntii Ap. in Hispania.

I. B.R. t.6. p. 2. p. 280.C.C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Decet nos, &c.*

NOnnulla *decreta variis impedimentis Nunciaturæ præstitis, & vexationibus sibi factis coactus Nuncius Ap.* Cæsar Fachenettus fecerat, *& quædam verba, & clausulas apposuerat expeditionibus causarum & negotiorum, & præservaverat placitum regium, & laicale in actibus Ecclesiasticis* inconsulta S. Sede.

Quæ cum redundare possent in præjudicium S. Sedis, ea cassat Urbanus, neque ex iis exemplum desumi vult, ita esse exigendum a Nunciis. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die VI. Ap. P. a. XVIII. a. D. 1641.

Facultas datur Nuntiis in Hispaniis exercendi suam jurisdictionem extra ea regna.

II. B.R. t.6. p. 2. p. 319. C.C. URBANUS VIII. Nuncio Ap. ad Hispanos.

Inc. *Cum nos, &c.*

PRæter Ordinarium etiam Extraordinarium Nuncium miserat Urbanus in Hispaniam; quibus mandat,

Ut, si impediantur, quin exerceant suam jurisdictionem, vel expellantur a regno (erat enim suspicio, ne rex vellet defendere Ducem Parmæ pro Ducatu Castri) possint etiam extra ea regna, iter agentes jurisdictionem exercere; interdicere loca, Ecclesias, etiam capellas regias ambo simul vel singuli. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVIII. Feb. P. a. XIX. a. D. 1642.

DE

DE REGNO PORTUGALLIÆ.

Susceptio Portugalliæ Ducum in tutelam S. Sedis.

I. B.R. t.2. p. 283. C. C. LUCIUS II. Alphonso illustri Portugallensi Duci.

Inc. *Devotionem tuam, &c.*

LItteris, quibus Alphonsus (qui se cæteroquin in iis regem appellat, teste Ballutio qui illas affert) per legatum Apostolicum regnum suum obtulerat S. Sedi,

Et per Archiepiscopum Bracharensem promiserat, *& se, & successores suos de terra ipsa quatuor uncias auri annis singulis persoluturos Romano* Pontifici, per has respondet Lucius,

Se suscipere illum, & ejus heredes in protectionem ejusdem S. Sedis.

D. Later. Calendis Maji. a. 1144.

Alphonsus declaratur Rex.

II. Ib.p.456. C. C. ALEXANDER III. Alphonso illustri Portugallensium regi, ejusque heredibus in perpetuum.

Inc. *Manifestis comprobatum, &c.*

PEr *sudores multos bellicos, & certamina militaria inimicorum Christiani nominis intrepidus exstirpator, & propugnator diligens fidei* eo quod fuit Alphonsus, *regem cum integritate honoris* eum Alexander declarat, jubens, ut jure regio ipse, & ejus successores, omnes jurisdictiones, quas habet, teneat, concedensque perpetuum jus in eas terras, quas a Saracenis in libertatem vindicaverit.

Eum hortatur, ut præclaris meritis pergat porro captare sibi Ecclesiæ benevolentiam, & protectionem.

Marchas duas auri, quas Alphonsus annuatim se persoluturum S. Sedi fuerat pollicitus, jubet Alexander, ut singulis annis persolvat Bracharensi Archiepiscopo.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

an. 1179.

Reprehenditur Portugalliæ Rex.

III. Ex Raynaldo ad an. 1211. §. 11. INNOCENTIUS III. Portugalliæ Regi.

Inc. *Cum ad nos, &c.*

SIgnificat Regi Portugalliæ Sebastiano Pontifex, se accepisse, illum jura Ecclesiastica sibi usurpare.

Eum ergo monet ne illa usurpet; sicut enim Episcopi non violant jura regia, ita æquum est, regem jura Ecclesiastica non lædere; deterreatur exemplo Oziæ regis.

Desistat ergo, sibique persuadeat, Deum non esse laturum impune hanc injuriam sibi factam.

Demum eum monet Pontifex, se licet magno amore eum prosequatur, non esse neglecturum officium suum.

D. Later. VIII. Cal. Mart. P. a. XIV. a. D. 1211.

Ejusdem Regis confirmatur testamentum.

IV. Ib. §. 12. INNOCENTIUS III. Regi, &c.

Inc. *Is qui, &c.*

GRates sunt habendæ Deo a rege, quod dum corpus ægritudine affligit, ægritudines spiritales sanat; recogitantur enim ita anni in amaritudine, & sacrificium vespertinum Deo fit.

Interim corpore infirmus, sed mente sana testamentum fecerat, in quo multis locis piis, personisque religiosis pinguia legata facit, consulit filiis, filiabus, nepotibus, neptibusque, & de regno disponit; quod quidem testamentum confirmari a Pontifice desideravit.

Pontifex illud igitur perlegi sibi fecit, intellexitque omnia rite disposita, *exceptis iis, quæ de quibusdam monasteriis disponere præsumpsit, nisi forsan de jure intellexit patronatus, cum juxta canonicas sanctiones nulla sit laicis de rebus Ecclesiasticis disponendi attributa facultas.*

Testamentum ergo Innocentius approbat, & *juxta finale ejus dispositionis arbitrium observari præcipit.*

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Later. VI. Cal. Junii P. a. XIV. a. D. 1211.

Confirmatio tituli regii.

V. B.R. t.3. p. 1. p. 151. C.C. INNOCENTIUS III. Alphonso Portugallensi regi.

Inc. *Manifestis probatum, &c.*

IIsdem verbis, quibus Alexander concesserat, confirmat Alphonso regium titulum Innocentius.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Laterani per manum Joannis S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. S. R. E. Cancel. XVI. Cal. Maji Indict. XV. Incarn. Dom. an. MCCXIII. Pontif. vero D. Innocentii PP. III. a. XV.

Nova Confirmatio.

VI. Ib.p.194. C. C. HONORIUS III. Alphonso regi.

Inc. *Manifestis comprobatum, &c.*

ETiam Honorius iisdem verbis, quibus Alexander, confirmat Alphonso, ejusque successoribus regium titulum, & honorem.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Later. III. Id. Janu. P. a. II. a. D. 1218.

Ob violata Ecclesiastica jura coarguitur Rex.

VII. Ib. ad an. 1220. §. 50. HONORIUS III.

Inc. *Quod solita, &c.*

CAusam reddit Honorius cur Regem non salutet; quia nimirum ea patravit, quæ illum a communione fidelium separarunt. Ita se gessit, ut videatur neque Dei timorem, neque hominum reverentiam habere.

Tum ejus facinora enarrat; redegit sponsam Christi in servitutem, imposuit Ecclesiis, monasteriis, locis piis gravamina, fœdissimos adulterarum amores prosequitur, Bracharensem Archiepiscopum tyrannice divexavit, ejus Ecclesiæ bona diripuit, domos evertit, possessiones occupavit.

Tyranni hæc gesta sunt, non regis. Nullus ex antiquis regibus quid simile ausum fuisse legimus vel in veteri testamento, vel in novi monumentis.

E cœno ergo ubi jacet, se erigat; neque velit ulterius Ecclesiam Dei affligere.

Nisi ablata restituat, se jam, ait Pontifex, quibusdam prælatis facultatem dedisse eum solemniter excommunicandi, quam sententiam ipse confirmabit, solvet populos a fidelitatis juramento, regnumque dabit occupantibus.

D. Later. XI. Cal. Janu. P. a. V. a. D. 1220.

Monetur Rex ut se corrigat.

VIII. Ib. ad an. 1222. §. 40. HONORIUS III. Portugallensi spiritum consilii sanioris.

Inc. *Etsi venerabilis, &c.*

INjurias plurimas Bracharensi Archiepiscopo intulerat Rex; Archiepiscopi vicem dolet Pontifex, sed etiam consolatur se tamen, quoniam si patitur, quia patitur propter justitiam, utpote qui suæ defendit jura Ecclesiæ, conglorificabitur; sed magis dolet vicem regis, qui ex hac justi præsulis infectatione gravissimam pœnam a Deo expectare debet.

Atque utinam insanabilis regis plaga non fiat, quod maxime timendum est; nam victus humilitate Archiepiscopi non fuit, iteratis paternis Pontificis adhortamentis fractus non fuit; immo sævitiam sævitiæ addens in exilium pastorem expulit, & licet monitus, ita Honorio jubente, a quibusdam Episcopis, ut ab hujusmodi injuriis desisteret, desistere noluit. Præfati

Episcopi, ut jussi fuerant, Regem solemniter excommunicaverant, & potiusquam se rex emendaret, exceptiones quasdam frivolas, & inanes opponi fecit; & ad S. Sedem appellavit.

Quæ quidem appellatio nihil aliud significat, nisi velle se in proposito perdite persistere; quam pertinaciam gravissime Deum ulturum esse nemo est qui non videat.

Quamvis autem experientia doctus Pontifex viderit quam parvi Rex monitiones faciat, tamen eum monere vult, tum ne ipse desit officio suo, cum ut omnes mortales judicent illum inexcusabilem. Igitur redeat Rex ad cor, ne velit obfirmato animo in malo persistere.

Ipse enim faciet prædictas sententias frequentius publicare, donec condignam dederit Archiepiscopo, & aliis satisfactionem, & crescente contumacia excitabit in eum principes, quibus illius regnum dabit, solutis ab juramento fidelitatis populis.

D. Alatri XVI. Cal. Jul. P. a. VI. a. D. 1222.

Monita facienda Regi.

IX. Ad ann. 1217.§.10. HONORIUS III. Episcopo, Decano, & Cantori Zamorentibus.

Inc. *Carissimus in Christo, &c.*

PRæfatis viris mandat Honorius ut nomine Pontificis ita regem moneant: Quo plura, & majora quis a Deo beneficia accepit, eo gratior illi esse debet. Haud talis est Rex.

Magis indignantur homines cum offenduntur ab iis, quibus insigniora contulerunt beneficia: cum tot, taliaque rex a Deo acceperit, æquum est Deum maximopere contra illum irasci.

Si minimam earum injuriarum partem, qua Deum rex afficit, ab homine acciperet, excandesceret præ furore Rex. Ne putet igitur, Deum semper futurum patientem; erumpet ejus ira; væ autem Regi, cum erumpet!

Nulla potestati sæculari res Ecclesiasticas disponendi facultas est. Eam tamen sibi arrogat Rex. Si quis Archipresbyter moritur, ejus bona usurpat, substituit quem vult, interdum abjectum hominem, indoctum, improbum, sæpe aliquem de sua familia, qui ibidem residentiam non facit, neque ordinari curat. Mortuo Archipresbytero, inconsulto Episcopo commendat interim eam Ecclesiam cui vult.

Neque se excusare potest juris patronatus prætextu. Non enim omnes Ecclesiæ sunt ejus patronatus, neque ea quæ facit, patroni facere possunt.

Multum invehitur etiam Pontifex in regis perversos mores.

Eum igitur corrigant; & si se emendare noluerit, censuris Ecclesiasticis illum innodent.

D. Later. XV. Cal. Febr. P. a. XI. a. D. 1227.

Laudatur Portugalliæ Infans, quod opem ferre Ecclesiæ velit.

X. Ad ann. 1219.§.4. GREGORIUS IX. Petro Portugalliæ Principi.

Inc. *Quod inspirante, &c.*

AUdierat regius Infans bellum a Friderico Ecclesiæ indictum, ac proinde pericula eidem imminentia. Quare in ejus defensionem se obtulerat, promiseratque se venturum cum viribus in Italiam in Ecclesiæ propugnationem.

Laudat hac de causa Principem Petrum Gregorius; illique significat pertinaciam Friderici, qui obduratus in malo ipsam excommunicationem contemnit, ut ejus ictum non sentiat, nec præ confusione erubescat.

Ut igitur labores Petri, eorumque militum, qui una cum illo venient compenset Gregorius, remissionem peccatorum concedit & Petro, & militibus.

D. Perusii II. Non. Junii P. a. III. a. D. 1229.

Regis frater ob scelera in Ecclesiasticos patrata excommunicatur.

GREGORIUS IX. Archiepiscopo Toletano, & Episcopo Legionensi. XI. Ad ann. 1227.§.39.

Inc. *Lacrimabilem venerabilis, &c.*

SIgnificarat Egitanensis Episcopus Gregorio, fratrem Germanum Regis summa audacia e genere suo sumpta Ecclesias, & Ecclesiasticos viros lædere; devastasse bona Egitanensis Ecclesiæ posita in Diœcesi eadem, & Ulixbonensi, & omnes affines, consanguineosque suos gravissimis injuriis eum affecisse;

In castro Sanctaranensi quosdam Clericos in sacris constitutos regis scriptores se præsentem jussisse interfici; minitatumque esse se graviora illaturum aliis Clericis discrimina.

Ut igitur Princeps ab his facinoribus desistat, prædictis Prælatis Gregorius mandat, ut Principem, ejusque complices fautoresque excommunicent, eamque sententiam publicari faciant quousque dederit plenam satisfactionem;

Loca quo se ille, & hi contulerint, donec erunt excommunicati, interdicto supponant.

D. Viterbii III. Cal. Maji P. a. XI. a. D. 1237.

Admonetur Rex, ut acta contra Ecclesiam a se corrigat.

GREGORIUS IX. Regi, &c. XII. Ad an. 1238.§.49.

Inc. *Saluti tuæ, &c.*

JAm excommunicarant Archiepiscopus Bracharensis, aliique regni Episcopi justi a Gregorio Regem ob multa crimina patrata contra Ecclesiam, & Clericos. Sed Regi censuras spernenti, conversantique libere cum quibuscunque has litteras scribit,

Eo quod vult & regis saluti, & Ecclesiarum incolumitati consulere.

Eum igitur monet, ut nec per se, nec per suos officiales Ecclesiasticos infamet, eorum domos perfringat, & bona diripiat; ne impediat executionem sententiarum Archiepiscopi (*Bracharensis*) vel ejus officialium;

Ne intrudat in Ecclesias Clericos, vel ab iis removeat Canonice institutos, ne subjiciat Archiepiscopum, & Ecclesiasticos regiis bannis, & statutis, neque iis imponat *onera inhonesta*.

Sciat Rex, Pontificem dedisse Archiepiscopo Toletano facultatem censuris feriendi adversantes Apostolicis Imperiis, & subjiciendi interdicto Lusitaniam.

D. Later. XVIII. Cal. Maji P. a. XII. a. D. 1238.

Secundo etiam Gregorius admonuit, ne electum Ulixbonensem Episcopum persequeretur, ne ejus affines, & consanguineos in exilio retineret: litteræ incipiunt *si tua*, quæ quia sunt consimiles præcedentium, prætermittuntur.

Resipuit Rex.

De absolutione, & pœnitentia Ferrandi e Serpa Regis Fratris.

GREGORIUS IX. Episcopo Oxomensi. XIII. Ad an. 1239.§.61.

Inc. *Ad instantiam, &c.*

REspiciens frater Germanus Regis Ferrandus e Serpa dictus suorum criminum multitudinem & magnitudinem iter Romam versus arripuit, projecitque se ad Pontificis pedes, veniamque exposcit.

Pontifex jussit illum absolvi, dato prius a Ferrando juramento se restituturum quæcumque abstulisset, vel ablatorum pretium daturum; se non offensurum Episcopum Ulixbonensem, nec ejus consanguineos, & officiales, nec usurpaturum bona Ecclesiarum, aut earum jura læsurum.

Hanc autem pœnitentiam illi Pontifex injunxit: per totam quadragesimam progressus in patriam *non radat barbam, caput non abluat, indumenta de serico, vel scarlato, aut aurifregiata non portet: non intret Ecclesiam*, sed missam audiat ante fores usque ad diem cœnæ Domini, quo die introducatur ab Episcopo, & *abluat*

abluat decem pauperibus pedes, & de simili panno vestiet. Per totam eam quadragesimam reficiat ad mensam suam quinque pauperes; omnibus feriis sextis ejusdem solus comedat contentus uno ferculo, & uno servitore; si volet plures cibos edere, totidem pauperes eo die nutriat. In Parasceve per omnes Ecclesias loci, in quo erit, discalceatus visitet, die sabbati subsequentis caput abluat, & barbam radat. Per annos septem feriis sextas, quatuor tempora, litanias, omnes B. Virginis, & omnium Apostolorum, sanctorumque vigilias ab Ecclesia constitutas jejunet.

Omni tempore vitæ suæ in die sabbati carnes non comedat, nisi forte natale Domini in eo die interveniat, vel ipsum gravis necessitas ad id cogat. Apud Sanctarensem Ecclesiam, ubi Clericos præcepit interfici a monasterio fraterno Prædicatorum per hospitale S. Joannis ad Ecclesiam S. Mariæ de Alcaceva ejusdem castri in tunica, & supertunicali cum corrigia ad collum pedibus nudis incedens in ostio hujusmodi Ecclesiarum ab aliquo Sacerdote dum cantabitur miserere mei, *infra octo dies postquam ad illud castrum pervenerit, se verberari faciat.*

Viginti Christianos intra triennium a Saracenorum captivitate liberet; nunquam Saracenis contra Christianos auxilium præstet, sed potius ipse in Hispania, *& specialiter in frontaria Regni Portugalliæ Sarracenos expugnare procuret.*

Hanc pœnitentiam significat prædicto Episcopo Gregorius, ut eam observet an Ferrandus faciat.

D. Later. XIII. Cal. Janu. P. a. XIII. a. D. 1239.

„ Fuit Ferrandus strenuissimus miles, meruit benefi-
„ ciis a S. Sede ornari, quæ illum, ejusque bona in
„ suam protectionem recepit, omnia loca, quæ recu-
„ perasset a Saracenis ei concessit, cruciatas publica-
„ vit, cum indulgentiis, ut validum exercitum habe-
„ ret: sæpe cum Mauris conflixit, eosque superavit.

Sanctius Rex de inertia reprehenditur.

XIV. Ad ann. 1255.§.6. INNOCENIUS IV. Regi illustri, &c.

Inc. *Inter alia, &c.*

JAm a prædecessore Gregorio correctus Sanctius fuerat, ne auctoritate regia abuteretur in usurpandis juribus Ecclesiarum, & bonis, in afficiendis Sacerdotibus injuriis.

Præter hæc habebat etiam aliud vitium, nempe summam inertiam, per quam fiebat ut officiales omnia agerent, ut facinorosi omnia auderent, & infandis patratis tamen essent impunes.

Liberum erat cuique facere quod volebat, jura divina, humanaque violare, aliena rapere, vim inferre, homicidia facere, quin jus diceretur. Læsi non audiebantur, irridebantur eorum clamores, libelli supplices non legebantur; neque solum fiebant mala, sed etiam malæ sententiæ a veritate catholica alienæ disseminabantur per regnum; nullum denique discrimen erat laicos inter, & Ecclesiasticos viventes hos, illosque ad libitum suum, quin Rex remedium ullum tot morbis apponeret.

Rapinæ, raptus incestus, illicita commercia cum mulieribus solutis, vel conjunctis, cum Monialibus etiam fiebant quotidie, Ecclesiarum, cœmeteriorum, monasteriorum cujuscunque sexus violationes pro nihilo ducebantur. Delata ad regem hæc, & his similia ridicula habebantur.

Comitia autem regni nullus miles custodiebat, ita ut liberum Saracenis esset in illud ingredi prædas in eo facere, & versare, quin quisquam sese opponeret.

Fuerat rex de tanta negligentia increpitus a regni præsulibus, sed tamen inertiam non excussit

Paterno igitur affectu super tam miserabili statu eidem regno condolens, Regem monet, ut tandem aliquando consideret, se constitutum fuisse a Deo regem non ut otietur, sed ut mala de medio tollat, ut bona opera promoveat; consideret qualem rationem de tam malo regimine sit Deo redditurus; sciat culpas subditorum populorum non punitas ipsi adscribendas esse, & pro iis se esse daturum pœnas.

Si adhuc non se excutit, Sedes Apostolica illa consilia inibit, quæ ad salutem ejus, ad incolumitatem regni spectare posse crediderit.

Eum Pontifex monet, se scripsisse Episcopis Coimbrienſi, & Portugallensi, & Priori FF. Prædicatorum Coimbriensium, ut opera illius observent, ut omnia scribant, & ad Concilium mittant, quicum deliberabit Pontifex, quid sit de rege agendum, ut universo regno consulatur.

D. Lugduni XIII. Cal. Apr. P. a II. a. D. 1245.

Depositio regis, jussioque, ut alius eligatur.

INNOCENTIUS IV. Militibus, & populis per regnum Portugalliæ constitutis. XV. D. R. t. 3. p. 1. p. 303. C. C.

Inc. *Grandi non immerito, &c.*

POrtugalliæ rex ab infantia sua patre orbatus Ecclesias, & Monasteria vexare cœpit exactionibus, talliis, & Ecclesiasticos immaniter affligere.

Prælati ob hanc violationem Ecclesiasticæ libertatis confugerunt ad Gregorium, qui cum eum paterne sæpius admonuisset frustra, tandem censuris illigavit.

Pollicitus est rex, se obtemperaturum Pontifici, & congruam satisfactionem Ecclesiæ daturum. Fuit ergo absolutus; at promissis non stetit.

Etiam negligens, & dissolutus in negotiis regni causa fuit, cur populi damna multa perferrent; discordias inter subditos fovit nobiles inter, & ignobiles; hinc violationes Ecclesiarum, Cœmeteriorum, factiones, cædes, direptiones.

Pontifex censuit eum iterum admonere, ut se corrigeret, mandavitque Episcopo Colimbrienſi, & Portugallensi, ut eum ad meliorem frugem reducerent, vel si non possent, processum facerent, & Romam mitterent (illud enim regnum *censuale* erat S. Sedis.)

Cupiens itaque Innocentius, regnum illud florere, hortatur milites, & populos, ut comitem Bolonienſem eligant in regem, cui præstent obedientiam, rege summoto.

Per hoc tamen nullam inferri vult injuriam regis filio, qui per jura sanguinis in regnum succedere debet.

D. Lugd. VIII. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1247.

Minitatio Regi facta, ni se corrigat.

INNOCENTIUS IV. ad p. r. m. XVI. B. R. t. 3. p. 2. p. C. C.

Inc. *De regno, &c.*

QUæ egerit Innocentius, ut in proxima præcedenti constitutione, repetitis, Alphonsus Bolonienſis comes in regem assumptus opera Innocentii loco regis Sancii depositi licet juraſſet, se emendaturum, quæ Frater Sancius male egerat contra Ecclesiasticam libertatem, tamen patravit pejora.

Gregorius per litteras sæpe eum paterne monuit, ut esset gratus Ecclesiæ, cujus opera assumptus ad regnum fuerat, ut meminisset sui jurisjurandi. Misit etiam, qui regi denunciarent interdictum totius regni, nisi post septem menses male patrata correxisset.

Rex promittebat, se obtemperaturum mandatis Pontificis, sed alias ex aliis excusationes nectens nihilo secius in pejora ruebat.

Pontifex dissimulare non potens hæc a rege juribus Ecclesiasticis intentata præjudicia, mandat *de plenitudine potestatis* regi, ut juret se obedientiam præstiturum jussibus Pontificiis, se adimpleturum, quod præceperant Pontifices Honorius, & Gregorius IX. & se facturum, quod juraverat Parisiis, & solemni stipulatione confirmet juramentum.

Mandat etiam, ut omnes Barones, quos assumet ad officia regni, jurare faciat, antequam executionem officiorum iis demandet, *quod ipsi non erunt in consilio, auxilio, vel favore, quod dictus rex, vel aliquis de suis contra prædictas provisiones, & contenta in forma ipsius juramenti aliquod faciat.*

Ipse rex corporaliter faciat juramentum, se non læsurum Ecclesias, personas Ecclesiasticas; *remittat Prælatis, & eorum familiis omnem rancorem.*

Si rex post tres menses a receptione hujus promissa, & jurata non præstiterit, subjicientur ejus loca, in quibus moratur, interdicto; *& si infra unum mensem post prædictos tres, & successores ejus post annum* hæc adimplere neglexerint, sint excommunicati. Si per unum alium mensem post illos quatuor obdurarit, &

Algarbiorum & Portugalliæ regnum interdicetur; si per alios tres menses parere recusaverit, subditi soluti a juramento alium regem eligant.

Regi hæc omnia jura præstanti qui non paruerint, Clerici amittant sua beneficia, Laici excommunicentur.

Nulli ergo &c. Si quis &c.

D. Bellicadri II. Non. Sept. P. a. IV. a. D. 1248.

Corripitur Rex Portugalliæ Alphonsus.

XVII. Ad an. 1268. §. 38. CLEMENS IV. Alphonso &c.

Inc. *Olim ad nos, &c.*

GRaviſſimæ querelæ delatæ de rege Alphonso ad Clementem fuerant,

I. Illum res alienas tuæ communitatum, cum privatorum rapere, & suas facere pro arbitrio, quin justam pretium solvat, minitari etiam possessoribus, si mussitare audeant,

II. Cogere per vim, & per carceres mercatores, ut mutuum sibi dent, quod tamen nunquam exsolvebat,

III. Viduas, filias honestas, & nobiles etiam inscias, & interdum invitis parentibus conjungere in matrimonium cum viris vilibus, & infamibus, ita cogere filios ducere meretrices, & feminas vulgares;

IV. Laicis ipsum jubere ut habitum clericalem assumant, iis, qui illum assumpserunt, jubere ut deponant, velle Episcopis dare Ecclesias regendas his, illis, alios e datis Ecclesiis expellere.

Hæc, & alia multa regem facere scripserant Episcopi ad Pontificem.

Pontifex, laudato prius voto a rege edito de expeditione in Terram Sanctam, eum monet, ne hæc faciat; eum debere agere omnia juste, & recte, satis esse debere illi si regat bona sæcularia, Ecclesias relinquat regendas Ecclesiasticis, matrimonium debere esse liberum, ita fuisse institutum a Deo.

D. Viterbii II. Cal. Aug. P. a. IV. a. D. 1268.

Alia flagitia regi exprobrantur.

XVIII. Ad an. 1273. §. 25. GREGORIUS X. Regi &c.

Inc. *Scire debes, &c.*

Libertate convulsa sceptra regalia tenere non possunt firmitatem. Cum enim eadem libertas sit Catholicæ fidei munimentum, & fidei religio societatis humanæ sit vinculum, quo populorum multitudines sub principibus continentur, libertatis ipsius privilegio violato perfidiæ patebit insultibus immunitum fidei fundamentum.

Hoc fundamentum in Portugalliæ regno jam sublatum est. Libertas enim Ecclesiastica prorsus periit; Episcopi enim coguntur ad Ecclesias eligere non quos vellent, & justitia postulat, sed quos rex jubet, exercere munia sua libere non possunt, volentesque illa exercere spoliantur bonis, pelluntur in exilium, afficiuntur injuriis.

Etiam Regii Ministri hanc sibi auctoritatem usurpant, bonis Ecclesiarum potiuntur, ut nullam rationem habeant æqui, iniquive, ut omnia ad libidinem suam peragant.

Rex Judæos, aut Saracenos, qui baptisma acceperunt, non permittit christianam religionem profiteri; non patitur Judæos, & Saracenos e possessionibus suis solvere, ut mos est ubique gentium, Parochis decimas, partem fructuum ex bonis Ecclesiarum *nomine justæ* sibi dari vult.

Multaque alia patrat in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ, & subditorum.

Eum ergo paterne monet Gregorius, ne hæc Rex faciat, ut quod suum non est, ne tangat, ut restituat exules Episcopos, ut liberum Christianæ religionis cultum permittat.

D. apud Urbem Veterem V. Cal. Junii P. a. II. a. D. 1273.

Decreta de Regno Portugalliæ.

XIX. Ad an. 1275. §. 21. GREGORIUS X. ad p. r. m.

Inc. *De regno, &c.*

PErgebat Rex Alphonsus ecclesiastica jura, ecclesiasticorumque libertatem opprimere. Illa igitur, & hos defenturus Gregorius hanc Bullam edit, in qua repetit omnia, quæ in Superioribus Bullis continentur.

De Sanctio rege a Gregorio IX. admonito, & ab Innocentio IV. a regni administratione remoto;

De substitutione Alphonsi in administratorem regni, qui tunc erat Bononiæ comes, qui jam Rex declaratus Ecclesias vexare cœpit, & perturbare Ecclesiasticos;

Hunc Alphonsum Gregorius monuit monitum jam antea a Clemente IV. ne Ecclesiarum bona usurparet, ut juste regnum administraret.

Cum ergo parum hæc profuerint, vult Gregorius, ut solemniter juret, firmetque juramentum stipulatione quod regibus prædecessoribus observandum Pontifices præscripserunt, se observaturum, restituturumque ablata.

Vult, ut omnes qui assumentur ad aliquod officium, jurent se servaturos idem juramentum de non vexanda Ecclesia, & Ecclesiasticis;

Promittat Rex, se non læsurum Episcopos, a quibus apud Pontificem fuit accusatus, nec per se, nec per alios; idque juramento firmet,

Nisi intra tres menses, postquam hæc ordinatio ad ipsum venerit, prædicta omnia compleverit, & ejus successores infra annum, & omnia loca, in quibus ipsi committentes fuerint, sint interdicto supposita.

Quod si rex distulerit per alium mensem jurata complere, sit excommunicatus; si vero per alium etiam mensem negligat, universum regnum Portugalliæ & Algarbii sit interdictum. Sin autem per alios tres hæc promissa non adimpleverit, censeantur subditi a fidelitatis juramento soluti.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Belliquardi II. Non. Sept. P. a. IV. a. D. 1275.

Superveniente Gregorii morte, Bulla hæc non fuit in Portugalliam missa.

De sua electione in Pontificem, & de Ecclesiæ libertate.

JOANNES XXI. Regi Portugalliæ. XX. Ad an. 1277. §. 12.

Inc. *Jucunditatis, &c.*

LUsitanus erat Joannes, Petrus Juliani ante dictus Tusculanus Episcopus.

Jam credit Joannes famam de sua electione in Pontificem perveniſſe ad Regem, lætatumque de hoc nuntio fuisse regem.

Etsi pondus ingens humeris suis fuerit impositum, tamen gaudet illud subiisse Joannes non alia de causa, nisi quod amorem suum Regi testari potest. Pater quidem omnium regum communis est, *nam ad illum nativi etiam soli materia zelum sinceræ caritatis accendit, & ad personam regiam summis favoribus confovendam virtus originis eum inducit.*

Sibi ergo rex persuadeat, se ab Joanne amari. Non ideo tamen suspicetur Rex, velle se jura regis lædere, quia jubet quosdam minus canonice in Ecclesiis institutos destitui, conscientia urgente. Nam cum debeat esse custos vineæ Domini, nulla regio esse debet, in qua desideret cultum integriorem Deo dari, præstarique legitimum famulatum quam in Portugalliæ regno patria sua.

Et si quispiam rex est, quem salvum Pontifex velit enixius, est Portugalliæ Rex; optaret proinde, eum sectari virtutes, eum tueri Ecclesiæ jura, eum impollutam administrare justitiam, per quam sibi conciliaret amorem populi, admirationem Regum, mereretur ab omnibus celebrari.

D. Viterbii V. Non. Mar. P. a. I. a. D. 1277.

Quidam prælati jubentur suadere Regi Dionysio, ut se æquitati accommodet.

MARTINUS IV. Episcopo Legionensi, Decano, & Archidiacono de Ledesma Salamantic. XXI. Ad an. 1284. §. 26.

Inc. *Ex parte, &c.*

JAmdiu in Portugallia labefactata erat Ecclesiastica libertas; ad eam recreandam contentiones haburat Clemens IV. cum Alphonso Dionysii regnantis patre; etiam Gregorius IX. ut eam restitueret, multa statuerat (*v. omnia supra*). Verum recrudescente dissensione confectæ sunt leges in publico ordinum conventu, quæ fuerant pleræque confirmatæ a Pontificibus. Supererant tamen octo articuli ex iis, quos præsules regni obtulerant Pontifici, quos cum emendasset Martinus, eos ad Dionysium mittit, ut eorum confirmationem ab A. Sede postularet.

Ad eas leges approbandas inductus fuerat Dionysius interdicto, cui subjectum regnum fuerat usque a tempore Gregorii X. ob non servata mandata ab illo edita in sua constitutione *de regno* v. supra.

His ita enarratis prædictis prælatis, mandat iis Martinus ut Regem movere curent, ut se æquitati accommodet, ut sciat se quidem esse Regem sed non debere esse tyrannum, se indigere ecclesiasticis, sicut ecclesiastici indigent illo; Si quisque privatus ea quæ sancte promisit, integre servare debet, multo magis reges.

Ei suadeant ut octo articulorum correctorum a Pontifice confirmationem petat, quam Pontifex apponet.

Mittit etiam ad eosdem prælatos Martinus formulam, qua uti debeat Rex in petenda confirmatione.

D. apud Urbem Veterem VIII. Cal. Apr. P. a. IV. a. D. 1284.

Confirmatio prædictorum articulorum.

XXII. Ad an. 1289. §. 32. NICOLAUS IV. ad p. r. m.

Inc. *De Fratrum, &c.*

ACceptarat Lusitaniæ Rex articulos; & popoſcerat a Pontifice confirmationem.

Statuta igitur pax inter Regem, & Clerum fuerat; quæ ne unquam violaretur jam confirmata a Pontifice, has pœnas violatoribus Nicolaus denuntiat;

Si rex, aut aliquis ejus successorum aliquem ex conventione inita articulum fregerit, vel aliquis officialis, & admonitus ab Ordinario loci, in quo læsio facta est infra menses duos non emendarit, capella regis interdicatur; & prima monitio facienda ab Episcopo, vel ejus Vicario, vel Capitulo fiat de consensu Archiepiscopi Bracharensis;

Si per alios duos menses distulerit rex emendationem, loca, in quæ devenerit, interdicantur, & si admonitus per alios duos menses distulerit, excommunicetur;

Et hæ monitiones faciendæ intra prædictos terminos duorum mensium fiant in scriptis.

Si ita monitus rex noluerit resipiscere, regnum universum interdicatur, & subditi solvantur juramento. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. Non. Maji P. a. II. a. D. 1289.

Lusitani populi absolvuntur a Censuris.

XXIII. Ib. §. 48. NICOLAUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Jacobis dicti, &c.*

OMnes illi officiales, subditique qui e regis partibus fuerant, in excommunicationem incurrerant. Cum pax facta sit, Nicolaus

Facultatem iis dat omnibus & singulis absolutionem a censuris petendi a suis ordinariis, vel ipsis absentibus, ab eorumdem Vicariis, vel Sede Episcopali vacante, a Vicario capitulari.

Datum ut supra.

Castigatur regius Infans, quod arma contra Patrem sumpserit.

XXIV. Epist. Joan. 76. JOANNES XXII. Alphonso Dionysii regis primogenito.

Inc. *Etsi nos, &c.*

STephanus Ulixbonensis Episcopus causa dicebatur domesticæ discordiæ Dionysium patrem inter, filiumque Alphonsum; Quem Episcopum graviter reprehenderat Joannes motus regis precibus; sed cum nemo eum accusasset, punire non potuit.

Arma igitur in patrem filius moverat, quæ ut deponeret, hæc illi scribit Pontifex;

I. Indecorum esse filium causam esse separationis virum inter & uxorem, matris a patre;

II. Abominabile esse molestare patrem, aut irritare; & sicut palmes segregatus a trunco cito arescit, ita filium sejunctum ab obedientia, & reverentia in patrem fieri diaboli filium;

III. Honorandos esse genitores, quia illis tanquam instrumentis usus Deus est, ut in hanc lucem emitteremur,

IV. Jubere Deum honorare parentes, & eos honorantibus longitudinem dierum promittere;

V. Videat ne regnum, in quod post patrem succedere debet, Deus non faciat imminui in ejus pœnam.

D. Aven. XII. Cal. Apr. P. a. V. a. D. 1318.

„ Causa dissidii hæc fuit: habebat Dionysius filium „ nothum Sanctium, qui amabatur a Patre ita, ut ille „ omnia peragret. Graviter id tulit Alphonsus. Cum „ vero scivit, patrem Dionysium curasse regnum de„ ponere, & illud Sanctio tradere, Conimbiam atque por„ tumque occupavit. Fovere discordiam præfatus Epi„ scopus dicebatur. Elisabeth Regina, postea Sancta, „ pacem inter virum, natumque conciliavit.

Testatur Pontifex, se non fuisse requisitum a Rege Dionysio, ut transferret regnum in Sanctium.

JOANNES XXII. Patriarchis Arch. Episc. &c. XXV. Ad an. 1320. §. 32.

Inc. *Nuper ad aures, &c.*

PErcrebuerat rumor, regem Dionysium supplicasse Pontifici, ut sibi liceret transferre regnum in Sanctium filium suum nothum; ex quo rumore tanto magis accensus est ira in patrem legitimus filius.

Ut eam mitiget, Joannes scribit omnibus illius regni prælatis, regem Dionysium nunquam ab A. Sede quicquam simile postulasse.

Orat, eos, ne id credant.

Imo persuadeant populis Alphonsum esse verum, legitimumque regni successorem, illique a Sanctio esse parendum.

D. Avin. IV. Id. Sept. P. a. V. a. D. 1320.

Absolutio Regis demandatur Episcopo Ulixbonensi.

JOANNES XXII. Gandislavo Ulixbonensi Episcopo. XXVI. Ad an. 1323. §. 37.

Inc. *Cum nos, &c.*

REx Dionysius ut publicæ quieti consuleret, quosdam Clericos, & Fratres eam perturbantes, vel aliorum criminum reos in carcerem conjici jusserat, & de eorum criminibus cognoscere voluerat.

In censuras inciderat ob articulos pacis, de quibus supra memoriam fecimus.

Pœnitens postea veniam, absolutionemque a Pontifice petiit;

Qui dat facultatem prædicto Episcopo Regem absolvendi, *recepta ab eodem prius cautione juramenteria, quod talia, vel similia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ non committet.*

Injungat eidem salutarem pœnitentiam quam si peragere recusabit, in easdem censuras recidat.

D. Avin. III. Cal. Junii P. a. VIII. a. D. 1323.

Consolatur Pontifex Reginam de morte viri Regis Dyonisii.

JOANNES XXII. Elisabethæ Reginæ Portugalliæ. XXVII. Ad an. 1325. §. 16.

Inc. *Licet carissimi, &c.*

MOrtuus fuerat Dionysius Rex, cui successit filius Alphonsus cognomento fortis. Antequam moreretur, adeo effecit Sanctissima uxor, ut amandatis amoribus, quibus deditus maxime antea fuerat, gravissime se pœniteret.

De hoc se consolari Reginam, scribit eidem Joannes, debere, quod sperare licet Dionysii pœnitentiæ rationem Deum habuisse, illique dedisse æternam gloriam &c.

D. Aven. Cal. Mar. P. a. IX. a. D. 1325.

Facul-

Facultas datur Reginæ Elisabethæ construendi hospitale.

XXVIII. Ad an. 1317.§.42. JOANNES XXII. Elisabethæ Reginæ &c,

Inc. *Petitio tua*, &c,

MOrtuo viro cupido incesserat Elisabetham ingrediendi in Monasterium, quod pro Monialibus Ord. Clarissarum construi fecerat apud Colimbriam privatisque suis bonis dotarat; & amplas domos ædificari ibidem mandarat in quibus viveret ipsa cum sua familia; avebatque prope domos erigere hospitale *pro alimentandis* pauperibus, dotandum bonis suis; supplicavitque Joanni, ut hæc omnia confirmaret.

Laudato sanctæ reginæ consilio, annuit ejus precibus;

Concedit ipsi, ut juxta hospitale construere possit Capellam, in qua sint duo altaria, unum ad honorem B. Claræ, alterum S. Elisabethæ, & ut unus, vel duo Capellani instituantur ibidem servituri, per illam, & ejus successores præsentandi Diœcesano, qui pauperibus, & familiaribus hospitalis sacramenta ministrent, & dotem sufficientem ad arbitrium Diœcesani assignet;

Diœcesanus in loco opportuno cœmeterium benedicat, in quo pauperes, & familiares sepeliantur, *jura parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo.*

D. Aven. VI. Cal. Nov. P. a. XII. a. D. 1327.

Exigitur annuus census.

XXIX. Ad an. 1338.§.27. BENEDICTUS XII. Portugalliæ regi.

Inc. *Cum sicut*, &c.

CUm ab Alexandro III. Alphonsus fuit declaratus Rex quatuor uncias auri se soluturum annuatim Ecclesiæ pro terris, quas tunc habebat, & habiturus esset, spopondit.

Post Concilium Lateranense censum amplificavit, redegitque *ad duas marchas auri purissimi.*

Quare orat Benedictus regem, ut, si consulere animæ suæ saluti velit, hunc censum det Archiepiscopo Bracharensi nomine Pontificis.

D. Aven. II. Cal. Dec. P. a. IV. a. D. 1338.

Gratulatio de parta victoria, hortatio ad bellum prosequendum.

XXX. Ad an. 1341.§.3. BENEDICTUS XII. Portugalliæ Regi Alphonso.

Inc. *Habes procul dubio*, &c.

SIgnificarat Pontifici Alphonsus se ingentes Saracenorum copias fudisse, & nobilem retulisse victoriam: eos tamen copias novas contrahere, & bellum redintegrare.

Gratulatur regi de obtenta victoria, quæ efficiet, ut catholica dilatetur magis religio,

Tum eum hortatur, ne ab armis cesset; Deus ille, qui ei victoriam ejusmodi dedit, dabit & alias.

D. Avenione XVII. Cal. Junii P. a. VIII. a. D. 1341.

Sacerdotiorum decimæ in usus belli conceduntur regi.

XXXI. Ib. §. 4. BENEDICTUS XII. regi &c.

Inc. *Venerabilis Frater*, &c.

MIserat Rex duos oratores ad Pontificem, qui peterent ab illo decimas beneficiorum in Portugalliæ, & Algarbiæ regnis existentium insumendas in bello contra Mauros suscepto.

Hi exposuerunt Pontifici regum Lusitanorum præclara gesta;

De Dionysio autem Patre Alphonsi narrarunt, cum vidisset, nullam potiorem esse rationem Mauros ex Algarbiorum regno expellendi, quam classem maritimam parare, eam parasse; Admiratum magni nominis eidem præfecisse, & aliquot victorias retulisse e Mauris; eo defuncto, Alphonsum Filium patris vestigia sequutum majorem comparasse classem, jussisse ut exercerentur sui subditi, qui jam ita rem maritimam callent, ut nulla sit natio, quæ illos vincat maritima in scientia;

Afros hoc apparatu territos multa, & magna dona ad eum misisse, ne se moveret dum bellum gerunt contra Alphonsum Castellæ regem; sed regem ea munera remisisse, & bellum in Mauros parare, ut eos ex Algarbiis expellat omnino;

Sed cum plurimæ impensæ sint faciendæ, nec redditus consueti regni iis faciendis sufficere possint, supplicarunt Pontifici, ut Regi concederet exactionem decimarum ex omnibus regni beneficiis.

Pontifex relatis regis quæ dixerunt oratores, duxit admittendas regis preces.

Quare mandat per illius regna crucem prædicari cum solitis indulgentiis concessis euntibus in expeditionem sanctam, illique decimas ad biennium colligere permittit;

Vult in recuperatis terris erigi Ecclesias &c.

D. Aven. II. Cal. Majii P. a. VII. a. D. 1341.

De violata libertate Ecclesiastica corrigitur Rex.

CLEMENS VI. Alphonso Regi Portugalliæ. XXXII. Ad an. 1350.§.44.

Inc. *Quanto devotioni*, &c.

ACceperat Pontifex, in Portugalliæ regno violari Ecclesiasticam libertatem, & si quis prælatus violatoribus excommunicationem inflixisset, statim ac appellabant, jubere regem, eos non haberi excommunicatos, sed libere posse cum quibuscumque versari.

De hoc queritur Pontifex apud Regem, eum increpans, quod a suorum majorum pietate deflectat,

Quod tam parvi censuras Ecclesiasticas faciat,

Eumque monet, ut se corrigat.

D. Aven. XVI. Cal. Sept. P. a. IX. a. D. 1350.

Consolatur Petrum Pontifex de morte Patris.

INNOCENTIUS VI. Petro Lusitaniæ regi &c. XXXIII. Ad an. 1357.§.11.

Inc. *Claræ memoriæ*, &c.

MOrtem Patris sui Alphonsi significarat Pontifici Petrus, suamque successionem in regnum, obsequiumque suum in illum, & Romanam Ecclesiam fuit testatus.

Illum consolatur Pontifex de jactura Patris facta, qui cum princeps pius fuerit, jam sperare licet, eum nunc suarum virtutum præmio in altera vita frui;

Eum hortatur, ut illius documenta in mente habeat, ejusque vestigiis insistat; & quædam præcepta illi dat de regno bene administrando.

Illi gratias agit de propensa in Ecclesiam voluntate, quam ut semper servet, eum rogat.

D. Aven. X. Cal. Aug. P. a. V. a. D. 1357.

De morte Regis Petri, & monita,

URBANUS V. Ferdinando &c. XXXIV. Ad an. 1367. §. 19.

Inc. *Serenitatis tuæ*, &c.

„ MOrtuus fuerat Petrus cum annos decem re-
„ gnasset, optimus princeps, qui dicere so-
„ lebat *reges non esse reges quo die nullum beneficium*
„ *fecissent.*

Ejus filius Ferdinandus ad Pontificem oratores misit cum amplis oblationibus semet excusans quod tardius hoc faceret.

Respondet illi Urbanus, se magnopere commendare Regis zelum in Religionem; eum habere in Patre pulcherrimum exemplar, quod imitetur;

Se gratulari de ejus successione in regnum,

Quod optime reget, si Deum timebit, si omnia opera sua ad Dei gloriam referet, si fidem Catholicam illibatam custodiet, si gladio ad puniendos malos ad præmiis afficiendos bonos utetur, si Ecclesiam proteget.

D. Romæ apud S. Petrum III. Cal. Dec. P. a. VI. a. D. 1367.

Manda-

Mandatur omnibus, ut Joanni pugnaturo contra Afros assistant.

XXXV. Ad an. 1418.21. MARTINUS V. Patriarchis, Episc. &c. fidelibus ubilibet constitutis, &c.

Inc. *Sane carissimus*, &c.

REx Joannes, cujus grande elogium facit Martinus, jam eripuerat e Saracenorum manibus Ceptam (*Ceuta*) volebatque victorias protendere, & in occupatis terris Catholicam fidem prædicari.

Laudat pium hoc Martinus consilium, & ut exitus felices habeat, omnibus regibus, & principibus mandat, ut illi assistant,

Id mandat etiam Ecclesiarum præsulibus, quos jubet in suis diœcesibus quemque hortari populos suos, ut crucem sumant lucraturos easdem indulgentias, quæ euntibus in Terram S. datæ fuerunt;

Etiam immunitates, gratias, privilegia vetera, quæ iisdem crucesignatis dederunt Pontifices, dat his assistentibus Regi Martinus.

Sacerdotibus autem dat facultatem absolvendi plenarie hos crucesignatos, injuncta iis salutari pœnitentia.

D. Constantiæ II. Non. Apr. P. a. I. a. D. 1418.

„ Alia bulla simili an. sequenti excitavit ad idem
„ opus fideles Martinus; ad an. 419. §. 8,

Moneatur Rex, ne jura Ecclesiastica perturbet.

XXXVI. Ad an. 1417.§.19. MARTINUS V. Fernando Archiepiscopo Bracharensi.

Inc. *Non sine*, &c.

RElatum Pontifici fuerat;

I. Regem Joannem *multis, & diversis modis vexare Ecclesias, & personas Ecclesiasticas ei imponendo leges, pœnas, atque gravamina, tanquam sibi liceat uti potestate regia in prælatos, & clericos, tanquam in laicos suæ ditioni subjectos, & omnino libertatem Ecclesiasticam opprimendo; nam collectas, & taleas, & alias impositiones, decimas nuncupatas, & certam argenti, & panis, & vini quantitatem auctoritate propria, sine Sedis A. licentia imponere non cessat Ecclesiis, & personis iisdem;*

II. *Eum in causis criminalibus trahi facere Clericos etiam in Sacerdotio constitutos de foro Ecclesiastico ad judices sæculares, & per eos condemnari, atque puniri.*

III. Eum prohibuisse, *ne Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ acquirere, & retinere possint bona immobilia ipsis legata,*

IV. *Et occupare, per officiales facere dominia, terras, possessiones, & bona per Ecclesias justo titulo possessa velut sibi pertinentia jure regali,*

V. Eum mandasse, *ne quis audeat sine ipsius regis licentia sub pœna mortis, & perditionis bonorum in dictis regnis litteras Apostolicas publicare.*

Quæ si vera sunt, miratur Martinus, Regem Catholicum ea facere, & prælatos hæc silentio præterire.

At Pontifex mandat prædicto Præsuli, ut ipse cum suis suffraganeis, & cum Capitulo suæ Ecclesiæ suscipiat hanc causam in Romana Curia defendendam, *sicut ex pontificali officio adstrictus est, & ad curiam ipsam pro ipsius causæ prosequutione communibus consilio, & expensis usque ad menses ... a receptione præsentium computandos personas idoneas transmittat sub excommunicationis pœna.*

Significat eidem prælato, se scripsisse regi, ut ipse quoque Procuratores suos ad Curiam mittat pro hac causa.

T. desunt notæ Chronologicæ.

Insulæ Canariæ quomodo adjudicentur Regi Portugalliæ.

XXXVII. Ad an. 1436.§.24. EUGENIUS IV. Eduardo Portugalliæ Regi.

Inc. *Dudum cum*, &c.

MIserat Portugalliæ Rex oratores suos ad Eugenium ut ab illo peterent confirmationem Urbis Ceptæ captæ ex Afris, & acquisitionem Insularum Canariæ, quæ ad nullum Christianum principem pertinebant.

Utrumque postulatum confirmarat Eugenius.

Sed Rex Castellæ, & Legionis graviter de Pontifice conquestus est; spectare clamitans ad se Africæ, & Insularum Canariæ *conquestam;* cui respondit Eugenius, se non intellexisse per litteras Regi Portugalliæ concessas jus ullum in eas insulas dedisse in præjudicium alterius.

Hæc ideo Eugenius Regi significat, ne ex his concessionibus pax, quæ inter reges est, turbetur.

D. Bononiæ. Desunt notæ.

Ne Ecclesiasticam immunitatem Rex violet.

EUGENIUS IV. Eduardo &c. XXXVIII. Ib.§.28.

Inc, *Nonnullorum querelis*, &c.

DElatæ fuerunt hæ contra Regem ad Pontificem querelæ,

I. Illum jussisse, ut sui ministri examinarent censurarum sententias pronuntiatas ab Ecclesiarum prælatis,

II. *Causas, & quæstiones jurispatronatus, quas, cum Ecclesiasticis rebus sint annexæ, secundum juris, & canonum dispositiones Ecclesiasticas esse constat*, ad forum laicum trahi,

III. Nonnullos Episcopos in decus summum Episcopalis characteris fuisse tractos ad sæcularia tribunalia;

Pontifex scit regis pietatem ab his abhorrere, & ejus ministros hanc facultatem sibi usurpare.

Quare eum monet, rogatque, ut eos comprimat, neve permittat ita Ecclesiasticam immunitatem lædi.

D. Bononiæ XIII. Cal. Jul. P. a. VI. a. D. 1436.

Ex Oratorum Regis inadvertentia nullum præjudicium debet in Regem redundare.

NICOLAUS V. ad p. r. m. XXXIX. Ad an. 1452. §. 12.

Inc. *Cum nuper*, &c.

IN coronatione regis, Imperatorisque Romanorum oratoribus Regis Lusitaniæ *quoad sedium, & locorum situationem* in Capella Pontificia visum est aliquid fuisse derogatum præeminentiæ, & honoris.

Cum de hoc questus Rex fuisset, Nicolaus declarat

Ex hac inadvertentia nullum præjudicium afferri debere ipsis oratoribus, multo vero minus ipsi Regi;

Et ex hac occasione nullum argumentum desumi vult contra eosdem oratores quoad Sedem, & quoad situm, neque contra præeminentiam regis.

Quin immo vult ejusdem regis honores, & præeminentias illæsas semper servari.

D. Romæ apud S. Petrum III. Id. Julii P. a. VI. a. D. 1452.

Potestas datur Regi subjiciendi regna extera infidelium, & subjecta eidem confirmantur.

NICOLAUS V. ad p. r. m. XL. Ad an. 1454.§.8.

Inc. *Nuper non sine*, &c.

CLassis parata contra Mauros in causa fuit, cur Lusitani rei maritimæ sese addicerent. Ex occupata urbe Ceuta progressi longius quasdam insulas repererunt, iisque superatis, & religione Catholica per eas disseminata, studuerunt & ad Indos penetrare.

Jam anni viginti quinque excurrerant ex quo Oceanum navigabant; & singulis annis nova quædam loca occupabant; tandem ad Guineam usque pervenerunt, & ad *quoddam magnum flumen Nilum* (dicendum est *Nigrum*) & maritimam eam provinciam subjecerunt; arces ibidem construxerant, populos fide Christiana imbuerant, & commercia exercebant.

„ Auctor harum navigationum, harumque acquisi-
„ tionum primus fuit Infans Portugalliæ Henricus fi-
„ lius Regis Joannis, qui primus classem instruxerat,
„ patruus Alphonsi regis.

Tum legem sanxerunt Lusitani, ne quisquam alius, qui non esset Lusitanus, in conquisitas provincias admitteretur, ne ullus alienigena illuc iret nisi cum navibus Lusitanis, ne in eos portus naves exteræ reciperentur neque iis in maribus piscari sine expressa licentia ipsius regis, vel infantis posset.

Veren-

Verentes autem Lusitani ne alii maritimi populi invidia excitati, occupatas provincias invaderent, confugerunt ad Pontificem, ut consuleret.

Ergo Nicolaus eas omnes terras, nominatimque Ceptam, & Ghineam, quas armis devicerant Lusitani, iisdem confirmat, vetatque quibuscumque sub interminatione spiritualium pœnarum violare leges supradictas statutas a Lusitanis, & eas regiones invadere.

Tum ut illos ad victorias suas multiplicandas magis accendat, omnes terras, quas capient, illis subjicit.

Hæ autem regiones continebantur *a capitibus de Borador, & de Nam.*

Iisdem spiritualibus pœnis subjicit eos, qui ferrum, lignamina, arma, tela, naves ad eos populos deferent, ut se contra Lusitanos defendant,

Eos qui quocumque modo impedient Lusitanos ab his navigationibus, & acquisitionibus.

Nulli ergo, &c. Siquis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Janu. P. a. VII. a. D. 1454.

Confirmatur regi regiones acquisitæ armis in Africa.

XLI. NICOLAUS V. ad p. r. m.
B. M. p. 3. vel t. 9. p. 361.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

HEnricus Alphonsi infans jam in Africam penetraverat, & totam Guineam in ditionem patris sui redegerat.

Timens autem Portugalliæ rex, ne alii etiam eo navigarent, & de occupata possessione dejiceretur, petit a Pontifice confirmationem possessionis ejusdem regionis regibus Portugalliæ, & inhibitionem appellendi ad illas terras cuicumque:

Confirmat itaque Pontifex Alphonso, & ejus successoribus *ipsam conquestam a capitibus de Barador usque ad Dam per totam Guineam.*

Permittit Ecclesiasticis sæcularibus, & regularibus illuc se transferre, ut prædicent Christi fidem.

Quibuscumque principibus sub pœnis Ecclesiasticis vetat illuc appellere, & damna Lusitanis afferre.

D. Romæ apud S. Petrum VI. Id. Janu. P. a. VIII. a. D. 1454.

De eodem argumento.

XLII. NICOLAUS V. ad p. r. m.
Ad ann. 1455. §. 7.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

DUo præstanda sunt a Catholicis principibus; debent felicitati subditorum consulere, & curare, ut Catholica fides latius disseminetur. Utrumque præstitit hactenus, præstatque Alphonsus Portugalliæ rex; extera regna e manibus infidelium subduxit, atque ita commodis suorum populorum providit, & in acquisitis regnis Christianam fidem prædicari jussit.

Infans Henricus nullis periculis territus, nullis laboribus parcens Oceano Athlantico se commisit, eas insulas, quæ sparsæ ibidem sunt, cæpit usus partim humanitate, partim armis, prout occasio ferebat, Ecclesias ibidem erexit, pia loca ædificavit, clericis assignavit redditus, qui eos populos Christianæ fidei elementa docerent.

Iis duobus stimulis boni populorum, propagationis Evangelii excitatus per summos labores ad Indos iter sibi aperuit, orisque quibusdam maritimis occupatis arces construxit, fidemque prædicari fecit. Ad occiduos Æthiopes penetravit, & pari felicitate usus eos subegit Regis Portugalliæ nomine, quos imbibi Christianæ religionis rudimentis statim fecit, locis piis, templisque in eorum populorum commodum erectis.

Ne autem in jactam a se messem alieni populi falcem immitterent, colligerentque quæ non seminarunt, æquissimas prudentissimasque tulere leges Lusitani (suntque recensitæ in proxima superiore Bulla);

Et etiam ad Pontificem confugerunt, qui regna a Lusitanis devicta confirmat, iisque facultatem dat & leges alias condendi, & eas regiones, quas sibi subjicient, retinendi;

Confirmatque Eugenii IV. & Martini V. constitutiones, quibus iis regibus potestatem fecerant acquirendi novas terras, & tenendi acquisitas.

Iis permittit erigere novas Ecclesias, novaque loca pia in locis occupatis, & recuperandis, & constituere Sacerdotes, qui eorum populorum saluti incumbant, de suorum tamen Ordinariorum licentia,

Permittit quibuscumque regularibus cum licentia suorum Superiorum illuc transferri, & curæ eorum infidelium vacare, quos Ordinariis in hoc subjectos vult; quos monet ut unam Dei gloriam in eorum populorum conversione quærant.

Renovat censuras in impedientes in his acquisitionibus Lusitanos, in deferentes arma ad eos populos &c.

D. Romæ apud S. Petrum VI. Id. Jan. P. a. VI. a. D. 1455.

„ Ex eo tempore Venetorum, Januensium, Florentinorum, Pisanorumque, & Senensium commercium „ imminui cœpit.

„ Hoc Nicolai diploma confirmavit Callixtus III. alio diplomate *inter cætera* an. 1458. quod quia nihil novi continet, prætermisi,

Supremus Magister ordinis militiæ Jesu Christi rex constituitur.

PIUS II. Alphonso Regi Portugalliæ. XLIII. Ad ann. 1461. §. 13.

Inc. *Dum tuam, &c.*

MOrtuus erat supremus magister militaris ordinis Jesu Christi, qui in Portugallia florebat, Henricus, Henricus ille, qui provincias tot Regibus acquisivit, maritimamque scientiam Lusitanos docuerat.

Pontifex cum sciret Alphonsum impensas summas fecisse, & facere pro conservatione, & defensione civitatis Ceptensis, & Oppidi Alcassaris in Africa, ut illi aliquod auxilium præbeat,

Supremum ejus militiæ Magisterium illi dat; quod quidem beneficium, & plura alia ab Apostolica Sede, cui (a) *Fidelissimus* semper fuit, meretur.

Facultates magisterio annexas illi concedit &c.

Nulli ergo, &c. Siquis autem, &c.

D. Romæ VIII. Cal. Febr. P. a. III. a. D. 1461.

„ (a) Hinc desumpsit Benedictus XIV. rationem titulo *Fidelissimi* „ reges Portugalliæ insigniendi.

„ Indiæ detectæ a Vasco Gamma confirmata fuit possessio Emmanuelli „ regi ab Alexandro VI. a. 1499. Quia similis est ejus bulla alius „ relatæ supra, prætermissa est.

De Turcis victis, de colloquio habendo cum Cæsare.

PAULUS III. Portugalliæ Regi. XLIV. Ad ann. 1535. §. 56.

Inc. *Hodie dilectus, &c.*

SIgnificat Paulus, se accepisse ab Oratore Veneto, Solimanum Turcarum Dominum magna victoria fuisse a Sophianis superatum,

Et Cæsarem in Africa munitissimam arcem Guletam, & Tuneti regnum in suam potestatem redegisse;

Carolum esse iturum Neapolim, ibique rebus compositis venturum Romam, ut conveniatur de Concilio celebrando, de bello apparando in Turcas.

Regem demum hortatur, ut bellum in Africam moveat; Afros nunc esse distractos armis Cæsaris, cui vix resistunt, facile esse eos superare; occasionem hujusmodi eos subjugandi nullam venturam esse posthac.

D. Romæ apud S. Marcum Die XVII. Dec. P. a. II. a. D. 1535.

Anna Bolena conjicitur in carcerem a Rege.

PAULUS III. Regi Portugalliæ, &c. XLV. Ad ann. 1536. §. 26.

Inc. *Accidit nuper, &c.*

ANna Bolena, quam ut duceret Angliæ Rex Henricus, Catharinam reginam repudiarat, fidem Catholicam deseruerat, regnumque cædibus, & sanguine fœdarat, inventa incestuosa, quippe quæ cum fratre suo Georgio Boleno rem habuerat, reperta adultera, convictaque in carcerem conjecta fuerat ipsa, complicesque.

Id significat Paulus Lusitano.

Atque utinam, inquit, hac ratione vellet Deus errantem

rantem veluti ovem Henricum ad ovile, a quo descivit revocare;

Se certe, tentatur, non defuturum prece, votisque a Deo id expetere.

D. Romæ apud S. Marcum Die XVI. Maji P. a. II. a. D. 1536.

„ Rex adulterii incestusque capite fuit plexa sententia judicum decretoria hoc eodem anno XIV. Cal. „ Junii, triduo post ejus frater, cæterique adulteri.

Gratulatio, quod in Indiis fides Catholica augeatur.

XLVI. JULIUS III. Portugalliæ Regi.
Ad ann. 1550. §. 43.

Inc. *Te fili, &c.*

QUo plures populi deficiebant in Europa a Catholica fide, tanto magis in Indiis, & in America excrescebat credentium multitudo.

Quod cum fieret opera, & diligentia Regis Portugalliæ, hisce litteris eidem gratulatur Julius.

Quam ingentem meritorum cumulum in conversione eorum idololatrarum sibi comparet apud Deum, illi exponit, & quam amplam mercedem expectare a Deo debeat, illi explicat.

Eum hortatur ut porro pergat.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIII. Febr. P. a. I. a. D. 1550.

„ Erat tunc iis in partibus S. Franciscus Xaverius, „ qui societati Goam, & Romæ ingentes progressus „ Christianæ Religionis per se factos referebat. Legen„ dæ sunt litteræ Missionariorum Jesuitarum in iis par„ tibus pluribus tomis contentæ.

Reges Portugalliæ perpetui administratores militiarum S. Jacobi de Spatha, & de Avis in suis regnis declarantur.

XLVII. JULIUS III. ad p. r. m.
B. R. t. 4. p. 2. p. 287. C. 1.

Inc. *Præclara carissimi, &c.*

OB præclara merita Joannis Regis Portugalliæ, & Algarbiorum vacantia magisteria militiarum S. Jacobi de Spatha, & Avisiensis ob mortem magni magistri Julius eidem Joanni, ejusque successoribus in perpetuum concedit.

Joannes hic præclara multa gesserat in Africa, & in *Orientalibus partibus*, & in acquisitis terris fidem Catholicam dissem inaverat, quæ gesta fuse hic persequitur Julius.

Dat illi jurisdictionem in præceptores, milites, castra, & oppida ad militias spectantia, ut per personas idoneas reges administrari faciant beneficia militiarum.

Executores deputantur. N. O.

Jubet tamen, ut reges non recedant a bonis militiarum consuetudinibus, & animarum curam non negligant. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum III. Kal. Janu. P. a. II. a. D. 1551.

Rogatur Rex, ut pacem conciliet inter Imperatorem, & Regem Galliæ.

XLVIII. JULIUS III. Regi Portugalliæ.
Ad ann. 1553. §. 22.

Inc. *Et majestatis, &c.*

„ SUbjicere Senenses volebat Imperator, militesque „ eodem miserat. Eos defendebat Galliæ Rex Hen„ ricus.

Timens Pontifex, ne bellum exasperaretur, & extenderetur latius, rogat Lusitaniæ regem, ut ad pacem eos principes moveat;

Ipse quoque delegit Legatos quos mittat ad utrumque principem: nulli labori, nullique industriæ parcet.

Cum auctoritas Regis summa sit, difficile ii principes ejus consilia repudiabunt.

D. Romæ apud S. Petrum Die VIII. Apr. P. a. IV. a. D. 1553.

„ De hac pace reconcilianda scripsit Julius Philip„ po Hispaniarum principi, Catharinæ uxori Henrici, „ Mariæ Reginæ Hungariæ, Cæsari, & Henrico. Quæ *Concil. Pontificatuum.* Tom. II.

Consolatur Regem Pontifex de morte filii.

JULIUS III. Regi Lusitaniæ. XLIX. Ad ann. 1554. §. 51.

Inc. *Etsi libenter, &c.*

„ IN florentissima adolescentia extinctus fuit Joan„ nes Lusitaniæ princeps. Reliquit Joannam Cæsa„ ris Caroli filiam prægnantem, quæ peperit Sebastia„ num, qui calamitatibus suis inclaruit.

Regem mœstissimum hac ex filii morte consolatur Julius, qui nullo officio minus perfungi vellet, quam hoc erga Regem ita de Ecclesia benemeritum.

Bene habet, quod cum prudentissimus sit Rex, & vere Catholicus, nemo illo melius subjicere rationes sibi poterit, cur se consoletur.

Novit mortem justorum, in quorum numero ejus filius fuit, non esse dicendam mortem, sed transitum ex vita infelici ad felicissimam; novit nullum sacrificium esse gratius Deo quam nostram voluntatem illi submittere.

Lætetur, nepotem vivere spem tantæ domus (peperat interim Joanna); quod argumento est, nolle Deum ejus familiam desolescere.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Apr. P. a. V. a. D. 1554.

Recensitis Regum Lusitanorum in Ecclesiam meritis, subsidium ad quinquennium Sebastiano conceditur.

PIUS IV. ad p. r. m. L. Ad ann. 1561. §. 73.

Inc. *Carissimus in Christo, &c.*

QUantum Catholicam fidem glorioli Lusitaniæ Reges Sebastiani progenitores propagare studuerint, devictæ ex infidelibus provinciæ, & in iis Catholica religio firmata ostendunt.

Zelo fidei accensi armis in Africam translatis urbem Septensem in ipsius Oceani faucibus in arcto sitam occuparunt, occasionemque invadendi Hispaniam intercederunt Mauris; tum alias plures urbes in Africa expugnarunt, totamque Tingitanam provinciam subegerunt.

Circumactis a tergo ipsius Africæ victricibus armis per Athlanticum litus Æthiopiam, Arabiam, Persidem, & Indiæ partes ingressi sæpius cum Turcis pugnarunt, & plures urbes, plura oppida ditioni suæ subjecerunt; converteruntque ad fidem innumeram infidelium multitudinem.

His suorum majorum victoriis excitatus Sebastianus Rex eos imitari præoptat, & ut est magnanimus pericula adire non reformidat, ut ab idololatria gentes illi addictas revocet.

Sed cum ad hæc peragenda summæ pecuniæ vis requiratur, nec ipse Sebastianus tantam habeat, quanta necessaria esset, sicut pro causa fidei S. Sedes Philippo Hispaniarum Regi facultatem exigendi e bonis Ecclesiasticis subsidium Pontifex dedit, ita Rex oravit, ut sibi quoque eadem facultas daretur.

Pius in argumentum meritorum regum Lusitaniæ erga S. Sedem, & ut Sebastianus quod animo intendit, pro propagatione, & gloria S. Fidei perficere possit, de Fratrum consilio eidem concedit *subsidium annuum usque ad quinquennium proximum a Calendis Januarii proxime futuri computandis quinquaginta millium ducatorum cruciatorum pro manutentione unius Classis Ecclesiasticæ nuncupandæ cum ad tuitionem* acquisitorum e Barbaris locorum, tum ad nova occupanda super omnibus bonis Ecclesiasticis Portugalliæ.

Classis ex una parte habeat insignia Pontificiæ domus, & A. Sedis, ex alia ipsius Sebastiani. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XIII. Cal. Oct. P. a. II. a. D. 1561.

Reginæ Portugalliæ inhibetur ingreſſus in Monaſterium.

LI. PIUS IV. Catharinæ, &c.
Ib. §. 75.

Inc. *Certiores facti, &c.*

„ CAtharina avia Sebaſtiani, quæ una cum Cardi-
„ nali Henrico ejuſdem regis Patruo regnum ad-
„ miſtrarat tenello adhuc nepote pertæſa regii faſtigii
„ in Monaſterium Monialium ſe recipere volebat, ut
„ orationi vacaret. Cum eſſet exquiſitæ prudentiæ
„ fœmina,

Eam hortatur Pius, ut, ſi caritate moveatur in Deum ad monaſterium, moveatur ejuſdem Dei caritate in nepotem, cum amor proximi indicet amorem Dei;

Eſt adhuc Sebaſtianus pupillus, negotiorum regni ignarus, eſt eruiendus, eſt imbuendus regiis artibus, facile ſi non habeat, quem revereatur, in vitia dilabi poteſt deceptus ab adulatoribus. Hæc omnia efficiunt, ut Regina deſiderium in monaſterio viyendi deponat.

Deo gratior erit ejus vita in ſæculo, quam in aſcetterio. Regni curæ pro Deo patienter latæ majorem meritorum cumulum illi comparabunt, quam vita clauſtralis.

In monaſterio ſuæ quieti conſulit, in regni adminiſtratione ſaluti omnium populorum. Reputet ſecum, jam hæreſim in regnum ingreſſuram fuiſſe, niſi ipſa ingreſſui ſemet conſtanter oppoſuiſſet. Si in monaſterium eat, allicientur rurſus hæretici.

Quod ſi ſcrupulis urgetur, obedientia, quam ſemper Romanis Pontificibus Portugalliæ Reges præſtiterunt, eam liberet.

In remiſſionem demum ejus *peccatorum* illi Pius injungit, ut in ſæculo vivat, ut regnum regat, ut nepotis educationi invigilet.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXX. Mar. P. a. I. a. D. 1561.

Excitatur Rex ad ferendam opem Abyſſinis.

LII. PIUS IV. Sebaſtiano Regi, &c.
Ad ann. 1561. §. 226.

Inc. *Non dubitamus, &c.*

BArnagaſſus princeps in Æthiopia plures motus excitarat.

De his motibus factus certior Pius ad Regem Sebaſtianum ſcribit: Barnagaſſum ut alios ejus regionis principes ſuperaret, confugiſſe ad Turcas, & eorum auxilium flagitaſſe;

Ex quo nuntio, ſe maximo affectum fuiſſe timore, ne Turcæ cum Barnagaſſo conjuncti imperium ſuum proferant, & Religionem Chriſtianam in Æthiopia, & in India prorſus extinguant;

Quare ſe illi auctorem eſſe, ut opem Abyſſinis ferat,

Non enim gloriolum regi eſt, in iis regionibus, in quibus ejus majores fidem Catholicam conſtituerunt, eum permittere illam extingui.

Neque illi, ejuſque populis ibidem commercia agentibus id eſſe utile. Non enim Turcæ permittent eos ibidem negotiari; paulatimque urbes quas ibidem Luſitani habent, armis, vel fraude occupabunt;

Potitos Æthiopia iter etiam ad Indias Turcas impedire poſſe;

Nunc Turcas facile poſſe vinci; at ſi permittatur eos Æthiopiam occupare, auctos viribus, & potentia difficilius eſſe ſuperandos.

Quare dum malum adhuc recens eſt, neque tota regio eſt in armis, turbas ſedare feſtinet Sebaſtianus, & tantis laboribus, ac tot partas Indias, & Abyſſiniam conſervet.

D. Romæ apud S. Petrum Die VI. Febr. P. a. IV. a. D. 1563.

Laudatur, quod Abyſſiniæ ſuccurrerit.

LIII. PIUS IV. Sebaſtiano &c.
Ib. §. 227.

Inc. *Litteras tuas, &c.*

JAm antequam commoneretur a Pontifice, ſtatuerat Sebaſtianus Abyſſinos ſedare, & inde arcere Turcas. Quod ſcripſit Pontifici.

Multo autem magis ſe iviſſe in hanc opinionem, ut illuc copias mitteret, Pio ſcribit, cum ſe ab illo ad hoc excitatum vidit.

Ejus fidem ergo, ejus ſtudium tegendi Catholicam fidem, ſimulque ſuorum ſubditorum conſulendi utilitati Pius laudat,

Quia Rex laudarat Pontificem, quod quoſdam abuſus ſuſtulerat, reſpondet Pontifex, ſe nullam mereri laudem, cum id egerit, quod officii ſui ratio poſtulabat.

D. R. apud S. Petrum Die IX. Jul. P. a. IV. a. D. 1563.

Facultas datur Regi Portugalliæ habendi commercia cum infidelibus.

GREGORIUS XIII. Sebaſtiano Portugalliæ, & Algarbiorum regi. LIV. Ad ann. 1577.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

CAllixtus III. Martinus V. Eugenius IV. conceſſerant regibus Portugalliæ facultatem, ut ſubditi ejus regni poſſent ad infideles ſuas merces deferre, & ex eorum terris ea devehere, quibus regna regis carent.

Eandem facultatem concedit Gregorius Sebaſtiano, eo libentius concedit, quia jam bellum in Saracenos Sebaſtianus parabat.

Caveat tamen rex, ne deferri eo permittat arma aliaſque res vetitas in Bullis. N. O.

D. R. apud S. Petrum Die XXIX. Jul. P. a. V. a. D. 1577.

Titulus Fideliſſimi *datur regi, & ſucceſſoribus.*

BENEDICTUS XIV. Joanni Portugalliæ, & Algarbiorum regi. LV. B. M. t. 18. p. 19.

Inc. *Maxima ac tam, &c.*

OMnium Portugalliæ, & Algarbiorum regum merita in Eccleſiam extiterunt magna, ſed præcipue Joannis V. qui tum regnabat.

In compenſationem itaque eorum Benedictus non ad inſtantiam ipſius Regis, nec ad preces cujuſquam ſed *motu proprio* eum inſignit titulo *Fideliſſimi*,

Quem titulum & ipſe, & ſucceſſores legitimi in illa regna, tanquam progeniti a Genitoribus, qui ſummo ſtudio Catholicam fidem dilatare inhiarunt in ſuis ditionibus, in perpetuum gerent.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Dec. P. a. IX. a. D. 1748.

Annectitur Brevi allocutio habita a Pontifice in conſiſtorio ſecreto Die XXI. Apr. a. 1749.

Qua reddit rationem cur Portugalliæ regem decoraverit titulo *Fideliſſimi*, ejuſque ſucceſſores, Paucis exponit quæ, qualiaque præſtiterint Portugalliæ reges, ut diſſeminarent in regionibus acquiſitis Catholicam fidem, ut auxiliati fuerint Venetis in obſidione Corcyrenſi, ut miſſiones in partibus infidelium ſubſtinuerint, & ſubſtineant, quos Epiſcopatus erexerint, &c.

„ *Dum hæc ſcribebamus, diſſidia fervebant inter S.*
„ *Sedem & Regem ob expulſos a ditionibus Portugal-*
„ *liæ Patres S. J.* v. in art. de Jeſuitis,

Legatio Hiſpaniarum comprehendit, & Legationem Portugalliæ.

URBANUS VIII. Card. Barberino Legato a Latere in Hiſpaniis, LVI. B. R. t. 6. p. 2. p. 141. C. 67

Inc. *Cum nos, &c.*

MIſſus fuerat Legatus a latere a Patruo Urbano in Hiſpanias Cardinalis Barberinus.

Cum quidam dubitare poſſent, an haberet ille facultates Legati etiam pro regnis Portugalliæ, & Algarbiorum, Urbanus declarat,

Legatum Hiſpaniarum eſſe ſimul & Legatum Portugalliæ. (*Tunc Rex Hiſpaniæ imperitabat etiam Portugalliæ.*)

Dat autem illi ampliſſimas facultates, viſitandi quævis loca, commutandi Capellanias, diſpenſandi ſuper impedimentis matrimonialibus, condonandi fructus male perceptos, conferendi beneficia valoris vigintiquatuor ſcutorum auri de camera tantum, &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVIII. Mar. P. a. II. a. D. 1625.

„ Multa vide de hoc regno capite de Societate Jeſu,

Con-

Confirmantur litteræ de venia Neophytis in Portugalliis data.

LVII. CLEMENS VII. ad p. r. m,
Ex Rayn. ad ann. 1534. §. 68.

Inc. *Cum inter, &c.*

DUm Maſſiliæ erat Clemens, multi Neophythi in Portugallia de temerata religione veniam a Pontifice petierant, & impetrarant; conſtitutionemque ediderat.

Regii Miniſtri, ut applicarent fiſco eorum miſerorum bona, interceſſere decreto Pontificio.

Clemens cum jam ægrotaret revolvens præterita tempora, neque per menſes quatuor videns reſponſum ullum regis ſuſpicans id ex miniſtrorum arte fieri, Conſtitutionem ſuam jam editam confirmat, eoſque abſolutos eſſe declarat;

Et in ejus conſtitutionis vim ratione præteritorum delictorum non vult in eos inquiri, non procedi, pœnas iis infligi.

Nuncio ſuo Epiſcopo Senogallienſi ſpecialiter mandat, ne permittat, eos moleſtari in hoc.

Ei dat facultatem moleſtantes cenſuris ferendi, &c. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Cal. Aug. P. a. XI. a. D. 1534.

Monetur Rex, ut velit Neophytos non ita vexari.

LVIII. PAULUS III. Regi, &c.
Ad ann. 1545. §. 58.

Inc. *Attulit ad nos, &c.*

RElatum Pontifici fuerat, inquiſitionem nimis acerbe exerceri in Neophytos, & I. Simul puniri fontes inſonteſve II. & leviſſimis de cauſis, &c. & immaniſſimis ſuppliciis.

Miſereſcens Paulus eorum hominum infelicitatem regi ſcribit,

Perſuaſum ſibi quidem eſſe animum Regis ab hac immanitate eſſe alienum, ſed ejus miniſtros omnia hæc in Neophytos exercere.

Eum ergo rogat, ut velit hæc inhibere;

Injuſtum enim eſt promiſcue omnes puniri; puniantur quidem rei, ſed dimittantur innocentes;

Supplicia debent reſpondere delictis, nec dignum ſcutica eſt puniendum ſævis flagellis;

Semper Eccleſia, ſemper principes abhorruerunt a ſuppliciis immanibus; quæ & corpus perdunt, & in cauſa ſunt, cur perdatur anima.

Præterquamquod ita Judæi, Saracenique revocantur ab amplectendo Chriſtianam religionem.

D. Romæ apud S. Marcum Die XVI. Junii P. a. XI. a. D. 1545.

„ Pernotus fuit rex; & ſane vetuit ita male Neo-
„ phytos affici.
„ Neceſſe habuit Pontifex rurſus de hac re ſcribere ad
„ regem, & ad Cardinalem Regis fratrem, ut mitius
„ Neophyti haberentur.
„ Cum litteræ ſint hortatoriæ repetanturque eadem,
„ viſum eſt eas relinquere.

DE REGIA CAPELLA.

Uniuntur Capellæ Regiæ redditus trium Eccleſiarum Parochialium.

LIX. CLEMENS XI. Archiepiſcopi Bracharenſis, & Epiſcopi Lamocenſis officialibus.
B. M. t. 8. p. 266. B. R. t. 11. p. 2. p. 77. C. C.

Inc. *In ſupremo, &c.*

JAm erexerat Clemens regiam Capellam Regis Portugalliæ D. Thomæ Apoſtolo dicatam in inſignem Collegiatam; decem & octo Canonicatus, & duodecim beneficia in ea collocarat, & horum omnium beneficiorum collationem regi conceſſerat; dederat facultatem eidem regi creandi nonnullos manſionarios movibiles.

Sed cum proventus eſſent modici; rex ſupplicavit Pontifici, ut unire vellet huic collegiatæ redditus trium Eccleſiarum Parochialium regiæ nominationis.

Volens Pontifex annuere regis precibus mandat ſupradictis officialibus, ut eas tres parœcias regiæ Capellæ uniant, & in Parochorum locum tres Vicarios ſubſtituant, qui item a Rege cum congrua ſubſtentatione eligantur.

Aſſignat Clemens, quomodo diſtribuendi ſint redditus earum parœciarum percepti a Die XVIII. Octobris an. 1711. nempe in paramentorum, & ornamentorum, & utenſilium Eccleſiæ apparatum, & quomodo in poſterum inſumendi ſint.

D. Romæ apud S. M. Maj. XIV. Cal. Sept. P. a XVI. a. D. 1716.

Erectio hujus collegiatæ in Patriarchalem Occidentalem.

CLEMENS XI. ad p. r. m. LX. Ib. p. 1172. Ib. p. 87. C. C.

Inc. *In ſupremo, &c.*

MErebatur Joannes rex plurima a S. Sede beneficia ob zelum, quo Chriſtianam rem periclitantem adjuvit. Mittebat tunc ad Venetos contra Turcas pugnantes aliquot naves in auxilium.

Quapropter aſſentitur Clemens precibus ejuſdem regis optantis Collegiatam S. Thomæ erigi in Eccleſiam Patriarchalem ſub invocatione B. Mariæ in Cælos aſſumptæ, ita ut civitas tota divideretur in orientalem, & occidentalem, duoque eſſent ibi Patriarchatus, vetus, cui aſſignaretur pars orientalis, & novus, qui diceretur occidentalis, & juriſdictionem haberet in ſeparandam occidentalem partem.

Per hanc conſtitutionem id agit Clemens; & novi Archiepiſcopatus terminos præfinit, diœceſim dividit, & cuique diœceſi ſua loca aſſignat; novum Archiepiſcopatum vult eſſe regiæ nominationis, & S. Sedi immediate ſubjectum; eſſe Eccleſiam ſub titulo B. Mariæ Aſſumptæ, Canonicatus erectos, & beneficia confirmat, creat Archiepiſcopum occidentalem Capellanum majorem regiæ Capellæ, ejuſque juriſdictioni ſubjicit familiam regiam, tum ſuffraganeos ei dat cum annexis in eos ſolitis facultatibus.

Ad ſummam mille Florenorum auri taxat eum pro expeditione litterarum Apoſtolicarum; mille item florenorum auri pro fructibus.

Tum, ne lites oriantur inter Prælatos orientalem, & occidentalem, hæc ſtatuit,

I. Approbatus in confeſſarium ab uno prælato, poſſit prædicare, confeſſiones audire, quin approbetur ab alio, ſed ſatis erit ſi ſuam approbationem oſtendat,

II. Caſus reſervati ab uno prælato ſint reſervati & in alia Diœceſi.

III. Pro ſepulturis Parochus Parœciæ unius Diœceſis comitari debeat cadaver ſuæ parœciæ ad Eccleſiam alterius parœciæ alterius Diœceſis, ſi ibi cadaver ſit ſepeliendum.

IV. Ita fiet a Regularibus, & a confraternitatibus, ut fieri ſolet, cum cadaver unius Parœciæ debet ſepeliri in alia.

V. Matrimonia, & ordinationes Clericorum publicentur in duabus parœciis, in una hujus diœceſis, in altera alterius;

VI. Proceſſiones Corporis Chriſti, vel aliæ fiant a qualibet Diœceſi intra ſua confinia,

VII. Miniſtri unius Archiepiſcopatus non poſſint ferre inſignia ſuæ juriſdictionis in altera Diœceſi;

VIII. Litteræ Apoſtolicæ, niſi denotent Diœceſim *erunt dandæ Archiepiſcopo Ulyſſiponenſi*, H. E. veteri.

IX. Lites erunt cognoſcendæ ab illo Antiſtite, cui ſuberit pars litigans, ſeu actor;

X. Novus Archiepiſcopus ſibi creet ſuos officiales;

XI. Beneficiati cenſeantur ſubeſſe illi Archiepiſcopo, intra cujus diœceſis fines habent beneficia;

XII. Lites, quæ inter Archiepiſcopos orientur, decidantur ſummarie, & ſine ſtrepitu.

Declarat Clemens novum Archiepiſcopum Patriarcham ad inſtar Patriarchæ Venetiarum, ita ut utatur iiſdem privilegiis, præferatur ei Crux. Rocchettum apertum geſtet, habeat uſum Pallii, veſte purpurea induatur, ut Archiepiſcopus Salisburgenſis, poſſitque indulgentias dare, quas dat Apoſtolicus Nuncius.

Capitulum habeat habitum prælatitium cum Rocchetto, & Cappa magna rubei coloris ad inſtar Canonicorum

rum Ecclesiæ Pisanæ, in processionibus, benedictionibus, aliisque functionibus Ecclesiasticis utantur mitra, ut Canonici Beneventani, & Ordinarii Mediolanenses; jus habeant benedicendi paramenta, vasa sacra, possint deputari judices litium, & facultatem habeant præsentandi regi Archiepiscopum occidentalem.

Hi canonicatus sint de jurepatronatus regio.

Si regia aula transferatur alio, Ecclesia sic erecta Ulyssipone semper permaneat.

Demum executores deputat, qui limites Diœcesibus ponant. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. VII. Id. Nov. P. a. XVI. a. D. 1716.

Confirmantur acta a Delegato Ap. circa hanc Ecclesiam.

LXI. Ib. p. 182. Ib. p. 106. C. C. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Sollicita pastoralis*, &c.

CUm Algarbiensis Episcopus juxta Pontificium mandatum designabat confinia utriusque Diœcesis, mortuus est Archiepiscopus Ulyssiponensis Orientalis. Tunc capitulum misit procuratorem *cum procura inscripta nomine Capituli Ulyssiponensis tantum, non adjecto titulo Orientalis*,

Capitulum Occidentalis Ecclesiæ per publicum Notarium illi significavit, ut de cetero in quibuscunque actibus publicis se subscriberet *Capitulum Ulyssiponense Orientale*, ut sciatur, quale sit illud capitulum, quod instrumentum fieri curavit.

Quod approbavit Algarbiensis Subdelegatus.

Ut autem decretum hoc semper esset firmum, rogatur Clemens, ut illud confirmet.

Quod per constitutionem ille facit. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVII. Febr. P. a. XVII. a. D. 1717.

Subtana talaris rubea conceditur Canonicis hujus Ecclesiæ.

LXII. Ib. p. 183. Ib. p. 168. C. C. CLEMENS XI. ad p. r. m.

Inc. *Ineffabili divinæ*, &c.

PErgit Clemens insignire Canonicos Patriarchalis Ecclesiæ. Iis enim concedit, ut *subtanam talarem rubeam* gestare possint;

Beneficiati induant Cappam magnam violaceam cum pellibus armellinis hyemali tempore, æstivo cum fodere serico rubei coloris.

D. Romæ apud S. Mar. Maj. IV. Id. Mar. P. a. XVII. a. D. 1717.

Oratio quadraginta horarum incipiat ab Ecclesia Occidentali.

LXIII. Ib. p. 185. Ib. p. 114. C. C. CLEMENS XI. ad p. r. m.

Inc. *Regis pacifici*, &c.

CUm Clemens indulgentiam plenariam a. 1716. concessisset Ulyssiponensi civitati occasione expositionis SS. Sacramenti quadraginta horarum in duabus Ecclesiis Archiepiscopalibus, dubium erat ortum, in utra earum essent incipiendæ quadraginta horæ.

Delegatus Apostolicus decidit, eas incipiendas esse in Ecclesia occidentali (afferatur integrum Delegati decretum) deinde in orientali.

Ut delegati Decretum sit firmius, petita, & obtenta fuit Pontificia confirmatio. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XI. Jul. P. a. XVII. a. D. 1717.

Electus ad Ecclesiam hanc occidentalem censeatur nominatus a Rege ad Cardinalatum.

LXIV. B. M. p. 9. vel t. 15. p. 150. B. R. t. 14. p. 294. C. C. CLEMENS XII. ad p. r. m.

Inc. *Inter præcipuos*, &c.

ETsi tot, tamque excellentibus insigniis fuit decoratus a Clemente XI. & a Benedicto XIII. (hujus Bullæ desunt in U. B.) Patriarcha Ulyssiponensis Ecclesiæ, tamen ob summa merita Regis, de consilio Cardinalium Clemens decernit,

Ut, qui electus sit in Patriarcham dictæ Ecclesiæ enunciatusque in consistorio, in altero immediate subsequenti consistorio assumi debeat in Cardinalem.

Quod si nulla tunc adsit opportunitas gratificandi aliis nationibus, *intelligatur hic Patriarcha per anticipationem ad Cardinalatum promotus.*

Ceterum hæc indulgentia Pontificia non valeat in renunciationibus ejusdem Ecclesiæ, & in coadjutoriis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. XVI. Cal. Janu. P. a. VIII. a. D. 1738.

Augentur redditus dignitatum, & Canonicatuum, permittiturque Patriarchæ erigere novos Canonicatus.

CLEMENS XII. ad f. r. m. LXV. Ib. p. 61. Ib. p. 207. C. C.

Inc. *Religiosa Christianorum*, &c.

CLemens XI. hanc Ecclesiam dotavit ex dismembratione quartæ partis fructuum cæterarum Ecclesiarum; sed cum hi redditus minus idonei viderentur ad substentandam dignitatem Canonicorum, & aliorum Ecclesiæ ministrorum, decernit Clemens XII. ut applicentur Patriarchæ, & dignitatibus, & Canonicis, & ministris præter centum triginta duos mille quingentos sexaginta sex ducatos auri alii triginta tres mille centum triginta septem ducati auri, quæ est tertia pars fructuum earundem Ecclesiarum.

Tum assignat quantitatem præbendæ cujuscunque dignitatis, & Canonicatus illi sunt sex, hi octodecim.

Dat facultatem Patriarchæ novos canonicatus erigendi, & nova beneficia ad decentiorem divinum cultum, & horum beneficiorum erigendorum nominatio spectabit ad regem.

Volentes sese opponere huic constitutioni vetat Pontifex audiri.

Executores deputat, ne hæ litteræ violentur ullo unquam tempore. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. VI. Id. Febr. P. a. VIII. a. D. 1738.

Indultum celebrationis Missæ ante auroram vel post meridiem horam unam Canonicis utriusque Ecclesiæ datum.

CLEMENS XII. ad p. r. m. LXVI. Ib. p. 179. Ib. p. 229. C. C.

Inc. *Insignem dilectorum*, &c.

VOlens ulterius augere Clemens ornamenta dignitatum, & Canonicorum harum Ecclesiarum, iis concedit facultatem celebrandi vel celebrare faciendi Missam *etiam quotidie* horam unam ante auroram, & horam unam post meridiem in suis oratoriis privatis suarum domorum pro se, & sua familia. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXII. Mar. P. a. VIII. a. D. 1738.

Facultas datur Patriarchæ edendi novum Calendarium pro divino servitio hujus Ecclesiæ.

CLEMENS XII. ad f. r. m. LXVII. Ib. p. 219. Ib. p. 331. C. C.

Inc. *Ad sacrosanctum*, &c.

CAlendarium ediderat Clemens XI. confirmatum ab Innocentio XIII. juxta quod deberent Canonici Ecclesiæ hujus divina peragere;

Clemens XII. prius confirmatis privilegiis, dignitatibus, & canonicis hujus Ecclesiæ concessis, reperitisque jam supra expositis de quarta, deinde de tertia redditu omnium beneficiorum assignandorum Canonicis, abrogatisque & Clementis XI. & Innocentii XIII. de calendario constitutionibus decernit,

Ut Patriarcha cum consilio regis, stabiliat servitium præstandum Ecclesiæ a Canonicis,

Et ut novum Calendarium conficiat, in quo omnes Ecclesiasticæ functiones publicæ, & privatæ registrentur, injungens tamen Canonicis, ut quotiescunque Patriarcha jusserit, Ecclesiæ inservire debeant,

Qua-

Qualitates demum promovendorum ad Canonicatus exponit. N. O. *Nulli ergo*, &c.

Calendarium hoc fuit impressum Romæ, correctumque a Benedicto XIV. v. t. i. h. t. qui consecravit & altare v. ibi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. VIII. Id. Dec. P. a. IX. a. D. 1738.

Jus nominandi ad dignitates, Canonicatus, & beneficia Ecclesiæ Orientalis datur Regi.

LXVIII. Ib. p. 178. Ib. p. 219. C. C. CLEMENS XII. ad p. r. m.

Inc. *Circumspecta sedes*, &c.

QUotidie magis de Ecclesia regi promerenti concedit Clemens jus nominandi ad dignitates, Canonicatus, præbendas, & beneficia etiam Ecclesiæ Orientalis.

Quorum beneficiorum redditus exponit Clemens.

Quia autem Vicecomes de Vasconcellos habebat jus patronatus Capellaniæ de Maphra, cujus nominatio in posterum conceditur regi, rex in compensationem eidem Comiti, & ejus heredibus concedit nominationem ad beneficia quarumdam Cathedralium, ad quas rex nominabat; Quam permutationem Clemens confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. VIII. Id. Mar. P. a. VIII. a. D. 1738.

DE DUCIBUS BRAGANTIÆ.

Facultas data Duci utendi Ecclesiasticis in regimine suorum subditorum.

LXIX. B. R. t. 5. p. 1. p. 374. C. C. CLEMENS VIII. Theodosio Bragantiæ Duci.

Inc. *Exigit nobilitas*, &c.

BRagantiæ Duces opera Ecclesiasticorum semper fuerant usi in regimine suorum subditorum.

Scrupulus pupugit Theodosium, consuluitque Clementem;

Qui permittit illi uti opera quorumque Ecclesiasticorum etiam in dignitatibus constitutorum pro eodem regimine. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XIII. Aug. P. a. I. a. D. 1592.

Indultum datum Capellanis Ducis.

CLEMENS VIII. ad p. r. m. LXX. Ib. p. 373. C. C.

Inc. *Exponi nobis*, &c.

JOannes Bragantiæ Dux in Villa Vicosa Capellam in suo palatio erexerat: & Capellanos quosdam instituerat, ut divina servitia peragerent, & Matutinas, & Vespertinas horas canerent, distributionesque assignavit.

Ejus filius Theodosius illuc se conferebat, habebatque secum unum, aut duos ex iis Capellanis qui celebrarent; dubitarunt hi, an absentes possent percipere distributiones.

Considerans Clemens, Joannem instituisse eos Capellanos, non solum ut servirent Ecclesiæ, sed sibi etiam, & suis successoribus, declarat, eos, quos secum Dux ducit, posse esse sine scrupulo etiam absentes earum distributionum participes. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XIII. Aug. P. a. I. a. D. 1592.

Exemptio Capellanorum Ducis ab jurisdictione Ordinariorum.

CLEMENS VIII. ad p. r. m. LXXI. Ib. p. 188. C. C.

Inc. *Ex injuncto*, &c.

SUpplicavit idem Dux Clementi, ut Capellam prædictam & Capellanos exemptos vellet ab jurisdictione Ordinariorum.

Eos, & officiales ejus Capellæ etiam ratione delicti, & contractus exemptos declarat Clemens ab auctoritate ordinariorum;

Eosque, & hos subjicit S. Sedi, & collectori spoliorum in eo regno. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum XIV. Cal. Oct. P. a. X. a. D. 1601.

Hæc familia evecta fuit ad regni fastigium, e Portugallia Hispanis expulsis.

DE ECCLESIA PORTUGALLIÆ.

Portugalliæ Episcopis mandatur Monialium visitatio, & correctio.

I. B. R. t. 5. p. 1. p. 150. C. C. SIXTUS V. Venerabilibus Fratribus &c.

Inc. *Cum sicut*, &c.

ETiam Gregorius XIII. mandaverat prælatis Portugalliæ, & Algarbiorum, ut monasteria Monialium visitarent, corrigerent, & clausuram servari curarent.

Cum varias difficultates prælati esent experti, Gregorii jussui non paruerunt.

Interim in dies invalescebant mala.

Quibus ut obviam eat Sixtus, præcipit, ut omnes prælati in parlatoriis cratibus ferream laminam præponi faciant cum porta ferrea, cujus clavis sit penes Abbatissam.

Vetat cuicumque extra parlatorium cum monialibus loqui; & ad colloquendum vult obtineri licentiam a prælatis in scriptis.

Vult, ut quotannis Ordinarii inquirant, an hæc fiant. N. O.

D. R. apud S. Petrum Die XX. Dec. P. a. I. a. D. 1585.

Officia in Hebdomada Majori ne fiant intempesta nocte.

II. Ib. p. 220. C. C. SIXTUS V. ad p. r. m.

Inc. *Romani Pontificis*, &c.

NOctu fiebant in Portugallia divina matutina officia, præsenti populo in majori Hebdomada, & in die Dominicæ Resurrectionis.

Sixtus corrigere volens abusum hunc, ex quo plurima poterant provenire mala, & scandala, mandat,

Ut hæc officia absolvi debeant in ipsius solis occasu;

Idque præcipit Ordinariis, & Superioribus Monasteriorum sub pœnis &c. & sub obedientiæ strictæ præcepto. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVIII. Mar. P. a. IV. a. D. 1589.

Indultum datum Ecclesiis Cathedralibus.

INNOCENTIUS X. ad p. r. m. III. B. R. t. 8. p. 3. p. 142. C. C.

Inc. *Super universas*, &c.

IN Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis est Canonicus Pœnitentiarius, cujus est Confessiones audire, & Canonicus Theologalis, cujus est Sacram Scripturam explicare, & Canonicus Magistralis, qui jura Ecclesiæ defendere debet, & consilia Canonicis dare, & populo prædicare.

Hi aberant a choro, ac proinde a suis muneribus, prætextu aliorum munerum præcipue Inquisitionis; & tamen distributiones, & fructus præbendarum volebant integras percipere;

Capitulum Elborense confugit ad Innocentium, qui statuit,

Ut nulli fructus, nullæ distributiones iis dentur juxta absentiam a divino servitio, si a choro absint ob alias causas, quam ut munera sua adimpleant. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIX. Dec. P. a. IV. a. D. 1647.

Filii ex genere Mauvorum declarantur incapaces Canonicatuum mediorum &c. in Cathedralibus.

IV. B.R.t.5. p. 3. p. 486.C.C. CLEMENS VIII. Epiſcopo Colimbrienſi.

Inc. *Tuæ Fraternitatis, &c.*

CUm progenitis ex Mauris non poſſint conferri beneficia curam animarum habentia, dignitates, Canonicatus in Eccleſiis Cathedralibus, & collegiatis, natum eſt dubium, cujus ſolutionem requirit Epiſcopus Colimbrienſis a Pontifice,

Num ſaltem Canonicatus medii, *Tertiariæ, & Quartanariæ* iis dari poſſent?

Reſpondet Clemens, neque Tertiarias, neque Quartanarias iis poſſe conferri. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIV. Jan. P. a. XI. a. D. 1693.

Declaratio Clementis, innovationes a ſe factas circa proviſiones Beneficiorum nihil læſuras jura regia circa eadem beneficia.

V. B.M.p.5. vel t. 11. p. 17. B.R. t. 7. p. 77. C.C. CLEMENS X. ad p. r. m.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

PEtrus Princeps Gubernator Portugalliæ, & Algarbiorum poſt obitum Sebaſtiani regis defuncti in prælio contra Mauros, & ejus Patrui Henrici Cardinalis ſuſpicatus erat, quaſdam innovationes factas a Clemente *circa proviſiones Eccleſiarum Metropolitanarum, & Cathedralium Portugalliæ, & Algarbiorum, Indiarum, & Conquiſtatarum* afferre poſſe iiſdem regnis, & provinciis præjudicium. Et hoc ſignificaverat Pontifici, qui per has litteras declarat,

Nullum præjudicium emanaturum inde in eas Eccleſias, *& in illam coronam*. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXII. Dec. P. a. I. a. D. 1670.

Innovationes neque juribus Eccleſiæ nocere debent.

VI. Ibid. Ib. p. 78. C. C. CLEMENS X. ad p. r. m.

Inc. *Cum nos, &c.*

SIcut proxima præcedenti conſtitutione declaravit Clemens quaſdam innovationes factas nullum præjudicium afferre juribus regum Portugalliæ, ita declarat per hanc,

Nullum itidem præjudicium eas afferre debere juribus S. Sedis in beneficia ejus regni, circa quorum nominationem illæ fuerant factæ. Non docet Pontifex, quæ fuerint hæ innovationes. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXII. Dec. P. a. I. a. D. 1670.

Hortatio ad regem Philippum, ne bona Eccleſiarum hujus regni diſſipari ſinat.

VII. B.R.t.6. p. 2. p. 9. C.C. URBANUS VIII. Philippo regi, &c.

Inc. *Paſtoralis officii, &c.*

AButentes miniſtri regis Hiſpaniarum, & Portugalliæ conſtitutione Gregorii IX. concedentis poſſe adhiberi bona Eccleſiæ pro neceſſitatibus regni, ſpoliabant Eccleſias, & loca pia bonis.

Ideo Urbanus regem Philippum rogat, ne permittat hoc damnum a ſuis miniſtris Eccleſiis inferri, ſed avitæ pietatis æmulator illos coerceat, & male retenta ad reſtituenda cogat. N. O.

D. in arce Gandulphi Die XXVII. Oct. P. a. XIV. a. D. 1636.

Irritatio actorum contra bona Eccleſiaſtica.

URBANUS VIII. ad f. r. m. VIII. Ib. p. 145. C.C.

Inc. *Quamvis juxta Canonicas, &c.*

PArvi pendentes in Luſitania quidam decreta Canonum uſurpabant bona eccleſiaſtica, judiceſque ea addicebant Laicis in præjudicium Eccleſiarum.

Hæc omnia acta irritat, & caſſat Urbanus, declaratque talia patrantes in cenſuras incidiſſe. N. O.

D. R. apud S. M. Maj. Die V. Jul. P. a. XV. a. D. 1638.

Chriſtiani in Hebraiſmum relapſi, hæretici pœnitentes abſolvuntur.

PAULUS III. ad p. r. m. IX. B.M. t. 1. p. 712. B.R. t. 1. p. 1. p. 232. C.C.

Inc. *Illius vices, &c.*

AUdierat Clemens VII. in regnis Portugalliæ, & Algarbiorum nonnullos Hebræos Chriſtianos factos rediiſſe ad Judaiſmum, nonnullos Chriſtianos ritus Hebræorum exercere, quoſdam hæreſim Lutheri profiteri.

Quibus rebus permotus miſerat eo Didacum Fratrem Ord. S. Franciſci de Paula, qui ſimul cum Nuncio Pontificio, & Ordinariis locorum pœnas minitando, exhortationes adhibendo, publice conciones habendo hos errantes ad rectum fidei tramitem reduceret.

Quare qui ejecti erant a dignitatibus, a beneficiis, ſi ſe vere pœniteret, ut in priſtinos honores, & beneficia reſtituerentur, voluerat.

Jam formulam abſolutionis ad hoc factam mandaverat edi. Sed rex, qui, ut ajebat, habebat multa alia graviſſimi momenti peragenda in utilitatem regni, diſtulerat publicationem.

Nunc autem turbis in regno ſeditis abjurantibus aliis hæreſim, aliis purgantibus ſe a ſuſpicione, aliis dantibus cautionem de recta fide ſervanda, præcipit Paulus, ut proceſſus removeantur, ut nemo eos moleſtet, nemo iis injuriam faciat, & publicetur ubique per ea regna indulta abſolutio.

Qui contra fecerint, cenſuris coerceantur.

Deputantur executores. N. O.

Nulli ergo, &c.

Jubet, carceratos relaxari, convictos de Apoſtaſia, & hæreſi abjurationem publicam facere apud habentem juriſdictionem.

D. R. apud S. Petrum Die XII. Oct. P. a. I. a. D. 1535.

Abſolutio, & venia pro converſis ab Judaiſmo, & eorum deſcendentibus.

CLEMENS X. ad p. r. m. X. B.R.t.5. p. 3. p. 73. C. C.

Inc. *Poſtulat a nobis, &c.*

PEtiit Philippus III. a Clemente abſolutionem generalem eorum Judæorum, qui ad fidem converſi ad Judaiſmum redierant juxta id, quod Clemens VII. & Paulus III. egerant.

Eos ergo generaliter, & plenarie Clemens abſolvit, & a quibuſcumque pœnis, & infamia liberat, modo vere, & non fictitie ad fidem redeant; capaces tamen beneficiorum Eccleſiaſticorum eos non vult.

Dat illis facultatem eligendi ſibi confeſſarium, a quo abſolvantur, abſoluti autem in judicium trahi non poſſint, niſi poſt hanc abſolutionem relabantur.

Mandat ordinariis, & Inquiſitoribus, ut retentos in carceribus relaxent, neque per biennium delationes in eos admittant.

Executores deputat. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXIII. Aug. P. a. XIII. a. D. 1604.

Inquiſitor abſolvat Neophytos in Inſulis tranſmarinis ſubjectis Portugalliæ intra quinquennium.

URBANUS VIII. Epiſcopo olim Pharaonenſi. XI. B.R. t.5. p. 5. p. 324. C.C.

Inc. *Sedes Apoſtolica, &c.*

MUlti in Indiis, & Inſulis tranſmarinis vel timore, vel quod caruerunt a quibus confirmarentur in fide, converſi a fide deſciverant, horrenteſque pœnas Inquiſitionis verebantur fateri crimen ſuum.

Philippus Pontificem rogavit, ut conſuleret his miſeris;

Qui mandat Inquiſitori Portugalliæ, ut hos ad pœnitentiam redeuntes benigne ſuſcipiat, nullamque pœnam niſi ſalutarem in confeſſione iis injungat,

Idque per quinquennium. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXII. Apr. P. a. II. a. D. 1625.

Quinquennium incipiat a die publicationis harum litterarum in iis regionibus.

XII. Ib p. 325. C.C. URBANUS VIII. Eidem &c.

Inc. *Hodie a nobis, &c.*

QUia iter uſque ad illas partes eſt longiſſimum, bonaque pars quinquennii tranſiret, antequam hæ litteræ eo pervenirent,

Vult Urbanus, ut quinquennium incipiat a die publicationis harum litterarum ibidem. N. O.

D. eodem die, &c.

Impoſitio ſubſidii Clero Portugalliæ.

XIII. Ib. p. 394. C. C. GREGORIUS XV. ad p. r. m.

Inc. *In ſuprema, &c.*

INvaſerant hæretici (Batavi) Indias Orientales, quibus ut facilius reſiſteret Philippus Hiſpaniarum, & Portugalliæ rex, mandat Gregorius,

Ut Clerus Sæcularis, & Regularis Portugalliæ ſolvat eidem Regi ſubſidium decem millium ſcutorum auri.

Nuncius A. jubetur executores deputare. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXII. Jul. P. a. II. a. D. 1622.

Collector ſpoliorum abſolvat officiales Cameræ Portugalliæ ob exactam a Clero pecuniam in alios uſus ab juſſis inſumptam.

XIV. B.R. t.6. p. 1. p. 64. C.C. URBANUS VIII. Collectori Spoliorum in Portugallia.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

IMpoſuerant officiales Cameræ Ulyſſiponenſis quamdam gabellam ſuper carne, & vino, qua deducerent aquam in urbem Ulyſſiponem exigendam etiam ab Eccleſiaſticis de licentia S. Sedis,

Anno 1619. Philippus III. iter in Portugalliam ſuſcepit, ut illius regni caſtra, & fortalitia inviſeret; & cum multas expenſas feciſſet, officiales prædicti illi dederunt pecuniam collectam ad derivandam aquam in urbem.

Qui cum poſtea advertiſſent, ſe ob id incurriſſe in cenſuras eccleſiaſticas, petierunt ab Urbano abſolutionem.

Urbanus demandat Collectori ſpoliorum ibidem, ut illis petitam abſolutionem impartiatur. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIV. Jul. P. a. IV. a. D. 1627.

Eccleſiaſtici jubentur conferre pecuniam pro derivatione aquarum in Urbem Ulyſſiponem.

XV. Ib. p. 65. C. C. URBANUS VIII. eidem Collectori.

Inc. *Hodie pro parte, &c.*

EXpoſuerunt Pontifici officiales prædicti, penuriam ſummam aquarum dulcium eſſe Ulyſſipone ingenti cum incommodo incolarum; neceſſariam proinde eſſe derivationem earum majorem, quam antea, ad quam faciendam opus eſſe magnis expenſis, quibus laici ſoli non ſufficerent.

Petierunt ergo, ut permitteret, etiam Eccleſiaſticos futuros participes hujus commodi aliquid ſolvere.

Jubetur Collector Clerum ad id cogere.

Caveat tamen id Collector, ne pecunia in alios uſus, ſicut antea, inſumatur. N. O.

D. R. apud S. M. Maj. Die XIV. Oct. P. a. IV. a. D. 1627.

Rex poſſit exigere a Clero gabellam ſuper carne & vino.

URBANUS VIII. Collectori &c. XVI. Ib. p. 162. C.C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

CUm dominia regis in Indiis diriperentur ab hoſtibus, Officiales Cameræ Ulyſſiponenſis obtulere ſubſidium regi, ſed cum eſſet exigendum etiam a Clero, petiit rex, ut illud poſſet exigere ab eo ſuper carne, & vino.

Urbanus permittit, ut illud exigat, ſed tantum ad ſummam ſcutorum quatuor centum millium.

Rex deputet perſonam, Clerus alteram ad exigendam hanc gabellam.

Id exequendum mandat Urbanus Collectori Spoliorum. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXX. Jan. P. a. VI. a. D. 1629.

Extenſio prædictæ Gabellæ.

URBANUS VIII. Eidem Collectori. XVII. Ib. p. 205. C.C.

Inc. *Alias a nobis, &c.*

EXtendit Urbanus, ita rege ſupplicante, facultatem exigendi gabellam ſuper carne, & vino ad omnes Eccleſiaſticos utriuſque Cleri exiſtentes in Portugallia, & in Algarbiorum Regno,

Tamen ad decennium tantum. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XII. Dec. P. a. VII. a. D. 1729.

Confirmatio concordiæ inter Clerum, & regem.

URBANUS VIII. ad p. r. m. XVIII. Ib. p. 219. C.C.

Inc. *Ad clavum, &c.*

CLerus Portugalliæ obtulit regi *donationem voluntariam triginta millium Cruciatorum*, aliamque ducentorum, & viginti millium.

Apponuntur tempora ſolutionis, executores, a quibus hæc donatio facienda.

Conditiones has ita rogatus Urbanus ratas habet. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVII. Junii P. a. VII. a. D. 1630.

Prorogatio gabellæ ſuper carne, & vino ad ſexennium.

URBANUS VIII. Collectori &c. XIX. B. R. t. 6. p. 2. p. 43 C.C.

Inc. *Alias a nobis, &c.*

SUpplicante Philippo rege, ut exactio gabellæ impoſitæ ſuper carne, & vino in Portugallia, & Algarbiis prorogaret,

Urbanus illam prorogat ad ſexennium iiſdem cum clauſulis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Nov. P. a. XIII. a. D. 1635.

Conceſſio ſubſidii regi, ut opem ferat Venetis.

CLEMENS XI. Nuncio A. in Portugallia. XX. B.M.p.8. p. 163.

Inc. *Cum Cariſſimus, &c.*

MOtus Portugalliæ Rex indignitate belli moti a Turcis in Venetam Remp. pollicetur Clementi, ſe miſſurum in illius auxilium aliquot Naves, ſi abrogato ſubſidio impetrato an. 1712. aliud ſubſidium permitteret exigi, ut poſſet naves reficere, ærario jam exhauſto ob multas impenſas factas in bello pro ſucceſſione ad regna Hiſpaniarum.

Subſidium itaque unius millionis Cruciatorum ſuper fructibus bonorum Eccleſiaſticorum illorum regnorum imponit Clemens.

Neque quemquam Clericum ſæcularem, vel regula-

rem

rem excipit, niſi Cardinales, officium Inquiſitionis, milites Hieroſolymitanos.

Exactionem hujus ſubſidii committit Nuncio ſuo in Portugallia, cum facultate per cenſuras Eccleſiaſticos renuentes cogendi;

Jubetque pecuniam ſolvi regi, vel ejus miniſtris hac conditione, ut in uſum belli contra Turcas, & non in alium, ab ipſo convertatur.

Demum vult, obſervari Clementis V. conſtitutionem, qua inhibet, ne vaſa ſacra, libri, paramenta immediate ſervientia divino cultui vendantur ut hoc ſubſidium ſolvatur. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VIII. Aug. P. a. XVI. a. D. 1716.

Conceditur tertia pars reddituum omnium Eccleſiarum Ulyſſiponis Regi.

XXI. In folio ſeparato. BENEDICTUS XIV. Portugalliæ Regi Fideliſſimo.

Ine. *Exponi nobis*, &c.

ANno 1768. in menſe Julio publicari fecit Rex Portugalliæ Benedicti XIV. Breve, quo

Concedebat Regi eidem, ut per annos 15. poſſet exigere omnium reddituum omnium Eccleſiarum Parochialium, Collegiatarum, Canonicatuum &c. partem tertiam, exiſtentium in urbe Ulyſſipone inſumendorum in reparationem earum Eccleſiarum.

Cum enim fere omnes eſſent deformatæ terræ motu, quædam etiam pene dirutæ, viſque auri ingens requiratur, ut reſarciantur, æquum vilum eſt Pontifici annuere Regis precibus. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VI. Jan. P. a. XVIII. a. D. 1758.

Avocatio ad S. Sedem litium inter Commiſſarium Cruciatæ, & Collectorem Spoliorum.

XXII. B.R. t. 5. p. 5. p. 446. C. C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Cum ſicut*, &c.

GRaves erant ortæ controverſiæ inter Collectorem Spoliorum Cameræ A. & Commiſſarium Bullæ Cruciatæ in Portugallia, cum quædam hic ſibi licere diceret vi ejus bullæ, ille negaret.

Has lites ad ſe avocat Urbanus, præcipitque Collectori, ut nomine Pontificis jubeat Commiſſario, ejuſque miniſtris, ne interea quicquam moliantur.

Agenda a Commiſſario, & ejus miniſtris Urbanus irritat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIII. Junii P. a. III. a. D. 1626.

Commiſſio, ut juridicam informationem de erroribus Commiſſarii capiat Collector.

XXIII. Ib. p. 419. C. C. URBANUS VIII. Collectori Spoliorum.

Inc. *Ad Apoſtolatum*, &c.

CUm relatum fuiſſet Pontifici, Commiſſarium Indulgentiarum Cruciatæ ſpargere in vulgus ſe ſolum privative quoad S. Sedem poſſe dare licentiam oratoriorum privatorum, & alias propoſitiones lædentes Pontificiam auctoritatem, mandat Collectori Spoliorum Urbanus,

Ut juridicam informationem capiat de his Commiſſarii ſententiis, de ejus fautoribus, complicibus &c. & omnia Romam mittat.

Commiſſarius erat Antonius Maſcharenas.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIII. Junii P. a. III. a. D. 1626.

Definiuntur facultates Commiſſarii Cruciatæ.

XXIV. B.R. t. 6. p. 1. p. 146. C. C. URBANUS VIII. Collectori Spoliorum.

Inc. *Cum ſicut*, &c.

UT ſedarentur controverſiæ inter Collectorem, & Commiſſarium, Sacra Cardinalium Congregatio ad hoc ab Urbano deputata præfinivit facultates ejuſdem Commiſſarij;

Scilicet, eum non poſſe dare licentiam exſtruendi oratoria privata, & ibi dicendi, audiendique Miſſæ Sacrificium,

Non debere dari appellationem ab iis, circa quæ ejus poteſtas verſatur; & quando ille excedit, recurrendum eſſe ad Collectorem.

Hinc ſuerunt orta dubia:

I. Ad quem ſpectaret judicare, utrum Commiſſarius excedat;

II. Quando cenſendus ſit Commiſſarius, uti merus, vel mixtus exequutor?

III. An Commiſſarius, & Notarius poſſint cogi ad tradenda acta, ut Collector judicet, an exceſſerit?

Eadem Congregatio reſpondit

Ad 1. Cognitionem hanc ſpectare ad Collectorem,

Ad 2. Cum Commiſſarius abſque judiciali forma exequitur, quæ Bulla Cruciatæ jubet, eſt merus executor, cum rem minime cognitam dijudicat, & exequi facit, eſt mixtus exequutor;

Ad 3. Poſſe, & Commiſſarium, & Notarium cogi ad tradenda Collectori acta.

Cum his non acquieſceret Commiſſarius, Pontifex hæc confirmat, illique indicit ſilentium;

Mandatque Nuncio A. Hiſpaniarum, ut, niſi Commiſſarius pareat, eum excommunicet, privetque beneficiis &c. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVIII. Sept. P. a. VI. a. D. 1628.

Confirmatio.

URBANUS VIII. Eidem Collectori &c. XXV. Ib. p. 405. C. C.

Inc. *Alias nos*, &c.

ITerum deciſiones ſupradictas Urbanus confirmat.

Executoremque deputat Nuncium A. in Hiſpaniis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die X. Junii P. a. XI. a. D. 1634.

Decem m. ſcuta ex indulgentiis Cruciatæ aſſignantur Fabricæ Baſilicæ S. Petri.

PAULUS V. Philippo regi &c. XXVI. B.R. t. 5. p. 3. p. 352. C. C.

Inc. *Hodie per alias*, &c.

ELeemoſynas pro indulgentiis Cruciatæ in Portugallia prorogat Paulus Philippo regi in aliud triennium.

Vult tamen, ut quovis anno hujus triennii Romam mittat decem millia ducatorum auri de Camera pro Fabrica Baſilicæ S. Petri.

D. Romæ apud S. Petrum Die IX. Dec. P. a. IV. a. D. 1608.

Eadem.

PAULUS V. Philippo &c. XXVII. Ib. p. 188. C. C.

Inc. *Hodie per alias*, &c.

PRorogat ad aliud triennium eaſdem indulgentias cum eadem penſione.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVI. Dec. P. a. V. a. D. 1609.

Decem m. ſcuta pro eadem Fabrica imponuntur.

GREGORIUS XV. Philippo &c. XXVIII. B.R. t. 5. p. 4. p. 379. C. C.

Inc. *Hodie per alias*, &c.

CUm ex indulgentiis Cruciatæ eleemoſynas colligere Philippo Gregorius permittat, eum monet, ut ſolvat ſolita decem millia ſcuta pro Fabrica Eccleſiæ Vaticanæ. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVI. Sept. P. a. I. a. D. 1621.

Decem

Decem millia ſcuta imperantur.

XXIX. B.R. t. 6. p. 1. p. 257. C. C. URBANUS VIII. Philippo &c.

Inc. *Hodie per alias*, &c.

PRorogavit Urbanus indulta Cruciatæ regi Philippo, Vult ergo, ut ſolita decem millia ſcuta ſolvat pro eadem Fabrica;

Mandatque Commiſſario, ut ea det Collectori Spoliorum ibidem. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXI. Febr. P. a. VIII. a. D. 1631.

Nuncius A. deputatur ad accipienda c. m. ſcuta.

XXX. B.R. t. 6. p. 3. p. 219. C. C. INNOCENTIUS X. Nuncio A. in Hiſpaniis.

Inc. *Cum alias*, &c.

RAtione noviſſime factæ promulgationis Bullæ Cruciatæ Fabricæ Eccleſiæ Vaticanæ erat creditrix a rege Hiſpaniarum ſummæ ſcutorum centum millium.

Quæ mandat Innocentius Nuncio ſuo ibidem, ut exigat vel per ſe, vel per alium deputatum, & *ſuo tamen periculo Romam mittat*. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVIII. Junii P. a. VII. a. D. 1651.

Nova conceſſio Cruciatæ in Portugallia.

CLEMENS IX. ad. f. r. m.

XXXI. B.R. t. 6. p. 6. p. 280. C. C. Inc. *Indulgentias*, &c.

INdulgentias cruciatæ, vult, Clemens publicari in dominiis regis Portugalliæ duraturas ad triennium.

Quod triennium incipiet in Portugallia a die, quo Ulixbonæ fiet earum publicatio; in locis ultramarinis a die, quo ibidem publicabuntur.

Eleemoſynæ inde collectæ applicentur uſibus piis, præter ſexaginta millia ſcutorum, quæ Pontifex reſervat Fabricæ Baſilicæ S. Petri. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIV. Aug. P. a. II. a. D. 1668.

Damnatio duorum librorum de indulgentiis Cruciatæ in Portugallia.

XXXII. B.M. t. 8. p. 63. B.R. t. 10. p. 1. p. 289. C. C. CLEMENS XI. ad p. r. m.

Inc. *Cum ſicut*, &c.

PRoſcribit Clemens hos duos libros modis conſuetis, & formulis,

I. Doctoris Laurentii Pires Carvalho quæſtiones ſelectæ de Bulla Cruciatæ Luſitanie pars prima, & poſterior. Ulyſſipone 1648.

II. Epitome das indulgentias, & privilegios de Bulla de Santa Cruzada repartido para major Clareza en titulos pellas Indulgentias, e diverſas facultades, che contem con alques advertencias no principio, compoſto par Laurent Pires de Carvalho de ſua Mageſtade deputado do Tribunal da conſciencia, e ordens, e do Conſellio dos tres eſtados, Commiſſario General de Bulla da Santa Cruzada noſtes Reinos, e dominios de Portugal.

Lisboa 1696.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIX. Dec. P. a. VIII. a. D. 1707.

DE PRINCIPATU INSULARUM FORTUNATARUM.

Ludovicus de Hiſpania inveſtitur Inſulis Fortunatis.

I. B.R. t. 3. p. 2. p. 256. C. C. CLEMENS VI. Lud. de Hiſpania Principi Fortuniæ.

Inc. *Sicut exhibitæ*, &c.

LUdovicus de Hiſpania poſtulavit a Pontifice concedi ſibi quaſdam Inſulas in mari oceano ſitas inter meridiem, & occidentem, quæ dicuntur Inſulæ Fortunatæ, *quarum omnium prima Canaira, alia Ningaria, tertia Pluviaria, quarta Capraria, quinta Junonia, ſexta Embronea, Septima Athlantia, octava Heſperidum, nona Ceruent, & illa, quæ eſt in mari mediterraneo Galeto vulgariter nuncupantur*; hæ Inſulæ omnes erant a Chriſti fide alienæ; & in eas ſe conferre Ludovicus volebat, ut earum incolas ad Chriſti fidem pertraheret.

Eas Ludovico concedit in feudum Clemens cum omnibus juribus, & pertinentiis, cum imperio mixto, & mero tranſmittendas ad heredes ſuos Catholicos, *abſque tamen juris alieni præjudicio, & ſalva ſuperioritate Romani Pontificis*; ut in illis Chriſti fidem propaget, monaſteria, & Eccleſias ædificet, quorum beneficiorum Ludovicus habeat jus-patronatus.

Erecta Monaſteria, & Eccleſias Cathedrales, & Collegiatas ipſe Ludovicus, & ſucceſſores manuteneant.

Dat ei titulum principis Fortuniæ, *imponitque illi coronam auream in capite in ſignum principatus*, ut ille & ſucceſſores appellentur Fortuniæ principes, & homagium ligium, & vaſſallagium, & fidelitatis juramentum præſtare Romanæ Sedi teneantur. Ad quas Inſulas poſſit ſuccedere ſuperſtes unica femina, quæ nubat viro Catholico, ſi ſit innupta, de conſilio S. Sedis.

Illi imponit cenſum quadringentorum Florenorum boni auri ad pondus Floreni Florentini in Feſto SS. Petri, & Pauli ſolvendum quotannis Romano Pontifici, ubicumque ſit: quem niſi ſolvet intra tres terminos conſtantes ſingulos quatuor menſibus cadat Feudo devolvaturque ad S. Sedem, prius excommunicato Principe, & interdicto ſuppoſitis inſulis.

Apponitur formula juramenti a Ludovico, illiuſque ſucceſſoribus præſtandi novo Pontifici.

Intra menſem mittet ad Pontificem Princeps *ſuper hoc litteras ſuo ſigillo ſignatas*.

Nec ipſe, nec ejus heredes facient contra Romanam Eccleſiam fœdus, immo curabunt illi auxiliari.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Aven. XVIII. Cal. Dec. P. a. III. a. D. 1344.

Avenionem ſe contulerat Ludovicus, qui erat unus e Legatis Regis Galliæ ad Pontificem. Eum Pontifex coronavit in Conciſtorio publico, juramentumque in manu Pontificis dedit, quod continet prædicta in diplomate.

Actum Avinione in Palatio Apoſtolico anno a Nativitate Domini MCCCXLIV. Indictione XII. Die XXVIII. Menſis Novembris Sanctiſſimi Pontificatus veſtri anno III.

Cruciata pro iis Inſulis mandatur publicanda.

CLEMENS VI. Ludovico Principi Fortuniæ. II. Ep. Clem. 296.

Inc. *Cum tu*, &c.

REx Galliæ promiſerat auxilium Ludovico, ut Inſulas, quibus erat inveſtitus, acquirere bello poſſet.

„ Quæ tamen ſpes evanuit, cum Gallus ab Eduar-
„ do Angliæ rege fuerit anno ſequenti grandi prælio
„ victus, & Ludovicus nunquam ad eas Inſulas adiit.

Interim Clemens, ut earum acquiſitionem Ludovico paret, mandat publicari cruciatam cum ſolitis indulgentiis omnibus concedendis iis, qui illuc in auxilium Ludovici iverint.

D. Aven. Id. Jan. P. a. III. a. D. 1344.

Raynaldus: traxerat Ludovicus ex Ferdinando principe majori natu Alphonſi X. Caſtellæ, & Legionis Regis atque ex filia S. Ludovici genus, cujus filii a patruo regno dejecti fuerant. (v. inter Bullas de regibus Caſtellæ) *Alphonſum Luſitaniæ regem, Delphinum, Viennenſem, & Januenſem Gubernatorem Andream Siciliæ Regem, & Alphonſum regem Caſtellæ rogaverat Clemens, ut Ludovicum milite, & commeatu juvarent.*

Reſpondit Pontifici Luſitanus Rex, ſe lætari, a Pontifice fuiſſe electum in principem earum inſularum Ludovicum conſanguineum ſuum;

Se tamen habere jus in eas inſulas; nam ſe primum eas detexiſſe, & ſubditos ſuos ad eas miſiſſe, & niſi fuiſſet tunc implicitus bello Saracenico, eas fuiſſe occupaturum, fidemque Chriſti in iis diſſeminaturum;

Se tamen ob reverentiam in Pontificem cedere juri ſuo, præcipue cum Ludovicum amet, cum ſit ſuus conſanguineus;

Niſi regiæ opes eſſent attenuatæ diutino Mauritano

bello, nisi semper copias instructas ad repellendos Saracenos cogeretur habere, libenter & milite, & argento Ludovico auxiliaturum esse.

In eandem fere sententiam Pontifici scripsit Castellæ Rex; nempe cum illæ insulæ spectent ad Africam, suique progenitores tot impensas fecerint, tot bella gesserint contra Afros, eos meruisse, ut omnia Africæ regna sint sui juris, quemadmodum jam hoc jus fuit sæpius iis confirmatum; se tamen illi juri cedere in obsequium Pontificis;

Gratum sibi esse, iis fuisse investitum Ludovicum e sua domo oriundum.

Litteræ sunt apud Raynald. ad a. 1344. §§. 48. & 50.

Ne exigantur a Neophytis earum insularum quidpiam ultra consuetudinem.

III. Ad ann. 1433. §. 21. EUGENIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Accepimus quod*, &c.

IN Insulis Canariæ multi avari exigebant ab iis populis noviter ad fidem conversis eorum omnium bonorum quintam partem.

Visa fuit hæc exactio acerba admodum Eugenio, qui decernit,

Ut ab iis conversis non exigatur nisi decima juxta consuetudinem partium cismarinarum.

D. Florentiæ III. Cal. Oct. P. a. IV. a. D. 1434.

Pecuniæ quædam quantitas ad Ap. Sedem spectans pro incolis harum insularum insumitur.

IV. Ad ann. 1436. §. 35. EUGENIUS IV. Episcopo Robicensi, & Canariensi.

Inc. *Pro parte*, &c.

MIssus fuerat ad convertendos hos insulanos Episcopus Robicensis, qui & Canariensis Prælatus electus fuerat a Sede Apostolica.

Multos ille converterat, multi convertendi restabant, pluraque erant facienda, ut prædicata fides conservaretur, quæ Episcopus fecisset, si sibi facultates suppetiissent.

Erat in Diœcesi Hispalensi Camera Antipapæ Benedicti XIII. plurimaque pecunia & sub illo, & sub Martino V. fuerat collecta, quæ a quibusdam privatis conservabatur.

Petiit Episcopus ab Eugenio pecuniam illam, quoniam jam inutilis erat, & ex illa fieri ea poterant, quæ conservationi fidei in iis insulis inservirent.

Eam libenter concedit Eugenius Episcopo.

Mandatque depositariis ejus pecuniæ, ut eam Episcopo tradant.

D. Florentiæ pridie Id. Janu. P. a. V. a. D. 1436.

Avarorum in Canarienses latrocinia reprimuntur.

EUGENIUS IV. Pacensi, & Cordubensi Episcopis. V. Ib.

Inc. *Sicut dudum*, &c.

E Relatione Episcopi Canariensis acceperat Eugenius quosdam homines armata manu in has insulas descendisse, & nulla habita ratione religionis, ætatis, sexus cepisse Christianos, & idololatras, pueros, viroscque, mares, feminasque, eos in servitutem asperam dedisse, vendidisse, & coegisse ad turpia; proinde eos insulanos perterrefactos nolle amplius in catholica religione instrui, sed se abdere.

Ut huic gravissimo malo medeatur Eugenius, mandat, ut infra quindecim dies quicunque habet aliquem ex iis incolis, eum liberum dimittat; idque sub pœna excommunicationis nonnisi a Romano Pontifice solvendæ.

Quam excommunicationem incurrent illi etiam, qui aliquem captivabunt;

Prædictos Episcopos hæc publicare mandat.

D. Florentiæ Id. Janu. P. a. V. a. D. 1436.

DE

DE REGNO ANGLIÆ.

Hubertus Legatus Ap. in Anglia jubetur monere Regem Villelmum.

I. Exbaron. ad ann. 1079. §. 21. GREGORIUS VII. Huberto, &c.

Inc. *Multa sunt*, &c.

SIgnificat Gregorius Huberto, multa se audivisse, quæ contra Ecclesiam Romanam patrarat Rex Angliæ Villelmus, sed hoc præcipue, quod vetuerat sui regni Episcopis ne ad sacra limina venirent.

Mandat illi igitur, ut dexteritate utens, ei significet, sicut ille graviter ferret, si a suis subditis debito honore non coleretur, ita graviter Ecclesiam ferre, eum jubere, ne debitus honor ab ejus Episcopis sibi præstetur; potius eum debere cultum in Ecclesiam augere;

Se huc usque ei pepercisse, sed si perget ita porro facere, eum in se iram B. Petri graviter concitaturum.

Monet Legatum, ut invitet Episcopos tam Anglicos, quam Northmanicos ut e quovis Archiepiscopatu duo saltem ad synodum Romæ habendam veniant, vel post Pascha se Ap. Sedi præsentent.

D. Romæ Die IV. Sept. P. a. VII. a. D. 1079.

Rex scripsit Pontifici, se purgavit, permisitque Episcopos venire Romam.

Permissio fit regi, ut ingrediatur in Hiberniam.

II. B. R. t. 2. p. 35. C. C. HADRIANUS IV. Illustri Anglorum regi.

Inc. *Laudabiliter*, & *fructuose*, &c.

HEnricus II. Anglorum rex scripserat Pontifici, *cupere se Hiberniam insulam, & populum illum subdere legibus & vitiorum plantaria exstirpare, & de singulis domibus annuam unius denarii B. Petro velle solvere pensionem, & jura Ecclesiarum illius terræ illibata, & integra conservare.*

Pontifex, collaudato rege, collaudato illius consilio, eventus prosperos ei prædicens, *quoniam Hiberniam, & omnes Insulas ad jus B. Petri, & sacrosanctæ R. E. non est dubium pertinere, præbet assensum; ut pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus; & virtutibus inserendis insulam illam* rex ingrediatur.

Confirmatque oblatam a Rege annuam pensionem. a. 1155.

Suspensio eorum Episcoporum, qui astiterunt coronationi regiæ.

III. Il. p. 414. C. C. ALEXANDER III. London. Saresbe. Exom. Cestr. Rossen. Episcopis.

Inc. *Oportuerat vos*, &c.

GRaviter prædictos Episcopos coarguit Alexander, quod non obstante sua inhibitione, ausi fuerint assistere coronationi regis filii.

Mala hinc enata exponit, exilium Archiepiscopi Thomæ, præjudicium Cantuariensis Ecclesiæ, regis obstinationem in lædendis juribus Ecclesiæ.

Itaque eos Episcopos ab omni Episcopali munere suspendit; sin autem Londinensis, & Saresberiensis Episcopi *coronationi favoris sui ministerium præbuerint*, anathemate ferit, & ut excommunicatos præcipit vitari.

In quosdam Clericos excommunicationem ab Archiepiscopo Thoma latam Alexander confirmat.

Datum Ferentini XVI. Cal. Octob. Incarn. Dom. an. MCLXX. Pontif. Alexandri PP. III. an. XII. a. D. 1170.

Suspensio Episcoporum London. & Saresber.

IV. Ib. p. 416. C. C. ALEXANDER III. Episcopis London. & Saresb.

Inc. *Quamvis curæ*, &c.

OBjurgat acriter Alexander præfatos Episcopos, quod Archiepiscopum Cantuariensem Thomam jam satis afflictum ob exilium, in quod rex illum expulerat, magis afflixerint ob ereptum illi jus, quod ex antiquo more competit Archiepiscopis illius Ecclesiæ, reges coronandi.

Ob hoc igitur violatum Cantuariensis Ecclesiæ jus, præcipue cum Pontifex eos admonuisset, ne regem coronarent, ab Episcopali officio eos suspendit.

Tunc autem ad pristinum munus eos restituet, cum congruam satisfactionem Archiepiscopo dederint.

Datum Tusculani VIII. Cal. Dec. P. a. XII. a. D. 1170.

Filius regis non coronetur; nisi juret, se servaturum jura Ecclesiæ.

ALEXANDER III. Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, & Universis Episcopis per Angliam constitutis. V. Ib. p. 407. C. C.

Inc. *Ex commissi*, &c.

EPiscopos Angliæ, & Archiepiscopum Cantuariensem monet, ne si Rex voluerit coronare in Regem filium Henricum, illi coronationi assistant, hic, ad quem ex antiqua consuetudine Regam coronatio spectat, non coronet, nisi ille prius juraverit, se jura Ecclesiarum conservaturum.

Datum Beneventi VI. Cal. Martii. a. 1170.

Angliæ nullus Episcopus coronet regem.

ALEXANDER III. Eboracensi Archiepiscopo, universisque Angliæ Episcopis. VI. Ib. p. 407. C. C.

Inc. *Quoniam ad audientiam*, &c.

EX antiqua consuetudine inunctio, & coronatio regum Angliæ ad Archiepiscopum Cantuariensem spectat.

Jam Thomas Archiepiscopus actus fuerat a rege in exilium.

Mandat ergo Pontifex omnibus Angliæ Episcopis, ne eorum quisquam coronare audeat regis filium, quamlibet appellatione remota.

Datum apud Cerumar IV. Cal. Martii Pontif. a. XI. an. 1170.

Donum mittitur ad Anglorum Regem.

INNOCENTIUS III. Illustri Anglorum Regi. VII. Ex Odoyn. an. 13. p. 14.

Inc. *Inter opes*, &c.

SE excusat Innocentius si quatuor annulos aureos ad Regem dono mittit, cum ille multo pretiosiores habeat.

In iis vult attendi mysterium, non pretium.

Annulorum rotunditas significat æternitatem, quam si habeat semper in mente Rex, nunquam peccabit.

Sunt quatuor: quaternarius autem numerus cum sit quadratus animi constantiam in prosperis, in adversis semper ejusdem significat.

Sunt aurei; aurum autem sapientiam significat, ita Regibus necessariam, ut illam unam Salamon a Deo postularit.

In smaragdo habet rex quod credat, in saphiro quod speret, in granato quod diligat, in topazio quod exerceat, & de virtute in virtutem ascendat, donec Deum Deorum videat in Sion.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1198.

Reprehenditur Rex Angliæ Joannes, quod causam belli Philippo Galliæ Regi dederit.

INNOCENTIUS III. Joanni Anglorum Regi. VIII. Ex Raynal. t. 13. p. 100.

Inc. *Nosse te*, &c.

BEllum enatum erat inter Reges Angliæ, & Galliæ. Innocentius scripserat Regi Galliæ, ut desisteret a bello, ita rogatus ab Joanne, qui ajebat nullam se ei-

dem regi causam belli movendi dedisse. Rescripsit Rex Galliæ, se non fuisse moturum Joanni Regi bellum, nisi ab illo fuisset provocatus; Joannem damna non modica intulisse Ecclesiæ S. Martini Turonensis, cujus omnia bona, quæ possidet, sunt data a Regibus Galliæ, hominem subjectum eidem Ecclesiæ fuisse ab homine Anglo occisum: Joannem homines addictos ejusdem Ecclesiæ servitio abstulisse, eum requisitum a Philippo sæpius ut hæc emendaret, tribus, quatuorque terminis requisitis, nihil Joannem facere voluisse; Philippum de consilio suorum aulicorum Joanni diem statuisse, quo compareret, ut esset Philippi homo ligius, nec cum vel per se, vel per procuratorem comparere noluisse;

Cum se vidisset ita contemptum arma sumpsisse, quæ deponere non potest, nisi Joannes integre de illatis injuriis, de importatis damnis, de despicatu habito satisfactionem fecerit.

Monet ergo Innocentius Joannem, ut videat, ne iram Dei in se provocet, qui cum culpa moti belli ipse fuerit, in Philippum causam transfert, eumque violatorum pactorum reum facit;

Eum monet, se non posse non favere Philippo, pro quo justitia militat, cessaturum esse bellum, si causam belli ipse tollat, nempe si damna reparet, si homines restituat, si se coram rege purget.

D. Anagniæ II. Cal. Nov. P. a. VI. a. D. 1203.

Accoptio oblationis regni Angliæ factæ S. Sedi.

IX. B M.p.3. vel t. 9. p. 16. B.R. t.1. p. 1. p. 164. C.C. INNOCENTIUS III. Joanni Anglorum Regi, ejusque de sua uxore liberis heredibus in perpetuum.

Inc. *Rex regum, &c.*

JOannes Anglorum Rex sponte, & *de communi consilio suorum Baronum* obtulit B. Petro regnum Angliæ, & Hiberniæ.

In cujus oblationis gratiam edidit instrumentum, in quo declarat, se habere illud tamquam feudatarium;

Promittere proinde juratum Ecclesiæ Romanæ homagium ligium,

Obligare ad id etiam posteros suos descendentes a sua uxore.

Promittit, se mille Marchas Sterlingorum persoluturum annuatim S. Sedi, medietatem in die S. Michaelis, medietatem in Paschate præter solitum denarium S. Petri.

Declarat successorem suum, qui hæc non peregerit, casurum a jure Regni.

Additur Regis juramentum.

Pontifex recipit oblationem regni, concessionem pecuniæ.

Et prædictum regnum dat in feudum Joanni, & antequam coronam accipiant reges, vult jurare homagium, & fidelitatem Ecclesiæ.

Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Laterani per manum Raynaldi Acolythi, & Capellani D. Innocentii PP. III. secundo Non. Novembris Indict. II. Incarn. Dom. a. MCCXIII. Pontif. vero ejusdem D. Innocentii an. XVI.

„ Inas Rex occidentalium Saxonum *regnum suum*, „ ut scribit Polidorus Virgilius lib. 4. Hist. Anglicæ „ pag. 118. *Romano Pontifici vectigale fecit singulis ar-* „ *genteis nummis, quos denarios vocant, in singulas* „ *domos impositis. Fecit idem ejus exemplo, ut opinor,* „ *ductus Offa Merciorum Rex, qui non multo post id* „ *tempus regnavit. Fuit annus salutis* 704. (Pontifex „ erat Zacharias.) *Hoc vectigal auxit Athulphus Rex,* „ *qui totius fere insulæ imperium obtinuit. Omnis An-* „ *glia hoc tempore isthuc vectigal pietatis, & Religio-* „ *nis causa Romano Pontifici pendit domesticatim col-* „ *latum, & nummi illi argentei vocantur vulgo* Denarii D. Petri, *quos Pontificius quæstor, quem non* „ *inscienter Collectorem nuncupant, exigit. Nos hanc* „ *olim quæsturam aliquot per annos gessimus, ejusque* „ *muneris obeundi causa primum in Angliam venimus*„.

„ Præterea an. 1213. Joannes rex Angliæ subjecit „ regnum suum S. Sedi cum oblatione annua mille „ marcharum Sterlingorum præter denarium S. Petri „ diploma est in codice Diplomatico Italiæ Joannis „ Christiani Lunig. t. 4. p. 80.

Excommunicatio in Episcopos nolentes pacem componere cum rege.

X. B M p 3. vel t. 9. p. 40. B. R. t.1. p. 169. C. C. INNOCENTIUS III. P. VVintonienſi Episcopo, Abbati de Redinge, & Pandulpho S. E. R. Subdiacono.

Inc. *Miramur plurimum, &c.*

JUre, ac merito miratur Pontifex, Regem Angliæ satisfeciſſe Ecclesiæ & Domino, quosdam Episcopos, inter quos erat Cantuarienſis, obstinatos adhuc esse contra ac decuerit.

Ex hac Episcoporum obstinatione quanta, & quot mala oriantur in *negotium terræ Sanctæ quis non videt?*

Igitur pœnam excommunicationis minatur Pontifex iis, qui ad pacem redire noluerint.

Jubet universis fidelibus regni, ut contra hos rebelles Regi auxilium, & consilium ferant. a. 1214.

Pactiones regis cum Episcopis factæ irritantur.

XI. Ib. p. 39. Ib. p. 172. C. C. INNOCENTIUS III. Universis Christifidelibus per Angliam constitutis.

Inc. *Etsi carissimus, &c.*

OFfenderat rex Joannes graviter Ecclesiam, proinde fuerat a Pontifice interdictus, sed adeo satisfecit Ecclesiæ, ut meruerit absolvi, Immo pollicitus fuerat se crucem assumpturum.

Quidam tamen Angliæ prælati obstinati erant, nec volebant cum rege pacem inire; hi moverunt etiam aliquos regni magnates.

His, ut ad pacem moveret, multa pollicitus rex fuerat, sed cum nollent, iniquam pactionem cum illis iniit, vilem, & turpem.

Indignum ergo ratus Innocentius tam parvi fieri regem a suis subditis irritat, & cassat ut indignam rege hanc conditionem.

D. Anagniæ IX. Cal. Sept. P. a. XVIII. a. D. 1215.

Excommunicatio Baronum regem persequentium.

XII. Ib. p. 41. INNOCENTIUS III. Abbati de Albendune, Archidiacono Pictavienſi, &c.

Inc. *Ad vestram, &c.*

EXcommunicat Pontifex Barones quosdam Angliæ, qui regem suum persequuntur, licet pacem Ecclesiæ dederit, & speciali titulo esset sub protectione S. Sedis, quia crucem sumpserat;

Excommunicat etiam eos, qui impediunt verbis, & factis ferri Regi auxilium;

Horum omnium Baronum terras interdicit.

Confirmat excommunicationem in quosdam barones nominatim latam, quam vult solemniter diebus festis, & Dominicis publicari.

D. Later. XVII. Cal. Janu. P. a. XVIII. a. D. 1216.

De morte Joannis, de Henrici coronatione, & de expeditione in Terram S.

XIII. Ib. p. 246. HONORIUS III. Henrico Regi.

Inc. *Audito inclitæ, &c.*

MOErorem suum e morte Regis Joannis conceptum significat Henrico Honorius; ejusque vices dolet, quod fuerit orbatus patre ejusmodi, quod in puerili ætate cum fratribus relictus fuerit, quod in tantis periculis fuerit ejus auxilio destitutus. Jam sibi videtur Honorius eum, ejusque fratres videre tendentes ad Apostolicam Sedem manus, & ejus præsidium implorantes; quod Pontifex Regi pollicetur.

Gaudet, quod expetitus a populis coronatus fuerit, & se summopere sperare ait, fore ut Deus misericordiam sit cum illo facturus.

Perseveret in devotione erga S. Sedem.

Sicut autem ejus pater votum expeditionis in terram S. fecerat, ita decet, sicut in ejus regnum & jura successit, filium Patris votum exequi; ita Deus ejus adolescentiæ benedicet, illique fausta omnia, & prospera dabit.

D. Later. III. Cal. Janu. P. a. II. 1217.

Pan-

Pamprochius excitatur ad fidem erga Regem.

XIV. Ib. p. 247. HONORIUS III. Pambrochio, &c.

Inc. *Licet de tua, &c.*

JAm persistebat in fide erga novum regem Pambrochius, ut tamen semper fidelis existat, & quo fortuna in regem est asperior, eo sit ipse constantior,

Eum hortatur Honorius, ut utilitatem regni, regiam personam respiciat.

Communicet consilia cum Gualone Cardinali Legato, & simul disponat uterque quæ ad pacem regni, quæ ad Regem ipsum pertinent, & expedire crediderit.

D. Lat. XIV. Cal. Febr. P. a. I. a. D. 1217.

Gualo Card. Legatus jubetur uxorem quærere pro Henrico.

XV. Ib. p. 247. HONORIUS III. Gualoni, &c.

Inc. *Fuit nobis, &c.*

REx Joannes moriens regnum, regemque Pontifici, & S. Sedi commendarat, & rogarat Pontificem, ut filio de matrimonio provideret.

Honorius dat curam hanc Gualoni S. Ap. ibidem Legato, ut simul cum viris regni, regisque amantibus uxorem quærat Henrico, *cujus affinitas utilis esse possit regi*, regnoque;

Tractatui favorem Apostolicum se præbiturum Honorius testatur.

D. Later. XVI. Cal. Febr. P. a. I. a. D. 1217.

Peragenda a Legato in tutela Regis exponuntur.

XVI. Ibidem. HONORIUS III. Gualoni.

Inc. *Ex tuis, &c.*

QUædam peragenda de persona regis præscribit Legato Honorius,

I. *Ut ad ipsius custodiam, & doctrinam eum consilio prælatorum, & magnatum deputet viros industrios, & fideles; ut per eos sollicite informetur in dicendis pariter, & agendis.*

II. *Ut ipsum incedere faciat per regnum sicut regem, pensatis tempore suo, & locorum circumstantiis;*

III. *Ut proprium sigillum illi fabricari faciat, & ad sigilli custodiam* ponat navum, & fidelem virum,

IV. Ut cancellarius, aliique officiales singuli officium suum sollicite, & fideliter exequantur.

D. Anagniæ V. Non. Febr. P. a. I. a. D. 1217.

„ Interim Ludovicus filius Galliæ regis quod noluit „ discedere ab Anglia, fuit excommunicatus victusque „ terra, & mari, veniamque petens fuit absolutus; „ paxque facta fuit.

Rex Angliæ oratur, ne moveat bellum Regi Galliarum.

XVII. Ib. p. 331. HONORIUS III. Henrico, &c.

Inc. *Cum sit, &c.*

VEreus Honorius, ne rex Angliæ capta occasione belli, quo erat implicitus Rex Galliæ contra Albigenses, arma in Gallos moveret, hæc scribit ad Henricum Honorius.

In consilio Generali statutum fuerat, ut quotiescunque Rex aliquis bellum gereret contra hæreticos, ne quisquam illi bellum inferret, sub excommunicationis pœna; quod si per annum non pareret, & bellum prosequeretur, Pontifex ab juramento fidelitatis ejus subditos solveret.

Jam videt Rex, qui jam bellum in Regem Galliæ movit, quam pœnam incurrerit.

Justissime autem inurenda hæc pœna est, quia qui bellum movet Religionis defensori fidei ipsi bellum movet; præterea susceptus fuit Rex Galliæ iturus contra Albigenses in specialem tutelam S. Sedis.

D. Later. V. Cal. Maji P. a. X. a. D. 1226.

Facultas datur Regi adhibendi a consiliis Episcopos.

XVIII. Ib. p. 384. GREGORIUS IX. Regi, &c.

Inc. *Pia devotione, &c.*

EXposuerat Rex Pontifici prædecessores suos semper consuevisse habere consiliarios aliquot Episcopos regni sui; humiliterque rogavit, ut sibi quoque id liceret.

Pontifex credens piam Regis in hac parte intentionem, id illi permittit.

D. Reate XIII. Cal. Aug. P. a. V. a. D. 1231.

Absolvatur rex si injecerit manus in clericos.

XIX. B.M.p.3. vel t. 9. in Add. p. 4. INNOCENTIUS IV. Archepiscopo Cantuar.

Inc. *Carissimi in Christo, &c.*

ANnuit precibus Anglorum regis Innocentius, & Archiepiscopo Cantuarienſi mandat, ut quoties rex injecerit violentas manus in personas Ecclesiasticas, ac proinde *inciderit in canonem sententiæ promulgatæ, illum per se*, vel per alium absolvat, injungens salutarem pœnitentiam.

Quod si gravis sit, & enormis excessus, eum non absolvat sine speciali S. Sedis licentia.

Præsentibus post quadriennium minime valituris.

D. Later. VII. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1243.

Confirmatio privilegii prædicti.

XX. Ib. p. 442. CLEMENS V. Eduardo Angliæ Regi.

Inc. *Tuæ devotionis, &c.*

INnocentii privilegium confirmat Clemens.

Veratque, Regem Angliæ excommunicari, ejus capellas interdici, & suspendi a nullo subdelegato S. Sedis, nisi fiat mentio expressa abrogationis hujus privilegii.

Declarat irritas censuras, quæ dabuntur. N. O.

D. Avenione XII. Cal. Junii P. a. IV. a. D. 1309.

Reginæ Angliæ possint ingredi in monasteria &c.

XXI. B.M.p.3. vel t. 9. in add. p. 4. INNOCENTIUS IV. Angliæ Reginæ.

Inc. *Illam personam, &c.*

INclinatus Pontifex precibus Angliæ Reginæ illi concedit, ut quoties ad monasteria Religiosorum divertet, possit *cum decem bonis, & honestis mulieribus orationis causa oratoria, & claustra eorum ingredi.*

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Later VII. Cal. Maji. P. a. I. a. D. 1244.

Juramenta per quæ alienabantur jura regia, solvuntur.

XXII. Ad an. 1246. §. 39. INNOCENTIUS IV. Archiepiscopis, Episcopis &c. per Anglicam, &c.

Inc. *Ad audientiam, &c.*

REx Henricus in sua coronatione jurarat se servaturum integra omnia dominia, & jura suæ coronæ.

Non obstante hoc juramento quibusdam prælatis, & nobilibus concesserat oppida, castra, villas, & jura; concessionesque juramento firmaverat.

Hac sua profusione redegerat se Rex ad incitas, regnique onera vix sufferre poterat.

Ut illi consulat Innocentius, rescindit posterius juramentum. Nam si primum valebat, ut revera valebat, tenere non potest secundum;

Præterea illud publice editum fuit, in coronatione, totius regni nobilitatis flore audiente, hoc privatim.

Ergo monet Prælatos, & nobiles, ut dimittant regi ea loca, ea jura, quæ ab illo acceperant, cum ea dare non potuerit juramento impeditus.

D. Lugd. VII. Cal. Apr. P. a. III. a. D. 1246.

De co-

De Coronatione Regis Scotiæ.

XXIII. Ad an. 1251. §. 25. INNOCENTIUS IV. Regi Angliæ,

Inc. *Ex parte, &c.*

I. SUpplicaverat Pontifici Rex Henricus, ut statueret, ne Rex Scotiæ inungi, & coronari posset absque assensu ipsius Regis, cum sit ligius homo regis, & homagium illi præstiterit.

Respondet Regi Pontifex; ne miretur rex, si illius votis in hoc annuere non potest, quia *Sedes Apostolica hæc concedere minime consuevit*;

Præterea nunquam concedit A. Sedes, quod cadit in præjudicium tertii.

II. Postulaverat etiam Anglus, ut in regno Scotiæ sibi permitteretur colligere decimam Ecclesiasticorum redditum,

Petitionem tuam, reponit Innocentius, *de quo non turberis, non admisimus, quia quod hoc in alterius regno concederetur alicui, est penitus inauditum.*

D. Lugduni VIII. Id. Apr. P. a. VIII. a. D. 1251.

Regnum Angliæ in protectionem S. Sedis recipitur.

XXIV. Ad an. 1252. §. 24. INNOCENTIUS IV. Laudonienſi, & Cistercienſi Epiſcopis,

Inc. *Quia regem, &c.*

CRucem assumpserat Rex Henricus, ut iret in sacram expeditionem.

Ne, dum aberat, regnum perturbaretur, regis bona invaderentur, violarenturque jura, illud Pontifex sub suam, Sanctique Petri tutelam recipit;

Et præfatis Episcopis mandat, ne permittant regnum quicquam a quibuslibet perturbari.

Facultatem iis porro dat Innocentius perturbatores pœnis Ecclesiasticis coercendi &c.

D. Perusii XV. Cal. Nov. P. a. X. a. D. 1252.

Ad Angliæ Reginam de captivitate Comitis de Sabaudia Thomæ ejus avunculi.

XXV. Ad an. 1256. §. 29. ALEXANDER IV. Elionoræ Angliæ Reginæ,

Inc. *Ad audientiam, &c.*

CIves Astenses depopulati fuerant castrum Montis Calerii, in quo tunc morabatur Thomas Comes Sabaudiæ avunculus Reginæ. Verens ne Astenses etiam Taurinensem agrum vellent devastare se contulit Taurinum.

Astenses obliti fidelitatis juramenti, obliti debitæ subditorum in Dominum fidelitatis oppugnarunt Taurinum, eoque expugnato, Comitem ceperunt, detruseruntque in carcerem.

Non potest Pontifex non graviter commoveri hoc maximo crimine, & curat mœrorem Reginæ consolari, quem e suo metiens ducit Pontifex esse gravissimum.

Scribit, se quibusdam Episcopis mandasse, ut Astenses inducant ad libertatem Comiti restituendam, quibus dedit facultatem censuras in eos expediendi &c.

Monet Reginam ut curet occupari omnia bona in suo regno existentia mercatorum Astensium, & Taurinensium; facilius, ut bona sua recuperent, liberum Comitem dimittent, quem nisi liberum factum esse audierit, ea non restituat.

D. Anagniæ XIV. Cal. Oct. P. a. II. a. D. 1256.

Nullitas pactorum initorum contra regem.

XXVI. B.R. t. 3. p. 1. p. 614. C.C. URBANUS IV. Archiepiscopo Cantuarienſi, &c.

Inc. *Carissimum in Christo, &c.*

QUædam statuta contra regem juramentis firmata apud Oxoniam feciſſe Magnates Angliæ Regni, cognovit Pontifex.

Ut regem tutaretur, qui erat Ecclesiæ Romanæ devotus (is erat Henricus.)

Ut tranquillitatem ejus regni conservet incolumem,

Non obstantibus quibuscumque juramentis, ea irritat, nulliusque roboris declarat.

Hanc irritationem a Delegatis Apostolicis vult per regnum Angliæ publicari.

Pœnas Ecclesiasticas minatur non parentibus, quibuscumque exemptionibus & privilegiis gaudeant.

D. apud Urbem Veterem IX. Cal. Apr. P. a. III. a. D. 1264.

Rogatur Rex inhibere Seneſcallo occupationem bonorum Eccleſ.

GREGORIUS X. Angliæ Regi, XXVII. B.M.p.1. vel t. 9. p. 85.

Inc. *Ut rex, &c.*

AUdierat Pontifex Seneschallum regium in Vasconia vacantia beneficia in Ecclesiis Cathedralibus provinciæ Auxitanensis occupare, administrationem bonorum temporalium gerere, & eam administrationem ad libitum peragere, quamquam nulla Ecclesia a rege regalia teneat;

Cum ergo regi, neque Seneschallo id competat non de jure, non de consuetudine, & sacri canones vetent bona Ecclesiastica a Laicis usurpari, eum rogat, ut id inhibeat Seneschallo suo; neque jura ejus Ecclesiæ perturbari permittat.

D. Lugd. X. Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1274.

Consolatoriæ litteræ ad Eduardum de morte ejus Patris.

GREGORIUS X. Eduardo Regi Angliæ, XXVIII. Ad an. 1273. §. 31.

Inc. *Decet fili, &c.*

MOrtuus jam fuerat Henricus, quem tot adversa oppresserant, ut infelicissimos præcipue postremis sui regni annis fuerit.

Consolatur Gregorius Eduardum, qui per se facile se solabitur, quoties repetet mente adversa multa, & asperrima, quæ passus ejus pater fuerat, e quibus omnibus sublatus est, in mercedem ejus invictæ patientiæ, ut sperare juvat, ad cœlum vocatus.

Eduardus etiam quoties mente revolvet (debet autem semper revolvere) e quibus angustiis fuit a Deo liberatus, & semper Deo gratus erit, & patienter omnia sufferet sperans ex iis liberationem.

Avide expectat Pontifex videre Regem, qui Pontifici scripserat se ad eum venturum esse.

Dat. apud Urbem Veterem VI. Id. Jan. P. a. I. a. D. 1273.

Ad Angliæ Regem, ne affinitatem cum Petro Aragonum Rege contrahat.

MARTINUS IV. Regi Eduardo, XXIX. Ad an. 1283. §. 36.

Inc. *Quantas, & quam, &c.*

„ INvaserat Petrus Aragonum Rex Insulam Siciliæ,
„ regemque Carolum inde expulerat. Martinus, ut
„ eum inde dejiceret regnum Aragoniæ concesserat oc-
„ cupandum Regi Galliæ. Petrus ne amitteret acquisi-
„ tum Regnum Siciliæ, & suum Aragoniæ videbat si-
„ bi opus esse aliquo fœderato, qui regem Galliæ de-
„ tineret. Opportunus visus est Eduardus Angliæ Rex.
„ Is habebat filiam nubilem, eam requisivit in uxorem
„ pro filio suo Alphonso majore natu. Pontifex, qui
„ videbat, quo tenderet hoc matrimonium, illud dis-
„ suadere nititur, revera ut spoliet auxilio Petrum.

His autem utitur rationibus Pontifex,

I. Petrus non est amplius Rex, ea dignitate fuit privatus a Pontifice, quia occupavit Siciliam, ejusque regnum datum fuit Regi Galliæ, ut investiretur ejus secundogenitus;

II. Petrus est excommunicatus. Non decet filiam regis uxorari cum filio privati, cum excommunicati filio,

III. Matrimonium hoc non potest fieri, quia Alphonsus, & Elionora quarto affinitatis gradu se contingunt esset ergo potius contubernium sacrilegum, quam matrimonium,

IV. Obscuraretur gloria Regis Principis Christiani, filii

filii devoti Ecclesiæ, si permitteret hoc matrimonium cum aperti hostis Ecclesiæ filio.

Demum eum rogat, ne velit assentiri his nuptiis.

Dat. apud Urbem Veterem Non. Jul. P. a. III. a. D. 1283.

Hortatio ad pacem cum rege Galliæ.

XXX. B.M.p.1. vel t. 9. p. 83. BONIFACIUS VIII. Eduardo Anglorum Regi.

Inc. *Regalis excellentiæ, &c.*

AD pacem cum rege Franciæ firmandam hortatur Pontifex Angliæ regem.

Se ab itinere excusat, ad quod illum rex Angliæ invitabat, ut colloquio statuto inter regem Franciæ, & Angliæ interesset, a senectute, & debilitate corporis;

Approbat matrimonia, quæ fieri volebant, ut pax magis, magisque stabiliretur.

Eum etiam admonet, rogatque ne detineat quod jure ad regem Scotiæ pertinet.

D. Later. XVIII. Cal. Febr. P. a. IV. a. D. 1297.

Promissio regum, se executuros pacta a Pontifice imposita.

XXXI. lb. p. 114. BONIFACIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Tanquam universalis, &c.*

LEgati Regis Angliæ, & Regis Franciæ Pontifici attestati sunt, utrumque regem *se submittere, & supponere super guerris, & dissensionibus arbitrio Pontificis, tanquam privatæ personæ, ac Benedicti Cajetani* (quod erat nomen Pontificis).

Pontifex censuit dare has litteras, quia prædicti Nuncii nihil addiderunt *de obligatione, adstrictione, conscientia, consensu, & voluntate*, scilicet nihil dixerunt, reges facturos, quod Pontifex decreverit.

D. Romæ apud S. Petrum II. Cal. Julii P. a. IV. a. D. 1298.

Probat Pontifex, Regem Angliæ non posse de jure petere a Rege Scotiæ subsidia.

XXXII. lb. p. 115. BONIFACIUS VIII. Eduardo Anglorum Regi.

Inc. *Scimus, fili, &c.*

PUtabat Rex Angliæ debere Regem Scotiæ mittere ad se subsidia ex debito, ac proinde nonnullas ejus terras occupaverat.

Pontifex his litteris ostendit non teneri ad hoc Scotiæ Regem.

Ac primum rogat regem, ut benignas aures præbeat.

Henricus, inquit, Pater Eduardi cum haberet dissensionem cum duobus fratribus, Guidone, & Simone de Monteforti rogavit socerum suum regem Scotiæ ut subsidia ad se mitteret. Misit, & Henricus gratias plurimas illi egit; quas non egisset, si ex debito debuisset mittere.

Ipse Eduardus rogavit regem Scotiæ, ut suæ coronationi interesset ex gratia, non ex debito.

Cum pro quibusdam terris positis in Angliæ regno idem rex Scotiæ fidelitatem regi Angliæ jurasset, multis audientibus ait, se præstare juramentum pro terris, quas possidebat in Anglia; non pro Regno Scotiæ.

Rege Scotiæ de medio sublato, relicta tenera puella Margaretha, tutela regni ad quosdam primates regni pervenit, non ad Angliæ regem.

Regno successoribus orbato, mortuo etiam Margaretha, Primates regni pro electione regis non confugerunt ad regem Angliæ, nec ejus in hac etectione voluntatem exquisiverunt.

Quæ omnia evincunt, regi Scotiæ liberum esse mittere, vel non mittere subsidia ad Regem Angliæ, neque illum ab hoc ullo modo dependere.

Quæ cum ita sint Pontifex Eduardum rogat, ne velit ejus regni pacem perturbare.

Quod si credat, aliquod jus sibi competere in regnum illud, mittat ad Pontificem procuratores suos, qui illud exponant, Pontifexque omnem materiam rixandi amputabit, cuique suum tribuens.

D. Anagniæ V. Cal. Julii P. a. IV. a. D. 1299.

Mandatur Regi Eduardo ut solvat censum debitum R. Ecclesiæ.

BONIFACIUS VIII. Eduardo &c. XXXIII. Ad an. 1301.

Inc. *Cum census, &c.*

ANnuum mille marcharum sterlinghorum censum solvebat Rex Angliæ R. Ecclesiæ, Jamque per annos undecim solutus non fuerat.

Pontifex ergo monet Eduardum ut eundem censum pro præteritis annis, & pro præsenti solvat;

Mittit ad illum Nuntium, cui *sublato dilationis, & difficultatis obice illum det, ita quod id gratum habens* Pontifex, regis *magnificentiam possit inde merito commendare.*

D. Later. XV. Cal. Apr. P. a. VII. a. D. 1301.

Rogatur Rex approbare collationem Ecclesiæ, quam Pontifex dedit suo nepoti.

CLEMENS V. Eduardo Anglorum Regi. XXXIV. lb. p. 125.

Inc. *Habet in te, &c.*

NEpoti suo Raymundo Cardinali Diacono dederat Pontifex Ecclesiam de Manisstro in Anglia.

Clemens rogat Regem, ut approbet hanc provisionem, etiamsi provisio ad illum spectet; addens per hanc provisionem non intendere præjudicium ullum regi afferre.

Ei commendat etiam procuratores, quos idem Nepos misit in Angliam ad exigendos redditus prioratus de Orthingam; quem habebat in commendam.

D. Lugd. VI. Cal. Jan. P. a. I. a. D. 1305.

Ne permittat Rex Nuncios A. lædi.

CLEMENS V. Eduardo Anglorum Regi. XXXV. lb. p. 125.

Inc. *Claris patere, &c.*

NUntii Apostolici volentes colligere fructus prioratus de Mortona prope Londinum impediti fuerant a regiis Ministris.

Pontifex hortatur regem, ne permittat molestias Nuncios Apostolicos perferre in iis, quæ ad Ecclesiam spectant, & ut coerceat officiales hæc contra Jus patrantes.

D. Burdegalis VI. Cal. Sep. P. a. I. a. D. 1305.

Admoneatur rex, ne permittat, suos ministros violare jura Eccles.

CLEMENS V. Valterio Vvirgonienſi. XXXVI. lb. p. 135.

Inc. *Quanto inter, &c.*

WIrgonienſi Episcopo mandat Clemens, ut regem paterne admoneat, ne permittat officiales suos in tam graves excessus contra ecclesiastica jura omnia prolabi.

Ceperant enim Villelmum Episcopum S. Andreæ, & Robertum Episcopum Glasguensem.

Curet, ut ii liberentur, neque officiales posthac in ejusmodi crimina incidere rex permittat;

Jam se de his excessibus, ait Clemens, regi scribere, ac proinde non opus esse multo labore, ut ille permoveatur.

D. Pictaviis V. Id. Apr. P. a. III. a. D. 1308.

Litteræ ad regem de excessibus Ministrorum.

CLEMENS V. Eduardo Anglorum regi. XXXVII. lb. p. 138.

Inc. *Attende fili, &c.*

HÆ sunt litteræ, quas dixit Pontifex, se misisse ad Angliæ regem,

In quibus eum hortatur, ut imitetur Patrem suum, qui erat pacis amantissimus, ac proinde omnia prospera illa evenerant;

Illum suscepisse bellum contra Scotiam, ille vel jussit

juſſit, vel approbavit tacite captivitatem prædictorum Epiſcoporum;

Ad hæc corrigenda, & ad imitationem ſuorum majorum illum hortatur.

Nonnulla addit etiam de Templariis, quos revera eſſe reos e multorum teſtimoniis quotidie magis apparebat.

Vult ut rex cuſtodiat, vel cuſtodiri faciat bona Templariorum quoadusque de iis deciſum legitime fuerit.

D. apud Sylvam Majorem Burdigalenſis Diœc. IV. Non. Oct. P. a. III. a. D. 1308.

Rurſus moneatur rex de exceſſibus ſuorum Miniſtrorum.

XXVIII. Ib. p. 139. CLEMENS V. Vvigonienſi Epiſcopo.

Inc. *Supra montem, &c.*

OFficiales regii eccleſiaſtica jura magis magiſque violabant.

Injuriæ factæ fuerant quibuſdam Cardinalibus, & eorum procuratoribus, qui redditus beneficiorum pro Cardinalibus in Anglia exigebant,

Cum vellet Pontifex providere aliquibus de beneficiis in Anglia, ac proinde proceſſus eorum morum fieri mandaret, regii officiales id vetabant;

Proviſos de beneficiis eorum beneficiorum redditus colligere prohibebant.

Citatos ob cauſas eccleſiaſticas ad judicem eccleſiaſticum citationibus obtemperare nolebant;

Imo impediebant, ne ad S. Sedem aut venirent, aut appellarent; & non parentes puniebant;

Collectores Sedis Apoſtolicæ a colligendis fructibus vacantium beneficiorum, qui de jure S. Sedi debentur, impediebant; & quidam collector peragens munus ſuum fuerat in carcerem detruſus.

A Legatis Apoſtolicis rogati ut quoſdam excommunicatos caperent, noluerunt;

Arrogabant ſibi in Clericos æquam poteſtatem ac in Laicos.

Captos Clericos etiam Sacerdotes *cum maximo clericalis ordinis opprobrio coram ſe comparere faciunt nudis pedibus, capite diſcooperto, in ſola tunica, vel camiſia ſicut latrones; mandantque eos vel ſuſpendi patibulis, vel capitibus detruncari*; & vetant Ordinarios de eorum abſolutione, vel damnatione cognoſcere.

Bona prælatorum, & Clericorum regni ipſi percipiunt, ad libitum diſponunt, in caſſum beneficiatis reclamantibus.

Morientibus beneficiatis, officiales invadunt beneficia, fructus carpunt, bona alienant.

Quæ omnia certe fiunt inſcio rege.

Mandat itaque Epiſcopo Vvigornienſi Clemens, ut eum de his exceſſibus ſuorum officialium moneat, neque permittat, tam graviter Eccleſiæ jura violari,

Præterea cum reges Angliæ deberent ſolvere Eccleſiæ cenſum annuum mille marcharum argenti, jam quindecim erant anni, ex quo cenſus hic non ſolvebatur; quamvis pater regnantis Eduardi ipſi Clementi pollicitus fuerit, ſe cenſum quamprimum ſoluturum;

Adimpleat ergo filius quod ſolemniter pater ſpoponderat Lugduni, cum eo venit, ut regiæ coronationi Pontificis interveniret, nec exequi ob mortem potuit.

Quod ſi totum nequit cenſum rex ſolvere, *ſolvat ſaltem partem arreragiorum prædictorum infra feſtum S. Michaelis proxime ſecuturum.*

Epiſcopus hæc omnia regi manifeſtet, eum oret, ut officiales coerceat, eum oret, ut promiſſa ſuorum majorum Eccleſiæ facta adimpleat.

D. in Prioratu de Grunſello prope Malanſanam Vaſionen. Diœc. V. Cal. Novemb. P. a. IV. a. D. 1309.

Jubetur rex dare militibus Hieroſolymitanis bona Templariorum.

XXIX. Ib. p. 150. CLEMENS V. Eduardo Angliæ Regi.

Inc. *Nuper in Generali, &c.*

SIgnificat Pontifex Eduardo in Viennenſi Concilio abolitam fuiſſe omnino Templariorum militiam,

Ejuſque militiæ bona ubique exiſtentia, præter bona, quæ poſſidebat in regnis Caſtellæ Aragoniæ, Legionis, Majoricarum, Portugalliæ, fuiſſe aſſignata militibus S. Joannis Hieroſolymitani.

Rogat ergo Regem Pontifex, ut jubeat, bona Templariorum in ſuo regno exiſtentia tradi Prioratibus, & præceptoribus militiæ S. Joannis ſimul cum fructibus perceptis a die illorum captionis.

D. Liberon. Valentin. Diœc. XVII. Cal. Junii P. a. VII. a. D. 1312.

Treguæ per biennium indicuntur Regi Angliæ.

JOANNES XXII. ad f. r. m. XL. Ib. p. 151. B. K. c. 3. P. 2. p. 548. C. C.

Inc. *Vocatis nobis, &c.*

VIx ac Joannes Pontificem ſe declaravit (fuerat enim Eccleſia deſtituta capite per biennium) Jacobus de Oſſa Gallus Caturcenſis in Aquitania *throno conſenſo*, ſe in Pontificem elegit, inquiens *Ego ſum Papa*, curavit ut extinguerentur diſcordiæ inter Eduardum Angliæ regem, & *Robertum de Brus gerentem ſe pro rege Scotiæ.*

Videbat enim quantum ex hoc bello in Terram S. redundaret detrimentum.

Ergo indicit illis treguas ad biennium, & eas non ſervantibus excommunicationem denuntiat. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, non poſſe eos excommunicari &c.

Hoc biennium incipiet a die notificationis harum.

Irritat juramenta vaſſallorum pro bello facta, fœdera inita cum quibuſcumque &c.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Avenione Cal. Maii P. a. I. a. D. 1317.

Facultas data Archiepiſcopo Cantua. reducendi ad bonum tramitem Barones Angliæ.

JOANNES XXII. Archiepiſcopo Cantuarienſi. XLI. Ib. p. 152.

Inc. *Perſonam Cariſſimi, &c.*

ACceperat Pontifex, quoſdam Angliæ, & Hiberniæ magnates factos inimicos regis & Angliam, & Hiberniam excurſionibus vexare, populoſque contra regem excitare,

Optans, has ſeditiones ſedari, mandat Archiepiſcopo Cantuarienſi, ut curet hos ad pacem, & concordiam, & ad obedientiam reducere,

Quod ſi admonitiones reſpuant, dat illi facultatem eos cujuſcumque ſint gradus, quibuſcumque gaudeant indultis, per cenſuras Eccleſiaſticas coercendi.

D. Avenione IV. Cal. Apr. P. a. I. a. D. 1317.

Eadem facultas datur Nunciis A.

JOANNES XXII. Cardinalibus Nunciis Apoſt. &c. XLII. Ib. p. 155.

Inc. *Paternam Cariſſimi, &c.*

QUam facultatem dederat Pontifex Archiepiſcopo Cantuarienſi &c. dat & Cardinalibus Apoſtolicis Nuntiis in Anglia iiſdem omnino verbis.

D. Aven. IV. Cal. Jan. P. a. II. a. D. 1318.

Hortatio ad Regem ut reprimat Seneſcallum Vaſconiæ.

JOANNES XXII. Eduardo Anglorum Regi. XLIII. Ib. p. 158.

Inc. *Infuſum a Deo, &c.*

EDuardum hortatur Pontifex, ut Seneſcallum Vaſconiæ reprimat, jubeatque e carcere educere Jordanum de Imola *domicellum*, & familiarem Pontificis, quem, licet eum illi Pontifex bis commendarit, in carcere detinebat.

Monet illum etiam, ne permittat, Seneſcallum tot gravaminibus eum populum opprimere.

D. Avenione Cal. Julii P. a. II. a. D. 1318.

Regii miniſtri cum rebellibus excommunicatis agant.

XLIV. Ib. p. 158. JOANNES XXII. Eduardo Angliæ regi,

Inc. *Attendentes, fili, &c.*

ATtendens Pontifex diſpendia grandia, quæ ex bellis oriuntur, ut iis parcatur permittit, ut poſſint regii miniſtri cum rebellibus, licet excommunicatis, ac proinde fugiendis, colloqui, ut pacem inducant.

D. Avenione VIII. Cal. Maji P. a. III. a. D. 1318.

Ledeſpenſier monetur, ne Regem Eduardum pervertat.

XLV. Ad ann. 1326. §. 45. JOANNES XII. Hugoni Ledeſpenſier Juniori.

Inc. *Utinam fili, &c.*

„ AMabatur Ledeſpenſier a Rege Eduardo ita, ut
„ nihil agere vellet Rex illo inconſulto, omnia-
„ que illi permitteret. Odio ſummo eum proſequeban-
„ tur Angli, quia ſe videbant oppreſſos tributis a Re-
„ ge ita ab Hugone moto. Immo regina ipſa cauſata
„ ſe ire in Galliam ut cum fratre ſuo Carolo rege pa-
„ cem pro viro componeret, reverti nolebat, niſi Rex
„ ejiceret Hugonem. Et quamvis Pontifex ad reginam
„ Iſabellam ſæpius ſcripſiſſet, ut ad virum revertere-
„ tur, & ad Regem, ut eliminaret Ledeſpenſier, a
„ quo præceps ducebatur in vitia, nec illa reverti vo-
„ luerat, nec is illum expellere. „

Ad Hugonem igitur ſcribit Joannes, ſe gravate ferre eum impellere regem ad inimicitias, ad imponenda gravamina etiam prælatis; ex his præter hominum odium etiam iram Dei illum in ſe concitare.

Quare deſiſtat, videatque ne tandem aliquando a Deo puniatur.

D. Aven. X. Cal. Maji P. a. X. a. D. 1326.

„ Et ſane anno 1327. Regina cum inſtructa claſſe
„ deſcendit in Angliam. Captus fuit Hugo, ductuſque
„ ad Iſabellam, ejus juſſu genitalia illi fuere amputa-
„ ta, & in ignem conjecta, quod impulerat in libi-
„ dinem virum, fuit ſuſpenſus, unco per Londinum
„ tractus, & in fruſta conciſus; vir Eduardus in car-
„ cerem conjectus, in quo miſere periit. „

Suadetur Regi æquitas.

XLVI. Ad ann. 1330. §. 50. JOANNES XXII. Eduardo Angliæ Regi.

Inc. *Ad aures, &c.*

„ MOrti tradi juſſerat multos Rex Eduardus, quia
„ ſuſpicabatur de impudicitia matris ſuæ Iſabel-
„ læ. Conjuncti ergo aut ſanguine, aut amicitia cum
„ multatis morte, qui erant regni nobiliſſimi, & qui-
„ dam cupidi rerum novarum in regem conſpirarunt.
„ Qua conjuratione accepta, juſſit rex, conjuratos
„ comprehendi, & in carcerem detrudi; videbaturque
„ velle in eos ſeveriſſime animadvertere. Capti fue-
„ rant die XIX. Octobris circa mediam noctem. „

Primum quidem Pontifex oſtendit dolorem ſuum ex conjuratione in regem conflata perceptum;

Tum curat reddere ſuſpectam regi hanc conjurationem; cum enim capti ſint ditiſſimi, & egregii, facile potuerunt invidiam excitare, & ex invidia accuſari; non tam facile credendum tot coaluiſſe ſimul in regis perniciem.

Quod etiamſi ſint rei, tamen non eſt ſevere agendum; nimis multi ſunt, & e ſupplicio ex illis ſumpto multo plures conjurare poſſunt multatorum ultionem facturi, ex quo majus diſcrimen regi imminebit.

Clementia virtus regia facilius quam aſperitas ſedabit animos, conciliabitque etiam averſos regi, & hæc virtus fulgore ſuo ita oculos omnium obſtringet, ut eum prædicaturi, & amaturi ſint.

Quod ſi eos punire vult, *ira, odium appetitus vindictæ prorſus ab animo regio exulent*, illudque ſibi perſuadeat, ſe poſſe facile dare mortem, ſed nullo modo poſſe mortuos ad vitam revocare.

D. Aven. VI. Id. Nov. P. a. XV. a. D. 1330.

Rogatur Rex, ut ſigna amoris det matri.

JOANNES XXII. Eduardo &c. XLVII. Ibidem.

Inc. *Excellentiam &c.*

UT animum regis averſum a matre placet Pontifex, revocat in mentem regis genitricis merita in illum, quantum ſit paſſa cum eum in ventre geſtavit, qua cura ejus negotia peregerit;

Quam grata Deo ſit reverentia natorum in parentes, quantumque oderit eorum crudelitatem, deſpectum, odiumque in illos.

Ne audiat qui contra illam aliquid defert; videat, quam facile errari poſſit in re hac.

Quæ relata etiamſi vera eſſent, prudentius aget, ſi ea ſilentio potius tegat, quam odio, & averſione propalet.

D. Aven. VII. Id. Nov. P. a. XV. a. D. 1330.

Conſilia regi dantur.

JOANNES XXII. Eduardo Regi. XLVIII. Ad ann. 1331. §. 36.

Inc. *In primis &c.*

REformare regnum ſuum volebat Eduardus: ſcripſitque Pontifici, ut quædam ſibi daret conſilia ad hoc opus conducentia.

Ea illi dat his in litteris Joannes.

Meminerit, Eccleſiam eſſe Chriſti ſponſam; eam igitur amet, ejus libertatem tueatur, ſciatque ſe ita faciendo rem gratiſſimam Deo ipſi facere; honor enim ſponſæ in ſponſum recidit, & quidquid Eccleſiæ fit, in ſe Chriſtus recipit.

Juſtitiam recte adminiſtret, hoc orabat Salamon; & ideo recordetur, ſe eſſe ſuorum populorum patrem; iis præcipue opituletur, qui indigi ſunt.

Quia pax eſt ubi multa ſunt conſilia, plurium conſilium requirat, antequam quicquam gravis momenti aggrediatur; habeat conſilium ex prælatis, & ex nobilibus, & ex eorum communicato conſilio agat.

Et quia in ejus regno erant conſuetudines adverſæ juri divino, & humano, & naturali rationi, enim monet, ut illas tollat; ſic tollitur libertas eccleſiaſtica, datur aditus falſis teſtimoniis, judicia ſunt corrupta.

Conſuluerat Rex Pontificem, an ad ſtabiliendam pacem in Hibernia, eo ſe conferre deberet?

Negat Pontifex: in ejus enim abſentia erumpere novi motus poſſunt, non bene primis ſedatis; mittat viros probos, & prudentes.

D. Aven. Cal. Jul. P. a. XV. a. D. 1331.

Hortatio ad pacem cum Scoto.

BENEDICTUS XII. Eduardo &c. XLIX. Ad ann. 1335. §. 36.

Inc. *Etſi nos &c.*

„ EDuardus Balliolus deſcendens ab Joanne, qui ab
„ Eduardo I. Angliæ rege Scotiam beneficio ac-
„ ceperat, nitebatur in antiquam poſſeſſionem regni re-
„ ſtitui, quod ex Anglia Robertus Bruſius armis ſepara-
„ rat, illiuſque regni ſe regem fecerat. Balliolus regis
„ Angliæ Eduardi amicus jam illi perſuaſerat, ut arma
„ in Davidem Scotorum regem moveret. „

Ut hoc bellum avertat, ſcribit ad Eduardum Benedictus,

Se nunquam credidiſſe fore ut vellet in affinem ſuum Davidem (habebat in matrimonio ſororem Eduardi) Eduardus arma movere: eumque regno privare: movet enim arma in ſororem, in nepotes ſuos; imo deberet pro iis in regno conſervandis pugnare.

Tum illi exponit ſtrages ingentes, turbas, depopulationes, quæ ex bellis naſcuntur;

Periculum etiam, ne, dum diſtrahit ſuas vires in bello Scotico, arma in illum moveat Rex Galliæ arrepta hac occaſione, illi amplificat.

D. apud Pontem Sorgiæ Aven. Diœc. II. Cal. Aug. P. a. I. a. D. 1335.

Rogatur Rex reprimere in Hibernia hæreticos.

L. Ib. §. 59. BENEDICTUS XII. Eduardo &c.

Inc. *Sicut nuper &c.*

OSsoriensis Episcopus *jure ordinario suam diœcesim visitarat*. Invenit inter eum populum quosdam, qui dicebant, Christum malum fuisse hominem, & jure fuisse ultimo supplicio affectum, alios facere homagia dæmonibus, & aliter ac docet Ecclesia sentire de SS. Eucharistiæ Sacramento, asserentes non esse adorandum, alios opinantes non esse parendum decretis Pontificum; alios demum consulere dæmones in rebus dubiis.

Hi hæretici facile possunt fideles corrumpere.

Cum igitur non sint in Anglia, & Hibernia Inquisitores, ad regem confugit Benedictus; rex debet esse Clypeus fidei.

Mandet Justitiario Hiberniæ aliisque regiis ministris ibidem, & ministris in regno Angliæ, ut hujusmodi hæreticos capiant, pœnisque debitis afficiant, ne inficere suis erroribus & Hiberniam, & Angliam possint.

D. Avin. VIII. Id. Nov. P. a. I. a. D. 1335.

Ad regem, ut acquiescat consiliis Nunciorum.

LI. B.M. p. 3. vel t. 9. p. 183. BENEDICTUS XII. Eduardo Regi.

Inc. *Dum diligenter &c.*

CErtiorem facit Pontifex regem Eduardum, se ad eum mittere Nuncios Apostolicos, ad firmandam pacem inter eum, & Regem Franciæ, vel saltem *ad inducendas treguas*.

Eum rogat ut consiliis Nunciorum acquiescat, qui sunt amantissimi Eduardi, studiosique utilitatis ejus regni.

Imitetur Deum, qui dicitur, & est princeps pacis.

Ne tantum fidat rebus suis, posse enim Deum permittere ut res ejus prospere mutentur.

Nunc posse eum facere pacem, quæ sit & honori sibi, & utilitati regno suo, cum victor sit.

Hujus vel pacis, vel treguarum mediatorem se offert Benedictus.

D. Avenioni X. Cal. Jan. P. a. V. a. D. 1339.

Dehortatio ad regem, ne bellum Regi Galliæ moveat.

LII. Ad anno 1341. §. 1. BENEDICTUS XII. Eduardo Angliæ &c.

Inc. *Nuper excellentiæ &c.*

„ EDuardus Angliæ Rex scripserat Benedicto se velle jura sua in regnum Galliæ recuperare: jam
„ nomen titulumque Regis Galliæ sibi asciverat, &
„ usurpabat. Ajebat enim se nasci ex Isabella Caroli
„ Regis Galliæ sorore; Valesium autem hodiernum re-
„ gem nasci ex Patruo ejusdem Caroli, ac proinde
„ ad se spectare regnum, non ad Philippum Vale-
„ sium. „

Respondet Eduardo Benedictus:

Jam tum cum initia regni Gallici facta fuerunt, hanc in more semper fuisse consuetudinem, legemque, ut feminæ a successione regni excluderentur, & deficiente linea una assumeretur ille, qui e linea virili proximiore extincte super sset; fuisse ejusmodi Philippum Valesium; eum igitur jure successisse;

Deponat Rex consilium per vim occupandi Gallias; nimis præpotens regnum est; sciat se in odio esse apud Gallos, quia cum nihil in Gallia possideat, se Galliæ regem nominat;

Male enim fidere Belgarum fœderi; si enim infidi sunt Domino suo naturali, cui fidelitatem jurarunt, multo magis infidos esse illi futuros;

Amari a suis populis Philippum, quia popularis est, quia regendi eos artem callet, quia inter eos natus, altusque est;

Quare se prævidere malum exitum hoc bellum contra Anglum habiturum;

Non esse enim credibile, velle Gallos regnum suum florentissimum fieri provinciam Angliæ, pugnaturos acerrime, rituroſque cœco impetu in arma, toleraturos omnia;

Germanos, Belgasque, cum res sua non agatur, si aliquantisper bellum perduret, quod erit certe diutinum, eum esse deserturos;

Memoria repetat rex, quid ex Germanorum, Belgarumque fœdere ejus majores emolumenti perceperint, videbitque eos illis fuisse infidos, eorum partes reliquisse.

Quare consilium mutet; esse in ejus potestate bellum incipere, facultatem illud finiendi illi non futuram.

D. Aven. III. Non. Mar. P. a. VI. a. D. 1340.

Hortatio ad regem, ut noli assumere titulum regis Franciæ.

BENEDICTUS XII. Eduardo Regi. LIII. Ib. p. 184.

Inc. *Nuper excellentiæ &c.*

SIne liberis Philippus rex Franciæ cum esset, & ex avo hujus Philippi nata filia superstite unica Isabella nasceretur Eduardus, jam se regem Franciæ appellabat, immo in sigillo insignia utriusque familiæ univerat, & adhibebat; miseratque litteras hoc sigillo munitas ad Pontificem.

Conatur hic Pontifex eum absterrere ab hac opinione.

I. Quia juxta Leges Salicas, quibus Galli utuntur, feminæ non succedunt, hoc apparuit pluries in successionibus illius regni;

II. Deinde a potentia regni Gallici, non enim est adeo facile regnum tam florens armis subjicere;

III. Neque prodest quicquam, quod consiliarii Eduardi dicunt, eum dominari in Flandria Feudo Franciæ, eum habere terras in regno Galliæ; numquam enim Galli accipient in regem illum, quem recordantur fidelitatem, & homagium regi suo prætitisse.

Neque fidat Theutonicis, a quibus nonnisi verba magnifica referet, *non assistentiam*.

Ita evenit ejus progenitoribus, quos facultatibus spoliarunt, auxilium non præstiterunt.

D. Aven. III. Non. Martii P. a. VI. a. D. 1341.

De reservationibus Pontificiis Ecclesiarum Angliæ.

CLEMENS VI. Eduardo Regi. LIV. Ad anno 1345. §. 55.

Inc. *Nuper magnitudinis, &c.*

„ CArdinales Ademarus t. S. Anastasiæ, & Geral-
„ dus t. S. Sabinæ habebant in Anglia beneficia
„ iis collata a Pontifice sine regio assensu, miserant-
„ que suos procuratores ad eorum fructus colligendos;
„ qui ad Anglis fuerunt expulsi, veritique eos exige-
„ re; tum lex statuta fuit, ne beneficia in eo regno
„ darentur exteris a Pontifice, & quæ pendebant ab
„ electorum, aut patronorum suffragiis ne Pontifex
„ Apostolicæ dispositioni reservaret.
„ Per idem tempus Episcopatum Norvvicensem re-
„ servatum S. Sedi contulerat Clemens Guillelmo A. S.
„ Nuntio. „

Rex scripsit Pontifici, *præmissis quibusdam protestationibus pro conservatione juris sui regii, & ordinationis factæ in parlamento generali, & quod hoc non trahatur ad consequentiam in futurum, temporalia dicti Episcopatus non sine periculoso murmure communitatis regni sui eidem Episcopo tunc electo gratiose liberari fecisse*, & quia Guillelmus erat amicus suus, & ut ostenderet suum obsequium in Pontificem, & in iisdem litteris *finaliter supplicavit, ut a reservationibus, & provisionibus Episcopatuum ejusdem regni sui supersedere Pontifex velit, & Capitulis Ecclesiarum dicti regni electiones libere dimittat juxta concessionem progenitorum suorum inde factam, & per sedem Apostolicam ex certa scientia confirmatam.*

His Eduardi litteris Clemens respondet, se jam semel iterumque Regi scripsisse, & idem jussisse Nuntio suo prædicto Guillelmo, ut Regi diceret, ne hujusmodi novas res introduceret, ne amitteret famam illam nominis, quam sibi apud nationes universas comparaverat; se esse regem Catholicum, pium, Deum timentem,

tem, ne audiret eos, qui talia suggerunt, sed eos ut turbulentos, ut excommunicatos fugeret.

Cæterum nimis *temeraria existeret* regis *postulatio, si vellet provisiones, & reservationes beneficiorum e sua voluntate pendere, & Apostolicæ sedis facultatem coarctaret*. Pontifex dum hujusmodi provisiones, & reservationes facit, consulit utilitatibus ecclesiarum quarum omnium est pastor primus; Rex scit, *qualiter temporibus prædecessorum Pontificum super reservationibus, & provisionibus res gesta sit, quod Pontificibus pro reservationibus inibi faciendis aliquibus fecerit supplicari*.

Queritur etiam Clemens, edictis, & brevibus Pontificiis in ejus regno fuisse impedimenta opposita, ne executioni mandarentur; & paucos audere ea præsentare. Gravitatem hujus criminis amplificat Pontifex, quod arguit summam in Deum irreverentiam, & Sedis A. magnum despicatum.

Ut autem ab his novitatibus Eduardum, & Anglos deterreat, primatum Ecclesiæ Romanæ probat Clemens verbis illis Christi: *Tu es Petrus, & super hanc Petram*, &c. Divinum Verbum Ecclesiam Romanam fundavit, hæc *omnes Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias, & ipsarum cujuslibet ordinis dignitatem instituit: ad cujus pastoreum, & rectorem Ecclesiæ, videlicet Romanum Pontificem, omnium Ecclesiarum, dignitatum, officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio noscitur pertinere*.

Regem monet ut ab his ausis desistat,

Minatur demum se Ecclesiæ R. jura defensurum modis &c.

D. Aven. V. Id. Julii P. a. III. a. D. 1334.

Hortatur Clemens regem ad pacem.

LV. Ib. p. 93. CLEMENS VI. Eduardo Regi.

Inc. *Præsentatam pridem, &c.*

SCripserat Pontifici Eduardus Angliæ Rex se non posse quin iterum bellum moveat Franciæ Regi.

Jam enim treguæ mediantibus Apostolicis Nuntiis erant pactæ, cum Philippus quosdam nobiles de Britannia, & Vasconia Parisiis morte multaverat,

Secreto idem Philippus agebat cum sociis Regis Angliæ, ut eos ab illius societate separaret.

Omnia tamen jura sua Pontifici deferebat Eduardus.

Respondet Pontifex Eduardo, ipsum prius non stetisse articulis treguæ. Nam cum conventum esset, ut reges mitterent ad Pontifices nuntios de genere regio, Philippus duos misit Petrum ducem Borbonesii, & Humbertum Delphinum Viennensem ipse nullum misit.

Rex Philippus conqueritur, multos e subditis suis male fuisse habitos ab Eduardo,

Præterea Venetenensis Urbs juxta treguarum articulos debebat deponi in manibus Pontificis; & custodiri nomine Ecclesiæ usque dum essent treguæ finitæ. Angli expulsis iis, qui eam urbem tenebant nomine Ecclesiæ, illam occuparunt.

Videat ergo rex, ne injuria queratur, & quam ipse dedit occasionem renovandi belli ne in Philippum immerito conferat.

Multa addit de *passagio* ad Terram Sanctam, quod pluries perficere potuisset tanto cum Ecclesiæ emolumento, nisi distractus fuisset bello, quod in Galliam movit.

Narrat illi Patriarcham Constantinopolitanum Henricum fuisse occisum ab Infidelibus in turri Smyrnensi hos magis magisque augeri; ac proinde rem nullam posse pati dilationem.

Eum ad treguas servandas hortatur, se permoturum Philippum ne arma sumat pollicetur.

D. Aven. XII. Cal. Aug. P. a. IV. a. D. 1345.

Hortatio ad Clementiam.

LVI. Ad ann. 1350. §. 8. INNOCENTIUS VI. Vvalliæ Regis Angliæ Eduardi primogenito.

Inc. *Quamquam fili, &c.*

„ CAptus fuerat in prælio Joannes Galliæ Rex ab
„ Eduardo Angliæ rege, licet decuplo majores
„ essent Galliæ copiæ Anglicis; quam quidem victo-

„ riam a Deo Eduardus agnoscens per octo dies sa-
„ crificia Deo offerri per regnum suum voluit in gra-
„ tiarum actionem. Summa animi moderatione usus
„ est Eduardus in Regem, & victos Gallos, qui erant
„ e primoribus regni, victriciaque arma suspendit. „

Motus hac magnanimitate Innocentius ad ejus filium scribit se certo certius scire, principem de hac victoria non efferri, sed eam, ut decet Catholicum principem, referre acceptam Deo.

Ex hac animi propensione principis illud colligit Innocentius, tanto magis eum ad pacem ferri, cum videat opportuniorem nullam aliam occasionem sese daturam, quam hanc, cum Rex sit captivus, & cum iniri remotis arbitris cum illo possit.

Ad hanc pacem ineundam mittit Innocentius Nuntios suos; eos princeps excipiat, eorumque exequatur consilia.

D. Aven. V. Non. Oct. P. a. IV. a. D. 1356.

Oratur rex pacem inducere inter Ducem Navarræ, & Ducem Normanniæ.

INNOCENTIUS VI. Eduardo Regi. LVII. Ib. p. 200.

Inc. *Nuper siniſtris, &c.*

INter Carolum Navarræ Ducem, & Carolum Ducem Normanniæ Regis Galliæ primogenitum erant subortæ discordiæ.

Miserat Pontifex Nuntios ad utrumque ad illas sedandas.

Rogat Regem Angliæ, ut ipse quoque hoc negotii suscipiat, extinguatque hæc bellorum semina.

D. Avin. III. Cal. Sept. P. a. VI. a. D. 1358.

Ne rex permittat a Militibus suis in Francia lædi clerum.

INNOCENTIUS VI. Eduardo Regi. LVIII. Ibidem.

Inc. *Dilectum filium, &c.*

EDuardo significat Innocentius, se ejus Nuncium recepisse, audisse regis petitiones, polliceturque se causa ejus, facturum omnia.

Tum illum rogat, ne permittat per milites suos in Francia injuriis afici Ecclesiasticos, neque bona ad Ecclesias spectantia diripi, & vastari.

D. Avin. VI. Cal. Maji P. a. VIII. a. D. 1360.

Laudatur Rex, quod pacem acceptarit.

INNOCENTIUS VI. Eduardo &c. LIX. Ad ann. 1360. §. 28.

Inc. *Vox exultationis, &c.*

TAndem aliquando Rex liberata captivitate Joannem, pacemque cum illo fecerat. Summopere igitur eum Pontifex commendat, lætitiamque suam illi ostendit, quam ex hac pacis conciliatione percipit.

Et sane una pax poterat reparare illa ingentia mala, quæ ex tam diutino bello in utrumque regnum fuerant derivata, quæ quidem mala enumerat Innocentius.

Una pax potest in utrumque regnum inducere bona innumera, quæ recensentur.

Cautior hinc in posterum fiat Rex, neque ex quibuscumque causis velit bellum suscipere.

D. apud Villamnovam Aven. Diœc. II. Non. Jul. P. a. VIII. a D. 1360.

Se excusat Pontifex, cur non possit creare Cardinalem Abbatem commendatum a Rege.

INNOCENTIUS VI. Eduardo Regi. LX. B.M. p. 3. vel t. 9. p. 201.

Inc. *Nuper quanto, &c.*

REspondet Pontifex Eduardo, qui supplicarat Pontifici, ut promoveret ad Cardinalatum Androynum Abbatem Monasterii Cluniacensis, pro quo etiam Rex Franciæ supplicaverat;

Scilicet, se, qui alias semper annuerat ejus petitionibus, ferre gravate, quod debeat in hoc negotio, ejus postulationes non recipere.

Causam hujus rei, inquit, ejus Nuntius ore tenus illi exponet.

Dat. Avin. VII. Cal. Janu. P. a. VIII. a. D. 1360.

Commendat Abbatem Cluniac. regi Pontifex.

LXI. Ibid. INNOCENTIUS VI. Eduardo Regi.

Inc. *Pervenit nuper, &c.*

AD sedandas contentiones ortas inter Carolum Ducem Britanniæ, & Joannem Comitem Montis Fortis diem, & locum statuerant Joannes Rex Franciæ, & Eduardus Rex Angliæ.

Pontifex, ut gloriæ hujus conciliatæ pacis esset ipse quoque particeps, mittit nuntium Androynum Abbatem Cluniacensem, quem Eduardo commendat.

D. Avin. IV. Id. Mar. P. a. IX. a. D. 1361.

Gratiarum actio ad regem de data S. Sedi pecunia.

LXII. Ibid. INNOCENTIUS VI. Eduardo Regi.

Inc. *Cum nos, &c.*

CONvenerat inter regem Galliæ, regemque Angliæ, inter quos conciliata pax erat, ut ille daret huic ad diem Paschatis grandem pecuniæ vim.

In auxilium Pontificis Eduardus ex hac quantitate summam centum millium florenorum destinavit.

Pontifex illi gratias agit, licet terminus non valde arrideat, utpote distans nimis.

Regi significat, etiam Clerum Anglicanum similem summam sibi obtulisse, quam acceptavit.

Quibus summis acceptis, *quitantias literas nuntiis* regis tradet.

D. Avin. Cal. Apr. P. a. X. a. D. 1362.

Jubentur duo prælati accipere a rege, & a clero oblatam pecuniam.

LXIII. Lib.p.202. INNOCENTIUS VI. Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Eliensi.

Inc. *Debitum equitatis, &c.*

PRædictis Prælatis narrat Pontifex, regem sibi spopondisse subsidium centum millium florenorum ex ea quantitate, quam in festo Paschatis illi persolvet Galliæ rex;

Et idem subsidium pollicitum fuisse Clerum Anglicanum.

Illis ergo jubet, statim ac præfata summa numerata fuerit, ut promissum subsidium deducant, & ad curiam mittant;

Ut eligant fideles viros, qui a Clero pecuniæ quantitatem colligant, & in renuentes censuras Ecclesiasticas adhibeant.

Vult florenos esse *boni auri, & ponderis florentini seu aliam bonam æquivalentem monetam.*

D. Avin. Cal. Apr. P. a. X. a. D. 1362.

Censum annuum S. Sedi persolvere monetur Rex.

URBANUS V. Eduardo.

LXIV. Ad ann. 1365. §. 13. Inc. *Si discretionem, &c.*

PEr annos triginta jam Rex Angliæ censum Romanæ Ecclesiæ non solverat.

Ne jus hoc illum exigendi amitteret, regi scribit Urbanus; erat hic census mille marcharum Sterlingorum pro regnis Angliæ, & Hiberniæ.

Donec Ecclesia regem implicitum gravibus bellis vidit, nihil ab illo efflagitavit, usa ea discretione, quæ Romanæ Ecclesiæ est propria; per annos triginta fluit;

Nunc vero cum Rex divitiis abundet, cum regnum alta pace fruatur, possitque commode illum Rex solvere, eum Urbanus rogat, ut illum solvat;

Nimiis necessitatibus Ecclesia premitur, quas A. N. Abbas monasterii S. Bavonis Gaudensis Rex exponet.

D. Aven. Id. Junii P. a. III. a. D. 1365.

Hortatio ad regem, ne ejus filius occupet comitatum Provinciæ.

URBANUS V. Eduardo Regi. LXV. Ib.p.203.

Inc. *Intonuit, fili, &c.*

PErcrebuerat rumor, Joannem Lancastræ ducem filium Eduardi parare exercitum, quo invaderet comitatum Provinciæ spectantem ad Joannam Siciliæ reginam.

Pontifex Angliæ regi scribit, Joannam paratam esse ad agenda quæcunque Dux juri consona proponet; Cujus rei se sequestrum Pontifex facit Regi.

Eum rogat, ut proponat sibi mala ingentia, quæ ex hoc bello orirentur, filiumque ab eo patrando deterreat.

Scribit se mittere ad eundem Nuncium Apostolicum, qui res componat, quem regi commendat.

D. Viterbii VII. Cal. Aug. P. a. V. a. D. 1367.

Hortatio ad regem ad pacem.

GREGORIUS XI. Eduardo Regi. LXVI. Ib.p.206.

Inc. *Ad procurandum, &c.*

SIgnificat Gregorius Eduardo, se, vix ac scivit discordiam ortam inter ipsum, & regem Franciæ, destinasse ad eum duos Cardinales pro pace componenda;

Se orare ergo regem, ut velit eos Cardinales admittere & ad tam pium opus animum inclinet, parcatque sanguini tot Christindelium.

D. Avin. Id. Nov. P. a. I. a. D. 1371.

Facultas data regi nominandi duas personas in Cathedralibus.

URBANUS VI. Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Lincolniensi. LXVII. Ib.p.215.

Inc. *Clara devotionis, &c.*

IN præmium devotionis erga S. Sedem, quam gerebat Richardus Angliæ rex, mandat Urbanus supradictis Prælatis ut in singulas Ecclesias Metropolitanas, & Collegiatas, & Cathedrales rex nominet duas personas, quas ipsi in easdem Ecclesias faciant recipi, *quibus respondeatur* de juribus, redditibus, & fructibus canonicatuum, vel dignitatum &c. idque pro una vice tantum.

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Maji. P. a. I. a. D. 1379.

Negat Eugenius, se absolvisse quemquam ab juramento fidelitatis præstito regi Angliæ.

EUGENIUS IV. Henrico Angliæ Regi. LXVIII. Ib.p.237.

Inc. *Reddidit nobis, &c.*

NEgat Eugenius Henrico Regi petenti, an quosdam principes, & nobiles Galliæ, & inter hos præcipue Burgundiæ Ducem, absolvisset ab juramento fidelitatis præstito patri suo, aut ipsi, se absolvisse quempiam;

Illique pollicetur, se nihil in posterum facturum quod ad regnum Angliæ pertineat, quin prius ipsum regem Angliæ consuluerit.

D. Florentiæ XII. Cal. Aug. P. a. V. a. D. 1435.

Laudatur Henricus quod misericordia uti velit,

INOCENTIUS VIII. Regi Angliæ. LXIX. Ex Rayn. ad ann. 1485. §. 52.

Inc. *Ex litteris, &c.*

„ HEnricus Richemundiæ comes in Britannia minori exul, nullis fretus opibus, vivebat exæ-
„ stuans odio in Richardum Angliæ Regem, qui filios
„ fratris Henrici occiderat. Mater interea, & vitricus
„ Henrici amicos illi in Anglia conciliarunt, adjutus-
„ que a rege Galliæ parvo exercitu in VValliam de-
„ scen-

„ scendit, commissoque cum Richardo prælio eum de-
„ vicit, & interemit. Anglia universa eum regem sa-
„ lutavit.

Non est abusus victoria Henricus, præscripsitque dies quadraginta, intra quos omnibus assectis Richardi ignoscere est pollicitus, si veniam peterent.

Laudat Innocentius pulchrum hoc factum; inter omnes virtutes enim nulla virtus magis Regem decet, quam clementia, *misericordia, & veritas custodivit regem, & roboratur clementia thronus ejus*, ait divina sapientia.

Amabat Henricus Episcopum Dunelmensem, qui erat vitæ integerrimæ, quique Henrico persuaserat, ut amicis Richardi parceret. Hac etiam de causa Pontifex Regem laudat.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIX. Mar. P. a. II. a. D. 1486.

Dispensatio Matrimonialis impedimenti inter Henricum VII. & Elisabetham.

LXX. B.M.p.3. vel t. 9. p. 257. INNOCENTIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

AD tollendas seditiones, quæ tandiu vexabant Angliæ regnum inter domos de Lancastria, & Eboracensem Pontifex dispensat Henricum VII. & Elisabetham unicam superstitem Eduardi IV. Angliæ Regis super impedimento propinquitatis, cum essent in quarto gradu.

Quod si vel Henricus, vel Elisabetha decedat, quin superstites filii sint, servetur majoritatis ordo in successione.

Pœnæ consuetæ infliguntur iis, qui regnum Angliæ quocumque modo perturbaverint, sint ii quacumque dignitate fulgentes.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum VI. Cal. Apr. P. a. II. a. D. 1486.

Confirmatio dispensationis.

LXXI. Ib.p.269. INNOCENTIUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Redemptoris, & Domini, &c.*

QUamvis Jacobus Episcopus Imolensis Nuntius Apostolicus in Anglia de auctoritate Pontificis dispensaverit de quarto gradu consanguinitatis Henricum VII. & Elisabetham, sponsi tamen optarunt, ut Pontifex ipse hanc dispensationem confirmaret.

Id præstat hac constitutione Innocentius. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Aug. P. a. II. a. D. 1486.

Perturbatores regni absolvuntur a censuris.

LXXII. Ib.p.300. INNOCENTIUS VIII. Archiepiscopo Cantuariensi.

Inc. *Apostolicæ Sedis, &c.*

DEnunciatis ab Innocentio perturbatoribus regni Angliæ Ecclesiasticis pœnis, ni desisterent, multi eorum confugerunt ad regem, eum orantes, ut impetraret a Pontifice absolutionem ex his pœnis.

Quod egit rex.

Pontifex ergo mandat Archiepiscopo Cantuariensi, ut hos perturbatores resipiscentes absolvat, & juramentum ab iis exigat, nunquam se perturbaturos regnum Angliæ, immo effecturos, si poterunt, ut perturbatores ad bonam frugem deducant.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Id. Aug. P. a. III. a. D. 1487.

Duobus Prælatis mandatur, ut mittant Romam rem totam de electione Symnell &c.

LXXIII. Ib.p.301. INNOCENTIUS VIII. Archiepiscopis Cassélensi, & Tuamensi &c.

Inc. *Romam Pontificis, &c.*

ARchiepiscopi Armachanus, & Dublinensis, duoque alii Episcopi Lambertum Symnell puerum nothum Ducis Clarentiæ in regem Angliæ elegerunt; multosque ita ab Henrico VII. rege averterat.

Ne ulterius hæc progrederentur, mandat præfatis Episcopis, ut de re omni se certiorem faciant, ut possit de consilio Cardinalium agere quod satius duxerit, & iis dat omnimodam facultatem coercendi rebelles per censuras Ecclesiasticas.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Janu. P. a. IV. a. D. 1487.

Excommunicatio in perturbatores Angliæ, & Hiberniæ.

INNOCENTIUS VIII. ad p. r. m. LXXIV. Ib.p.302.

Inc. *Sedis Apostolicæ, &c.*

CUm Pontifex aliis in litteris pœnas excommunicationis minatus esset perturbatoribus Angliæ, quidam jactantes, eas pœnas esse tantum contra perturbatores Angliæ, non Hiberniæ intelligendas, ad preces ipsius Henrici VII. ait hic Pontifex,

Se intelligere quoscunque perturbatores omnium locorum regi Henrico subjectorum, qui de jure succedendi in Angliam turbas movent, incurrere in eas pœnas;

Quas renovat contra quoscunque cujuslibet gradus, & dignitatis.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Junii P. a. IV. a. D. 1486.

Permissio regi, ut eligat Episcopos, qui absolvant perturbatores.

ALEXANDER VI. Henrico Angliæ Regi. LXXV. B.M.p.4. vel t. 10. p. 3.

Inc. *Alias felicis, &c.*

DEmandatum fuerat Archiepiscopis Cantuariensi, & Dunelmensi ut absolverent perturbatores Regni Angliæ ad pœnitentiam redeuntes.

Ostendenti Regi Pontifici, nec semper id posse facere Archiepiscopos designatos, nec omnibus perturbatoribus id esse commodum, Alexander permittit, ut ipse eligat quos velit Episcopos ad hoc peragendum. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Julii P. a. III. a. D. 1495.

Dispensatio Matrimonii inter affines Henricum VIII. & Catharinam.

JULIUS II. Henrico Angliæ Regi, & Catharinæ Ferdinandi, & Isabellæ Regis, & Reginæ Hispaniarum filiæ. LXXVI. Ex Rayn. ad ann. 1503. §. 22.

Inc. *Oblata nobis, &c.*

ARturo primogenito Regi Angliæ nupserat Catharina; fama erat, eam ab illo non fuisse cognitam.

Petita fuit dispensatio affinitatis ab Henrico VIII. fratre Arturi leviro Catharinæ. In lege Mosayca semper levir ducebat uxorem fratris sui sine prole mortui, v. in Deuteron. Leges de Leviratu.

Julius considerans multa, & grandia emolumenta quæ in christianam Remp. erant redundatura ex hoc matrimonio, quod erat vinculum pacis, & fœderis inter potentissimos reges, dispensat,

I. Etiamsi Catharina fuisset cognita ab Arturo,

II. Etiamsi Henricus eam cognovisset ante hanc obtentam dispensationem,

III. Etiamsi matrimonium ante dispensationem contraxissent.

IV. Legitimamque vult esse prolem etiam fortasse susceptam ante hanc dispensationem; *proviso quod Catherina propter hoc rapta non fuerit.*

Quod si matrimonium hoc fuit initum ante obtentam dispensationem, confessor ab utraque parte eligendus eos absolvere possit, injuncta pœnitentia.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. R. apud S. Petrum Cal. Janu. P. a. I. a. D. 1503.

Titulo

Titulo Defensoris fidei insignitur Henricus VIII.

LXXVII. B.M.p.4. vel t. 10, p. 46. LEO X. Henrico Angliæ Regi.

Inc. *His præteritis, &c.*

LÆvas opiniones Lutheri oppugnare aggressus est Henricus Angliæ Rex libro, quem ipse composuit („ Alii, & fortasse melius Cardinalem Roffensem ejus „ operis si non auctorem, certe adjutorem fuisse opi- „ nantur, quem Henricus postea capite plecti jussit.) *putant nonnulli opus esse Reginaldi Poli postea Cardinalis*, inscripsitque *de Sacramentis*, misitque eum per suum oratorem ad Pontificem,

Pontifex nomine Cardinalium, & Ecclesiæ illi gratias agit, *quod armis defenderit Ecclesiam, & spiritu.*

Datque illi de consilio Cardinalium speciosissimum titulum *Defensoris Fidei*;

Jubens, illum præmia multo majora sperare a Deo, cujus sponsam tam acriter & protegit, & defendit.

D. Romæ apud S. Petrum Die IV. Nov. P. a. IX. a. D. 1521.

„ Liber Henrici *De septem Sacramentis* est pietatis, „ & eruditionis refertus, illumque opposuit Rex Lu- „ theri libro *de captivitate Babylonica*, & per Orato- „ rem suum Romæ degentem Leoni X. obtulit hoc „ distichо,

„ *Anglorum Rex Henricus, Leo decime, mittit*
„ *Hoc opus & fidei testem, & amicitiæ.*

„ *Cum autem cognoscoret Leo a Lutheро primum dam-* „ *natas esse indulgentias, concessit legentibus librum* „ *Henrici Regis decem annorum, & decem quadrage-* „ *narum indulgentiam* „. Ita Ciaconius in Leonis vita.

Confirmatio tituli.

LXXVIII. Ib. p. 52. CLEMENS VII. Henrico Regi Angliæ.

Inc. *Decet nos, &c.*

QUem titulum *Defensoris fidei*, ob librum scriptum in Lutherum Angliæ regi dedit Leo, eidem confirmat & Clemens cum effusione laudum.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Martii P. a. I. a. D. 1523.

Invitatur rex, ut sit protector fœderis contra Carolum V. initi.

LXXIX. Ib. p. 55. CLEMENS VII. ad p. r. m.

Inc. *Cum nuper, &c.*

INitæ ligæ, *seu confœderationis* Papam inter, & Francorum regem Franciscum, & Dominium Venetum contra Imperatorem Carolum V. quærebatur prorector Henricus VIII. Angliæ rex, qui plurimum consilio, *& martiis operibus* valebat.

Ad eum misit Ubertum de Gambara Brixiensem (postea Cardinalem) & Baptistam Sanga Romanum Clericos, qui cum rege paciscerentur de annua pensione illi solvenda, ut hoc onus subeat, videat conditiones, eas mitiget, addat iis, detrahat.

Silentium etiam ei polliceatur; & de observatione tractatuum efficiat, ut nomine suo territoria, & dominia jurent; & hoc juramentum erit etiam petendum ab aliis principibus.

Promittit demum *in verbo pontificio se ratum* habiturum, quod prædicti oratores cum rege agent.

D. Romæ apud S. Petrum XVIII. Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1526.

Facultas data Cardinali Eboracensi inquirendi de Matrimonio inter Henricum, & Catharinam.

LXXX. Ib. p. 56. CLEMENS VII. Thomæ Cardinali Eboracensi.

Inc. *Sane ad aures, &c.*

QUamvis nunquam fuerit dubitatum de validitate matrimonii inter Henricum VIII. Angliæ regem, & Catharinam Aragoniæ initi ex dispensatione Apostolica; tamen cum Pontifex audivit dubitari a quibusdam, licet ad Apostolicam Sedem res non fuerit deducta, Cardinalis Eboracensis constituitur judex cum melius in Anglia, quam Romæ possit res tota haberi comperta.

Dat ergo Pontifex facultatem Cardinali declarandi nullum, vel legitimum matrimonium, postquam omnia diligenter inquisiverit, & declarandi per consequens legitimam prolem susceptam a Catharina (erat Maria postea regina Angliæ nupta Philippo II. Hispaniarum Infanti) aut suscipiendam ex secundo matrimonio. N. O.

D. in Urbe Veteri Id. Oct. P. a. V. a. D. 1528.

Cur non possit dissolvi matrimonium Henrici.

CLEMENS VII. Regi Angliæ.

LXXXI. Ad ann. 1519.9.91. Inc. *Dilectum filium, &c.*

INstabat Henricus litteris, ut Clemens dissolveret matrimonium. Tergiversatus semper Pontifex est, modo causam unam, modo alteram suæ moræ prætexens.

Miserat Rex ad Clementem Guillelmum Benet Oratorem suum hominem facundum, virum prudentem, & gravem, qui argumenta pro dissolutione afferret.

Respondet Regi Clemens, nihil sibi futurum magis cordi aut fuisse, aut esse, quam ut possit testari Regi animum suum; sed sperare ex Cardinali Campegio eum audivisse rationes, cur in hoc assentiri Regi nullo prorsus pacto possit, quibus rationibus sperat utpote justum acquiescere regem;

Se esse patrem communem, & esse judicem; se proinde non posse vetare alteri parti ne rationes suas proferat, & necessario sibi esse audiendas;

Se gerere vices illius, apud quem non est acceptatio personarum.

D. Romæ apud S. Petrum Die VIII. Julii P. a. VI. a. D. 1529.

„ Multæ aliæ Epistolæ sunt hujus tenoris de hoc „ argumento; sed data opera prætermissæ sunt.

Appellatio Catharinæ Reginæ Angliæ super tentata dissolutione matrimonii.

CLEMENS VII. Universis in singulis præsentes litteras inspecturis,

LXXXII. Ad ann. 1531.9.98. Inc. *Exponi nobis, &c.*

CUm videret Catharina virum suum Henricum jam cum Anna Bolena ita vivere non secus ac si maritus ejus esset, appellavit ad Pontificem, præcipue cum ipsa Catharina etiam traducebatur tanquam legitime non nupta.

Graviter indoluit ad hæc Pontifex, cum jam lis coram Auditore causarum sacri Palatii penderet; qui quidem Auditor edictum affigi fecerat' locis finitimis regno Angliæ contra Regem, si Annam duceret, & contra quoscunque qui matrimonio jungendo assisterent; pœnæ pecuniariæ erant decem millium Ducatorum auri, & excommunicationis.

Cum ergo ante finalem sententiam Henricus Annam ducere, & multi his nuptiis assistere essent parati,

Primum declarat Pontifex, se non potuisse non admittere interpositam a Regina appellationem,

Deinde vim edicti Auditoris renovat contra Regem, & assistentes, consulentes, faventes, &c.

Vetatque sub denuntiatis ab Auditore pœnis & cum alia persona muliere, quæcunque sit contrahere matrimonium, pendente lite, & quibuscunque huic matrimonio assistere, &c. N. O.

Mandat demum has litteras publicari ad omnium cognitionem.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die V. Janu. P. a. VIII. a. D. 1531.

Monetur de interposita appellatione Rex.

CLEMENS VII. Regi Angliæ Henrico,

LXXXIII. Ib. p. 81. Inc. *Nunquam quidem, &c.*

EXcandnit ira Rex cum vidit superiores litteras Clementis, eique atro stilo litteras scripsit,

Quibus suum in eum amorem imminui nihil omino respondet Clemens.

Non

Non ideo illas nuptias vetat, ut faveat Cæsari, quod Henricus scripserat, sed quia ita exigit justitiæ ratio.

Ipse rex testis esse potest, quantum illi faverit. Postulavit Legatum in Anglia, qui causam ibidem cognosceret, fuitque missus; isque revocatus non fuit, nisi cum regina appellavit de suspicione ipsius Legati, qui cum esset in regno Angliæ intra vires Regis judicare libere non poterat.

Necesse ergo fuit remittere causam ad Cardinales, qui de unanimi consensu eam ad Sacram Rotam remiserunt, quæ Rota jussa fuit discutere jura, & decisionem relinquere Pontifici, cum causa sit regia.

Ad hæc omnia ordine peragenda, ad discutiendos articulos, ad examinandos testes, ad conferenda inter se omnia tempus requiritur.

Interea sciens regina multos consulere Regi, ut non expectaret sententiam, sed iniret Matrimonium, aliam appellationem interposuit; quæ quidem justissima est. Sicut enim regina sui corporis lite pendente jus non habet, sic neque Rex, neutraque pars potest esse libera.

Et hanc appellationem Clemens admisit, non ut faveret Cæsari, quod suspicatur Rex, cum Cæsar nihil aliud exigat, nisi ut recte decidatur; cui Cæsari si Clemens est addictus, quod non negat, propter publicam tranquillitatem servandam est addictus.

Clemens Academiarum, doctissimorumque hominum sententias exquisivit, & nonnisi viri nefarii sollicitati, corruptique divortium approbarunt.

Quæ cum ita sit, injuste Rex queritur; potius Pontificem ut nimis indulgentem laudare deberet.

Pollicetur demum, se decisurum, nullo habitu respectu rei cujusquam juste.

D. Romæ apud S. Petrum Die VII. Jan. P. a. VIII. a. D. 1531.

Sententia in Henricum fertur.

LXXXIV. Ad an. 1533.9.9. CLEMENS VII. ad f. r. m.

Inc. *Cum pendente, &c.*

JAm sibi Henricus Annam conjunxerat, & *Catharinam a quasi possessione juris conjugalis, & reginalis dignitatis, in qua tempore hujus motæ litis erat*, removerat contra decretum editum ab Auditore Pontificis.

Ergo Pontifex injuste repudiatam fuisse Catharinam, declarat, nullam declarat matrimonium inter Regem, & Bolenam, illudque dissolvit, prolem inde natam, vel nascituram illegitimam esse decernit,

Vultque Catharinam in possessionem matrimonii, & regalis dignitatis redire, expellique Bolenam.

Pœnas tamen denuntiatas in edicto suspendit ad mensem totum Septembris intra quem omnia prædicta peragantur,

Quo elapso, neque his mandatis executioni datis indictas pœnas incurrere vult Henricum. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XII. Jul. P. a. XI. a. D. 1534.

Nimium præcipitem in hac sententia ferenda dicunt fuisse Clementem.

Excommunicatio Henrici VIII.

LXXXV. B.M.c 1. p. 707. B R. t. 4. p. 1. p. 125. C.C. PAULUS III. ad p. r. m.

Inc. *Ejus qui, &c.*

QUamvis paterne per litteras, per nuntios Clemens admonuisset Henricum VIII. Angliæ regem, ut Annam Bolenam dimitteret, & cum Catharina legitima uxore viveret, ille tamen in deterius abiens, neque recepit Catharinam, neque dimisit Annam; voluitque subditos suos credere, Pontificem non esse Vicarium Christi, sed se esse caput Anglicanæ Ecclesiæ; recusantes Laicos, regulares, Episcopos in carcerem conjecit, & capite multos multavit, inter quos Cardinalem Roffensem; bona ecclesiarum, conventuum usurpavit.

Quibus rebus permotus Paulus statuit tandem fulmina Ecclesiæ in eum, fautores, complices, consiliarios jacere; ni rex se corrigat, quod orat enixe.

Pœnam excommunicationis majoris rex incurrat, amittat jus in regnum, civitates, quæ illum receperint interdicantur; filiis ex eo natis nullum jus competat in regnum, subditi absolvantur a fidelitatis juramento, & ab eo recedant; omnes evitent regem, & complices; qui sint infames, *& incapaces ad omnes dispositiones agendas;* sub excommunicationis pœnam prælati, clerici, regulares ab Anglia discedant; Arma, duces, nobiles, populus contra Henricum fumant, & e throno deturbent. Principes Catholici jus habeant in illud regnum, illudque occupent; quidquid Henrici, & fautorum ejus quisque surripuerit, tuta conscientia retineat.

Prælati sententiam hanc publicent, impedientes publicationem eandem pœnas incurrant. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum III. Cal. Sept. P. a. I. a. D. 1535.

Publicatio excommunicationis.

PAULUS III. ad p. r. m. LXXXVI. Ib. p. 711. Ib. 147. C.C.

Inc. *Cum Redemptor, &c.*

EDiturus erat Paulus præcedentem constitutionem, cum personæ regiæ, ducesque multi eum rogarunt, ut per tres annos publicationi superfederet; interea Henricum correcturum ea, quæ patravit.

Distulit Paulus.

Henricus sus deque miscuit omnia jura divina, humanaque. Ipsum D. Thomam Cantuariensem, ad cujus sepulchrum tot fiebant miracula, in judicium vocavit, sacrumque cadaver comburi jubit, cineresque in ventos spargi.

Annis ergo tribus transactis, jubet Paulus sententiam excommunicationis in eum publicari.

D. Romæ apud S. Petrum XVI. Cal. Jan. P. a. V. a. D. 1538.

Gratulatio de adepto Regno, & hortatio ad restituendam fidem.

JULIUS III. Mariæ Angliæ Reginæ. LXXXVII. Ad an. 1553.9.9. Inc. *Postea quam renuntiatum, &c.*

„ MOrtuo Fratri Eduardo nato ex Joanna Seme- „ ria, regnum devolutum fuit ad Mariam fi- „ liam Henrici ex Catharina Aragonia; in Religione „ Catholica altam, illique addictissimam. Duces tamen „ Dudlæus, & Suffolcius, aliisque conjurati qui ditati „ fuerant Ecclesiarum bonis, videntes se esse iis spo- „ liandos, si Maria regnum teneret, insidias illi struxerunt, quas tamen superavit.

Gratulatur igitur illi Pontifex de adepto regno;

Gratiasque Deo agit, quod insidias vitaverit illi structas, ne regina fieret; Eamque monet, ne tanto Dei beneficio ingrata sit.

Deus enim eam inter tot angustias, inter tot rerum vicissitudines paucos intra annos in eo regno factas cum illam ex hostium Catholicæ Fidei artibus incolumem servarit, non casu servavit, sed ut pristinam religionem restitueret, verum Dei cultum reponeret;

Quod illi facillimum erit, cum hæresis in regno sit recens, populusque adhuc Christianos ritus, & Catholica dogmata in mente habeat.

Mittit ad eam Legatum Cardinalem Polum indidem Oriundum gratum regno, virtute, & doctrina conspicuum; ejus consiliis Regina utatur.

Fructus ingentes ex ea sperat Julius, quos Regina profecto edet.

D. Romæ apud S. Marcum Die VI. Aug. P. a. IV. a. D. 1553.

„ Vix ac Regina fuit salutata Maria invitavit in An- „ gliam Polum. Vivebat tunc in Cœnobio Megazeni „ Benaci studio, & orationi vacans. Illi tamen con- „ sulebat Maria, ne tam cito veniret in Angliam.

„ Illi permisit Pontifex ut laico habitu posset in An- „ gliam ire, ibique vivere.

Lauda-

Laudatur Reginæ ſtudium de reſtituenda Religione,

Ex xviii. Ad an. 1554. §. 71. JULIUS III. Mariæ &c.

Inc. *Litteras Serenitatis, &c.*

„ SCripſerat Regina Pontifici, Catholicam Religionem „ in ſingulos dies magis, magiſque dilatari in „ Anglia.

Reſcribit Pontifex: Ex Regiis litteris in Cardinalium Senatum lectis, ſe & Fratres magnam percepiſſe lætitiam, omneſque, & ſingulos gratias Deo egiſſe, Reginæque nomen debitis extuliſſe laudibus;

Cum tot probi Sacerdotes illuc iverint juſſu Pontificis, aſcitique alii fuerint a Regina, non poſſe non citiſſime ibidem catholicam fidem reſloreſcere vegetiorem.

Approbat proviſionem factam *juxta antiquum Regum Angliæ morem* a Regina de Epiſcopis in animarum cura ponendis.

Illi pollicetur, quod Regina orarat, ſe ſemper Deum eſſe precaturum pro tanti negotii felici exitu.

D. Romæ apud S. Marcum Die X. Julii P. a. V. a. D. 1554.

„ Ut facilius ad Eccleſiam redirent Angli, manda„ vit Polo Legato Julius, ut detentoribus bonorum Ec„ cleſiaſticorum reſtitutionis debitum remitteret.

Indicuntur ſupplicationes de reſtituta fide in Angliam.

Ixxxiv. Ad an. 1555. §. 2. JULIUS III. Philippo Regi, & Mariæ Reginæ Angliæ fidei defenſoribus,

Inc. *Ut primum, &c.*

SCripſerant Rex, Reginaque Julio, jam Catholicam religionem eſſe in Anglia conſtitutam.

Ad hunc Nuncium indixiſſe ſe Jubilæum in gratiarum actionem Deo, reſcribit prædictis Julius.

Tum iis gratulatur, quod Deus illos tanti boni auctores eſſe voluerit.

Quæ lætitiæ ſigna voluerit per totum Eccleſiaſticum ſtatum dari Julius, iis referet Nuntius, quem ad illos mittit.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVII. Jan. P. a. IV. a. D. 1555.

Maria mortua eſt an. 1558. regnum datum fuit Eliſabethæ.

Hortatur Pontifex Reginam Eliſabetham, ut Catholicam Religionem profiteatur.

XC. Ad an. 1560. §. 42. PIUS IV. Eliſabethæ Angliæ Reginæ.

Inc. *Quantopere cupiamus, &c.*

„ NAta erat Eliſabetha ex Henrico VIII. & ex „ Anna Bolena. Vix ac mortua fuit Maria, „ regnum iniit, eodemque tempore Maria Stuarta uxor „ Galliarum Regis Franciſci II. ſe heredem Angliæ „ potiori jure profeſſa fuerat, nata e ſorore Henri„ ci VIII.

Ad Eliſabetham mittit Pius Nuncium Abbatem Vincentium Parpalia eidem jam notum, a quo plura regina accipiet, quam hiſce litteris ſcribit.

Eam hortatur, ut remotis malis ſuaſoribus, qui non eam, ſed ſe amant, catholicam fidem ſectetur; quæ una ejuſdem animæ ſalutem promovere, ejuſque dignitatem ampliſicare poteſt;

Tum illi pollicetur Pius auxilium præſidiumque,

Se revertentem ad fidem eam eſſe excepturum, quo amore Pater ille Evangelicus perditum filium accepit;

Ne hæreſim foveat, quæ nonniſi in graviſſimas turbas eam injiciet, ut experientia oſtendit fieri in iis regionibus, in quibus errores dominantur;

Concilium haberi Tridenti, in quo hæreſes damnabuntur, diſcetque regina quid ſit credendum, quid non.

Dat. Romæ apud S. Petrum Die V. Maji P. a. I. a. D. 1560.

Excommunicatio Reginæ Eliſabethæ.

PIUS V. ad p. r. m. XCI. B.M. t.2. p. 324. B.R.t.4. p. 1. p. 38.C.C.

Inc. *Regnans in excelſo, &c.*

HÆreſim introduxit in Angliam Henricus VIII. eam proſequens Elitabetha ejus ex Anna Bolena filia *notha prætenſa Reginæ*, ad quam *veluti ad aſylum omnium infeſtiſſimi* catholicæ religioni confugiebant, *regno occupato, in omni Anglia ſe caput religionis aſſerit*, & vult ab omnibus ut caput haberi.

Statutis pro Eccleſia a Maria vera Regina abrogatis, Epiſcopis ejectis, bonis Eccleſiaſticis diſſipatis, hæreticam eam eſſe decernit Pius, ac proinde privandam regno, & dignitate.

Vaſſallos a reginæ data fidelitatis abſolvit, & nobiles ejus fautores ſpoliare bonis vult, præter pœnas illi & his Eccleſiaſticas inflictas. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum V. Cal. Maji P. a. V. a. D. 1570.

Hortatio ad Parlamentum, ut Catholicam fidem ſectetur.

PAULUS III. Anglis in parlamento congregatis. XCII. Ad an. 1541. §. 123.

Inc. *Cum non, &c.*

MOrtuus erat Henricus VIII. qui aperta argumenta dederat, ſe cupere regnum redire ad Eccleſiæ Romanæ unitatem.

Captans occaſionem Paulus cum teneri ſoleat poſt mortem regis parlamentum, quod e tribus civium ſtatibus conſtat, illi ſcribit,

Licet tot injuriis provocatus ab Henrico fuerit, licet adeo Romana Eccleſia ab illo fuerit vexata, tamen neque ſe, neque Eccleſiam in ejus Regni Incolas amorem abjeciſſe;

Ex hoc amore motum, cum videat per mortem Regis multa pericula regno imminere, ſe non poſſe pati, quin eos de illis moneat, antequam eveniant; ad quæ avertenda ſe paratum illis Pontifex offert.

Cum ab Eccleſia ſe ſepararint Angli, ut Regi ſuo morem gererent, ſciunt ſe, ſumque regnum cuique eſſe expoſita volenti illud occupare.

Quare ne id ſuccedat, redeant ad Eccleſiam, a qua benigne recipientur, & in qua præſidium, auxiliumque tempore quocumque reperient.

Hæc omnia, ait, illis eſſe dicturum pœnitentiarium Anglum in Eccleſia Vaticana, quem ad illos mittit, Cui plenam fidem præſtent.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Mar. P. a. XIII. a. D. 1547.

„ Succeſſit Henrico Eduardus ex Anna Semeria ſu„ ſceptus adoleſcentulus annorum novem, cui ſexdecim „ Gubernatores reliquit Pater; inter hos quidam erant „ Catholici.

DE PRINCIPATU VALLIÆ.

Confirmatio concordiæ inter Fratres Germanos factæ a quibuſdam Prælatis.

GREGORIUS X. Levellino Principi Valliæ. XCIII. B. M. p. 1. vel t. 9. p. 84.

Inc. *Cum a nobis, &c.*

NAtæ erant controverſiæ inter Fratres Germanos Levellinum Valliæ principem, & Davidem ſuper quibuſdam terris.

Hi ex compoſito elegerunt arbitros quoſdam Prælatos, qui diſſidia componerent, & haberent facultatem excommunicandi eum, qui judicio non ſtaret.

Electi judices rem deciderunt.

Petiit princeps confirmationem hujus judicii a Pontifice, qui eam apponit.

Nulli ergo &c. Si quis &c.

D. Lugd. XV. Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1273.

DE

DE REGNO INSULARUM.

Acceptatio oblationis Inſulæ Mans S. Sedi factæ, de qua rex inveſtitur in Feudum.

I. B.R. t.1. p. 1. p. 225. C.C. HONORIUS III. Reginaldo Inſularum regi.

Inc. *Promptæ fidei, &c.*

REx Inſularum ſupradictus obtulit Inſulam Mans S. Sedi, quæ ad ipſum ſpectabat hereditario jure, *liberaliter, & irrevocabiliter;*

Quam acceptavit Honorius, & de qua Reginaldum inveſtit in Feudum, ob quod S. Sedi dedit ille juramentum fidelitatis, & homagii.

In recognitionem dominii rex pollicitus eſt ſe daturum *annuatim duodecim Marchas Sterlingorum in Anglia apud Monaſterium de Furnis in Feſto Purificationis B. Mariæ Virginis.*

Honorius ergo, & regem, & ſucceſſores regis, & regnum ſuſcipit in tutelam S. Petri.

D. Later. X. Cal. Junii P. a. VII. a. D. 1223.

DE ECCLESIA ANGLICANA.

Ne Laici inveſtiant Clericos de Eccleſiis, neque Clerici accipiant inveſtituras a Laicis.

I. B.R.t. 2. p. 198. C. C. ALEXANDER III. ad Epiſcopos Angliæ,

Inc. *Ad audientiam, &c.*

POſt enatam contentionem inter Henricum Angliæ regem, & inter Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, prava conſuetudo erupit, ut Laici uſurparent Eccleſias, & beneficia eccleſiaſtica, & inveſtirent quos volunt Clericos.

Pontifex, quoniam hoc damnatum fuit ſub excommunicationis pœna inflictæ danti Laico, & Clerico a Laico inveſtituram Eccleſiæ accipienti, monet univerſos Angliæ Epiſcopos, ut moneant Clericos, qui a Laicis inveſtituras acceperunt, ad beneficia reſignanda;

Si intra quadraginta dies *poſt ſuſceptionem harum*; ea non reſignarint, eos excommunicent.

Si Epiſcopi in hoc negligentes fuerint, peraget id Pontifex.

Fructus etiam ab Eccleſiis perceptos Clericos reſtituere jubet.

Dat. Beneventi XIV. Cal. Junii a. 1169.

Hortatio ad Prælatos, ne dent regi rumpendæ pacis anſam.

II. B.R.t.3. p. 1. p. 164. C.C. INNOCENTIUS III. Archiepiſcopis per Angliam conſtitutis.

Inc. *In forma, &c.*

JOannes Anglorum Rex juratus promiſerat Legato Pontificio, ſe daturum veram pacem Archiepiſcopis, Epiſcopis regni ſui;

Nec læſurum Clericos, & Monachos, nec paſſurum a quoquam lædi.

Nec impediturum, quominus libere ſua munia exerceant,

Daturum proinde de his patentes Archiepiſcopis &c.

Prælatos itaque Angliæ monet Pontifex, ne ipſi dent occaſionem Regi hujus pacis infringendæ; nec quicquam contra regem faciant Romano Pontifice inconſulto.

a. 1210.

Permiſſio, ut electiones Prælatorum ſint liberæ; confirmatur.

III. Ib. p. 170. C. C. INNOCENTIUS III. Univerſis Eccleſiarum per Angliam conſtitutis.

Inc. *Dignis laudibus, &c.*

NOn contentus Joannes dediſſe ſuperiora privilegia Eccleſiæ Anglicæ, *ſpontanea voluntate & de conſenſu Baronum* permittit ut in ſingulis monaſteriis, & Eccleſiis liberæ fierent electiones.

Additur diploma, in quo permiſſio hæc continetur.

Quam conceſſionem confirmat Pontifex.

Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Lateran. III. Id. Apr. P. a. XVIII. a. D. 1315.

Increpantur Angliæ Epiſcopi, quod rebelles in S. Sedem non compeſcuerint.

IV. ex Rayn. ad an. 1233. §. 28. GREGORIUS IX. Archiepiſcopo Eboracenſi, & Epiſcopis per Angliam.

Inc. *Attendite & videte, &c.*

EXaſperati Clerici Angli pinguiora beneficia regni dari a Pontifice exteris, & præcipue Italis Pontificium curſorem interfecerunt, & Gregorii diplomata, proviſionumque bullas lacerarunt, conculcaruntque pedibus. Epiſcopi nihil ſe commoverunt, non reprehenderunt, non pœnas injunxerunt ullas iis Clericis. Ad eos ergo Epiſcopos ſcribit has Gregorius litteras;

Se mirari, quomodo in tanto facinore tacere potuerint Epiſcopi, præcipue cum Bullæ Pontificiæ *pro univerſis, & ſingulis a tempore, cujus non extat memoria, & ſpecialiter a tempore Beatiſſimi Thomæ Martyris* omnium furorem compeſcuerint. Si Epiſcopi taciti permittunt bullas Pontificias lacerari, actum de ſuarum Eccleſiarum privilegiis eſt, actum de illis, de Clericis, de libertate Eccleſiaſtica. Tunc *Herodiana ſeveritas in Clericos, & maxime Italicos* impune ſæviet.

Ubi eſt reverentia in S. Sedem? ubi juramentum ab Epiſcopis datum, ſe ſervaturos illæſa privilegia Romanæ Eccleſiæ, ſe ejus jura defenſuros, ſe punituros ea violantes? Si excommunicatio, telum, illud quod vindicat Eccleſiam, non adhibetur in coercendis, puniendiſque ſceleribus hujuſmodi, jam inutilis poſthæc prorſus erit.

Surgant ergo, ne dormiant amplius, & cauſam Eccleſiæ; imo Chriſti ſuſcipiant; pœnas iis Clericis dignas tanto crimine imponant, quas nili peragere velint, eos, eorum fautores, conſiliarios, receptores publice excommunicatos denuntient, & excommunicationis ſententiam ſingulis diebus feſtis publicari faciant, donec condignam ſatisfactionem dederint.

D. Spoleti V. Id. Junii P. a. VI. a. D. 1232.

Prælati excitent Clericos ad honeſtatem, & ſcientiam.

V. B.M.p.3 vel t.9. in Addenda p. 5. INNOCENTIUS IV. Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Anglia conſtitutis.

Inc. *Cum Sedes, &c.*

ANgliæ Prælatos monet Pontifex, ut Clericos præſertim nobiles excitent ad morum honeſtatem, ad ſcientiarum acquiſitionem;

Polliceturque, ſe cum his diſpenſaturum ſuper pluralitate Beneficiorum.

D. Lugd. III. Non. Aug. P. a. III. a. D. 1245.

Querelæ Eccleſiæ Anglicanæ de oneribus ſibi impoſitis a S. Sede, & remedium apponitur.

VI. Ib. in Addenda p. 10. INNOCENTIUS IV. Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Angliæ.

Inc. *Habet Eccleſia, &c.*

GRaviter conqueſta fuerat Anglicana Eccleſia de *oppreſſionibus illatis Anglis per Romanam Curiam*. Quibus querelis ſatisfacere conatur Innocentius allatis per Nuncios ad hoc Romam miſſos ad Pontificem.

Querebatur illa, provideri de opulentioribus, & di-

gnioribus beneficiis alienigenas cum magno Anglorum & detrimento, & scandalo. *Illæ enim provisiones summam quinquaginta millium marcharum excedebant.*

Refundit hoc Pontifex in maliriam suorum fratrum *longam futuris seculis relicturam memoriam.*

Deinde ait interdum facere se hoc necessitate, cum aliunde non habeat, quo compenset labores latos; & expensas a quibusdam Clericis factas pro Ecclesia.

Quæ quidem res aliquo modo debet esse Anglicanæ Ecclesiæ laudi, cum ex ipsa debeant peti præmia danda benemeritis de Apostolica Sede.

Tamen ita huic malo mederi decernit Innocentius, ut Itali Clerici, vel alterius nationis non possint provideri de Beneficiis in Anglia, nisi ad summam octo Marcharum, & ut ibi residean in suis beneficiis: ita non extrahetur ex Anglia pecunia.

Neque tamen semper hæc provisio octo Marcharum fiet; sed si fiet, hæc summa non erit major.

Episcopos monet, ut rescribant, num hoc Pontificis sibi placeat consilium.

D. Assisii XI. Cal. Junii P. a. X. a. D. 1252.

Statuta pro conservanda Ecclesiastica libertate ab Episcopis Angliæ confirmantur.

VII. Ad an. 1253. §. 27. INNOCENTIUS IV. Archiepiscopis, Episcopis, &c. regni Angliæ.

Inc. *Cum sicut, &c.*

CUm *voluntate, ac beneplacito Regis* Archiepiscopi, & Episcopi, & Prælati Angliæ in Synodo habita ut ecclesiastica libertas in eo regno servaretur,

I. Anathematizant, qui Ecclesias juribus suis spoliaverint.

II. Qui ecclesiasticas libertates, & antiquas regni consuetudines, & præcipue libertates, & liberas consuetudines, quæ in chartis communium chartarum, & de foresta continentur, a regibus concessas Ecclesiasticis imminuerint,

III. Qui contra illas, vel earum aliquam statuta ediderint, vel servaverint, consuetudines introducent, introductasque servabunt.

IV. Scriptores statutorum, statuatarios, consiliarios, judices nolentes secundum ea judicare,

Qui scienter aliquid contra hæc decreta fecerint, sint excommunicati; qui ignoranter aliquid commiserint, si admoniti intra quindecim dies se correxerint, excommunicationem non incurrant.

V. Eidem pœnæ subjaceant, qui pacem regis, & regni perturbarint.

Se subscribunt huic sententiæ Episcopi.

Pontifex suæ confirmationis pondus his decretis addit. *Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.*

D. Anagniæ XI. Cal. Oct. P. a. XII. a. D. 1253.

Confirmatio censurarum latarum in violatores consuetudinum hujus Ecclesiæ.

VIII. P. R. t. 3. p. 1. p. 347. C. C. INNOCENTIUS IV. Archiepiscopis, Episcopis per Angliam constitutis.

Inc. *Cum a nobis, &c.*

IN violatores antiquarum hujus Ecclesiæ consuetudinum *contentarum in chartis communium libertatum & de Foresta Episcopi* Angliæ excommunicationis sententiam pronuntiaverant,

Tum rogarunt Pontificem, ut eam confirmaret;

Eam confirmat Innocentius.

Nulli ergo, &c.

D. Anagniæ Cal. Oct. P. a. XII. a. D. 1254.

De seditione in Regem excitata, de libertate Ecclesiastica imminuta, & de Legato S. A.

IX. Ad an. 1203. §. 85. URBANUS IV. Archiepiscopo, Episcopis &c. per Angliam &c.

Inc. *Licet cunctis, &c.*

SImone Monteforti Leycestriæ comes e Francorum nobili stemmate ortus gravissimam seditionem in regem Henricum, cujus sororem duxerat in matrimonium excitarat. Plurima mala conjurati interea fecerant, & Pontifex cum monuisset Simonem, sed frustra, scribit ad ejus regni Antistites;

Se pro suo pastorali munere non posse non consulere rebus, & quieti, & regno regis Henrici, Reginæ, regiæque domus; se quidem omnia remedia fuisse expertum, ut conjuratos ad deponenda arma moveret, & ad obsequium in regem perduceret; sed se hactenus oleum, operamque perdidisse.

Quodque magis dolendum est, conjurati in carcerem detruserunt etiam Ecclesiasticos titulis omnibus commendandos; etiam in beneficiis conferendis se immiscent, iis exclusis, ad quos de jure collatio spectat, etiam contra institutionem Clericorum insurgunt; ex quibus rebus ecclesiastica libertas valde infringitur.

Cum videat itaque ignem seditionis potius quam extingui, accendi etiam magis, statuit illuc Legatum mittere, Guidonem Episcopum Sabinensem, qui post Urbanum electus fuit Pontifex, dictusque Clemens IV. cujus virtutes, eximiasque animi dotes Urbanus commendat.

Monet prælatos Angliæ, ut eum reverenter accipiant, ut illi pareant, ut illi consilio, & aliis rebus assistant in quibuscumque eorum opera illi opus fuerit.

D. apud Urbem Veterem X. Cal. Dec. P. a. III. a. D. 1263.

Hortatio ad regem, ut corrigat abusus introductos in Ecclesiam Angliæ.

NICOLAUS IV. Eduardo Anglorum regi. X. E. M. p. 1. vel t. 9. p. 105.

Inc. *Dudum ad nostram, &c.*

MUlta a regiis Ministris contra Ecclesiasticam libertatem, contra judiciorum formam, contra consuetudinem fiebant in Anglia.

Namque si litteræ Apostolicæ præsententur per regium edictum, executio earum interdicitur,

Et non obstantibus his litteris ob leves causas capiuntur personæ ecclesiasticæ, & carceri mancipantur;

Non permittuntur Ecclesiastici exire regno, neque litteris Apostolicis evocati.

Regii ministri cognoscere volunt causas ad Ecclesiasticum forum spectantes.

Jam super his litteras cum Nuncio miserat Nicolaus ad regem; miratur ergo regem nihil omnino respondisse,

Rogat ut saltem ad has iteratas respondeat, & interim hos corrigat abusus.

Dat. apud Urbem Veterem VI. Id. Junii P. a. IV. a. D. 1291.

Ratificatio collationum factarum a rege beneficiorum quorundam spectantium ad S. Sedem.

GREGORIUS XI. ad p. r. m. XI. Ib. p. 307.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

MUlti Clerici in Anglia beneficia cum cura, & sine cura habebant a rege.

Scrupulus iis natus erat, an omnia illa beneficia ad regem spectarent, an inter ea aliqua essent, quorum provisio esset S. Sedis.

Pontifex, etiamsi aliquorum beneficiorum eorum spectasset ad S. Sedem collatio, tamen collationem regiam confirmat, jubetque eos quiete beneficiis suis frui, modo ætatem requisitam habuerint, ad ea dum sunt promoti.

Cæterum se paratum ait Gregorius ad dandas singulares confirmationes, si petierint.

D. apud Villam Novam Avinion. Diœc. Cal. Sept. P. a. V. a. D. 1375.

Damnatio decretorum Parlamenti circa Beneficia.

BONIFACIUS IX. ad p. r. m. XII. B. R. t. 1. p. 1. p. 380. C. C.

Inc. *Ab eo, &c.*

QUædam statuta ediderat parlamentum in Anglia circa provisionem Ecclesiarum, & beneficiorum: ea damnat Bonifacius;

Ea erant

I. *Ut libere electiones Archiepiscopatuum, & aliarum dignitatum, & beneficiorum in Anglia tenerent,*

II. Et

II. Et ut haberent libere collationes, & præsentationes ii, qui jus patronatus habebant;

III. Et electiones, provisiones de talibus beneficiis a S. Sede factæ essent nullæ,

IV. Et pro electionibus ut sufficeret tantum regia requisita, & habita facultas;

V. Procuratores, exequutores, Notarii collationum harum ab aliis factarum quam a patronis ecclesiarum *essent attachiati per eorum corpora, & positi ad responsionem suam, & si forent convicti manerent in persona usque ad manucaptionem in vaduna, nec essent deliberati antequam facerent redemptionem regi, & satisfactionem parti gravatæ;*

VI. Rex autem de his beneficiis provisis a S. Sede, quæ vel per regem, vel per patronos debebant provideri, capiat fructus, donec eligat, qui ex fundatione debet eligere;

VII. Excommunicationes, sententiæ Roma missæ ne, ublicarentur, nisi prius fuissent regiis ministris præsentatæ.

Rex Richardus statuerat, ut hæc provisio Parlamenti servaretur, quam qui violaret, esset bannitus; bannitus etiam qui a Curia Romana postularet provisionem, præter pœnam pecuniariam, quam solvet transgressor.

Hæc statuta utpote facta a Laicis de rebus sacris proscribit Bonifacius,

Etiam damnat, quia facta contra Romanæ sedis decorem.

Vetat eorum statutorum usum cuilibet,

Et jubet eorum abrasionem a publicis codicibus, invasoresque beneficiorum anathemate percellit. *Nulli ergo, &c. Si quis, &c.*

D. ex Actis Romæ apud S. Petrum II. Non. Febr. P. a. II. an. D. 1391.

Hortatio ad viros Parlamenti regni, ne leges latas abrogent.

XIII. Ad an. 1419. §. 15. MARTINUS V. Veneralibus Fratribus, & Nobilibus viris Parlamenti regni Angliæ.

Inc. *Multis nuntiis, &c.*

LIcet multis nuntiis, multisque litteris viros Parlamenti monuisset Pontifex, ut leges latas contra Ecclesiasticam libertatem tollerent, tamen cum sciat, instare tempus habendi ejusdem parlamenti, sui muneris esse putat eos universos, & singulos admonere, ut rogatas leges abrogent.

Jam rex testatus fuerat, se nolle præjudicium ullum Romanæ Ecclesiæ, & Pontifici afferre.

Si ergo animarum suarum cura aliqua eos tangit, ne hoc Pontificium jus lædant.

D. Romæ apud SS. Apostolos III. Id. Oct. P. a. X. a. D. 1427.

Eadem Hortatio ad Regem.

XIV. Ad an. 1435. §. 85. EUGENIUS IV. Henrico Regi &c.

Inc. *Circumspice &c.*

MOrtui Eduardi successorem Henricum filium monet Eugenius ut prædictam de Sacerdotio, tum provisionibus tollat legem:

I. Quia nullus princeps Christianus est, qui in iis provisionibus Ecclesiæ, Pontificique non pareant,

II. Quia ejus pater Eduardus decreverat Martino V. plenam electionum facultatem tribuere, & legem abrogare;

III. Quia *hoc est honestum, est debitum, hoc jure præceptum, hoc ad laudem, & gloriam regis, & regni, hoc ad animarum salutem spectat.*

Volebat de hoc agi in Concilio (Basileensi) Pontifex, sed differre non potuit, quin regem moneret.

D. Florentiæ X. Cal. Apr. P. a. V. a. D. 1435.

Nullus prælatus in Anglia per quinquennium det ordines minores.

XV. B. M. p. 4. vel t. 10. p. 32. LEO X. ad f. r. m.

Inc. *Romanum decet, &c.*

IN Anglia quidam Clerici, ut gauderent privilegiis immunitatis Ecclesiasticæ, minores ordines suscipiebant, neque ad altiores volebant promoveri; & vitam laicalem ducebant, deprehensique in delictis clericali tonsura tuebantur se.

Huic malo obviam it Pontifex decernens, ut nullus Prælatus in Anglia per quinquennium det ordines minores, sed tantum majores; neque habentibus dumtaxat ordines minores det ullum beneficium.

Si Clerici in crimina incidant, possint a sæculari judice puniri, nihilque iis suffragetur clericalis habitus. N. O. *Nulli ergo, &c.*

D. Florentiæ Prid. Id. Febr. P. a. III. a D. 1515.

Jubetur Collectio unius decimæ super omnibus bonis Eccles.

LEO X. Thomæ S. Cæciliæ Card. Eboracensi. XVI. Ib. p. 43.

Inc. *Ad præclara &c.*

ROgat Pontifex Cardinalem Eboracensem, ut colligat integram decimam ab omnibus bonis Ecclesiasticis Regni Angliæ, nullis monasteriis, nullis locis piis exceptis.

Nolentes Ecclesiasticos solvere cogat per censuras ecclesiasticas, & mittat pecuniam collectam in auxilium S. Sedis. (*Urgebat Leo fabricam S. Petri*) Jam ait, se scripsisse de hoc ad regem.

Et si quædam Ecclesiæ solvere non possunt, *capiantur, distrahantur, occupentur, & oppignorentur libri, calices, ornamenta. Nulli ergo &c.*

D. Romæ apud S. Petrum IX. Cal. Sept. P. a. V. a. D. 1517.

Omnia loca, & personæ visitentur a Legato a Latere.

CLEMENS VII. Thomæ Card. Eboracensi Legato de Latere in Angliæ regno. XVII. Ib. p. 53.

Inc. *Licet alias, &c.*

LEo X., & Hadrianus VI. Cardinalem Eboracensem destinaverant Legatum de Latere Romanæ sedis in Anglia, ut omnia inquireret, corrigeret, & delinquentes puniret.

Monachi quidam prætextu quorumdam privilegiorum, se, & Monasteria exempta esse etiam jurisdictione Legatorum a Latere, nolebant, se, & Monasteria visitari a Cardinali.

Clemens, ut omne subterfugium iis præcidat, statuit, omnes etiam exemptos debere a Cardinali visitari, corrigi, & puniri;

Datque Cardinali easdem facultates, quas illi fuerant impartiti prædicti Pontifices. N. O. *Nulli ergo, &c.*

D. Romæ apud S. Petrum XII. Cal. Sept. P. a. I. a. D. 1524.

Eadem jussio.

CLEMENS VII. Card. Eboracensi Legato a Latere. XVIII. Ib. p. 54.

Inc. *Dudum considerantes, &c.*

HÆc quoque bulla scripta eidem Cardinali spectat eodem, nimirum ut ille visitet Monasteria, Canonicos, & transferat, & supprimat omnes conventus, in quibus videt sex, aut quinque tantum esse fratres, & ex illis redditibus aliquam universitatem instituat ad utilitatem studiosæ juventutis.

Et eos conventus præcipue supprimat, qui non habent redditus trium millium ducatorum cum assensu fundatorum; si non sint, cum assensu regis, tam virorum, quam mulierum. N. O. *Nulli ergo, &c.*

D. Romæ apud S. Petrum III. Idib. Sept. P. a. I. a. D. 1524.

Facultates datæ Card. Francisco Barbarino protectori regnorum Angliæ, & Scotiæ.

URBANUS VIII. Francisco Card. Barbarino. XIX. B. R. t. 6. p. 1. p. 217. C. C.

Inc. *Inter gravissimas, &c.*

UT facilius dilatetur Catholica religio per regna Angliæ, & Scotiæ Cardinali prædicto Nepoti suo

deputato eorum regnorum protectori dat Urbanus has facultates,

Ut possit absolvere ab hæresi quoscumque Anglos, & Scotos eam abjurantes; possit hanc facultatem communicare cum Sacerdotibus ejus nationis, vel cum alienigenis ibi morantibus; iis permittere, ut super altari portatili celebrent hora una post meridiem, hora una ante auroram; benedicant vasa sacra, paramenta &c. ut possit dispensare in gradibus matrimonialibus &c. legitimare &c. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XVIII. Maji P. a. VII. a. D. 1630.

Facultas data Conæo nominandi Præpositum pro Anglis Catholicis.

XX. B R. t. 6. p. 2. p. 244. C. C. URBANUS VIII. Georgio Conæo Presbytero Scoto.

Inc. *Romani Pontifices*, &c.

NOscens Urbanus pietatem Conæi, volensque consulere Catholicis in Anglia, dat illi facultatem nominandi Præpositum, qui ad placitum S. Sedis præsit illis in spiritualibus. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die X. Sept. P. a. XVII. a. D. 1639.

Nominatio Præpositi.

XXI. Ib. p. 243. C. C. URBANUS VIII. Eidem &c.

Inc. *Romani Pontificis*, &c.

EUmdem Conæum in Præpositum eligit Urbanus, qui debeat præsidere iis Catholicis;

Propediem se facultates ei daturum pollicetur. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XVII. Sept. P. a. XVII. a. D. 1639.

DE REGNO SCOTIÆ.

Absolutio Regis VVilielmi.

I. B. R. t. 3. p. 1. p. 2. C. C. LUCIUS III. Episcopis, Abbatibus per Scotiam constitutis.

Inc. *Cum regibus*, &c.

EO quod VVilielmus Scotiæ Rex *inexorabiliter* obviavit electioni, & consecrationi Joannis, Eboracensis Archiepiscopus eum excommunicavit;

Lucius sciens ex Apostolo *cum Regibus tamquam præcellentibus esse deferendum*, illum absolvit,

Mandatque universis Scotiæ Episcopis, & Abbatibus, ut *cum illo tamquam Apostolicæ sedis communionem habente communicare minime formident*,

Datum Velletræ XVI. Cal. Aprilis a. 1182.

Episcopi hortentur regem ad deponendam iram in Joannem Episcopum S. Andreæ.

II. Ib. p. 42. C. C. CLEMENS III. Episcopis, & Abbatibus per Scotiam constitutis.

Inc. *Ad ea*, &c.

UT sublevet Ecclesiam S. Andreæ, & Joannem ejus Episcopum, Clemens mandat omnibus Episcopis, & Abbatibus Scotiæ, ut regem VVilielmum hortentur ad deponendam iram in Episcopum, & in eam Ecclesiam, ejus enim esse *congregare, non dispergere*.

Si noluerit, post viginti dies eum, & fautores ejus excommunicent;

In fautores Hugonis jam a S. Sede excommunicati invasoris ejus Ecclesiæ eamdem sententiam ferant.

Altaria, vasa sacra, quidquid post excommunicationem sacri pertractavit Hugo, sunt purificanda;

Quæ egit Hugo, sunt mutanda.

Excommunicandi etiam erunt Canonici, qui humiliter Joannem recipere nolent.

Si non omnes, ut quamplurimi sententiæ enuntiandæ intersint.

Datum Pisæ XVII. Cal. Febr. Ind. VI. a. 1188.

Objurgatur Rex Scotiæ cum complicibus.

III. Ex Raynald. ad an. 1217. §. 73. HONORIUS III. Regi Scotiæ, & complicibus suis spiritum Consilii Sanioris.

Inc. *Multum famæ*, &c.

REx Scotiæ simul cum Ludovico primogenito Regis Franciæ contra Regem Angliæ fœdere inito Nortumbriam aggressus fuerat.

Ad illum ergo scribit Honorius ab hoc bello eum dehortans,

I. Quia dedecet Regem contra naturalem Dominum suum, qualis erat Rex Angliæ, arma vertere,

II. Qua cum regnum Angliæ sit sub protectione S. Sedis, videtur parvi eam ducere. Pro illo, pro hac deberet potius pugnare, quam oppugnare utrumque.

Eum ergo monet, ut respiciat innocuam, teneramque Regis Henrici ætatem; ne audiat consiliariorum prava consilia, sed sibi persuadeat, majorem gloriam, majusque emolumentum se percepturum ex pace, quam ex bello.

D. Later. XVI. Cal. Febr. P. a. I. a. D. 1217.

Regem Scotiæ recusat Pontifex coronare.

IV. Ib. ad an. 1221. §. 49. HONORIUS III. Jacobo Capellano A. S. L. in Anglia.

Inc. *Super eo*, &c.

ALexander Scotorum Rex rogaverat prædictum Jacobum, ut coronaretur ab eo nomine Pontificis; quod Jacobus Pontifici scripsit.

Respondet Honorius, ad Legatum hanc coronationem non spectare, quia Rex Scotus dicitur Regi Anglorum subesse.

Videretur ita agens Pontifex regnum Angliæ alii regno postponere.

Si vero accedat Angliæ Regis voluntas, & consiliariorum Regis assensus, tunc coronationem cum assensu prælatorum Angliæ faciat.

D. Later. XVI. Cal. Oct. P. a. V. a. D. 1221.

Rex ne cogatur admittere alios legatos in regnum, nisi qui fuerit a S. Sede missus.

V. Ib. ad an. 1248. §. 50. INNOCENTIUS IV. Alexandro Regi Scotiæ.

Inc. *Humiliter supplicasti*, &c.

FRater quidam Minorita missus ab alio ejusdem fodalitii viro in Scotiam ad colligenda subsidia, vim ingentem auri inde asportarat. Rex ne id Scotorum damno verteretur, in posterum rogavit Pontificem, ut indultum datum Patri suo Guillelmo,

Ne quisquam Legatus admitteretur in Scotiam nisi de Latere Romani Pontificis ad hoc specialiter delegatus, confirmaret,

Innocentius confirmat.

D. Lugduni II. Id. Mar. P. a. V. a. D. 1248.

Mandatur Regi, ne perturbet Episcopos Rossensem, & Moraviensem.

VI. Ad ann. 1285. §. 81. HONORIUS IV. Regi Scotiæ.

Inc. *Quia ex debito*, &c.

PErturbabat in Ecclesiasticis juribus præfatos Episcopos Rex.

Illi opem implorantes confugerant ad Honorium;

Qui regem monet, ut reputet beneficia quæ a Deo accepit, ne tam ingratus sit, ut velit tam male illi respondere affligendo ejus ministros;

Illud etiam cogitet, Pontificem, cui demandata est cura totius Ecclesiæ non posse, quin ad eos ab his vexationibus liberandos iis utatur remediis, quæ duxerit opportuna.

D. Tiburi XV. Cal. Aug. P. a. I. a. D. 1285.

Episco-

Episcopi moneant Robertum, gerentem se pro Scotiæ Rege, & ejus Patrem Eduardum, ne molestent Angliæ regem.

VII. T. M p. 3. vel t. 9. p. 152. JOANNES XXII. Archiepiscopis Dublinensi, & Cassilensi.

Inc. *Habet insinuatio*, &c.

RObertus de Brus Comes de Karrik, & Eduardus frater ejus licet juramentum fidelitatis regi Angliæ præstitissent, tamen Robertus gerens se pro rege Scotiæ multa bella intulit patri hujus Eduardi Angliæ Regis, depopulatus ejus terras in Scotia, vastavit terras Valliæ, & Hiberniæ, nec ambo fratres volunt aures paci præstare, immo populos ad rebellionem in regem excitant.

Volens Pontifex quieti Regis Eduardi consulere mandat supradictis Episcopis, ut Robertum, & Eduardum fratres benigne moneant, ut desistant a turbis, ut perceptos injuste fructus restituant, aut eorum valorem.

Quod si parere nolint, eos publice excommunicent candelis accensis, campanis pulsatis, & sententiam renovent quibusque diebus Dominicis,

Jubeant populis, ut cum iis non communicent, juramenta solvant &c.

D. Avenione IV. Cal. April. P. a. I. a. D. 1317.

Nuncii Apostolici in Anglia treguas faciant inter Robertum, & Regem.

VIII. Ib. p. 154. JOANNES XXII. Cardinalibus Nunciis Apostolicis in Anglia.

Inc. *Vocatis nobis*, &c.

MAndat Joannes Legatis suis in Anglia, ut treguas indicant ad biennium duraturas inter regem Angliæ, & eius valitores, & consiliarios, & valitores ex alia in excommunicationis pœna iis, & interdicti eorum terris.

Irritat, & cassat quælibet juramenta de bello prosequendo.

Dat iis facultatem has treguas faciendi sub iis conditionibus, quæ honestæ videbuntur.

Jurentque rex, & Robertus, se eas servaturos.

D. Avenione Cal. Maji P. a. I. a D. 1317.

Nuncii A. excommunicent Robertum.

IX. Ib. p. 156. JOANNES XXII. Cardinalibus legatis in Anglia.

Inc. *Crescit facile*, &c.

DUm tractatus a Cardinalibus tribus legatis in Anglia de treguis habebantur, Robertus Brus in contemptum S. Sedis, noluit audire Episcopum Carbanensem ad se missum de conditionibus treguarum.

Immo Fratrem quemdam Minoritam missum a Legatis in Scotiam cum Litteris super promulgatione tractatus ad confinia regni cepit, eique litteras rapuit, vetuitque eum in regnum ingredi.

Castrum Berevici fuerat delectum ex utraque parte, ut ibi conditiones treguarum proponerentur.

Robertus armata manu illud occupavit, stragemque regiorum fecit.

Quapropter præcipit Joannes Legatis, ut nulla interposita mora censuras ecclesiasticas in eum expediant, & in ejus fautores.

Ejus terras interdicto supponant, solvant ab juramento populum;

Non parentes, si sint clerici, suspendant ab exercitio, & beneficiis privent, laicos officiis spolient &c. Non obstantibus privilegiis &c.

D. Avenioni IV. Cal. Junii P. a. II. a. D. 1318.

Eadem jussio.

X. Ib. p. 158. JOANNES XXII. Cardinalibus Legatis in Anglia.

Inc. *Dudum post*, &c.

EXpositis ursus Roberti criminibus, renovat facultates in Anglia Legatis procedendi contra eumdem, ejus fautores, & terras excommunicatione, & interdicto. Non *obstantibus* &c.

D. Avenione XV. Cal. Dec. P. a. IV. a. D. 1320.

Expositio actorum cum Nunciis Roberti.

XI. Ib. p. 162. JOANNES XXII. Eduardo Regi.

Inc. *Ut eorum*, &c.

EXponit hic Pontifex, quæ egerit cum Nuntiis Robertus de Brus.

Is miserat ad Pontificem Nuntios, qui se purgarent, quod noluerit neminem ex electis a Pontifice ad Ecclesiam Glascuensem admittere; quia erant hostes capitales sui; quod rebellit Joannes, qui eorum probitatem vitæ noverat penitus.

Querebatur Robertus, quosdam Clericos innocentes fuisse a Pontifice excommunicatos. Jussit Pontifex legi nuntiis processus horum Clericorum; nuntiique vel inviti confessi sunt, eos merito fuisse damnatos.

Petierunt revocationem sententiarum; Pontifex, licet in summum contemptum per annum integrum perduravisset Robertus in sua obstinatione, tamen eas suspendit, jussitque ad Kalendas Majas proxime venturas venire ad Curiam vel per se, vel per procuratores.

Ad statutum tempus nec venit ipse, nec misit alios. Jam Pontifex erat executurus sententiam; sed nuntii petierunt *relaxationem*, quia de hac re agendi cum Pontifice facultatem non habebant, donec Roberto scriberent, haberentque ejus responsa.

Omnia ergo reliquit Pontifex in suspenso.

D. Avenioni XV. Cal. Sept. P. a. IV. a. D. 1321.

Pontifex ostendit se paratum appellare Robertum Scotiæ Regem.

XII. Ib p. 166. JOANNES XXII. Eduardo Anglorum Regi.

Inc. *Ne celsitudo*, &c.

COmes Moraviæ, seu de Murref ad S. Sedem veniens multa egit cum Pontifice de subsidio in Terram Sanctam mittendo, multa de passagio regis Franciæ in eam.

Plurima tamen de pace inter regem Angliæ, & Robertum de Brus.

Inter cetera necessarium putabat regium titulum a Pontifice illi dandum; sic enim litteras Pontificias perventuras tuto ad eum, quarum nullas ad eum huc usque perveniisse Pontifex querebatur; jam eum in Scotia esse regem; sic facilius posse eum induci ad propositiones pacis.

Pontifex hæc omnia colloquia cum comite de Murref scribit Eduardo, ne res acta aliter ad eum referatur, ac est; & pro bono pacis paratum se ostendit scribere ad Robertum cum Regio titulo.

D. Avenioni Id. Jan. P. a. VIII. a. D. 1324.

Absolvitur a censuris Robertus.

XIII. Ex Raynaldo ad an. 1328. JOANNES XXII. Roberto Regi Scotiæ.

Inc. *Cum ad præsens*, &c.

JAm res suas composuerat Robertus de Brus, & quiete regnum possidebat; pacemque cum rege Angliæ fecerat; de qua summopere lætatur Joannes.

Scrupulus eum pupugit, se innodatum esse censuris, & regnum suum interdicto.

Per quosdam præsules ergo supplicari Pontifici fecit, ut ab illis solveretur pollicitus, se illam pœnitentiam subiturum, quam Pontifex jussisset.

Joannes imitans Christum, qui est rex pacis, regnum ab interdicto, & regem ab excommunicatione liberat.

Pro pœnitentia illi injungit, ne per se, vel per alios, directe, vel indirecte treguas cum rege Angliæ statutas violet, nec occupet terras Eduardi.

Quæ quidem absolutio ad biennium tantummodo data fuit.

D. Avin. Id. Oct. P. a. XIII. a. D. 1328.

Can-

Confirmatur Episcopis S. Andreæ jus coronandi Reges.

XIV. Ad ann. 1329. §. 79. JOANNES XXII. Roberto &c.

Inc. *A summo &c.*

SUpplicavit Robertus Pontifici, ut statueret, Reges Scotiæ esse coronandos, & esse coronandos ab Episcopo S. Andreæ.

Joannes, ratione reddita, cur reges inungi debeant, quia scilicet in unctione donum potioris gratiæ percipiunt, sicut apparuit in Saule, postquam unctus a Samuele fuit,

Et cur diademate ornentur, nempe *ut ab eo, qui talibus fuerit decoratus insignibus, & titulis præsignitus tamquam a capite subditis velut membris recte vivendi modus, & modestiæ regula indicatur, decernit,*

Ut ipse, ejusque successores coronentur, & inungantur ab Episcopo S. Andreæ;

Quæ quidem sedes si vacet, vel si communionem cum R. Ecclesia non habeat, suppleat Episcopus Glascuensis, adhibito decenti Episcoporum comitatu.

Coronatione perfecta ab iis regibus Episcopus nomine Pontificis, & R. Ecclesiæ juramentum accipiat, eos a suis regnis expulsuros esse hæreticos ab Ecclesia denotatos, non læsuros libertatem ecclesiasticam, sed eam esse defensuros; & effecturos, ut sui subditi integre jura ecclesiastica servent. *Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.*

D. Avin. Id. Junii P. a. XIII. a. D. 1329.

De morte Eduardi, de Davidis successione, de regni regimine.

XV. Ib. §. 82. JOANNES XXII. David Regi Scotorum.

Inc. *Præsentatas nuper &c.*

MOrtem Patris sui Eduardi nuntiarat Pontifici David ejus filius & heres, & successor in regnum.

Eum consolatur Joannes, eumque habere spem bonam jubet de salute Parentis sui, tum quia paucis mensibus ante obitum reconciliatus cum Ecclesia fuit, tum quia Christiane obiit.

Quibusdam præceptis Davidem instruit, præcipue ut consiliarios, justitiarios, & officiales eos habere satagat, qui Deum timeant, qui justitiam colant, qui viduarum, pupillorumque misereantur.

Hos si eligat, si curabit, ut recte omnes munia sua adimpleant, Deus ejus regnum augebit, amplificabitque.

D. Avin. X. Cal. Sept. P. a. XIII. a. D. 1329.

Invitatur Rex ad mittendos Nuntios suos acturos de pace.

XVI. Ad ann. 1344. §. 60. CLEMENS VI. David Regi Scotorum.

Inc. *Excellentiæ regalis, &c.*

PLurimas leges optimas rogaverat David rex in Scotiæ Regno, Pontificique suum in R. Ecclesiam obsequium litteris testatus fuerat.

Pontifex eum laudat, eum hortatur ad virtutem, eumque monet, ut probos, prudentesque consiliarios adhibeat, eosque consulat.

Tum illi significat, se adeo effeciisse ut Reges Galliæ, & Angliæ missuri sint Oratores Avenionem ad Dominicam Palmarum, ut pax inter eos fiat.

Rogat ergo Regem, ut ipse quoque Legatos viros prudentes, bonosque, qui simul cum Pontifice possint pacem inter illos inducere, mittat.

D. Aven. XVI. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1344.

„ Ad annos triginta novem regnavit. Cum nullos posteros haberet regnum reliquit Roberto Stuarto e sorore Nepoti, ejus posteri sunt Romæ.

Rescindantur acta a Rege Jacobo.

EUGENIUS IV. ad p. r. m. XVII. Ad ann. 1439. §. 29.

Inc. *Pro ea, &c.*

„ EPiscopus Glascuensis præfectus Sigilli regii jussu „ Jacobi quædam decreta ediderat contra Eccle„ siasticam libertatem. Admonitus Eugenius Episcopum „ increpuit, & duobus Cardinalibus mandavit, ut Epi„ scopum de læsa ecclesiastica immunitate in jus vo„ carent. Usi sunt Cardinales opera Guillelmi Creyser „ Internuntii A. Archidiaconi Thendaliæ, Iratus rex „ perduellionis reum fecit Internuntium, bonisque om„ nibus spoliavit; Hic appellavit ad Pontificem. „

Ergo Eugenius *pro ea auctoritate, qua regios apices antecellit Romanus Pontifex*, injuriam illatam Guillelmo *nolens sub dissimulatione transire* omnes processus, omniaque acta contra illum rescindit;

Sequestrationem, captionem &c. ejus beneficiorum, bonorum fructuumque liberat,

Excommunicationis pœnam indicit, quicumque ejus beneficiis se investiri permittet, ejus officia polliceri præsumet &c.

D. Florentiæ VIII. Id. Maji P. a. VI. a. D. 1436.

Guillelmum adductum falso in invidiam ostenditur.

EUGENIUS IV. Jacobo &c. XVIII. Ibid.

Inc. *Æterni Patris, &c.*

MUltis præmissis de divina clementia in humanum genus, multis de Ecclesiæ dignitate cum Jacobi schala comparatæ, & cum Arca Noe,

Quosdam prælatos, dicendos potius *Pilatos* esse, ait, inter quos est recensendus Glascuensis Episcopus a Martino V. provisus, qui Regem subornarunt;

Glascuensis præcipue Episcopus is fuit, qui increpitus a Pontifice, cum non posset contra illum aliter insurgere, contra ejus Internuntium Guillelmum Episcopum ascendit. Contra hujusmodi prælatos declamat Eugenius;

E malevolentia igitur cum accusationes in Guillelmum ortum habeant, rescindat rex acta contra illum, eumque in sua beneficia, honoresque benigne restituat.

D. Florentiæ IV. Non. Apr. P. a. VI. a. D. 1436.

„ Rex dimisit Episcopum Glascuensem, & petiit „ Legatum A. ut disciplinam ecclesiasticam in Scotia „ prolapsam restitueret. „

Jacobus persistet in Catholica fide, & expectet Nuntium A.

PAULUS III. Jacobo Regi. XIX. Ad ann. 1536. §. 32.

Inc. *Cum nonnullis, &c.*

ERat missurus Pontifex ad Regem Jacobum A. Nuncium cum quibusdam mandatis.

Sed cum audivisset, eum, & Regem Angliæ convenisse de habendo mutuo colloquio, illi scribit,

Ne ad colloquium se conferat, nisi prius venerit in Scotiam Nuntius Apostolicus a quo sensa Pontificia intelliget.

Tum eum monet, ne subdolis Henrici verbis, & artibus se dimoveri patiatur ab ea fide, quam hactenus est professus.

D. Romæ apud S. Marcum die XXII. Junii P. a. II. a. D. 1536.

Commendatur Regi Scotiæ Religio in Anglia periclitans.

PAULUS III. Jacobo regi &c. XX. Ad ann. 1537. §. 31.

Inc. *Cum dilecti, &c.*

LIcet nervos omnes intenderet Henricus Angliæ Rex, ut Catholicam Religionem prorsus everteret in Anglia, multi tamen populi, & præcipue qui Scotiæ erant finitimi, constantes in Religione perstabant,

Eos

Eos commendat Jacobo Paulus, ne eos deserat, ut illis, si oppugnentur ab Anglo subsidia det, orat.

Orat eum etiam, ut quoniam indictum erat Oecumenicum Concilium, ad pacem hortetur Socerum suum Regem Franciæ Francisci, ut cum Carolo V. Imperatore pacem faciat, ut omnes Episcopi ad illud venire possint,

Et ut arma de communi consensu in Turcas potius vertantur.

D. Romæ apud S. Marcum Die XV. Febr. P. a III. a. D. 1537.

Conceduntur decimæ cleri Regi.

XXI. Ad ann. 1542. §. 54. PAULUS III. Scotorum Regi.

Inc. *Nuper cum, &c.*

QUia nolebat adhærere Henrico Jacobus V. bellum huic Henricus moverat.

Vix ac id accepit Pontifex, ut Regem adjuvaret, sex decimas exigendas e bonis Ecclesiasticis illi concessit; deputavitque Cardinalem Scotiæ Betonium earum collectorem.

Regem hortatur, ut potius omnia patiatur mala, quam Catholicam fidem deferat;

Jubetque eum bene sperare.

D. Romæ apud S. Petrum Die IX. Janu. P. a. IX. a. D. 1543.

De Decimis, de morte regis, de captura Cardinalis Betonii.

XXII. Ib. §. 55. PAULUS III. Tribus deputatis ad regimen Scotorum.

Inc. *Superioribus mensibus, &c.*

„ ANtequam primas litteras daret Paulus jam fusus „ ingenti prælio fuerat Jacobus, ex quo tam gra„ vem mœrorem concepit, ut mortuus fuerit. Reliquit „ filiam unicam, Mariam capite plexam sub Elisabetha; „ & Gubernatores regni instituit Cardinalem Betonium „ & alios tres. Sed Araniæ Comes procurationem re„ gni invasit, & in carcerem Cardinalem conjecit.

Repetit Pontifex, decimas concessas Regi fuisse a se, & deputatum earum collectorem Cardinalem Betonium.

Cum autem audivisset mortuum Regem ætate adhuc viridi, dolorem suum ingentem testatur ex hac morte conceptum;

Quem etiam captura Cardinalis Betonii valde auxit.

Hunc tamen dolorem mitigavit Nuncius, eos fuisse institutos regni gubernatores, quos summa probitas, & singularis commendat prudentia.

Quare supervacaneum putat eos hortari, & monere, ut ejusdem felici regimini incumbant.

Demum iis significat se mittere in Scotiam Cardinalem Marcum Grimanum Patriarcham Aquilejensem doctrina, pietate, & nobilitate illustrem, ut decimas Cleri colligat, quas in regni defensionem contra Anglos insument.

D. Bononiæ Die XXV. Mar. P. a. IX. a. D. 1543.

De absolutione occisorum Cardinalis Betonii.

XXIII. Ad ann. 1546. §. 148. PAULUS III. Jacobo Comiti Araviæ in regno Scotiæ Gubernatori.

Inc. *Scribit ad nos, &c.*

CArdinalis Andreas Betonius jam e carcere emissus „ Archiepiscopatum suum S. Andræ volentem quen„ dam Concionatorem hæresi inficere capi fecerat, occidique jusserat. Improbi quidam ira in eum excanduerunt, eumque in proprio cubiculo interfecerunt, & postea suspenderunt; eoque cæso arcem S. Andreæ occuparunt.

Araniæ Comes arcem obsedit; videntesque interfectores, se non posse resistere deditionem se facturos esse sponderunt, modo comes impetraret homicidii a Pontifice absolutionem.

Scripsit Comes Pontifici, videri eam absolutionem prope necessariam; si enim ea denegetur, interfectores esse vocaturos Regem Angliæ, eamque illi daturos, adumpse esse de Scotiæ regno.

Licet autem crimen sit maximum, pessimique exempli, reputans tamen Paulus, quæ mala impendere possint Scotiæ, Si Angliæ Rex arce illa potiatur, rescribit Comiti,

Se dedisse facultatem quibusdam prælatis reos absolvendi.

Comitem rogat, ut sedulo eam arcem custodiat, neque patiatur per Scotiam hæresim disseminari.

D. Romæ apud S. Marcum Die III. Febr. P. a. XIII. a. D. 1546.

Proceres Scotiæ excitantur ad tuendam Catholicam fidem.

PAULUS III. Cancellario, Comitibus, &c. XXIV. Ad ann. 1547. §. 126.

Inc. *In eo, &c.*

MItigari dolorem suum, scribit Scotis Paulus, conceptum ex Catholicæ fidei in tot terris eversione a constantia Scotorum in eadem Religione.

Eam tutati sunt contra pollicitationes, contra artes, & contra vim Henrici jam fato functi.

Eam tueantur etiam in posterum; sciantque constantiam hanc ab omnibus commendari, & suspici.

Dum una tantum Catholica fides in Scotia erit, erit ibidem inter eos concordia, & facile resistere poterunt volentibus regnum perturbare. Cum vero ab hac deficient, discordia orietur, & facile locus illud occupare volenti præbebitur.

Mittit ad eos Pontifex Nuntium virum prudentem, gravemque, quem in rebus dubiis consulant.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXVII. Mar. P. a. XIII. a. D. 2547.

Ad Araniæ Comitem, ut conservationi fidei consulat.

PAULUS III. Jacobo Araniæ Comiti Regni Scotiæ Gubernatori. XXV. Ib. §. 117.

Inc. *Cum jamdiu, &c.*

PRudentissime Jacobus Amiltonius Araniæ Comes se gesserat in Regni administratione. Non paucas enim seditiones subortas sine strepitu de medio sustulerat; repulerat hostes, qui fuerant regnum aggressi fortiter, ac strenue, & omnia summa cum justitiæ fama regebat.

Summopere igitur eum commendat Paulus,

Cui commendat regiam familiam, regnum, populosque, decusque regni; ostensamque hactenus innocentiam æquissimi reginiinis servet semper.

Ex hac justitia, ex ea fortitudine summa ab hominibus omnibus illi tribuitur laus, summa merces in hac, & in altera vita illi a Deo dabitur.

Respiciat præcipue Catholicam Religionem, si vult omnia prospera, omnia felicia sibi evenire.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXVII. Mar. P. a. XIII. a. D. 1547.

Maria senior Regina firma stet in Catholica fide.

PAULUS III. Mariæ Scotiæ Reginæ Seniori. XXVI. Ib. §. 128.

Inc. *Cum pastoralis, &c.*

„ EX Jacobo relicta fuerat Maria adhuc puella; An„ gli ajebant eam desponsam fuisse Eduardo An„ gliæ Regi Mariæ cœvo; at Comes Araniæ, alii„ que gubernatores abhorrebant ab hoc matrimonio, „ tum quia Eduardus alebatur in hæresi, tum quia in „ dedecus Scotiæ redundare putabant Scoti, si Scotia „ fieret Angliæ provincia.

Pontifex, qui hæc sciebat, monet Mariam seniorem Aviam prædictæ Mariæ, ut eam pie educet, salutaribusque præceptis eam imbuat;

Ut Catholicam fidem in suo regno custodiat validissimum propugnaculum ad repellendos hostes.

Cum enim ad resistendum hostibus nulla potior ratio inveniri possit quam concordia, quam remorio jurgiorum, quam discordiarum extinctio, hæc omnia sola Catholica fides præstare poterit.

Illi

Illi pollicetur Pontifex omnia, quæ ad hanc religionem, & concordiam servandam spectare poterunt.

D. Romæ apud S. Marcum &c. ut supra.

„ In eandem sententiam ad eandem reginam, & „ eundem Comitem scripsit etiam Julius III. Regni Sco„ tiæ protectionem aperte suscepera t Henricus Galliæ Rex.

Laudatur Maria, quod regnum continere in fide Catholica curet.

XXVII. Ad ann. 1562. §. 182. PIUS IV. Mariæ Scotorum Reginæ,

Inc. *Etsi nuper, &c.*

„ MOrtua viro suo Francisco II. Galliæ Rege e „ Gallia æstate proxime præterita solverat Ma„ ria, & pervenerat in Scotiam.

„ Cum non parum labefactatam Catholicam religio„ nem in suo regno reperiisset eam reparare statuit; „ eamque reparaverat, licet plures difficultates, & „ innumera impedimenta superanda fuissent.

Jam Pontifex ad illam miserat Nicolaum Gandanum presbyterum Societatis Jesu, ut nomine Pontificis eam hortaretur ad constantiam in Catholica religione.

Quam habere illam licet certior fuisset factus Pontifex, tamen eam monere non destitit per has litteras, ut labori ne cederet, neque se vinci, superarique difficultatibus pateretur ullis,

Donec Catholicam religionem defendet sibi, suisque populis consulet: Deum enim, cujus causam sustinebit, defensorem habebit semper.

Acceperat etiam Pontifex, statuisse Reginam mittere ad Tridentinum Concilium sui regni Episcopos cum oratore.

Si nondum eos misit, mittat.

Amorem suum illi demum testatum vult Pius amplificatum mirum in modum, postquam intellexit quæ qualiaque pro Christianæ Religionis in suo regno conservatione fecerit,

Quæ ut porro facere pergat, eam hortatur.

D. Romæ apud S. Petrum Die XII. Janu. P. a. III. a. D. 1562.

De missione P. Mercuriani in Scotiam; Gratulatio de sedatis turbis;

XXVIII. Ib. §. 183. PIUS IV. Mariæ, &c.

Inc. *Mandavimus, &c.*

SIgnificat Pius Mariæ, se mandasse P. Everardo Mercuriano Societatis Jesu in Flandria Præposito Provinciali, ut in Scotiam iret, viro probatissimo, ut nomine Pontificis illi gratularetur de conservata in regno religione, de ejus felici reditu in suum regnum, & de turbis feliciter sedatis.

Omnia illi fausta feliciaque a Deo adprecatur.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Junii P. a. III. a. D. 1562.

DE EGGLESIA SCOTICA.

Confirmatio consuetudinum hujus Ecclesiæ.

I. B.R. t.2. p. 417. C. C. ALEXANDER III. Episcopis per Scotiam constitutis.

Inc. *Admonet nos, &c.*

I. OMnes libertates, & bonas consuetudines Ecclesiæ Scoticæ, *in ordinandis, & consecrandis Episcopis* præcipue ratas habet Alexander.

II. Qui contra has fecerit coram Legato a latere R. Pontificis, vel coram Pontifice *respondere cogatur.*

III. Si aliquid novum, & grave emerserit, ad Romanam Sedem deferatur.

IV. *Nulli ergo, &c. Si quis, &c.*

Datum Anagniæ IX. Cal. Januarii Pontif. an. XII. an. 1170.

Privilegia hujus Ecclesiæ.

II. B.M.p.1. vel t. 9. p. 35. B.R. t. 3. p. 1. p. 33. C. C. CLEMENS III. VVillelmo Scotorum Regi.

Ine. *Cum universi, &c.*

SCotica Ecclesia, quæ specialiter subjecta est Romanæ Sedi (1. Andreæ, 2. Glasenensis, 3. Dunkeldensis, 4. Dublinensis 5. Brechinensis, 6. Moraviensis, 7. Rosænensis, 8. Katinensis tot erant Episcopales sedes) vult Pontifex ut a nemine possit interdici, & excommunicari, nisi a Romano Pontifice, vel ejus delegato a latere.

I. Hic autem Legatus a latere esse nullus possit, nisi Scotus;

II. Lites in hac Ecclesia exortæ extra regnum dijudicandæ trahi non possint.

IV. Quidquid contra hæc privilegia impetratum fuerit sit nullum;

V. Omnes demum libertates, & immunitates hujus Ecclesiæ confirmantur.

VI. *Nulli ergo, &c. Si quis, &c.*

Datum Laterani III. Id. Martii P. a. I. a. 1188.

Confirmatio.

III. Ib. p. 48. C. C. COELESTINUS III. Villelmo Scotorum Regi.

Inc. *Cum universi, &c.*

COnfirmat Cœlestinus Ecclesiæ Scoticæ privilegia repetens ipsissimis verbis præcedentem Clementis constitutionem.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Datum Laterani III. Id. Martii Pontif. a. I. a. 1192.

Alia confirmatio.

IV. Ib. p. 208. C. C. HONORIUS III. Alexandro Scotorum Regi.

Inc. *Cum universi, &c.*

HOc diploma congruit omnino cum proximo præcedenti.

Datum Lateran. per manum Raynerii S. R. E. Vice-Cancel. XI. Cal. Decemb. Indict. VII. Incarn. Dom. an. MCCXVIII. Pontif. vero D. Honorii PP. III. a. III.

DE REGNO HIBERNIÆ.

Dublinensi Archiepiscopo dantur facultates pro Hiberniæ custodia.

I. Ex Rayn. ad ann. 1217. §. 75. HONORIUS III. Archiepiscopo Dublin.

Inc. *Quamvis de tua, &c.*

FLamma belli moti Joanni Regi Angliæ, & ejus filio Henrico, eo mortuo, corripuerat etiam Hiberniam multique partes Ludovici primogeniti Regis Galliarum sequebantur.

Ne incendium serpat ulterius Archiepiscopo Dublinensi mandat vices Apostolicas in eo regno Pontifex Honorius,

Ut eos præsules Insulæ, quos conjurasse contra regem viderit removeat, & alios regi fidos substituat;

Removeat etiam eos gubernatores, qui cupidi rerum novarum erunt.

Utrorumque juramenta solvat, quibus se Ludovici obstrinxerunt.

D. Later. XIII. Cal. Febr. P. a. I. a. D. 1217.

Hortatio ad Eduardum, ut servet privilegia Hibernis.

II. B.M. t.1. p. 175. JOANNES XII. Eduardo Anglorum Regi,

Inc. *Paternum amorem, &c.*

NOn servante Eduardo privilegia data Hibernis, cum illud regnum Hadrianus Pontifex concedit Henrico progenitori Eduardi, magnates illius regni scripserant ad Pontificem de gravaminibus sibi illatis a rege, & de læsione suorum privilegiorum.

Pontifex hortatur Regem, ne eos populos adeo opprimat; namque arma sument, & rebellabunt;

Ad eum etiam mittit Epistolam Hybernorum ad se missam, ut ibi legat eorum querelas, & remedium afferat.

Datum &c. . . . . intra annos 956. & 962.

Episcopi hujus regni reprehenduntur, quod pacem perturbent.

III. Ex Rayn. ad ann. 1301. §. 17. BONIFACIUS VIII. Episcopis per regnum Scotiæ constitutis.

Inc. *Nostri quidem, &c.*

BEllum fuerat grave inter Angliæ regem, regemque Scotiæ; jamque propositiones pacis fieri cœperant, sed omnia hactenus tentata consilia incassum cecidérant. Prælati dicebantur causa belli suscitati, causa dicebantur concordiæ interruptæ.

Hoc tamen bellum in maximum Terræ sanctæ præjudicium cadebat, cujus recuperationi Ecclesiastici præcipue studere debérent.

Eos de hac facta discordia reprehendit Bonifacius. Ipsi enim qui deberent pacem suadere, & si populus bellum vellet, eum movere, ut pacem colant, sunt pacis turbatores, obliti se addictos esse servitio illius Domini, qui pacem amat, qui hominibus pacem nuntiavit.

Ne sint ergo causa, cur Scotiæ regnum omnibus iis incommodis, & malis subjaceat, quæ solet afferre bellum.

D. Anagniæ Id. Aug. P. a. VIII. a. D. 1302.

Objurgantur foventes discordias in regem.

IV. B.M. p.3. vel t. 9. p. 153. JOANNES XXII. Dublinensi, & Castellani Archiepiscopis, &c.

Inc. *Dolenter audivimus, &c.*

FOvebant discordias, accendebantque ad rebellionem in regem Eduardum Rectores, Vicarii, Capellani earum Ecclesiarum, qui erant omnes ex ordine mendicantium.

Contra hos graviter invehitur Pontifex, qui cum deberent ad pacem, & concordiam eos populos hortari, excitant ad seditiones.

Dat facultatem prædictis Archiepiscopis eos coercendi etiam per pœnas Ecclesiasticas, &c.

D. Avinioni IV. Id. Apr. P. a. I. a. D. 1317.

Episcopi Angliæ censuris feriant turbatores pacis in Hibernia.

V. Ib. p. 161. B.R. t.3. p. 2. p. 177. C. C. JOANNES XXII. Archiepiscopis, Episcopis per Angliam constitutis.

Inc. *Dudum personam, &c.*

JAm se scripsisse, ait Pontifex, Cardinalibus duobus Nunciis Apostolicis in Anglia, ut per censuras Ecclesiasticos hos quietis perturbatores punirent.

Idem mandat per has litteras Ecclesiarum Angliæ Prælatis.

Sint perturbatores cujuscunque dignitatis, gaudeant quibuscunque privilegiis, Episcopi possint eos excommunicare.

D. Avenione VI. Cal. Jan. P. a. IV. a. D. 1319.

Commendantur Hibernis Nuntii AA. ad eos missi.

VI. Ex Rayn. ad ann. 1540. §. 42. PAULUS III. Archiepiscopis, Episcopis &c. nobilibus, &c. Insulæ Hiberniæ.

Inc. *Cum nuper, &c.*

„ IN Hibernos quoque sævierat, sæviebatque Henri„ cus Angliæ Rex eo quod constantissimi ii populi „ in Catholica Religione erant; Episcopos probos ex„ pulerat, parochos improbos intruserat.

„ Archiepiscopus Armachanus autem monuerat Pon„ tificem melius restitui fidei puritatem ibidem non pos„ se, nisi mittantur industrii homines.

Illuc igitur mittit Paulus Joannem Codurium, & Alphonsum Salmeronem presbyteros Societatis Jesu, quæ primum fuerat a Paulo confirmata.

Ad præfatos igitur Archiepiscopos, &c. & nobiles litteras has mittit, in quibus iis significat, se motum iis ærumnis, quas & multas, & graves *ab impietate, & cruditate regni vicini* patiuntur, & collapsa disciplina Ecclesiastica ad illos mittere duos viros strenuos *pietate insignes.*

Eos hortatur, ut illos benigne excipiant, eorum consilia audiant.

Eos hortatur etiam ut in obedientia Romanæ Ecclesiæ constantes persistant; neque se vinci patiantur.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXIV. Apr. P. a. VII. a. D. 1540.

Adhortatio ad Hibernos, ut in fide perstent.

VII. Ad ann. 1547. §. 125. PAULUS III. Principibus, nobilibus, &c.

Inc. *Cum assidue, &c.*

MEritis laudibus Hibernos extollit Paulus, qui neque minis, neque præmiis, neque pollicitationibus moveri voluerunt, ut a Catholica fide deficerent, sed semper constantes in ea perstiterunt.

Sibi a Deo promittant amplissimam mercedem.

Eos hortatur Paulus ut invicti in suscepta causa permaneant, neque subduci, decipique patiantur unquam.

D. Romæ apud S. Marcum Die XII. Nov. P. a. XIII. a. D. 1547.

Insula Hiberniæ titulo regni insignitur.

VIII. B.R. t.4. p. 1. p. 315. C. C. PAULUS IV. ad f. r. m.

Inc. *Illius per quem, &c.*

AD instantiam Philippi II. regis tunc Siciliæ, & postea Hispaniarum, & Mariæ Reginæ Angliæ Insulam Hiberniam evehit Paulus ad dignitatem regni, eamque privilegiis regiis ornat, ita ut Philippus, & Maria, ejusque successores possint se dicere Hiberniæ reges.

Reges enim Angliæ antea se appellabant Hiberniæ dominos. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum VII. Id. Junii P. a. I. a. D. 1555.

DE EGGLESIA HIBERNIÆ.

Reprehenduntur Episcopi de negligentia in compescenda hæresi.

I. B.M. p.3. vel t. 9. p. 41. B.R. t.3. p. 211. C. C. HONORIUS III. Archiepiscopis, Episcopis per Hiberniam constitutis.

Inc. *Expectavimus hactenus, &c.*

GRaviter coarguit Honorius Hiberniæ Episcoporum negligentiam in compescenda hæresi, quæ pullulabat in eo regno.

Jubet itaque, ut diligentia attentiori eam redimant;

Observentque decreta Generalis concilii, vetantia pluralitatem beneficiorum;

Monachos *nigri ordinis* vult celebrare hoc anno concilia provincialia.

Dolet Sacerdotes sacram Eucharistiam custodire *incaute, indevote, & immunde pertractare;* eosque monet, ut hæc corrigant;

Sacerdotes moneant populum ut quoties in Missarum solemniis elevatur hostia, humiliter se inclinent;

Et quoties ad infirmum viaticum ferunt, *decent habitu, superimposito mundo velamine ferant.*

D. Viterbii 13. Cal. Decemb. P. a. IV. a. D. 1319.

Episcopis, & Clero jubetur subsidium pro rege.

II. HONORIUS III. Archiepiscopis, Episcopis &c. in Hibernia constitutis.
Ib. p. 44.

Inc. *Non laeditur, &c.*

OB impensas plures faciendas ab Henrico Angliæ rege jam Pontifex mandaverat Angliæ Clero, ut subsidium eidem regi daret.

Idem mandat Prælatis Hiberniæ, quos jubet eligere aliquos qui collectam pecuniam recipiant, & custodiant, donec Rex eam requisiverit.

Non vult tamen, *ut exhibitio hujus subventionis trahatur ad consequentiam, vel præjudicium generet Ecclesiasticæ litterati.*

D. IV. Cal. Febr. P. a. X. a. D. 1225.

Hortatio ad regem, ut conservet Episcopis jura eorum.

III. URBANUS IV. Anglorum Regi.
B.M.p.3. vel t. 9. in Add. p. 18.

Inc. *Præ ceteris, &c.*

CUm audiisset Pontifex, jura Ecclesiæ Hiberniæ, & ejus consuetudines violari per regios ministros, hæc ad eum scribit, ut non patiatur illa & has violari.

I. Solebant judicare Hiberniæ prælati *de causis, quas super pecuniarum summis, seu possessionibus inter Laicos sibi subditos verti contingerat, dummodo pactum firmatum fide, vel juramento interveniisset inter partes.*

II. Judicabant, si aliquis Laicus diffamasset subditos Ecclesiarum *super aliquo crimine;*

III. Judicabant de injuriis a Laicis illatis Clericis.

Hæc omnia jura, & consuetudines impediebant *justitiarii*, & Ballivi Regii.

IV. Vetabant, ne Clerici in causis pecuniariis cum Clericis confugerent ad Episcopos,

V. Ne damnati ab Episcopis in pœna pecuniaria eam solverent,

VI. Ne in divortiis viri restituerent uxoribus dotes,

VII. Nolebant, quemquam in ultima voluntate aliquod prædium, domum legare Ecclesiis, vel locis piis,

VIII. *Si aliqui laici adscripti electæ (qui Betagii appellantur) in ultima voluntate aliqua de bonis suis Ecclesiasticis, vel piis locis relinquunt*, nolebant executioni eam voluntatem mandari,

IX. Episcopis pecuniarias pœnas imponunt, etiamsi pareant eorum inhibitioni, ne ulterius progrediantur in cognoscendis causis, quas jam incœperant cognoscere.

X. Pœnis Episcopos mulctabant, si Episcopi judicassent de aliis causis, quam de matrimonialibus, vel testamentariis.

XI. Si Episcopus aliquis occasione alicujus quæstionis, *ita exigente justitia*, laicum excommunicet impeditur a progressu judicii a regiis justitiariis; laicusque post ejusmodi excommunicationem non vitatur tanquam excommunicatus.

Hortatur ergo Pontifex, & orat regem, ut restituat Episcopis jura sua, suas consuetudines, & suos ministros corrigat, & coerceat, se dedisse (ait) facultatem Episcopo Drunjmorensi, & Priori FF. Prædicatorum de Ponte, ut contrarium peragentes regios Ballivios per censuras ad parendum compellant.

D. Viterbii I. Id. Nov. P. a. I. a. D. 1261.

Jubilæum pro Catholicis in Hibernia.

URBANUS VIII. ad f. r. m. IV. p.R.t.6. p. 2. p. 383. C.C.

Inc. *Zelum Orthodoxæ, &c.*

UT in puritate fidei Catholici, qui degunt in Hiberniæ regno perseverent, Urbanus iis Jubilæum concedit.

Opera facienda, facultates, omnia jam solita sunt. N.O. D. Romæ apud S. Petrum Die XV. Maji P. a. XX. a. D. 1643.

Hortatio ad Episcopos Hiberniæ, ut in suis Ecclesiis resideant.

BENEDICTUS XIV. Archiepiscopis, & Episcopis Hiberniæ. V. B.M.t.16. p. 39.

Inc. *Grave, & permolestum, &c.*

AD Episcopos Hiberniæ, qui fere nunquam in suis Ecclesiis residebant, dolens scribit hanc Epistolam Benedictus, eos commonefaciens de suo onere præcipue residendi, quod sacri Canones, & Pontifices tam sedulo inculcarunt.

Quia autem multi in suis Ecclesiis residebant quidem, sed nullum Episcopale munus obibant, eos monet, duas esse residentias, materialem unam, formalem alteram.

Jam materialis est illa, cum quis residet quidem in Ecclesia, sed nullum onus Ecclesiasticum, quod sibi competat, subit, non docet, non hortatur populum ad bonum, non revocat a malo; formalis vero est ea per quam Episcopus peragit, quæ sunt sui muneris.

Hanc formalem iis commendat, vult, eos imitari illos Hiberniæ Episcopos, in quorum loca fuere suffecti, S. Patritium, S. Malachiam Armachanum Archiepiscopum S. Laurentium Archiepiscopum Dublinensem, Columbanum, Kilianum, Vigilium, Rumoldum, Gallum.

Quod si quis imparem huic oneri ferendo se norit, petat coadjutorem, quem illi Pontifex benigne concedet, dabitque quem ipse Episcopus idoneum esse suggeret.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XV. Aug. P. a. I. a. D. 1741.

DE REGNO SICILIÆ ULTRA PHARUM.

Investitur Dux Robertus Apulia, & Calabria, & Sicilia.

I. GREGORIUS VII. Roberto Duci, &c.
B.R. t.2. p.56.C.C.

Inc. *Ego Gregorius, &c.*

INvestit Gregorius Robertum Ducem *de Apulia, & Calabria, & Sicilia*, quas terras illi concesserant prædecessores Pontifices Nicolaus, & Alexander.

De illa autem terra, quam injuste tenet. sicut est Salernus, & Amalphia, & pars Marchiæ Firmanæ, illum Gregorius patienter sustinet.

Robertus *ad recognitionem fidelitatis promittit annualiter pro unoquoque jugo bovum pensionem duodecim denarios Papiensis monetæ D. Petro, Gregorio, & successoribus.*

Terminus solutionis finito quoque anno erit sanctæ Resurrectionis dies Dominicus.

Obligat ad hanc pensionem se, heredes, successores suos.

Juramentum edidit, in quo pollicetur,

I. Se adjuturum Pontificem, si opus habuerit,

II. Se non deprædaturum partem ullam status Ecclesiastici, sed neque successores suos,

III. Pensionem prædictam exacte persoluturum;

IV. Defensurum Ecclesias, quæ sunt sub sua ditione,

V. Adjuturum, ut eligatur Pontifex ad honorem B. Petri.

Actum Cipriani III. Cal. Julii.
an. 1080.

Gratulatio de victoria obtenta a Duce Roberto.

II. GREGORIUS VII. Roberto Glorioso Duci.
Exbaron. ad ann. 1081. §. 14.

Ind. *Quod gesti, &c.*

„ HOc *anno* 1081. *Robertus Guiscardus Dux cum*
„ *quindecim millibus armatorum transito mare*
„ *Thraciam debellaturus ingreditur. Adversus hunc Alexius Imperator cum centum septuaginta millibus pugnatorum ad prælium exiens superatus est.* (Leo
„ Ostiensis Lib. 3. c. 4.)

Hanc victoriam significaverat Dux Pontifici, qui ejus consilium, & prudentiam laudat.

Eum monet, ut eam Deo acceptam referat, quem ut magis sibi secundum reddat, videat ne illi sit ingratus; meminerit matris suæ S. R. Ecclesiæ, quæ illum præcipuo diligit amore; meminerit promissorum factorum, quæ debet adimplere, etiam quia est Christianus.

Ecclesiæ incommoda, quæ illi afferuntur ab Henrico, ei narrat; illa multum Ducis præsidio fidit.

P. S. Dubitamus hic sigillum plumbeum ponere, ne si illud inimici caperent, de eo falsitatem aliquam facerent.

D. Romæ P. a. IX. a. D. 1081.

Privilegia concessa Rogerio Comiti Calabriæ, & Siciliæ.

III. URBANUS II. Rogerio Calabriæ, & Siciliæ Comiti.
B.M.p.3. vel t. 9. p. 5.

Inc. *Quia prudentiam, &c.*

ROgerius *in Saracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatavit, & S. Sedi Apostolicæ se devotum multis modis exhibuit; ideo hæc privilegia Pontifex ei concedit:* „ ob quæ progressu temporis tot tur-
„ bæ fuerunt excitatæ; hæc privilegia uno verbo di-
„ citur *Monarchia Sicula.*

I. Ei promittit Urbanus, se nullum legatum missurum in Siciliam tempore vitæ Rogerii, vel ejus filii Simonis, vel alterius, *qui legitimus heres extiterit, præter voluntatem, vel consilium ejus;*

II. Quin imo quæ *per legatos acturi sunt Pontifices vult per Rogerium, & successores legatorum vice cohiberi.*

Const. Pontificiarum. Tom. II.

III. Si celebrabitur Concilium, & Pontifex mandaverit, ut Rogerius, vel successores mittant ad Concilium ejus terræ Episcopos, & Abbates, *quos & quot voluerit mittet, alios vero ad servitium suarum Ecclesiarum retineat,*

Datum Salerni per manus Joannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi tertio Nonas Julii indictionis septimæ anno Pontificatus undecimo. ann. 1099.

Confirmatur Regis titulus, & dantur privilegia Rogerio Guiscardo.

INNOCENTIUS II. Rogerio Siciliæ Regi. IV. Ib. p. 17. B. R. t. 2. p. 246. C. C.

Inc. *Quos dispensatio, &c.*

MIles B. Petri Robertus Guiscardus hujus Rogerii præcessor multa præclara gessit, *magnificos, & potentes Ecclesiæ hostes oppugnavit*; Rogerius hujus Pater non minus strenue pro Ecclesia bella confecit.

I. Rogerium igitur hunc a tanta generositate descendentem prædecessor Honorius II. Regem appellaverat, talemque eum confirmat Innocentius.

II. Ducatum quoque Apuliæ, & principatum Capuanum *integre ei communit, & concedit*;

III. Successoribus, & heredibus Rogerii, si præstiterint homagium ligium S. Sedi, & fidelitatem juraverint, hæc omnia Pontifices manutenebunt semper.

IV. Census annuus *sexcentorum scifatorum* Rogerio, ejusque heredibus S. Sedi persolvetur, *nisi impedimentum interveniat, quo remoto* nihilominus persolvetur;

V. Eum hortatur Innocentius ad reddendum se dignum tanto honore, & gratum se ostendendum S. Sedi, quæ illum hoc honore dignum duxit.

VI. *Si quis, &c.* Solitæ pœnæ, &c.

Datum in territorio Mamanensi per manum Haymerici Cancellarii VI. Cal. Augusti, Indictione secunda Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo trigesimo nono, Pontificatus vero anno decimo Domini Innocentii Papæ secundi.

„ Lucius II. huic Rogerio *concessit virgam, & an-*
„ *nulum, dalmaticam, & mitram, atque sandalia.*
„ Otto Frisingensis de gestis Friderici Lib. 1. cap. 28.
„ tomo 6. script. Rer. Italic. „

„ Urbanus II. jam insigniverat titulo Ducis Ro-
„ gerium,

„ Et Anacleti Antipapæ diploma affertur, quo eun-
„ dem Rogerium titulo regis insignivit; quod quidem
„ diploma habetur vel falsum, vel si verum est, an-
„ sam dedit, cur fingeretur datum ab Urbano, ab il-
„ lo enim diplomate natam esse Monarchiam Siculam,
„ putat Baronius, attributum autem esse, ait idem
„ Baronius, Urbano diploma Anacleti, quia cum ille
„ esset verus Pontifex, hic Antipapa, parum momenti
„ habuisset, si Anacletum auctorem ejus dicerent. Ana-
„ cletus autem illud dedit, ut sibi Rogerium devinci-
„ ret, & causam contra Innocentium II. verum Pon-
„ tificem protegeret.

Titulus regius datur Rogerio.

ANACLETUS II. Rogerio &c. V. Ex Bar. ad ann. 1130. §. 52.

Inc. *Ecclesiam, &c.* deest initium.

RObertus pater hujus plurimum deservivit Ecclesiæ; ipse quoque Rogerius fidelis est. S. R. Ecclesiæ, & *inter reliquos Italiæ principes amplior sapientiæ, & potestatis prærogativa excessit.*

I. Concedit Rogerio, ejusque successoribus, & heredibus coronam regni Siciliæ, & Calabriæ, & Apuliæ, ipsum regnum, & universam regiam dignitatem, & jura regaliæ Pontifex;

II. Constituit Siciliam caput regni;

III. Permittit ut a quocunque sui regni Episcopo possit inungi, & coronari.

IV. Concedit omnes donationes, concessiones, & consensus data a prædecessoribus Pontificibus majoribus Rogerii.

V. Illi, & ejus heredibus dat, & authorizat principatum Capuanum;

VI. Largitur *honorem Neapolis, ejusque pertinentiarum, & auxilium hominum Beneventi contra hostes.*

VII. Panormitano Archiepiscopo, & successoribus concedit ad preces Rogerii consecrationem trium Episcoporum Siciliæ, Syracusani, Agrigentini, & Maurienſis, vel Catanienſis.

VIII. Ipse, & ejus heredes solvent annuatim sexcentos schifatos Ecclesiæ, si tamen requisitus fuerit.

Si qua sane, &c. Omnibus vero, &c.

D. Beneventi per manum Saxonis S. R. E. Presbyteri Cardinalis V. Cal. Octobris. Indictione Nona, Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo, centeſimo trigeſimo Pontificatus Domini Anacleti ſecundi Papæ anno primo.

Propoſitiones exhibitæ a rege Guillelmo confirmantur.

VI. HADRIANUS IV.

ex Baronio t. XII. ad ann. 1156.

Inc. *Quoniam ita, &c.*

HAdrianus a Rege Guillelmo dicto *Malo* Beneventi obſeſſus in tantas anguſtias compulſus fuit, *ut ut nec ſeipſum, nec ſuos liberare potuerit, niſi conditionibus indignis valde ſuſceptis, quas nullus hactenus Pontifex a quibuſvis implacabilibus Romanæ Eccleſiæ hoſtibus ſuſcepiſſet tanta jactura Eccleſiaſticæ libertatis*, ait Baronius ib. §. 2. Eas illi propoſuit Guillelmus, quas confirmavit Hadrianus.

I. Si aliquis Clericus *in Apulia, & Calabria, & aliis terris, quæ Apuliæ ſunt affines adverſus alium Clericum de cauſis Eccleſiaſticis querelam habuerit, & a Capitulo, aut Epiſcopo ſuo non potuerit emendari, libere tunc ſi voluerit ad Eccleſiam Romanam appellet.*

II. *Translationes in Eccleſiis fiant, ſi neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ aliquem de una Eccleſia ad aliam vocaverit, & Pontifex concedere voluerit.*

III. *Conſecrationes, & viſitationes Romana Eccleſia non faciet Apuliæ, vel Calabriæ civitatum, civitatibus illis exceptis, in quibus ves, vel ejus ſucceſſores in illo tempore fuerit, remoto malo ingenio, niſi cum voluntate regis, ejuſque heredum.*

IV. *In Apulia, & Calabria, & partibus affinibus Romana Eccleſia libere legationem habebit; Illi tamen, qui ad hoc a Romana Eccleſia fuerint delegati, poſſeſſiones Eccleſiæ non devaſtent.*

V. In Sicilia quoque Romana Eccleſia conſecrationes, & viſitationes faciat.

VI. *Cætera quoque ibidem habebit Romana Eccleſia, quæ habet in aliis partibus regni, excepta appellatione, & legatione, quæ niſi ad petitionem regis, ejuſque heredum ibidem non ſient.*

VII. De Eccleſiis, & Monaſteriis Pontifices habebunt eas, quæ in cæteris Eccleſiis ſolitæ ſunt accipi, conſecrationes, & benedictiones, & debitos, & ſtatutos cenſus.

VIII. *Pro electionibus Clerici conveniant in perſonam idoneam, & illud inter ſe ſecretum habebunt, donec perſonam illam regi pronuntient, & poſtquam perſona regi fuerit deſignata, ſi ea de proditoribus, aut inimicis regis, vel ejus heredum non fuerit, aut regi non extiterit odioſa, vel alia in ea cauſa non fuerit, pro qua debeat aſſentire, aſſenſum rex præſtabit.*

IX. *Pontifex Villelmo, & Rogerio ejus filio, & heredibus concedet regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, principatum Capuæ, Neapolim, & Salernum, & Malphiam, Marchiam, & alia, quæ tenet Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ jure detenta, & contra omnes homines adjuvabit honorifice manutenere.*

X. *Pro quibus omnibus Rex Pontifici, ejuſque ſucceſſoribus fidelitatem juravit, & ligium homagium fecit; cenſum ſexcentorum ſchifatorum de Apulia, & Calabria, quingentorum vero de Marchia, vel æquivalens in auro vel argento ſe, & ſucceſſores ſuos Romanæ Eccleſiæ ſtatuit rex ſingulis annis ſoluturos.*

Has, inquam, conditiones tam graves confirmavit Hadrianus.

D. Beneventi a. D. 1156.

„ *At iſta omnia, quæ contra Eccleſiaſticam libertatem, urgente neceſſitate, per vim, & metum extorta ſunt ab Hadriano Romano Pontifice per Guillielmum cognomento Malum Siciliæ regem ſub Innocentio Papa III. novis pactis, honeſtioribus conditionibus inter poſitis, ſunt penitus caſſata, atque prorſus abolita; ipſa vera libertas Eccleſiaſtica ſuo robore integrata, atque in priſtinum reſtituta.*„ Baronius ib. §. 8.

Regina Conſtantia cum filio Friderico (poſtea Imperatore) II. inveſtitur regno Siciliæ.

INNOCENTIUS III. Conſtantiæ Imperatrici gloriosæ Reginæ Siciliæ, VII. ex Raynaldo t. 13. p. 19.

Inc. *Super gentes, &c.*

MOrtuo Siciliæ Rege Vvillelmo ejus ſoror Conſtantia quæ erat uxor Henrici VI. Imperatoris fuitque Mater Friderici II. Imperatoris inveſtitur de regno Siciliæ ab Innocentio.

Sicut autem Vvillelmus ejus frater homagium Hadriano P. IV. fecerat, juraveratque fidelitatem, ita vult, facere reginam Conſtantiam.

Tum numerat hæc loca Innocentius, nempe regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, principatum Capuæ, Neapolim, Salernum, Amalfiam, & Marſiam;

Promittitque ſe illam ejuſque heredes contra quoſcumque tutaturum eſſe.

D. Romæ P. a. I. a. D. 1198.

Legatis Pontificiis mandatur, ut cum Rege, & Imperatore Henrico VI. agant de liberanda Matre Sibilla, conjuge Tancredi, ejuſque filio Guillelmo.

INNOCENTIUS III. Sutrinenſi Epiſcopo, & Abbati S. Anaſtaſii, VIII. Ibid.

Inc. *Inter cæteea, &c.*

INveſtituræ ab Innocentio acceptæ conditionem apposuerat Imperator Conſtantiæ vir, ut ſibi liceret „ ex eo regno Tancredum nothum expellere, qui quædam ejus regni loca invaſerat, & detinebat. Quod „ cum permiſiſſet Innocentius, Rex Neapolim oppugnavit, cepitque, Sibillam uxorem Tancredi cum „ filio in Theutoniam miſit, & in carcerem detruſit, „ & in alios nobiles ſeveriſſime animadvertit, unde „ *aſper* dictus fuit; plures in carceribus detinebat.

Legatis igitur ſuis mandat Innocentius, ut de Sibillæ libertate ejuſque filii, nobiliumque cum Henrico agant. Verum quidem, ait Pontifex, eos jure puniri a Deo, cui minus, quam divitiis fiderunt, otio, deſidiæ, luxui deditos.

Sed tamen cum ſit Pater communis non poteſt quin eorum infelicitate moveatur, & pro iis Imperatorem exoret.

Agant igitur apud illum, ut Sibillam, filium Guillelmum, filias, nobiles demum cunctos ſolvat compedibus.

Si detentores id facere noluerint, eos excommunicent.

D. Romæ P. a. I. a. D. 1198.

Jam Guillelmus filius juſſu Henrici excæcatus, & eviratus obierat, Sibilla libera cum filiis in Galliam fugit.

Friderici regis curatoribus commendatur Gualterius.

INNOCENTIUS III. Curatoribus &c. IX. Ib. p. 26.

Inc. *Procuravimus, &c.*

DUxerat Gualterius Gallus in uxorem filiam majorem natu Tancredi. Cum ſciviſſet, Innocentium eſſe tutorem Friderici Henrici filii ad eum confugit poſtulans hereditatem Tancredi uxorio nomine, vel eſcambium.

Timens Pontifex, ne ſi id negaret, Gualterius cum multis Gallis irrueret in Friderici regnum, & illud turbaret, præterea prævidens ſtrenuum amicum ſe parare Friderico, ſi illius votis ſatisfaceret, quoniam Gualterius juraverat, ſe non moliturum in vitam regis, ſe illum defenſurum, ſe fidum futurum illi ſemper,

Mandat præfatis curatoribus ut pro bono pacis bona Tancredi dent Gualterio, qui pro iis homagium faciet, & fidelitatem præſtabit, vel alia bona ejuſdem valoris eidem aſſignent.

Eos

Eos monet Pontifex, ſe minitatum fuiſſe Gualterio excommunicationem, ſi vel ipſe, vel ejus uxor cum habebunt quod poſtulant, aliquod jus in regnum ſibi arrogare volent.

Super quibus perſancte Gualterius juravit, ſe nihil amplius petiturum,

Eum illis commendat; eos hortatur ut contra Marcualdum utantur opera ejus.

D. Romæ P. a. II. a. D. 1199.

Gualterius Comes Brenenſis commendatur Siculis.

X. Ib. p. 72. INNOCENTIUS III. Siculis &c.

Inc. *Recepimus, &c.*

VOlens Innocentius regi Friderico, regno Siciliæ, & Siculis omnibus conſulere, & eos a Marcualdo, Diapuldo, Oddone de Laviana ejus regni perturbatoribus liberare, Siculis ſignificat, ſe mittere ad illos Gualterium Comitem Brenenſem jam virtute bellica notum, jam ſæpe Diapuldi, ejuſque Germani victorem.

Pollicetur eum futurum fidum regi, nec quicquam contra illum, & contra regnum eum eſſe molliturum, de qua re accepit ab illo Pontifex *juramentum publice ſuper crucem, & Evangelia.*

Ait ſe mittere in Siciliam Cardinalem tit. S. Marcelli, & Mareſchallum ſuum, qui liberatam ex Marcualdo Siciliam regant.

D. Later. III. Id. Sept. P. a. IV. a. D. 1202.

Jubetur Gualterius in Siciliam ire.

XI. Ibid. INNOCENTIUS III. Gualterio &c.

Inc. *Hoc eſt, &c.*

QUoniam tempus aderat, & neceſſitas urgebat, mandat prædicto Comiti Innocentius ut in Siciliam contra perfidum Marcualdum proficiſcatur; qui certe Comitem non expectabit in campo, ſed in aliquo ſe recludet Caſtello; interim Comes terram occupet, & Marcualdum obſideat.

Dum ejus nominis fama tanta eſt, proficiſcatur.

Ejus poteſtati permittit an velit ſecum ducere Mareſchallum S. Sedis conſobrinum Pontificis, an eum in cuſtodia Apuliæ relinquere;

Interim Rogerius Theatinus, & Jacobus Tricaricenſis detinebunt Diapuldum.

Agat demum Comes quod magis expedire crediderit.

D. Velletris XVIII. Cal. Oct. P. a. V. a. D. 1202.

Gratulatio de victoria.

XII. Ib. p. 73. INNOCENTIUS III. Archiepiſcopo Montis Regalis, & Epiſcopo Panormitano.

Inc. *Benedictus Deus, &c.*

JAm Marcualdus Panormum cœperat, & palatium regium, & regem ipſum habebat in ſua poteſtate; quem non interfecit ob timorem Comitis, qui rege ſublato nomine uxoris filiæ Tancredi regnum occupaſſet. Dum ergo Marcualdus agit de libertate Regis, de reſtitutione regni calculorum dolore preſſus, quo morbo jamdiu laborabat, vita eſt functus.

Ergo Pontifex Deum laudat de hac victoria per illum unum parta; dum enim inibi erat ut ſuæ perfidiæ fructum aliquem Marcualdus caperet, raptus fuit ad Dei judicium.

Cæteri ejus aſſeclæ tanquam oves, quæ percuſſo paſtore diſperguntur, viribus ſuis parum fidentes Siciliam liberabunt.

Excitat ad lætitiam præfatos Epiſcopos Pontifex, eoſque hortatur ad vigilem Regis cuſtodiam, & curam.

D. Velletris VIII. Cal. Oct. P. a. V. a. D. 1202.

Gratulatur Pontifex Friderico, quod fuerit cuſtodia liberatus.

XIII. Ib. p. 153. INNOCENTIUS III. Friderico Regi Siciliæ illuſtri.

Inc. *Quantæ jucunditatis, &c.*

DIu in cuſtodia retentus Fridericus fuerat ab iis, qui Marcualdo adhæſerant. Tandem liberatus fuit.

De qua quidem libertate accepta gratulatur Friderico Innocentius, cujus gaudii magnitudinem eum metiri vult ab angore ſummo, quo fuit affectus, dum in cuſtodia detinebatur, qui quidem fuit maximus, ſicut maximus eſt amor ille, quo eum proſequutus eſt ab ejus matris utero,

Eidem narrat quot, qualiaque pro illo tulerit cum ſuæ curæ, tutelæque fuiſſet commiſſus.

Eidem narrat expenſas pro eodem factas, curam, quam illius geſſit, labores pro illo latos.

Eum autem monet, ut gratias Deo agat, ut meminerit quam gratus eſſe debeat Deo, qui in tot periculis eum ſalvum fecerit.

Suam autem gratitudinem Deo oſtendat bene factis, juſtitia, humilitate, reverentia in Romanam Eccleſiam.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Febr. P. a. IX. a. D. 1207.

Reliqua vide de Friderico C. de Imperatoribus.

Ad lætitiam excitantur Siculi propter Friderici mortem.

INNOCENTIUS IV. Archiepiſcois, Epiſcopis &c. Nobilibus populo &c. XIV. ex Rayn. ad ann. 1251. §. 3.

Inc. *Letentur cœli, &c.*

AD gaudium excitat Pontifex Siculos quod tandem aliquando reſpiciens Deus eorum infelicem conditionem, eamque miſeratus illum de medio ſuſtulit, qui tam aſperum & grave ſervitutis jugum iis impoſuerat.

Jam tandem pro illis formidare, trepidare, & angi deſiit ipſe Pontifex; reputans enim ſecum qualia a Friderico pateretur Eccleſia univerſa, videbat multo majora ſufferenda eſſe a Siculis, & proinde afflictabatur.

Defuncto igitur illo, qui efficiebat, ne devotionem ſuam in Eccleſiam publicis ſignificationibus oſtentare poſſent, ad Eccleſiam redeant, quæ efficiet ut quantum afflicti fuerunt, tantumdem lætentur.

Mittit ad eorum ſolatium has *litteras* Innocentius, ſed mox Legatum mittet. Interim reditum ſuum in Italiam parat Pontifex, unde utpote qui proximior Siciliæ, eorum libertati, felicitatique poterit facilius conſulere.

D. Lugduni VIII. Cal. Febr. P. a. VIII. a. D. 1251.

Hortatio ad Archiepiſcopum Panormitanum, ut ſe corrigat.

INNOCENTIUS IV. Panormitano Archiepiſcopo. XV. Ib. §. 5.

Inc. *Ætatis tuæ, &c.*

QUidam erant in hoc regno Pontifici adverſi; inter hos erat Archiepiſcopus Panormitanus, qui Friderico carus fuerat, cujus magna erat in populo auctoritas. Ad illum igitur ſcribit Pontifex,

Ejuſque ætatis jam provectæ ſe miſereri, ait; tamen non poſſe quin eum moneat; quanquam niſi conſcientia in eo prorſus eſt extincta, illa ipſa quæ mala patravit, quanto ſcandalo omnibus fuit, *qui malo cooperabatur in malum, illi objiciet* mentis oculis.

Redimat pœnitentia per reliquos paucos annos, quibus vivet, multos annos tam male inſumptos.

Ejus ætas in cauſa eſt ne illi eam pœnitentiam injungat, quæ illius criminibus reſpondeat.

Demerita in Eccleſiam ſuam redimat aliquo merito, aſſiſtendo ſcilicet Archiepiſcopo Barenſi, quem Legatum ſuum in regnum mittit pro regni ipſius, & Eccleſiæ negotiis.

D. Lugduni VI. Cal. Febr. P. a. VIII. a. D. 1251.

Manfredus recipitur in gratiam S. Sedis, & inveſtitur Principatu Tarentino.

INNOCENTIUS IV. Cardinali S. Georgii ad velum aureum A. S. L. XVI. Ib. §. 42.

Inc. *Cum dilectum, &c.*

PErcuſſus Manfredus anathemate veniam petiit, teſtatuſque eſt, ſe fore in Eccleſiæ poteſtate una cum Marchione de Frimbrorch.

Pontifex ut ferventius Eccleſiæ Manfredus ſerviat,

Mandat

mandat prædicto Legato, ut principatum Tarentinum concedat Manfredo in Feudum, & Marchioni comitatum Andrenſem, *receptis prius ab eis Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ nomine fidelitatis, & homagii ligii juramentis.*

Alia quædam loca eidem mandat, ut concedat aliis, qui adhæſerunt partibus Eccleſiæ.

D. Mediolani IX. Cal. Aug. P. a. IX. a. D. 1251.

Conradinus inveſtitur de bonis avi ſui Friderici Imperatoris.

XVII. Ad an. 1254. n. 47. INNOCENTIUS IV. Univerſis Chriſtifidelibus.

Inc. *Benigna mater, &c.*

MOrtuus jam fuerat Conradus filius Friderici II. Imperatoris, quem Imperator ſpoliarat ducatu Sveviæ, aliiſque bonis in Alemannia. Reſtabat puer Conradinus nepos Friderici, filiuſque dicti Conradi.

Cujus pueritiam benignis oculis Pontifex reſpiciens, ſcienſque cum promittere multa & præclara, cum propter ætatem non potuiſſet eſſe particeps malorum, quæ Eccleſiæ intulerant ſui avus, paterque,

Illi reſtituit regnum Hieroſolymitanum, Ducatum Sveviæ, & omnia bona in Sicilia ejus majorum, & ubicumque ſint.

Tutores, qui pro illo juramentum dabunt fidelitatis Romanæ Eccleſiæ, qui pro illo agent, addant in omnibus actis *Conradi pueri jure ſalvo.*

Ideo autem hæc omnibus nota vult eſſe Pontifex, ut ſciant quid actum ſit.

D. Anagniæ II. Non. Aug. P. a. XII. a. D. 1254.

Mittitur Legatus A. in Siciliam cum amplis facultatibus.

XVIII. Ib. p. 48. INNOCENTIUS IV. Guillelmo tit. S. Euſtachii Diac. Card. S. A. L.

Inc. *Diſcretioni tuæ, &c.*

ADmonitus Innocentius, Manfredum filium nothum Friderici nullum non lapidem movere, ut regno Siciliæ potiretur, ad illud tutandum deputat Innocentius prædictum Cardinalem in Legatum S. A. ut illuc cum valido exercitu ſe conferat; illi autem has facultates dat;

I. Ut pro negotio Pontificis (,, de recuperando regno Siciliæ, quo inveſtiendus erat Comes Andegavenſis Carolus, & inde expellenda familia Svevica) poſſit *nomine A. Sedis mutuum cum mercatoribus contrahere, & obligare propter Rom. Eccleſiam, & contra, & poſſeſſiones Eccleſiarum Urbis, Campaniæ, & Maritimæ;*

II. *Poſſit pro ipſius promotione negotii fructus, & proventus omnes Eccleſiarum tam Cathedralium, quam aliarum in regno Siciliæ vacantium percipere, & etiam non vacantium, ſi earum prælati negotium ipſum non juverint juxta ipſius beneplacitum, & mandatum.*

III. Poſſit imponere, & exigere collectas in eodem regno,

IV. Facere ibi cudere novam monetam, ſi viderit expedire,

V. *Exheredare omnes de regno ipſo quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, & ejus natorum fautores, qui ad mandatum Eccleſiæ ad eam poſt denuntiationem iis factam redire noluerint, & cunctos alios, qui redire contemſerint,*

VI. *Revocare inſuper omnia Curiæ demunia, & quæcunque ſive in comitatibus, ſive baroniis, ſeu feudis, vel ſcandentiis, aut quibuslibet aliis ſunt in eodem regno conceſſa.*

VII. *Privare univerſos ipſius regni, quos Eccleſiæ proditores eſſe conſtiterit, ſi ad ejus mandatum non redierint ad eam, omnibus ſuis feudis, & illa aliis fidelibus concedere,*

VIII. Accipere rebellium de regno ipſo, ubicunque ſunt, depoſita,

IX. *Et facere reddi in eodem regno, cum neceſſe fuerit, per illius pares judicia.*

Illi demum pollicetur Pontifex auxilium, & præſidium, & ſe quæcunque ille egerit approbaturum eſſe.

D. Anagniæ IV. Non. Sept. P. a. XII. a. D. 1254.

Excommunicatio Manfredi, aliorumque nota ſit Imperatori.

INNOCENTIUS IV. Guillelmo Rom. Imper. XIX. Ib. p. 52.

Inc. *Excellentiæ tuæ, &c.*

CUm Manfredus pergeret res Siciliæ perturbare, & Capuam muniviſſet, copiaſque contraheret, Pontifex illi indixit, ut deſiſteret, tempuſque illi aſſignavit parendi Eccleſiæ a Feſto Aſſumptionis B. Mariæ uſque ad Nativitatis ejuſdem feſtum, minitatuſque eſt, ſe illum excommunicaturum niſi pareret.

Non paruit Manfredus: illum ergo ſimul cum Marchione ex Honebruch, & Conrado ex Antiochia, & quibuſdam aliis cenſuris confixit Innocentius Die Nativitatis B. Mariæ.

Hæc omnia ſcribit ad Imperatorem Innocentius; eumque ſimul rogat, & hortatur, ut comites Manfredi proſcribat, eorumque bona poſita in Alemannia ipſe det aliis, poſtquam eos admonuerit, ut recedant a Manfredo, & noluerint obtemperare.

D. Anagniæ II. Id. Sept. P. a. XII. a. D. 1254.

Conciliatur Manfredus cum Eccleſia, a qua quibuſdam bonis inveſtitur.

INNOCENTIUS IV. Manfredo principi Tarentino. XX. Ib. p. 56.

Inc. *Clemens ſemper, &c.*

CUm videret Manfredus Siculos turmatim ad Eccleſiam redire, & quoſdam e ſuis aſſeclis ex Alemannia Pontificis, & Imperatoris minis deterritos rebus ſuis conſulere, flexit animum, veniamque a Pontifice petiit fractus demum.

Pontifex, prædicata Eccleſiæ clementia, quæ ſupplicanti, parenti ſemper peccatori parcit, *agnoſcitque, quod revera tunc egregie de aliquo vindicta ſumitur, cum ei magnanimiter indulgetur,* quoniam regnum Siciliæ devolutum erat ad S. Sedem in rebellionis Friderici Imperatoris, Conradique pœnam;

Manfredum inveſtit de principatu Tarentino cum Gravini, & Tricarici comitatibus ac de Honore Montis S. Angeli; quæ quidem bona illius pater Fridericus illi conceſſerat, ſed a quibus Manfredus exciderat bis ob duplicem a Romana Eccleſia defectionem;

Et hæc bona vult etiam ad Manfredi heredes pertinere.

Pro comitatu Montis Caveoſi, quem tenebat Marchio de Houmburch, illi dat comitatum Andrenſem;

Omniaque hæc loca ei dat cum omnibus adjacentiis, & pertinentiis, & juribus;

Vult, ut Manfredus, & ejus heredes nullum alium ſuperiorem immediate recognoſcant, niſi Romanam Eccleſiam.

Significat eidem Manfredo, ſe inveſtiſſe coram Cardinalibus Galvanum Lanceam ejus avunculum per annulum petentem nomine Manfredi inveſtituram.

Si Eccleſia pro dicto Siciliæ regno exercitum armabit, Manfredus, & ejus heredes per dies quadraginta ſuis impenſis habebunt in Eccleſiæ exercitu milites quinquaginta equis, & armis bene inſtructos intra confinia ejuſdem regni.

Pontifex nomine Eccleſiæ illi promittit auxilium, & præſidium, & manutentionem in præfatis dominiis.

Eidem facultatem dat in eodem regno æquivalens concambium faciendi pro aliis terris, quas Marchio prædictus, & Gualterius de Acra tenent in iiſdem principatu, & comitatibus Manfredi.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

Datum Anagniæ per manum Guillelmi Magiſtri Scholarum Parmenſium S. R. E. Vicecancellarii V. Cal. Octobris Indict. XIII. Incarnat. Dominicæ MCCLIV. Pontific. vero Domini Innocentii Papæ IV. anno XII.

Alia bona conceduntur in feudum Manfredo.

INNOCENTIUS IV. Manfredo &c. XXI. ex Inno. Ep. 205. L. 1.

Inc. *Devotioni tuæ, &c.*

UT magis ſibi devinciret Manfredi animum Innocentius Vicarium Romanæ Eccleſiæ eum conſtituit *a Faro uſque ad Flumen Silens, & ab eodem Flumine infra per Terram Beneventanam, & Comitatum Moliſis uſque Trignium, excepto juſtitiariatu Aprutii in temporalibus, iis, quæ ad merum, & mixtum Imperium pertinent.*

Manfredus Vicariam debebit recognoſcere a Romana Eccleſia, quam quidem Vicariam ad vitam exercebit, & donec Eccleſiæ fidelis erit;

Ex Vicariatui ſubjectorum locorum & terrarum proventibus, deductis expenſis faciendis in cuſtodia munitionum, & caſtrorum, & in officialibus, octo millia unciarum auri habeat, & percipiat annuatim tribus in vicibus, tertiam partem Cal. Decembris, tertiam Calendis Aprilis, & tertiam Calendis Octobris.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Anagniæ Id. Oct. P. a. XII. a. D. 1254.

Mittitur Nuncius ad Comitem Pictavienſem de transferendo regno Siciliæ.

XXII. B. M. p. 3. vel t. 9. in addenda p. 11. INNOCENTIUS IV. Comiti Pictavienſi.

Inc. *Quia nonnunquam, &c.*

JAm de transferendo dominio regni Siciliæ *ad S. Sedem legitime devoluti a Conrado Friderici (II.) Imperatoris Filio* in Carolum Provinciæ Comitem Comitis Pictavienſis Fratrem ſimul cum Cardinalibus ſæpius conſilium agitaverat Innocentius.

Nimis enim gravis viſa fuerat Domus Svevica Pontificibus ditioni Eccleſiaſticæ tam vicina, neque cœca quadam eorum temporum ignorantia acta.

Cur autem tractatus hic ad finem non fuerit reductus multa ſeſe oppoſuerunt obſtacula.

Quæ ut omnia ſuperarentur ad Pictavienſem Comitem mittit Innocentius Magiſtrum Albertum Notarium virum prudentem, & *zelatorem ipſius* Comitis, quicum Comites Pictavienſis, & Provinciæ rem tranſigant.

Pictavienſem Comitem monet Pontifex, ut Fratrem ſuum inducat ad accipiendum regnum a S. Sede illi ſponte oblatum.

D. Peruſii Non. Aug. P. a. X. a. D. 1252.

Conditiones, quibus offertur regnum.

XXIII. Exſunig. 1254. n. 407. INNOCENTIUS IV.

Inc. *Iſtæ ſunt, &c.*

MAgiſtro Alberto dedit conditiones petendas in conceſſione regni Innocentius.

Quas, cum ſint eædem quibus Carolus inveſtitus fuit Sicilia a Clemente IV. (*Aſſueta ſedes*) prætermittimus, eas tunc expoſituri.

D. &c.

Confirmantur litteræ Alberti Legati, qui nomine Pontificis obtulit regnum Siciliæ Eduardo Angliæ Regis filio.

XXIV. Exſunig. 1254. n. 415. INNOCENTIUS IV. Edmundo (vel Eduardo).

Inc. *Specialis devotionis, &c.*

CUpiens Innocentius publicum argumentum dare, quanti faceret Regem Angliæ, obtulit per Legatum ſuum regnum Siciliæ Edmundo Regis Filio.

Illi ſignificat, ſe mittere ad illum Albertum Magiſtrum, & ſuum Notarium zelatorem illius. (Non enim Comes Pictavienſis oblationem ejuſdem regni per eumdem Albertum factam acceptare voluerat, reputans ſummum bellum ſibi eſſe ſuſcipiendum).

Cum Alberto vult illum agere, cui dedit conditiones, quibus illi offert hujuſmodi regnum.

Interim his litteris confirmat Innocentius inveſtitionem Eduardo a Magiſtro Alberto datam; quæ talis eſt;

Ut ſincera, & inconcuſſa devotio, quam Dominus H. Rex Angliæ Illuſtris Pater veſter habet ad Romanam Eccleſiam, in vobis paterna veſtigia imitantibus propagata fructum non tam eidem Eccleſiæ, quam totæ Chriſtianitati afferat, voſque inſigniat faſtigio regiæ dignitatis, de ſpeciali auctoritate, & mandato Domini Papæ facto nobis, de ſuorum Fratrum conſilio, & aſſenſu, vobis, & heredibus veſtris regnum Siciliæ, & totum terram, quæ eſt citra Pharum uſque ad confinia terrarum Eccleſiæ cum omnibus juribus, honoribus, diſtrictibus, & pertinentiis ſuis (excepta civitate Beneventana cum ipſius juribus, & pertinentiis) univerſis in feudum concedimus, ſalvis libertatibus, & immunitatibus prædictorum regni, & terræ tam in electionibus, quam in aliis pertinentiis ad eaſdem.

Conditiones autem oblationis examinabuntur, inquit Albertus, a viris, quos recenſet.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Aſſiſii II. Id. Maj. P. a. XI. a. D. 1254.

Ad eumdem Albertum de eodem argumento litteræ.

INNOCENTIUS IV. Magiſtro Alberto &c. XXV. Ibidem.

Inc. *Gratum gerimus, &c.*

SIbi gratum acciditſſe, quod ille egerat, ſignificat Alberto Pontifex;

Etiam ſe confirmaſſe ejus conceſſionem Eduardo factam.

Ei mandat, ut Regi perſuadeat, ut mittat filium ſuum quamprimum in Siciliam *in manu forti ad proſequendum viriliter, & potenter idem negotium,* h. e. evertendam Domum Svevicam.

Renovet Eduardo litteras conceſſionis, ſicut exemplar Pontifex ad Magiſtrum mittit.

D. Aſſiſii a. 1254.

Conditiones, quibus Edmundo oblata fuit Sicilia.

ALEXANDER IV. Edmundo Regi Siciliæ, XXVI. Ib. p. 120.

Inc. *Aſſueta ſedes, &c.*

JAm prædeceſſor Innocentius miſerat Albertum notarium ſuum ad Angliæ Regem afferens ejus filio regnum Siciliæ his ſub conditionibus,

I. Ut Edmundus imperaret in Sicilia, & in tota terra, *quæ eſt citra Pharum uſque ad confinia terrarum Eccleſiæ (excepta terra Beneventana cum ſuis juribus, & pertinentiis) ſalvis libertatibus, & immunitatibus Eccleſiarum regni Siciliæ, & terræ;*

II. Ut Edmundus cum regnum acceptaſſet, Innocentius confirmaret poſſeſſionem;

III. Mortuo Innocentio ſubrogatus Alexander conceſſionem confirmat approbans, & conditiones appoſitas ab Innocentio, & quaſdam addens ipſe;

IV. Ne terræ regni dividantur, ita ut duo iis imperitent, ſed integræ permaneant, ut unus tantum ſit rex;

V. Quovis anno in die feſto BB. Petri, & Pauli, *vel intra ipſius feſti octavas, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, rex pro regno & terris duo millia unciarum boni, & puri auri de Turenis ad pondus Romanum cenſus nomine quotannis Eccleſiæ Romanæ perſolvat;*

VI. Quotieſcumque Pontifex aſſeruerit, Eccleſiam Romanam indigere auxilio, rex Siciliæ pro tempore mittet trecentos milites inſtructos equis, & armis in Patrimonium B. Petri, in Ducatum Spoletanum, in Marchiam Anconitanam, & in alias Eccleſiæ terras, & per tres menſes integros computandos a die egreſſus e regno *per vulgares dietas* ſemel in anno ſuis ſumptibus alet;

VII. Omnes Eccleſiæ *de regno, & terra prædictis* tam Cathedrales, & regulares, & aliæ gaudebunt ſuis libertatibus, & immunitatibus, ſalvo jure patronatus regi, & ſucceſſoribus, ſi quod eſt in prædicto regno, & terris tam in electionibus quam in proviſionibus,

VIII. Omnibus Eccleſiis, quibus conſtet ablata fuiſſe bona, illa reſtituentur;

IX. Rex, & ſucceſſores jurabunt, ſe numquam procuraturos, ut eligantur in reges, & Imperatores Romanorum, electoſque renuntiaturos imperio; ſi ſecus facient *a jure prædictorum regni, & terrarum cadant ex toto.* Quod ſi quin procurent, & inſcii electi fuerint, intra quatuor menſes admoniti a Pontifice ſi non renunciarint, jus in regnum Siciliæ amittant; ſi admonitio ad eos non pervenirec, *habitur aſſertioni Pontificis*, & debebunt intra tres alios menſes renunciare Imperio. Si alius regis, qui deberet ſuccedere in regnum, vivente patre, eligatur Romanorum Rex, aut Impe-

Imperator, jus amittat ad regnum Siciliæ, vel si vult succedere, renuntiet imperio;

X. Si quis contra hæc fecerit sit excommunicatus, & notatus labe infamiæ, & perjurii;

XI. Ecclesia Beneventana sit semper Romanæ Ecclesiæ cum suis juribus & pertinentiis; incolis ejus Ecclesiæ reges Siciliæ *renovabunt privilegia, & fidantias, & ad reparationes urbis liberaliter exponent suas, lapides, arenam, seu puteolanam.*

XII. Baronibus, nobilibus, urbibus, Neapoli præcipue, & Capuæ jura sua, & privilegia conservabunt;

XIII. Centum millia librarum, quæ Innocentius Edmundo promiserat *pro prosecutione negotii, dimittat, & faciat pactum*, neque se, neque suos heredes illa petituros esse;

XIV. Donec Edmundus perveniat ad ætatem annorum quindecim, Pater ejus juramentum, & homagium præstabit, quod renovabit Edmundus cum annos illos attigerit;

XV. Apponitur formula juramenti a regibus præstandi, quod continet supradictas conditiones;

XVI. Pontifex possit evocare regem ad illud præstandum, vel mittere aliquem ad illud suscipiendum; locusque tutus statuetur;

XVII. Privilegia, donationes, concessiones a prædecessore Pontifice, & ab Alexandro factas Fratribus Marchionibus de Houmbourgh rex, & successores ejus ratas habeant, & integras illis conservent;

XVIII. Summa concessa Bertholdo Marchioni ad vitam redditurum (*exceptis redditibus Senescalliæ*) erit quatuor millium unciarum auri annis singulis;

XIX. Quod si e bonis Marchionibus donatis tanta summa non provenit, *teneantur reges satisfacere istis de damnis*;

XX. Ita conservent reges integras donationes a Sancta Sede factas Comiti Casertano,

XXI. Edmundus cum pervenerit ad annos quindecim jurabit, se hæc servaturum, si decesserit infra hanc ætatem, jurabit illius heres, si erit major annis quindecim, intra sex menses; si minor, jurabunt aliqui primarii regni pro illo, & eam ætatem is pertingens postea jurabit,

XXII. Quod si post menses sex ab ea ætate Edmundus juramentum non præstiterit, neque homagium ligium *cecidisse totaliter e regno intelligatur*;

XXIII. Has conditiones cum Nuntii Henrici regis spopondissent Edmundum servaturum, & daturum pro earum observantia juramentum, Pontifex de consilio fratrum *de regno, & terra prædicta* per annulum Nuncios nomine Edmundi investivit, facultatemque eis dedit mittendi qui regis nomine possessionem & regni, & terræ caperent.

XXIV. Quæ omnia præstabit ipse Edmundus cum ad annum decimum quintum pervenerit.

XXV. Omnes expensas factas ab Ecclesia *pro negotio dicti regni, quæ ascendunt usque ad summam* 135541. *Marcharum bonorum, novorum, & legalium sterlingorum, in qua summa sunt viginti millia marcharum sterlingorum oblata a Rege Pontifici, & Fratribus* has expensas persolvet Rex, primum viginti marchas donatas Pontifici, decem ad Nativitatem Domini, decem ad Festum S. Michaelis; reliquas marchas persolvet iisdem diebus anno venturo. *Impendet etiam satisfactionem de damnis, expensis, & interesse, ac aliis, quæ hac occasione interveniunt.*

XXVI. Reservat sibi Pontifex facultatem revocandi, cassandi, irritandi omnem conventionem, si rex non solvat ad tempus statutum, præcipue viginti millia Marchorum Pontifici debita.

XXVII. Debebit Rex mittere intra annum computandum a Festo S. Michaelis *militiam competentem ad hoc negotium*, vel venire ipse.

XXVIII. Si Rex Henricus ante confirmationem horum pactorum moriatur, vel si non fecerit hæc, faciat Eduardus ejus filius primogenitus frater Edmundi; quæ si non præstiterit, possit Pontifex revocare omnem contractum; & rex erit innodatus excommunicatione, & totum regnum Angliæ interdictum. Idem rex ministrabit Ecclesiæ expensas faciendas ob hoc negotium a festo S. Michaelis per annum; & ad hoc obligabit bona sua; & si Ecclesia faciet ære proprio expensas pro conservatione regni, pro his sumptibus Rex Siciliæ *pignorabit Ecclesiæ terram Monasterii Cassinensis, terram Laboris, terram Principatus Basilicarum, terram Beneventanam*, donec hi sumptus Ecclesiæ resarciantur.

XXIX. Interim fructus obvenientes e Sicilia Pontifex Regi dabit.

XXX. Reservat sibi Pontifex jus faciendi in dicto regno donationes aliquibus ex dicto regno de bonis ipsius regni.

XXX. Etiamsi Pontifex aliquam compositionem cum Manfredo quondam principe Tarentino faciet, nihilominus Edmundo, & successoribus ejus *jus in eodem regno remaneat.*

XXXII. Hæc omnia placuerunt Episcopo Herfordiensi Nuntio Edmundi, & Regis Henrici, *& in his plena, & stabili voluntate consensit.*

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Datum Neapoli per manum Guillelmi Magistri Scholarum Parmen. S. R. E. Vice-Cancell. V. Id. April. Indict. X. Incarn. Dom. ann. MCCLV. Pontif. vero D. Alexandri Pp. IV. anno primo.

Cardinales sex se instrumento subscribunt.

Hortatio ad Regem, ut pro filio Edmundo juret.

ALEXANDER IV. Henrico III. Regi Angliæ. XXVII. ExLunig. t. 2. p. 927.

Inc. *Cum nos, &c.*

Significat Alexander Regi, se concessisse regnum Siciliæ ejus filio Edmundo, ut videbit in privilegio, quod ad illum mittit.

In quo conventum est, ut Rex præstet juramentum pro filio, & faciat homagium ligium;

Quod quidem juramentum rex mittet *seriatim per patentes litteras sub suo sigillo, & ipsius Edmundi bulla aurea Pontifici.*

Ad hoc juramentum accipiendum, & *pro aliis obligationibus recipiendis* scribit se ad illum mittere Episcopum Bononiensem.

D. Neapoli XII. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1255.

Episcopus Herfordiensis Regi suadeat occupationem Siciliæ &c.

ALEXANDER IV. Episcopo Herfordiensi. XXVIII. Ibid.

Inc. *Pluries nobis, &c.*

Pluries Pontifici scriptum fuerat, Regem Angliæ acceptasse pro filio suo regnum Siciliæ; de qua quidem re magnopere lætatus est Pontifex;

Sed non potest, quin magnopere miretur, regem nihil parare pro ejusdem regni acquisitione; pecuniam, quam Ecclesiæ restituere pollicitus est, non solvit, *cum qui pecuniam mutuarunt, continuis instant clamoribus* apud Pontificem, jamque parati sunt, *nisi satisfiat eis in termino, ad possessiones Ecclesiarum Urbis, quæ eis obligatæ sunt manus extendere, & eas occupare.*

Quare monet prædictum Episcopum, ut Regem hortetur ad servanda promissa, & *ex decima Ecclesiasticorum proventuum Regni* debita solvat.

Multo etiam magis miratur Pontifex, regem nihil curare defensionem provinciarum regni Siciliæ, cum sciat Rex, Cameram A. eas defendere non posse exhaustam prorsus pecunia.

Eum moneat de hac negligentia, illique persuadeat, ex mora hac illi maximum generari periculum, & amissionem, *quam multarum curarum, & magnarum expensarum effusione vix postmodum recuperare* valebit.

D. Laterani Non. Febr. P. a. II. a. D. 1256.

Addit Pontifex, *nisi soluta fuerint debita Ecclesiæ in terminis constitutis ad irritationem negotii se processurum.*

Et bene placet nobis, quod idem Rex id specialiter per te sciat.

Tempus solutionis a Rege Angliæ Henrico prorogatur.

ALEXANDER IV. Regi Henrico. XXIX. Ex Raynaldo ad an. 1256. §. 34.

Inc. *Supplicantibus, &c.*

Jam instabat dies festus S. Michaelis, qui erat statutus terminus, cum Rex Angliæ mittere debebat capitaneum cum exercitu in Siciliam, & summam pecuniæ pro expensis factis in eo regno ab Ecclesia. At legati

legati Regii rogarunt Pontificem, ut alium assignaret terminum, & pro missione capitanei, & pro summæ pecuniariæ solutione;

Et ut hæc mora non esset Regi fraudi, ita ut pœnas excommunicationis incurreret, sicut promiserat, se incursurum, nisi ad eum diem capitaneum, & summam misisset, ut conventum erat in investitionis capitulis.

Ægro animo id tulit Pontifex, quia interim prævalebat viribus Manfredus, multique Siculi ad ejus partes transibant; sed ferendum erat.

Ergo declarat regem non incursurum censuras, & ad menses sex prorogat tempus illi, ut mittat Capitaneum, argentumque.

Illum autem enixe monet, ne fallat; ne alias excusationes prætendat, sed præstet utrumque.

Prorogatio computanda est a Calendis Decembris proxime venturi usque ad sex menses.

D. Agnaniæ II. Non. Oct. P. a. II. a. D. 1256.

Interea Edmundus electus Siciliæ Rex scripsit Alexandro, nimis graves esse conditiones investitioni regni appositas. Illi ergo supplicavit, ut eas reformaret, & moderaretur.

De reformandis investitionis conditionibus.

XXX. ALEXANDER IV. Angliæ regi &c. Ib. ad an. 1257. §. 40.

Inc. *Ad reformandum*, &c.

Litteras Edmundi se recepisse, rescribit Alexander; se mittere Legatum, quicum rex proponere possit, quæ sentiat de conventionum reformatione;

Eum absolvit ab excommunicatione, quam incurrit ob non servata statuto tempore pacta.

Eum etiam monet, ne differat multum in grave dispendium, & præjudicium Ecclesiæ.

Expeditio Edmundi differatur usque in annum sequentem.

Interim Ecclesiasticæ pronuntiatæ pœnæ suspendantur.

D. Viterbii II. Id. Dec. P. a. III. a. D. 1257.

Quid agere debeat Albertus, audito regis Galliæ responso.

XXXI. Ad ann. 1262. §. 21. URBANUS IV. Alberto Notario nostro.

Inc. *Tuas nuper, &c.*

Cum videret Urbanus differre Angliæ regem adimplere conditiones investitioni appositas, jam miserat Albertum ad Regem Galliæ, ut homine Ecclesiæ regnum Siciliæ ejus fratri dandum offerret.

Illud Regi obtulit Albertus: sed rex respondit, illud spectare ad Conradinum; vel si Conradinus eo decidit, spectare ad Edmundum regis Angliæ filium, cui prius fuerat oblatum, se nolle usurpare aliena jura.

Hoc regis responsum significavit Urbano Albertus.

Pontifex, pietate regis tam christiane sentientis laudata, mandat Alberto, ut Regi dicat, Angliæ regem sponte sua cessisse regno Siciliæ; cum enim intra datum tempus nisi adimpleviſſet conditiones, ipse Rex juraſſet, se non posse amplius habere jus ad illud, cum eas non adimpleverit, eum cecidisse.

Ne Rex agitetur hoc scrupulo, eum posse acceptare regnum, omnes Cardinales censent.

D. Monte Flascone prid. Cal. Sept. P. a. I. a. D. 1262.

Revocatur concessio regni facta Edmundo.

XXXII. B. M. p. 3. vel t. 9. in addenda p. 23. URBANUS IV. Henrico Angliæ Regi & ejus filio Edmundo.

Inc. *Non solum, &c.*

Inter omnes Catholicos principes, qui regnum Siciliæ cupiebant ad S. Sedem jure devolutum, prædecessor Alexander illud Edmundo Regis Angliæ Henrici filio obtulerat.

Approbatæ fuerant conditiones, omnia convenerant, nihilque deerat aliud, nisi ut quam primum Siciliæ possessionem pro filio suo Rex Angliæ acciperet, quod cum facturum esse quam citissime rebantur omnes.

Sed cum Henricus milites eo mittere distulerit in grave præjudicium Ecclesiæ, Manfredus Tarentinus Princeps Ecclesiæ adversarius *totaliter regnum occupavit, & inaudita tyrannide libertatem hominum oppressit.*

Inde magno comparato exercitu egressus inde Marchiam Anconitanam adortus est, manuque avidas extendit etiam ad ea loca Thusciæ, quæ Ecclesiæ subjacebant.

In cassum imploravit ab Henrico promissum auxilium S. Sedes.

Cum ergo nulla spes effulgeat ab Anglia liberandi Siciliam a Manfredi tyrannide, quoniam pactis non stetit Henricus, liberum est Ecclesiæ eligere in regem alium principem; quæ quidem conventio est in conventionibus propositis Henrico ab Alexandro.

Hoc regi non displicebit certe, cum noluerit oblatum regnum acceptare, neque defendere parvis impensis, cum illi facultas erat illud acceptandi, ac defendendi.

D. apud Urbem Veterem V. Cal. August. P. a. II. a. D. 1263.

Litteræ salviconductus Manfredo citato Romam datæ, ut eo veniat.

URBANUS IV. Universis Christi fidelibus. XXXIII. ExLunig. t. 4. p. 411.

Inc. *Olim in die, &c.*

Gravaterat Alexander IV. Romam ad Calendas Augusti Manfredum principem Tarentinum ad respondendum super quibusdam articulis, vel ut mitteret *solemnes procuratores cum sufficienti mandato super destructione civitatis Arianensis, quam per Saracenos fecit funditus dissipari, super interfectione indignissima Thomasii de Oria, & Thomasii de Salice, super crudeli, & prodigiosa occisione Petri de Calabria Comitis Catanæani, & horrenda effusione sanguinis multorum fidelium, & super eo quod in derogationem auctoritatis ecclesiasticæ, & in ipsius destructionem fidei sibi fecit, & facit hactenus sibi publice celebrari.*

Manfredus intra datum terminum nec per se, nec per procuratores, comparuit, ac proinde ut contumax fuerat ab Alexandro excommunicatus.

Tum alios excessus addidit; *ritus Saracenorum in suis quotidianis obsequiis tenet, & eos ritibus Christianis præfert*, regnum Siciliæ ad servilem statum redegit; incolis imponit intolerabiles exactiones, diram necem intulit proximis sibi sanguine; & *alios infames excessus commisit de quibus manifesta infamia denotatur.*

Manfredus ad Urbanum misit nuncios, qui *studuerunt eum multipliciter excusare.* Quibus auditis constituit Urbanus processus instituere ad octavas festivitatis B. Martini.

Interea temporis misit Manfredus Nuncios ad Pontificem, qui eidem significarent, nolle se negotium tam grave cuiquam committere, sed velle se comparere ante Pontificem, proinde rogare, ut sibi *securitas, & plena licentia* eundi per statum Ecclesiasticum daretur.

Quam quidem licentiam de consilio Fratrum illi Urbanus dat.

Sed quia Manfredus *temerarius* est, & potest hoc prætextu secum ducere armatos, & Ecclesiæ loca vexare, vult Urbanus, eum jurare, se non ducturum neque in veniendo, neque in redeundo armatos, neque molestaturum loca, & subditos Ecclesiæ Romanæ.

Proinde non possit ducere secum nisi octingentas personas, & inter eas centum tantum armatos; si cum pluribus veniet hostis judicabitur.

Etiam in eadem terra, vel in veniendo, vel in redeundo morari non possit nisi per dies octo.

Quod si plures armatos duxerit, si plures dies morabitur, & turbas excitabit, excommunicatus esto.

D. apud Urbem Veterem III. Id. Nov. P. a. II. a. D. 1263.

„ Manfredus hic an. 1266. victus fuit apud S. Germanum a Carolo I. tum die Veneris XXVI. Fe„ bruarii apud Beneventum. Hanc victoriam scripsit „ Carolus Clementi IV. Litteræ Caroli sunt apud Lu„ nig. t. 2. p. 970. „

Rex Galliæ oratur excipere Legatum A. in Galliam missum de negotio Siciliæ.

XXXIV. EkI unig. t.2.p.434. URBANUS IV. Ludovico Francorum Regi.

Inc. *Ecce fili, &c.*

CUm summæ curæ esset Pontifici Manfredum reprimere Ecclesiæ statum labefactantem, ejusque ditiones divexantem, & Rex Angliæ gravissimum bellum perferendum contra Manfredum videns regnum acceptare noluisset, animum convertit Urbanus ad Ludovicum Gallorum Regem;

Cui omnia mala a Manfredo patrata, in præcedente proxime constitutione sunt narrat Urbanus Regi. Inter hæc mala amplificatur immunitas Ecclesiastica violata, tributa Ecclesiasticis imposita.

Nunc autem, inquit Pontifex, cum scivit agi cum Rege de transferendo Siciliæ regno in Carolum Andegaviæ, & Provinciæ comitem, Germanum regis, Manfredus furore percitus omnia sus deque perturbat, nihil sacri, nihil sancti, nihil pensi habet, non Dei, non hominum est illi timor.

Hæc ad eum tam miseranda scribit Pontifex, quia novit ejus viscera misericordiæ, ejusque devotionem in Romanam Ecclesiam indignam, quæ talia patiatur.

Eum igitur rogat, ut quamprimum negotium de Siciliæ regno cum Cardinali tit. S. Cæciliæ Sedis A. Legato transigat; mittatque illico in possessionem regni Carolum.

Significat etiam Regi Urbanus, se mandasse Cardinali, ut discordias inter Reginam Margaritam Regis uxorem, & Carolum Andegaviensem ortas ut Angelus pacis sedet, *ne earum prætextu* negotium tam salubre differatur, vel impediatur.

D. apud ... V. Non. Maji P. a. III. a. D. 1264.

Rogatur rex, ut pecuniam Fratri Carolo suppeditet.

XXXV. Ib. p. 935. URBANUS IV. Ludovico &c.

Inc. *Etsi sufficere, &c.*

COgnitio necessitatum oratio est validissima pro impetratione. Quibus in angustiis Ecclesia sit, jam significavit superioribus litteris Urbanus Ludovico. Ingenti ergo pecuniæ vi opus esse ejus Fratri Carolo, ut negotium, quod præ manibus est, perficiat, aperte videt.

Videt etiam acceleratione opus esse; sed nihil fieri potest, nisi pecunia Carolo subministretur.

Ne velit Rex in hoc Fratri, Ecclesiæ, Christianitati deesse; de his enim omnibus agitur.

Cæterum ut magis regem permoveat, obligat decimam Ecclesiarum regionum Caroli pro pecunia, quam ipse Fratri Carolo dabit; quæ quidem cum collecta a fratre fuerit, eam ad Regem mittet.

Nulla est chronologica nota.

Rex oratur, ut assistat Fratri contra Manfredum.

XXXVI. Ibid. URBANUS IV. Ludovico &c.

Inc. *Ad serenitatis, &c.*

JAm Carolus Romam venerat exceptus a Romanis summa cum reverentia, quibus pro sua innata bonitate promisit Carolus, se illis auxilium laturum, defensurumque esse Ecclesiam, repressurumque Manfredum, qui eamdem Ecclesiam divexabat.

Sed *non hostis horrens insidias, nec vitans pericula maris innumera, sed sub fiducia Dei, & inani virtutis audacia incerto ventorum se committens imperio Romam sine pecunia, & equis, cum decenti tamen comitiva hominum pervenerat Carolus.*

Sicut timuerat maximopere Manfredus cum audivit Carolum iter suscepisse, ita nunc lætatur eum esse sine pecunia, sine numis, collectisque undique militibus, factaque societate cum Mediolanensibus audacior factus & regnum, & Ecclesiam opprimet.

Ludovicus frater videt fratris Caroli conditionem. Ne illi desit; in Ludovico Romanorum, Ecclesiæ, Caroli spes omnis est; mittat quam primum pecuniam.

Iterum illi exhibet exactionem decimarum, quæ facienda erat propediem a Carolo, quæ Regi dabitur pro commodata fratri pecunia.

Desunt notæ temporis. Sed datæ sunt an. 1264.

Rationes, cur Edmundus non possit prætendere ad regnum Siciliæ.

CLEMENS IV. ad p. r. m. XXXVII. B.M. p.3. vel t. 9. in addenda p. 54. B.R. t.3. p. 2. p. 425. C.C.

Inc. *Olim regno, &c.*

NArrat fuse Clemens, regnum Siciliæ fuisse oblatum Edmundo Regis Angliæ filio ab Innocentio IV. & conditiones appositas fuisse acceptatas.

Alias conditiones fuisse additas ab Alexandro IV. & has quoque fuisse a rege approbatas.

Tempus etiam inter partes præscriptum fuerat, intra quod eas conditiones adimpleret Rex.

Sed cum nullam infra assignatum tempus adimplevisset Henricus, imo nullam toto Pontificatus Urbani IV. tempore, quod fuit annorum trium, Clemens declarat, irritam esse concessionem regni Siciliæ factam Edmundo, nec illi, & patri ejus ullum jus in illud superesse.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Perusii IV. Cal. Mart. P. a. I. a. D. 1265.

Pacta, quibus conceditur Siciliæ regnum.

CLEMENS IV. ad p. r. m. XXXVIII. Ib. p.56.

Inc. *Cum jamdudum, &c.*

CAroli Comiti Andegavensi, & Provinciæ initio statim fuerat oblatum regnum Siciliæ in feudum. Jam enim statuerant Pontifices Svaviæ domum ex eo regno ejicere; ita ejus in Ecclesiam demeritis exigentibus.

Accepturus erat oblationem Carolus, cum eligitur Senator Urbis, quæ dignitas in conditionibus apposita erat, ne uniretur cum regio titulo; & quamvis Pontifex ad eum scripsisset, ut huic dignitati renuntiaret, noluit, & ad urbem venit.

Igitur invitatus fuit ad regnum Edmundus secundugenitus Henrici III. Anglorum Regis. Jam omnia convenerant; jam ultro citroque missi fuerant Legati.

Jamque de die in diem spes erat, fore ut Henricus inciperet promissiones suas adimplere, præcipue de solvenda pecunia, *cum gravis, & amara turbatio Educendo primogenito a subditis suis hostiliter subactis est exorta*; Edmundus autem pene advenit in hostium potestatem; quare *Pater eidem assistere non potuit sua per suos libertate privatus.*

Quia tamen nolebat Alexander afflicto Patri afflictionem addere, licet non adimpletæ fuissent statuto tempore conditiones, tamen prosequutus negotium est, præcipue cum jam res Angliæ ad pristinum statum redierant.

Ergo nova pacta fuerunt inita, novæ appositæ conditiones, novi termini; intra quos omnia essent adimplenda, conventus assignati.

Sed cum ne hac quidem vice eas Henricus conditiones adimplevisset, Urbanus declaravit, liberum sibi esse illud regnum alii offerre. (vid. supra *non solum*). Quod etiam declaravit Clemens. (v. s. *olim regno*).

Hic enimvero nullæ erant caussæ, cur Henricus tergiversaretur præstare conditiones: nullæ discordiæ, nulla bella, nulla dissidia eruperant. Nulla etiam causa esse potest, cur queratur, regnum fuisse alteri oblatum;

Ergo Pontifex, totumque Cardinalium Collegium in eo fuit, ut considerarent, quemnam potissimum de illo investirent; nullusque potior visus, quam Carolus Comes Andegavensis, ad quem legatus missus fuit cum his conditionibus:

I. Ut civitas Beneventana cum omnibus juribus, & pertinentiis suis retineretur a S. Sede, sicut hactenus eam retinuit;

II. Neque in bona ejusdem Ecclesiæ Rex, & ejus heredes, quæ sunt hac illac dispersa, ullam habebit auctoritatem;

III. Ad resistendum, a Beneventanis tamen ipsam Ecclesiam Rex, & heredes *per septennium pro lignaminibus exponent nemora, silvas, &c.* Omnia privilegia illi confirmabit Carolus, & revocabit gesta quæcunque a Friderico contra libertatem ejus Ecclesiæ.

IV. Totum reliquum regnum dabitur eidem Comiti, & ejus heredibus.

V. Si absque liberis Comes decedat, possit ei succedere duntaxat frater ejus Alphonsus Pictaviensis Comes, qui si non sit superstes morti Caroli, succedet Filius Ludovici Galliarum Regis secundo genitus. Si nullus erit Ludovico filius, succedat filius Alphonsi. Neutro habente posteros devolvatur regnum ad Ecclesiam.

VI. Persolvent Comes, & heredes in festo die BB. Petri, & Pauli S. Sedi annuatim octomillia unciarum auri ad pondus ipsius regni; si eo die non solvent, expectetur solutio per duos menses; si intra eos non satisfecerint, sint excommunicati; si intra alios duos menses itidem non solverint, totum regnum interdicetur; si neque in tertio termino intra duos alios menses, censeantur cecidisse a feudo, & Ecclesia ad libitum de illo disponet.

VII. Etiamsi ad adventum Caroli non omnes urbes ei parebunt, tamen solvet *per diversos terminos statuendos quinquaginta millia marcarum sterlingorum*, quam quantitatem si Rex non solvet intra præscribendos terminos liceat Pontifici adhibere censuras.

VIII. Quolibet triennio Rex solvet *Palafridum album* in signum veri dominii S. Sedi.

IX. Indigenti Ecclesiæ Rex mittet in auxilium, quo necessitas postulabit, in ditionem Ecclesiasticam trecentos milites equis, & armis instructos propriis stipendiis per tres menses integros semel in anno.

X. Ipse, & ejus successores Pontificibus Romanis homagium ligium præstabunt.

XI. Neque Carolus, neque ejus successores ullam partem ejus regni divident,

XII. Apponitur formula juramenti præstandi a Carolo, & a successoribus, quæ continet supradicta capita.

XIII. Jurabit Carolus, & ejus successores, se neque directe, neque indirecte curaturos, ut eligantur in reges, & Imperatores Romanorum. Articulus hic convenit cum articulo IX. pactionum initarum cum Edmundo.

XIV. Jurabunt, se non affecturos dominium Lombardiæ, nec Thusciæ.

XV. Si unica filia sit superstes, & heres regni, nubat cuicumque Catholico principi, sed non ducat Regem Romanorum, aut Imperatorem; aut si postea eligetur Imperator renuntiet regno Siciliæ.

XVI. De Ecclesia Beneventana idem injungit Clemens quod Alexander IV. artic. XI. v. supra.

XVII. Res ablatæ Ecclesiis Regularium, & sæcularium integre restituentur immobiles, mobiles illæ quæ extant.

XVIII. Omnes personæ Ecclesiasticæ libere juribus, suisque privilegiis, & immunitatibus utantur.

XIX. Revocet Carolus omnes constitutiones factas in præjudicium Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum ab Imperatore Friderico, & postmodum a Manfredo Tarentino principe.

XX. Promittat Rex, nullum Clericum citandum esse ante judicem sæcularem, nisi in petitorio cum agetur de feudis;

XXI. Nullas tallias, & collectas impositurum se Ecclesiasticis bonis, & personis;

XXII. De vacantibus Ecclesiis nulla regalia se habiturum, nullos percepturum fructus;

XXIII. Universis incolis regni se restituturum eas libertates, quibus gaudebant tempore Guillelmi secundi regis.

XXIV. Omnes exules a regno se revocaturum ad mandatum Ecclesiæ, eorumque bona se illis restituturum;

XXV. Se nullam societatem initurum cum Græcis, Saracenis, Catholicis contra Ecclesiam Romanam;

XXVI. Se liberaturum omnes obsides, & captivos, & detentos in carcere subditos S. Sedi, regnicolas,

XXVII. Se ratas habiturum concessiones factas in regno Riccardo Comiti Sorano Fratri Germano Innocentii IV. comitatus Sorani, & aliquibus aliis fidelibus.

XXVIII. Carolus *descendet in regnum cum mille ad minus ultramontanorum militum comitiva, qui habeant quatuor equitaturas, trecentos balistrarios, & totidem bellatores.*

XXIX. Sic munitus a die, in quo fiet investitio,

infra tres menses immediate sequentes sit in terris conterminis regni Siciliæ; nisi in Italia ab hostibus impediatur.

XXX. Si intra hos terminos non aderit, liberum sit Pontifici alium in regem eligere,

XXXI. Conditiones appositæ Carolo censeantur præscriptæ etiam ejus heredibus.

XXXII. Postquam Carolus has conditiones receperit, Pontifex concessionem, seu investituram dabit.

XXXIII. Post acceptam investituram juret Romanis, *se non recturum ad vitam urbem.* Erat enim Senator.

XXXIV. Juret, se curaturum reducere ad suam obedientiam partes regni rebelles.

Juramentum hujusmodi præstabit Carolus coram viris fide dignis.

Pontifex, & Cardinales se subscribunt.

Actum Perusii IV. Cal. Mart. P. a. I. a. D. 1265.

Carolus regno Siciliæ investitur.

CLEMENS IV. Carolo Siciliæ regi. XXXIX. Ib. p. 65. B. R. t. 3. p. 1. p. 438. C.C.

Inc. *Constituti ab eo, &c.*

EXaminatas conditiones a Pontifice præscriptas missas per Archiepiscopum Cosentinum, & magistrum Petrum notarium, cum jurasset se observaturum Carolus, Pontifex eum de regno Siciliæ per præsens diploma investit cum conditionibus, quas modo diximus quæ repetuntur.

Requisivit autem Carolus confirmationem hujus investituræ;

Quam dat Pontifex declarans, successores Caroli si conditionibus deerunt, fore excommunicatos, & eorum terras interdictas, & si quidquam his conditionibus derogabunt.

Afferuntur litteræ quatuor Cardinalium, quorum unus erat Episcopus, unus ex ordine presbyterali, duo ex diaconali, missorum a Pontifice, ut Carolum infeudarent; in quibus litteris continetur formula ipsius infeudationis.

Afferuntur itidem litteræ Pontificis, quibus iisdem Cardinalibus mandat, ut Carolum infeudent.

In his litteris Pontifex Cardinalibus exponit rationes, quibus impellitur ad investiendum regno Siciliæ Carolum; suntque virtutes Caroli; ejus potentia, ejus cum Rege Galliæ germanitas, defensio Romanæ Ecclesiæ, ejusque ditionum, repressio rebellium, Manfredi præcipue;

Etiam refert conditiones, quas eidem præscribit;

Seriem successorum in regnum, a quo illegitimi excluduntur,

Formulam juramenti apponit, quam in eorum manibus Carolus dabit;

Illi inculcat Pontifex præcipue juramentum de non acceptando imperio neque dominio Thusciæ, & Italiæ.

Minore existente rege, & regis, & regni tutelam S. Sedi reservat;

Uno verbo repetit pene iisdem verbis conditiones, quas jam ad Carolum miserat, quarum summam cum ediderimus, plura dicere supersedemus.

Monet Cardinales, ut Carolum inducant *ad protestandum, se ex mera S. Sedis liberalitate* illud regnum in feudum accepisse.

Actum Romæ apud Lateranum in Basilica S. Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana ante sacratissimum Altare ipsius Basilicæ decimoquinto Calendas Julii anno Domini 1265. Pontificatus vero prædicti Domini Clementis Papæ IV. an. I.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Perusii per manum magistri Michaelis de Tolosa S. R. E. Vicecancellarii secundo nonas Novembris indictione nona Incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo sexagesimo quinto. Pontificatus vero Domini Clementis Papæ quarti anno primo.

Cardinales docet Clemens, cur Carolum Andegavensem in regem elegerit.

CLEMENS IV. Cardinalibus, &c. XL. Ib. p. 447. C. C.

Inc. *Rex Regum, &c.*

REgum Franciæ, unde descendebat novus Rex Carolus, pietatem, religionem, in Catholicam fidem

dem obsequium in causa fuisse, ait Clemens, cur dederit regnum Carolo, sperans æmulaturum illum tot majorum suorum illustres virtutes.

Quia autem postulavit idem Carolus, ut ipse, & uxor sua coronarentur, mandat præfatis Cardinalibus, ut regium diadema illis imponant *in nomine, in virtute Altissimi*;

Monetque eos, ne ullo modo prætermittant exigere ab illo homagium ligium.

D. Perusii IV. Cal. Janu. P. a. II. a. D. 1265.

Significatur Carolo, mandatam esse Cardinalibus ejus coronationem.

XLI. Ib. p. 448. C. C. CLEMENS IV. Carolo Siciliæ Regi.

Inc. *Odorem agri, &c.*

Significat Pontifex Carolo, se ejus voluntati obsequi volentem mandasse quatuor Cardinalibus, ut illum ejusque uxorem coronent *solemniter*;

Eum monet, ut homagium præstet.

D. Perusii III. Cal. Janu. P. a. I. a. D. 1265.

Gratulatio de relata a Carolo victoria.

XLII. Ex Raynaldo ad an. 1266. §. 17. CLEMENS IV. Carolo Siciliæ regi.

Inc. *Favus paternæ, &c.*

INsignem victoriam Carolus ex hostibus retulerat; Manfredus in pugna ceciderat, alia hostium capita partim pugnantium interierant, partim capta fuerant, parvæque restabant adhuc hostium reliquiæ. Laureatas litteras cum quibusdam signis militaribus misit ad Pontificem Carolus,

Clemens nuntium hujus victoriæ accepit summa cum voluptate; videbat enim liberam Ecclesiam, liberumque e tot hostibus Carolum.

Eum itaque summis laudibus extollit Clemens, ejus prudentiam, scientiamque rei militaris commendat;

Tum quædam præcepta pulcherrima illi dat (aliis litteris diebus paucis post.)

Nulla est victoria, si illa bene non utatur, & secundum ordinem; quoniam Deo eam debet referre acceptam, efficiat ut fructus victoriæ primus redundet in Ecclesiam: ablata ex Ecclesiis ab hostibus Ecclesiis restituat; hic leviter Carolum perstringit, qui quædam jura Ecclesiastica violarat.

Ostendat se amicum omnibus; dicebatur enim, *quod suos Provinciales emerat tanquam in servos ad onera*; se enim male habitos milites videntes non eo pugnant ardore, quo pugnarent, si amarentur.

Merita militum compenset; fama enim erat; eum severissime punire quælibet errata; nulloque præmio afficere pulcherrima facinora.

Curet, ne populi a ministris premantur; facile enim populorum animi alienantur, & rebellant.

Quoniam bonos consiliarios habet, eorum consilia sequatur; non imprudentes, & præcipites audiat.

Ordinet etiam domum suam; nam fama erat, tot in ea esse dominos, quot sunt capita.

D. Viterbii X. Cal. oct. P. II. a. D. 1265.

De Conradino ejusque sociis.

XLIII. Ad ann. 1266. §. 2. CLEMENS IV. Communi, &c.

Inc. *De radice, &c.*

EX venenoso serpente egressus Conradinus simul cum Guidone Novello, Conrado Trincia, & Conrado de Capocia & multis aliis viperarum geniminibus inclitis proditoribus contra Carolum Siciliæ regem insidias struxerat; mittit ad civitates, ad castra, ad terras fautores suos, qui spargentes contra Carolum, & contra Ecclesiam mendacia conantur subditos subornare, & ab iis avertere.

Non cessant clam, & palam conducere Theutonicos, inire fœdera, conjurationes, & pacta, qui pari scelere sunt polluti.

Quare omnes monet Clemens, & præcipue Florentinos, ne se verbis decipi sinant, sed Conradino, & ejus fautoribus resistant.

D. Viterbii IV. Id. Apr. P. a. III. a. D. 1267.

Conradinus Imperium affectans publicetur excommunicatus.

CLEMENS IV. VVernhero Archiepiscopo Mogunt. XLIV. Ex Lun. t. 2. p. 942.

Inc. *Fundata domus, &c.*

LAudat initio statim Clemens Ecclesiæ Moguntinæ dignitatem, quæ plurima accepit a S. Sede privilegia; unde fit ut ejus prælatis exequendis Pontificiis mandatis promptiores esse debeant.

Quantum Ecclesiam flagellaverit, quantum eam concusserit domus Imperatoris Friderici, testis est Alemannia ipsa; jure proinde, meritoque fuit imperio, & regno Siciliæ spoliatus. *Omnibus e medio sublatis filiis in domo tanti nominis unica tantum scintilla remansit ætatis adhuc teneræ, prœmaturæ tamen malitiæ; qui ausu temerario* infringere conatur, quæ in sacro Concilio contra ejus Avum Innocentius fecerat, & definiverat; & conjunctus *cum aliquibus Ecclesiæ inimicis Lombardis, Marchianis, & Tuscis, Apulis, & Siculis* ea facere in Ecclesiam tentat, quæ ejus Avus patrarat, immemor Ecclesiam eum spoliasse imperio, & regno, neque animadvertens posse se ab eadem omnibus honoribus, & bonis spoliari,

Jam magna cum indignatione audierat Pontifex agitari inter principes imperii de electione Conradini in Imperatorem; dicendum est, eos principes esse immemores sui juramenti; nescire litem inter duos competitores Regem Castellæ, & Regem Cornulliæ coram Pontifice pendere.

Cæterum denunciet Archiepiscopus excommunicationem principibus, si Conradinum nominabunt,

Qua eo quod est jam excommunicatus, apertusque hostis Ecclesiæ eligi non potest.

D. Viterbii XIV. Cal. oct. P. a. II. a. D. 1266.

„ Alias duas Bullas hujus generis v. in c. de Impe-
„ ratoribus *firma profecto, postquam supernus*. Conradi-
„ nus captus fuit in bello a Carolo I. Siciliæ rege, &
„ capite plexus publice. „

Dedaratur, Conradinum decidisse Siciliæ regno.

CLEMENS IV. ad p. r. m. XLV. B.R. t. 2. p. 2. p. 456. C.C.

Inc. *Dudum ad Apostolicæ, &c.*

QUamvis Pontifex Siciliæ regnum Carolo Provinciæ Comiti dedisset, Conradinus tamen appellari regem Siciliæ volebat, & quamvis præcepisset eidem Conradino, ne se ita appellaret, tamen parere prorsus nolebat.

Præceperat etiam Clemens Marchionibus, nobilibus, populoque ejusdem regni, ne illi adhærerent, neve opitularentur sub excommunicationis pœna.

Idem præceperat ejus Regni prælatis sub suarum dignitatum, beneficiorumque amissionis pœnam.

Quam inobedientiam, contemptumque excommunicationis videns Clemens diem Conradino indixit, quo ante Pontificem se purgaret.

Venit ex Germania in Italiam Conradinus, cui ingressum in eam vetuerat Pontifex, modo non veniret se purgatum.

Sed violavit Clementis præceptum, Veronamque se contulit.

Pontifex proinde ut inobedientem eum excommunicat cum illis omnibus, qui ei adhærebunt.

Jussit, ut Verona, & tota Italia recederet neque regnum Siciliæ tanquam suum jactitaret, ei minitans, se illum privaturum omni jure, si quod haberet, in regnum Hierosolymitanum.

Pœnas ejus exequutoribus denunciatas se executurum indicit.

Nihilo tamen minus Conradinus & in Italia permansit, & Papiam cum armatis ingressus est, & se regem Siciliæ jactavit, spretis quibuscunque Clementis monitis, minisque.

Ergo Pontifex eum privat omni jure in regnum Hierosolymitanum, sicut omnibus dignitatibus, honoribus & privilegiis privat ejus fautores, asseclasque, populosque ei subditos ab juramento fidelitatis absolvit.

Eum intra mensem ad suam præsentiam citat, & nisi pareat, eum inhabilem ad omnia regna, ad omnes terras possidendas declarabit.

Ean-

Eandem pœnam privationis bonorum denuntiat ejus fautoribus, inter quos Bavariæ Dux, & Comes Tiroli erant.

Interdicto subjicit loca, quæ Conradino favebant.

Hasque omnes censuras a solo Romano Pontifice absolvi vult.

Actum in Palatio Viterbiensi Die V. majoris hebdomadæ P. a. IV. a. D. 1268.

„ Conradinus edidit Apologiam, ea est apud Lunig.
„ t. 2. p. 938.

Gravius admonetur Carolus de frenanda militum licentia.

XLVI. Ad ann. 1268. §. 36. CLEMENS IV. Carolo, &c.

Inc. *Frequenter ante, &c.*

„ VIctoriam egregiam obtinuerat contra Conradi-
„ num Carolus, ipsum Conradinum ceperat, ce-
„ perat Fridericum Austriæ ducem, Henricum Fra-
„ trem Castellæ Regem, Galvanum aliosque. Frideri-
„ cum, & Conradinum publice Neapoli securi percuti
„ jussit. Hæc immanitas in viros principes exercita
„ omnium mortalium odium in eum excitavit, Siculo-
„ rum præcipue ultra Pharum, qui deflorescere vide-
„ rant stirpem suorum regum tam misere; odium hoc
„ exacuit militum Caroli licentia, cui Siculi nunquam
„ alias fuerant sueti. Carolus enim ratus se non habe-
„ re alios hostes, permittebat milites, & aulicos suos
„ ad libitum vivere.

De hac licentia militari admonitus Clemens Carolum monuit, illique præsagiit quod annos paucos post illi evenit, nempe anno 1283.

Ergo se sperasse, scribit Carolo Clemens, fore ut malis Siciliæ afferretur tandem aliquando remedium per novum regem, at miseros cives ex infelici conditione, qua sub Sveviis vivebant, in deteriorem transiisse;

Quotidie Caroli officiales novas opprimendi populum rationes excogitare, quotidie injuriis gravioribus populum affici ab illius militibus, neque quemquam esse, ad quem confugiat, ut sui causæ patrocinetur;

Quotquot inde veniunt, Siculos esse miserrimos, Siculos opprimi esse omnium vocem;

Se mirari, quomodo fletus, clamor, gemitusque afflictorum Siculorum ad ejus aures non perveniant; videat ne fragor armorum, ne rebellantium ululatus tandem aliquando perveniat.

Ergo his malis medeatur, militibus licentiam inhibeat, justitiam incorruptam administrari faciat,

D. Viterbii II. Non. Nov. P. a. IV. a. D. 1268.

Narratur, quomodo Petrus Aragoniæ Rex occuparit Siciliæ regnum ultra Pharum.

XLVII. B.M. p. 3. vel t. 9. p. 81. MARTINUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Longa retro, &c.*

NArrat Pontifex, quomodo in Concilio Lugdunensi ob enormia crimina, ob violatam Ecclesiasticam libertatem, ob spretas Censuras Fridericus II. Imperio, & regno Siciliæ fuerit privatus.

Quod regnum tamen ejus filius Conradus nullo jure post ejus mortem occupavit.

Conrado mortuo successit Manfredus, quem non solum privatio Friderici a Concilio facta, sed nativitas ipsa illegitima eo regno privabat.

Is simulata tutela Conradini filii Conradi nepotis sui cœpit occupare urbes, & loca S. R. E. ditionis, ob quæ crimina fuit ab Alexandro IV. Tarentino principatu privatus, & omnibus aliis bonis. Sed Manfredus conficta Nepotis morte se in regem coronari fecit.

Jam Conradinus *a malitia suorum majorum non declinans* ad ipsum Imperii Romani fastigium aspiravit, insidias multas instruxit Carolo Andegavensi, quem S. Sedes Siciliæ regno investiverat.

Conradino e vivis sublato res erant in Sicilia tranquillæ, quiete regnabat Carolus: cum Panormitani cives juramenti fidelitatis præstiti Carolo obliti rebellarunt, & omnes Gallos, quos secum Carolus adduxerat, ratione sexus, & ætatis nulla habita, turpiter necarunt, & miserrime.

„ Facta fuit cædes hæc die Paschatis ad pulsum
„ campanarum vesperarum hora, unde *Siculæ vesperæ*.
„ Opera præcipue Joannis a Procida mota fuit hæc
„ seditio. „

Pontifex in festo Ascensionis Domini omnes rebelles excommunicavit, præcepit omnibus, præcipue Ecclesiæ subjectis Baronibus, Italiæque proceribus, ne in Carolum se moverent: si quicquam molirentur, minitatus est, se eos privaturum beneficiis, & suspensurum ab officio prælatos quoscunque, & laicos excommunicaturum.

Præcepit Siculis, Messanensibus, & Panormitanis præcipue, ne quemquam alium regem agnoscerent præter Carolum.

Sed Petrus Aragoniæ rex, ne suspicionem aliquam ingereret fingens se parare classem in Africam, dumque ita futurum, ut in Africam transfretaret, putabant omnes, repente in Siciliam movit, eamque occupavit, dictitans se hoc facere hereditario jure; habebat enim in uxorem Manfredi filiam. Exceptus lætissime a Siculis se Regem nominavit, subtraxitque in suis litteris Carolo Regis Siciliæ titulum.

Mercedem ejusmodi non merebatur Ecclesia a Petro, cujus Avus itidem Petrus fuit ab Innocentio III. coronatus, & regium nomen accepit, & censuale Aragoniæ regnum Romanæ Ecclesiæ fecit.

Hic fuse invehitur Pontifex in subdolum Petrum, quem, & fautores ejus excommunicat, & ejus Aragoniæ regnum interdicto supponit, omnique jure, si quod habebat in regnum Siciliæ, illum privat.

Nominatim inter fautores Petri recenset Michaelem Palæologum, illum, qui sub Gregario X. unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina fecerat (V. de Imperio Græco *exultet mater*) cujus Petrus erat nepos, quem ipse Martinus anno uno ante excommunicaverat, quod ab unione recesserat.

Etiam Martinus excommunicat, qui quoquo modo posthac Petro faverint, loca; urbes, quæ illum excipient, & regem colent, interdicit, nobiles bonis privat.

Et ab his censuris vetat ordinariis innodatos absolvere; solum mulieres possint ab illis absolvi.

Actum apud Montem Flasconem ante Ecclesiam S. Flaviani in Festo Dedicationis Ecclesiæ principis Apostolorum Pont. an. II. sub anno Domini MCCLXXXII. Ind. XI.

Excommunicatur Petrus, ni exeat Siciliæ.

MARTINUS IV. ad p. r. m. XLVIII. Ib. p. 89. B. R. t. 3. p. 2. p. 31. C. C.

Inc. *De insurgentis, &c.*

POstquam exposuit Pontifex admonitiones factas Petro, & ejus fautoribus, jam dictas in proxime superiori constitutione,

Cum nec Petrus discessisset e regno, nec ejus fautores destitissent eidem favere, denuntiatas pœnas in illum, & in hos infligit,

Easque publicari mandat ad omnium notitiam.

Actum apud Urbem veterem in platea dictæ majoris Ecclesiæ XII. Cal. Apr. P. a. II. a. MCCLXXXIII. Indict. XI.

Excommunicatur Insula, quod faverit Petro.

MARTINUS IV. Episcopo Reatino. XLIX. Ex Ludv. t. 2. p. 995.

Inc. *Nuper Ascensionis, &c.*

EPiscopo Reatino significat Martinus, se in die Ascensionis excommunicasse Petrum Aragoniæ Regem, quod Siciliæ regnum invaserit.

Ejus fautores,

Et omnes incolas Panormitanæ urbis, & Messanæ, & Agrigensi nominatim, & alios omnes insulanos,

Et Michaelem Palæologum;

Præcepisse prædicto Petro, ut exeat ex insula, præcepisse insulanis, ut Petrum deserant, ut Carolum regem defendant.

Et ad eum mittit exemplar duarum proxime superiorum bullarum.

D. apud Urbem veterem XII. Cal. Apr. P. a. II. a. D. 1283.

„ Veneti clanculum favebant Petro, ita de illis
„ scribit Martinus ad Carolum regem: *nonnulli de uni-*
„ *versitate prædicta* (Veneta) *damnabiliter a lauda-*
„ *bilibus prædecessorum suorum semitis deviantes, sicut*
„ *intel-*

„ *intelleximus, in eam prorumpunt temeritatis audaciam, quod non solum memorati Petri contra prædictam prohibitionem nuncios, vel litteras recipere, ipsique mittere non verentur, verum etiam alios, ne contra Petrum, & rebelles eosdem nobis, Ecclesiæ, ac Regi præfatis assistant, in nostrumve procedant auxilium contra illos malitiose impedire præsumunt.*

D. apud Urbem Veterem VI. Id. Junii P.a. III.a.D.1283.

„ Plura obstacula posuerant Veneti, ne Carolus princeps Salernitanus, qui expeditionem in Siciliam insulam meditabatur Classem Venetiis posset comparare, militemque conducere, Ita scribit idem Martinus Carolo.

„ *Nullæ Galeæ conductitiæ pro se haberi possunt Venetiis, quamvis Venerabilibus Fr. Bernardum Episc. Portuensem A. S. L. illuc propter hoc specialiter duxerimus destinandum.*

D. apud Urbem Veterem IX. Cal. Maji a. 1283.

Mandatur in Gallia Legato ad paciscendum cum Rege Galliæ de occupando Regno Aragoniæ.

L. B.M.p.I. vel t. 9. p. 91. MARTINUS IV. Joannis tit. S. Cæciliæ Presbyt. Cardinali.

Inc. *Qui regna, &c.*

IN punitionem usurpationis regni Siciliæ factæ a Petro Aragoniæ rege, & inobedientiæ mandatis Pontificiis, mandat Martinus Cardinali Joanni Nuncio Apostolico in Gallia, ut cum Rege Galliæ transigat de occupando Aragoniæ regno, & Comitatu Barchinonensi, & investiendo ejus secundo genito.

Apponit Pontifex conditiones, quas electus rex Aragoniæ servare debebit;

I. Ne regnum Aragoniæ, & Comitatus Barchinonensis ullo umquam tempore separentur;

II. Ne ullus illegitimus admittatur ad regnum,

III. Ut Primogenitus semper succedat,

IV. Si sint solæ filiæ, succedat primogenita,

V. Quæ nubat Catholico principi,

VI. Si Acatholico principi scienter nubet, Ecclesia Rom. administrabit regnum, & ipsa, & vir regno cadent,

VII. Si non sint filii Regi Galliæ, postquam absque masculis & feminis effloruerit stirps Aragoniæ, intra tres menses Rex Galliæ nominet aliquem, qui saltem quarto consanguinitatis gradu sit cum rege conjunctus,

VIII. Si intra hoc tempus rex non nominabit, teneatur eligere regem Pontifex,

IX. Eadem persona non possit esse Rex Galliæ, & Aragoniæ simul, nec rex Angliæ simul, & Aragoniæ,

X. Et si id contingat, eo ipso rex Regno utroque cadat,

XI. Omnes Ecclesiæ gaudeant iisdem libertatibus, quibus gaudebant ante,

XII. Electus Rex Aragoniæ nullam inibit cum Petro Societatem,

XIII. Reges Aragoniæ præstabunt S. Sedi homagium & juramentum fidelitatis,

XIV. Et quotannis eidem solvent quingentas libras parvorum Turonensium;

XV. Quod si intra præscriptum terminum rex eas non solvet, devolvatur regnum ad S. Sedem.

XVI. Apponit Pontifex formulam juramenti a Rege præstandi.

D. apud Urbem Veterem VI. Cal. Sept. P. a. III. a. III. a. D. 1283.

Rogatur Angliæ Rex, ut singularem pugnam inter Reges Carolum, & Petrum impediat.

LI. Ib. p. 94. MARTINUS IV. Eduardo Angliæ Regi.

Inc. *Decet excellentiam, &c.*

REx Carolus provocaverat ad singulare certamen Petrum Regem, qui certamen acceptarat.

Pugnaturi erant in Vasconia; locus ille fuerat statutus, & ab utroque approbatus.

Martinus Regem Angliæ hortatur, ne permittat Reges Vasconiæ fines ingredi (suberat Vasconia Eduardo.)

Ut eum ad id vetandum moveat, mala hinc oritura exponit.

Ecclesiasticas censuras ei minitatur, ni id fecerit.

D. apud Urbem Veterem IX. Cal. Apr. P.a.III. a.D.1283.

Investitur Carolus secundogenitus regis Galliæ regno Aragoniæ.

MARTINUS IV. Carolo Regi Aragonum. LII. Ib.p.96.

Inc. *Dudum propter, &c.*

PRimum reddit rationem Martinus, quare duxerit Petrum privandum esse Aragoniæ regno; quam jam exposuimus supra,

Deinde respondet litteris, quibus Cardinalis Joannes scripserat Pontifici quid egisset de electione secundi geniti Regis Galliæ in Aragoniæ regem.

Anno D. 1284. Die XX. Mensis Februarii Rex Franciæ convocatis Parisiis Baronibus, & Prælatis rem omnem detulit.

Hi suaserunt, oblationem esse accipiendam.

Intromissus die crastina in consilium Cardinalis, rex, præsentibus filiis suis Philippo, & Carolo lectis universis, & singulis conditionibus, quibus Pontifex offerebat Aragoniam, illas approbavit, & se illas esse adimpleturum solemniter promisit.

Tum Cardinalis nomine Pontificis Carolum de regno Aragoniæ, & comitatu Barchinonensi investivit.

Carolus juramentum, omnes conditiones se esse servaturum, & fidelitatis S. Sedi præstandæ dabit, cum ad ætatem pervenerit.

Omnia hæc acta Martinus rata habet.

D. Cal. Mar. P. a. III. a. D. 1284.

Rogatur Rex Angliæ ut libertatem Caroli a Rege Alphonso impetret.

NICOLAUS IV. Angliæ Regi. LIII. Ib.p.99.

Inc. *Ad liberationem, &c.*

BEllo commisso inter Alphonsum Aragoniæ Regem filium q. Petri Siciliæ invasoris hinc & Regem Carolum inde, captivum Alphonsus fecerat Carolum Principem Tarentinum primogenitum Caroli I. Siciliæ regis a Siculis expulsi.

Pontifex igitur regem Angliæ orat, ut Alphonso persuadeat, ut illi libertatem det.

Dat. Romæ apud S. Petrum Id. Mart. P. a. I. a. D. 1288.

Conditiones factæ Carolo ut liberetur a captivitate.

NICOLAUS IV. Anglorum Regi. LIV. Ibid.

Inc. *Dudum ad procurandam, &c.*

HAs conditiones proposuerant Fratres Alphonsus, & Jacobus Carolo, ut liberaretur:

I. Ut sponte cederet Jacobo secundo genito q. Petri omnem insulam Siciliæ & alias insulas ab ea dependentes;

II. Ut induceret Pontificem ad revocandas censuras, quas in dictos fratres Alphonsum, & Jacobum, & Constantiam eorum matrem jecerat; (erat hæc Filia q. Manfredi Siciliæ Regis tutoris Conradini.)

III. Carolus daret Jacobo primogenitam suam in matrimonium, & primogenitus Caroli duceret in uxorem Islandam sororum ipsorum Alphonsi, & Jacobi.

Jam sub Pontificatu Honorii IV. hæ conditiones fuerant propositæ, quas ut nimis asperas Honorius rejecerat.

Instabat Maria uxor captivi Caroli pro viri liberatione apud Pontificem Nicolaum.

Sed cum conditiones Nicolao quoque viderentur nimis duræ eas approbare noluit.

Interea temporis præter expositas etiam hæ fuerunt adjectæ:

IV. Ut duos filios suos *majores post primogenitum* decem menses ante suam liberationem det obsides Carolus Alphonso,

V. Ut Carolos Alphonso det quinquaginta millia marcarum argenti, triginta millia in auro, & argento, viginti millia in securitate: faciat autem securitatem Rex Angliæ Regi Alphonso, idque fiat intra decem menses;

VI. Debeat ponere Carolus in manu Alphonsi primoge-

[illegible] suæ provinciæ [illegible]

[illegible],

[illegible]. Idem Carolus *faciat fieri homagium de provin[illegible] Alphonso, vel procuratori Alphonsi per Castel[illegible]rorum*.

VIII. Moriente [illegible] Carolo, vel ejus successo[illegible] prædicta ca[illegible] proxim[illegible] sanguine mortui;

IX. Et hic substitutus faciat de castro homagium Alphonso, & ejus heredibus;

X. Ita faciant villæ, communitates, Barones homagium Alphonso;

XI. Ante liberationem Caroli firmentur treguæ a Festo S. Michaelis, sicut factæ sunt inter Regem Galliæ, & prædictum Alphonsum.

XII. Treguæ fiant etiam inter Carolum, & Alphonsum per annos tres, & menses sex, post quas treguas nisi Carolus redierit in carcerem, neque post annum unum omnia hæc pacta adimplerit, obsides, & terræ provinciæ cadant in jus Alphonsi.

XIII. Carolus intra annum a liberatione debet curare, ne Ecclesia turbet Alphonsum, & Jacobum;

XIV. Rex Angliæ promittat, Alphonsum esse præstiturum omnia, si omnia præstabit Carolus;

XV. Carolus juret, *corporaliter tactis Evangeliis*, ante suam liberationem, & infra triduum a sua liberatione, se facturum pacem pro se, & pro Ecclesia cum Alphonso, & ejus successoribus;

XVI. Jurabit demum Carolus ante suam liberationem, se impleturum, & adimpleri facturum omnes conditiones suprascriptas.

Has, inquam, conditiones ut nimis duras rejiciendas esse decernit Nicolaus.

Dat. Romæ apud S. Petrum Id. Mar. P. a. I. a. D. 1288.

Hortatio ad Alphonsum, ut Carolum liberet.

LV. ex Lunig. t.4.p.439. NICOLAUS IV. Alphonso nato q. Petri Aragonum regis spiritum Sanioris Consilii.

Inc. *Si graves, &c.*

AD graves excessus, quos contra Ecclesiam Petrus patravit vult addere etiam alios Alphonsus. Nam in bello injusto captum Carolum in carcere detinebat, detinebatque etiam Siciliam titulo hereditatio Matris, quæ insula est de jure Ecclesiæ.

Eum ergo Nicolaus monet, ut Carolum, *sublato difficultatis obstaculo, plene restituat libertati*.

Neque Jacobo fratri suo occupanti Siciliam favorem, & auxilium præstet;

Et ut infra sex menses a receptione præsentium computandos compareat peremptorie coram Pontifice; alioquin contra illum spiritualiter, & temporaliter, prout qualitas facti suaserit, & expedire viderit, procedet.

Ceterum non ideo pœnas spirituales in eum, ejusque fautores per hanc monitionem, citationemque factam sublatas esse, Nicolaus intelligit.

Dat. Romæ apud S. Petrum Id. Mar. P. a. I. a. D. 1288.

Caroli liberatio commendatur rursus Angliæ Regi.

LVI. Ib.p.102. NICOLAUS IV. Angliæ Regi.

Inc. *A regali, &c.*

ITerum Regi Angliæ commendat Nicolaus Caroli liberationem, sed *per modos tamen honestos, & honori Romanæ Ecclesiæ congruos*:

Et inhonestatem, asperitatemque propositionum a Fratribus Alphonso, & Jacobo Regi Carolo pro liberatione illi ostendit.

D. Reate VII. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1288.

Conditiones liberationis Caroli confirmantur.

LVII. ex Lunig. t. 2. p. 1043. COELESTINUS V. ad p. r. m.

Inc. *Post commotionis, &c.*

QUæ mala evenerint postquam Siculi a Carolo I. rebellarunt, nam[illegible] Cœlestinus, occupatio Siciliæ, bella inter Reges, captivitas Caroli (qui fuit Carolus II. rex Siciliæ citra pharum) turbæ, rixæ, seditiones inter populos utriusque regis, homicidia, cædesque, & rapinæ. Tandem Deus harum ærumnarum humani generis misertus, pacem inter Reges Jacobum, & Carolum posuit per tractatum, qui sicut *tangit Pontificem, & Romanam Ecclesiam, ejusque in eo includitur interesse*, ita debet a Pontifice examinari, tum improbari, vel suscipi.

Hi porro sunt articuli;

I. Carolus promisit expresse, se effecturum, ut Pontifex relaxaret omnes censuras jactas in Jacobum, & Alphonsum, nec non Fridericum filios q. Petri, & quascumque alias personas Laicas, & Ecclesiasticas, & tolleret interdictum, cui subjecit urbes, terras, loca Alphonsi, & Jacobi; & deputaret ad has censuras tollendas aliquem de prælatis Regnorum Aragoniæ, aut Valentiæ, aut Comitatus Barcinonis;

II. Ut dispositio regnorum q. Petri facta a Pontifice Carolo secundo genito q. Philippi Regis Galliæ nihil Aragoniæ regi, ejusque heredibus, & successoribus noceat, tanquam facta non fuisset;

III. Ut ex ea dispositione regnorum Petri facta a S. Sede nullum jus eidem S. Sedi censeatur acquisitum in illa, sed sint libera sicut erant ante eam concessionem factam Regi Galliæ;

IV. Ut Ecclesia Jacobum, & Fridericum, eorumque adjutores, fautores &c. remitteret in gratiam, injuriasque ab iis acceptas illis condonaret;

V. Ut bona Ecclesiæ, locorum piorum, Ecclesiasticorum occasione invasionis Siciliæ, bellique rapta non nominerentur, nullaque compensatio quæreretur;

VI. Ut omnes insulæ incolas Ecclesia restitueret in pristinas dignitates, honores, beneficia, iisque de commissis veniam daret;

VII. Ut Pontifex in Insulam mitteret Nuncium, qui censuras tolleret, & irregularitates.

Jacobus vero promittebat,

1. Se restituturum Flios Caroli Ludovicum (is fuit Episcopus Tolosanus Ord. Minorum S. Francisci, postea Sanctus) & Robertum, & omnes obsides, & totam terram, urbes, fortalitia &c. omnes insulas citra pharum Isclam, Capuam, Procidam;

2. Se post tres annos completos incipiendos a Festo Sanctorum Omnium anno MCCXCIV. restituturum Ecclesiæ Romane omnem Siciliæ insulam, sicut eam tenuerat Carolus; Ecclesia tamen promittet antea, se nullam ultionem esse sumpturam a Siculis de injuriis illatis, & damnis factis;

3. Rex Siciliæ citra pharum promittet, se nullam ultionem percepturum a Siculis ultra pharum de injuriis, & damnis allatis Patri suo Carolo I. & ejus regnis; idem promittet Ecclesia;

4. Post restitutionem insulæ Ecclesiæ factam, Ecclesia *per annum unum eam tenebit in manibus suis*, nec illam ulli dabit *sine consensu ejusdem Jacobi de Aragonia*;

5. Si insula rebellis esset Ecclesiæ Romanæ, prædictus Jacobus suis impensis, suisque copiis debet eam ad obedientiam reducere;

6. Tempore autem restitutionis insulæ Jacobus possit secum ferre omnia bona mobilia, quæ sunt sui juris, suisque expensis fecit in illa;

7. Debebit idem Jacobus *assicurare Ecclesiam*, se meliori modo per eos tres annos completos facturum esse Ecclesiæ restitutionem insulæ.

Rogatus fuit a Carolo Pontifex, ut has conventiones confirmaret.

Pontifex advertens eversionem tot regnorum, effusionem Christiani sanguinis, animarum pericula, rationem habens precum regum Galliæ, & Siciliæ; volens demum providere recuperationi Terræ Sanctæ eas confirmat, & ratas habet;

Hanc tamen apponit conditionem, si Jacobus, vel ejus heredes post tres annos statutos exactos Siciliam Ecclesiæ non restituet, ut censeatur ipse, ejus adhærentes, ejus regna incidisse in censuras jam latas, revivisceré dispositionem Aragoniæ, & Comitatus Barchinonensis a S. Sede factam.

Demum declarat Pontifex, se nihil per præsentes litteras vel addere, vel detrahere de conventionibus initis inter Jacobum, & Carolum, de censu pecuniario persolvendo, de tempore solutionis faciendæ &c.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

Datum Aquilæ per manus Joannis Archiepiscopi Be-

[illegible]

neveniani S. R. E. Vicecancellarii Cal. Octobris Indictione VII. anno Domini MCCXCIV. Pontificatus Domini Cœlestini Papæ V. anno I.

Significatur Siculis, Jacobum restituisse jura S. Sedi.

LVIII. ex Lunig. t. 4. p. 451. BONIFACIUS VIII. Universis hominibus Panormitanis, aliisque Insulæ.

Inc. *Inter cætera, &c.*

SIgnificat Siculis Bonifacius, Jacobum Aragoniæ regem *juxta tractatus seriem Insulam Siciliæ, quæ juris & proprietatis Romanæ Ecclesiæ exiſtit cum omnibus juribus, & pertinentiis Ecclesiæ præfatæ restituisse, & ad cautelam Pontificis, & Ecclesiæ circa hoc se Pontifici fortiùs, & firmiùs obligasse.*

Etiam iis significat Bonifacius, se velle insulam illam regere, tollere malas consuetudines, corrigere mores &c. & consulere iis temporaliter, & spiritualiter.

Verum cum populus de facili corruat, ubi deficit gubernator, proponit insulæ regimen demandare alicui Cardinali; *propter quod quis de Cardinalibus sit illis acceptus, desciibant; curabit enim de ipso eorum affectibus complacere.*

D. R. apud S. Petrum IV. Non. Jan. P. a. I. a. D. 1295.

Jacobus restituitur in sua regna & jura.

LIX. R. R. t. 3. p. 2. p. 98. C. C. BONIFACIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Splendor gloriæ, &c.*

SUccesserat Petro, qui fuerat Siciliæ invasor ejus filius Alphonsus, & huic mortuo successerat Frater Jacobus, qui post varios tractatus pacem cum Rege Galliæ inivit.

Siciliam itidem insulam cum omnibus urbibus, & fortalitiis suis, & castris, & insulas ad eam attinentes, inter quas recensetur Multa, seu Melita, S. Sedi restituit.

Pontifex volens potius, Catholicos principes exercitus suos contra infideles movere, quam se mutuo offendere, tractatum, quo Rex Galliæ regnum Aragoniæ, & Comitatum Barchinonensem Jacobo cesserat, ratum habet,

Declaratque Bonifacius ex assignatione ejus regni, & comitatus facta a Nicolao IV. Carolo secundo genito q. Regis Philippi, nullum jus acquisitum in eas ditiones fuisse a S. Sede;

Quorum locorum nomine Jacobi, & ejus heredum per anulum dat investituram Pontifex Cardinali tit. S. Clementis in hoc procuratoris dicti Regis Jacobi personam sustinenti.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

Cardinales decem & octo se subscribunt,

D. Anagniæ per manum Magistri Petri de Piperno S. R. E. Vicecancellarii XI. Calen. Jul. Indict. VIII. Incarn. Dom. an. MCCXCV. Pontif. vero D. Bonifacii Pp. VIII. an. I.

Contra Fridericum Siciliæ Regem, ejusque assecias sententia.

LX. ex Lunig. t. 1. p. 2031. BONIFACIUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Dudum per felicis, &c.*

LIcet Jacobus renuntiasset insulam Siciliæ S. Sedi, ejus tamen Frater Fridericus in illius insulæ possessione persistere volebat; sicut quidam Siculi nolebant se Ecclesiæ submittere.

Pontifex ut Fridericum, & Siculos ad devotionem S. Sedis traduceret, solemnes Nuntios ad eos *de S. Sedis exuberanti clementia misit, quos iidem Fridericus, & Siculi inflati superbiæ spiritu admittere noluerunt, imo inhoneste eos tractantes, & prolatis comminationibus gravibus ejicere & repellere eos præsumpserunt in non modicum dictæ Sedis opprobrium, & contemptum.*

Jam Fridericus nonnullorum insania sustentatus, ductusque sua *non sine majestatis divinæ offensa, dictæ Sedis injuria, & Caroli* (II.) *præjudicio se regem Siciliæ eligi, inungi, coronari, seu verius execrari fecit. Et cum quibusdam Lombardiæ, Thusciæ, & Regni, aliarumque Italiæ urbium civibus se implicat commerciis fraudulentis.*

Eam igitur Friderici in regem Siciliæ electionem, inunctionem, consecrationemque irritat, cassat, nullamque haberi vult Bonifacius; præcipitque Friderico, ne se Siciliæ regem nominet, ne se in regimine illius regni immisceat, *nec utatur litteris sub hujusmodi expressione nominis, aut sigillo cum typario regiæ majestatis.*

Citantur autem ad Pontificis præsentiam, assignato termino omnes Friderici fautores laici, vel Ecclesiastici, cujuscumque sint dignitatis; quod nisi fecerint, subjaceant excommunicationi;

Quæ denuntiatur etiam illis, qui eidem Friderico quodumque auxilium, favorem, consilium præstabunt, qui quocumque modo contra Ecclesiam Romanam quicquam attentabunt, & contra Carolum se movebunt.

Revocat omnes gratias, indulta, privilegia data a quibuscumque Friderico, & Siculis, eorumque nullam rationem haberi vult.

D. Romæ in Basilica S. Petri in Festo Ascensionis Domini P. a. II. a. D. 1297.

Mandatum, ut tollantur censuræ contra Siculos latæ.

LXI. ex Lunig. t. 4. p. 457. BONIFACIUS VIII. Guillelmo electo Salernitano & Joanni Canonico de Castro.

Inc. *Illius exemplo, &c.*

NOlens ad exemplum Christi, cujus vices in terra Bonifacius sustinet, peccatorum mortem, misertus Siculorum infelicis conditionis vult potius eos salvare, quam perdere.

Carolus Francorum Regis filius, & Robertus Dux Calabriæ in Insulam Siciliæ descenderant, & prospere etiam contra Fridericum pugnabant.

Quare mandat Bonifacius prædictis prælatis, ut omnes rebelles, qui Ecclesiæ se submittent, absolvant a censuris; sint cujuscumque dignitatis, *præviso quod cum constitutis in Episcopali dignitate, & supra ad dispensationem hujusmodi non procedant.*

D. Anagniæ IV. Id. Junii P. a. VIII. a. D. 1302

Tractatus pacis inter Carolum de Francia, & Robertum Ducem Calabriæ hinc, & Fridericum inde confirmatur.

LXII. ex Lunig. t. 4. p. 457. BONIFACIUS VIII. Dilecto filio nobili viro Friderico Petri olim nimirum Aragonum regis Insulæ Siciliæ invasoris genito eamdem insulam continuato vitio tam obstinate, quam illicite detinenti.

Inc. *Dum noster, &c.*

JAm pugnaturi erant exercitus, cum inter Carolum Alanzoni, & Valesiæ Comitem, & Robertum Regis Siciliæ primogenitum Ducem Calabriæ hinc, & Fridericum inde tractatus pacis fuit habitus.

Tum oblatus fuit Pontifici; & per solemnes Nuncios ejusdem Friderici fuit a Pontifice petitum, ut illum confirmaret.

Bonifacius *pensans attente, quid sua, & Apostolicæ Sedis exigeret in hac parte decentia, quid utilitas suaderet*, tractatum inventum in multis informem rejecit, selegitque viam mediam, ut beneficiis Fridericum pertraheret; jussit enim eum absolvi, interdictum de insula removeri, super matrimonio contrahendo inter ipsum, & Eleonoram Filiam Regis Siciliæ dispensavit; & ad eum nuncios miserat, ut tractatum reformaret; Victor enim sæpe in præliis fuerat.

Fridericus misit oratores suos ad Pontificem cum tractatus forma.

In tractatu erat, ut Fridericus retineret sibi quoad viveret insulam Siciliæ liberam, & absolutam, nec teneretur alicui ad ullum servitium reale, vel personale; qui quidem articulus erat contra Ecclesiam; ergo correctus fuit, ut Fridericus debeat insulam habere, & recognoscere ab Ecclesia *sub annuo censu trium millium unciarum auri in festo B. Petri S. Sedi in manu Pontificis ubicunque fuerit solvendarum; & sub servitio centum militum* pro indigentia S. Sedis.

Quod si Fridericus non solverit intra præscriptum terminum, incidat in eas pœnas, quæ statutæ fuerunt cum Carolo Rege Siciliæ.

Fride-

Fridericus etiam inimicos Ecclesiæ debet habere inimicos suos, & amicos illius amicos suos.

Nullis novis exactionibus aggravabit Ecclesiasticos, & bona Ecclesiastica.

Licebit populo Romano ex Siciliæ portubus extrahere grana, victualia &c.

Etiam Fridericus voluerat in tractatu poni, ut si aliqua dubietas oriretur, staretur Pontificis sententiæ.

Ita correctum Pontifex tractatum confirmat.

Vult tamen, ne licet Fridericus se nominet Regem Trinacriæ, ullum præjudicium generetur Carolo, ejusque successoribus quoad regnum Siciliæ citra Pharum; sicut nec generari vult hominibus insulæ.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Anagniæ Die XII. Junii P. a. IX. a. D. 1303.

„ Jam tunc ardebant discordiæ inter Bonifacium, & „ Philippum Galliæ regem; a quo nullum auxilium „ contra Aragonios sperare poterat, sicut superiores „ Pontifices habuerant opem contra eosdem. Ut igitur „ haberet aliquem, qui esset Regis Francorum hostis „ amicusque suus, tam facilis Bonifacius concessit hoc „ regnum Friderico.

Testatur Pontifex, se accepisse juramentum fidelitatis a Friderici Procuratore.

LXIII. ex Lunig. t. 2. p. 1053. BONIFACIUS VIII. Friderico Regi &c.

Inc. *Ne rei, &c.*

SCribit Bonifacius Friderico, nobilem virum Conradum Auriam procuratorem ejusdem Friderici ligium homagium, & fidelitatis juramentum ejus nomine præsentialiter dedisse pro insula Siciliæ, ac aliis circumjacentibus insulis, quas a Pontifice, & ab Ecclesia ad vitam tenebat.

Apponitur formula juramenti.

D. Laterani VI. Id. Dec. a. 1303.

Mandatur Friderico, ut Clientis officia debita Ecclesiæ præstet.

LXIV. ex Lunig. t. 4. p. 479. BENEDICTUS XII. Friderico Trinacriæ regi spiritum consilii sanioris.

Inc. *Divinus amor, &c.*

EXprobat Benedictus mala non pauca, quæ Fridericus fecerat;

Jurarat se non invasurum terras Regis Siciliæ; & licet illi conjunctus esset affinitate Roberti terras invaserat; facta fuit postmodo pax inter Reges a Joanne XXII. tamen non dubitaverat rursus Roberti terras occupare. Incurrit proinde in censuras Fridericus, tamen eas nihili fecit. Ex investitione regni, quod etiam confirmarat juramento, debebat annuatim solvere S. Ecclesiæ censum trium millium unciarum auri; jam cessavit eum solvere.

Bona etiam Ecclesiastica occupavit, ecclesiarumque redditus in suos usus convertit; admisitque in insulam *non carentes fermento hæreticæ pravitatis*, schismaticos, apostatas, & alia multa fecit, quæ illum in fide possunt suspectum reddere.

Eum ergo paterne monet Benedictus, ut solvat Ecclesiæ, quod debet, & quod spopondit; se, ait, amare inclytam Domum Aragoniæ, se illum diligere, sed non posse suo deesse officio, suum negligere munus;

Eum monet, nisi in bonum tramitem redeat, se descensurum ad asperiora remedia, quæ vellet vitare,

Mittit ad illum Ebredunensem Archiepiscopum virum probitatis summæ, qui cum Friderico sermonem de rebus multis habebit; eumque hortatur, ut eum audiat, illique consulenti obtemperet.

D. Avinione IV. Non. Maji P. a. I. a. D. 1335.

Mandatur duobus Legatis, ut Fridericum a Sicilia dimittant, & censuris innodent.

LXV. lb. p. 487. BENEDICTUS XII. Gotio Patriarchæ Constantinopolitano, & Raterio Episcopo Vasionensi.

Inc. *In agro, &c.*

REm totam ab initio desumit Benedictus; nempe ab usurpatione Siciliæ facta a Petro, restitutæque *Const. Pontificiarum.* Tom. II.

ab Jacobo ejus filio, & occupatæ a Friderico, tractatus pacis factos, & infractos semel, & iterum, usurpata Ecclesiarum bona, amicitiam cum malis hominibus &c. quæ omnia jam sunt superius exposita, recensetur;

Juramenta facta, sed non servata, solutionem census promissam, sed non præstitam &c.

Amicitiam habet cum Ludovico Bavaro, quem jam scit esse censuris innodatum ab Joanne XXII. & ad eum misit Petrum primogenitum suum *cum non modico stolio Galearum*, & quacumque per terras Roberti Regis pertranstit Petrus, per eundem Petrum fecit loca Roberti diripi; bona Ecclesiarum diripuit &c.

Paterne ad Fridericum Benedictus scripsit eum monens, eum hortans ut ab incepta via pedem referret, ne jura Ecclesiæ violaret, ut staret juramentis; quod nisi fecisset, illi Ecclesiasticas pœnas est minitatus.

Non est his contentus Fridericus. Cum enim accepisset a S. Sede insulam Siciliæ possidendam quandiu viveret, ille testamentum fecit, quo heredem illius regni facit prædictum Petrum filium suum. Quod tamen testamentum cassat, & irritum esse Benedictus decernit, quia non est Siciliæ Fridericus Dominus.

Cum igitur tot mala patrarit Fridericus, videaturque malis mala pejora esse additurus, nec se unquam correxerit, mandat præfatis Legatis Pontifex, ut declarent devolutum ad S. Sedem regnum Siciliæ, privent, que regno, & titulo eum; & ejus primogenitum Petrum, aliosque filios, declarent nullum jus habere in regnum, quod est juris, & proprietatis Romanæ Ecclesiæ; de quo investitum vult Robertum Siciliæ Regem verum, & directum feudatarium Ecclesiæ.

Interim erat mortuus Fridericus, & ejus filius Petrus artibus omnibus studebat, ut fieret Rex.

Liberantur a fidelitatis juramento, si quod Petro dederant Populi; jubenturque prælati prædicti terminum Petro, ejusque Fratribus præfigere, intra quem Siciliam cum insulis ad eam pertinentibus Roberto Siciliæ Regi dimittant. Quod nisi intra præscriptum terminum fecerint, excommunicentur.

Si obdurescant, priventur dignitatibus, honoribus, bonis, titulis &c.

Excommunicentur eorum fautores, adhærentes, consiliarii &c. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Avinione IV. Non. Jul. P. a. IV. a. D. 1338.

De tractatu pacis inter Joannam Siciliæ Reginam, & Fridericum Trinacriæ regem, & de jure S. Sedis in ea regna.

GREGORIUS XI. ad p. r. m. LXVI. ex Lunig. t. 2. p. 1143.

Inc. *Tractatum ipsum, &c.*

TRactatum fecerant Fridericus Trinacriæ Rex, & Joanna I. Siciliæ Regina; nam Joanna & Fridericus bellarant inter se. Tractatus hic missus fuit ad Gregorium, qui eum per quosdam Cardinales examinari fecit, & quia quædam erant omissa, voluit ea in illo poni; per eorum enim omissionem grave præjudicium inferebatur juri Ecclesiæ in ea regna.

Ergo providere voluit Pontifex, ut Joanna, & Fridericus *recognoscant ad Pontificem, & Ecclesiam Rom. spectare, & pertinere de jure directum dominium in toto regno Siciliæ tam ultra, quam citra pharum.* Quod si in his capitulis aliqua sint, quæ huic dominio directe, vel indirecte sint opposita, *ex nunc pro non appositis, & non adjectis illa habeantur.*

Hi ergo sunt articuli partim facti inter Joannam, & Fridericum, partim a Gregorio adjecti;

I. Proponitur formula juramenti, & homagii præstandi a Friderico, & ejus successoribus;

II. Fridericus, & ejus successores facient homagium, & juramentum fidelitatis Joannæ, *& successoribus suis ex suo corpore descendentibus legitime tantum;* si sine liberis ea moriatur, successores Joannæ in regno Siciliæ, successores Friderici in regno Trinacriæ secundum formam jurabunt; & hoc juramentum fiat intra annum.

III. Descendentes Friderici, & liberi utriusque sexus succedant in Trinacria, & insulis adjacentibus; mares semper præponantur feminis, majores natu minoribus, ita filiæ majores minoribus. Si filii, filiæque non sint ex utraque parte Friderici, & Joannæ, succedant Collaterales; si non hi sint, succedant collaterales sursum

usque ad quartum gradum, sub nomine feminarum veniunt nuptæ, innuptæque. Si nulla persona descendens existat, regnum Trinacriæ ad Joannam ejusque successores devolvatur; quod si nulli sunt heredes, devolvatur ad Ecclesiam. Si sit heres Trinacriæ puella nubet viro idoneo ad insulam defendendam, catholico cum consilio Pontificis. Etiam in feminis, deficientibus masculis, habeatur ratio primogenitarum.

IV. Si heres insulæ sit major annis XVIII. illam administret; si minor, sit sub administratione Pontificis pro tempore, & Ecclesiæ usque ad annos illos. Et fructus cumulati illi pertingenti eum annum dentur. Sed nullus illegitimus in hæc regna succedat. Nullus Rex dividat insulam, & insulas, rex unus illam, & has regat; nec infeudentur, aut alienentur terræ insularum, & regni *nisi in filios, & filiar* natos, & natas regis.

V. Rex Fridericus, vel ejus successores intra tres annos Ecclesiis, prælatis, Clericis, locis piis, & religiosis restituet bona iis ablata, & ad loca illa, vel illas personas spectantia. Hæc bona repetantur tunc cum Siculi rebellarunt contra Carolum I. nisi fuerint alienata jure, & modis a jure statutis. Ita restituet iis personis, iis locis suas immunitates, & privilegia. Et ne possit prætendi aliqua difficultas, viri discreti a Pontifice deputabuntur, qui rem omnem peragent sine strepitu, & de plano.

VI. *Omnes Ecclesiæ tam Cathedrales, quam aliæ regulares, & sæculares, necnon omnes prælati, & Clerici, ac universæ personæ Ecclesiasticæ sæculares, & religiosæ in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt; nec ante electionem, nec in electione, vel post Friderici, & ejus successorum in regno, & insulis, consensus vel consilium aliquatenus requiratur; quam utique libertatem ipse Fridericus, ejusque successores semper manutenebunt;* exceptis jurispatronatibus, & reservationibus, provisionibus, & ordinationibus Pontificiis.

VII. Omnes causæ Ecclesiasticæ in foro Ecclesiastico pertractentur, coram ordinariis, delegatis Apostolicis, & aliis Ecclesiasticis personis; quod si appelletur ad S. Sedem, nemo impediat appellationes. Prælati quorum antecessores jurarunt fidelitatem regibus, eam jurent Friderico, & successoribus. Qui prælati habent bona regia ut præstent regi servitia, ea illi præstent. Nullas talias reges Trinacriæ imponent Ecclesiis, monasteriis, Clericis, nulla regalia in vacantibus beneficiis habebunt; bonorum, & fructuum earum Ecclesiarum vacantium custodia erit penes personas Ecclesiasticas.

VIII. Jurabunt Trinacriæ Reges, se non procuraturos nec directe, nec indirecte ut eligantur Imperatores, aut reges Theutoniæ, vel domini Lombardiæ, vel Thusciæ; *nisi de expressa Pontificis pro tempore voluntate*. Quod si nominati Imperatores &c. acceptabunt imperium, amittant imperium, & insulas, insulæque devolvantur ad Joannam, ejusque successores; & his deficientibus ad Ecclesiam. Si quin ambiant, electi fuerint ad Imperium, renuncient intra quatuor menses.

IX. Si ad aliquem jam Imperatorem successio ad hæc regna pertineret, non possit ea adire, nisi dimisso imperio, vel regno. Et femina heres regni hujus nubere non possit Imperatori, Romanorum Regi, &c.

X. Juret Fridericus, ejusque successores, se non occupaturos armis imperium, regnum Lombardiæ, Thusciæ. Facientes secus aut insulæ dominium dimittant, aut regnum, & Imperium;

XI. Rex Trinacriæ successurum filium in regnum Trinacriæ prius emancipet, si ipse pater electus fuerit Imperator, Rex &c. Tunc filius a patre non pendens homagium præstabit de more S. Ecclesiæ, & filii decedentis sine liberis regis Trinacriæ pater Imperator heres esse non possit. Si sint tantum filiæ, primogenita succedet in Regnum Trinacriæ tantum. Quod dictum fuit de regno Trinacriæ, intelligatur & de regno Siciliæ citra pharum.

XII. Si filia superfit Regis Trinacriæ nupta Imperatori, Regi Lombardiæ, adire hereditatem Trinacriæ non possit; vel vir renunciet imperio, & regnum Trinacriæ detur proximiori; nisi tamen vir Imperium, vel Lombardiam de voluntate Pontificis acceptarit; si jam regina Trinacriæ ut heres regni nubat Imperatori, cadat regno. Intentio demum est Pontificum, & Ecclesiæ nullo unquam tempore Imperatores, aut dominos Lombardiæ, vel Thusciæ esse simul dominos insulæ; ita ut Fridericus, ejusque successores in urbe, in Campania, Maritima, Ducatu Spoletano, Marchia Anconitana nihil quocunque titulo habere, & possidere possint.

XIII. Quod si Rex Trinacriæ aliquid habere in dictis regionibus voluerit, si admonitus intra tres menses non dimittet occupata loca, vel empta, vel permutata &c. regnum devolvatur ad successores Joannæ. Filii regis si id facere præsumpserint, sint eo ipso excommunicati.

XIV. Nullus Trinacriæ Rex faciat societatem, aut parentelam cum inimico Pontificis, vel Romanæ Ecclesiæ; ille autem censeatur inimicus, quem Pontifex dixerit esse talem. Quod si alterutrum faciet, regno cadat.

XV. Si Pontifices velint, pro subsidio terræ Sanctæ possint e Sicilia extrahere *salmas frumenti ad mensuram Siciliæ decem millia*, liberumque sit pontifici pro tempore eas quocunque voluerit transmittere liberas a jure dohannæ, oneris &c. Demum omnia conventa inter S. Sedem & Carolum I. *tam affirmative, quam negative, quæ in dando, vel faciendo, vel mixtim, vel in non dando, & in non faciendo, vel mixtim*, modo his articulis non opponantur, Fridericus, ejusque successores observent; regiusque titulus iis datus nihil noceat Joannæ, & ejus successoribus Siciliæ regibus.

XVI. Omnes dubietates exortæ circa hunc tractatum deferantur ad Pontificem, cujus sententiæ stetur. Et quæ facere jubetur Fridericus in his conventionibus, teneantur facere etiam successores Friderici & quoad Pontificem, & quoad Joannam, ejusque successores. Per hæc tamen capitula non intendit Pontifex derogare quicquam conventionibus iis quæ factæ fuerunt cum Carolo, sed illæ quoque serventur;

XVII. In capitulis conventis cum Carolo, statutum fuerat, ut nulla terra a regno Siciliæ separaretur. Sed attendens Pontifex bella plurima esse hac de causa enata, & mala innumera redundasse in populos, & in Ecclesiam, & jam per septuaginta annos reges Trinacriæ quædam loca ibidem possidere, accedentibus precibus Reginæ Joannæ, derogat Gregorius huic capitulo, permittitque ea loca a regno divisa posse divisa consistere. Vult etiam ut positis a parte utraque simultatibus omnes injuriæ remittantur, damnorumque illatorum acceptoriumque nulla fiat mentio.

XVIII. Fridericus, & ejus successores agnoscent se tenere regnum ab Joanna, ejusque descendentibus legitime tantum; illa, & iis extinctis, illud recognoscent a S. Sede; reservat Joannæ, & ejus successoribus censum persolvendum a Regibus Trinacriæ trium millium unciarum, servitium equitum, & galearum, & juramentum fidelitatis; *Fridericus, & successores præstabunt Joannæ, & ejus successoribus servitium decem galearum, & centum militum tempore notabilis invasionis ipsius regni, &c.*

XIX. *Redintegrata insula, vel majore illius parte*, Fridericus, & successores servitium præstabunt in pecunia; Pontifex autem explicabit, quæ censeri debeat, *notabilis invasio*. Fridericus, & successores non teneantur facere homagium personaliter Joannæ, & successoribus, sed per procuratorem. Apponitur formula juramenti. Ex hoc tamen juramento Barones, nobiles, & populus insulæ non intelligantur adstricti, vel subditi Joannæ.

XX. In die Apostolorum Philippi, & Jacobi Fridericus, & successores solvent Joannæ, & successoribus *uncias auri tria millia ratione debiti per ipsam Reginam S. R. Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi*; ipsa tamen regina per annos tres gratiose exemit ab hoc censu Fridericum. Solutio fiat Neapoli. Quod si regnum Siciliæ redeat ad S. Sedem, solutio fiet S. Sedi; ubi contingat esse Curiam.

XXI. Si Fridericus, vel successores reginæ Joannæ, vel successoribus non solverint, & si per alios duos menses non satisfecerint, plene censeantur excommunicati; si per alios duos menses distulerint, Trinacria subjaceat interdicto; si alius terminus duorum mensium transierit, quin fuerit census persolutus, post alios duos menses jam transactos rex, & successores regno cadant, quod devolvatur ad successores Joannæ, vel ad S. Sedem.

XXII. Nec Fridericus, nec ejus successores ullo unquam tempore se reges Siciliæ dicent sed Trinacriæ. Sed intitulatio Siciliæ regis nullum afferat præjudicium regibus Trinacriæ, nec e converso. Fridericus, & successores nullam ineant societatem contra Reginam, ejusque successores.

XXIII. Liberetur Fridericus, & successores ab omni debito, quod ratione bellorum potuisset contrahere cum Regina. Promittat Fridericus se, & suos successores non suscepturum in insulam facientes bellum Reginæ, & successoribus ejus, se non daturum iis auxilium &c. idem promittat Regina, pro se, & successoribus suis. Insula Lipari sit semper in potestate reginæ, ea mortua redeat ad regnum Trinacriæ.

XXIV. Bullatis his litteris aurea bulla, Pontifex creat, & constituit regem Trinacriæ Fridericum, & ejus successores. Regina, & successores dabunt auxilium Friderico, & successoribus, ut reducant ad suum dominium totam insulam. Utraque pars juret, se, & suos heredes has conventiones esse servaturos. Per præsentem tractatum non intendit Pontifex quibusdam peculiaribus conventionibus jurisque Baronum, nobilium &c. derogare.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Apud Villam Novam Avinion. Diœc. VI. Cal. Sept. P. a. II. a. D. 1372.

Mandatur Episcopo Sarlatensi, ut nomine S. Sedis accipiat homagium ab Joanna, & Friderico.

LXVII. Ex Lun. t. 4. p. 529. GREGORIUS XI. Episcopo Sarlatensi Ap. Sedis Nuncio.

Inc. *Cum te, &c.*

DEstinaverat Gregorius prædictum Episcopum pro gravibus negotiis peragendis utriusque Siciliæ regni.

Eodem tempore illi injungit, ut homagium, & juramentum fidelitatis accipiat a regina Joanna, & a Rege Friderico, *postquam tamen probationem, & ratificationem tractatus*, de quo in proxime superiori Bulla, *& consensum dictarum partium habuerit.*

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. apud Villam Novam Avin. Diœc. Cal. Oct. P. a. II. a. D. 1372.

Eximitur Fridericus ab onere adeundi Romam ad præstandum homagium.

LXVIII. lb. p. 527. GREGORIUS XI. Magnifico Friderico de Aragonia insulam Siciliæ regenti.

Inc. *Cum in capitulis, &c.*

IN modo relatis capitulis statutum fuerat, ut Trinacriæ Rex ad Curiam se conferret, quocumque in loco illa esset, ad præstandum juramentum fidelitatis.

Grave videbatur hoc iter Friderico, quare supplicavit Pontifici, ut ab hoc itinere liberaretur.

Gregorius Fridericum, non ejus successores; eximit, permittitque, ut mittere possit procuratorem, qui ejus nomine juramentum det.

Si tamen continget, Fridericum ad Sedem Apostolicam venire, personaliter homagium præstet, renoverque.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Avin. IV. Cal. Nov. P. a. II. a. D. 1372.

Rex Trinacriæ debet præstare servitium decem Galearum, & centum militum S. Ecclesiæ.

LXIX. lb. p. 539. URBANUS VI. ad f. r. m.

Inc. *Olim cum, &c.*

IN capitulis initis inter Joannam, & Fridericum sub Gregorio XI. statutum fuerat, ut Fridericus, ejusque successores tenerentur servitium decem Galearum, & centum militum præstare Reginæ Joannæ, ejusque successoribus, & Siciliæ regno ad S. Sedem devoluto, eidem S. Sedi idem servitium præstarent; idque *tempore notabilis invasionis.*

Jam cum evidentia facti demonstret, Siciliæ regnum circumsideri ab hæreticis, & schismaticis, & ab hostibus S. Romanæ Ecclesiæ (,, nempe a Clemente VII. ,, Antipapa, ejusque assectis: v. c. de Pontifice *exur-* ,, *gat Deus* ,,) spectetque ad Pontificem declarare, quænam sit *notabilis invasio*, Urbanus declarat, hanc esse notabilem invasionem,

Ac proinde Fridericum pactum servitium Galearum, militumque dare debere.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Perusii IV. Cal. Maji P. a. XI. a. D. 1388.

Alphonso permittitur exactio ducentorum aureorum millium ab Ecclesiis ipsius regnorum.

EUGENIUS IV. ad f. r. m. LXX. lb. p. 579.

Inc. *Ad præclara, &c.*

EUgenio IV. volenti recuperare Ecclesiæ loca, quæ rebellarant ab illa, & possidebantur a Vicariis, qui pro dominis se in iis gerebant, quos Pontifices in illis posuerant, neque impositos census solvere volebant, Alphonsus Aragoniæ, & Siciliæ rex opem tulit cum suis copiis, & Marchiæ Anconitanæ urbes, fortalitia, & loca bene multa ab usurpatoribus detraxitque, restituitque Ecclesiæ; pollicitusque fuerat, se auxilium semper Pontifici laturum.

Eodem tamen tempore significavit Pontifici, sibi opus esse grandi pecunia, ut exercitum reparare possit; rogavit illum ergo, ut consuleret.

Eugenius cum agatur de felici statu S. Romanæ Ecclesiæ, illi permittit ut ex omnibus Ecclesiis Cathedralibus, Metropolitanis, Collegiatis, Monasteriis, hospitalibus, in quibus hospitalitas non est, ex omnibus demum bonis Ecclesiasticis suorum regnorum subsidium ducentorum aureorum millium exigere possit *ab hinc usque, & per totum futurum proxime annum* 1444. *assignandorum, & tradendorum juxta tenores, & formas in aliis ejusdem Eugenii litteris præscriptas.*

In Sicilia ultra Pharum exigat viginti millia, citra Pharum triginta millia, in Sardinia decem millia; alia centum, & quadraginta in aliis regnis Aragoniæ, Catalauniæ, Valentiæ, Majoricarum, & Minoricarum. N.O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Oct. P. a. XIII. a. D. 1443.

Facultas datur eidem Alphonso bello persequendi Florentinos, & Thuscium.

EUGENIUS IV. Ludovico tit. S. Laurentii in Damaso Presb. Card. Aquilejensi Camerario S. Sedis, & Legato. LXXI. lb. p. 582.

Inc. *Cum jam, &c.*

FRanciscus Sfortia suffultus auxiliis communitatis Florentinæ multa damna Ecclesiæ intulerat, inferebat, & illaturus videbatur, nisi comprimeretur, & præcipue populis Marchiæ Anconitanæ, in qua urbes cœperat, easque detinebat cum maxima Ecclesiæ jactura, & eorum populorum detrimento.

Moniti Florentini ne in præjudicium Ecclesiæ Sfortiæ assisterent, non paruerunt.

Ergo Eugenius ad Alphonsum confugit, qui vi capitulorum cum Ecclesia initorum pro investitione Siciliæ *& ex debito vassallagii* tenetur Ecclesiæ præsidium præstare,

Eugenius Legato exponit, quæ damna Ecclesia patiatur a Sfortia a Florentinis adjuto, quantum eos exorarit, ut a lædenda Ecclesia desisterent.

Igitur jubetur hæc omnia nota facere Regi, eumque monere de vinculo, quo adstringitur ad opitulandum Ecclesiæ ut ejusdem feudatarius.

Quare illum excitet ad movendum bellum in Florentinos, quibus repressis etiam Sfortia reprimetur, ad obsidendas eorum urbes, & Thusciam.

Quod si aliquo juramento colligatus cum Florentinis, aut Sfortia est, dat facultatem legato illum ab eo absolvendi.

D. Romæ apud S. Petrum die XXIII. Apr. P. a. XVI. a. D. 1446.

LXXII. B.M.p.j. vel t. 9. p. 359.

Insula, & Castrum Rubei dono datur Siciliæ Regi.

NICOLAUS V. ad f. r. m.

Inc. *Inter innumeras*, &c.

JUxta insulam Rhodi est parva insula cum *Castro Rubei* nuncupata, cujus ædificia a Turcis, & Saracenis fuerant diruta, nec Rhodii equites S. Joannis Hierosolymitani, in quorum potestate illa erat, poterant illa reficere.

Nicolaus prævidens damna, quæ redundare poterant in Rhodios, & Cyprios, si illa insula esset in ditione Turcarum, eam dono dat Alphonso Aragoniæ, & Siciliæ regi, qui eam habere optarat.

Eum hortatur, ut illud reædificet, mittatque in illam milites, qui eam ab hostibus tueantur. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Assisii prid. Non. Oct. P. a. IV. a. D. 1450.

Jubetur Auditor Generalis Cameræ A. processum conficere in Senatum Messanensem.

LXXIII. B.R. t.6. p.3.p.196. C. C.

INNOCENTIUS X. Auditori, &c.

Inc. *Innotuit nuper*, &c.

EX ora maritima Marchiæ Anconitanæ vehebatur navi ad portum Civitatis Vetulæ ad usum Romanæ Curiæ frumentum.

Senatus Messanensis jussit, *navem per fretum Siculum transeuntem ratibus armatis compelli ad deportandum frumentum Messanam, & Capitaneum Joannem Hensen Belgam cogi ad id.*

Qua violentia audita, Pontifex demandat prædicto Cameræ Auditori, ut contra universos, & singulos Senatores, contra ministros procedat, eosque, & civitatem ipsam interdicat.

Vult etiam, ut unica intimatio in monitorio satis sit ad cogendos ad respondendum de vi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XV. Sept. P. a. IV. a. D. 1648.

„ Fuerunt qui Catholico Regi Ferdinando suadere „ studerent, Regi Siculo jus esse in sacra, & sacros, „ eumque omnia posse, quæ potest sedis Apostolicæ „ Legatus. Nam eo regnante primus omnium Lucas „ Barberius in libro, quem inscripsit *Caput brevium* ex „ regiorum Siciliæ Archiviorum scripturis compilatum, „ edidit exemplar diplomatis Urbani II. auctographo „ nullatenus indicato. Tunc temporis Prorex Moncada consultus Regi respondit, verba diplomatis Urbani non esse adeo ampla, ut erat consuetudo, & „ observantia: sed regios ministros favorabili usos interpretatione extendisse jura Monarchiæ conniventibus plane oculis, cum nullam ea de re constitutionem, legemve ferre censuissent. Nonnulla item animi sui dubia super iisdem legationis Siculæ juribus „ aperuit Carolo V. Patronus regii fisci Antonius Montaltus. At istius Imperatoris edicto die XXVI. Decembris a. 1526. transumptivum diploma Urbani II. „ cujus authographum desideratur, in lucem e rudoribus antiquitatis, ubi latebat, eductum est, confirmatumque una cum Sicularum Pandectarum volumine librum *de Monarchia* inscriptum, omnium illius regni Consiliariorum subscriptione communitum, quo „ maximopere propugnatur, non modo Rogerium Comitem, ejusque filium, & heredem fuisse ab Urbano „ Legatos Sedis Apostolicæ constitutos, sed cunctos etiam successores Siciliæ reges (*a*) eo in regno Legatos esse natos cum potestate ea omnia, quæ a Latere Legati faciunt efficiendi: imo & substitutos Ecclesiastici ordinis, quos *Judices Monarchiæ* appellant „ creandi, qui perinde ac Vicelegati, & Clericos, & „ Monachos, prælatosve cujusvis ordinis ac dignitatis „ etiam Episcopalis, & Cardinalitiæ, laicos quoque in „ causis Ecclesiasticis judicent, & puniant, excommunicent, & absolvant; appellationes insuper ad Romanam sedem impediendi; ejusque Nuntios, & Legatos non admittendi. Rebus ita se habentibus, Ascanius Cardinalis Columna, reclamante nimium Baronio, asseveravit, Monarchiam Siculam gravissimorum hominum consensu probatam, temporis diuturnitate receptam, ac Summorum Pontificum permissu regiaque potestate vallatam, quæ usu tunc maxime vigebat. Cumque duo a S. Pio V. ad Philippum II. Legati Apostolici Vincentius Justiniani ord. „ Prædicatorum Generalis Magister, purpura paulo post „ decoratus, & Cardinalis Alexandrinus ab Rege petiissent abrogandam Monarchicam legationem ceu „ titulo destitutam: rem ad consilium, informationemque Ducis Terrænovæ in Sicilia Proregis remissa, „ ut communi utriusque potestatis consensione lis dirimeretur; Siculi exinde initam fatentur fuisse concordiam, ut vocant *Alexandrinam* sub Pio V. eaque „ legationem Monarchiæ Siculæ comprobaram.

„ Turbulentas interea contentiones inter utramque „ ea ipsa de re potestatem silentio præterire quam proferre satius esset; præsertim Friderici Imperatoris „ cum Gregorio IX., & Innocentio IV. Conradi, & „ Manfredi cum eodem Innocentio, & Clemente IV. „ Petri Aragonensis cum Martino IV. Friderici II. „ Aragonii cum Bonifacio VIII. qui sacris omnibus „ regnum illud interdixit, & anathemate Siculos percussit. Contra eamdem Siculi Regis legationem Cæsar Cardinalis Baronius jussu Clementis VIII. plura, „ cum fuso calamo scripsisset monumenta in Pontificiis „ tabulariis perlustratus, suamque de ea dissertationem tomo XI. Annalium insertam evulgasset, Hispani „ comburendum igne eumdem tomum damnarunt. „ Mox Philippus III. Hispaniarum Rex post Clemen„ tis VIII. obitum die 3. Martii an. 1605. Cardinalem ipsum Baronium ut sibi suspectum, & infensum „ ejuravit Cardinalibus in Conclavi pro novo eligendo „ Pontifice clausis, atque ab imminenti electione in „ eum ipsum prona excluso: Semel dum Leo XI. Cardinalis Alexander Medicæus electus est die I. Aprilis 1605. Et iterum dum eo post dies viginti sex „ defuncto perclamatus Pontifex fuit Camillus Burghesius „ nimirum Paulus V. die 16. Maii ejusdem anni. Postea „ Baronius ipse, ut male conceptam de se opinionem Hispano Regi adimeret, ad eum Epistolam Tusculano „ dedit idibus Junii 1605. qua nil a suo erga Regem „ officio descivisse profitetur, si dissertationem de Monarchia Sicula sinceram conscripsit, & vulgavit jussu Clementis VIII. non ad regia evertenda jura, „ sed ad rem controversam congruo temperamento „ componendam Epistolam Baronii integram habes apud Lunig. Cod. diplom. Italiæ tom. 4. sect. 2. „ dipl. 188.

Nostra tandem memoria Clemens XI. cum hujusmodi legationem Urbani abolitam omnino, & Monarchiæ tribunal suppressum voluisset binis Apostolicis litteris an. 1714. 1715. datis (*quas videbis inferius*) „ non sine publicæ tranquillitatis turbatione dissidia „ recruduere.

„ Eam tamen restinxit Benedictus XIII. qui pacis „ fovendæ studiosissimus, & nullius jura partium violaturus, correctis Tribunalis Monarchiæ Siculæ abusibus, eam stare consensit sua Constitutione (hanc „ quoque videbis inferius) III. Cal. Septemb. 1728. „ edita, quæ incipit *Fideli*, quæque vim concordiæ „ nunc habet. „

(*a*) „ Qui Baronium sectantur, utique in dubium revocare conten„ dunt veritatem diplomatis Urbani ex anachronismo, seu errore „ Indictionis, & e silentio Eadmeri scriptoris coævi *lib. 3. Hist. novel. edit. Gerberonii*, qui fuit assecla una cum S. Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo Urbani II. ex urbe Capua ad Concilium „ Barjense profecti, aliisque conjecturis. Contra sentiunt Siculi plu„ rimi, &c. „

Ex Carolo Gagliardi Sacrorum Canonum Interpretis in R. Gymnasio Neapolitano nunc Episcopi Murensis institutionibus Canonicis, edit. alter. L. 1. tit. 22. §. XXVI. p. 267.

„ Sicilia, & Sardinia donata fuit Ecclesiæ a Ludovico Pio Impe„ratore, Pontifex erat S. Paschalis I. Adjecit donationi legem, ut „ recens electi Pontifices Romani post acceptam consecrationem ad „ Reges Francorum mitterent Legatos suos, qui mutuam *amicitiam*, „ *& caritatem*, *& pacem sociarent*, ut Ludovicus loquitur in sua „ constitutione: quæ affertur a Baronio ad an. 817. §. IV. Ego Lu„ dovicus, & a Pointio in annalibus Francorum.

„ Eam suppositam habent Carolus Molinæus, Joannes Wolphius „ & Melchior Goldastus, & alii: refelluntur ab auctore libri *il Dominio temporale della S. Sede sopra la Città di Comacchio* cap. 7. „ & 8. & cap. 24. alterius libri *difesa seconda del dominio tempora„le*, &c. Auctor fuisse dicitur Justus Fontaninus Episcopus Ancyra„nus. „

Nulli-

Nullitas edicti Monarchiæ Siculæ in Diœcesi Liparensi.

LXXIV. B.M. t.8. p. 104. B.R.t.11. p.1.p.310. C. C.

CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Ad Apostolatus*, &c.

EPiscopus Liparensis quosdam officiales Laicos, dictos *Catapani* violatores ecclesiasticæ immunitatis jure excommunicaverat.

Licet hic Episcodus immediate subesset S. Sedi, nihilominus ministri regis (erat tunc Victorius Amadeus Sabaudiæ dux juxta pacem Ultrajectinam) potestatis Siciliæ eum vexarunt, & a Tribunali Siciliæ reis absolutio censurarum data fuit. Et quamvis a Sacra Congregatione Cardinalium super immunitate ea absolutio declarata nulla fuisset, tamen quidam delegatus ejusdem Tribunalis Liparam profectus eos secum duxit in Ecclesiam, & coram eis sacra mysteria peregit, & sæcularibus, regularibusque presbyteris injunxit, ut eos ad communionem acciperent, Vicarioque Episcopi indixit, ut domi se contineret.

Cum Vicarius, & Confessarius Episcopi, & alii Sacerdotes abnuerent excommunicatos ad communionem admittere; carceri dati fuere, aliaque multa regii patrarunt in contemptum S. Sedis.

Ob quæ omnia Pontifex nulla declarat, quæ a prædicto Tribunali gesta sunt, officiales excommunicatos esse denuntiat, neque esse absolutos; immo eidem pœnæ subjicit eos omnes, qui executi sunt jussa tribunalis, qui fuere consiliarii, qui adjutores, & absolutionem hujus pœnæ sibi soli reservat Clemens.

D. in Arce Castri Gandulphi die XVIII. Jul. P. a. XII. a. D. 1712.

Nullitas decreti Delegati Monarchiæ Siculæ contra interdictum latum a Vicario Liparensi.

LXXV. Ib.p.134. B.R.t.11. p.2. p.19. C. C.

CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Ad Apostolatus*, &c.

VIcarius Generalis in spiritualibus Episcopi Liparensis obtemperans justis Pontificiis noluerat exequi quasdam dispensationes matrimoniales, ac proinde expulsus fuit ab urbe; ille *in actu suæ expulsionis* ministros hujus sententiæ anathemate percussit, & Urbem Liparensem interdicto supposuit.

Canonicus Marotta tribunalis Monarchiæ Siculæ delegatus decretum interdicti revocavit per aliud edictum, in quo conatur ostendere edictum Vicarii esse oppositum regiæ auctoritati, valdeque nocens publicæ quieti; ac proinde injungit, ne quisquam Ecclesiasticus ei pareat; quosdam autem presbyteros, qui Vicarii edicti affixioni operam dederant, sæcularis potestas in carcerem detruserat.

Sed Pontifex decretum Laicæ potestatis nullum declarat, eo quod factum contra Episcopum S. Sedi immediate subjectum, deinde revocat omnes indulgentias Siciliæ regno intuitu Cruciatæ concessas; & confirmat excommunicationem latam contra Ministros, & interdictum contra civitatem, cui interdicto omnes parere mandat;

Contravenientes excommunicat, & harum censurarum absolutionem Pontifici Romano reservat;

Cæterum quia Capitulum alium Vicarium elegerat, illi inhibet quicquam agere, & mandat omnibus, ne illi pareant; sed habendum, ait, eum tantum Vicarium, quem Episcopus nominabit. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. die VII. Sept. P. a. XIV. a. D. 1714.

Nullitas edicti Tribunalis Monarchiæ Siculæ contra censuras latas ab Episcopo Agrigentino in suos expulsores.

LXXVI. Ib.p.135. Ib. p.12. C. C.

CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Ad plurimas*, &c.

ETiam Episcopus Agrigentinus cupiens tueri libertatem suæ Ecclesiæ fuit expulsus a Laicali potestate; & in expulsionis actu excommunicavit expulsores, & civitatem interdixit.

Sed delegatus Monarchiæ Siculæ Ecclesiam S. Joannis in illa urbe aperuit, & excommunicatos ab Episcopo absolvit.

Hæc omnia declarat Pontifex injuste facta, ac proinde nulla.

Nihilominus deputatus Monarchiæ Siculæ perrexit porro, & quatuor Vicarios Generales in spiritualibus, quos unum post alium elegerat Episcopus, carceri tradidit, & in assertis ecclesiis per vim divina officia peragi jussit, decretumque per totam diœcesim publicavit, in quo quid egerit, declarabat, & quare id egerit.

Et hæc itidem annullat Pontifex, & excommunicationem, & interdictum confirmat, absolutionemque sibi soli reservat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXIII. Dec. P. a. XIV. a. D. 1713.

Monitorium contra Judicem Monarchiæ Siculæ.

NICOLAUS SPINULA. Monitorium. LXXVII. Ib.p.313.

Inc. *Universis, & singulis*, &c.

COntra Jacobum Longo judicem Monarchiæ Siculæ, aliosque ejus tribunalis ministros est hoc monitorium, qui observantes edictum episcopale crudeliter vexarunt Agrigenti, & in tota diœcesi.

Etiam Moniales Monasterii SS. Rosarii Palmæ male habitæ a potestate Laicali fuerunt, eo quod edictum Episcopi observare volebant.

Omnia, quæ in hujus edicti contemptum patrata sunt, fuse refert Auditor, qui loca, terrasque, & personas singillatim recenset a potestate laicali vexatas, ob quæ Pontifex illi committit, ut ministros Romam citet.

Quod Auditor facit duorum mensium spatium illis ad comparendum præscribens.

D. Romæ Indict. VIII. die XII. Jan. a. D. 1715.

Monitorium in Judicem Tribunalis Siculi.

NICOLAUS SPINULA &c. Monitorium. LXXVIII. Ib.p.310.

Inc. *Universis, & singulis*, &c.

CUm in actu suæ expulsionis Episcopus Catanensis quemdam Baronem excommunicasset, is ad tribunal Monarchiæ confugit, & absolutionem obtinuit; immo tribunal commisit Decano Ecclesiæ Messanensis, ut declararet nullas pœnas ab Episcopo sancitas; Decanusque executus est jussa edicto in lucem Cataniæ edito.

Pontifex de his rebus per chirographum jubet Generali causarum Auditori, ut judicem asserti Tribunalis Monarchiæ Siculæ citet Romam ad reddendam rationem, cur id egerit.

Quilibet terminus trinus est dierum viginti.

D. Romæ Ind. VI. die XIII. Oct. a. 1713.

Cum elapsi essent termini, & citatus judex non comparuisset, fuit declaratus excommunicatus vitandus, & si ita moreretur, privandus Ecclesiastica sepultura.

De observando interdicto in diœcesibus Catanensi, & Agrigentina.

CLEMENS XI. ad f. r. m. LXXIX. Ib.p.139. Ib. p.26. C. C.

Inc. *Ubi alias*, &c.

COnqueritur initio statim Pontifex, adeo perversos esse in Sicilia mores, ut nonnulli audeant infringere interdicti edictum, nonnulli etiam dicere, id agere non esse contra edicta Pontificia.

Quibus erroribus ut medeatur Pontifex, jubet, ut Ordinarii subditos suos moneant, ut pareant Episcopis, & decretis Pontificiis.

Violatores autem interdicti ab Episcopo Catanensi, & Agrigentino lati declarat incidisse in censuras a sacris canonibus statutas;

Si violatores autem sint presbyteri sæculares ulterius eos privent beneficiis, si regulares, officiis, dignitatibus,

bus, & muniis ſuorum ordinum, & abſolutionem harum pœnarum nemo dare poſſit, niſi Pontifex.

D. in arce Caſtri Gandulphi die VI. Nov. P. a. XIV. a. D. 1714.

Nullitas edicti Laicalis contra edictum Epiſcopi Catanienſis.

LXXX. CLEMENS XI. ad f. r. m.
Ib. p. 182.
Ib. p. 331. C. C.
Inc. *Nova ſemper, &c.*

CUm Epiſcopus Catanienſis in ſua expulſione a ſede epiſcopali interdicto innodaſſet civitatem Catanienſem, delegatus tribunalis Monarchiæ decretum edidit, in quo declarabat nullitatem interdicti epiſcopalis.

Ulterius aliud publicavit edictum, quo inhibebat, ne ulla decreta Pontificia publicarentur in Sicilia, nullæ conſtitutiones; namque *hæc omnia redundant in perturbationem quietis ſubditorum, & in detrimentum jurium regiorum.*

Deteſtatur Clemens decretum laicalis poteſtatis, & illud nullum vult eſſe: & inhibet cuicumque, ne illi pareat, & promulgatores cenſuris ſubjicit, vultque, hoc decretum in locis ſolitis affigi ad omnium Siculorum notitiam.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXIX. Nov. P. a. XIV. a. D. 1714.

Monitorium in Laicos, & Regulares violatores interdicti lati ab Epiſcopis Agrigentino, & Catanienſi.

LXXXI. NICOLAUS SPINULA. Monitorium.
Ib. p. 325.
Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

NOn ſolum Laici, ſed etiam Regulares quidam violarunt interdictum inflictum ſuis civitatibus, & diœceſibus ab Epiſcopis Catanienſi, & Agrigentino; inter hos recenſet Auditor præcipue duos ex ordine FF. Minorum Capuccinorum, unum ex ordine Prædicatorum, unum ex Conventualibus S. Franciſci, duos Presbyteros e Societate Jeſu, Sacerdotem unum ſæcularem, & F. unum ex MM. S. Franciſci de Obſervantia.

E ſpeciali Pontificis chirographo de verbo ad verbum relato Auditor præſcribit his terminum duorum menſium, ut aut ipſi, aut ſui procuratores veniant ſe purgatum Romam.

Ind. VIII. die II. Jan. a. D. 1715.

Renuerunt citati venire, ſpatio præterlapſo, ad publicam notitiam omnes declarati fuerunt excommunicati publice vitandi.

Citatio Romam violantium interdictum Epiſcopi Catanienſis.

LXXXII. NICOLAUS SPINULA. Monitorium.
Ib. p. 320.
Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

SPeciali Pontificis Chirographo, quod affertur, juſſus Auditor Generalis citat intra tres menſes ad ſuum tribunal ad ſe purgandum eos, qui juſſu laicalis poteſtatis auſi ſunt violare interdictum appoſitum ab Epiſcopo Catanienſi ſuæ urbi, & diœceſi.

Eorum geſta contra immunitatem eccleſiaſticam fuſe proſequitur auditor.

D. Romæ Ind. VIII. die XII. Jan. a. D. 1715.

Præteriere termini ſtatuti, quin ſe ſiſterent rei, ac proinde ut contumaces omnes declarantur excommunicati vitandi.

Citatur Romam Vicarius Epiſcopi Catanienſis tamquam proditor.

LXXXIII. NICOLAUS SPINULA. Monitorium.
Ib. p. 327.
Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

CItatur Romam Joannes Baptiſta Pariſius Vicarius Generalis in ſpiritualibus delegatus a ſuo Epiſcopo Catanienſi tamquam proditor, & violator interdicti appoſiti a ſuo Epiſcopo; multi enim ejus auctoritate permoti interdictum violarunt.

Tum Canonici cujuſdam plurima delicta recenſet Auditor, refert cujuſdam Malavigna ordinis FF. Sancti Franciſci Reformatorum libellum, quo omnes Siculos excitat ad violationem interdicti.

Cum hæc ſcelera Vicarii ſui audiiſſet Epiſcopus, cum removit a Vicariatu, ſed a Laicali poteſtate obtinuit, ut Vicarius eſſet.

Ejus exemplo multi Canonici ducti interdictum violarunt, multi præsbyteri ſæculares, & Regulares. Multi tamen obſervatores interdicti ne punirentur a laica poteſtate, clam e regno aufugerunt.

Pontifex ad hæc relata Auditorem per chirographum (cujus exemplar hic ponitur) monet, ut reos Romam citet.

Citantur ergo intra duos menſes.

D. Romæ Ind. VIII. die IX. Dec. a. 1716.

Contumaces fuit denuntiatum incurriſſe jam in excommunicationem, & vitandos eſſe.

Citantur Romam qui expulerunt Archiepiſcopum Meſſanenſem.

NICOLAUS SPINULA. Monitorium. LXXXIV. Ib. p. 323.

Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

ARchiepiſcopus Meſſanenſis quoque ſubiit eamdem fortunam ac alii Siciliæ Epiſcopi, ut ejiceretur a ſua ſede, & toto regno.

Ipſe quoque diſcedens urbem, & diœceſim interdixit.

Hoc quoque interdictum nullum declaratum fuit a poteſtate Laicali.

Proregis litteras hic leges, quibus jubet Epiſcopum a toto regno faceſſere:

Suo Chirographo (hoc quoque habes hic) injungit Auditori Cameræ, ut perſequatur hos ſacrilegos expulſores epiſcoporum, Clemens.

Auditor ergo omnes citat, qui adjuvarunt, qui conſuluerunt, qui promoverunt, ut exequutio fieret nominatim, ut intra duos menſes Romam veniant.

D. Romæ Ind. VI. die XIII. Oct. a. D. 1713.

Hi cum non comparuerint, tempore præterlapſo omnes declarantur excommunicati vitandi.

Formulam excommunicationis habes hoc tom. S. p. 309. 310.

Monitorium in non obſervantes interdictum latum ab Archiepiſcopo Panormitano.

NICOLAUS SPINULA. Monitorium. LXXXV. Ib. p. 329.

Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

QUam ſortem ſubierant alii Epiſcopi Siciliæ, ſubiit Antiſtes Panormitanus, qui diſcedens interdixit civitatem.

Nonnulli tamen, ut inducerent populum ad aſpernandum interdictum, ajebant, poteſtatem ſæcularem poſſe incutere timorem ejuſmodi, ut illud tuta conſcientia violare poſſent.

Contra hos declamat Pontifex ſub nomine Auditoris tamquam impia, & ſcandaloſa proferentes.

Non obſtante tamen hac doctrina multi in civitatibus, & diœceſibus interdictis interdictum ſervaverunt; ſed hi fuere expoſiti plurimis injuriis, quæ hic fuſe recenſentur, quibus cum ſtrenue reſtitiſſent Capuccini, & Reformati Ordinis S. Franciſci Conventuum Caltaſinetæ fuere deportati Cajetam, quibus a mandatis per vim, aperta fuit eorum Eccleſia, & ibi divina officia celebrata.

Quod cum multi arguerent eſſe crimen ingens, inventus fuit quidam ex ordine S. Franciſci, qui eos excommunicatos abſolveret.

Tum Auditor reperit, quæ egerit ſæcularis poteſtas contra tres Vicarios electos ab Epiſcopo Agrigentino; narrat patrata a quodam Vanni contra eos, qui interdictum obſervabant, & laudibus extollit conſtantiam Marchionis Melphitani in ſuſtinendis quibuslibet injuriis, ut interdictum obſervaret.

His, & aliis multis coactus Pontifex juſſit per ſuum Chirographum (quod hic leges) Auditori citare Romam reos.

Eos

Eos Auditor citat intra menſes duos.

D. Romæ Indict. VIII. die IX. Dec. a. 1716.

Citati nolentes Romam venire denuntiantur per folia affixa locis ſolitis excommunicati vitandi.

Citantur Romam detinentes in carcere regulares, quod pareant Pontifici.

LXXXVI. NICOLAUS SPINULA. Monitorium.
Ib. p. 338.
Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

DIe S. Agathæ Panormi fieri ſolet ſolemnis proceſſio; omnes Regulares ei interveniunt.

Sed Regulares inter ſe conſtituerunt proceſſionem relinquere, & domum redire, ſi aliquis publicus excommunicatus illi intereſſet.

Quidam Sacerdos beneficiatus Eccleſiæ Cathedralis ſuperpelliceo, & Dalmatica indutus proceſſioni ſe immiſcuit. Alumni ſeminarii, & Regulares ſtatim deſeruerunt proceſſionem, Provincialis tamen Carmelitarum fratres ſuos in ea permanere coegit.

Tunc *Junta* multos ex Regularibus, qui aufugerant, comprehenſos carceri dedit. Et Ignatius Perlongus advocatus Fiſcalis exquiſivit a Regularibus num obtemperaturi eſſent decretis Pontificiis, etiamſi non erunt expedita a tribunali Monarchiæ? Reſponſum cujuslibet Superioris ſcribebatur. Inter omnes Regulares reſplenduit Superior FF. Prædicatorum, qui atteſtatus eſt, ſe executurum decreta Pontificia.

Ergo ad hæc relaxantur regulares carcerati, ſoluta prius quadam pecuniæ portione; ſed e carcere mittuntur in exilium. P. Blancardus interim ordinis Prædicatorum in ſua Eccleſia movet ſermone efficaci auditores ad parendum Pontifici, fecerunt & alii Dominicani, fecit & Jeſuita Manutius, qui ſtatim Panormo, & e regno expelluntur.

Perlongus omnia, ſed fruſtra tentat, ut Archiepiſcopus Panormitanus cum excommunicatis colloquatur. Jubetur ergo Taurinum proficiſci, & coram Rege ſe ſiſtere. Expulſi coguntur a ſecretaria *paſſaportum* petere, ut appareret, eos ſponte e regno diſcedere. Inter hos innumeri ſunt Sacerdotes ſæculares, Moniales Cataniæ eo quod parebant Pontifici, multa fuere perpeſſæ, multa quidam Cataniæ, multa quidam Agrigenti; multa Monaci S. Benedicti, multa Jeſuitæ præcipue, qui etiam bonis ſpoliantur, & exire toto regno coguntur.

Quibus permotus Pontifex (apponitur juſſio) Auditori mandat, ut hæc agentes in contemptum Pontificiæ dignitatis Romam citet intra duos menſes;

Quod per hoc monitorium exequitur Auditor.

D. Romæ Indict. VIII. die IX. Dec. a. 1716.

Citati renuerunt comparere; declarantur itaque excommunicati vitandi.

Citantur Romam converſantes cum excommunicatis.

LXXXVII. NICOLAUS SPINULA. Monitorium.
Ib. p. 332.
Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

MUltos, quos hic nominat, citat Auditor Romam hoc monitorio, qui cum publice excommunicatis verſari, & in divinis commiſcere ſe auſi fuerant contra ſacros Canones, & Pontificis præceptum.

Præfigit iis Auditor terminum duorum menſium ad comparendum Romam, quibus elapſis, publice declarabuntur excommunicati vitandi.

D. Romæ Ind. IX. die VI. Junii a. 1716.

Non paruerunt citati, proinde ſtat promiſſis Auditor, & eos excommunicat publice, jubetque eos vitari.

Nullitas edicti tribunalis Junctæ contra executionem reſcriptorum Pontificiorum.

LXXXVIII. CLEMENS XI. ad f. r. m.
Ib. p. 145.
Ib. p. 36. C. C.
Inc. *Accepimus nuper, &c.*

VIx ac Pontificium edictum fuit in Sicilia publicatum, quo injungebatur quibuſcumque obſervantia ſententiarum excommunicationum, & interdicti emanatarum ab Epiſcopis Meſſanenſi, Catanienſi, Agrigentino, Panormitano, quidam cœtus inſtitutus fuit ibidem ex regiis Miniſtris dictus *Junta*, cujus eſſet providere, ne per decreta Pontificia aliquod detrimentum afferretur regiis juribus; vetareturque cuicumque exequi Pontificia decreta, niſi prius ab hoc cœtu fuiſſent examinata, & qui impetraſſent, ea exequi non poſſent, niſi ab hoc cœtu prius licentiam habuiſſent.

Forma aſſignatur in concedendis hujuſmodi licentiis, quas dicebant *exequatur*.

In contrafacientes vel ſæculares, vel regulares pœnæ ſtatuuntur a cœtu. Hujus Junctæ decretum hæc jubentis per extenſum aſſertur.

Contra hoc edictum multa dicit Pontifex oſtendens quantum opponatur ſacris Canonibus, SS. Patribus, ſacræ Scripturæ;

Deinde nullum ob has cauſas illud declarat, mandans eſſe nulla quæcumque fiant pro obſervantia hujus decreti in Sicilia;

Admonet omnes fideles *oportere obedire magis Deo, quam hominibus.*

Demum declarat, omnes, qui in hujuſmodi edicto partem aliquam habuere, qui jura eccleſiaſtica aliquo modo violarunt, incidiſſe in cenſuras, a quibus non niſi per Pontificem abſolvi poſſint. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XI. Jan. P. a. XV. a. D. 1715.

Abolitio Monarchiæ Siculæ.

CLEMENS XI. ad p. r. m. LXXXIX. Ib. p. 148.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

JUra Monarchiæ Siculæ ſuffulta dicebantur quodam privilegio ab Urbano II. Rogerio Siciliæ Comiti conceſſo.

I. Hoc privilegium ut fictitium rejicit Pontifex, cum jam per doctos viros examinatum fuiſſet, & ad ſeveram trutinam revocatum;

II. Deinde etiamſi illud eſſet verum, tamen conceſſum tantum fuiſſe Rogerio, & ejus filio Simoni, *ſive alteri, qui illius heres legitimus fuiſſet.* Progenies autem Rogerii jamdiu eſt extincta.

III. Quid? an eſt credibile tale privilegium Pontificem dediſſe regibus Siciliæ, vi cujus iidem reges poſſent infringere jura Pontificia, & Eccleſiaſtica omnia?

IV. Quidquod iteratis conſtitutionibus Pontificiis illud Urbani decretum fuit revocatum, & abolitum?

V. Non eſt autem credibile omnes Siciliæ reges noluiſſe uti his Urbani privilegiis in ea conſtitutione contentis. Solus modernus Rex in ea tot privilegia reperit.

VI. Sed cum S. Sedes plures controverſias cum Siciliæ regibus habuerit de juriſdictione, cur illud ii numquam produxerunt? Cur & moderni judices illud jactant, neque tamen proferunt.

Sed ne aliæ lites oriantur, de conſilio Cardinalium Clemens illud revocat, & caſſat; ac proinde Legatio Siciliæ, ſeu tribunal, ſeu Monarchia cadat neceſſum eſt.

Inſuper omnia indulta conceſſa quomodocumque a Romanis Pontificibus Siciliæ regibus caſſat, & annullat; pœnamque excommunicationis inſligit iis, qui illa privilegia uſurpabunt.

Ut autem eccleſiaſticæ lites facile parvis expenſis expediri poſſint, ait ſe modum præſcripturum. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. X. Cal. Martii P. a. XV. a. D. 1715.

Pontifex, & Cardinales decreto ſe ſubſcribunt.

De modo obſervando in foro Eccleſiaſtico in Sicilia.

CLEMENS XI. Ordinariis, Clero ſæculari, & Regulari, & univerſis Chriſti fidelibus Regni Siciliæ. XC. Ib. p. 152. Ib. p. 331. C. C.

Inc. *Cum nos, &c.*

QUod ſpoponderat in fine proximæ præcedentis conſtitutionis Clemens, ſe præſcripturum modum, quo lites eccleſiaſticæ in Sicilia decidierentur, præſtat in hac.

In prima inſtantia lites cognoſcentur ab Ordinariis, a ſententiis horum dabitur appellatio ad Metropolitas;

ab

ab his ad Apoſtolicum delegatum, ab hoc ad Sanctam Sedem.

Tres Judices Synodales committent appellationes ab judicato Delegatorum in cauſis beneficialibus prævio diligenti examine;

Coram his tribus judicibus agetur pro appellatione ab judicatis per conſervatores Regularium;

Idem ſervetur in ſecundis judicibus: recurrendum ſcilicet erit ad præfatos Synodales.

Tum præſcribitur modus ſervandus in cauſis Regularium delinquentium extra, vel intra claustra; cauſas majores ſibi reſervat Pontifex.

Iis tamen judicibus inhibet abſolvere a cenſuris latis in Feria V. Majori; neque de earum validitate inquirant.

Demum ſtatuit ordinem nunc ſervandum uſque ad tertiam inſtantiam;

Quem ordinem ſervandum jubet etiam in cauſis ſuperioribus ad tribunal Archimandritæ. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Febr. P. a. XV. a. D. 1715.

Additur tabella Tribunalium Eccleſiaſticorum in regno Siciliæ pro prima, pro ſecunda, pro tertia inſtantia.

Nullitas appellationis Fiſcalis Tribunalis Siciliæ contra ſupradictas conſtitutiones.

XCI. Bull. p. 160. Ib. p. 54. C. C. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Innotuit nobis, &c.*

CUm ad notitiam regii tribunalis perveniſſent hæ duæ poſtremæ conſtitutiones Clementis de extinctione Legationis, & de erectione tribunalium Eccleſiaſticorum, Procurator Fiſcalis Regius ab iis appellavit.

Appellatio eſt huic Bullæ inſerta: in hac procurator aſſerit,

I. Reges Siciliæ per plura ſæcula his privilegiis uſos, quin Pontifices reclamarent;

II. Immo hoc privilegium eſſe antiquius bulla Urbani II.

Urbanus enim II. illud confirmat;

III. Hoc fuiſſe conventum cum Hadriano IV. Pio V. & cum aliis pluribus ſucceſſoribus Pontificibus;

IV. Hoc privilegium habere vim contractus; datum enim fuiſſe ob cauſam onerosam Comiti Rogerio Normannno, nempe cum hoc onere, ut ab illa inſula expelleret infideles, erigeret Epiſcopatus, & Abbatias, & has, & illos dotaret tertia parte bonorum ibidem exiſtentium;

V. Demum populum aſſueviſſe huic ordini, neque poſſe ſine gravi incommodo avelli ab his conſuetudinibus;

A ſummo ergo Pontifice male informato ad Pontificem bene informatum appellat Fiſcalis.

Pontifex contra actum hunc appellationis, omnia acta, & agenda hac de cauſa nulla declarat;

Immo qui partem aliquam in hoc actu habuerunt, declarantur incurriſſe in cenſuras.

Jubet demum Pontifex hanc Conſtitutionem affigi publicis locis ſolitis, ut ejus tenor ad omnium noritiam perveniat. N. O. *Nulli ergo, &c.*

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VIII. Julii P. a. XV. a. D. 1715.

Indulgentia plenaria in articulo mortis datur iis, qui paruerunt Epiſcopis.

XCII. Bull. p. 185. CLEMENS XI. ad p. r. m.

Inc. *Ad augendum, &c.*

VOlens Pontifex compenſare quorundam fidelium obedientiam interdictis inflictis civitatibus, & diœceſibus Liparenſi, Catanienſi, Agrigentinæ, &c. alioſque ad eorum obſervantiam allicere, indulgentiam plenariam in articulo mortis iis largitur, confeſſione, & communione peracta,

Si peragere nequibunt, eandem indulgentiam conſequentur corde contriti Nomen Sanctiſſimum Jeſu invocantes. N. O.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. Die VII. Maji P. a. XVII. a. D. 1717.

Conventiones inter Pontificem, & Philippum V. Regem Hiſpaniarum ſuper Siciliæ negotiis.

CLEMENS XI.

XCIII. Ib. p. 191.

PActa conventaque inter Pontificem ex una parte & Regem Hiſpaniæ Philippum V. ad inducendam pacem in Siciliam.

Hiſpaniarum Rex Philippus V. improviſo adortus eſt Siciliam, quæ in Ultrajectina pace aſſignata fuerat Victorio Amadeo Sabaudiæ Principi, & eam devicit.

Cardinalis Aquaviva protector Hiſpaniarum concordiam cum Pontifice inivit juſſu ejuſdem Philippi pro quiete illius inſulæ.

Hi autem hujus concordiæ fuere articuli.

I. Ut remotis omnibus appellationibus in diœceſibus, quibus inflictum fuit interdictum, illud obſervetur,

II. Ut omnes exules, & carceribus detenti ob tutamen Eccleſiaſticæ libertatis revocentur, & liberentur,

III. Ut omnia bona erepta cuicumque ob defenſam Eccleſiaſticam libertatem, fructuſque capti reſtituantur,

IV. Spoliati a S. Sede dignitatibus, beneficiis, honoribus, eo quod contra Eccleſiaſticam immunitatem egerunt, ſic permaneant, donec reſipiſcentes abſolvantur a Pontifice; illis vero, quorum beneficia a Pontifice collata ſunt aliis, ab eodem Pontifice compenſatio fiet.

V. Cum tempore interdicti habita fuerint a Regularibus quibuſdam Capitula, reſcindantur, electique ſuperiores deponant dignitates, aliique a Generalibus ordinum ſubſtituantur;

VI. Omnes excommunicati tales habeantur ab omnibus, donec ſubmiſſe petant abſolutionem, & ſatisfaciant Eccleſiæ;

VII. Cadavera Epiſcoporum Cataniæ, & Agrigenti expulſorum a regno, & defunctorum extra ſuas Eccleſias, honorifice in ſuas Eccleſias recipiantur, & humentur;

VIII. Et Vicarii Generales in ſpiritualibus Cataniæ, & Agrigenti jam expulſi redeant ad ſuas Eccleſias, ibique ſint Vicarii, ſicut antea, donec alii deputentur ab Epiſcopis eorum locorum deligendis;

IX. Cum omnia acta facta a Vicariis intruſis in Epiſcopatibus Liparenſi, Catanienſi, Agrigentina Pontifex reſciderit, dabit facultatem novis Vicariis agendi quod optimum erit factu;

X. His omnibus adimpletis Pontifex dabit facultatem prædictis Vicariis abſolvendi a cenſuris excommunicatos & tollendi interdicta.

Die VII. Apr. 1719.

De ratione componendi diſſidia de Monarchia Sicula.

XCIV. ex Pirro Sicilia Sacra. p. 501.

BENEDICTUS XIII. Carolo VI. Hiſpaniarum Catholico, Bohemiæ, Hungariæ, & Romanorum Regi.

Inc. *Quotidianis prope, &c.*

„ REcuperato armorum vi ex Hiſpanis Siciliæ Regno, nihil magis cordi habuit Carolus, quam „ ut diſcordiæ contentioneſque, quæ tandiu exarſerant „ inter S. Sedem hinc, Regemque Siciliæ Victorium „ Amadeum Sabaudiæ Ducem ex æquo, & bono com„ ponerentur; eodem ardore æſtuabat optimus Pontifex „ Benedictus, ut iis Eccleſiis, quæ jamdiu paſtoribus „ erant orbatæ, provideret.

„ Carolus proinde per ſuos Miniſtros Romæ inſta„ bat, urgebat, ne diutius anceps eſſet & dubius de „ ſuæ juriſdictionis limitibus.

Significat ergo illi Benedictus, ſe quotidie circumſideri a Miniſtris illius, exponentibus ut tandem ſopiantur jurgia, terminique utriuſque juriſdictionis laicæ, eccleſiaſticæque conſtituantur.

Agnoſcit in hoc Benedictus pietatem Cæſaris; *eum proinde rogat, ut pro ſua ſingulari ſapientia, & pietate idoneam aliquam rationem ſuggerat, qua ejus votis obſecundare poſſit;*

Sicut autem de Caroli pietate certus eſt Pontifex, ita Carolus de ſtudio, quo Pontifex ardet diſcordias tollendi, quin tamen ſuo muneri detrimentum afferat, debet eſſe certus.

Interim illi Apoſtolicam benedictionem impartitur.

D. Romæ Cal. Mar. P. a. III. a. D. 1727.

Concor-

Concordiæ de Monarchia Sicula decreta.

XCV. B. M. p. 4. vel t. 10. p. 379. Il. R. t. 12. p. 291. C. C. BENEDICTUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Fideli ac prudenti, &c.*

INſtabat Carolus III. vel VI. Romanorum Imperator, Siciliæque Rex ut Benedictus reſtitueret jura Monarchiæ Siculæ, quæ Clemens XI. duabus conſtitutionibus irritarat, cum Victorius Sabaudiæ Dux illud poſſidebat regnum, quod fuerat datum Carolo III. prius bello recuperatum ex Hiſpanis, qui illud occuparant Allobrogeſque inde detruſerant. (Victorio autem data fuit Sardiniæ inſula.)

Benedictus ergo ita Legationem, vel Monarchiam ſuppreſſam erigit.

„ Hujus Bullæ ſummarium exſcribimus ex Caroli „ Gagliardi Epiſcopi Murani olim Sacrorum Canonum „ in R. Neapolitano gymnaſio ſacrorum Canonum in„ terpretis inſtitutionibus juris Canonici Lib. I. t. XXI. „ §. XXIX. edit. alter.

I. Decernit, ut cauſæ omnes ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, *majoribus* tamen exceptis, quæ Romano Pontifici ſpeciatim, ejuſque delegatis reſervatæ *juxta canonicas ſanctiones* ſunt in ipſo Siciliæ regno ultra Pharum cognoſcantur, & terminentur; ut nimirum omnes *non exemptorum* cauſæ in primo gradu *coram ordinariis locorum* duntaxat cognoſcendæ ab eorum curiis non avocentur niſi *per legitimam appellationem* a ſententia definitiva, aut ab interlocutoria, quæ vim definitivæ habeat, vel ab actu, cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat, vel præjudiciale ſit invertendo juſtum juris, & judiciorum ordinem, aut niſi integro biennio a die motælitis remanſerint coram ipſis ordinariis indeciſæ, quem admodum a Concilio Tridentino (cap. *cauſæ omnes* 20. *ſeſſ.* 24. *de reform.*) decretum eſt. Si ſecus fiat, quæcumque appellatio, inhibitio, aut ſententia eo ipſo nulla, & irrita ſit. Exemptorum vero cauſæ civiles, & criminales in primo etiam gradu *judex* Eccleſiaſticus a Rege nominatus, & delegatus, qui *judex Monarchiæ* dicitur, cognoſcat tanquam Ordinarius. Tum a ſententiis ordinariorum ad Metropolitanum appelletur, ſervata forma Tridentinæ Conſtitutionis.

II. Poſtquam Metropolitanus cauſas vel ſuffraganeorum in ſecundo gradu, vel ſuæ ipſius diœceſis in primo gradu judicaverit, eas judex idem regius Monarchiæ, qui ſit in jure Canonico doctor, ſeu licentiatus, & in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutus, in gradu appellationis cognoſcat, aliaque peragat mox exprimenda;

III. Eaſdem cauſas tam exemptorum, quam non exemptorum in altero appellationis gradu alter, qui eiſdem qualitatibus prædituſ ſit, *Eccleſiaſticus* in utroque jure doctor vel licentiatus, quem Rex quoque delegaverit, cum tribus aſſeſſoribus in utroque jure verſatis ab ipſo Rege deputandis rite cognoſcet ac definiet. Et quoties aliud iteratæ appellationis beneficium leges indulgeant, *tertius* cum tribus aliis aſſeſſoribus judicium aſſumet, *& ita deinceps* quartus nimirum quoadusque ſententiæ tres uniformes judicatam rem parientes ſilentium ipſo jure indixerint ſuccumbentibus.

IV. Appellantes in cauſa una ab ordinariorum judicio nec Metropolitano, nec judici Monarchiæ licebit quoad alias cauſas, præterquam in caſibus a jure canonico præſcriptis eximere: ſed ipſos ordinariorum juriſdictioni ſubjectos relinquant:

V. A decretis, vel ſententiis, quas tulerint conſervatores Regularium, liceat itidem appellare ad judicem Monarchiæ, & rurſus ab hoc ad alterum, alioſque in gradu ulteriori judicaturos cum jam dictis aſſeſſoribus; Conſervatores autem adigantur ad amuſſim ſervare Pontificias Conſtitutiones Innocentii IV. Alexandri IV. Bonifacii VIII. & Gregorii XV. nec non Tridentinas:

VI. Ne recipiantur appellationes *niſi per publica documenta realiter exhibenda prius conſtiterit, appellationem a ſententia definitiva, vel habente* vim definitivæ, *aut* a gravamine, *quod per definitivam reparari non poſſit, vel quod præjudiciale ſit in caſibus jure non prohibitis, per* legitimam perſonam, & intra ſtatuta tempora *fuiſſe interpoſitam, aut proſequutam, nec præterquam in caſibus jure permiſſis; nec liceat inhibere ordinariis, aut etiam ſimpliciter mandare, ut copia proceſſus tranſmittatur etiam expenſis appellantis, niſi in caſibus jure permiſſis;*

VII. Inhibitiones per legitimam appellationem ne concedantur, *niſi cum inſertione ſententiæ aut decreti, a quo provocatum fuerit; alias ipſo jure ſint nullæ, eiſque impune liceat non parere:* At ubi authenticum illius exemplum culpa judicis inferioris, vel actuarii habere non poſſe appellans conqueratur, tunc Metropolitanus æque ac judex appellationis reſcribent, ut *ſoluta actorum mercede* infra brevem terminum petitum dent exemplum appellanti, & interim nihil innovetur.

VIII. A decretis *in viſitatione, vel pro correctione morum* editis appellatio *quoad effectum ſuſpenſivum* veretur, niſi cum viſitator parte citata, & adhibita cauſæ cognitione *judicialiter* proceſſerit, & in aliis caſibus a jure permiſſis:

IX. Cum *a gravamine*, quod per definitivam reparari nequeat, vel quod *præjudiciale* ſit, appellatur, nonniſi *viſis actis* gravamen oſtenſuris, admittatur appellatio.

X. In cauſa *indebitæ carcerationis* oretenus mandatæ permittantur inhibitiones, quoties de mandato illius conſtiterit ex duorum teſtium diſpoſitionibus, vel de ea ſequuto ex documento notarii, aut cuſtodis carcerum, in cauſis *comminatæ injuſtæ carcerationis, vel torturæ vel excommunicationis* inhibitiones non expediantur *non generales, & indefinitæ, ſed compulſoriales* tantum pro tranſmiſſione copiæ actorum addita clauſula, *& interim judex a quo ad ulteriora non procedat*; & ubi ex actis evidens appareat gravamen, tunc admittatur appellatio cum inhibitione, cauſam cognituro judice ad quem alias remittatur ad ipſum primi gradus judicem:

XI. Acta originalia ne tranſmittantur ad judicem appellationis, niſi cauſæ natura flagiter, aut probabilis ſuſpicio falſitatis rite objecta: quæ poſt finem litis ad ordinarium remittenda ſunt, ut in ejus Curiæ tabulario aſſerſentur:

XII. In eo ipſo, ubi reperitur, carcere appellans detineatur interea, donec judex appellationis *viſis actis, cauſaque cognita* aliter decreverit. Altera ſi appellatio contra *decretum excarcerationis* interponatur, ea tunc *effectum tantum devolutivum* favore libertatis producat:

XIII. *Cenſuram eccleſiaſticam* quilibet judex appellationis etiam Monarchiæ delegatus revocare, aut nullam declarare nonniſi *auditis partibus, & cauſa cognita poſſit*: eam ſi juſtam agnoverit, appellantem ad judicem ipſum a quo remittat pro abſolutionis beneficio humiliter petendo, & rite poſt emendationem obtinendo; ab injuſta, vel dubia is eum abſolvat: quamvis *honeſtius ſit* abſolvendum a dubia cenſura ad ordinarium quoque remittere brevem tunc ei terminum præfigendo:

XIV. Si dubium vel facti, vel juris incidat, in controverſa nullitate excommunicationis, vel ab homine, vel a jure inflictæ, judex appellationis *abſolutionem ad cautelam cum reincidentia, & præſtita cautione de ſtando juri, & parendo mandatis Eccleſiæ*, indulgeat, vel *Ordinario* loci mandaturus, ut appellantem excommunicatum in eo ipſo loco præſentem *intra tres dies abſolvat, vel Confeſſario*, ille ſi inde abſit, aut eum abſolvere ordinarius recuſaverit. Triduum vero decurrit ab eo die, quo mandata ejuſmodi abſolutionis non ordinariis ipſis ob reverentiam, ſed ipſorum cancellariis fuerint exhibita; intereaque *Cedulones tegantur duntaxat*, niſi mos in peculiaribus caſibus poſtulaverit eos amoveri:

XV. A ſententia definitiva *contra verum contumacem* prolata ne recipiatur appellatio, nec inhibitio contumacia durante concedatur:

XVI. In criminalibus cauſis ubi ex officio proceſſerint ordinarii, perſonam actoris in gradu appellationis gerat promotor fiſcalis vel Curiæ Metropolitanæ, vel judicis Monarchiæ, eoque non audito, appellationis acta omnino irrita ſint, & præcedentes ordinariorum ſententiæ executioni mandentur:

VII. Pauperibus litigantibus acta omnia gratis fiant tum civilia, cum criminalia, copiæ etiam tranſmittendæ ad judices appellationis; ubi paupertas ſummarie probetur, vel alias conſtet arbitrio judicis:

VIII. Regulares intra clauſtra delinquentes judicio ſuperiorum regularium relinquantur juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini, & peculiarium ſtatutorum: extra clauſtra delinquentes, vel degentes ab Epiſcopis primum judicentur, & puniantur, mox in gradu appellationis a judice Monarchiæ. In prælatos vero exemptos, qui nullum alium in Sicilia ſuperiorem habent, hunc ipſum judicem tanquam ordinarium procedere expoſitum ſuperius eſt:

XIX. Poteſtatem is habeat *in integrum reſtituendi*, prout juris fuerit, *quaſcumque perſonas* adverſus ſententias, res judicatas, & quoſcunque contractus,

XX. Juramenta quoque ad effectum agendi duntaxat relaxandi ex cauſa,

XXI. Inſuper abſolvendi omnino, vel ad cautelam a quibuſcumque cenſuris, & a pœnis Eccleſiaſticis quoslibet, ſervatis de jure ſervandis, quemadmodum ſuperius explicitum eſt,

XXII. A cenſuris etiam, & pœnis in utroque foro ob homicidium, perjurium, adulterium, inceſtum, fornicationem, aliudve flagitium contractis, uſurarios quoque reſtitutis antea uſuris, injuncta pro modo culpæ pœna ſalutari:

XIII. Quoad vero cenſuras latæ ſententiæ ſummo Pontifici ſpeciatim reſervatas a quibus Legati etiam a latere prohibentur abſolvere, judex Monarchiæ poſſit abſolutionem temporaneam *cum reincidentia ad effectum agendi tantum & ad cautelam* concedere recurrentibus a gravamine, quod in declaratoria cenſurarum ejuſmodi reſervatarum illatum ſibi ii demonſtraverint: nec non cognitionem aſſumere, an ſententiæ Epiſcopales incurſum earum declarantes fuerint validæ, ac juſtæ, an irritæ, & injuſtæ: ſi eas non rite prolatas vitio nullitatis laborare ſolum cognoverit, Epiſcopo reſcribat, *ut rite procedat ex integro*, reſervata poſt novam ſententiam Sedi Apoſtolicæ abſolutione plenaria; injuſtas vero & nullas ubi deprehenderit, declaret in eas non incurriſſe appellantes: & vice verſa ſi juſta noverit, recurrentes pro abſolutione ad Apoſtolicam Sedem remittat. Idipſum in ſecundo, & ulteriori gradu ſervabunt alii etiam a Rege dandi judices cum aſſeſſoribus ſupra jam dictis:

XXIV. Monitoria excommunicationis *contra occultos, & ignotos malefactores, qui ſatisfacere differant, & conſcios non revelantes concedat*, ſervata forma concilii Tridentini, & conſtitutionis S. Pii V.

XXV. Quæcumque vota (præterquam caſtitatis, & religionis, & viſitandi limina cum Ss. Apoſtolorum Petri, & Pauli de urbe, tum S. Jacobi in Compoſtella) valeat in alia pietatis opera commutare; necnon largiri gratis omnino pauperibus tantum, qui labore manuum ſuarum vivunt diſpenſationes in tertio, & quarto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu ad matrimonia contrahenda:

XXVI. Proptereaque ſuis diſpenſationum litteris oratores abſolvere a quibuſcunque cenſuris ad effectum earum duntaxat conſequendum:

XXVII. In exequendis vero litteris Apoſtolicis etiam ſuper collatione beneficiorum vel ſæcularium, vel regularium, ubi certi ſunt executores dati, nequeat ſe judex Monarchiæ ingerere, niſi a decreto executionis fuerit reclamatum de illato gravamine, vel exceſſu:

XXVIII. Non alios niſi unum in quacumque Epiſcoporum reſidentia, & præcipuis urbibus Trepano, Thermæ, Mile, & Matara, ſeu Auguſta ſubdelegatum Eccleſiaſticum deputare is poſſit, exemptumque ab ordinariis facere:

XXIX. Nec poſſit litteras patentes exemptionis aliis dare *niſi miniſtris, & officialibus neceſſariis* ad tribunali Monarchiæ inſerviendum, in toto regno quinquaginta non exceſſuris, præter illos, qui Curiæ Panormitanæ in primo, ſecundo, & tertio gradu eccleſiaſticis delegatis, & aſſeſſoribus inſerviunt:

XXX. In rebus quomodolibet ſpectantibus *diſciplinam & obſervantiam regularem* perſonarum utriuſque ſexus, diſtributionem officiorum, collocationem regularium, ordinationes circa chorum, & cancellos, clauſuramque monialium, deſignationes cellarum, id genus aliis nihil omnino ſe ingerat in quovis gradu etiam appellationis, & recurſus,

XXXI. Nec deputet præſides capitulorum, ſuperiores, vel Abbatiſſas, Vicarios, vel Vicarias, vel qualescumque officiales utriuſque ſexus, & quovis titulo,

XXXII. Neque magiſtros, lectores, rectoreſque ſtudiorum, nec eos in poſſeſſione munerum, vel officiorum confirmet, qui ea debent finito tempore ſtatutis præſcripto dimittere, vel ſint a legitimis ſuperioribus amoti; nec judicium ſumat nullitatis profeſſionis tam ante, quam poſt lapſum quinquennii; illæ tantum cauſæ regularium contentioſæ, in quibus de jure appellandi locus eſt, *expleto curſu judicii unoquoque ordine regulari* ſecundum conſtitutiones ipſarum ad Monarchiæ judicem devolvantur in gradu appellationis ritu jam dicto proceſſurum:

XXXIII. Quam in exemptos ſeculares Clericos jurisdictionem Tridentina Synodus attribuit Epiſcopis ut Sedis Apoſtolicæ delegatis, ejus uſum non impediat judex monarchiæ: tametſi eorundem exemptorum cauſas & civiles, & criminales ex ante dictis ipſe cognoſcit ac definit in primo gradu, mox alii a Rege delegati in gradibus appellationum:

XXIV. Graviores Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum cauſæ criminales ſupremo Romani Pontificis judicio cognoſcendæ, ac terminandæ reſerventur juxta legem Tridentinam (*cap. cauſæ 5. ſeſſ. 24. de reformat.*) minores vero criminales, & civiles cauſas præſertim penſionum, in quibus rei ſunt Archiepiſcopi, vel Epiſcopi a Metropolitanis exempti, judex Monarchiæ in primo gradu cognoſcat; ſi vero Metropolitanis Epiſcopi ſubſunt, Metropolitanus in primo, judex ipſe in ſecundo gradu ſecundum ante dicta procedat:

XXXV. Judex idem *nullas ſibi ſumat partes etiam per modum proviſionis, vel alio quovis prætextu contra ordinationes, & mandata, quæ propria Papæ manu per ſpeciale reſcriptum ſignata, & ſubſcripta erunt; nec eorum executionem*, quantum in ſemetipſo erit, *audeat impedire* vel retardare, ſed qua par eſt obſervantia executioni omnino demandentur;

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum III. Cal. Sept. P. a. V. a. D. 1728.

Carolus vix ac accepit hæc ſtatuta Pontificis, illa approbavit; miſitque ad Siciliæ Proregem jubens, ut ea promulgaret, & omnibus exactam eorum obedientiam injungeret.

Quod Prorex fecit Panormi Die XXV. Febr. a. 1729.

Atque ita graviſſimæ diſſenſiones inter S. Sedem & Reges Siciliæ ſedatæ fuerunt.

Privilegia Capellani majoris utriuſque Siciliæ Regis.

CLEMENS VIII. Philippo III. Hiſpaniarum regi. XCVI. B.R.t.5. p. 2. p. 552, C, C.

Inc. *Glorioſa progenitorum, &c.*

AD inſtantiam Philippi Capellano majoris regis, vel proregis utriuſque Siciliæ hæc privilegia concedit Clemens, abrogatis prius privilegiis datis a Leone X, quæ erant ſemina litium, inter Prælatos, & Capellanos;

I. Ut in capella regia poſſit celebrare præſente, vel abſente regia familia; in qua Capella per totam octavam Corporis Chriſti poſſit retineri SS. Euchariſtia, & in quinta, & ſexta Feria Majoris Hebdomadæ recondi in ſepulcro;

II. In Eccleſiis regularium, & Sæcularium, & Monialium celebrare præſente regia familia,

III. Eligere concionatorem ex quovis ordine approbatum a Superioribus ad prædicandum verbum Dei;

IV. Relaxare coram rege vere confeſſis, & pœnitentibus dies ducentum, coram prorege dies centum de pœnitentiis,

V. Omnibus familiaribus, & vere commenſalibus regis, vel proregis exiſtentibus in Palatio ſacramenta miniſtrare, etiam ſequentibus aulam in itinere;

VI. Baptizare Judæos, Turcas converſos in præſentia regis; matrimonia facere, ſi nubentes in palatio vixerint; ſecus fiant publicationes, & aſſiſtat matrimonio, notetque illud in libro, quem tenebit;

VII. Oleum Sanctum, SS. Euchariſtiam pro infirmis aulicis ex viciniori parochiali Eccleſia ſumet, quorum corpora ſine præjudicio Eccleſiæ parochialis ſepeliantur ubique;

VIII. Cauſas inter cantores, & inſervientes Capellæ in prima inſtantia cognoſcat; modo non ſint motæ in Curia; & alia hujus generis,

Nuncius A. pro tempore deputatur executor. N. O.

Vult tamen, ut Capellanus determinatum numerum Clericorum habeat, neque noceat ordinariorum juribus.

Dat. Romæ apud S. Petrum Die XI. Jan. P. a. XI. a. D. 1603.

DE

DE CAPELLA REGIA, & IMPERIALI PALATII PANORMI.

Cantori, & Canonicis hujus Capellæ datur uſus Rochetti, & Mozzettæ.

XCVII. Ex Sicilia ſacra Rocchi Piri p. 1370. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

CApellam hanc anno MCXXXII. Cl. me. Rogerius Regni Siciliæ primus Rex poſt ejectos e Sicilia Saracenos, poſt plurimos latos labores bellicos ut ſe vere Chriſtianum oſtenderet; zelantemque Catholicæ Fidei propagatorem in palatio ſuo Panormi de conſilio Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Cleri, populique ejus regni eleganti, & egregia ſtructura ædem in honorem Dei, & Beatiſſimæ Virginis ædificari curavit, illamque & pulchritudine, & apparatuum ornamentorumque elegantia, & pretio omnibus Eccleſiis regni præferendam B. Petro Apoſtolorum principi dicavit, ampliſſimis privilegiis decoravit, & de conſenſu Capituli & Canonicorum Eccleſiæ Panormitanæ, eam collegiatam inſtituit, ut ibidem nocturnæ, diurnæque horæ canerentur, celebrarenturque Miſſæ.

Imperatores, regeſque ſubſequuti redditus aſſignatos a Rogerio auxerunt Feudis, terris, decimis, Tonnariis, Terragliis,

Eccleſiam autem ornarunt reliquiis multis, rariſque Sanctorum, & Sanctarum;

Privilegiis diverſis tam latine, quam græce conſcriptis, aliiſque exemptionibus *etiam ab eadem Sede R., & Romanis Pontificibus confirmatis* eam fulcierunt.

Dignitas una eſt, quæ dicitur Cantoria, Canonicatus ſunt duodecim, eſt ſubcantor, Magiſter ſcholarum, ſunt octo Correndati, ſex Diaconi, duo Sacriſtæ, ſex pueri Clerici, duo Organiſtæ, nec non viginti Muſices periti, qui eidem Capellæ inſerviunt.

Eccleſia hæc habet per totum regnum, & Panormi multas Eccleſias tanquam ſuffraganeas.

Et ut nihil deeſſet, Canonici eodem utuntur habitu, quo Canonici Cathedralis, ſuntque eorum prorſus pares in proceſſionibus, actibus publicis, & funeribus.

Cum ergo nuper a Paulo V. obtinuiſſent Canonici Cathedralis uſum Rochetti, & Mozzettæ, Cantor, & Canonici Capellæ ſupplicarunt Urbano, ut quoniam ſemper uſi fuerant habitu Canonicorum Cathedralis, ita vellet ſe uti Rocchetto, & Mozzetta.

Id illis permittit Urbanus, modo id fiat ſine præjudicio Canonicorum Cathedralis.

Vetat quovis prætextu eos de hoc habitu moleſtari;

Irritum decernit quidquid contra illos hac de cauſa a quocunque cujuſcunque dignitatis agetur. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Idib. Apr. P. a. X. a. D. 1633.

Pro Canonicis, & Clericis inſumuntur annuatim ſcuta monetæ ejus regni 3566. 10. 8.

Pro ceris, & ſolemnitatibus ſcuta 722.

Pro Muſicis ſcuta 1838.

Pro magiſtris cæremoniarum ſcuta. 180.

Quæ quidem ſumma aſcendit ad valorem ſcutorum 6306. 10. 8. annuatim.

DE S. ROSALIA REGNI SICILIÆ PATRONA.

Significat Siculis Pontifex nomen S. Roſaliæ poſitum fuiſſe in Romano Martyrologio.

XCVIII. Ib. p. 228. URBANUS VIII. Senatui populoque Panormitano.

Inc. *Scriptam in Cœleſti, &c.*

„ ANno 1624. graſſari Panormi, & per Siciliam
„ cœperat graviſſima lues, eodem tempore in
„ quodam antro in *Ercta monte*, quem *Peregrinum* di-
„ cunt, inventum fuit corpus S. Roſaliæ Virginis Pa-
„ normitanæ. Ejus patrocinium fuit contra ſævientem
„ morbum præſentiſſimum remedium. Hoc miraculo,
„ aliiſque plurimis, quæ per interceſſionem ejus ſan-
„ ctæ Deus faciebat motus Urbanus juſſit nomen Ro-
Conſil. Pontificiarum Tom. II.
„ ſaliæ in Martyrologio Romano cum ſuo elogio
„ apponi.

Id ſignificat Senatui, Siculis univerſis Pontifex, *ſcriptam in cœleſti viventium libro Roſaliam Panormitanam virginitatis liliis coronatam carere diutius noluimus triumphali Martyrologii Romani teſtimonio . . . in ſalute iſtius urbis agnitum eſſe beneficium civis veſtræ patrocinium non mediocriter gaudemus, qui vota Pontificiæ caritatis ad optatos exitus duci fatemur felicitate virtutum veſtrarum e ſacro Corpore, quod anteactis ætatibus ignotum lux Cœli plane viſa eſt patececiſſe in tempore opportuno, cupimus ad populum iſtum depluere imbrem, quamvis ſerotinum, & pluviam voluntariam cœleſtium benedictionum.*

Populo, ac toti civitati Apoſtolicam impartitur benedictionem.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVI. Janu. P. a. VII. a. D. 1630.

Idem ſignificatur Card. Doria Archiepiſcopo Panormitano.

URBANUS VIII. Januetino Card. Doria Archiep. &c. XCIX. Ib. p. 229.

Inc. *Quæ cœleſte, &c.*

ROſalia, quæ tantum patrocinium *Panormitanæ patriæ ſuæ præſtitit, digna erat ut in ſacris Romani Martyrologii faſtis inter Catholicæ Eccleſiæ plauſus triumpharet.*

Gaudet de hoc eventu Urbanus, etiam quia pietas Cardinalis emicuit.

Certe vitæ ſuæ Cardinalis non pepercit in communi calamitate, fuitque paſtor ille verus, qui dare animam ſuam pro ovibus ſuis non reformidavit, ſed B. Roſalia noluit paſtorem ejuſmodi diutius angi, diutius inter mortis diſcrimina verſari; proinde patriæ ſuæ e ſuperis eſt opitulata.

Illi peramenter benedicit Urbanus, omniaque eum proſpera, & felicia a Deo expectare jubet.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVI. Mar. P. a. VII. a. D. 1630.

De miſſis ad ſe reliquiis S. Roſaliæ grates agunt ur a Pontifice Cardinali.

URBANUS VIII. Jannetino Card. Doria Arch. &c. C. Ib. p. 230.

Inc. *Accepimus gemmas, &c.*

„ EX integerrimo S. Roſaliæ corpore miſerat ad
„ Pontificem Cardinalis Doria quaſdam reliquias,
„ quæ ſicut patrocinium ſuum in Siciliam oſtenderat,
„ ita apud Deum intercederet, ut Pontificis regimen
„ felix eſſet, diuturnumque.

Reſcribit Cardinali Pontifex, ſe accepiſſe *gemmas paradiſi deſiderabiliores ſuper lapidem pretioſum reliquias Beatiſſimæ virginis Roſaliæ*; e quibus ſtatim cor ſuum floruiſſe dicit.

Orat Pontifex, ut ſicut luem e Sicilia expulit, ita bellum ex Italia eliminet *brachio virtutis ſuæ.*

Brachiis paternæ benevolentiæ propter miſſionem tanti theſauri Cardinalem amplectitur, eique benedicit.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Mart. P. a. VII. a. D. 1630.

Rogerius de Lauria inveſtitur quibuſdam inſulis e conſpectu Siciliæ provinciæ Africæ.

BONIFACIUS VIII. Rogerio de Lauria. CI. Ex Rayn. ad ann. 1295. §. 37.

Inc. *Ex tuorum, &c.*

STrenuus miles Rogerius *non abſque potenti manu progrediens Gerbi, & Curchim inſulas provinciæ Africæ, ſeu civitatis Tuniſii de manibus hoſtium fidei chriſtianæ eripuerat*, proponebatque in iis Eccleſias conſtruere, expellere Saracenos, & Chriſtianos in iis ponere incolas.

Rogavit proinde Pontificem, ut iis inveſtiretur, quoniam ad regnum Siciliæ non pertinebant, nec poſſidebantur ab ullo Chriſtiano Principe.

Laudat Bonifacius virtutem, zelumque dilatandæ chriſtianæ religionis commendat, & de Apoſtolicæ ple-

nitudine potestatis eum, & ejus heredes catholicos, & legitimos de jisdem in perpetuum investit, easque illi dat in feudum sub annuo censu quinquaginta unciarum auri ad pondus Siciliæ regni persolvendo quotannis Romanæ Ecclesiæ infra octavas BB. AA. Petri, & Pauli;

Rogerio significat, se dare facultatem Bonifacio de Calamandrano Magno Præceptori ord. Hierosolymitani in partibus Cismarinis eum investiendi.

Si ipse, vel ejus heredes censum solvere contempserint, vel Ecclesiam Catholicam deseruerint, earum insularum dominium ad S. Sedem devolvatur.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Anagniæ III. Id. Aug. P. a. I. a. D. 1295.

DE ECCLESIA SICULA.

Significatio Episcopis Siciliæ deputationis Vicarii jussioque ut semel in anno concilium habeant.

I. B. R. t. I. p. 56. C. C. GREGORIUS I. Universis Episcopis per Siciliam constitutis.

Inc. *Valde necessarium, &c.*

SIgnificat Gregorius Episcopis Siciliæ, se constituisse Vicarium Apostolicum ejus Insulæ Petrum Subdiaconum.

Assignat autem aut Syracusas, aut Cataniam, ubi semel in anno concilium celebrent, in quo excutiant, quæ suis Ecclesiis expedire crediderint, tollant abusus, consuetudines bonas inducant, absint ab illis odia, & invidia. a. 590.

Ecclesia Sicula semper addicta ostenditur Ecclesiæ Latinæ non Græcæ.

II. Ex Pirrho Sicil. Sac. p. 607. GREGORIUS I. Siciliæ Episcopis.

Inc. *Veniens quidam, &c.*

MIrabantur Siculi Episcopi quasdam cæremonias introduxisse Gregorium in Ecclesiam, quas dicebant eum e Græca desumpsisse; easque ægre volebat Ecclesia Sicula adhibere suspicans eas esse Græcæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ.

His litteris has consuetudines ostendit Gregorius non esse desumptas ex Ecclesia Græca. Accusabant eum Siculi, quia jusserat

I. *Alleluja dici ad Missas extra Pentecostes tempora;*

II. *Quia spoliatos subdiaconos procedere,*

III. *Quia Kyrie eleison dici,*

IV. *Quia orationem Dominicam mox post canonem.*

I. *Ut alleluja diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia, ex B. Hieronymi traditione tempore b. m. Damasi Papæ traditur tractum,*

II. *Subdiaconos autem, spoliatos incedere facerem, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit, sed quia placuit cuidam nostro Pontifici, nescio cui, qui eos vestitos procedere præcepit. Nam vestræ Ecclesiæ nunquid traditionem a Græcis acceperunt? unde habent ergo hodie, ut subdiaconi lineis in tunicis procedant, nisi quia hoc a matre sua Romana Ecclesia perceperunt?*

III. *Kyrie eleison autem nos neque diximus, neque dicimus sicut a Græcis dicitur; quia in Græcis omnes simul dicunt: apud nos autem a Clericis dicitur, & a populo respondetur, & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis alia quæ dici solent tacemus, tantummodo Kyrie eleison, & Christe eleison dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur;*

IV. *Orationem autem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsum solummodo orationem benedictionis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem quam scholasticus composuerat, diceremus, & ipsam orationem, quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus & sanguinem taceremus; Sed & Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos vero a solo Sacerdote.*

In quo ergo Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparavimus, aut novas, & utiles constituimus, in quibus tamen alios comprobamur imitari?

Ita respondit Gregorius.

Tum Episcopos orat, ut hanc opinionem deleant ex animo suorum populorum præcipue Catanensium, & Syracusanorum.

Nam de Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subjectam? Quod & piissimus Domnus Imperator, & frater noster Eusebius ejusdem civitatis Episcopus assidue profitentur; Tamen si quid boni vel ipsa, vel altera Ecclesia habet, ego & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim, qui in eo se primum existimat, ut bona quæ viderit, discere contemnat. an. D. 596.

Regius in Episcoporum electionibus assensus confirmatur.

III. B. R. t. I. p. 74. INNOCENTIUS III. Constantiæ Imperatrici Reginæ Siciliæ, & carissimo filio illustri Regi Siciliæ (Friderico II. Imperatori.)

Inc. *Ne ulla, &c.*

ITa præscribit Innocentius modum faciendi electionem canonicam ad Episcopatus Siciliæ.

Sede vacante capitulum significabit vobis, & vestris heredibus obitum decessoris: deinde convenientes in unum, invocata Spiritus S. gratia secundum Deum eligent canonice personam idoneam, cui requisitum a vobis præbere debeatis assensum, & electionem factam non different publicare.

Electionem vero factam, & publicatam denuntiabunt vobis, & vestrum requirent assensum.

Sed antequam assensus regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis solemnitas, quæ inthronizationi videtur annexa; nec antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus administrationi ullatenus se admiscebit;

D. Romæ Die XIX. Nov. a. 1198.

„ Consonam huic Bullæ grandior factus Fridericus „ constitutionem edidit hujusmodi, ob quam postea „ graviter fuit accusatus a Gregorio IX. quasi voluis„ set electiones Episcoporum præscribere; eam tamen „ miserat ante ad Innocentium.

„ In nomine Dei æterni, & Salvatoris nostri Jesu „ Christi. Amen.

„ Reverendissimo Patri, & Domino Carissimo Inno„ centio Dei gratia S. R. E. summo Pontifice Fride„ ricus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & „ Principatus Capuæ.

„ Ne ulla de cetero inter vos, vel successores ve„ stros, & nos, vel heredes nostros super electionibus „ celebrandis dissensio suscitetur, quæ nonnunquam in„ ter Ecclesiam, & regnum rancoris, & indignatio„ nis fomitem ministrabant, modum, & ordinem ele„ ctionis in posterum faciendæ, præsentibus litteris cu„ rabimus explicare, in quibus sic canonicæ libertati „ deferimus, ut dignitatem regiam non lædamus.

„ Sancta Sede vacante capitulum significabit nobis, „ & heredibus nostris obitum decessoris, deinde con„ venientes in unum, invocata Spiritus S. Gratia se„ cundum Deum eligent canonice personam idoneam, „ cui requisitum a nobis præbere debeamus assensum; „ & electionem factam non deferant publicare: ele„ ctionem vero factam, & publicatam denuntiabunt „ nobis, & nostrum requirent assensum. Sed antequam „ assensus regius inquiratur, non inthronizetur electus, „ nec decantetur laudis solemnitas, quæ inthronizatio„ ni videtur connexa: nec antequam auctoritate Pon„ tificali fuerit confirmatus, administrationi se nullate„ nus immiscebit.

„ Volumus igitur, & concedimus, ut secundum præ„ dictam formam electiones de cetero per totum re„ gnum nostrum libere celebrentur, nullo prorsus ob„ stante rescripto a S. Sede impetrato.

„ Ad hujus autem concessionis nostræ memoriam, & „ robur

„ robur perpetuo valiturum præsens rescriptum per ma„ nus boni hominis de Gajeta notarii, & fidelis no„ stri scribæ, & bulla aurea typaria nostræ majestatis „ impressa præcipimus communiri, anno, mense, & „ indictione subscriptis.

„ Datum in civitate Messanensi anno Dominicæ In„ carnationis MCCXI. Mensis Februarii XV. Indict. „ regni vero Domini nostri Friderici Dei gratia glo„ riosissimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Princi„ patus Capuæ anno III. feliciter, Amen.

Expositio supradictæ constitutionis Episcopis regni.

IV. Ib. p. 75. C. C. INNOCENTIUS III. Episcopis, Prælatis, Clero regni Siciliæ.

Inc. *Si carissimæ, &c.*

SIgnificat Siciliæ prælatis Pontifex, quam speciali jure regnum Siciliæ sit sub protectione S. Sedis,

Exponitque iis, quid statuerit observandum in electionibus Episcoporum,

Ad quæ observanda eos hortatur;

Non ideo tamen iis adimit potestatem appellandi ad S. Sedem;

Aitque, se identidem Legatos Apostolicos missurum ad tollendos abusus &c.

Mandat demum, *ut forma istarum litterarum ad perpetuam memoriam in majoribus Ecclesiis transcripta servetur.* a. 1198.

Siciliæ Episcopi ne solvant impositiones prætextu defendendi Ecclesiam injunctas.

V. Ex Pirro Sicilia sacra p. 444. GREGORIUS IX. Episcopis per Siciliam constitutis.

Inc. *Audivimus & vix, &c.*

FRidericus II. Siciliæ Rex, & Imperator ajens se velle defendere Ecclesiam gravissimas exactiones bonis Ecclesiasticis imposuerat; eaque collecta pecunia milites conducebat.

Episcoporum querelæ delatæ fuerunt ad Pontificem, qui scripsit Friderico, ne hoc ageret, scripsitque ejus justitiariis, officialibusque, ne illas exigerent,

Scribit his in litteris Episcopis, ne iisdem justitiariis eas impositiones exigentibus quicquam solvant ipsi, patianturque quicquam suum Clerum solvere.

Non enim intentionis est Pontificis, ut sic defendatur Ecclesiasticum patrimonium, quod ex hoc Ecclesiarum destructio subsequatur, & unius solatium aliis materia sit doloris.

D. Reate Non. Mar. P. a. V. a. D. 1233.

Expositio malorum a Friderico in Ecclesiis regni patratorum, abolitioque decretorum ab illo editorum circa electiones ad Ecclesias.

VI. Ib. p. 315. C. C. INNOCENTIUS IV. ad observantiam & memoriam perpetuam.

Inc. *A diebus, &c.*

LOnga declamatio est contra Fridericum, & longa expositio malorum ab illo Siciliæ regno latorum; sed præcipue usurpata, aut violata jura Ecclesiastica exponit Innocentius.

Vult itaque, ablata bona Ecclesiis restitui,

Vult in Cathedralibus, Conventualibus, & Collegiatis Ecclesiis electiones fieri libere;

Formulam traditam a Friderico observandam in vacantibus Ecclesiis proscribit,

Vetat, Clericos confugere ad sæcularia tribunalia.

Irretiti censuris sive Clerici, sive Laici ad officia non accedant, nisi fuerint absoluti, & ab illis; quæ habent, ejiciantur.

Vult, Episcopis restitui jura sua quoad visitationes, cognitiones causarum &c.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Lugd. VI. Id. Dec. P. a. VI. a. D. 1248.

Confirmatio.

VII. Ib. p. 462. CLEMENS IV. Universis Christifidelibus.

Inc. *Tenorem quarundam, &c.*

INnocentii IV. præcedentes litteras confirmat Clemens; quæ denuo integre afferuntur.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Hæc vide in c. de Imperatoribus.

D. Viterbii Id. Oct. P. a. III. a. D. 1267.

Provisio Ecclesiarum regni reservatur S. Sedi.

VIII. Ib. p. 292. C. C. CLEMENS VI. ad p. r. m.

Inc. *Dum statum; &c.*

CUm miserabilis admodum esset Siciliæ status, eo quod illa insula subjacebat ob varios excessus interdicto, Pontifex cupiens eam aliquo modo erigere, decernit,

Ut omnium Ecclesiarum Archiepiscopalium, Episcopalium, Collegiatarum beneficiorum collatio ad S. Sedem pertineat, ita provisio Abbatiarum, Monasteriorum, Prioratuum Conventualium;

Excipit tamen, monasteriorum Monialium, & religiosarum mulierum, & conventuum, & prioratuum quorum redditus non superant summam quinquaginta Florenorum auri, provisiones, quæ fient ut fieri consueverant.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Avenioni III. Non. Maji P. a. I. a. D. 1343.

Episcopi inventarium faciant processuum &c. morientesque tradant consignandum successoribus.

IX. B. M. t. 2. 355. B. R. t. 4. P. 3. p. 151. C. C. PIUS V. ad p. r. m.

Iac. *Muneris nostri, &c.*

VIcarii Capitulares in Sicilia, mortuis Episcopis, *gratia, timore, odio, vel sordibus, quas volebant inquisitiones, testimonia reorum, & eausarum criminalium violabant, surripiebant, lacerabant;* atque ita nec cognitio delictorum, nec delinquentium habebatur.

Pontifex, ut huic malo obviam eat, præcipit,

Ut ordinarii quolibet anno inventarium conficiant omnium processuum, inquisitionum, testium &c. & illud custodiant; & morientes tradant illud confessario suo, qui successori Episcopo tradet.

Ceterum rapientes, comburentes, retinentes apud se hos processus sint dignitate privati; & notarius si assensum dederit, falsi reus habeatur.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Mart. P. a. VI. a. D. 1570.

Ecclesiastici regulares, & seculares vetantur abscondere bladas tempore annonæ.

X. B. R. t. 5. P. 3. p. 341. C. C. PAULUS V. Episcopis Mazarensi, & Agrigentino, &c.

Inc. *Expositum nobis, &c.*

CUm tenuissima collectio frumenti hoc anno fuisset in Sicilia, prorex supplicavit Pontifici, ut juberet, Clericos sæculares, & regulares revelare frumenti quantitatem a se collectam; ut rationibus initis, posset ille succurrere pauperum indigentiæ.

Præcipit igitur Paulus supradictis Episcopis, & Vicario Archiepiscopi Panormitani, ut etiam per censuras exemptos quoque Ecclesiasticos cogere possint ad denunciandam quantitatem bladarum a se collectarum.

N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXX. Jul. P. a. IV. a. D. 1608.

Inter-

Interdicitur prælatis Siciliæ mactare boves, vitulos, &c. eosque vendere.

XI. Ib. p. 250. C. C. PAULUS V. ad f. r. m.

Inc. *Regnum Siciliæ, &c.*

IN præjudicium agriculturæ, & Laicorum, Ecclesiastici, & quidam milites Hierosolymitani mactabant vaccas, boves, vitulos, vendebantque carnes.

Ad instantiam Philippi regis id illis interdicit Paulus, pœnam mille scutorum denuntians militibus, & exilium e regno, privationem beneficiorum, & suspensionem Ecclesiasticis.

Executores deputat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIII. Mar. P. a. II. a. D. 1607.

Eadem jussio.

XII. Ib. p. 179. C. C. PAULUS V. ad f. r. m.

Inc. *Alias ex causis, &c.*

EAndem inhibitionem renovat Paulus; quia quidam ex primoribus Ecclesiasticis non parebant;

Pœnam etiam excommunicationis in hos Ecclesiasticos primæ dignitatis id agentes addit. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXI. Aug. P. a. III. a. D. 1607.

Confirmatio prædictarum Pauli Bullarum.

XIII. B. R. t. 5. p. 5. p. 174. C. C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Alias a felicis, &c.*

PAuli inhibentis Ecclesiasticis mactare boves, &c. Pœnasque statutas Urbanus confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVI. Dec. P. a. I. a. D. 1623.

Hortatio ad Proregem Siciliæ, ut eximat Ecclesiasticos pauperes a dativis servitiis.

XIV. Ib. p. 153. C. C. PAULUS V. Proregi Siciliæ.

Inc *Cum nos, &c.*

CUm permisisset Paulus Hispaniarum regi, ut posset colligere donativa servitia etiam ab Ecclesiasticis.

Hortatur Siciliæ proregem, ne illa exigat a pauperibus Clericis, qui vix habent, quo se substineant.

Vult autem, hæc servitia colligi ab Ecclesiasticis per Ecclesiasticos vel a rege, vel a prorege deputandos. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die III. Sept. P. a. I. a. D. 1605.

Permittitur Ecclesiasticis solutio donativorum, quin incurrant censuras.

XV. Ib. p. 154. C. C. PAULUS V. Philippo regi.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

TRia brachia, ut dicunt, *Ecclesiasticum, Militare, Demaniale* obtulerunt sponte regi donativa servitia.

Rex orat Pontificem, ut liberet a censuris Ecclesiasticos quas incurrerent ob hanc solutionem.

Eos per has litteras Paulus liberat. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die V. Sept. P. a. I. a. D. 1605.

Confirmatio oblationis pecuniariæ factæ regi Catholico a prælatis Siciliæ.

XVI. Ib. p. 166. C. C. PAULUS V. Philippo regi, &c.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

QUasdam pecuniarum summas donativa nuncupata obtulerant Regi Catholico Prælati Siciliæ.

Hanc oblationem petit Philippus a Paulo confirmari; quæ confirmatur.

Jubenturque omnes Ecclesiastici ratam portionem solvere.

Pauperes tamen Ecclesiasticos, & inhabiles omnino exemptos esse vult. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXIV. Jul. P. a. V. a. D. 1609.

Permissio, ut Ecclesiastici solvant regi pecuniæ summam quandam.

GREGORIUS XV. Philippo, &c. XVII. B. R. t. 5. p. 4. p. 387. C. C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

COnvenerunt Ecclesiastici Siciliæ cum Vice-rege de offerendo regi quandam pecuniæ summam, si Pontificis accederet consensus.

Quem oravit, & etiam obtinuit Philippus. N. O.

Pauperes Ecclesiastici eximuntur.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Sept. P. a. I. a. D. 1621.

Subsidium dandum regi permittitur.

URBANUS VIII. Philippo, &c. XVIII. B. R. t. 5. p. 4. p. 273. C. C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

DEcreverant Ecclesiastici Siciliæ dare subsidium regi. Urbanus rogatus, ut hoc approbaret, approbat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XV. Nov. P. a. II. a. D. 1624.

Permittitur Philippo IV. perceptio fructuum unius integri mensis de qualibet præbenda Ecclesiastica.

URBANUS VIII. Philippo, &c. XIX. Ex Lun. t. 2. p. 1367.

Inc. *Orthodoxæ fidei, &c.*

REgis virtutes Philippi, qui eas avi, patrisque sui Philippi II. & Philippi III. æmulatur, laudat Pontifex;

Tum illius expensarum, ita ut thesauros regios exhauserit, rationem habens illi concedit, ut omnium Ecclesiarum, præter habentium curam animarum, beneficiorum, iis exceptis, quorum redditus non superant viginti quatuor ducatos auri de camera, omnium monasteriorum Concistorialium, omnium militiarum, Hierosolymitana excepta, canonicatuum, præbendarum vacantium unius integri mensis fructus percipere possit, quocunque modo vacent, & quarumcunque personarum in regno Siciliæ ultra pharum.

Hos fructus colligere jubetur Archiepiscopus Panormitanus cum aliis personis Ecclesiasticis. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXXI. Aug. P. a II. a. D. 1625.

Subsidium aliud permissum dari regi.

URBANUS VIII. Philippo. XX. B. R. t. 6. p. 1. p. 115. C. C.

Inc. *Eximius majestatis, &c.*

PErmittit Urbanus eidem Clero dare regi oblatum subsidium,

Regique permittit illud accipere. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die V. Oct. P. a. IV. a. D. 1626.

Eadem permissio.

URBANUS VIII. Archiepiscopo Panormitano. XXI. Ib. p. 138. C. C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

DAt facultatem Urbanus dandi Clero subsidium, Regi acceptandi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXI. Aug. P. a VI. a. D. 1628.

Ea-

Eadem Commissio.

XXII. Ib. p. 250. C. C. URBANUS VIII. Archiepiscopo Panormitano.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

EAdem permissio dandi Clero subsidium, Regi accipendi illud datur ab Urbano. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XX. Dec. P. a. VIII. a. D. 1630.

Jubetur Archiepiscopus Panormitanus publicare Breve, quo conceditur regi decima.

XXIII. B. R. t. 6. p. 1. p. 71. C. C. URBANUS VIII. Card. Jannetino ab Auria Arch. Panorm.

Inc. *Alias a nobis, &c.*

CUm ad instantiam Philippi imposuerit Urbanus decimam super bonis Ecclesiasticis Siciliæ,

Jubetur Cardinalis prædictus Breve Pontificium ibidem publicare,

Daturque illi facultas cogendi ad solutionem solvere recusantes. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVIII. Jul. P. a. XIII. a. D. 1636.

Augmentum vectigalis conceditur.

XXIV. Ib. p. 176. URBANUS VIII. Eidem.

Inc. *Alias a nobis; &c.*

CUm impositum vectigal non sufficeret regis subsidio, Senatus illud auxit super vino, & oleo.

Jubetur ergo Archiepiscopus hoc Ecclesiasticis notum facere, ut illud solvant. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die IV. Mar. P. a. XVI. a. D. 1639.

Ad Archiepiscopum Panormitanum, ut jubeat fieri a Clero solutionem.

XXV. B. R. t. 6. p. 4. p. 5. C. C. ALEXANDER VII. Archiepiscopo Panormitano.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

MOtus Philippus rex decreto Lateranensis Concilii *novissime celebrari* vetantis sub pœnis, & censuris, *ne reges, & principes ab Ecclesiasticis personis etiam sponte offerentibus pecuniarum aliquam summam recipiant*, supplicavit Pontifici, ut consuleret, cum Ecclesiastici Siciliæ obtulerint pecuniam.

Qui mandat Panormitano Archiepiscopo, ut regiis ministris det facultatem oblatam pecuniam recipiendi. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXV. Maj. P. a. I. a. D. 1655.

Permissio regi acceptandi Donativum collatum &c.

XXVI. Ib. p. 269. C. C. ALEXANDER VII. ad p. r. m.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

OBlatum fuit regi a Clero hujus regni donativum centum millium scutorum pro una vice tantum.

Rogat Pontificem, ut illud exigere possit

Quod ei permittit Alexander. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VI. Dec. P. a. VI. a. D. 1658.

Alia Bulla ejusdem tenoris.

XXVII. B. R. t. 6. p. 5. p. 250. ALEXANDER VII. Archiepiscopo Panormitano.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

DAturus erat Philippus Theresiam Infantem Hispaniæ filiam suam Ludovico Galliarum regi, Cle-

rus Siciliæ Regi obtulit donativum 50 m. scutorum ad dotem assignandam Infanti.

Rogante Pontificem Philippo, ut liceret sibi illud acceptare, Pontifex dat curam Archiepiscopo, &c. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Sept. P. a. VIII. a. D. 1662.

Permissio clero Siciliæ, ut ordinarium donativum det regi.

CLEMENS IX. Episcopo Cæphaluditano. XXVIII. B. R. t. 6. p. 6. p. 255. C. C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

SUb iisdem clausulis, quibus permiserant superiores Pontifices hujus regni clero dare regi donativum ordinarium, & regi acceptare, permittit & Clemens.

Prædictum Episcopum deputat executorem. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XVI. Maji P. a. I. a. D. 1668.

Jus præsentandi ad Beneficia hujus Insulæ, & Sardiniæ datur Carolo V. ad vitam.

CLEMENS VII. Carolo, &c. XXIX. Ex Rocchio Piro Sicilia sacra t. 1. p. CIX.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

UT animum suum gratum erga Carolum Imperatorem propugnatorem acerrimum Ecclesiæ ostenderet Clemens,

Et ut magis accenderet ad tutandas oras Insularum Siciliæ, Sardiniæque ex infidelium piratarum incursionibus, qui tantum detrimenti afferebant universæ Rei Christianæ,

Et ut simul ostenderet quam gratæ sibi essent Caroli victoriæ ex infidelibus relatæ,

Illi quoad vixerit, concedit jus patronatus, & præsentandi personas idoneas Pontifici pro tempore existenti ad omnia beneficia consistorialia quocumque modo, & ex quibuscumque personis vacare ea contigerit.

Quascumque ergo provisiones de iis beneficiis factas ab aliis quam a Carolo irritat, nulliusque roboris esse vult. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Bononiæ apud S. Petrum III. Non. Mart. P. a. VII. a. D. 1530.

Confirmatum fuit a Paulo III. privilegium.

Permittitur Philippo II. ejusque Filio jus præsentandi ad Ecclesias hujus Insulæ, & Sardiniæ.

SIXTUS V. Philippo Regi Catholico, &c. XXX. Ex Lunig. t. 2. p. 1363

Inc. *Sinceræ devotionis, &c.*

EXoptans Sixtus Philippo II. sui in eum, ejusque natum paterni amoris argumentum dare propter illius eximiam pietatem, qua Ecclesiæ fidem tutari, & dilatare studet, de Cardinalium consilio, sequutus exemplum Clementis VII. qui idem jus concesserat ad vitam Imperatori Carolo V. ejus patri, cujus exempla tam sedulo sequitur, de Apostolicæ potestatis plenitudine concedit

Eidem Philippo *quoad vixerit, & ejus filio Philippo quoad vixerit, jus patronatus, & præsentandi personas idoneas Pontifici pro tempore existenti ad Ecclesias Cathedrales Metropolitanas, monasteria consistorialia in Siciliæ ultra pharum, & Sardiniæ regnis, ac illorum insulis consistentia, quoties illas, quibus modis, & ex quorumcumque etiam S. R. E. Cardinalium personis vacare contigerit.*

Decernirque provisiones omnes aliter factas nullius roboris futuras. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Marcum die X. Sept. P. a. II. a. D. 1586.

DE

DE REGNO SICILIÆ
CITRA PHARUM, VEL NEAPOLITANO.

Taxa onerum imponendorum Siculis.

I. B.R. t. 3. p. 2. p. 40. C. C.

HONORIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Justitia, & pax, &c.*

GRavamina impoſita Siculis ab Imperatore Friderico, nec imminuta a Carolo Andegavenſi in cauſa fuerunt, cur ab hoc Siculi deſciſcerent.

His ergo mederi cupit Honorius eo libentius, quod Carolus I. antequam moreretur, & Carolus II. ſupplicaverant Martino IV. ut ea imminueret.

Decernit ergo Pontifex collectas extraordinarias faciendas,

I. Pro defenſione terræ, ſi regnum invadatur 50000. ſc. pro redimenda perſona Regis, *ſi ab hoſtibus fuerit captivatus*, 50000.

Pro militia ſua, vel fratris ſui, vel ſaltem conſanguinei, cum aliquem decorabit cingulo militari 12000, pro maritanda ſorore, vel filia, vel nepte 15000,

Summa collectæ ſcutorum eſt appoſita cuicumque caſui, & fiat anno eodem collecta una;

II. Ne frequens monetæ mutatio fiat, ſed ſemel tantum ab unoquoque rege;

III. Pœna pro Chriſtiano clandeſtine occiſo non ſit ultra centum auguſtales, pro Hebræo, vel Saraceno non ultra quinquaginta; & hæc pœna exigatur in locis populoſis, cum neſcitur occiſor; in parvis rata portione ſolvatur.

IV. Pro furtis a communitate nulla exigatur multa,

V. Naves ſunt conſtruendæ ſumptu regio, non privato;

VI. Communitates non obligentur ad cuſtodiam captivorum;

VII. Neque eligatur aliquis particularis ad aſſignandam quantitatem pecuniæ pro Rege colligendæ; ne in odium communitatis incidat;

VIII. Communitates ne cogantur ædificare alia loca, niſi quæ fuerunt ab antiquo; cætera caſtra ædificet Rex ſuis impenſis.

IX. In judiciis ſtetur legibus regni, nec denuntiata perſona ſtatim capiatur, ſed ſi det fidejuſſores admittantur; & interim examinetur factum.

X. Paſſus regni tempore belli cuſtodiant incolæ, pacis Rex;

XI. Commercium victualium, animalium, rerum enatarum in regno ſit liberum, modo non vendantur regni hoſtibus;

XII. Naufragis bona jacta, in mare inventa reſtituantur;

XIII. Tollatur abuſus Curialium ſtipendiariorum Curiam ſequentium, ne poſſint res alienas rapere, invitis dominis, domos ingredi,

XIV. In locis, ubi vina, & victualia emi pretio poſſunt nemo e curialibus aliunde rapiat;

XV. Matrimonia juxta eccleſiaſticas leges ſint libera, nec Rex, vel curiales ea impediant,

XVI. Inquiſitis permittatur defenſio, cum capti fuerint,

XVII. Ita fiant etiam in generalibus inquiſitionibus;

XVIII. Etiam in cauſis fiſci nullam patiantur privati injuriam;

XIX. *Foreſtæ* in terris privatorum ne fiant;

XX. Omnes libere ſuis ſalinis utantur,

XXI. Abuſiones caſtellanorum cogentium ruſticos ad deferendum ſibi palcam, ligna, &c. tollantur;

XXII. Pro litteris, & ſigillis regiis nihil amplius conferatur niſi conſuetum;

XXIII. Equi, & animalia deputata molendinis ne capiantur a Curialibus, invitis dominis;

XXIV. Rex eligat idoneos officiales;

XXV. Aditus ſubditorum ad ſe faciles Rex patiatur;

XXVI. Nullus Comes, Baro compellatur ad *Terridas*, vel alia quæcumque vaſſella ſuis ſumptibus faciendas;

XXVII. Rex det pupillis Baronibus aliquem tutorem de conſanguineis;

XXVIII. Jura hereditatum ſerventur;

XXIX. Nullus ſubfeudatarius cogatur ſervitia præſtare regi, ſed teneatur Feudatarius;

XXX. Vaſſalli Baronum per curiam, & officiales non poſſint compelli ad officia;

XXXI. In terris Eccleſiarum, Baronum, Comitum non ponantur magiſtri jurati;

XXXII. Vaſſallis novæ ſervitutes ne imponantur,

XXXIII. Barones extra regnum nec ſervire perſonaliter, nec adjumenta præſtare cogantur,

XXXIV. Liceat univerſitatibus, & cuilibet injuſte gravato appellare ad S. Sedem;

XXXV. Omnes reges antequam regnum adeant, hæc ſe ſervaturos polliceantur.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Tibure per manum Magiſtri Petri de Mediolano S. R. E. Vice-Cancellarii XV. Cal. Oct. Indict. XIV. Incarn. Dom. an. MCCLXXXV. Pontific. vero D. Honorii Pp. IV. an. I.

Confirmatur Juramentum præſtitum a Carolo II Siciliæ Rege.

II. Ex Lunig. t. 3. p. 442.

NICOLAUS IV. Carolo Siciliæ Regi.

Inc. *Ne in poſterum, &c.*

TEſtatur Pontifex, Regem Carolum homagium ligium præſtitiſſe S. Sedi, & dediſſe juramentum juxta formulam præſcriptam ejus Patri Carolo I.

Et ib eas conditiones, quæ appoſitæ fuerunt ſervandæ in inveſtitione regni.

Repetuntur omnes conditiones, quas Clemens IV. (v. de regno Siciliæ n. XVI. *cum jamdudum*) voluit jurari a Carolo I.

Actum Reatæ XIII. Cal. Julii a. D. 1289.

Carolus II. monetur, ne inſcia S. Sede pacſcatur cum Friderico Siciliæ uſurpatore.

III. Ex eodem Lun. ib. p. 451.

BONIFACIUS VIII. Carolo Regi, &c.

Inc. *Actus tuos, &c.*

NOn injuria monet Bonifacius Carolum, ne inſcia S. Sede quid paciſcatur cum Friderico, qui occuparat Trinacriam. Nam cum obſidebatur Cajeta, licet cum Carolo eſſent & Epiſcopus Sabinenſis, & Bonifacius tunc in minori, tamen iis inſciis tractatum fecit cum Jacobo Aragoniæ rege.

Cæterum quia volebat Carolus omnia per ſe agere, male tractatus faciebat, ita fecit ut liberaretur a captivitate; nuper miſit Philippum Tarentinum principem natum ſuum in Siciliam, accepit Nuntios a Friderico, & ſuos ad illum miſit. Quæ omnia in contemptum Eccleſiæ facta videntur.

Quare eum monet, & hortatur Bonifacius, ut nihil cum Friderico agat, S. Sede inconſulta, quæ illius emolumenta reſpicit.

Quæcumque cum illo aliter panget, irrita eſſe vult.

Illi etiam minatur, ſe exacturum ab illo expenſas, quas S. Sedes pro eo fecit, & facturum ſe pacem cum Friderico in ejus præjudicium.

D. Laterani V. Id. Jan. an. V. a. D. 1299.

Fœdus initum inter Carolum, & Januenſes confirmatur.

IV. Ib. p. 453.

BONIFACIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Nuper ad audientiam, &c.*

SUpplicatum Pontifici fuit, ut ad majus robur Capitula inita inter Regem Carolum, & Commune Januæ Apoſtolica auctoritate confirmaret.

Bonifacius, cui ſummopere Terra Sancta cordi erat, reputans hanc conjunctionem poſſe eſſe utilem expeditioni in eam terram, diligenſque Januenſes, qui ad obſequium S. Sedis redierant paulo ante, capitula confirmat.

Rex promittit, ſe permittere ſine dolo, ſine fraude communi Januæ, & perſonis ſingulis de urbe, vel dominio

nimio Januæ extrahere ex Apalia, & aliis regni partibus hordeum, frumentum, &c.

Se, nec officiales ſuos exacturos ultra conſuetum, & ſtatutum quicquam aliud,

Cum Sicilia inſula recuperabitur, Rex promittit ſe extenſurum hunc tractatum etiam ad eam inſulam, ita ut Januenſes etiam ex ea extrahere blada poſſint ſine majore ſolito onere.

D. Anagniæ Cal. Junii P. a. VII. a. D. 1301.

Non tenetur Eccleſia ſuis impenſis defendere regnum Siciliæ.

V. Ex Lunig. t. 3. p. 1019.

CLEMENS V. ad p. r. m.

Inc. *Cariſſimus in Chriſto, &c.*

SIgnificaverat Pontifici Carolus II. ſe ita ære alieno gravatum eſſe, ut neſciret, quo pacto Eccleſiæ, a qua pecuniam mutuatus fuerat, ſatisfaceret.

Patrem ſuum plurima bella geſtiſſe contra Manfredum, Conradinum, & Petrum Aragoniæ regem Siciliæ invaſorem, ſe quoque ut bellis reſiſteret, ut liberaretur a captivitate, multam expendiſſe pecuniæ vim;

Rogavit ergo Pontificem, ut provideret de innata S. Sedis miſericordia.

Clemens, re cum Fratribus communicata, eorumque conſilio habito, reſpondet Carolo, S. Sedem non teneri ad expendendam ſummam ullam pecuniæ pro Siciliæ regni propugnatione, de hoc fuiſſe conventum cum Carolo in inveſtitione ejus regni.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Pictavis XIII. Cal. Aug. P. a. II. a. D. 1307.

Æris alieni contracti cum S. Sede tertia pars remittitur Carolo.

VI. Ib. p. 1061. CLEMENS V. Carolo &c.

Inc. *Cupit pro filiis &c.*

CLementiam Pontificum in principes amplificat Clemens, qui eos tamquam filios reſpiciunt, eorum deſideriis obſequi ſtudent, eorum incommodis opem ferre.

Novit Pontifex bella a Carolo Patre, & a Filio geſta contra hoſtes Eccleſiæ, miſeretur ejus inopiæ.

Quod ſi Pontifex Dei imago eſt, ſicut Deus non patitur Filios ſuos diſcedere inanes, ita agere debet Pontifex.

Quoniam igitur fiduciæ plenus Carolus confugit ad Pontificem, ut ære alieno, quod cum Eccleſia contraxerat, liberaretur, Pontifex *de mera S. Eccleſiæ liberalitate eum tertia parte debitarum pecuniarum*, quæ aſcendebant ad ſummam tercentorum millium ſcutorum, exonerat, & ſublevat,

Ita tamen, ut hoc non trahatur in exemplum: ita autem cum Carolo agit, quia illum ut adoptivum filium agnoſcit.

Pro duabus autem partibus obtulerat Carolus Pontifici hanc conditionem, cum fiet paſſagium ad terram Sanctam ſe perſonaliter illuc iturum, ſi decedet, ſe miſſurum aliquem de ſuis fratribus, aut filiis, ducturumque trecentos armatos equites phaleratos, quos tamdiu ibi tenebit donec fuerit ſatisfactum debito, & ſimul viginti galeas bene armatas habebit.

Quod ſi in partibus Italiæ S. Sedes auxilio indigebit, Rex dabit centum equites bene armatos, præter eos quos ex conventione dare debet; qui alentur ſuis impenſis,

Hanc oblationem ergo acceptat Clemens, modo ſi *non ultra taxationem ſervitii tam temporis, quam numeri equitum ſervitium fuerit præſtitum, ad arbitrium Eccleſiæ revertatur.*

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Pictavis XIII. Cal. Aug. P. a. II. a. D. 1307.

Contra invaſores regni, hoſteſque Regis.

VII. Ib. p. 1085. CLEMENS V. ad p. r. m.

Inc. *Inter cætera, &c.*

ACceperat Clemens a multis fide dignis, *in diverſis locis & partibus præparari ſtolium galearum* a nonnullis, & ab aliis *alios bellicos apparatus fieri*;

unde illi enata erat ſuſpicio, bellum contra Robertum, qui in locum Caroli patris ſucceſſerat, & contra regnum, quod eſt citra pharum, parari.

Ne occaſione hujus belli perturbetur paſſagium ad terram S. & ut conſulat ſaluti regis Eccleſiæ feudatarii, & regno, cujus proprietas pertinet ad S. Sedem, Clemens mandat.

Univerſis, & ſingulis Clericis, & laicis, cujuſcunque conditionis & ſtatus, &c. univerſitatibus, communitatibus, & civitatibus quibuſcunque, ne dictum regnum, vel partem, vel loca aliqua ejuſdem vel per terram, vel per aquam quocunque quæſito colore, invadere, & occupare audeant.

Vetat omnibus Principibus ſuppeditare cuicunque galeas, militeſque ad hanc invaſionem ſub pœna excommunicationis, privationis beneficiorum, dignitatum &c. interdicti, quoad communitates, & urbes, cum aliis pœnis *pro gravitate facti*.

D. apud Caſtrum Novum Aven. Diœc. Die IX. Jul. P. a. VIII. a. D. 1312.

Hortatio ad Regem Robertum, ut melius regnum regat.

VIII. Ex eodem Lunig. t. 4. p. 471.

JOANNES XXII. Roberto Regi.

Inc. *Quanto ſincerius, &c.*

INter *cæteros Catholicos mundi principes abundanter Robertus exiſtebat litterali ſcientia præditus, & excellenter ingenio naturali dotatus*: Quibus dotibus ornatus poterat bene regere populos, ſi ſcientiæ ſuæ, & ingenio addere vellet conſilia prudentium, qui plurimi in eo regno erant.

Sed maximo cum dolore percepit Joannes, eum per viam Roboam incedere, nempe homines plebejos eligere, adoleſcentes vitiis fœdatos diligere, eorum conſiliis acquieſcere.

Sed videat ne illi eveniat, quod Roboam evenit.

Imitetur patrem, & avum ſuum, qui audiebant conſilia ſapientium, nihil agebant *iis inconſultis*.

Ne credat amicos ſuos eos adoleſcentes, ſunt ſuorum commodorum amici; eos removeat e ſuo latere, & advocet ad ſe viros probos, juſtitiæ amantes &c.

D. Avinioni XV. Cal. Jul. a. D. 1317.

„ Et ſane Henricus Imperator diploma edidit (apud „ Lunig. t. 2. p. 1075.) quo declaravit Robertum hunc „ indignum dignitate, juribus, & privilegiis regiis, „ eumque proſcripſit. „

Permittitur Roberto ut coram Legatis homagium S. Sedi præſtet.

IX. Ib. p. 480.

BENEDICTUS XII. Roberto Regi.

Inc. *Nuper venerabilis, &c.*

MIſerat Robertus Nuntios ad Pontificem orans, ut permitteret ſe juramentum, & homagium præſtare coram quibuſcumque elegiſſet Benedictus; licet ſciret in conventionibus ſtatutum eſſe, ut perſonaliter Rex ad curiam accederet utrumque præſtiturus.

Volens Pontifex de conſilio Fratrum ſuper hoc regis deſideriis annuere *hac vice tantum*, ſcribit ſe deſtinare ad illum Ebredunenſem Archiepiſcopum, & Joannem Archiepiſcopum Neapolitanum, qui ibidem erat, coram quibus juramentum edat, & homagium faciat.

D. Avenione IV. Non. Maji P. a. I. a. D. 1334.

Teſtatur Pontifex, Robertum juraſſe.

X. Ib. p. 483.

BENEDICTUS XII. Bertrando, & Joanni &c.

Inc. *Romani Pontificis, &c.*

FActus Pontifex certior ab Archiepiſcopis Bertrando, & Joanne Robertum, *junctis manibus intra manus Archiepiſcoporum, & dato eis oſculo*, juraſſe juramentum fidelitatis, & feciſſe homagium S. Sedi, & videns juramentum ipſum ſignatum cum bulla aurea regis a legatis miſſum ad Benedictum,

Per præſentes litteras declarat, Robertum juraſſe, & homagium præſtitiſſe, & conditiones, quibus ſolet dari inveſtitio ejus regni, eum acceptaſſe.

D. Avenione P. a. I. a. D. 1334.

Rescinduntur acta ab Joanna Regina contra testamentum Regis Roberti.

CLEMENS VI. ad f. r. m.

XI. B.R. t.3. p. 292,5 C. C.

Inc. *Ex ore, &c.*

SIciliæ Rex Robertus testamento reliquerat Procuratores regni Episcopum Cavalicensem, Sanciam uxorem suam reginam, & alios viros nobiles, jusseratque ut Joanna unica superstes neptis sua nihil agere per se posset, nisi attigisset annum vigesimum quintum,

Illa tamen omnia ad libitum agebat, etiamsi minor esset, alienabat bona, investiebat &c.

Admonitus de hac re Pontifex rescindit testamentum Roberti, qui cum regnum haberet in feudum ab Ecclesia, non poterat gubernatores, procuratores, dispensatoresque assignare.

Rescindit acta ab Joanna, quæ cum esset minor, neque præstitutum annum ab avo haberet, agere non poterat, quæ egit.

Pontifex Cardinalem eo mittit, qui approbet quæ utiliter executores testamentarii, & Joanna gesserunt, rescindatque pernicioše acta ab illis, & ab hac nomine A. Sedis, quæ tutrix debet esse,

Excommunicat relictos tutores, si posthac quidquam agent.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Avinioni IV. Cal. Dec. P. a. II. a. D. 1344.

Regium nomen datur Andreæ Joannæ sponso; parere jubetur Legato Pontificio, coronatio in regem eidem spondetur.

XII. Ad ann. 1344. §. 16. CLEMENS VI. Andreæ Regi Siciliæ illustri.

Inc. *Multiplicatas, &c.*

ITa Raynaldus ad an. 1343. §. 75. *Injecta est prima discordiæ fax inter regios principes. Carolus enim Dyrrachii Dux dolo ad Mariæ sororis Joannæ Reginæ nuptias aspiravit, quamquam illa ex Roberti, & Caroli Regum pactis, decretoque Pontificio alteri Andreæ Fratri ad declinanda impendentia discrimina erat desponsa, ut ad Hungariæ Regis posteros regnum devolveretur. Exæstuans igitur ambitione Dyrrachii Dux, ignarus sibi ea re ignominiosam mortem parare, a Pontifice avunculi Talayrandi t. S. Petri ad Vincula Presb. Card. Agnetis matris fratris opera diploma surripuit, quo solutis legibus Canonicis, conjunctam sanguine uxorem ducere posset, ac Mariam sororem reginæ, ea inconsulta, matrimonio sibi copulavit;* Hinc postea nata est Andreæ regis cædes.

„ Hoc matrimonio audito Rex Hungariæ Ludovicus „ Andreæ Germanus, Sancia mater Joannæ, & Eli„ sabet regina Hungariæ mater Andreæ, ne Carolus „ Dyrrachinus matrimonii cum Maria prætextu res „ innovare in regno posset, supplicarunt Pontifi„ ci, „

I. Ut regium nomen Andreæ daret,

II. Ut Cardinalem Legatum in regnum mitteret, e cujus nutu Andreas, & Joanna penderet,

III. Ut juberet Andream, & Joannam coronari.

Andreæ igitur Clemens scribit, se motum precibus prædictorum illi nomen regium dare,

Se mittere in regnum Cardinalem Aymericum regni procuratorem, sine cujus nutu, & voluntate nihil neque Joanna, neque Andreas facere possint. (Jam Joanna incœperat omnia arbitratu suo peragere ut in proxima præcedente constitutione, quæ rescinderat Clemens.)

Se ad evitandas expensas jussurum Legato coronationem illius, ejusque uxoris.

D. Avin. IV. Non. Febr. P. a. II. a. D. 1344.

Confirmatur Reginæ Joannæ diploma.

XIII. Ib. p. 293. C. C. CLEMENS VI. ad p. r. m.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

REgina Sancia orbata viro Roberto, orbata filio in Monasterium S. Crucis Neapoli ordinis S. Claræ, assumpto nomine Claræ, se abdidit.

Neptis Regina Joanna omnes donationes ab ava Sancia, & ab avo Roberto facta, suo diplomate (quod integrum a Pontifice refertur) confirmavit an. 1344.

Hæ donationes erant redditus quidam exigendi a Sancia ex urbibus, & castris, & juribus &c.

Petiit a Clemente Sancia, ut regium Joannæ diploma confirmaret ad majorem validitatem;

Quod per præsentes litteras Clemens facit.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Avenioni XIX. Cal. Febr. P. a. III. a. D. 1345.

Conceditur prorogatio solutionis census S. Sedi.

CLEMENS VI. Siciliæ Regi Carolo III.

XIV. ExLunig. t. 2. p. 2110.

Inc. *Cum existens, &c.*

MUltas expensas Rex fecerat, cum procul a regno aberat, multas etiam *ad peccatorum cornua confringenda* Imperii Vicarius.

Ergo humiliter supplicavit Pontifici, ut solutionem census a se faciendam die SS. Petri, & Pauli S. Sedi, transferret in aliud tempus.

Pontifex ergo illi permittit, ut octo millia unciarum auri solvat hoc anno in die S. Michaeli Archangelo dicato.

Aliis tamen annis solvat die BB. Petri, & Pauli.

D. Viterbii XV. Cal. Junii P. a. IV. a. D. 1346.

Sententia contra interfectores Regis Andreæ Joannæ viri.

CLEMENS VI. Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

XV. ExLunig. t. 2. p. 2111.

Inc. *Detestanda, &c.*

ATrox facinus mortis illatæ Regi Siciliæ Andreæ Joannæ consorti *proditionaliter* commissum non potest non ægerrime ferre Clemens, qui dispensationem dederat huic matrimonio, jusseratque eum in regem inungi, & simul cum Joanna regnare. Erat Andreas e regibus Hungariæ,

Quidam sceleratissimi iniquitatis filii, & perditionis alumni fuminum cogitantes, & cogitatum audentes nefas perficere præfatum Andream adolescentem ætate, moribus compositum, gestuque modestum, ac nullam in se machinationem fieri, cum quasi in propriis casibus, & inter suos securus existere crederet, suspicantem circa primum noctis silentium, ut cameram, in qua sibi erat nocturna quies, exiret, proditionaliter seduxerunt, ipsumque tamquam agnum ad victimam foras eductum morti turpissimæ, cogitatu terribili dictuque lamentabili immaniter tradiderunt.

Præter offensam Dei per hoc facinus læsa etiam fuit Ecclesia, quæ & matrimonium approbaverat, & eum in regem inunxerat, & eum regnare volverat eo in regno, quod est Ecclesiæ Feudum.

Locus ipse, in quo occisus Andreas fuit, eorum crimen auget. Domi suæ occisus fuit; domi, quæ solet esse quibuscumque locus tutissimus, & securissima statio.

Crimen igitur tam infandum, tam inusitatum factum in unctum Dei, tam enorme, quoad omnes ejus circumstantias nec potens, nec debens impunitum relinquere Pontifex, decernit,

Ut omnium, qui Andream interemerunt, consilium, auxilium, opem dederunt, qui conscii conspirationis fuerunt, nec eam revelarunt, cujuscumque sint dignitatis, gradus, eminentiæ nomen infame sit, priventur facultate testandi in judiciis, sint intestabiles, eorum ædificia destruantur; bona eorum mobilia, & immobilia, & jura devolvantur fisco; omnibus beneficiis, honoribus, dignitatibus sint privati, quin recuperare illa, & has possint; vasalli, subditi liberantur a fidelitate, & obedientia in eos.

Omnia loca ad quæ rei devenerint, eosque exceperint, interdicto subjaceant. Nulla urbs, nullus locus, nulla communitas eos recipiat nec unitos, nec solos. Personæ eos recipientes sint excommunicatæ, urbes, loca interdicantur, si scienter fecerint.

Eorum posteri usque ad secundum gradum ad beneficia, & dignitates admitti non possint; & eorum consanguinei qui sunt in claustris, vel Clerici ad dignitates claustrales, & hi ad ordines ulteriores nequeant promoveri.

Sub excommunicationis pœna mandat, ut omnes & singuli ejus regni incolæ nomina reorum, si sciant, deferant ad Legatos AA. Bertrandum tit. S. Marci, & Guidonem tit. S. Cæciliæ Cardinales.

Et hæc excommunicationes absolvi non possint nisi a Romano Pontifice. Rei tamen scientiæ, qui conjurationem scientes non revelarunt, absolvi possint a Cardinalibus.

Jussit hanc sententiam ad omnium notitiam ad valvas majoris Ecclesiæ Avenionensis affigi.

Actum in Palatio Avenionensi Cal. Febr. P. a. IV. a. D. 1346.

„ Clemens hic emit ab hac Regina Joanna *pratio octo„ ginta millium Florenorum auri de Florentia* Avenio„ nem, amplificavitque in eadem urbe ædes Pontifi„ cias II. Spondanus ad an. 1348. §. 4.

De pace Ludovicum Hungarum inter & Joannam.

XVI. Ad an. 1352. §. 1. CLEMENS VI. Ludovico Regi, & Joannæ Reginæ Siciliæ.

Inc. *Miserator Dominus, &c.*

„ CUm gravissimæ causæ revocarent Ludovicum in „ Hungariam, tandem animum ad pacem flexit.

I. Ut milites deduceret ex iis urbibus, & arcibus „ Siciliæ, quas occuparat, easque liberas Regi Ludo„ vico, & Joannæ traderet.

„ II. Ut principes regiæ domus, quos habebat cap„ tivos Robertum principem Tarentinum, & ejus Fra„ trem Philippum, Ludovicum, & Robertum Comites „ Dyrrachii liberaret,

„ III. Ut pro belli impensis trecenta aureorum mil„ lia solverent Ludovicus, & Joanna.

„ Has conditiones ratas habuit etiam Pontifex.

„ Sed Ludovicus liberalitate usus hanc ingentem au„ ri vim remisit Joannæ, & Ludovico.

Hanc liberalitatem significat his litteris Clemens prædictis regi, reginæque.

In obsequium Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ testatus fuerat Hungaros per suos oratores se eam summam remittere Siculis; promiseratque se omnia facturum, quæ in conditionibus spoponderat, non secus ac si pecuniam recepisset.

Laudat hanc magnificentiam Clemens, tum quia in se est magna, tum quia Rex, & Regina non poterant eam summam solvere nisi ægerrime, & difficillime, thesauro regio jam exhausto.

Eos excitat Pontifex ad benedicendum Deo, qui ita Hungari cor movit.

D. Aven. Cal. Febr. P. a. X. a. D. 1352.

„ Retinuit tamen sibi Ludovicus Salernitanum prin„ cipatum & honorem Montis S. Angeli, sicut habe„ bat Pater suus.

De coronatione Ludovici.

XVII. Ib. §. 3. CLEMENS VI. Guillelmo Episc. Bracharensi A. S. N.

Inc. *In primis, &c.*

UT gratum faceret Clemens regi Siculo Ludovico Tarentino Principi mandat Guillelmo Episcopo Bracharensi A. S. N. in Sicilia ut inungat, & coronet eundem Ludovicum, vel si ipse non possit, hoc peragat Archiepiscopus Beneventanus.

Has tamen conditiones apponit Clemens,

I. Ut regnum ad filios mares, & si hi non sint, ad filias ejusdem Joannæ pertineat; habebat tunc Ludovicus ex Joanna Filiam Franciscam; deficiente Joanna sine prole succedat soror ejus Maria, ejusque posteri,

II. Moriente sine posteris Joanna, superstes Ludovicus licet coronatus nullum jus in regnum habeat, sed devolvatur ad Mariam, ejusque filios, filiasve;

III. Per litteras suo munitas sigillo declaret, juretque Ludovicus, se non intendere per hanc coronationem jus ullum esse sibi acquisitum in Siciliæ regnum, neque se in ejus administrationem immissurum.

D. Aven. Cal. Febr. P. a. X. a. D. 1352.

Hungarus rex.

Contra Joannam recusantem præstare S. Sedi homagium.

URBANUS V. ad p. r. m.

XVIII. ex Lunig. t. 4. p. 526.

Inc. *Dudum felicis, &c.*

REgina Joanna, quæ Carolo Regi III. Patri successerat juxta formam concessionis regni factæ Carolo I. nec juramentum præstare, nec censum solvere S. Ecclesiæ per biennium voluerat.

Jam excommunicata erat, & regno ceciderat. Conditio enim apposita Carolo ab illo confirmata, & ab ejus successoribus erat hujusmodi, ut nisi solveretur census intra tres menses a statuto die, rex esset excommunicatus, si differetur per alios tres menses, regno caderet;

Et si juramentum intra tres menses non præstaret, existente Pontifice in Italia, esset excommunicatus, si extra esset Italiam, intra annum unum illud præstaret; quod nisi faceret, etiam terra esset interdicta, suppositа.

Ergo Joanna quæ tandiu distulit hæc facere, est excommunicata, regno cecidit, & terra est interdicta.

Volens tamen Pontifex cum illa benignius agere (fuerat Innocentius VI.) eam peremptorie citavit intra dies nonaginta, ut utrumque faceret, præcipue cum id facere debebat etiam Ludovicus ejus maritus.

Quo quidem termino transacto excommunicatum declaravit Ludovicum, & Joannam; præterquamquod Joanna jam aliis processibus tenebatur.

Quam sententiam Urbanus confirmat.

D. Avinioni VI. Id. Febr. P. a. I. a. D. 1362.

Renuntiatio facta a Ludovico Rege Hungariæ, & Stephano Duce Transylvan. Siciliæ confirmatur.

GREGORIUS XI. ad f. r. m.

XIX. Ex Lun. t. 4. p. 529.

Inc. *Dudum carissimus, &c.*

LUdovicus Hungariæ rex, & q. Stephanus Transylvaniæ Dux ejusdem Ludovici Frater procuratores ad Pontificem miserunt anno 1351. qui eorum nomine renuntiarent in manu Pontificis (*titulis duntaxat paternis, scilicet principatu Salernitano & honore montis S. Angeli exceptis*) omnes urbes, civitates, terras &c. regni Siciliæ citra pharum;

Promittunt etiam in suis litteris præsentandis Pontifici per suos procuratores, se revocaturos omnes gubernatores, officiales, *omni excusatione, & quæsito colore cessante, & absque notabili damno, & læsione regnicolarum.*

Pontifex efficiat, ut prædicti exeuntes possint libere & tuto res suas inde efferre; qui autem remanere voluerint, cum fuerint familiares Andreæ Regis occisi, efficiat idem Pontifex, ut remittant omnes injurias reales, & personales.

Promittunt se ponere in manu Pontificis causam totam fratris sui Andreæ; etiam procuratoribus dant facultatem faciendi *de remissione regalium, quos ea causa in sua fortia habent detentos tractandi, paciscendi &c.*

Rogant Pontificem, ut *ex abundanti, & ad cautelam remittat omnes injurias, & offensas* factas a quibuscumque nomine dictorum.

Testantur demum procuratoribus se mandasse, ut renunciarent regnum intra terminum a Pontifice præfigendum.

D. Budæ XI. Die Oct. a. D. MCCCLI.

Gregorius testatur se accepisse has litteras, quibus fidem præstari vult non secus ac originali.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Avenione Cal. Sdpt. P. a. VI. a. D. 1375.

Regnum Neapolitanum transfertur in Carolum Dyrrachinum.

URBANUS VI. Carolo Regi Siciliæ.

XX. Ib. p. 1147.

Inc. *Divina disponente, &c.*

POntificis est Ecclesiæ providere de bonis, strenuisque viris, qui ejus regna in pace, & in bello regere possint.

Cum igitur Caroli virtutes notas Urbanus habeat, cum ejus majorum in Ecclesiam merita sciat, & ipsius devotionem videat, & experiatur, eum regno Siciliæ citra pharum, quod est in libera Pontificis dispositione, investit.

Eum, & ejus successores jurare vult, se servaturos conditiones appositas Carolo I. a Clemente IV.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

Cardinales septem diploma confirmant.

Datum in Basilica S. Petri de Urbe per manum meam Raynulphi tit. S. Potentianæ Presbyt. Card. S. R. E. Vice-Cancellarii, Cal. Junii, Indictione quarta, Incarnationis Dominicæ millesimo trecentesimo octogesimo primo, Pontificatus vero Domini Urbani Papæ VI. anno quarto.

„ Affert Lunig. diploma Caroli, quo jurat se servaturum conditiones in investitione datas Carolo II. „ Andegavensi, ib. p. 1149.

Confirmatio adoptionis in regem Siciliæ factæ a Joanna.

XXI. ex Lunig. t. 2. p. 1145. CLEMENS VII. (Antipapa) Ludovico Duci Andegavensi.

Inc. *Quare pro parte, &c.*

LUdovicum Caroli Regis Francorum Germanium Andegavensem Ducem adoptaverat Regina Joanna in filium, ut posset succedere in regem Siciliæ; viderat enim regni administrationem indigere viro probo, strenuo, & vigilanti, quibus dotibus erat Ludovicus præditus (affertur diploma).

Et hanc facultatem obtinuerat a Clemente VII.

Petita ergo fuit Apostolica confirmatio; illud ergo confirmat Pontifex.

Eodemque tempore, quoniam vacabat imperium, *ex superioritate S. Sedis* Ludovico confirmat possessionem *Comitatus Provinciæ Forcalquerii, & Pedimontis.*

Supplet defectus qui esse possent in adoptione &c.

D. XI. Cal. Aug. an. 1380.

Pro rege Carolo subsidium pecuniarium imperatur Clero Neapolitano.

XXII. ex cod. Lunig. p. 534. URBANUS VI. Neapolitano, & Capuano Archiepiscopis, & suffraganeis.

Inc. *Litteræ vestræ, &c.*

CLemens VII. favebat Ludovico Andegavensi Duci, cujus adoptionem factam a Regina Joanna confirmarat, Urbanus protegebat Carolum Dyrrachinum.

Jam scripserat Urbanus præfatis prælatis, ut subsidium pecuniarium Clero imponerent, ut posset Carolus Regnum tutari contra Ludovici aggressiones.

Miratur ergo Pontifex, nondum hanc solutionem esse factam, cum jam Episcopi sciant, se fuisse a captivitate per Carolum ereptos, in quam fuissent a Ludovico perfracti.

Jam in pejorem calamitatem decidissent, *nisi Pontifex Nobilem Virum Joannem Agut militem Anglicanum cum strenuorum numero bellatorum ad stipendia sua conduxisset, nempe præda facti fuissent Ludovici olim ducis Andegavensis, qui rugientis more Leonis circuit, ut illos devoret, & sue subjiciat ditioni.*

Jam debuissent defensoribus suis sponte offerre, quod nunc jussi facere renuunt, ut servitutem effugerent.

Ait Urbanus se credidisse nimis parum imperasse, sed quia sperabat fore ut omnes, quibus libertas Patriæ cordi est, multo plus conferrent, parum jussit. At quanta admiratione afficiatur, cum videat & illud quoque parum non conferri, illi ipsi possunt colligere.

Eos ergo rogat, ne publicæ defensioni deesse velint, & Clerum excitent, ut solvat pro suarum facultatum ratione.

D. Romæ apud S. Petrum XVIII. Cal. Dec. P. a. VI. a. D. 1382.

Significatur Neapolitanis, jus regni restitutum fuisse Ladislao.

XXIII. ex Lunig. t. 2. p. 1210. BONIFACIUS IX. Ducibus, Principibus, &c.

Inc. *Quamquam nonnullis, &c.*

CUm nulla potior ratio visa fuisset Pontifici deformatum regni hujus statum restituere in pristinum, quam regem, confirmare regali solio, sublimare statuit Bonifacius Ladislaum;

Qui cum ex certis legitimis causis ad præsentiam Pontificis venire non posset, ut ab illo diadema regium accipiat, Angelum tit. S. Laurentii in Damaso Card. deputat in Legatum S. Sedis, qui nomine Pontificis eum coronet.

Quia vero Rex erat minor annis quam ut per se posset regnum regere, illi dat balium dictum Cardinalem (erat Angelus Corario postea Gregorius XII.) & baliam Margaretam reginam ejusdem regis genitricem; donec ipse rex adolescat.

Significat etiam Pontifex *se illuc transmisisse pro reductione rebellium navale, & terrestre præsidium*, paratum & alia auxilia submittere.

Populos hortatur, ne sibi desint, ut pareant baliis, ut regi assistant.

Datum Romæ apud S. Petrum Cal. Mar. P. a. I. a. D. 1390.

Pacta sancita inter Ladislaum hinc, & proceres regni citra pharum confirmantur.

XXIV. ex Lunig. t. 4. p. 542. BONIFACIUS IX. ad f. r. m.

Inc. *Dum oculis, &c.*

Seminatore zizaniæ instigante multis gravium bellorum motibus, multis intestinis discordiis per annos plures fuerant fatigati hujus regni populi, & eorum agri vastati, dissipataque bona. Partim enim sequebantur regem, partim nobiles, inter quos eminebant fratres Martzani, Jacobus de Ursinis, Comes Talliacorii, & Jacobus Extendardus regni Marschallus.

Tandem rex, & nobiles pro quiete regni ille ex una parte, hi ex alia convenerant, & quidam articuli facti sunt pro quiete partis utriusque. Eorum summa est hæc:

I. Hi, & rex, qui se appellabat Regem Hungariæ, Hierusalem, & Siciliæ promiserunt stare declarationi, determinationi, & simplici sententiæ Papæ Bonifacii IX. Interim dum Pontifex sententiam dicit & Rex & Magnates tollant offensas, & sit securitas inter terras, & vassallos, & gentes armigeras; liberi sint passus, & subditi magnatum possint tuto ire quacunque.

II. Si gentes regis aliquod damnum inferent, Rex *faciat illud* emendare; idem faciant Magnates, gentes regiæ possint exire e terra Suessana & ingredi. Magnates non dent consilium, non favorem Duci Andegaviæ.

III. Non recipient milites Ducis; imo expellent ejus Capitaneos, & ejus gentes e suis terris. Det iis tamen Rex salvumconductum eundi quo voluerint.

IV. Comes Fundorum, & sequaces intelligantur in ista remissione offensarum; comprehendatur etiam Comes S. Agathæ, & possint Magnates mittere Neapolim ad Ducem aliquot e suis *ad faciendum excusationes eorum.*

V. Oratoribus Magnatum mittendis ad Papam Rex faciat securitatem; & hoc sibi invicem promittant Rex, & Magnates de non offendendo. Et fiant tria scripta hujus promissionis, unum sit penes Papam, alterum penes Regem, tertium penes Magnates.

Hi articuli facti fuerunt in territorio Suessano anno 1398. die quarta decima Maji.

Rex, & Magnates se subscripserunt.

Pontifex hos articulos confirmat. Tum pronunciat,

1. Fratres e Martzano, Ursinus, Extendardus pareant, & obediant regi, & illi præstent juramentum fidelitatis, & homagium ligium juxta consuetudines regni.

2. Rex restituat prædictis magnatibus bona burgensatica, feudalia, hereditaria, empta, jura, quæ possident justis titulis;

3. De injuriis illatis ab illis regno nullam vindictam Rex sumat.

4. Rex quamprimum capiat possessionem pacificam urbis Neapolis; & possit deputare officialem Capuæ.

5. Rex

5. Rex assignet Gosfrido de Martzano officium Capitaneatus Capuæ.

Alia levioris momenti decernit Pontifex;

Alia reservat sibi explicanda, cum occasio tulerit.

Rex confirmet donationes factas magnatibus a Patre suo Carolo, & a Matre sua Margarita, quas illi possideant, sicut ante discordiam possidebant.

Dat. Romæ apud S. Petrum Cal. Junii P. a. IX. a. D. 1398.

Reprehenditur Ladislaus, & jubetur restituere occupata.

XXV. ex Lunig. t. 4. p. 149. GREGORIUS XII. Ladislao Regi Siciliæ illustri.

Inc. *Semper in nostri, &c.*

QUanto amore prosequutus Gregorius fuerit Regem, etiam cum erat in minoribus, quanta contentione, studioque Regi, rebusque regis faverit, quam paterne eum admonuerit per litteras, & per Nuncios, ut ab lædendis juribus Romanæ Ecclesiæ, a qua regnum habebat in feudum, a diripiendis provinciis Ecclesiæ, a divexandis ejus subditis abstineret, reminisci deberet Ladislaus.

Sed nunc animadvertens Pontifex, Ladislaum, adhortamentis paternis spretis, reverentiam in S. Sedem non curare, jurejurando ab ejus procuratoribus præstito cum in feudum nobile accepit a Bonifacio IX. *regnum munificentissima liberalitate* nihili facto, *contemptisque censuris, ac pœnis spiritualibus, & temporalibus, quibus ex forma infeudationis ob multa crimina erat irretitus, damnabiliter inclinasse in contraria studia contra Deum, & justitiam, fidemque suam*, non potest, quin maximopere miretur, & *horreat pariter, ut a devotione fide, & obedientia sibi, & Ecclesiæ in rebellionis, infidelitatis, & inobedientiæ præcipitium sit conversus.*

Quædam male facta ipsius Ladislai refert Gregorius; nempe se ita ab illo rogatum removisse a rectoratu provinciæ Marchiæ Ludovicum Melioratum, quia Ladislaus inimicum suum esse eum putabat, præfecitque Benedictum Feretranum Archiepiscopum, sperans, fore ut Rex *eas oblationes amplissimas, quas fecerat*, præstaret.

Exitus probavit, Ladislaum mala fide in hoc egisse: nam Ludovicum ex hac remotione effectum inimicum Ecclesiæ & Pontificis Ladislaus ad sua stipendia pertraxit *muneribus, promissionibus, & provisionibus amplissimis*; occupavit Ladislaus civitates Ecclesiæ Æsculanam, & Firmanam cum earum fortalitiis, & nonnullas terras, & loca ad Ecclesiam spectantia; præterea per Comitem Carrariæ provincialibus Provinciæ Marchiæ suadere studuit, ne provinciæ rectori parerent, ne tallias solverent; & Ladislai gentes, effractis muris almam urbem hostiliter intraverant, causatusque Ladislaus fuerat, ideo hæc se facere, *quia Saonæ locus destinatus ad tollendum schisma sibi non placebat.*

Audiat hæc omnipotens Deus, & exsurgat, causamque discernat suam, audiat Mundus ac præsertim Catholici Reges, & reliqui in Prælaturis, & dignitatibus constituti, cœtusque fidelium Christianorum, quod Rex noster, & Ecclesiæ Feudatarius, & vassallus, substantiis, & bonis Ecclesiæ enutritus, creatus Rex, & adjutus muneribus, & largitionibus amplissimis condonatus usque ad expilationem bonorum Ecclesiasticorum, non solum Romanorum, sed Basilicarum, Ecclesiarum, monasteriorum, & hospitalium præfatæ urbis quampluriam, quorum tutelam gerere debebat ex officio, descendit. *Sed non est abbreviata manus Domini, & navicula Petri mergi non potest.*

Eum rogat Gregorius, ut meminerit processus ab Innocentio VII. contra illum facti, meminerit promissionum factarum, se futurum fidelem erga Pontifices, & S. Ecclesiam, meminerit privilegiorum a S. Ecclesia obtentorum; meminerit demum amoris illius quo Pontifex semper eum est prosequutus; meminerit juramentorum factorum; quæ si servabit, *Salvator omnium custodiet in pace ejus dies*, illum, regnum, subditos benedictionibus cælestibus cumulabit.

Cardinales omnes, & singuli, si recipiscat, eum adjuvare parati sunt: sin autem pergat hæc mala facere, sciat se esse innodatum censuris Ecclesiasticis, se esse privandum regno, honoribus, dignitatibus, solvendos esse a juramento fidelitatis populos.

Illi assignat Gregorius spatium dierum triginta, dies decem pro tribus terminis, intra quos Episcopo Feretrano Rectori Marchiæ restituere teneatur urbes, terrasque ablatas. Si intra idem spatium non restituerit, censeatur ipse ejus consiliarios, adhærentes, &fautores pœnas Ecclesiasticas incurrisse.

D. Senis VI. Id. Sept. P. a. I. a. D. 1407.

Cardinali Legato datur potestas coronandi Reginam Joannam II.

XXVI. ex Lunig. t. 2. p. 1233. MARTINUS V. Cardinali Petro tit. S. Maria in Dominica Diacono.

Inc. *Constituti, &c.*

DE consilio Cardinaliam investiverat Martinus regno Siciliæ Joannam nomine II. sub iisdem conditionibus, quibus alii reges antecessores fuerant investiti.

Cum autem velit Martinus eidem reginæ argumentum paterni amoris dare, ut apud populos majore in veneratione sit, eluceantque ejus virtutes, & dotes, quas illa acquisivit, Deusque eam ornavit, deputat Cardinalem, qui regium diadema illi imponat, coronetque eam Siciliæ reginam;

Ante coronationem tamen præstet consuetum fidelitatis juramentum, & faciat homagium ligium, & vassallagium Pontifici, a quo regnum accipit, & Romanæ Ecclesiæ, ad quam ejus regni supremum dominium spectat.

Eodemque tempore eundem Cardinalem deputat Legatum S. Sedis ibidem, cum facultatibus &c. ad beneplacitum S. Sedis.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

D. Mantuæ IV. Cal. Dec. P. a. II. a. D. 1418.

Protectionem suam Pontifex pollicetur Joannæ.

XXVII. ex Lunig. t. 4. p. 561. EUGENIUS IV. Joannæ Reginæ.

Inc. *Cum serenitas, &c.*

QUamvis cum accepit a S. Sede regnum Joanna fuerit suscepta in protectionem S. Sedis, tamen ejus eximia, & singularis virtus meretur, ut peculiari modo recipiatur in ejusdem tutelam.

Quare ut illi ostendat Eugenius, quanti eam faciat vix ac assumptus ad Apostolatus apicem fuit, vult illi hoc amoris argumentum dare ut regnum, populum, ipsam in protectionem S. Sedis accipiat.

Dispositum se profitetur Eugenius ad illa omnia præstanda quæ ad illius regni felicitatem, & eorum populorum quietem, ad reginæ gloriam, & nomen amplificandum conducere videbit.

Datum &c. P. a. I. a. D. 1431.

Siculi nec Alphonso, nec Renato faveant.

XXVIII. ex Lunig. t. 2. p. 1235. EUGENIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Inter cæteras, &c.*

MOrtua Regina Joanna Alphonsus Aragoniæ, & Siciliæ ultra Pharum Rex *considerans dispositionem hujusmodi regni ad illud invadendum cum magna classe accesserat, & Civitatem Capuanam occupaverat, & Cajetam obsidebat*; illud defendebant Carolus Francorum Rex, & Renatus Siciliæ rex, qui etiam Oratores ad Pontificem miserant questum de Eugenio, quasi vero Alphonsus de ejus assensu regnum invasisset.

Ut solet populus, novarum rerum cupidus partim Renato favebat, partim Alphonso.

Pontifex utrique parti mandat, ne se moveat. Nam Rex Aragonum invasor est, Renatus autem vix ac decessit Joanna, inconsulto Pontifice, ad quem infeudatio ejus regni spectat, inconsulta S. Sede, quæ supremum dominium regni habet, regem se constituerat.

Vetat utrique parti alterutri favere opibus, auxilio, consilio;

Si qui alterutri parti juramentum fidelitatis præstiterunt, eos ab illo Eugenius absolvit.

Declarat per electionem a Civitate Neapolitana Renati in regem factam *se non intendere cuique jus de novo in dicto regno conferre, aut habenti jus auferre.*

D. Florentiæ V. Id. Junii P. a. V. a. D. 1435.

DE

DE REGNO UTRIUSQUE SICILIÆ.

Regnum Neapolitanum datur in feudum Alphonſo Aragonum, & Siciliæ ultra Pharum regi.

XXIX. Ibid. p. 1240. EUGENIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Regnans in altiſſimis, &c.*

MAgnæ curæ debet eſſe Pontifici quieti, tranquillitatique omnium regnorum conſulere, ſed iis regnis præcipue, quæ immediate S. Eccleſiæ Rananæ ſubſunt in temporalibus etiam.

Joanna ſecunda Siciliæ Regina cum videret ſe hoſtibus circumventam, regnumque ſuum & bellis externis, & domeſticis diſcordiis ſus deque miſceri, in ſuum auxilium vocavit Alphonſum Aragoniæ, & Siciliæ ultra pharum regem, *qui non ſine gravibus laboribus, impenſis, & periculis, relictis regnis ſuis, omnique alia cura poſtpoſita, cum copiis, ac gentibus ſuis, ac potenti claſſe ad liberationem præfatæ Reginæ perſonaliter veniens eam auxiliante Domini præſidio liberavit, & in veram ſui ipſius libertatem, ſalutemque reduxit.* Joanna in grati animi argumentum prædiliom Alphonſum in filium ſibi adoptavit, & quo mereri modo potuit, eum heredem bonorum ſuorum, & regni inſtituit, ejuſque ſucceſſores. Poſt Joannæ mortem Alphonſus maximis laboribus ſudoribuſque regnum & tandem Neapolim in ſuam ditionem redegit.

Jam omnes magnates, omnes urbes, & communitates regni Alphonſum in verum dominum agnoverant, præſtito ab iis in manu regis fidelitatis juramento, & regnum quiete ſub ejus imperio vivebat; & ipſe ſtudebat quotidie magis ejus felicitati.

Tum ſupplicavit Pontifici, ut vellet ceſſionem Reginæ Joannæ confirmare, & ſe de regno hujuſmodi inveſtire.

Eugenius reputans ſumma eſſe merita Patris Alphonſi Ferdinandi Aragonum Regis in Eccleſiam, qui Mauros ab Hiſpaniis ejecit, qui Marchiam Anconitanam vindicavit ab hoſtium manibus; reſtituitque liberam Eccleſiæ, magna eſſe merita ipſius Alphonſi, qui non eſt paſſus Siciliæ regnum ab hoſtibus ferro flammaque devaſtari; præterea videns Alphonſum carum eſſe magnatibus, populoque, volenſque providere quieti Regni in poſterum eum, ejuſque heredes de regno hoc inveſtit, *de conſilio, & aſſenſu fratrum, & Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine cum modis, formis, conditionibus, adjectionibus, promiſſionibus, cautelis, clauſulis, ordinationibus inferius notandis.* (Conditiones ſunt eædem quæ præſcriptæ fuerunt Carolo I. v. de Regno Siciliæ ultra pharum *cum jamdudum.*)

Vult a Rege præſtari ante inveſtitionem juramentum de ſervandis iis conditionibus, & juramentum fidelitatis, & fieri homagium.

Irritat poſt datam inveſtitionem Alphonſo quodcumque contra hanc conſtitutionem a quocunque factum, & attentatum fuerit.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Senis Id. Julii P. a. XIII. a. D. 1443.

Omnia loca, quæ fuerant diſtracta ab hoc Regno uniri eidem Pontifex vult.

XXX. Ibid. p. 1246. EUGENIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex; &c.*

QUo tempore tandiu bella ſævierunt in hoc regno, urbes, communitates, loca multa vel a Regibus invitis fuerunt extorta, vel iis neſcientibus a magnatibus occupata, quæ poſtea Reges certiores de hoc facti, ne invaſores ſibi malevolos redderent, iis relinquere fuerunt coacti; & loca hæc, caſtra, hæc fortalitia ſunt ita multa, ut minor pars regni ad regem pertineat.

Hoc & in regum, & in dominii, quod in illud regnum habet Eccleſia, præjudicium grave videns Eugenius cadere, motu proprio, & ex certa ſcientia, non ad aliquam Alphonſi inſtantiam.

Omnes & ſingulas donationes, conceſſiones, venditiones, alienationes, infeudationes, diſmembrationes, ſegregationes, ſeparationes, & quaſvis alias diſtractiones de quibuſvis ex civitatibus, terris, caſtris, locis, dominiis, membris, cenſibus, redditibus, datiis, gabellis, feudis &c. ad regnum pertinentibus per quoſcunque reges, & reginas quibuſvis perſonis cujuſcunque nobilitatis ſtatus, gradus ordinis, mundana, vel Eccleſiaſtica dignitate fulgentibus ſub quibuſvis formis, aut verborum expreſſionibus revocat caſſat, & annullat.

Revocat etiam ad coronam omnia alia jura, quæ præteritis temporibus ab illa fuerunt divulſa quacumque ratione vel vi, vel dolo, & mandat Archiepiſcopo Beneventano, Epiſcopo Iſernienſi, & præceptori Domus S. Antonii Neapoli ut cenſuris detrectantes coerceant, ut hæc bona, jura &c. avulſa regiis bonis, & juribus uniant.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Nov. P. a. XIII. a. D. 1443.

Adoptio Alphonſi ab Joanna facta confirmatur.

XXXI. Ibid. p. 1248. EUGENIUS IV. Alphonſo, &c.

Inc. *Tanta eſt, &c.*

SUpplicaverat Alphonſus Eugenio, ut confirmaret adoptionem ſui in filium factam ab Joanna II.

Fuſe narrat Pontifex, cur Joanna eum in filium adoptarit. (v. ſupra *regnans in altiſſimis.*)

Per præſentes litteras eam Eugenius confirmat.

Quare mandat omnibus hujus regni magnatibus, nobilibus, communitatibus, univerſitatibus, ut Alphonſum tamquam filium Reginæ Joannæ II. colant, illique pareant, & ut juramentum fidelitatis tanquam filio Reginæ ſuæ, & regi ſuo legitimo præſtent.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ Id. Dec. P. a. XIII. a. D. 1443.

Si maſculi ex Alphonſo non ſint ex linea recta, ſumantur in reges Siciliæ maſculi ex linea tranſverſali.

XXXII. Ibid. p. 1249. EUGENIUS IV. Alphonſo, &c.

Inc. *Cum jus, &c.*

JUs ſucceſſionis in hoc regnum factum fuerat in inſtrumentis ita, ut ad illud vocarentur maſculi Alphonſi ex eo per lineam rectam nati.

Ne igitur progreſſu temporis bella enaſci poſſent, ſtatuit Eugenius, ut iis deficientibus aſſumi etiam poſſint nati ex linea tranſverſali ipſius Alphonſi, ita ut hi quoque poſtea per lineam rectam deſcendentes ſuccedant. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ Id. Dec. P. a. XIII. a. D. 1443.

„ Alphonſus dedit ſolitum juramentum; in eo, hoc „ eſt peculiare, jurat ſe non daturum auxilium, conſi„ lium favorem Amadeo hæretico, ſchiſmatico, a ſe„ de devio. (erat hic Felix V. Pſeudopontifex.)

Regnicolis inhibetur, ne juramentum dent ulli principi.

XXXIII. Ibid. p. 1255. CALLIXTUS III. ad f. r. m.

Inc. *Regis æterni, &c.*

DEfunctus fuerat Alphonſus Aragoniæ, & Siciliæ Rex.

Pontifex igitur volens quieti regnicolarum conſulere, mandat omnibus Eccleſiæ illius regni Prælatis, magnatibus, & populo ne juramentum fidelitatis dent cuiquam, niſi illi, quem S. Sedes inveſtiet de regno.

Si privati ſecus fecerint excommunicati ſint, ſi urbes, communitates, &c. cenſeantur interdictæ.

Cæterum Pontifex ſe paratum profitetur ad reddendam juſtitiam cuicumque aſſerenti ſe habere jus in hoc regnum.

Vult ad omnium notitiam hanc inhibitionem valvis Baſilicæ S. Petri Romæ affigi, & valvis majoris Eccleſiæ Neapoli, & majorum Eccleſiarum per regnum.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Id. Jul. P. a. IV. a. D. 1458.

Hæc

Hæ ſunt conventiones initæ inter Pium PP. II. & Ferdinandum Aragoniæ Regem pro inveſtitione regni.

Ibid. p. 1257. I. Miniſtri Pontificis, qui erant duo promiſerunt, Pontificem ſublaturum eſſe cenſuras latas in regnicolas, & daturum novam inveſtituram Ferdinando, & Legatum de latere coronaturum Regem.

II. Miniſtri duo regii promiſerunt, Regem annuliter ſoluturum octo millium unciarum cenſum.

III. Quia videtur imminuenda ſolutio tanta, duo Cardinales deputabuntur ad eam imminuendam; ſi non convenient, Pontifex alium Cardinalem nominabit; ſive autem cenſus minuatur, ſive non, ſolvetur ſemper jam ſtatuto tempore.

IV. Civitas Beneventana cum ſuo diſtrictu remanebit in poteſtate S. Sedis;

V. Civitas Terracina remanebit in poteſtate Regis, qui ſtatim creetur Vicarius ad quinquennium a Pontifice; pro ea in cenſum dabit Rex annuatim Pontifici equum album, quinquennio finito, rex petat a Pontifice renovationem Vicariatus, quem ad aliud quinquennium Papa concedet, & iis finitis, Rex dimittat eam urbem S. Sedi; *ſi non detur equus ſingulis annis tempore debita, incurrat Regia majeſtas pœnam unciarum quinquaginta.*

VI. De expellendo Comite Jacobo Piccinio, vel Piccinino, cogendoque ad reſtituendas Eccleſiæ occupatas urbes,

VII. De differentiis inter Regem ex una parte, & Sigiſmundum de Malateſtis ex alia ſedandis a Pontifice promiſerunt miniſtri Regii.

VIII. Tum Rex confirmavit alias conventiones ſolitas inveſtitionis, &c.

Die XVII. Oct. P. a. I. a. D. 1458.

Tollitur decretum Callixti adverſus Ferdinandum.

XXXIV. Ibid. p. 1259. PIUS II. ad p. r. m.

Inc. *Cum juxta, &c.*

JUxta temporum, negotiorumque varietatem prudentis eſt conſilia mutare, & alias vias inire.

Pontifex conſiderans quot, qualiaque mala redundare poſſent in regnum Siciliæ, ſi alius præter Ferdinandum eligeretur in regem,

Revocat litteras prædeceſſoris ſui Callixti III. quibus ſub excommunicationis, & interdicti cenſuris inhibuerat regnicolis Ferdinandum in regem agnoſcere.

Imo mandat omnibus, ut illum regem venerentur, & juramentum fidelitatis præſtent illi, eoſque qui illud ei fecerunt, abſolvit ab incurſis cenſuris.

D. Romæ apud S. Petrum . . . P. a. I. a. D. 1458.

Deputatur Cardinalis legatus ad Coronationem Regis.

XXXV. Ibid. p. 1261. PIUS II. Latino tit. SS. Joannis, & Pauli Presbyt. Card. A. S. L.

Inc. *Cum nos, &c.*

SIgnificat Pontifex prædicto Cardinali, ſe illum elegiſſe mittendum ad Ferdinandum, ut cum inveſtiat *per impenſionem vexilli S. Romanæ Eccleſiæ in juis manibus* de regno Siciliæ, accepto prius ab illo juramento fidelitatis, & homagio.

Poſt acceptum juramentum, datamque inveſtitionem eum *ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, ac BB. AA. Petri, & Pauli, & totius Curiæ Cœleſtis, & ſtatus S. R. Eccleſiæ ac Regni, & terræ prædictorum* in regem inungat, & Apoſtolica auctoritate coronet.

Privilegium, ſeu litteras aurea bulla bullatas a Ferdinando accipiat, in quibus profiteatur, ſe accepiſſe regnum e mera S. Sedis Apoſtolicæ liberalitate, & ſe obſervaturum eſſe omnes conditiones appoſitas pro inveſtitione.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Non. Dec. P. a. I. a. D. 1458.

Regnum Siciliæ datur in feudum Ferdinando.

XXXVI. Ibid. p. 1262. PIUS II. Ferdinando, &c.

Inc. *Divina diſponente, &c.*

NArrat ſummatim Pontifex, quæ egerit Eugenius cum Alphonſo Ferdinandi Patre; quomodo Alphonſus eum reliquerit heredem regni; & quomodo ipſe Pius eum elegerit, & quare.

Tum illi deſcribit omnes conditiones (ſuntque expoſitæ ſupra in inveſtitione Caroli I.) quibus eum de regno inveſtit;

Quas conditiones in manu Cardinalis Latini jurabit Ferdinandus, ſe ſemper eſſe ſervaturum.

Apponitur juramenti forma faciendi ab eodem.

Vocantur ad regnum idem Ferdinandi ſucceſſores cum oneribus iiſdem juramenti, & homagii.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Id. Dec. P. a. I. a. D. 1458.

Cardinales treſdecim ſe diplomati ſubſcribunt.

Eventualis inveſtitio Ferdinandi nepotis.

XXXVII. Ibid. p. 1295. INNOCENTIUS VIII. Alphonſo de Aragonia Duci Calabriæ.

Inc. *Dudum felicis, &c.*

BReviter refert Innocentius conſtitutiones Eugenii IV. pro Alphonſo datas, Pii II. Pro Ferdinando.

Ferdinandus ſupplicaverat Pontifici, ut, ſi moreretur Alphonſus filius ſuus, Ferdinandus Princeps Capuanus primogenitus Alphonſi ipſius, inveſtiretur hoc regno.

Cupiens Pontifex merita Ferdinandi in Eccleſiam, & in Siciliæ regnum compenſare volens, per præſentes litteras inveſtitionem dat.

Illi recenſet conditiones jam ſolitas, in quas jurabit, apponit formulam juramenti, &c.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Non. Junii P. a. VIII. a. D. 1492.

Cæſari Borgiæ Cardinali mandatur, ut Friderico Aragoniæ, & Siciliæ regem inveſtiat de Sicilia citra pharum.

XXXVIII. Ibid. p. 1308. ALEXANDER VI. Cæſari S. Mariæ Novæ Diacono Cardinali.

Inc. *In præſentiarum, &c.*

INtimo cordis affectu innuens Alexander cunctorum populorum in regno Siciliæ, & tota terra, quæ eſt citra pharum, quæ juris ſunt S. Romanæ Eccleſiæ, & ejuſdem ſpecialis proprietatis exiſtunt, degentium neceſſitates, & eorum tranquillitati, & regni, terræque proſperitati paterna caritate conſulere cupiens vult, ut ſub juſto, provido, & claro rege, ac principe regantur, excepta civitate Beneventana cum ejus territorio, ac diſtrictu, ſecundum illum ſtatum, quem Ferdinandus I. & Alphonſus II. tenebant.

Ergo de conſenſu Cardinalium duxit & regnum, & terram concedere Friderico Aragoniæ regi *tanquam in dictis regno, & terra ſucceſſori pro eo, ejuſque liberis recta linea a ſuo corpore legitime deſcendentibus natis, & naſcituris in feudum perpetuum, & per vexillum Romanæ Eccleſiæ inveſtiri, & ab eo fidelitatis debitæ juramentum, purumque homagium, & vaſſallagium, & ligium pro hujuſmodi feudo debita, & conſueta recipi mandat.*

Cum autem Pontifex ſciat, Cardinalem Cæſarem (erat nepos Pontificis nomen celebre in Hiſtoria) exequuturum eſſe naviter, & prudenter omnia, pro hac inveſtitione danda, & pro aliis gravibus S. Eccleſiæ negotiis, ad Fridericum mittit; faciat Cæſar adimpleri a Friderico omnia in litteris Pontificis contenta, accipiat privilegium Friderici aurea ipſius bulla bullatum, in quo *proprio juramento fateatur expreſſe, ſe recognoſcere a Pontifice, & S. Eccleſia Romana regnum Siciliæ, & terram citra pharum usque ad confina Eccleſiæ Romanæ, excepta civitate Beneventana cum ſuo territorio in feudum pro ſe, ſuisque heredibus ſub pactis modis, & conditionibus in Pontificiis litteris contentis.*

Tum

Tum ei committit, ut in dicto regno, *plantet, edificet, destruat, evellat*, pacem inter Barones statuat, &c.

Alias etiam facultates dat Nepoti Alexander, suntque illæ, quæ dantur Cardinalibus legatis, de quibus jam supra sermo factus est.

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Junii P. a. V. a. D. 1498.

Galli studentes in Regno Neapolitano excommunicantur.

XXXIX. Ex Lun. t. 4. p. 698. ALEXANDER VI. ad f. r. m.

Inc. *In suprema, &c.*

ACceperat Pontifex, Carolum Galliarum regem bellum contra Siciliæ regnum citra pharum parare; eum paterna caritate monuerat, ne vellet illud, quod est proprietatis S. Sedis, aggredi, neque perturbare vellet eodem tempore armis suis Italiam.

Simulque scripserat ad Ferdinandum Aragoniæ regem, & ad Elisabetham Reginam Castellæ, & Legionis, ut hoc regnum Siciliæ ab aggressionibus Caroli tutarentur; persequerenturque eundem donec Ecclesiæ arcem Ostiensem, & alia loca occupata restitueret.

Cupiens ergo Alexander, ut feliciter hoc bellum Ferdinandus conficiat, omnes regnicolas cujuscunque sint ordinis, dignitatis, & gradus vetat Carolo opitulari armis, milite, auxilio, consilio sub pœna excommunicationis, privationis feudorum, dignitatum, beneficiorum, & inhabilitatis ad honores consequendos; & ad recuperanda amissa.

Easdem pœnas indicit molestantibus exercitum Ferdinandi, turbantibus regnum &c.

D. Romæ apud S. Petrum Id. Sept. P. a. IV. a D. 1494.

Certior fit Fridericus de investitione de illo a Card. Borgia facienda.

XL. Ex Lun. t. 2. p. 830. ALEXANDER VI. Friderico de Aragonia Siciliæ Rege,

Inc. *Cum nos, &c.*

SIgnificat Friderico Alexander, se ad illum mittere Cardinalem Borgiam cum mandatis &c. in proxime superiore Bulla expositis.

Tum Fridericum hortatur, ut regnum juste, rectequæ administret, ut præ oculis habeat subditorum hominum felicitatem, ut Regnicolis inspiret reverentiam, & obsequium in Romanam Ecclesiam, ut Pontifex, & illa gloriari possint, se dedisse in feudum regnum suum regi justo, prudenti, modestoque.

D. Romæ ut supra,

Privatur Fridericus regno, dividiturque inter Ludovicum XII. Galliarum Regem, & Ferdinandum Regem Hispaniæ.

VII. Ibid. p. 1311. ALEXANDER VI. ad p. r. m.

Inc. *Regnans in altissimis, &c.*

SPerabat Alexander Fridericum de Aragonia Siciliæ Regem *in fidei sinceritate, ac obedientia, & devotione erga Ecclesiam Romanam esse perseveraturum*, sicut debuerat, & juraverat in investitione illi data hujus regni.

Sed postquam regno fuit investitus, & rex coronatus, *suæ salutis suique status, & honoris immemor, Dei timore postposito erecta cervice in reprobum sensum datus, notoriis Ecclesiæ rebellibus receptum in regnum dare, Ecclesiasticam libertatem impedire, imponere nova gravia tributa deferentibus victualia ad urbem, etiam vetare ne deferrentur, habere cum Turca intelligentiam, ejus oratores recipere, & ad illum cum pretiosis muneribus suos mittere, accendere illum, ut Christianos aggrederetur*, nihil erubuit.

Quare cum contra juramentum hæc egerit, jure regno cecidit, & eum jam eo cecidisse Alexander declarat.

Qare Pontifex oculos revolvens ad Galliæ Regem, & ad Regem Hispaniarum, *quorum quilibet etiam regnum cum terra citra pharum ad se de jure spectare prætendebat*, consideransque mala gravia, quæ a Turcis imminebant, nisi citissime provideretur, statuit terram dividere, & ita eos potentissimos reges in Turcas exstimulare usque ad eorum excidium.

Idque eo libentius facit Alexander, qui per oratores suos promiserunt præfati reges, se pacem culturos esse, neque violaturos ea confinia, quæ ipse in divisione præscripsisset.

Ergo de consilio fratrum regnum Siciliæ cum terra citra pharum ita dividit: *Neapolitanam, & Cajetanam civitates, ac totam terram Laboris & provinciam Aprutinam pro eorum justo valore Ludovico Regi Franciæ cum titulo Regis Neapolis, & Hierusalem; Ducatus vero, & omnes provincias Calabriæ, & Apuliæ cum tota eorum terra, etiam pro eorum justo valore Ferdinando, & Elizabeth Hispaniarum Regibus, & Reginæ cum titulo Ducis, & Ducissæ Calabriæ, & Apuliæ pro eis insimul dum vixerint, & altero eorundem Regis, & Reginæ decedente pro illo ex eis, qui superstes remanserit, suisque liberis, & successoribus tam masculis, quam feminis ex legitimo matrimonio natis per rectam lineam ex suis corporibus respective legitime descendentibus natis, & nascituris* assignat Alexander.

Vult eos investiri, eos præstare juramentum fidelitatis, & homagium S. Sedi.

Et ut semper pax inter eos Reges, & successores esse debeat, vult eos exercere super bonis assignatis regiam jurisdictionem, *reservata semper Pontifici, & Sedi Ap. jurisdictione illa, quæ ratione hujusmodi feudi debetur*; utraque pars recipiat emolumenta earum terrarum, quæ sibi obtigerunt. Rex Franciæ percipiat medietatem dohannæ pecudum provinciæ Apuliæ.

Tum proponit Alexander utrique Regi eas conditiones, quæ propositæ fuerunt Regibus Siciliæ observandæ; quas uterque Rex pro parte sua servaturum se esse pro se, & suis heredibus juret; quas quia superius allatæ fuerunt in investitione Caroli I. prætermittimus.

Apponitur juramenti formula jam solita.

D. Romæ apud S. Petrum VII. Cal. Junii P. a. IX. a. D. 1501.

Ferdinando, & Elizabethæ, eorumque successoribus remittitur de juramento, &c.

ALEXANDER VI. Ferdinando, & Elizabethæ, &c. XLII. Ibid. p. 1335.

Inc. *Cum nos, &c.*

IN conditione investitionis regni apposita erat conditio, ut reges darent juramentum ubicunque esset Pontifex.

Rex, & Regina prædicti animadvertentes iter tam longum esse sibi, futurumque suis heredibus nimis grave, supplicarunt Alexandro, ut consuleret.

Qui eos ab adeunda curia liberat. Sed vult eos jurare in ejus manibus, quem Pontifex pro tempore existens duxerit ad eos, eorumque successores mittere.

Neque incurrere eos censuram vult ob non præstitum juramentum, nisi *prius ad hoc vocati* fuerint.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Idib. Maji P. a. X. a. D. 1502.

Totum Regnum Neapolitanum citra Pharum datur Ferdinando Aragonum Regi.

JULIUS II. ad p. r. m. XLIII. Ex Rayn. ad ann. 1510. §. 25.

Inc. *Dudum felicis, &c.*

REpetita divisione facta a prædecessore Alexandro hujus regni inter Regem Galliæ, & Aragonium,

Quoniam Ludovicus conditionibus jam promissis, juramentoque firmatis non stetit, declarat Pontifex,

Eum jure beneficiario in ejus regnum excidisse, illudque ad S. Sedem esse devolutum. (Tunc Ludovicus pugnabat contra Julium.)

Quæ quidem S. Sedes habens rationem ingentium meritorum Ferdinandi Aragoniæ, & Siciliæ ultra pharum regis, & quod Mauros regno Granatensi expulit, quod Americam ad fidem convertit, quod Afros fregit, Bugia, & Orano urbibus ex iis ereptis, eum de parte, unde Ludovicus cecidit, investit.

Ergo Ferdinandus absolvitur ab iis pactis, de quibus cum Gallo convenerat quoad provincias regni Neapolitani, ita ut quamvis urbem, arcem &c. ubi erant Galli, possit milite Hispano munire, & ex iis earumque agris vectigalia exigere.

Jurabit porro idem Ferdinandus in manu illius, qui eidem vexillum investitionis porriget, se nullum fœdus contra Ecclesiam facturum esse, & apponuntur reliquæ conditiones jam superius dictæ de successione &c.

Jurabit se conversurum arma contra Alphonsum Ducem Ferrariæ ingratum S. Sedi &c.

Apponitur in fine formula juramenti præstandi a Ferdinando, ejusque successoribus.

N. O. *Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.*

Dat. Romæ apud S. Petrum Non. Jul. P. a. VII. a. D. 1510.

Carolus V. possit retinere simul cum Imperio Siciliam.

XLIV. Ibid. p. 1361. LEO X. ad f. r. m.

Inc. *Dudum magnis, &c.*

IN conditionibus, quibus hactenus data fuerat Sic illæ investitio, erat hæc, ne Rex posset esse Imperator, & si electus esset Imperator, regno caderet, vel renunciaret Imperium.

Carolus Hispaniarum Rex electus fuerat Imperator, nomine V. supplicavit ergo Leoni, ut liceret sibi simul retinere cum imperio regnum utriusque Siciliæ.

Pontifex, habita cum Cardinalibus matura deliberatione, primum quidem absolvit Carolum ab iis censuris, quæ latæ sunt in reges Siciliæ procurantes sibi imperium, si Carolus modo illud sibi procuravit,

Deinde illi permittit retentionem regni simul cum imperio;

Vult tamen Pontifex ut

I. Omnes alias conditiones, quæ appositæ sunt investituræ regni, a Carolo observentur;

II. Ut Carolus duas triremes armatas habeat septem anni mensibus a Calendis Aprilis usque ad finem Octobris ad tuitionem maris Tyrrheni, & aliorum locorum, & pro tutela locorum maritimorum Ecclesiæ;

III. Ut singulis annis in festo BB. Petri, & Pauli *Cameræ Apostolicæ solvat septem millia ducatorum præter solitum censum parafreni albi*,

IV. Obligetur Carolus permittere, *Pontificem extrahere e Sicilia decem millia rubra grani pecuniarum tempore, dummodo subditis regnorum Siciliæ citra & ultra pharum granum sufficiens remaneat absque juris tractæ solutione, necnon ex quibusque granis & victualibus pro usu Palatii Apostolici; & Cardinales pro suarum familiarum usu duntaxat ex fructibus Ecclesiarum, & beneficiorum suorum in dictis regnis existentium*;

V. Rex Carolus omnes delinquentes in statu Ecclesiastico confugientes in regnum Siciliæ citra requisitos a Pontifice capi faciet; ita R. Pontifex regnicolas ad requisitionem Caroli dabit;

VI. Præstet Carolus juramentum, & homagium ratione novæ concessionis dicti feudi.

Ita promiserunt nomine Caroli ejus oratores.

D. Romæ P. a. X. a. D. 1521.

Absolvitur Carolus a Censuris tanquam Siciliæ possessor.

XLV. Ibid. p. 1345. LEO X. Carolo Romanorum, &c.

Inc. *Cum in mentis, &c.*

INter conventiones appositas eligendis in Reges Siciliæ est hæc, se non procuraturos se eligi in Imperatores, in reges Romanorum, in Reges Thusciæ, aut Lombardiæ; & si procurarent, in censuras inciderent.

Maximilianus Caroli avus curaverat, ut electores nepotem suum Regem Romanorum eligerent; quidam etiam illi se hoc facturos promiserant. Mortuo Maximiliano, Carolus ab hac promissione litteris suis ad singulos datis eos absolverat.

Sed postea cum videret Carolus electionem suam toti Christianæ Reip. fore utilem, instituit apud electores, ut eligeretur.

Si ergo ob hunc ambitum in censuras Carolus incidit, absolvitur a Leone, ejusque electionem confirmat, & defectus, si qui fuerunt, supplet.

Quod si Imperator ullo unquam tempore a fidelitate Eccleſiæ regnum Siciliæ retraxerit, absolutio hæc nulla extitisse censeatur; sed regnum citra Pharum ad S. Sedem revertatur,

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Id. Junii P. a. IX. a. D. 1521.

Declaratio investituram factam Carolo non præjudicare investituræ factæ ejus matri Joannæ.

LEO X. ad f. r. m. XLVI. Ibid. p. 1350.

Inc. *Nuper postquam, &c.*

SUmmas bullarum a se editarum in favorem Caroli, cum, quin incurreret in censuras, permisit illi sibi imperium procurare, cum a censuris eum absolvit, recenset Leo.

Tum enatum dubium erat. Julius II. investiverat regno hoc ejus matrem Joannam heredem Ferdinandi illius Patris, & Caroli avi. Illa quoque debebat annuatim solvere septem millia &c. Eodemque tempore ea vivente investitus fuit Carolus. Videbatur ergo fuisse Regina Joanna per hanc investitionem Caroli regno spoliata, præsertim cum ipse Carolus juravit, se soluturum quotannis S. Sedi septem millia.

Declarat Pontifex, hanc investitionem datam Carolo nihil omnino præjudicare investitioni datæ Joannæ, & illam unam ad solutionem annui census teneri dum vivet.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ III. Non. Junii P. a. IX. a. D. 1521.

Philippo Princeps Hispaniarum & Rex Angliæ investitur Siciliæ regno.

JULIUS III. Philippo Angliæ, & Siciliæ citra Pharum regi. XLVII. Ex Rayn. ad ann. 1554. §. 11.

Inc. *Hodie mane, &c.*

UT regis titulum haberet Philippus ducturus in uxorem Mariam Angliæ reginam, Carolus Imperator illi concesserat Regnum Siciliæ citra Pharum; tum supplicavit Pontifici, ut hanc cessionem confirmaret, investiretque eo regno prædictum Philippum.

Jam ad hoc missi fuerant Cæsarei, regiique oratores a Carolo, & a Philippo, qui investitionem acciperent, solitumque juramentum darent Ecclesiæ, & homagium.

His ergo litteris significat Julius Philippo, se *cum solitis cæremoniis & actibus opportunis hilari, & libenti animo, paternoque affectu* investitionem regni Siciliæ ei dedisse in persona Marchionis Pilcariæ.

Deum precatur ut diu felix eo regno potiri possit, faustumque illi adprecatur futurum matrimonium.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Octob. P. a. V. a. D. 1554.

Absolvitur Rex Philippus ab juramento, ut possit retinere Siciliam una cum Ducatu Mediolani.

CLEMENS VIII. Philippo III. Hispaniarum Regi. XLVIII. B.R. t. 5. p. 2. p. 262. C.C.

Inc. *Præclara prædecessorum, &c.*

CAutum erat in investitura regni Siciliæ, ut caderet investitus e regno, si haberet aliquam regionem in Lombardia, & hoc investiendi jurabant.

Philippus III. habebat Ducatum Mediolani, ac proinde regnum amittere debebat.

Supplicavit ergo Pontifici, ut hanc conventionem abrogaret, & ipse ab juramento solveretur.

Quod per has litteras præstat Clemens.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die VI. Sept. P. a. VIII. a. D. 1599.

Eidem Philippo conceditur investitura Siciliæ.

CLEMENS VIII. ad p. r. m. XLIX. Ibid. p. 263. C.C.

Inc. *Illius qui, &c.*

PEtierat Philippus investituram regni Siciliæ. Pontifex eam illi dat.

Et vult eum præstare solitum juramentum observandi soliras conditiones &c.
Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.
D. ut supra.

Investitur hoc regno Philippus IV.

L. B.R. t.5. p. 4. p. 406. C.C. GREGORIUS XV. ad p. r. m.

Inc. *Regis eterni, &c.*

MOrtuo Philippo III. Rege Hispaniarum, ejus filius Philippus IV. supplicavit Gregorio, ut investiretur de Siciliæ regno, absolutus prius ab juramento retinendi Mediolani Ducatum.
Gregorius ei permittit retinere ducatum,
Et illum solitis formis de hoc regno investit.
Nulli ergo, &c. Si quis, &c.
D. Romæ apud S. M. Maj. V. Cal. Dec. P. a. I. a. D. 1621.

Carolus VI. Imperator investitur regno utriusque Siciliæ.

INNOCENTIUS XIII. ad p. r. m.

LI. B.M. t.2. p. 467. B.R. t.11. p. 2. p. 344. C.C. Inc. *Inscrutabilis, &c.*

JUlius II. dederat in feudum Ferdinando Catholico Hispaniarum regi *sub certis clausulis, & conditionibus regnum Siciliæ citra Pharum, reservata Sedi Apostolicæ Beneventana ditione.*
Leo X. idem regnum dederat in feudum Carolo V. Romanorum Imperatori, & regi Hispaniarum, qui se obligaverat omnia præstare, quæ Julius II. Ferdinando imposuerat.
Idem Clemens VIII. cum Philippo III. idem Gregorius XV. cum Philippo IV. idem Alexander VII. cum Carolo II. (Bulla deest) fecerant.
Carolo autem II. sine liberis mortuo cum ad Hispaniarum regna duo competitores jus se habere dicerent, Rex Galliæ Ludovicus XIV. qui jura sua in ea regna cesserat Nepoti Philippo Angioino, & Leopoldus Romanorum Imperator, qui Carolum Filium suum secundo genitum destinaverat in Hispanias, bellum ingens excitarant. Clemens ne alterutrum offenderet, investituram Siciliæ neutri dedit.
Sed bellis sedatis, extortaque Sicilia de manibus Philippi V. ab Anglis, qui quodlibet jus in hoc regnum Carolo VI. vel III. Imperatori cesserat, eundem Carolum eodem regno investit Innocentius, ne per longius tempus ex investitura dilata præjudicium juribus Ecclesiæ afferatur.
Ac primo quidem derogat ei legi, quam statuerant Prædecessores Pontifices ne qui Imperator esset, posset simul esse Siciliæ Rex.
Tum pensiones annuas, quas in die SS. Petri, & Pauli reges Siciliæ solvere S. Sedi tenentur, spatio tot annorum non solutas Carolo remittit, hac tamen lege ut de cetero eas solvat.
Demum juramentum præscribit, quod Cardinalis de Althan Cæsareus minister apud S. Sedem præstitit nomine Cæsaris, cum investituram pro Carolo accepit.
Nulli ergo, &c. Si quis, &c.
D. Romæ apud S. M. Maj. V. Id. Jul. P. a. II. a. D. 1722.

Investitura utriusque Siciliæ datur Carolo Borbonio Infanti Hispaniarum.

CLEMENS XII. ad p. r. m.

LII. B.M.p.9. vel t.15. p. 189. B.R.t.14. p. 243. C. C. Inc. *Ad excelsum, &c.*

VI armorum subtracta fuerat ab jurisdictione Caroli III. Imperatoris Sicilia, rexque ejus factus fuerat Carolus Hispaniarum Infans, nunc Rex Hispaniarum.
Sub iisdem clausulis jam superius allatis eum Clemens investit de utriusque Siciliæ regno;
Omnibus descendentibus legitimis primo masculis, deinde feminis vocatis in successionem, Beneventano territorio excepto.
Cardinalis Aquaviva nomine ejusdem regis cepit investituram, deditque juramentum fidelitatis Clementi, & successoribus ejus, & protestatus est nomine ejusdem Caroli, se habere illud regnum a pura, putaque Sanctæ Sedis liberalitate.
Tum Clemens ei remittit annuos census a Sede Ap. pro eo regno non perceptos.
Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.
D. Romæ apud S. M. Maj. IV. Id. Maji P.a.VIII. a. D. 1738.

Absolvitur Alphonsus Siciliæ Rex, quod album equum non obtulerit.

NICOLAUS V. Alphonso utriusque Siciliæ Regi. LIII. ex Lunig. t. 4. p. 583.

Inc. *Cum pro feudo, &c.*

JAm semper & censum, & equum solverat, & præsentaverat Alphonsus statuto tempore.
Sed anno illo, cum Pontifex ob timorem pestis huc illuc discurreret, non obtulerat.
Ergo Pontifex regem absolvit, declaratque nullum in eum ex hoc redundare præjudicium: nam cavebatur in conditionibus investituræ nisi tempore debito facta fuisset solutio, ut rex excommunicaretur, & si per sex alios menses differret, regno caderet;
Nullum item in S. Sedem, quæ ideo jus suum exigendi quotannis eum censum non amisit.
D. Fabriani Camerinensis Dioc. III. Non. Septemb. P. a. IV. a. D. 1450.

Omissio equitationis non debet nocere juribus Ecclesiæ.

ALEXANDER VII. ad f. r. m. LIV. B.R. t.6. P. 4. p. 184. C.C.

Inc. *Cum carissimus, &c.*

ANno 1657. ob timorem contagii prætermissa fuit equitatio in vigilia SS. AA. Petri & Pauli, & ostensio per frequentiores vias Romæ illius Parafreni, quem Rex Siciliæ solvit quotannis die dictorum Apostolorum cum septem millibus ducatis auri de Camera S. Sedi in signum ejusdem S. Sedis directi dominii in illud regnum.
Ne omissio hæc trahatur in exemplum & præjudicium juribus S. Sedis pariat, hanc edit Constitutionem Alexander.
D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Jul. P. a. III. a. D. 1657.

Privilegia concessa communitati Neapolitanæ.

INNOCENTIUS IV. Communitati Neapolitanæ. LV. B.R. t.3. p. 1. p. 349. C.C.

Inc. *Puræ fidei, &c.*

NEapolitanos cives laudat Innocentius, quod strenue impetus Manfredi Friderici Imperatoris filii repulerint, & fideles perstiterint in obsequio erga Sanctam Sedem.
In compensationem ergo Innocentius
I. Eos recipit in protectionem S. Petri, *qui eos sine medio retinebit, sicut terram Campaniæ;*
II. Illis concedit facultatem sibi eligendi magistratus,
III. Confirmat bonas civitatis consuetudines;
IV. Iis usurpata privilegia restituit.
Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.
D. Perusii per manum Magistri Marini Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii. Indictione X. Incarnationis Dominicæ anno MCCLI. Pontificatus vero D. Innocentii P. IV. a. IX.

Nuncius A. Neapoli vetet judices Neapolitanos in proceres Neapolitanos inquirere.

INNOCENTIUS VIII. Episcopo Cæsenatensi in regno Siciliæ citra pharum Nuncio S. Sedis. LVI. ex Lunig. t. 4. p. 671.

Inc. *Cum nos, &c.*

MIserat Innocentius præfatum Episcopum ad Regem Ferdinandum, & inter alia ei commiserat, quod nomine

nomine Pontificis Regem moneret, ut supersederet ab ulteriori processu in quosdam Barones detentos ipsius Regis, ejusque officialium mandato, & ut omnium eorum excessuum cognitionem, & punitionem Pontifici remitteret.
Quod si id facere, & stare articulis pacis anno proximo per Pontificem inter regem, & Barones ipsos statutis nollet, dederat Pontifex eidem Episcopo facultatem providendi, ne Barones opprimerentur; nempe ut vetaret judicibus vel ordinariis, vel delegatis in eos ulterius procedere, etiamsi pronunciatum fuisset, etiam per censuras Ecclesiasticas, eas toties iterandas, quoties opus fuerit.
Quas censuras ferat Nuncius in regem ipsum, & in judices, nisi ille, & hi pareant. N. O.
D. Romæ apud S. Petrum IX. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1487.

Hortatio ad Archiepiscopum Neapoli, ut excitet Regulares ad assistendum peste infectis.

LVII. B.R. t.6. p. 4. p. 231. C.C. ALEXANDER VII. Card. Philomarino Archiepiscopo Neapol.

Inc. *Cum primum, &c.*

GRassabatur jamdiu Neapoli contagium, plurimique Ecclesiastici sæculares jam perierant vel morbo, vel assistendo infectis.
Jamque multi peribant sine Sacramentis. Quod mirum quantum afflixit Alexandrum.
Igitur hortatur Archiepiscopum ut spe æterni præmii Regulares cujuscumque ordinis excitet ad assistentiam præstandam his infirmis Alexander.
D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Aug. P. a. II. a. D. 1656.

Nullum declaratur edictum Proregis Neapolis.

LVIII. Ib.p.185. C. C. ALEXANDER VII. ad f. r. m.

Inc. *Cum nuper, &c.*

BAnna publicarat Prorex Neapolis, in quibus edicebat, ut ne Ecclesiastici quidem reciperentur in urbem sine sua licentia in scriptis, nullumque declararat Archiepiscopi edictum (timor erat contagii nondum cessantis) idem statuentis.
Pontifex hoc Proregis edictum reputans læsivum Ecclesiasticæ libertatis illud cassat, & irritat. N. O.
D. Romæ apud S. M. Major. VI. Id. Julii P. a. III. a. D. 1567.

DE CAPUÆ PRINCIPATU.

Castigatur Jordanus Capuanus Princeps.

LIX. ex Baron. ad an. 1078. §. XXIV. GREGORIUS VII. Jordano Capuano Principi.

Inc. *Sicut nonnulli, &c.*

SIgnificat Gregorius Jordano, se eum dilexisse, fuisque amoris signa non obscura ei dedisse, putantem, eum ut filium gratum futurum, exculturumque Ecclesiam;
Sed se fuisse falsum; nam voluisse illum contra jus, & fas trahere de Ecclesia novercam suam in uxorem; Episcopum venientem ad sacra limina spoliasse, Ecclesiam B. Benedicti fuisse deprædatum.
Quare eum monet, ut *super his omnibus Pontifici justitiam faciat;* quam si facere contempserit *ad Deum reclamabit, qui dabit consilium, quid in tantam arrogantiam, & immoderatam superbiam principis facere debeat.*
D. Romæ XI. Cal. Maji P. a. VI. a. D. 1078.

Cajetanæ civitati privilegia dantur.

LX. B.R. t.3. p. 1. p. 260. C.C. GREGORIUS IX. Civibus Cajetanis.

Inc. *Apostolica Sedes, &c.*

I. CIvitati Cajetanæ ob eximiam devotionem in Sanctam Sedem concedit Gregorius facultatem eligendi sibi rectores suos, potestates, & Consules.
II. Dat illi *immunitatem per totum regnum a præstatione passagii, Falangatici, ac dationis, quæ directus vulgariter dicitur, ad Curiam pertinentium;*
III. Dat facultatem cudendi monetam argenteam, *ubi ex una parte sit imago capitis B. Petri cum subscriptione Civitatis Cajetanæ, ex alia in medio Papæ & in circulo superscriptio nominis Pontificis;*
IV. Facultatem ampliandi muros urbis;
V. Confirmat ejus bona,
VI. Ejus laudabiles consuetudines;
VII. Vetat sine licentia civium posse in territorio Cajetano ædificia construi;
Jubetur civitas in recognitionem privilegiorum *dare sufficientem numerum armatorum pro una Galea, cum Romana Ecclesia stolium* facere voluerit.
Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.
D. Perusii XI. Cal. Julii P. a. III. a. D. 1229.

Confirmantur libertates, & exemptiones civium Soranorum.

INNOCENTIUS III. Civibus Soranis, LXI. Ib.p.121. C.C.

Inc. *Ad ubera, &c.*

OMnes libertates, & exemptiones, quas habuerunt Cives Sorani a tempore Regis Rogerii usque ad obitum Villelmi Siciliæ Regis iis confirmat Innocentius.
Vetatque eos in his a quibuscumque perturbari.
Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.
D. Laterani XII. Cal. Junii P. a. XI. a. D. 1208.

Privilegia iisdem civibus conceduntur.

GREGORIUS IX. Populo Sorano, LXII. Ib.p.269. C. C.

Inc. *Cum reducti, &c.*

I. URbem, bona, jura, quæ possident Cives Sorani, & eorum personas recipit Gregorius in protectionem suam, & S. Sedis, & sub tutelam B. Petri.
II. Quam urbem perpetuis temporibus sub eadem protectione, & tutela vult esse;
III. Concedit civitati libertatem electionis suorum rectorum;
IV. Medietatem *servitiorum in frumento, vino, annona, ferris, clavis ac omnibus exeniis, quæ salutes vulgariter nuncupantur, ac aliis justitiis Cameræ debitis.*
Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.
D. Perusiii IV. Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1229.

Recipiuntur Suessani in protectionem S. Sedis, eorumque privilegia confirmantur.

GREGORIUS IX. Civibus Suessanis. LXIII. Ib.p.259. C. C.

Inc. *Sedes Apostolica, &c.*

SUessani cives multoties in suis ærumnis a S. Sede adjuti tandem sub ejus dominium redacti fuerunt.
I. Proinde eos Gregorius suscipit in suam, & suorum successorum protectionem,
II. Confirmatque iis bona, donationes, largitiones a quibuscumque illis factas, & faciendas;
III. Dat iis facultatem eligendi sibi rectores, & potestates, & officiales,
IV. Laudabiles eorum consuetudines confirmat.
Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.
D. Perusii XIV. Cal. Junii P. a. III. a. D. 1229.

Matthæo de Porta confirmatur possessio bonorum.

CLEMENS VI. Matthæo de Porta Militi Salernitano Juris Civilis Professori Magnæ Curiæ Regni Siciliæ Magistro Rationali. LXIV. ex Lunig. t. 4. p. 124.

Inc. *Dum per merita, &c.*

MAtthæi in Ecclesiam eximia pietas, & insignis scientia, *prout domestica conversatione* Pontifex *cognoverat*, merebantur, ut ejus petitioni annueret Clemens.
Rex Ludovicus, & Regina Joanna I. *volentes* illi *contra* futuros eventus, & *casus consulere utiliter de-*

claparant, eum fuisse, & esse debere vere proprietarium, utiliter dominum, & legitimum possessorem nonnullorum castrorum, casalium, terrarum.

Quare supplicavit Pontifici, ut hoc regum privilegium sua auctoritate corroboraret.

Pontifex Apostolica auctoritate regis, reginæque declarationem, decretum, renovationem confirmat, supplens defectus qui esse possent.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Avenione Die V. Febr. P. a. X. a. D. 1352.

Confirmatio privilegii Savarii de Malo Leone.

LXV. B.R. t. 5. p. 1. p. 298. C.C. HONORIUS III. Nobili viro Savario de Malo Leone Crucesignato.

Inc. *Invicta fides, &c.*

SIciliæ Rex facultatem dederat Savario in suis terris monetam cudendi.

Hanc facultatem ita oratus ei confirmat Honorius.

Injungitque illi, ut in signum confirmati privilegii *unam marcham auri quotannis S. Sedi exsolvat.*

D. Later. Die XX. Apr. P. a. II. a. D. 1126.

Committitur Card. Vicario absolvendi præsidem, & Auditorem Montis Fusculi a censuris ob violatam immunitatem Ecclesiasticam.

LXVI. B.R. t. 6. p. 5. p. 335. C.C. ALEXANDER VII. Cardinali Vicario.

Inc. *Sedes Apostolica, &c.*

PRæses, & Auditor Regiæ Audientiæ Montis Fusculi in regno Neapolitano armata manu Beneventum ingressi extraxerunt e carcere, ubi detinebatur, Clericum Josephum Caraffam, & alios assertos homicidii Augustini de Flore Neapoli patrati complices.

Ob violatam multipliciter libertatem Ecclesiasticam hi videntes se in censuras incurrisse cum litteris Proregis Neapolis Romam venerunt exoraturi veniam a Pontifice;

Qui mandat Cardinali Vicario, ut præfatos a censuris absolvat, injuncta pœnitentia &c. N. O.

Et hujus absolutionis actus instrumentum confici jubeat.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Sept. P. a. IX. a. D. 1663.

Mandatur Auditori Cameræ, ut procedat contra Gubernatorem Portus Herculis.

LXVII. B.R. t. 6. p. 3. p. 91. C.C. ALEXANDER VII. Causarum Cameræ Auditori.

Inc. *Innotuit nobis, &c.*

VEhebatur Romam frumentum in statu Senensi emptum in usum Romanæ Curiæ navi.

Cum navis fuit e conspectu Portus Herculis, Gubernator jussit, eam capi, & deduci in portum, nec licet pluries fuisset requisitus, eam relaxare voluit.

Itaque Alexander mandat præfato Auditori, ut in eum, ejusque ministros procedat, intimet, citet, & excommunicet personas, interdicto locum supponat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIV. Jan. P. a. I. a. D. 1256.

Excommunicatio regionum Ministrorum ob violatam Ecclesiasticam libertatem.

LXVIII. B.M. t. 8. p. 56. B.R. t. 10. p. 1. p. 177. C.C. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Ab ipsis, &c.*

PLures ærumnas passus fuit Ignatius *della Zerda* Episcopus Aquilanus, ut tueretur Ecclesiastica jura graviter læsa a Ministris regiæ Audientiæ; hi enim in carcerem detruserant quemdam Josephum Caroli Clericum reum, ut dicebatur, plurium homicidiorum.

Pluries Episcopus eos admonuit, ut remitterent reum in carceres Ecclesiasticos; sed cum illi renuissent, & ultimo supplicio afficissent Josephum, excommunicationem iis inflixit.

Illi ad hæc sub sequestrum posuerunt bona Episcopatus, & per publicum præconem Episcopum a toto regno Neapolitano expulerunt.

Volebat Innocentius XII. (illo siquidem Pontificatum tenente huc usque relata fuerant acta) interdicto supponere civitatem Aquilanam. Sed morte præoccupatus efficere id non potuit.

Successor Clemens sperans, fore ut Ministri regiæ Audientiæ resipiscerent, & revocarent ab exilio Episcopum, distulit agere, quod Prædecessor fecisset, si vita illi superfuisset.

Interim moritur Episcopus: Dirus motus terræ urbis totius deformavit aspectum.

Ne post hoc flagellum quidem regiis ministris ad bonam frugem reductibus, cessat, & nulla declarat Clemens quæ illi egerant contra Clericum, & Episcopum, & bona Ecclesiastica, eosque supponit Ecclesiasticis pœnis non absolvendos nisi ab ipso Pontifice. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXI. Maji P. a. VII. a. D. 1707.

Citatio reorum Romam.

LXIX. lib. p. 58. CAROLUS de Marinis Curiæ causarum Cameræ Ap. Auditor &c.

Inc. *Universi, &c.*

NArrat initio statim Generalis Auditor superius narrata de Clerico Josepho Caroso morti tradito, de Episcopo expulso, & extra Sedem suam mortuo, de bonis Ecclesiasticis sequestro suppositis.

Tum præfigit ministris jam excommunicatis terminos tres quadraginta quinque dies, quindecim pro quolibet termino, ut Romam compareant ad se purgandum, quibus præteritis, neque comparentibus *ad ulteriora juris, & facti remedia procedetur.*

Die XXX. Julii a. 1707.

Citatio Romam eorum, qui injuste expulerunt Archiepiscopum Surrentinum.

LXX. B.M. t. 8. p. 294. CAROLUS DE MARINIS, &c. Monitorium.

Inc. *Universis, & singulis, &c.*

VIsitans Archiepiscopus Surrentinus statim dioecesim, & præsertim parochialem Ecclesiam SS. Prischi, & Anielli volebat, Gubernatores Laicos rationem administrationis Parochiæ, & Capellæ reddere. Hi impetrata ab Archiepiscopo dilati ne unius Mensis, confugerunt ad Laicam Potestatem, quæ eos tuendos duxit, vetuitque Archiepiscopum ulterius progredi.

Archiepiscopus hoc audiens excommunicavit Gubernatores, eosque subjecit Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum absolvendos.

Laica potestas exardescens ad hæc contra Archiepiscopum processit, cum minitans se expulsuram, nisi revocasset ecclesiasticas censuras.

Confugit Neapolim Archiepiscopus, ubi ei sub pœnis indictum fuit, ut inde discedere.

Interim ejus consanguinei a Laica potestate plurima perpessi sunt.

Certior factus Innocentius XII. de his omnibus scripsit Archiepiscopo, ut rediret ad suam sedem, nec inde discederet.

Die XX. Maji ann. 1703. Judex criminalis cum Scriba, & viginti Birruariis Surrentum venit, admissusque ad audientiam Archiepiscopo nomine Proregis indixit, ut intra sex horarum spatium discederet Surrento, & inde quam citissime a toto regno exularet.

Archiepiscopus excommunicavit Judicem, interdictoque totam urbem supposuit.

Tum judex apposuit edictum, quo vetuit quibuscumque commercium quodlibet cum Archiepiscopo, & bona Episcopi sequestravit. Renuentem Archiepiscopum discedere, obsesso palatio, armata manu, ejecerunt, cymbæque impositum devexerunt Terracinam. Sed postea expulsores resipiscentes permiserunt Episcopo, ut rediret ad Ecclesiam suam.

Pontifex per speciale chirographum Auditori Cameræ committit, ut contra expulsores procedat jure Canonum. (Apponitur Pontificium chirographum)

Expulsores ergo, complices, & omnes reos, quorum nomina recenset, Auditor citat infra tres menses per tres

tres terminos, mensem unum pro quolibet, Romam, quibus infra præfinitos terminos non comparentibus pœnas ecclesiasticas denuntiat.

Quia vero difficile erat hoc monitorium Surrenti affigere, & Neapoli, jubet affigi in confiniis Status Ecclesiastici.

Antequam tempus expiraret, Prorex, aliique rei compensationem violatæ libertatis ecclesiasticæ fecerunt.

D. Romæ Ind. XV. die XXI. Maji a. D. 1707.

Præcipitur Præsidi Calabriæ ultra sistere se ad Tribunal Auditoris Cameræ.

LXXI. B.M. t. 8. p. 298. CAROLUS DE MARINIS, &c. Præceptum.

Inc. *Illustrissimis, &c.*

DOminicum Garopholum Calabriæ ultra præsidem ex causa violatæ immunitatis ecclesiasticæ Archiepiscopus Rheginensis excommunicaverat an. 1696.

Ille jam censuras contemnebat, peragebatque omnia æque ac si iis pœnis innodatus non esset.

Cupiens Pontifex, ut ille resipisceret, per chirographum, (quod affertur integrum) admonuit Auditorem Cameræ, ut pœnas ecclesiasticas in contumacem renovaret, & aggravaret.

Mandat ergo Auditor, ut singulis diebus dominicis, & festis in parochialibus Ecclesiis candelis accensis, Campanis pulsatis post divina officia, Missa conventuali celebrata, vel cantata in toto regno Neapolitano solemniter Dominicus Garopholus denuntietur excommunicatus; ac proinde omnes ejus consortium effugiant.

D. Romæ Ind. XV. die XXX. Jul. a. D. 1707.

Cassatio actorum super sequestratione fructuum beneficiorum.

LXXII. B.M. t. 6. vel t. 12. p. 476. B.R. t. 10. p. 1. p. 317. C.C. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Alias cum, &c.*

QUæcumque acta fuerant in Ducatu Mediolani, aguntur etiam in regno Neapolitano, de non mittendis Romam pecuniis, & de sequestrandis fructibus & pensionibus eorum beneficiorum, quæ possiderentur ab iis, qui in regno non permanerent.

Eædem litteræ, quæ missæ fuerant ad Ordinarios Ducatus Mediolani, mittuntur ad Ordinarios regni, ut pœnas ecclesiasticas infligant violatoribus; ad Proregem præcipue, qui erat Cardinalis Vincentius Grimanus, scribit Pontifex.

Ibi quoque edicta fiunt pollicentia revocationem actorum.

Hinc Pontifex cassans quæcumque peracta fuerant, Archiepiscopo Neapolis mandat, ut paterne recipiat resipiscentes, & a censuris absolvat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die V. Oct. P. a. IX. a. D. 1709.

Confirmatio interdicti in potestatem Laicam ob expulsionem Episcopi Lycensis.

LXXIII. B.M. t. 8. p. 84. lb. p. 278. C. C. CLEMENS XI. ad p. r. m.

Inc. *Cum sicut, &c.*

EPiscopus Lycensis, eo quod jura suæ Ecclesiæ conservare volebat, fuit a Laica potestate, a sede Episcopali ejectus, & a toto regno Neapolitano exulare coactus.

Discedens Episcopus civitatem, & dioecesim interdicto suppositit.

Nonnulli tamen Presbyteri sæculares, & Regulares illud contemnebant, ajentes, se illo non teneri, ac divina officia peragebant perinde ac interdicti non essent.

Hinc Clemens illud interdictum confirmat, declarans neque Ecclesias aperiri posse, neque divina officia peragi, neque cadavera sepeliri.

In interdicti violatores pœnas infligit, nempe ut ii a nemine possint absolvi, nisi a Romano Pontifice; si violatores autem sint presbyteri beneficiati, fructibus beneficiorum, & beneficiis privat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XXIV. Dec. P. a. XII. a. D. 1711.

Confirmatio statutorum Deputatorum Capellæ S. Januarii Neapoli.

LXXIV. B.R. t. 6. p. 5. p. 333. C.C. ALEXANDER VII. ad p. r. m.

Inc. *Militantis Ecclesiæ, &c.*

TRia, & decem capitula Deputati Capellæ S. Januarii Neapolis, quam dicunt Thesaurum, ediderunt an. 1659.

I. Ne Thesaurarii, & Capellani se ingerant in administrationem bonorum mobilium, & immobilium dictæ Capellæ,

II. Thesaurarius personaliter assistat, cum aperiuntur capsæ, ubi sunt Reliquiæ S. Januarii,

III. Quilibet Capellanus quotidie celebret ad illud altare; & cum deferuntur Reliquiæ ad Cathedralem, omnes Capellani processionaliter cum cereis, & cottis eas comitentur.

IV. Ne omnes Capellani eodem die se eximant a dicenda Missa ad illud altare. Quisque enim eadem septimana uno die eximitur.

V. Quisque Capellanus post celebratam Missam manu propria exscribat nomen suum in libris.

VI. In celebrandis Missis privatis ille sit prior, qui prior in Sacrestiam pervenerit.

VII. In duabus octavis prædicti Sancti quia canitur Missa, Missa prima cantetur a primo Capellano, seu Thesaurario, Missa secunda ab eo Sacerdote, qui est in eo foro urbis, ubi habetur congressus Capitis cum sanguine, &c.

VIII. Si Thesaurarius ægrotet, spectet ad Deputatos eligere qui debeat Missam canere;

IX. Nec Thesaurarius, nec quisquam ex Capellanis eleemosynas pro Capella petat,

X. Nemo nisi deputatus disponat de oblationibus sponte Capellæ factis,

XI. Sacrista eligendus a Deputatis quotidie Sacrestiæ assistat,

XII. Quatuor Clerici assistentes Capellæ sint moviles ad nutum deputatorum.

XIII. Hæc statuta observentur sub pœnis pecuniariis, & censuris, quas Pontifices statuerunt.

Alexander ita rogatus hæc statuta confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXIII. Febr. P. a. VI. a. D. 1661.

Pannus quidam aureus S. Januarii dono datur a Pontifice Neapolitanæ Ecclesiæ.

LXXV. Ex Ughelio t. 6. p. 126. JOANNES XXII. Archiepiscopo, & Capitulo Neapolitano.

Inc. *Ecclesiam Neapolitanam, &c.*

RAymundus de Salgis Canonicus Parisiensis Capellanus Pontificis tunc in partibus illis Nuncius Apostolicæ sedis penes Mercatores societatis Bonaccursorum de Florentia commorantes Neapoli quemdam pannum aureum imaginibus B. Januarii Martyris, cujus corpus in Neapolitana Ecclesia requiescit, historiatum decenter pecunia Pontificis emptum deposuerat conservandum, quousque Pontifex de illo aliter ordinaret.

Pontifex *pro decore, & ornatu ipsius Ecclesiæ ob divinam, & ejusdem sancti reverentiam* donat eidem Ecclesiæ.

Quare præfatis Archiepiscopo, & Capitulo mandat, *ut pannum devote suscipientes illum ordinent, & disponant in eadem Ecclesia pro ornatu, & decore hujusmodi perpetuo conservandum.*

D. Avenione XV. Cal. Sept. P. a. XVIII. a. D. 1332.

Mandatur mercatoribus, ut Archiepiscopo Neapolitano dent pannum, &c.

LXXVI. lb. p. 127. JOANNES XXII. Mercatoribus, &c.

Inc. *Cum quemdam, &c.*

SIgnificat iis Mercatoribus Joannes, se dedisse Ecclesiæ Neapolitanæ pro ejus ornatu pannum, quem apud eos deposuerat Raymundus de Salgis.

Illum

Illum dent Archiepiscopo, & Capitulo Neapolitano. *Faciantque super eadem assignatione confici publicum instrumentum seriem præsentium continens, illud fideliter Pontifici transmissuri.*

D. ut supra.

DE ECCLESIA SICULA CITRA PHARUM.

Confirmatio Legum Caroli II. pro Ecclesiis, & Ecclesiasticis hujus regni.

I. B.R. t.3. p.1. p.47. C. C. HONORIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Dilectus filius, &c.*

HAs leges in favorem Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum Siciliæ citra Pharum edidit Honorius.

I. Ut decimæ, quæ debentur Ecclesiis, solvantur vel in pecunia, vel in frumento &c. prout antiquitus consueverunt solvi; eas non dantes tempore debito solvant duplum:

II. Clerici non trahantur ad fora sæcularia nisi in causis feudorum;

III. Jure asyli gaudeant Ecclesiæ, neque rei inde extrahantur nisi in casibus a Canonibus permissis:

IV. Officiales, milites, barones non præsumant hospitari in bonis Ecclesiarum, & Monasteriorum; contra facientes teneantur ad pœnam duodecim unciarum auri:

V. Officiales, curiales non se intromittant in electiones Prælatorum, & collationes præbendarum:

VI. Clerici in collectis nec de bonis ecclesiasticis, nec de patrimonialibus solvere teneantur;

VII. Res, & possessiones, quæ non sunt obligatæ curiæ, vel alii, possint legari ecclesiis:

VIII. Vassallis ecclesiarum teneptibus ecclesiarum bona curia, & officiales sine licentia prælatorum officia non committant:

IX. Privilegia concessa ab antiquis Siciliæ regibus Ecclesiis, & ecclesiasticis serventur illæsa:

X. Res possessas ab Ecclesiis officiales nec usurpent, nec perturbent;

XI. Officiales ne velint cognoscere de criminibus ecclesiasticis, nec prælatos impediant in horum criminum cognitione;

XII. Officiales, justitiarii ne trahant vassallos Ecclesiarum ad sua tribunalia,

XIII. Prælati Ecclesiastici possint compellere suos vassallos ad satisfaciendum.

XIV. Vassalli Ecclesiarum aufugientes possint a prælatis revocari; si velint tamen bona dimittere, cogi non possint ad ea retinenda:

XV. Judæis, qui sint Ecclesiarum vassalli, nulla committantur officia, & data deponere cogantur.

Has leges Honorius confirmat, & ab omnibus observari præcipit.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Datum Tibure per manum Petri Magistri de Mediolano S. R. E. Vice-Cancellarii XV. Cal. Octobr. Ind. XIV. Incarn. Dom. an. MCCXXXV. Pontif. vero D. Honorii Pp. IV. anno I.

Clerici in hoc regno possunt denuntiare impune eos, qui negotiantur cum infidelibus.

II. B.R. t.5. p.1 p.166. C. C. SIXTUS V. ad p. r. m.

Inc. *Cum in regno, &c.*

QUia mare undequaque pene abluit regnum Neapolitanum, multi commercia cum infidelibus faciebant earum rerum, quæ damnum fidelibus afferre poterant.

Ne hi remaneant inulti, declarat Sixtus, posse Clericos Regulares, & sæculares deferre nomina horum mercatorum, & exploratorum Turcarum ad forum sæculare, quin incurrant irregularitatem, etiamsi ex eorum denuntiatione mors reorum sequatur.

Idque permittit, ut pessimum commercium penitus evellatur. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum die VII. Febr. P. a. II. a. D. 1587.

Facultas data Nuntio A. Neapoli procedendi in prælatos non residentes.

III. B.R. t.5. p.1. p.40. C. C. URBANUS VIII. Nuntio A. Neapoli,

Inc. *Cum residentia, &c.*

ACceperat Urbanus, non obstante sua constitutione de residentia (*v. c. de residentia*) edita, quosdam Episcopos in regno Neapolitano non residere; ideo mandat Nuntio suo ibidem,

Ut testes contra eos examinet, & cum invenerit eos non residere, contra illos procedat pœnis in citata Bulla contentis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXX. Maji P. a. XII. a. D. 1635.

Restitutio gabellæ utrique clero Neapolis jubetur.

IV. B.R. t.5. p.1. p.274. C. C. GREGORIUS XIV. ad f. r. m.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

NE fraudes fierent in solvendis gabellis ad portas urbis Neapolis pro rebus in urbem conducendis, solebat exigi pro esculentis, & vino, etiam a clericis sæcularibus, & ab ordinibus regularibus imposita solita gabella;

Quam postea a Romano Pontifice exactores jubebantur vel restituere eidem clero, vel dare alicui loco Pio. Sixtus V. eam semper Apostolicæ Cameræ applicavit.

Gregorius mandat, ut posthac semper ea restituatur eidem clero utrique,

Idque præcipit exactoribus sub pœnis &c. N. O.

D. Romæ in Monte Quirinali die VII. Junii P. a. I. a. D. 1591.

Concordia inita inter Clerum, & Communitatem Neap. super solutione datii farinæ confirmatur.

V. B.R. t.5. p.1. p.350. C. C. PAULUS V. ad f. r. m.

Inc. *Alias pro parte, &c.*

MOs erat, ut datium Farinæ Neapoli etiam Ecclesiastici solverent, idque ut vehentium in urbem farinam fraudes tollerentur, ne dicerent, eam spectare ad Ecclesiasticos, sed in fine anni restituebatur tamen Clero summa mille, & ducentorum scutorum dividenda inter se pro rata portione.

Cum aucta fuisset hæc gabella, debuit augeri & restitutio, quæ redacta fuit ad quinque millia scuta.

Ea destinavit Clerus fabricæ Basilicæ S. Petri de urbe, sicut Paulus destinaverat alias prædictam summam scutorum mille, & ducentorum.

Paulus concordiam inter exactores portarum, & Clerum initam ratam habet; & assignationem factam fabricæ a Clero confirmat. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. die X. Febr. P. a. XIII. a. D. 1618.

Datur facultas Nuncio Apostolico permittendi civibus Neapolitanis transigendi super quodam vectigali.

VI. B.R. t.6. p.2.p.29. C. C. URBANUS VIII. Nuntio A. Neap.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

SUmmam unius millionis scutorum obtulerant Neapolitani Regi, eam conficiendi nulla potior ratio visa est, quam auctio vectigalium super cometibilibus; quæ summa ut integra perciperetur, cupierunt cum clero transigere; petieruntque transigendi facultatem ab Urbano.

Urbanus mandat Nuntio suo, ut iis permittat cum clero transigere,

Ita tamen ut soluta pecunia postea clero restituatur, ut ejus privilegia non lædantur. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XIX. Junii P. a. XII. a. D. 1635.

Pe-

Pecunia Clero restituenda applicatur fabricæ Basilicæ S. Petri de urbe.

VII. Ib. p.59. C. C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Hodie pro parte, &c.*

QUoniam jam clerus pecuniam solverat pro vectigalibus, & eidem clero juxta conventionem erat restituenda, jubet Urbanus

Ut Nuntius A. Neapoli existens eam accipiat, Romamque mittat.

Pontifex enim eam se assignare ait Fabricæ Basilicæ S. Petri. N. O.

D. Romæ ut supra.

Renovantur prædicta mandata Nuncio Apostolico ibidem.

VIII. Ib. p.32. C. C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Nuper pro parte, &c.*

HAc Bulla complectitur Urbanus, quæ jusserat idem duabus proxime præcedentibus Bullis

De pecunia solvenda a Clero,

Et de illa restituta applicanda fabricæ Sancti Petri. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XII. Jul. P. a. XII. a. D. 1635.

Datur eadem facultas concordandi cum Clero.

IX. Ib. p.107. C. C. URBANUS VIII. Nuntio A.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

VOlente communitate augere vectigal frumenti, ut posset dare munus Regi,

Exactoribus petentibus facultatem conveniendi de hoc augmento cum clero, Urbanus Nuntio mandat, ut eam det. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die VII. Aug. P. a. XV. a. D. 1637.

Restituenda pecunia deputatur fabricæ, &c.

X. Ib. C. C. URBANUS VIII. Nuntio &c.

Inc. *Hodie pro parte, &c.*

COmmittit Nuntio suo Urbanus, ut data facultate exactoribus conveniendi cum clero de exactione, & de restituenda pecunia eidem,

Clero indicat nomine Pontificis, eam pecuniam deputatam esse fabricæ Basilicæ S. Petri. N. O.

D. ut supra.

Jubetur Nuncius accipere pecuniam, & Romam eam mittere.

XI. Ib. p 108. C. C. URBANUS VIII. Nuntio &c.

Inc. *Hodie pro parte, &c.*

NArrat Nuntio Urbanus se dedisse illi mandata, ut daret facultatem exactoribus conveniendi cum clero,

Se reservasse restituendam clero pecuniam pro fabrica Basilicæ S. Petri.

Hac Bulla mandat Nuntio, ut eam pecuniam ab exactoribus exigat, mittatque Romam. N. O.

D. ut supra.

„ Ducatos annuos 1138. grana autem 56. annuatim „ conductores tributi farinæ dabant Nuntio Pontificio „ Neapoli residenti, qui eos Romam mittebat insu„ mendos in fabrica Basilicæ S. Petri. Rex de hoc „ certior factus, statuit, & præcepit, ut detur Cardi„ nali Archiepiscopo, clero sæculari, Capellano Majo„ ri, Regiæque Capellæ S. Jacobi, & Solitariæ, quod „ semper consuevit restitui ratione exemptionis a solu„ tione frumenti. Sed animadvertens conductores, & „ magistratum, aut ministrum ullum non potuisse pa„ctum hujusmodi inire cum extraneo principe, inscius „ antecessoribus regibus, & se, nullam declaravit con„ ventionem factam cum Camera Apostolica a conduc„ toribus, a collectore, aut a Vice-rege, & hanc „ conventionem sustulit; quoniam nec Camera A. nec „ fabrica Ecclesiæ S. Petri de urbe in regno Neapoli„ tano edunt, & bibunt, nec quicquam regio ærario „ dant. „

Die XXX. Oct. an. 1769.

„ Idem Rex Ferdinandus cum accepisset, dari ab „ Ordinariis dispensationes super ætate a Tridentino „ Concilio statutas Clericis regni, & ab interstitiis, „ ut citius ascendant Clerici ad Sacerdotium, manda„ vit, ut Tridentini Concilii præceptum diligentissime „ observetur, neque dentur posthac hujusmodi ab æta„ te, & interstitiis dispensationes; ita enim ingens est „ Sacerdotum numerus, ut hæc necessitas non sit; Quæ „ si umquam necessitas dabitur, jussit, ad se esse re„ ferendum antequam petatur regium *exequatur*. „

Die XXIV. Julii an. 1769.

„ Animadvertens idem Rex utriusque Siciliæ Ferdi„ nandus vim ingentem pecuniæ quotannis e regno „ emitti ad Beneficiatos extra regnum commorantes „ ex pensionibus, Abbatiis, Commendis, beneficiisque „ cum maximo incolarum eorum locorum præcipue, in „ quibus ea beneficia sunt, totiusque regni damno, cum „ nummi illi in commercio non sint, contra Ecclesiæ „ intentionem, disciplinæ puritatem, contra Canoni„ cas primævas institutiones, indictum Capellano Ma„ jori fuit, ut nullis provisionibus beneficiorum colla„ torum iis, qui extra regnum vivunt, *regium exe„ quatur* apponeret. „

„ Et de cætero nullis provisionibus &c. apponatur „ *regium exequatur*, nisi beneficiato expressa conditio „ injungatur in regno residendi. „

Declaratum fuit, & conventum, quod ad tollendum omne dubietatis obstaculum, & ne deinceps in exequendis Apostolicis provisionalibus emergat impedimentum: S. Sanctitas dat ex ejus benignitate, & gratia, ac exuberanti liberalitate, & pro majori ipsius regni tutela, ut in locis limitrophis nonnisi personæ acceptæ, & fidæ præponantur, utque de cætero tam Apostolicæ sedis auctoritas, quam regalis dignitas suis (ut decet) præeminentiis sine ullo scrupulo, seu obstaculo libere uti valeat, teneatur, & debeat in ipsius novæ investituræ concessione tam per se, quam pro successoribus suis eidem Cæsari, & suis in dicto Regno (Neapolitano) successoribus perpetuo concedere, & reservare nominationem, & præsentationem viginti quatuor Ecclesiarum dicti regni, inferius particulariter nominatarum, & fiant super his provisiones in debita, & ampla forma cum omnibus clausulis, & erogationibus necessariis, reliquis omnibus Ecclesiis ac Beneficiis dicti regni (exceptis dumtaxat iis, quæ juris patronatus existant) ad liberam dispositionem Apostolicæ sedis remanentibus intra ipsarum investiararum formam. Et ut hæc reciproce observari valeant, providebit Cæsar, ne sui ministri, qui ipsius regni administrationi commissi fuerint, deinceps in non reservatis Ecclesiis, & quæ juris patronatus non extiterint, nequaquam manum apponant, neque exequutionem Bullarum, vel provisionum Apostolicarum impediant.

Ita in Tabulis fœderis inter Carolum V. Imp., & Clementem VII. a. 1529.

Insula Procita subjicitur huic Ecclesiæ.

XII. Ex Ughello to. 6. p. 167. CLEMENS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Ex Apostolicæ, &c.*

JAmdiu lis vigebat inter Archiepiscopos Neapolitanos, & Abbates Commendatarios parochialis Ecclesiæ Abbatiæ nuncupatæ S. Michaelis Archangeli olim monasterii S. Benedicti in insula Procita,

I. An hæc insula spectaret ad Ecclesiam Neapolitanam,

II. Et an Abbates, seu Commendatarii tenerentur obedientiam præstare Archiepiscopo tamquam ordinario suo.

Tandem convenerunt Cardinales Alphonsus Gesualdus Archiepiscopus Neapolitanus, & Robertus Bellarminus Abbas Commendatarius de finienda hac lite.

Electus a Pontifice fuit tamquam arbiter Cardinalis Camillus Burghesius (postea Paulus V.) qui examinatis plu-

pluribus documentis, & authenticis scripturis, & allegationibus a partibus propositis, respondit, *Ecclesiam Neapolitanam bonum jus fovere.*

Quare volens Pontifex omnem jurgiorum materiam amputare, & consulere saluti animarum eorum Insulanorum declarat, statuit, & ordinat,

I. Insulam de Procita, populum, Clerum, Ecclesiam prædictam *in, & de Diœcesi Neapolitana existere, non autem nullius diœcesis esse prætendi posse;*

II. Abbates, seu Commendatarios illius per se, aut si legitime sint impediti, vel si forte Cardinales, & Episcopi sint, per procuratores suos quotannis ad præstandam obedientiam Archiepiscopo Neapol. in die translationis S. Januarii, prout faciunt Archipresbyteri, & Rectores parochiarum civitatis, & diœcesis Neapol. teneri,

III. Vocatos ad Synodum diœcesanam accedere debere;

IV. In omnibus esse recognoscendos Archiepiscopos Ordinarios insulæ;

V. Proinde Archiepiscopo pro tempore competere omnimodam superioritatem, & jurisdictionem in Ecclesiam, presbyteros, clericos, & laicos volentes promoveri ad ordines esse promovendos, & ordinandos ab Archiepiscopo Neap., vel impetrandas ab illis esse litteras dimissoriales Archiepiscopi, ut alibi ordinentur,

VI. Quia vero intendit Clemens erigere ibidem Vicariam perpetuam, vult Rectorem præsentari ab Archiepiscopo Abbati Commendatario; qui tamen rector præstet Archiepiscopo, quæ præstari debent Ordinariis suis a Rectoribus animarum,

VII. Dat tamen, vel potius confirmat Abbatibus commendatariis usum baculi, mitræ, & benedicendi populo.

VIII. Ita omnes judices judicare vult.

IX. Irritum declarat quidquid secus actum fuerit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die VI. Sept. P. a. IX. a. D. 1600.

DE SARDINIA, ET CORSICA.

Investitio Insularum Sardiniæ, & Corsicæ.

I. B.R. t. 3. p. 2. p. 82. C. C. BONIFACIUS VIII. Jacobo Aragonium Sardiniæ, & Corsicæ Regi.

Inc. *Super Reges, &c.*

Ad honorem Dei Omnipotentis regna Sardiniæ, & Corsicæ, quæ ipsius Ecclesiæ juris, & proprietatis existunt cum juribus, & pertinentiis dat Pontifex Jacobo Aragonum regi, ejusque successoribus,

I. Rex debeat servire in Italia de centum equitibus decenter armatis, cum uno equo ad arma, & duabus equitaturis, & quingentis peditibus, *inter quos sint saltem centum balistarii de bonis balistis armati* alendi suis impensis, per trimestre incipiendum, cum milites attingent statum Ecclesiasticum.

II. Liceat autem postulare pro militibus stolium, vel certum Galearum, & vasorum marinorum numerum.

III. Rex, & successores solvant censum annuum Pontifici, & successoribus, aut sede vacante Collegio Cardinalium in festo SS. Petri, & Pauli duarum millium marcharum argenti bonorum, & legaliumst erlingorum.

IV. Si vel rex, vel successores per quatuor menses cessabunt a solutione, sint excommunicati; si cessabunt alios quatuor menses solvere, interdicetur Sardinia, & Corsica; si per alios quatuor menses, Ecclesia ad libitum disponet de iis regnis.

V. Successor masculus, vel femina regni Aragoniæ succedat in regna Corsicæ, & Sardiniæ.

VI. Primogenitus, vel primogenita præferatur aliis fratribus, vel sororibus.

VII. Si virgo innupta succedet, viro tantum Catholico copulabitur; si hæretico copuletur, cadat e successione regnorum.

VIII. Reges non separent regna, sed unita semper retineant.

IX. Jacobus, & successores adeuntes hereditatem dent juramentum fidelitatis, vassallagii, ligii, & homagii S. Sedi.

X. Apponitur formula juramenti,

XI. Quod renovabitur omnibus Pontificibus.

XII. Omnibus Ecclesiis tam in Corsica, quam in Sardinia serventur sua jura, in collatione beneficiorum serventur suæ consuetudines.

XIII. Ecclesiastici ne trahantur ad tribunalia Laicorum, sed eorum lites decidantur ab Episcopis.

XIV. Revocentur leges editæ contra libertatem Ecclesiasticam.

XV. Novas exactiones reges Ecclesiis, & Monasteriis, & Ecclesiasticis non imponant.

XVI. Omnes Barones conservabuntur in suis bonis per reges.

XVII. Omnes captivos, & obsides præsertim Romanos, & a ditione Ecclesiastica oriundos in Corsica, & Sardinia existentes rex dimittet liberos.

XVIII. Neque cum Græco, neque cum Saraceno, neque cum aliis principibus rex inibit fœdus contra Ecclesiam.

XIX. Nullum dominium, nullum regimen accipient reges in urbe Roma, ejusque districtu, & provinciis ditionis ecclesiasticæ.

XX. Si aliquis successor in ea regna eligetur Imperator, & Rex Theutoniæ aut regna dimittat, aut imperium. Si admonitus noluerit alterutrum facere, spoliabitur regnis.

XXI. Bulla sua aurata signatas litteras infra mensem ad Pontificem rex mittet, in quibus hæc omnia confirmet.

XXII. Si dubium aliquod exoriatur, consulenda erit S. Sedes, & ejus sententiæ standum.

D. Romæ apud S. Petrum II. Non. Apr. P. a. III. a. D. 1297.

„ De hac insula tamquam ditionis Sedis A. verba „ facit Gregorius VII. lib. 1. epist. 41., & lib. 8. „ epist. 10. ad Orzoccum judicem Calaritanum. Ego „ facile crediderim, Sardiniam juxta ac Siciliam Ecclesiæ fuisse concessas ratione patrimoniorum, quæ „ Romana Ecclesia possidebat usque a S. Gregorio M. „ ut constat ex ejus Epistolis lib. 14. epist. 2. Petrus „ de Marca lib. 3. de Concordia. cap. 38. scribit: „ *Sciunt omnes, patrimonia illa Calabriæ, & Siciliæ „ latifundia fuisse*, per Defensores, & Missos summi „ Pontifices curabant, *ut patet e variis Epistolis Gregorii Magni, vel ut loquitur Nicolaus Alemannus de „ Lateranensibus Parietinis cap.* 15. disponendo per „ familiares suos regere studebant.

Arguitur Jacobus Aragoniæ, & Sardiniæ, & Corsicæ Rex, quod victoriam non sit prosequutus.

II. Ex Lunig. t. 4. p. 1384. BONIFACIUS VIII. Jacobo &c.

Inc. *Adhibe fili, &c.*

NOn *improbrando* alloquitur Jacobum Bonifacius; sed cum elegisset illum Vexilliferum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sperabat, fore ut victoriam prosequeretur, ut uberiores fructus Ecclesia, & ille majorem nominis celebritatem perciperet.

Prope enim Siciliam pulcherrimam de Rege Friderico victoriam retulerat, ita ut *prudentum quidem teneat opinio, & vulgaris habeat assertio, quod si contra Fridericum, & Siculos fuisset suos victoriosos processus constanter, & viriliter prosequutus, ipsi ad mandata sedis Apostolicæ coacti, vel voluntarii absque longo tractu temporis rediissent.*

Illum autem excusat Bonifacius, & ex errore natum id esse credere vult.

Eum tamen rogat ut ab incæpto bello non desistat, sibique persuadeat, Terræ Sanctæ liberationem ex ejus victoriis pendere,

Illi commendat Robertum Calabriæ Ducem ejus cognatum, Robertum de Lauria ejus fidelem, & Gerardum Episcopum Sabinensem S. Sedis Legatum.

Eum etiam hortatur, ut e terris suis alios milites conscribat, & hostes perterrefactos adoriatur strenue; Sciat,

Sciat, victoriam, quam reportabit, gratissimam futuram esse Deo, gratissimam Ecclesiæ, & ubertimam ejus gloriæ segetem.

D. Lateran. XVIII. Cal. Febr. P. a. V. a. D. 1300.

Testimonium, Jacobum accepisse in feudum a Sede Romana per Pontificem Sardiniam, & & Corsicam.

III. Ib. p. 1385. CLEMENS V. ad p. r. m.

Inc. *Ne in posterum, &c.*

PEr præsentes litteras Clemens. testatur oratores duos Regis Jacobi juravisse coram Bened. XI. nomine ejusdem regis, Bonifacium Pp. VIII. concessisse sibi, & successoribus suis in feudum perpetuum insulas Sardiniæ, & Corsicæ ad Ecclesiam pertinentes; *cui quidem Bonifacio prædictus Rex ipse personaliter pro eodem regno vassallagium ligium, & homagium fecerat, & juramentum fidelitatis præstiterat,*

Et eumdem regem acceptasse conditionem a Bonifacio in investitione præscriptam, *quod tenebatur cuilibet Romano Pontifici infra annum post creationem ipsius per procuratores suos ad hoc legitime constitutos similiter pro eodem regno vassallagium ligium, & homagium facere, & juramentum præstare;*

Se vidisse *litteras* regis *ejus aurea bulla bullatas, in quibus recognoscet, se dictum regnum sub eisdem modis, conditionibus, & conventionibus in feudum a Romana Ecclesia prædicta regna tenere, easque se promitteret servaturum;*

Et has litteras regis una cum instrumento publico, quo roborantur, præsentatas fuisse Benedicto, & in Archivio Romanæ Ecclesiæ reservari;

Et prædictum Benedictum & vassallagium, & homagium, & juramentum accepisse.

D. Burdegalæ V. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1304.

Certior fit Rex Alphonsus, ejus procuratores fecisse homagium, & dedisse juramentum.

IV. Ib. p. 1582. BENEDICTUS XII. Alphonso Aragoniæ, &c.

Inc. *Nuper infra, &c.*

REgi Alphonso significat Benedictus, se recepisse a procuratoribus ejusdem homagium ligium, & jumentum fidelitatis, quod juxta conventiones cum Papa Bonifacio VIII. Reges Sardiniæ, & Corsicæ dare tenentur Pontifici assumpto ad Pontificatum intra annum, eumque laudat.

Quia vero in investitione eorum regnorum apposita erat conditio, ut ipse Rex personaliter in manu Pontificis juramentum faceret, & homagium præstaret, & Alphonsus id non fecerat, eum Benedictus pro hac vice absolvit; quod non trahatur in exemplum.

Ideo autem hoc testatur Benedictus, ut quieti Alphonsi, & ejus successorum consulat, ne quis e successoribus Pontificibus suspicetur eum conventionem non servasse.

D. Avenione XIII. Cal. Jan. P. a. I. a. D. 1335.

Arguitur Alphonsus de violato homagio, excitaturque ad saniora consilia.

V. Ib. p. 1389. BENEDICTUS XII. Alphonso Regi, &c.

Inc. *Non sine, &c.*

RAymundus de Peralto Alphonsi Ammiratus, seu Capitaneus cum quatuordecim Galeis regis, & duabus Siculorum, contra classem Roberti regis Siciliæ citra Pharum existentem in insula Siciliæ venerat eam oppugnaturus. Sed Trinacriæ rex Fridericus eam defendit.

Arguit factum hoc Benedictus, quia Alphonsus juravit, se fore amicum fidelium subditorum Ecclesiæ; talis autem est Robertus;

Fridericus Trinacriæ rex licet sit Ecclesiæ inimicus amicum Ecclesiæ Robertum defendendo ostendit grave esse Alphonsi crimen, qui amicus Ecclesiæ Ecclesiæ amicum lædit.

Pater Roberti Carolus adjuvit Alphonsum, & in bello Sardiniæ, & aliis etiam temporibus.

His rationibus ductus Pontifex vix sibi persuadere potest, regem Alphonsum potuisse rem hujusmodi facere; sed suspicatur ejus ministros id ad libitum suum egisse, quos ut corrigat, regem hortatur.

D. Aven. II. Cal. Jan. P. a. I. a. D. 1335.

Transactio cum Pontifice propter vectigal Sardicum S. Sedi debitum non solutum.

CLEMENS VI. VI. Ib. p. 1393.

Inc. *Sit cunctis, &c.*

EO quod vectigal, quod quotannis debebatur S. Sedi ob Sardiniam, non solverat rex Petrus, hæc Pontifici se præstiturum promisit, quæ Pontifex acceptavit, rataque habuit.

I. Rex non impediet, neque impedire faciet in omnibus regnis suis jurisdictionem ecclesiasticam;

II. Testatur Rex, quæ Perpiniani contra Collectorem A. fuerunt facta, non fuisse in contemptum Pontificis facta;

III. Rex ut accipiat absolutionem paratus est quæ præscripserit Pontifex, facere;

IV. Concedat Pontifex in subventionem Regis, Prælatos Sardiniæ, & Corsicæ aliquid e suis beneficiis regi dare.

V. Pro consolatione subditorum, & pro felici Ecclesiarum suorum regnorum regimine rogat Pontificem rex, ut cogat Prælatos in suis Ecclesiis *facere* residentiam personalem;

VI. Rogat etiam Pontificem, ut de beneficiis provideat subditis eorumdem regnorum ad consolationem populorum; neque ea conferat extraneis ignaris morum, & idiomatis.

D. die XXIV. Sept. a. 1451.

Testatur Pontifex se accepisse ab oratoribus regis Petri juramentum.

INNOCENTIUS VI. Petro regi, &c. VII. Ib. p. 1398.

Inc. *Significamus, &c.*

PEtro significat Innocentius, se ejus nomine accepisse ab illius oratoribus ad hoc missis juramentum, & homagium;

Accepisse ejus litteras Bullatas, &c.

Eum ita adimpleviisse conditiones a Bonifacio VIII. præscriptas.

D. Avinione II. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1354.

Citatur Petrus IV. Sardiniæ, & Corsicæ Rex, quod statuto termino non solverit censum.

URBANUS V. ad f. r. m. VIII. Ex Lunig. t. 2. p. 1425.

Inc. *Olim cum, &c.*

REcitat Urbanus conditiones, quibus Bonifacius de regnis Sardiniæ, & Corsicæ Jacobum investiverat,

Nempe si rex intra statutum tempus non solveret S. Ecclesiæ censum *integraliter* die SS. AA. Petri, & Pauli esset excommunicatus, si per tres menses differret, ea regna interdicerentur.

Jam ab Innocentio VI. fuerat admonitus Petrus, qui censum non solverat, ut solveret; minatusque Pontifex fuerat, se ad censuras deventurum esse. Sed has admonitiones Petrus contempsit, noluitque censum dare.

Urbano Pontifice electo prætermisit intra annum juxta conventiones juramentum dare, & homagium facere.

Ergo Urbanus, cum jam per decem annos censum præstare neglexisset Petrus, pro ultimo peremptorio termino eum citat pro die XIII. Mensis Maji proximi futuri, ut coram Cardinalibus in Consistorio compareat; se ejus absentiam pro contumacia habiturum affirmat.

D. & actum Avin. in Palatio Apost. III. Id. Mart. P. a. II. a. D. 1364.

DE ECCLESIA SARDA.

Dispositio circa Ecclesias parochiales Sardiniæ.

I. PIUS V. ad p. r. m.

B.M. t. 2. p. 289. B.R. t. 4. p. 3. p. 44. C.C.

Inc. *Quantum animarum, &c.*

MUltæ Ecclesiæ in Sardinia vel incuria relictæ, vel ob aeris inclementiam desertæ unitæ perpetuo Canonicatibus fuerant; multæ præterea Ecclesiæ cum cura animarum habitæ pro præbendis, & dignitatibus erant destitutæ Vicariis, qui animarum curam exercerent.

Quæ mala vult tollere Pius.

Statuit ergo, ut Ecclesiæ Parochiales ad primævum statum reducantur,

Et earum cura demandetur Vicariis ab Episcopis juxta formam Concilii Tridentini;

In iis vero, quæ annexæ sunt canonicatibus, collocentur Vicariis cum annuo redditu nec minore quinquaginta scutorum summa, nec majore centum.

In virtute Sanctæ Obedientiæ hoc exequendum mandatur Ordinariis omnibus illius insulæ. N. O.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Cal. Oct. P. a. III. a. D. 1568.

De Ecclesiis parochialibus regni provisiones

II. *In folio separato.* CLEMENS XIV. Archiepiscopis & Episc. in Regno Sardiniæ constitutis.

Inc. *Romani Pontificis, &c.*

FActas certior Sardiniæ Rex animarum curam in suo regno non bene regi ex eo quod omnes Ecclesiæ Parochiales erant unitæ mensis Metropolitanis, & Episcopalibus, Capitulis, Dignitatibus, Canonicatibus, Abbatiis, Collegiis, Universitatibus, aliisque locis piis, & Vicarios in iis positos amovibiles tenuissimam habere congruam, proinde indoctos, imprudentesque eligi, ut huic gravissimo malo mederetur, Pontificem oravit, ut provideret.

Ita prudentissime Pontifex decernit;

I. Ut una tantum Ecclesia parochialis unita esse possit mensis, Canonicatibus, Abbatiis &c. data optione, ut retineant, quam velint, cæteras dimittant; idque intra sex menses faciant;

II. Cum unaquæque vacabit, ut ad eam eligatur dignior ex concurrentibus: concursus autem fiat ut Tridentinum Concilium præscribit;

III. Ut Vicariis, qui nunc in iis sunt, detur quoad vivunt, earum proventus, ut antea;

IV. Ut Mensæ, dignitates, &c. ad eam Ecclesiam, quam unitam retinebunt, probum, doctumque presbyterum eligant, cui dent proinde congruam decentem;

V. Ut ad has quoque Ecclesias unitas promoveantur digniores per concursum, earumque Vicarii sint perpetui. N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. XI. Cal. Dec. P. a. I. a. D. 1769.

Tolluntur abusus quoad administrationem spiritualium in hoc regno.

III. *In folio separato.* CLEMENS XIV. Archiepiscopis &c.

Inc. *Sollicitudo, &c.*

INtroductus abusus erat in Diœceses hujus Regni, ut tam Episcopi pro ordinationibus, altarium consecrationibus, oleis, chrismatibus, quam Parochi ob benedictiones, matrimonia, funera, baptisma magnas sibi dari nummorum summas vellent, ita ut interdum fideles, qui non poterant eas solvere, abstinerent a Sacramentis suscipiendis, & non nisi cum magno incommodo ea susciperent, quæ necessario suscipienda sunt.

Pontifex sciens quantum dedeceat avaritiæ Ecclesiasticos insimulari, videnque morem hunc Simoniam potius sapere præcipit, & mandat,

Ut tam Episcopi, quam minores pastores nonnisi eas summas exigant, quæ eorum congruæ subsistationi sufficere possint, ut rationem habeant familiarum. N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. IX. Cal. Dec. P. a. I. a. D. 1769.

De Spoliis Prælatorum Ecclesiarum Sardiniæ.

IV. B.R. t. 5. p. 2. p. 15. C.C. CLEMENS VIII. Vicario Archiepiscopi Turritani in Sardinia.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

JUsserat Pius V. ut spolia Prælatorum Ecclesiarum Sardiniæ vacantium inservire deberent reparationi Ecclesiarum, & comparationi supellectilium.

Hoc prætextu Ecclesiarum œconomi ea usurpabant, neque executioni mandabant Pii præceptum.

Vicario igitur Archiepiscopi Turritani in spiritualibus mandat Clemens, ut hos œconomos cogat ad reddendam rationem perceptorum spoliorum etiam per pœnas Ecclesiasticas. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIII. Apr. P. a. III. a. D. 1594.

Donationes horum Episcoporum declarantur nullæ.

V. Ib. p. 308. C.C. CLEMENS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Apostolicæ Sedis, &c.*

IN præjudicium suarum Ecclesiarum Episcopi donationes faciebant suis consanguineis.

Philippus rogavit Pontificem, ut consuleret;

Qui omnes donationes quocunque prætextu, & quibusque factas irritat, vetatque de cætero fieri, revocatque eas, quæ actu factæ non sint saltem dies octo ante, & per dies octo donatarius habeat eas in sua potestate,

Renovatque constitutionem proxime præcedentem. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXV. Oct. P. a. X. a. D. 1690.

Methodus colligendi spolia Ecclesiastica.

VI. B. R. t. 6. p. 2. p. 304. C.C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Alias, sicut &c.*

METhodum tradit Urbanus adhibendam in colligendis spoliis Prælatorum Sardiniæ, quorum assignationem factam a Pio etiam Urbanus ratam habet.

Vult itaque, ut mortuo aliquo Episcopo deputetur a prorege œconomus.

Episcopi successores *cum duobus de suarum Ecclesiarum capitulis gratis, ac computatore* eligendis capitulariter, & cum Notario Capituli rationes sibi reddi curent, & debitores ad solvendum cogant. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die VII. Dec. P. a. XIX. a. D. 1641.

Beneficia Ecclesiastica dentur indigenis.

VII. B.R. t. 5. p. 2. p. 348. C.C. CLEMENS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Romanum decet, &c.*

PLura in Sardinia erant studia, & quidem insignia, beneficia autem & pauca sunt, & exigua.

Cum ad illa studia confluerent ex aliis nationibus multitudo ingens scholarium, hi scientes, beneficia vacare, ea impetrabant in præjudicium insulanorum, qui videntes nullum præmium suis laboribus propositum, aliud vitæ genus ab Ecclesiastico amplectebantur, aut si statum Clericalem eligebant, desidiæ se dabant.

Deputati igitur ejus insulæ hæc exposuerunt Clementi orantes, ut provideret.

Qui decernit, ad beneficia Sardiniæ non esse promovendos nisi indigenas, natosque, & naturales insulæ.

Quascunque alias provisiones factas aliis irritas, & nullas decernit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Prid. Id. Apr. P. a. X. a. D. 1601.

Injun-

Injungitur visitatio Monasteriorum Diœcesis Calaritanæ.

VIII. Ib. 227. C. C. CLEMENS VIII. Timotheo Monacho Ord. S. Benedicti, & Antonio Fratri Ord. MM. de Observantia.

Inc. *Pastoralis nostræ, &c.*

PRædictos viros deputat Clemens in visitatores Monasteriorum regularium, tam virorum, quam Monialium sub directione tamen Archiepiscopi Calaritani in eadem Diœcesi. Corruerat enim in iis regularis disciplina.

Illis dat amplas facultates ad hoc opus.

Mandat Archiepiscopo, ut iis faveat, & opem præstet, si indigebunt. N. O.

D. Ferrariæ Die XXIX. Jul. P. a. VII. a. D. 1598.

Revocatio litterarum Pauli V. circa beneficia hujus Ecclesiæ.

IX. B.R. t. 5. p. 3. p. 302. C.C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

PAulus V. (cujus bulla affertur) voluerat, ne beneficia hujus Ecclesiæ darentur originariis urbis Turritanæ, & viceversa, idque ne lites orirentur.

Sed advertens Urbanus lites majores nasci post hanc inhibitionem, litteras Pauli revocat, permittitque conferri promiscue beneficia incolis utriusque urbis. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXV. Febr. P. a. II. a. D. 1625.

Cæremoniale Episcoporum jubetur observandum in hac Ecclesia.

X. B.M. t. 5. p. 182. B.R. t. 6. p. 1. p. 161. C.C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

ORdinarius, & Capitulum hujus Ecclesiæ cupientes, in ea observari cæremoniale Episcoporum a Clemente VIII. editum, rogarunt Urbanum, ut suo decreto ejus observantiam præscriberet.

Quod Urbanus per has litteras præstat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXX. Jan. P. a. VI. a. D. 1629.

Compositio litis inter Canonicos Calaritanos, & Fratres MM. de Observantia super sepultura.

XI. B.M. t. 6. p. 123. ALEXANDER VII. ad f. r. m.

Inc. *Alias pro parte, &c.*

CAnonici Metropolitanæ Ecclesiæ Calaritinæ a. 1659. violenter ingressi fuerant *ad officiandum* in Ecclesiam Fratrum Minorum de Observantia super cadavere sepeliendo in Ecclesia ordinis.

Congregatio Sacra Rituum interrogata a Fratribus, respondit, *id spectare ad Fratres*; & expectato prius Parocho defuncti, recto tramite posse Fratres deferre cadaver ad suam Ecclesiam:

Et si Clerici deferant cadaver, cum pervenerint ad Ecclesiam Fratrum, tradito cadavere, debere retrocedere, officiorum, & sepulturæ munere relicto omnino Fratribus.

Hæc statuit Congregatio; hæc Alexander confirmat ad preces Fratrum. N. O. *Nulli ergo, &c.*

Dat. in arce Gandulphi Prid. Cal. Maji P. a. VI. a. D. 1660.

Jus nominandi ad Ecclesias Metropolitanas & Cathedrales Siciliæ & Sardiniæ datur Philippo.

XII. B.R. t. 5. p. 3. p. 318. C.C. PAULUS V. Philippo regi, &c.

Inc. *Tantus est, &c.*

PEtierat Philippus III. ut jus nominandi ad Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias Siciliæ, & Sardiniæ daret Paulus Philippo IV. Hispaniarum Infanti de iis regnis investito.

Considerans Paulus, hoc datum fuisse Carolo V. Philippo II. eidem Philippo III. etiam Filio ejus Philippo IV. concedit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die VII. Apr. P. a. IV. a. D. 1609.

Confirmatio litterarum Pauli V. ut rex possit exigere quasdam pecunias a Clero Sardiniæ.

XIII. B.M. t. 6. p. 1. p. 155. C.C. URBANUS VIII. Clero regni Sardiniæ.

Inc. *Alias a felicis, &c.*

JUsserat Paulus V. Clero Sardiniæ collationem cujusdam pecuniæ quandam regi in defensionem ejus insulæ (affertur Pauli Bulla, quæ est confirmatoria alterius ejusdem tenoris Gregorii XIII.)

Supplicante Philippo, ut illa renovaretur, eam Urbanus ratam habet. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XV. Dec. P. a. VI. a. D. 1628.

Subsidium oblatum pro parandis navibus in tutelam insulæ approbatur.

XIV. Ib. p. 156. C.C. URBANUS VIII. Philippo regi, &c.

Inc. *Eximius majestatis, &c.*

OBtulit Clerus uterque regi subsidium, ut comparentur octo triremes in defensionem insulæ contra Piratas.

Urbanus permittit Clero illud solvere, & regi illud accipere, modo triremes paret. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVI. Dec. P. a. VI. a. D. 1628.

Datur facultas Clero Sardiniæ persolvendi subsidium oblatum.

XV. Ib. 250. C.C. URBANUS VIII. Clero Sardiniæ.

Inc. *Cum sicut, &c.*

CLerus hujus regni supplicavit Pontifici, ut liceret sibi dare regi subsidium pecuniarium.

Urbanus id illi permittit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIX. Jan. P. a. VIII. a. D. 1631.

Subsidio oblato a Clero solvendo datur spatium annorum quinque.

XVI. Ib. p. 353. C.C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Alias a nobis, &c.*

DEderat Urbanus facultatem Clero Hispaniarum, & Sardiniæ offerendi regi subsidium, cum Clerus aliud sponte obtulit quadringentorum millium scutorum.

Petenti regi hoc subsidium oblatum exigendi licentiam, eam Urbanus dat, ita tamen, ut intra quinquennium tantum solvatur. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVI. Junii P. a. X. a. D. 1633.

Clero datur licentia subsidium dandi.

XVII. Ib. p. 357. C.C. URBANUS VIII. Philippo regi &c.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

DAt Urbanus Clero oblatum subsidium conferendi regi intra præscriptum quinquennium æquatis partibus. N. O.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. Die XVII. Junii P. a. X. a. D. 1633.

Subsidium prorogatur ad aliud quinquennium.

XVIII. Ib. p. 403. C.C. URBANUS VIII. Philippo regi &c.

Inc. *Magnis causis, &c.*

SUbsidium impositum a Rege Clero Hispaniarum & Sardiniæ quadringentorum, & viginti millium du-

catorum, prorogat Urbanus ad preces Philippi ad aliud quinquennium. N. O.

Dat. in arce Gandulphi Die III. Maji P. a. X. a. D. 1634.

Declaratio circa solutionem ratæ tangentis Ecclesiasticos in subsidium triremium.

XIX. B.R.t.6. p. 3. p. 87.C.C. INNOCENTIUS X. Philippo &c.

Inc. *Alias emanarunt, &c.*

VIdentes Ecclesiastici Sardiniæ, triremes, pro quibus solvebant, non adesse Sardiniæ, recusabant pactum subsidium ministrare.

Significavit Philippus Pontifici, hoc debere facere necessario triremes ut detegant, ubi sunt piratæ, ut eos fugent, supplicavitque, ut eos cogeret ad pensionem solvendam.

Ita jubet hac constitutione Innocentius Clero. N.O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VI. Junii P. a. II. a. D. 1646.

„ Sanctus Gregorius I. Magnus Sacramenti Confir-
„ mationis administrationem Presbyteris Sardiniæ in-
„ dulsit. Epist. 26. alias 3. Lib. 4. Hinc Gregorius
„ ab aliquibus reprehenditur; sed injuria. Nam Con-
„ cilium Florentinum in decreto unionis Armeno-
„ rum, & Tridentinum sess. 1. c. 3. docent, *ordina-*
„ *rium confirmationis ministrum esse Episcopum*. Ex
„ quo Theologi concludunt, extraordinarium esse posse
„ etiam non Episcopum.

DE INSULA CORSICÆ.

Corsi laudantur, quod liberatam insulam S. Sedi subjicere rursus velint.

I. ex Lunig. t. 4. p. 1379. GREGORIUS VII. Episcopis, Nobilibus, & cuncto populo Corsicæ.

Inc. *Scitis Fratres.*

JAm notum est, ait Pontifex, Insulam Corsicæ *nulli mortalium, nullique potestati, nisi S. Romanæ Ecclesiæ ex debito vel juris proprietate pertinere; & qui eam hactenus tenuerunt violenter, semetipsos crimine sacrilegii, & animarum suarum gravi periculo obligavisse.*

Cum autem Pontifex sciat, Corsos ab injustis usurpatoribus insulam recuperare velle, & eam rursus ejusdem Ecclesiæ juri subjicere, meritis laudibus onerat.

Illis pollicetur auxilium, *cum per misericordiam Dei in Thuscia multas comitum, & nobilium virorum copias ad eorum auxilium, si necesse fuerit, defensionemque paratas habeat.*

Iis significat se misisse ad illos Episcopum Pisanæ Ecclesiæ, quem suum Vicarium constituit, ut terram vice Pontificis, & ex parte B. Petri regat.

Eos rogat, ut Episcopo assistant, & etiam, si postulaverit, illi fidelitatem præstent, *præmissa tamen Sancti Petri, & Pontificis, & Successorum fidelitate.*

Data Romæ XVI. Cal. Oct. indict. I. a. 1079.

„ Corsicam Ecclesiæ donatam a Carolo M. testatur
„ Anastasius in Hadriano I. & Leo III. Epist. 8. ad
„ Carolum M. (apud Labbæum tom. 7. Concil. p. 1121.)
„ Gregorius vero VII. Epist. 4. Lib. 5. refert, quæ
„ diximus, in supradicta Epistola.

Ubertus Folietta Lib. 1. Hist. Genu. scribit: „ *Sa-*
„ *racenis ex Corsica expulsis ejus insulæ imperium Ge-*
„ *nuensi populo adjunctum est, quod bello postea partum*
„ *Romani Pontifices illi ratum fecerunt.*

„ Honorius III. partem Corsicæ jam antea dederat
„ Genuensibus ea lege, ut libram auri persolverent
„ quotannis S. Sedis Regnare Honorius a. 1216. cœpit.

Monita ad Corsos pro felici insulæ statu.

II. ex Rayn. ad ann. 1330 §. 18. JOANNES XXII. Universis Comitibus, Baronibus, & Nobilibus insulæ Corsicæ.

Inc. *Cupientes, &c.*

OPtans Joannes res in Corsica bene evenire, hæc dat præfatis viris consilia;

Ut revereantur Clerum, a quo instruuntur in fide, & pascuntur,

Ut decimas pastoribus solvant, ut se substentent;

Ut religiosos caritative suscipiant missos interdum ab A. Sede;

Ut Episcopis præsto sint corrigere, & punire concubinarios Clericos volentibus,

Ut curent habere viros eruditos in grammaticis, & scholasticis scientiis in sua insula, a quibus eorum filii erudiantur,

Porrigant manus adjutrices, si reficiendæ, aut ædificandæ Ecclesiæ sunt,

Permittant, si vocantur, filios suos in religiones ingredi,

Caveant a vitiis,

Interfint in Ecclesiis divinis officiis, & prædicationi;

Ne contrahant *clandestina matrimonia contra sacros canones*,

Ne consulant homicidia,

In subditos ne tyrannidem exerceant.

Demum efficiant, ut sua opera eluceant, ut Deus in eis glorificetur.

Suscipiant has litteras devote, eas legant, restituantque Episcopo Sagonensi custodiendas.

D. Aven. II. Id. Jul. P. a. XV. a. D. 1331.

Episcopus Feretranus Insulæ Corsicæ præficitur.

II. Ib. p. 1395. EUGENIUS IV. Francisco Angelo Ep. Feretr. Insulæ Corsicæ pro Romana Ecclesia in temporalibus gubernatori.

Inc. *Ad statum, &c.*

AD statum prosperum, & tranquillum Insulæ Corsicæ ejusque terrarum atque locorum ad Pontificem & Romanam Ecclesiam immediate spectantium salubriter dirigendum, in dicta insula, ejusque terris in temporalibus gubernatorem cum officialibus famulis, honoribus usque ad suum & S. Sedis beneplacitum præfatum Episcopum Eugenius constituit.

viii dat facultates reducendi ad obedientiam S. Sedis rebelles, promittendi impunitatem, concedendi litteras, mandandi, exercendi jurisdictionem, pœnas imponendi &c. processus faciendi, audiendi lites, & eas decidendi, peragendique omnia, quæ ad officium suum spectare cognoverit, & duxerit.

Mandat etiam officialibus, ministris, & omnibus quibuscumque, ut illi obedientiam præstent.

Pollicetur, se ratum habiturum quicquid in Domino fecerit. N.O.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Jan. P. a. XVI. a. D. 1446.

DE ECCLESIA CORSICA.

Insulæ Corsicæ Episcopis vetat Clemens uti opera regularium extra claustra morantium.

I. B.R.t.5. p. 2. p. 384.C.C. CLEMENS VIII. Episcopis Corsicæ.

Inc. *Quoniam ab observantia, &c.*

NE præberetur occasio morandi extra claustra Regularibus, mandat Clemens Episcopis Corsicæ,

Ne utantur opera Fratrum commorantium extra suos conventus, nisi commorentur de licentia Sanctæ Sedis.

Præcipitque ordinariis ut eos cogant, etiam si opus sit, per censuras ad sua claustra redire.

Hoc ideo edicit Clemens, ut regularibus in Corsica quemlibet prætextum præcidat morandi extra claustra, quod frequentes ibidem faciebant. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die V. Sept. P. a. X. a. D. 1601.

Per-

Permissio dandi in Emphyteusim Laicis bona Ecclesiastica in hac insula.

II. B.R.t.6. p. 2. p. 402.C.C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Nuper pro parte, &c.*

DUx, & Gubernatores Reip. Januæ significarunt Pontifici, esse in Corsica (insula subjecta eidem Republicæ) quædam bona Ecclesiastica omnino inculta, ex quibus Ecclesiæ, & loca pia, & Monasteria nullam, aut exiguam percipiebant utilitatem, magnam cæteroquin perceptura, si ea darentur in Emphyteusim laicis, qui illa colerent.

Rogarunt etiam illum, ut id fieri permitteret.

Urbanus non solum id permittit, sed etiam hæc inculta ad cultum redacta eximit a solutione decimarum, *& ratione trium pro centenario persolvere duntaxat* annuatim jubet. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIX. Jan. P. a. XXI. a. D. 1644.

Quomodo se gerere debeat Episcopus Marianensis in suspicione pestis.

III. B.R.t.6. P. 4. p. 59. C.C. ALEXANDER VII. Episc. Maurianensi, & Acciensi.

Inc. *Cum sicut, &c.*

COnsulnit Episcopus Marianensis, & Acciensis in Corsica, quid agere deberet, cum suspicio pestis esset in sua Diœcesi, extra urbes tamen.

Pontifex respondet, ut eligat presbyteros, Medicos, nutrices, vespillones ad curandos hos infectos, qui separati vivant, neque custodes appoliti permittant cum iis conversari sanos.

Indulgentias concedit his, qui eos curabant; & Episcopo dat facultatem delegandi quoscumque Sacerdotes ad absolvendos hos infirmos a quibuscumque casibus in foro conscientiæ tantum. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die X. Sept. P. a. III. a. D. 1657.

Plura vide in Ecclesia Pisana.

Datur facultas Archiepiscopo Pisano absolvendi Ecclesiasticos Corsicæ a censuris.

IV. *In folio separato.* CLEMENS XIV. Pisano Archiepiscopo.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

IN diutino acerrimo bello, quod cum Januensibus Corsi habuerunt, etiam multi Ecclesiastici utriusque Cleri vel pugnarunt, vel consilia dederunt, vel aliis modis rebus bellicis se immiscuerunt; quare in irregularitatem incurrerant, & in censuras.

Archiepiscopus Pisanus Legatus natus S. Sedis pro illa insula supplicavit Clementi, ut posset eos Ecclesiasticos absolvere; insula jam pacata.

Hanc facultatem illi dat Clemens. Injungat tamen iis Archiepiscopus salutarem pœnitentiam. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XII. Julii P. a. I. a. D. 1769.

„ Anno 1347. se hæc insula subjecit Januensibus.

DE HUNGARIÆ REGNO.

Regium diadema mittit Pontifex ad Stephanum Hungariæ ducem, eumque regis titulo donat.

I. B.R.t.1. p. 329. C.C. SILVESTER II. Duci Hungarorum.

Inc. *Legati nobilitatis, &c.*

PLetatem Stephani Hungariæ Ducis laudat Silvester; incessitque lætitiis omnibus ad nuncium, quem Romam attulerat Colocensis Episcopus Catholicam fidem latius per eas regiones disseminari cura, & studio ipsius Stephani, qui non contentus eam prædicare, etiam ducatum suum S. Petro obtulit.

Pontifex vice versa in grati animi signum diadema regium ad illum mittit, & nomine regis illum decorat, & Strigonienſem Ecclesiam erigit in Metropolim, cujus Ecclesiæ Prælati erit reges coronare, & reliquos Episcopatus ibi erectos confirmat.

Sub protectionem S. Petri recipit regnum, regiam familiam, gentem universam Hungaricam; sed illud regnum dat possidendum Stephano, & ejus successoribus *per optimates legitime electis.*

Stephano, & successoribus, *postquam fuerint coronati corona, quam ad eum mittit, atque ab Apostolica Sede approbati, permittit, ut ante se Crucem Apostolatus insigne gestare possint, & de iis Ecclesiis vice Pontificis disponere, & ordinare, quia fidem propagando Stephanus vices Sacerdotii adimplevit.*

Eum hortatur, ut pergat porro Catholicam fidem fovere a Deo expectans benedictionem & sibi, & regno suo.

Dat. Romæ IV. Cal. Apr. Indict. XIII. a. 1000.

Jura S. Sedis super regnum Hungaricum asseruntur.

II. ex Baron. ad ann. 1074. §. XXVI. LXXXII. GREGORIUS VII. Salomoni Hungarorum Regi.

Inc. *Litteræ tuæ, &c.*

„ SAlomon Rex Hungarorum a Jojade Belifilio, ali-
„ ter Geisa nominato ejus consanguineo prælio vi-
„ ctus amisso exercitu vix fuga sibi consulens evasit,
„ adituque per legatos Henricum Regem, cujus soro-
„ rem conjugem acceperat petens adversus invasorem
„ tyrannum arma parare, spondens quæque maxima,
„ si id faceret, nempe cum in regni Hungarici con-
„ sortium accepturum, futurumque eidem tributarium,
„ atque munitissimas Hungariæ civitates tanquam fir-
„ mæ semper futuræ pacis pignora tributurum. Quod
„ factum cum Gregorius accepisset, nempe quod ipse
„ Salomon ab eodem Henrico Rege quasi Domino
„ ipsum regnum Hungaricum in feudum accepisset,
„ cum ex his videret, magnopere lædi jura Sedis Ap.
„ cui jam idem regnum erat oblatum, in hanc sen-
„ tentiam ad ipsum Salomonem Hungariæ regem re-
„ scripsit, ita Baronius ib.

Tarde se accepisse ejus litteras, scribit Gregorius, quæ gratiores fuissent, nisi incautam conditionem in iis legisset (& est allata supra) nam omnes majores testari possent regi, illud regnum a Stephano oblatum fuisse S. Sedi cum omni jure, & potestate. *Præterea Henricus (III.) piæ memoriæ Imperator ad honorem S. Petri illud regnum expugnans, victo rege, & facta victoria, ad corpus B. Petri lanceam, coronamque transmisit.*

Quare desivit a regia virtute Salomon, qui illud a Rege Theutonicorum quasi beneficium accepit.

Videt ergo, qualem gratiam B. Petri, & Pontificis sibi promereatur; tunc eam promerebitur, *si regnum Apostolicæ non regiæ majestatis agnoscet.*

Hæc scribit Gregorius, quia muneri suo *debitum honorem ejus, cujus servus est, irrequisitum relinquere* non potest.

Corrigat ergo errorem Salomon, & amicitiam Pontificis in Christo habebit.

D. Romæ V. Cal. Nov. P. a. II. a. D. 1074.

Consolatur Pontifex Reginam Judith.

III. Ib. §. LXXXIV. GREGORIUS VII. Judith Hungarorum Reginæ.

Inc. *Multæ ac diversæ, &c.*

JAm Salomon regnum amiserat; seque Pontifex sequestrum pacis inter Jojadam, & Salomonem constituerat. Interim etiam uxor Salomonis Judith e regno exulabat, quæ ad Pontificem scripserat, & cui Pontifex respondet;

Se pluribus de causis eam amare; quia debet diligere omnes Christi fideles, deinde quia illius Pater Henricus, & ejus mater Agnes semper ex quo filium noverunt, pertractarunt honorifice; præterea fama inclita probitatis ipsius Judith eam valde commendat:

Augu-

Auguratur sibi Gregorius tempus, & occasionem ostendendi Judith quanti illam faciat.

Eam hortatur, ut præsenti adversitati ne cedat, sed audacior contra eat spem firmam in Deo habens, qui mortificat, & vivificat, humiliat, & exaltat. Quanto illustrior est sanguine, illustrior sit etiam fortitudine, & constantia.

D. Romæ IV. Id. Jan. P. a. III. a. D. 1075.

Excitatur Rex Geisa ad servanda jura S. Sedis.

IV. Ex Epist. Greg. l. 3. ep. 55. GREGORIUS VII. Geisæ, &c.

Inc. *Accepimus*, &c.

Hic Geisa expulerat e regno Hungariæ Salomonem; & statim legatos cum litteris ad Gregorium misit suam devotionem in S. Sedem pollicens.

Gregorius, se libenter ejus legatos accepisse scribit, & ejus litteras, eumque hortatur, ut in jurata fide persistat;

Hortatur etiam illum, ut justitiam servet, neque sibi putet omnia licere eo quod sit Rex.

Eum quoque hortatur, ut Ecclesiæ Romanæ jura super eo regno salva esse velit; ex eorum enim contemptu Rex Salomon ita punitus a Deo fuit, ut ex illo regno fuerit ejectus.

D. Romæ P. a. III. a. D. 1075.

„ Epistola 73. eod. lib. Gregorius eum ad pacem „ ineundam cum Salomone hortatur.

Laudatur Ladislaus Hungariæ rex.

V. Ib. ad an. 1079. §. XIX. GREGORIUS VII. Ladislao, &c.

Inc. *Sicut fidelium*, &c.

Scribit Gregorius, se a multis fide dignis viris audire, quam paratus sit rex omnia pro Ecclesia sufferre, quantum cupiat obedientiam suam illi esse testatam,

Quare eum commendat maximopere Gregorius.

Eum hortatur, ut opere præstet, quod verbis pollicetur.

Comites e regno exulantes eum rogat ut restituat;

Monet illum, ut juste regat, neque se affectibus agi transvorsum sinat,

Ad illum Gregorius legatos mittet,

Omnia fausta a Deo, Maria, & Apostolis illi precatur.

D. Romæ XII. Cal. Apr. P. a VII. a. D. 1079.

Hortatio ad Hungariæ Regem ut Banum retinentem Patarenos ad eos dimittendos cogat.

VI. Ex Rayn. t. 13. p. 30. INNOCENTIUS III. Hemmerado Regi.

Inc. *Accepimus*, &c.

Archiepiscopus Spalatensis, & Episcopus Tragurienſis e suis diœcesibus Patarenos ejecerant; Calinus Banus Bosinæ eos recepit, iis auxilium dabat, & favebat.

Periculum ergo ingens erat ne conversantes cum Christianis eos inficerent, & ne eorum hæresis in intima Hungariæ properet, & corrumperet regni incolas.

Rogat igitur Innocentius Hemmeradum Hungariæ Regem, ut armis cogat Banum receptos Patarenos expellere, nisi monitus antea pareat; ut proscribat eos ab universo Hungariæ regno, ut eorum bona publicet.

Dat etiam facultatem Innocentius Regi compescendi Farensem Episcopum, qui suspensus, & excommunicatus contra prohibitionem Pontificis Jadertinam metropolim retinebat.

D. Later. V. Id. Oct. P. a. III. a. D. 1200.

De oblato Andreæ Imperio Constantinopolitano gratulatur Pontifex.

VII. Ib. p. 211. HONORIUS III. Andreæ Regi, &c.

Inc. *Illa dilectionis*, &c.

„ Nonnulli Constantinopolitani invitaverant ad illud Imperium Andream, alii ejus socerum Co„ mitem Antissiodorensem. Andreas qui jam voverat „ se iturum ad faciam expeditionem scripsit ad Pon„ tificem, quid sibi esset agendum? credere factum „ bene, si Pontifex moneret crucesignatos, se iturum „ per eam viam ad expeditionem illam.

Rescribit Pontifex, se laudare Andreæ zelum, eumque rogat, ut perstet in suscepto proposito;

Pollicetur, se certiores facturum crucesignatos de itinere, quod Rex per ea loca in Terram S. suscipiet;

Datum illi esse illud imperium gratulatur, quod sperat illum esse optime administraturum in Dei honorem, & Ecclesiæ incrementum.

„ Sed Petrus Comes Antissiodorensis, qui uxoris Jo„ lantæ sororis Balduini primi, ex qua plures liberos „ susceperat, nomine potioribus suffragiis ad imperium „ vocabatur, e Gallis contento cursu Romam advo„ lavit, ut a Romano Pontifice Imperatoria inunctio„ ne delibutus majorem sibi apud Constantinopolitanos „ auctoritatem conciliaret; & imperium inivit.

D. Ferentini Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1217.

Accenditur Hungariæ Rex in Theodorum Comnenum.

VIII. Ib. p. 134. HONORIUS III. Andreæ Regi.

Inc. *Cibavit nos*, &c.

Ingentem dolorem suum perceptum e perfidia Theodori Comneni, qui fraude Imperatorem Constantinopolitanum, & Legatum Pontificium Petrum Card. tit. S. Praxedis (erat e familia Columna) illum præsio superarit, & hunc in carcere detineat, significat Andreæ Honorius.

Casus atrocitatem ei describit, qua nulla potest esse major; juramentum fidelitatis suo principi debitæ infregit, reverentiam debitam Legato non servavit.

Si hoc crimen impunitum sit, animos sumpturos esse Græcos, ait, & perfidiam amplificaturos, & Latinos omnes esse occisuros.

Rogat ergo enixe Andream, ut cum festinatione armatus in eas partes se conferat, curetque, ut Imperator, & Legatus solvantur e vinculis.

D. Ferentini V. Cal. Aug. P. a II. a. D. 1217.

De matrimonio Hungariæ Regis filii.

IX. Ib. p. 268. HONORIUS III. Andreæ regi, &c.

Inc. *Cum sicut*, &c.

Jam Rex Armeniæ per litteras significarat Pontifici, se dare filiam suam in uxorem filio Andreæ regis, cum hac conventione, ut sit heres regni toto tempore vitæ suæ, etiamsi filia decedat.

Honorius hoc quod provide, & utiliter factum est, confirmat.

D. Later. IV. Non. Mar. P. a. III. a. D. 1219.

Solvitur ab juramento Rex.

X. Ib. p. 295. HONORIUS III. Regi, &c.

Inc. *Nuper ex parte*, &c.

Juraverat Rex, se daturum in uxorem filio suo secundo nato Coronato in Regem Galæriæ per Archiepiscopum Strigonienſem filiam N. V. Ducis Poloniæ, & nunquam se curaturum, ut dissolveretur hoc matrimonium,

Et semper se defensurum regem ipsum.

Accidit sponsum cum sponsa ab hostibus capi, & tandiu remotos a regno detineri, ut necessitate Rex compulsus regnum dederit filio suo tertio genito, cui sponsam dedit.

Pontifex de consilio fratrum decidit, juramentum, *quod regnum alii regi auctoritate Apostolica coronato primo concessum, tetigisse videtur tanquam illicitum & primo juramento contrarium, non tenere.*

In altero, quod spectat ad matrimonium, filius regis, & filia Mesozlau cum in minore ætate constituti existant, antequam ad annos nubiles perveniant, sibi cautius, & consultius provideri poterit; quare expedire non videtur, ut absolvatur a Pontifice.

Causam, quæ erat inter Regem, & Constantiam imperatricem, desiderat Rex, ut Pontifex cognoscat, Respon-

Respondet Honorius, etiam Constantiam id summopere optare.

D. Later. VI. Cal. Febr. P. a. VI. a. D. 1222.

Rex Andreas monetur ut decimas solvat, solviquæ faciat.

XI. Ib. p. 304. HONORIUS III. Regi, &c.

Inc. *Cum ad nos*, &c.

Quæsti fuerant apud Pontificem Ecclesiarum hujus regni Pastores, & Regem, & populum nolle decimas de more Ecclesiis solvere, remque totam eidem commendarunt.

Pontifex Regi scribit, ne a consuetudine suorum majorum recedat; dignos esse operarios mercede sua, sublatis iis decimis, eos vivere non posse, ac proinde Christianam religionem corruere necessum esse; decimas dari Deo, cum dantur ejus ministris; ne det hoc malum exemplum populo suo; ipse præeat exemplo, sicut præest dignitate; jus in eas decimas habere pastores, quibus si priventur, injuste privari; non decere autem regem injuste agere, & res non suas usurpare, & retinere.

Quod si monitus paterne eas solvere recusabit, eum monet Honorius, se non relicturum Ecclesiam Dei inultam, se facturum quod ratio, quod jus a suo munere postulat.

D. Later. XVII. Cal. Aug. P. a. VII. a. D. 1223.

In eandem sententiam litteras ad populum, magnatesque scripsit Honorius.

Bela primogenitus Regis commendatur Episcopis.

XII. Ib. p. 312. HONORIUS III. Archiepiscopo Colocensi, & suffraganeis ejus.

Inc. *Cum carissimus*, &c.

Dimiserat uxorem suam Bela, ita Patre Andrea Rege instigante; causa discussa fuit a Pontifice, qui decidit, Belam debere eam retinere, nec posse eam dimittere. Paruit Pontifici princeps. Indignatus Andreas eum cum uxore regno expulit.

Duxit sui muneris Honorius Belæ assistere.

Quare præfatis scribit, ne Belam deserant, & adhortationibus ut Patrem moneant, ne se infensum filio præbeat, cum fecerit id, quod christianum decet, Pontificis auctoritate; si in aula eum habere non vult, permittat, ut in regno vivat, sicut heredi convenit, certosque redditus ei assignet, ut possit honeste vivere.

Iis commendat, ut videant, ne Bela in rebus, vel in persona lædatur.

D. Later. VIII. Cal. Mart. P. a. VIII. a. D. 1223.

Scripsit Honorius in eandem sententiam ad Ducem Austriæ Luipoldum, quo Bela se contulerat, & ad Regem Bohemiæ, ut apud Patrem Belæ intercederent.

Ad Regem Andream de filio Bela.

XIII. Ib. p. 312. HONORIUS III. Andreæ Regi.

Inc. *Ex quo*, &c.

Verens Rex Andreas, ne ex absentia filii sui e regno, qui plurimum amabatur, novi motus excitarentur, scripsit ad Pontificem, ut consuleret, quid sibi esset agendum? non enim vellet quasi supplex orare filium, ut rediret; omnia peragere, quin tamen patrius honos imminueretur.

Rescribit Andreæ Honorius, se affecturum, ut potius regis decus sit ex reditu filii in regnum augendum, quam imminuendum; se jam scripsisse filio, ut dimisse ab illo veniam postulet; se non recepisse uxorem dimissam, ut illi illuderet, se ostenderet, se illum parvi facere, sed quia Pontifex ita judiciaiter suasit; se semper paruisse parenti, se in posterum illi obtemperaturum impensius.

Cæterum etiam ad Comites Belæ, ait Pontifex, se scripsisse, iis injungendo, ut Belam ad submissionem, & reverentiam erga Patrem inducant.

Demum hortatur Regem, ut paterne filium suum excipiat, quem, fama tulit, ad tempus extra regnum invitse a rege expulsum, humaniusque cum illo agat; reputetque secum, Belam feciſſe, quod Christus docuit, nempe propter uxorem, quam Pontifex legitimam declaravit, relinquendam esse domum, patrem, & matrem.

D. Later. IV. Id. Mart. P. a. VIII. a. D. 1223.

Rex Bela possit rescindere juramenta facta a Patre quoad bona & jura regni.

HONORIUS III. Belæ juveni regio. XIV. Ib. p. 318.

Inc. *Intellecto jam*, &c.

Scripserat Bela Honorio, patrem suum alienationes quasdam feciſſe in præjudicium regni, & contra Regis honorem; eumque rogavit, ut diceret quid sibi esset agendum.

Respondet Honorius, se scripsisse ejus Patri, *ut alienationes prædictas, non obstante juramento si quod fecit de non revocandis iisdem, studeat revocare, quia cum teneatur, & in coronatione sua juraverit, etiam jura regni sui, & honorem coronæ illibata servare, illicitum profecto fuit, si præstitit de non revocandis alienationibus hujusmodi juramentum, & propterea penitus non servandum.*

Belæ facultatem dat in ea parte regni, cui imperitat, alienationes a patre factas etiam firmatas juramento revocare.

Quod si filius Bela alienationes hujusmodi fecit, eas revocet, & pœnitentiam de juramento temere facto agat.

D. Reatæ Id. Jul. P. a. IX. a. D. 1225.

Revocare a malis consiliis Pontifex studet Andream R.

GREGORIUS IX. Andreæ Regi spiritum sanioris consilii. XV. Ib. p. 418.

Inc. *Non absque*, &c.

Jura Ecclesiarum invaserat Andreas. Admonitus a Pontifice, ut ea restitueret, alioquin censuris esset feriendus, promiserat semet omnia reparaturum. Sed malorum consiliis abreptus promissa non præstitit. Quare irretitus pœnis Ecclesiasticis fuit. Ut eum ad bonam frugem Gregorius excitet, ad illum has litteras mittit,

In quibus initio statim morem Ecclesiæ narrat, quæ in litteris mittendis ad principes excommunicatos non solet apponere *salutem*.

Tum repetit quæ actæ fuerint inter Regem, & Legatum Apostolicum, cui misso, ut eum redargueret de usurpatis Ecclesiarum bonis, & juribus, promiserat se compensaturum esse omnia, & etiam tempus præscripserat, quo omnia compensaturus erat, quod nisi feciſſet, se censuris Ecclesiasticis subjiciebat.

Tamen rex, quasi irretitus censuris non esset, nuncios ad Pontificem miserat, qui eum super quibusdam articulis interrogarent,

Illi scribit Pontifex, se illi respondere non posse, donec est excommunicatus, prius satisfactionem det.

Ad hoc eum hortatur; exponitque illi veram potentiam esse illam, quæ justa est; nihil magnas opes juvare, si Deus inimicus habetur. Conveniat prius cum Ecclesiarum prælatis, & faciat quod est pollicitus, veramque pacem habebit.

D. Reatæ V. Cal. Aug. P. a. VIII. a. D. 1234.

Ut Bela compellat Valachos ad accipiendum Episcopum latinum hortatio.

GREGORIUS IX. Belæ Regis primogenito. XVI. Ib. p. 419.

Inc. *In Cumanorum*, &c.

In Cumanorum Episcopatu erant Valachi, qui licet Christiano nomine uterentur, ea faciebant. quæ huic inimica sunt nomini. Nam contemnebant Ecclesiam Romanam; non a suo Diœcesano Cumano Episcopo, sed a pseudo-Episcopis Græcis sacramenta petebant, ritus Græcos servabant, & multos Hungaros, & Theutonicos in iis regionibus morantes, vel finitimos ad eosdem ritus trahebant: unde magnam jacturam Ecclesia Romana patiebatur, & nascebantur scandala plurima,

Man-

Mandarat quidem Episcopo Cumano Pontifex, ut Valachis Catholicum Episcopum constitueret, quem tamen illi accipere noluerunt.

Ad Belam igitur confugit Pontifex, qui iis regionibus imperitabat nomine Patris, eumque monet, ut recordetur quod A. S. legato promiserit; nempe se compulsurum Valachos *ad recipiendum Episcopum, quem eis Ecclesia ipsa concesserit*; efficiendumque, ut ii ritus latinos sequantur;

Se constituturum redditus Episcopo, ut honeste sustentari possit.

Ad hæc omnia peragenda eum hortatur Gregorius, Non decet, principem Catholicum in suo regno schismaticos habere, qui ob diversitatem rituum jam suo Principi infidi semper sunt.

D. Perusii XVIII. Cal. Dec. P. a. VIII. a. D. 1234.

Rex Bela castigatur de bonis Ecclesiarum occupatis.

XVII. Jb. p. 446. GREGORIUS IX. Belæ Regi, &c.

Inc. *Cum excessus, &c.*

IMplicitus bellis rex occuparat bona Ecclesiarum, ut eorum expensas sustinere posset.

Arguitur a Pontifice, quippe qui hanc facultatem non habebat.

Arguitur etiam, ob malum exemplum, *quia delinquentibus qui præcedunt, facile corruunt qui sequuntur.*

Si ergo hoc malum exemplum præbuit, præbeat etiam bonum, & ablata restituat, immo restituat etiam fructus inde perceptos ut male perceptos.

Expectat Episcopum Guroensem Nuncium Regis ad Ap. Sedem, qui testis erit Regi, quantum a Pontifice diligatur.

Efficiat Rex, ut quantum mœruit, cum audiit Regem spoliasse Ecclesiam, tantum lætetur cum accipiet, eum ablata restituisse; illudque in mente habeat *dignas tot mortibus esse qui præsunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.*

Ne illi quem de corde puro, & conscientia bona Pontifex diligit, sit perditionis occasio, & sibi etiam causa mortis; nisi excessus corrigat, *non poterit causam Dei injuriam conniventibus oculis pertransire.*

D. Viterbii XVII. Cal. Febr. P. a. IX. a. D. 1236.

Contra Bulgaros Rex Hungariæ excitatur, provinciæque occupandæ in eo regno illi dantur.

XVIII. Ad ann. 1238. §. 7. GREGORIUS IX. Regi &c.

Inc. *Supremus opifex, &c.*

MUlta præfatus Pontifex, quantum debeant Reges Ecclesiam Dei defendere, ejusque fidei propagationem promovere, & quia præ reliquis mortalibus Deo debitores sunt, a quo regna acceperunt, & quia subditos populos multos cum habeant, facile id præstare possunt,

Multa etiam de hæreticis, qui pejores Judæis, & Dæmone sunt, quos ad fidem Reges adducere possunt, vel de defectione ab eadem tanquam divinæ læsæ majestatis reos punire,

Significat Belæ Assanum ab Ecclesiæ unitate recessisse, & populos sibi subjectos ad eandem defectionem exstimulare.

Contra illum ergo arma moveat Rex, exercitumque paret, neque permittat, Assanum impune a fide recessisse, impune ad recessum sollicitare alios; occupatasque regiones regno suo adjungat.

Jam Pontifex scripsit Episcopis, ut populos excitent ad sumendam Crucem in Bulgaros, qui Manetis erroribus jam adhærebant, iis proposita indulgentiarum solitarum consequutione.

D. Later. VI. Cal. Febr. P. a. XI. a. D. 1238.

Excitavit Pontifex in Bulgaros etiam Balduinum,

Multa petiit Bela a Pontifice, ut Vatacium Constantinopolitanum Imperatorem protegeret; ut crearetur in regno suo Hungariæ legatus S. A.

Ut populos terræ Zemræ posset subjicere cui vellet Diœcesi, ut absolveretur a censuris, ut crucem elatam tanquam vexillum ante exercitum ferre posset.

Omnia regi concessit Gregorius præter legationem, tum quia hoc privilegium est insolitum, cum quia cum Regnum sit sub protectione S. Sedis, est superfluum, denum quia omnes alii Reges idem privilegium vellent habere; testatur Pontifex, se non missurum ad Regem in legatos nisi viros probos, & ab omni suspicione alienos. Supersedemus afferre Bullas, ne lectorem defatigemus.

Bela a Tartaris victum Pontifex consolatur.

GREGORIUS IX. Belæ, &c. XIX. Ad ann. 1241. §. 18.

Inc. *Vocem in excelso, &c.*

VIs ingens Tartarorum e patrio solo egressa, vastataque Polonia, in Hungariam penetrarat, cui volens resistere Bela victus fuit, & quocumque Tartari ibant, regni urbibus potiebantur. Trepidus scripsit Bela ad Pontificem auxilium implorans. Sed jam antequam Hungariam invasissent, excitare principes in eos studuerat.

Dolorem ergo suum Belæ significat Pontifex ex hac irruptione, testaturque illi vastationem aliorum regnorum sibi dolorem magnum afferre, sed excidium ejus regni maximum, quia illud præ omnibus maxime diligit.

Eum tamen consolatur, jubetque eum in Deo spem suam ponere, qui est Deus exercituum, nec in se iperantes unquam destituit.

Pollicetur se illi affuturum, se totis viribus annixurum, ut auxilium illi ferant principes, & indicturum cruciatam in Tartaros.

D. Later. XVI. Cal. Jul. P. a. XV. a. D. 1241.

Rursus consolatur Pontifex Belam.

GREGORIUS IX. Belæ &c. XX. Ib. §. 19.

Inc. *Cum ad arcana, &c.*

EOdem tendunt & hæ Pontificis ad Belam litteræ. Facti plures numero, & validiores ex fœdere inito cum cumanis, quos Bela in suum regnum acceperat, Tartari in eorum regiones irruperant, regno fere omni spoliarant illum.

Mœrorem suum illi significat Gregorius,

Curam in excitandis fidelibus in Tartaros;

Quod si Fridericus ostenderet desiderium aliquod se conciliandi cum Ecclesia, ad illum etiam scriberet, eumque rogaret, ut Belam defenderet.

D. Later. Cal. Jul. P. a. XV. a. D. 1241.

Rogatur Rex, ut inducat Prælatos Regni veniro ad Concilium.

GREGORIUS IX. Belæ &c. XXI. Ib. §. 50.

Inc. *Si filius, &c.*

INdixerat Gregorius Concilium, quo invitaverat omnes prælatos Ecclesiæ, & principes monuerat, ut mitterent legatos. Cum suspicaretur Fridericus ideo celebrare velle Gregorium Synodum, ut ab illa excommunicatio confirmaretur, omnia itinera infesta reddebat, omnesque Episcopos ad illam se conferentes intercipere nitebatur.

Prælati ergo regni Hungariæ confugerunt ad Regem, eumque rogarunt, ut scriberet Pontifici, ut se excusatos vellet, si non venirent.

Bis ad Gregorium scripsit Bela de hoc argumento, illique respondet Pontifex,

Se accepisse ejus litteras, quibus Episcoporum postulata accepit; sed sicut specialis filius Ecclesiæ rex Bela est, ita eum rogat, ut accipiat in bonam partem, si ejus postulatis non annuit. Nimis grave negotium est, de quo est agendum in Concilio; agendum est de Catholica fide, de quiete Ecclesiæ, de totius Reip. Christianæ tranquillitate.

Etiamsi aliquod immineret periculum, quod certo non imminet, rerum agendarum gravitas exigeret, ne æquo animo pericula subirentur. Quid enim tam proprium Episcoporum officium esse debet, quam labores perferre, discrimina subire, incommoda pati pro Christi Ecclesia, cujus partes ipsi sustinent?

Jam Episcopi Romam venire possunt tuto, quin per Friderici regiones pertranseant.

D. Later. IV. Cal. Mar. P. a. XIV. a. D. 1241.

„ Episcopi bene multi e Lombardia, & Gallia ve-
„ nientes ad Concilium naves Januæ conscenderunt
„ cum Legatis AA. Fridericus contra illos misit filium
„ suum Entium, commissa pugna fuit ad Meloram,
„ victi fuere Januenses, pauci Episcopi fugerunt, alii
„ mersi fuerant in mari, alii captivi ducti.

Mandatur Patriarchæ Aquilejensi, ut Crucem prædicari faciat in auxilium Regni Hungariæ.

XXII. Ad ann. 1243. §. 36. INNOCENTIUS IV. Patriarchæ Aquilej.

Inc. *Plane lacrymis, &c.*

NArrat Pontifex Patriarchæ irruptionem factam a Tartaris in hoc regnum, vastitatem illius ab iis factam, angustias ad quas Bela Rex redactus est, inopiamque regni; & quibus cum lacrimis Rex auxilium ab A. Sede imploret in tanta rerum omnium difficultate.

Pontifex, ut illi regno opem ferat, mandat Patriarchæ prædicto, ut per Episcopos suæ provinciæ excitari fideles faciat ad ferendum auxilium regno illi; periculum ostendant, quod imminet, ne, eo regno toto expugnato, porro pergant Tartari, & omnia ferro, & igne devastent.

Proponant crucem sumentibus eadem indulgentias concessas euntibus in expeditionem Terræ S.

D. Anagniæ XII. Cal. Aug. P. a. I. a. D. 1243.

A fidei Sacramento in Fridericum liber declaratur Rex Bela.

XXIII. Ad ann. 1245. §. 80. INNOCENTIUS IV. Regi Belæ, &c.

Inc. *Ex parte, &c.*

CUm videret Rex Bela, regnum suum a Tartaris devastari, ut eos inde expelleret, juramentum dedit Friderico Imperatori, se illud habiturum ab illo jure fiduciario, si auxilium ab eo consequeretur, infra certum terminum ducendum vel ab ipso Friderico, vel ab ejus filio. Nunquam hoc auxilium missum fuit.

Supplicavit igitur Pontifici Bela, ut provideret, ne ex hoc juramento Imperium posset aliquod jus sibi umquam in regnum Hungariæ arrogare.

Considerans igitur Innocentius ea quæ promittuntur sub conditione, conditione non præstita, non esse facienda; considerans etiam, afflictis non esse addendam afflictionem, hoc est quoniam non reportavit a Friderico commodum auxilii, non debere Belam reportare incommodum præstandæ fidei; maxime quia prædictus Fridericus ad id movendus erat sponte, sicut ceteri Christiani,

Hujusmodi juramento, & homagio de fratrum consilio denuntiat Innocentius Belam *non teneri; ita quod hac occasione nihil in illum, vel illius successores, ut regnum possit ab aliquo unquam tempore vendicari, præjudicium oriri possit.*

D. Lugduni XII. Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1245.

Dissuadet Regi Pontifex, ne fœdus cum Tartaris faciat.

XXIV. Ad ann. 1259. §. 33. ALEXANDER IV. Regi Hungariæ.

Inc. *Cum inter, &c.*

MInabatur Tartarus irruptionem in Hungariam, jamque Rex expertus alias ejus populi furorem maximopere pavebat. Cum Tartarus ad Regem Belam oratores misit, qui illi proposuerunt, ut filio suo Tartarorum regis filiam in uxorem acciperet, vel suam filiam filio Regis Tartarorum daret, optionem illi faciebant, ut Rex Hungariæ exercitum suum cum Rege Tartarorum conjungeret; promiseruntque, Regem suum Belæ daturum quintam partem faciendarum prædarum.

Tempus, ut deliberaret, poposcit Bela, scripsit ad Pontificem hæc omnia, ostendebatque, ut imminentem irruptionem in regnum suum averteret, velle se cum Barbaro fœdus inire; namque cum alias in regnum Hungariæ Tartarus irruperat Gregorius IX. auxilia pollicitus fuerat, neque umquam misit, regnumque Hungariæ Tartarorum præda fuerat.

Respondet litteris Regis Belæ Alexander, eum dicere non posse, se fuisse a Gregorio IX. illusum. Revocet enim in mentem Rex quibus tunc in angustiis luctabatur Gregorius; urgebatur acerrimo hoste Friderico, qui patrimonium S. Petri devastabat, qui Italiam percurrebat, qui fœderatos Ecclesiæ ab Ecclesia divellebat, Albigensibus infesta erat Gallia, cogebaturque Rex in Tolosanum comitatum milites mittere; Alemannia demum erat divisa, quibusdam e principibus Friderico faventibus, quibusdam Ecclesiæ. Culpa ergo caret Gregorius, si illa subsidia mittere non potuit.

Ceterum ejus legati ad principes missi, ejus iteratæ preces, ejus Epistolæ testes sunt eum labori nulli, nulli industriæ diligentiæque pepercisse, ut moveret Reges ad auxilia Belæ suppeditanda.

Immo causam Christi neglexit, ut causam Regi tutaretur. Ipse namque probos viros huc illuc misit, qui hortarentur populos, ut arma sumerent in Tartaros Regnum Hungariæ devastantes, crucemque sumentibus eadem largitus est indulgentias, quas superiores Pontifices, & ipse dederat euntibus in Terram sanctam.

Quanquam examinet quibus conditionibus fœdus iniri velit Tartarus, videbitque Rex, eas esse iniquissimas. Vult, ut Rex cum parte quarta sui populi copias antecedat. Vel cœcus videat, dum ita vult Tartarus Belam agere, velle ad cædem, ad stragem inducere Hungaros. Qui enim primi milites irrumpunt in urbes, in regna fere omnes cum hostes vegetos, paratosque inveniant, misere cæduntur. Vult ergo Tartarus sanguine Hungarorum sibi ad regna occupanda muniri vias, vult cædibus objici Hungaros, ut Tartari prædas agant.

De matrimonio autem, quod proponit Tartarus, hoc unum Pontifex dicit, nexus ille nec Christiano paganum, nec christianum pagano conjungit, quippe quod est nullum. Lex enim christiana jubet ut christianus christianam ducat, & christiana christianum, *& filius, vel filia regis cum infideli uxore, vel viro execrabilium nuptiarum infame, ac captiosum contubernium, sortiretur, & peribit, proh dolor! in obsceno adulterini thori volutabro lugenda eo tempore soboles principis christiani.*

Ne cadat animis; quis scit, num Deus terrorem hunc ostendere Regi velit, ut tentet, an Divino auxilio confidat? Potest Deus corda principum movere, ut auxilium regi ferant. Agnoscat irruptionem imminentem a Deo, Dei sub potenti manu per pœnitentiam se humiliet, turbinemque, quem nigerrimum ostendit, alio immittet.

Nil mirum, si Deus ærumnas populo suo mittit, quia nempe in fide nutat. Fidat Deo Rex, & victorias consequetur.

Si vult Rex nullam nocere sibi adversitatem, faciat ut nulla sibi, nulla christianissimo regno suo dominetur iniquitas. Hæc una ratio est iram Dei avertendi.

De auxilio autem, quod ab A. Sede requirit, ne desperet. Mutata nunc sunt tempora. Principes pace fruuntur, Ecclesia licet Manfredi armis turbetur, non est hostis adeo timendus ut erat ejus pater Fridericus. Ipsum virum se præstet, excitet populos suos ad arma, Ecclesia excitabit principes ad illi opitulandum.

Neque credat Rex, Pontificem Ecclesias regni Hungariæ esse oppressurum collectis, quibus illum adjuvet. Fortasse a regno nullo minora exegit Ecclesia tributa, quam ab Hungarico: *Ecclesiæ maturitas tantam hactenus modestiam observavit, & deinceps ibi, & alibi observare proposuit in beneficiis concedendis, ut exinde nulla cuiquam justa murmurationis materia relinquatur.*

D. Anagniæ II. Id. Oct. P. a. V. a. D. 1259.

Hortatio ad Belam, ut concordiam cum filio faciat.

URBANUS IV. Belæ Regi. XXV. Ad ann. 1264. §. 52.

Inc. *Nimis aliquando, &c.*

ETiam hoc anno minabantur Tartari irruptionem in Hungariæ regnum facere; proposuerantque Belæ easdem conditiones, de quibus loquuti sumus in bulla proxime superiore.

Pontifex ad Regem Bohemiæ scripserat, ut regnum Hungariæ defenderet, & duas epistolas scripsit Belæ, quarum una eum monebat, ut Deo fideret, eique auxilium

xilium promittebat, altera eum dehortabatur, ne propositas a Tartaro conditiones acciperet; quæ quidem litteræ, quia nihil continent scitu dignum, a nobis fuere prætereundæ.

Litteris his studet Urbanus concordiam patrem inter, & filium Stephanum conciliare.

Simultas tanta erat inter eos, ut filius Cumanorum hostium acerrimorum Belæ auxilia in Patrem excire, Pater Barbaros alios in natum exstimulare meditarentur. Archiepiscopo Strigoniensi, & Episcopo Vesprimiensi mandarat Urbanus, ut concordiam inter utrumque facerent; sed irritus fuit labor omnis.

Se perculsum fuisse timore, scribit Urbanus, cum audiit, Tartaros parare irrumpere in Hungariæ regnum; sed horrore fuisse perfusum, cum accepit odium tantum esse patrem inter, & filium, ut uterque in excidium alterius auxilia a barbaris exposcere sit paratus.

Belam monet, rogat, & hortatur Urbanus, ut consilium hoc deponat, ut pacem cum filio faciat; ut eam vim pecuniæ quam in eversionem filii expendere vult, eroget in pia opera in levamen suorum populorum. Hæ expensæ memoriam æterni nominis ei comparabunt.

Velit Bela convertere mœstitiam ex hac discordia intestina a Pontifice conceptam in lætitiam, amplectaturque filium, & si quid erravit, paterna clementia illi erratum remittat.

D. apud Urbem Veterem IV. Non. Febr. P. a. III. a. D. 1264.

Gravissime autem perstrinxit filium Urbanus. Irritus non fuit Urbani conatus. Conciliata amicitia inter eos fuit.

Ignobilitas generis non detrurpat Episcopatum.

XXVI. CLEMENS IV. Hungariæ Regi, &c. Ad ann. p266.§.38.

Inc. *Rerum providus, &c.*

ELectum Zagrabiensem persequebatur Bela, nec volebat Episcopatus eum capere possessionem, eam prætexens causam, quia ignobilis erat.

Dissuadere ab hoc incæpto nititur Regem Pontifex gravissima hac epistola.

Rerum providus omnium ordinator omnes homines lege propagando communi ex similibus nasci seminibus, eodem cœlo contegi, similique gaudere spiraculo voluit, nudos in mundum ingredi, & nudos egredi pari ratione decrevit, non a servo distinguens liberum, ab egeno divitem, non a rege plebejum in omnibus supradictis: sed in terra multiplicatis hominibus, & eorum nonnullis voluntatis indomitæ motus agiles, & effrenes libertati propriæ relinquentibus, aliis autem saniore consilio rationis imperio suas suadentibus voluntates istos illis merito præfici sola persuasit honestas, & necessitas causæ publicæ contulit anteferri: ut qui suis perfectius dominabantur animis expugnatoribus urbium meliores exercerent in alios principatum, & repressis improborum excessibus societatis humanæ fœdere sub jucundæ tranquillitatis præsidio tuerentur.

Non abnuimus, fili carissime, quin alicubi, Domino permittente, potestatis usurpata præsumptio thronum aliquibus dederit principalem; sed illa, quam præmisimus recta fuit occasio, imo causa rectissima, quos natura pares produxerat, sublimitatis fastigio, & subjectionis obsequio discernendi; quæ diversitas statuum nihil habuit adversum, si subjectus se meritis imparem, & prælatus natura se confiteretur, & agnoscit æqualem.

Sic igitur successivis temporibus propagato prælatis splendore morum a patribus acquisita, populorum populari assensu, quem annosa consuetudo firmavit, in posteros derivata nobilitati laudabilem, & ab omnibus honorandam dedit originem, & eo prædotavit effectu, ut ex nobilibus nascantur nobiles; & quod natura nescierat usus hominum humano generi non mediocriter utile superaddit.

Quæ res divinæ gratiæ non præscribit, quin parvis & magnis, servis, & liberis pro suæ beneplacito voluntatis illabens nunc hos, nunc illos erigat, vel dejiciat juxta sui dispositionem arbitrii, qui non fallitur: licet ejus arcana ratio nequeat ab hominibus comprehendi.

Apud Deum non est personarum acceptatio, & in Ecclesia respicitur ordo, non nativitas, cum fideles quatenus fideles ii debeant eminere qui majoribus virtutibus pollent, & utiliores fidelium cœtui esse possunt. Ita Christus operis sui Vicarios esse voluit non nobiles, non divites, sed pauperes, & piscatores:

In Episcopo ratio habenda est non nativitatis, sed morum, sed virtutis, sed pietatis; ignobilitatem generis absorbet Episcopatus dignitas, qui cum non conferendus sit nisi virtutibus ornatis, indicium est, Episcopum esse probum, esse ornatum bonis moribus, quæ quidem probitas, qui quidem mores initium nobilitati dederunt.

At dirigat aciem Rex ad suam dignitatem excelsam, dirigat autem illam postea ad ignobilitatem Episcopi, decetne tam sublimem regem descendere in certamen cum tam abjecta viro? *leones scimus contra vermiculos non armari, aquilas ad passeres non volare. Et tu vir, atque princeps magnificus tanta sudabis instantia ad unius dejectionem Episcopi?*

Quod objicis, dato per omnia quod sit verum, imputare illi non potes, cum seipsum non fecerit, sed a Deo factus fuerit: nec parentes eligere sibi nobiles potuit, nec peccavit, si illos habuit, quos Dominus ei dedit.

Denique scire te volumus, quod illius inhærentes vestigiis, quantum scimus, & possumus, qui defendens Christos suos non reliquit eis nocere hominem, imo corripuit reges pro iisdem, omittere non poterimus, quin causam pauperis, qui relictus est Domino, prosequamur.

D. Perusii XII. Cal. Febr. P. a. I. a. D. 1266.

„ Commotus aurea hac Epistola Rex Episcopum permisit dignitatem suam inire, eumque postea plurimi „ fecit. „

Ladislao præcepta dantur.

GREGORIUS X. Ladislao regi, &c. XXVII. Ad ann. 1272. §.52.

Inc. *Habes fili, &c.*

PAtri Stephano successerat Ladislaus admodum juvenis, cui paulo ante data fuerat in uxorem Isabella regis Siciliæ Caroli filia, unde postea Domui Martellæ Hungaricæ acquisitum fuit jus in Siciliam.

Duxit esse sui muneris Gregorius quædam præcepta juveni regi dare; eaque illi dat his in litteris.

Recognoscat igitur Rex a Deo sceptrum, & ad ejus honorem, ad propagationem illius fidei illo usurum, quod fecerunt ejus majores;

Ne ille abutatur auctoritate regia contra Ecclesias, & Ecclesiasticos.

Justitiam colat, eamque exerceat præcipue pro pauperibus.

Fugiat a vitiis, neque adulationibus aurem præbeat; ideoque eligat bonos consiliarios, a quibus audiat vera, non placentia.

Colat amicitiam, quoniam affinis est, Soceri sui Caroli Siciliæ Regis viri prudentissimi.

Auxilium, præsidiumque A. Sedis illi demum Gregorius pollicetur.

D. apud Urbem Veterem IV. Calend. Maji P. a. I. a. D. 1272.

Hortatio ad regem, ut mores mutet.

NICOLAUS III. Regi Hungariæ Spiritum Consilii Sanioris. XXVIII. Ad ann. 1279. §.33.

Inc. *Militantis Ecclesiæ, &c.*

LEgatus Apostolicæ Sedis Synodum habebat Budæ omnium prælatorum Hungariæ, in qua multa fuerant decreta de vita, honestate, & habitu Clericorum, de morum laicorum, seminariumque correctione, de reliquiarum cultu, de abigendis meretricibus &c. Cum Rex Synodum perturbavit, Budensibusque jussit, ut prælatos inde abigerent, subtraherentque illis necessaria ad victum. His malis non contentus legem infidelium Cumanorum profiteri cœperat publice cum maximo totius Christiani regni sui scandalo. Ad Regem Siciliæ socerum regis, & ad Reginam Hungariæ Pontifex scripserat, ut ad catholicam fidem, in qua erat natus, altusque, eum reducerent. Tum ipse quoque Nicolaus ad eum scripsit.

Ac primum sollicitudinem suam de quiete regni, de salute regis, de utilitatibus ejus populi exponit Pontifex,

fex, qui cum sciviſſet in eo diſcordias ſubnaſci, fidem deprimi, ſtatim Legatum S. A. miſit, qui pacem induceret, qui mores corrigeret, qui obedientiam populorum regi conciliaret.

Cui quidem Legato initio adverſatus Ladislaus fuit, ita ſeductus a perverſis hominibus quaſi jura regia violaret.

Sed cum vidiſſet Legatum nedum uſurparet jura regia, regis amplificare auctoritatem, indicere ejus dictis obedientiam, flexit animum, promiſitque eidem Legato proponenti, ut Rex tueretur Eccleſiarum jura, ut reprimeret Cumanos, ut eos in locis ſtabiles poneret, & ad ſuſcipiendum baptiſma cogeret, ut non daret honores excommunicatis, ut compelleret apoſtatas redire ad ſuos ordines, ſe hæc omnia facturum.

Sed promiſſis non ſtetit; licet Cumani juraſſent, ſe facturos omnia, quæ Rex juſſiſſet in ſuis articulis, *uno excepto de barbis radendis, & crinibus breviandis.* Quare fuit excommunicatus a Legato, regnumque interdictum.

Rediit ad pœnitentiam Rex, ut modo ad eadem crimina facienda properaret; Legatique ſententiæ appellationem interpoſuit volentis eum iterum cenſuris ferire.

Hac regis inconſtantia motus Nicolaus, cum videat illum in pejus ruere, & tam turpiter ab ea fide deficere, quam ejus majores ſummis laboribus per illud regnum diffuderunt, & ſumma cum conſtantia conſervarunt, eum monet, ne a fide deficiat.

I. Nam ita agendo ſe iræ Dei exponit.

II. Religio per eum adducitur in periculum; plerumque enim populi ſtudent ſuorum principum imitari mores.

III. Provocat in ſe indignationem ſedis Apoſtolicæ, quæ non deerit muneri ſuo, ut eum revocet ad pœnitentiam, omnia arma ſpiritualia expediendo.

IV. Omnes regni præſules non patientes Catholicam religionem ſibi concreditam immutari populos obſequentes ſibi habebuot, qui a rege deficient.

Videat ergo Rex in quæ pericula ſe conjiciat, dum vult Cumanorum mores ſequi. Redeat ad cor, & quoniam expertus eſt Legati prudentiam, probitatemque, illi pareat.

D. Romæ apud S. Petrum V. Idib. Dec. P. a. II. a. D. 1279.

„ Ita hæ litteræ Pontificis, & Imperatoris minæ, „ & adhortamenta Siciliæ regis Ladislaum permove„ runt, ut factorum pœnituerit, & in pœnitentiæ ar„ gumentum centum marchas aureas dedit Legato E„ piſcopo Firmano, ut Xenodochium pro pauperibus „ conſtrueret, & edictum vulgavit quo omnibus jube„ bat ſibi impoſita a Legato, quæ ſe adimpleturum „ promiſerat. „

De corrigendis moribus, & de litteris Apoſtolicis.

XXIX. MARTINUS IV. Ladislao regi. Ad ann. 1282. §.36.

Inc. *Paterna nos, &c.*

UT revocet Martinus ad bonam frugem Ladislaum, illi revocat in mentem præteritos eventus. Fere totum regnum amiſerat, cum repente ejus ſortis miſeratus Deus hoſtes fugavit, regnumque Regi reſtituit. Nihil aliud voluit hac ratione Deus illi ſignificare, niſi poſſe ſe eum in regno conſervare, & eum deſtituere. Quare videat, ne Deum ad iram provocet.

Ne declinet a ſuorum majorum pietate, qui propter pietatem ſcilicet ita a Deo fuerunt exaltati.

Queſtus fuerat rex litteras dari ab A. Sede miniſtris ſuper corona, & regno;

Reſpondet Martinus, ne diffidat de ſedis Ap. benevolentia, eas litteras eſſe temere confictas; non eſſe conſilii ſedis A. illi officere, ſed potius illum omnibus officiis velle complecti.

D. apud Montem Flaſconem II. Cal. Oct. P. a. II. a. D. 1282.

De corrigendis moribus.

XXX. HONORIUS IV. Ladislao, &c. Ad ann. 1287. §.1.

Inc. *Sparſa, &c.*

NOn ſolum fœdus cum Tartaris, Saracenis, Nengeriis fecerat Ladislaus, ſed eos habebat conſiliarios, ad honores regni promovebat, eorum demum mores induerat, & uxorem a ſe expulerat.

Honorius primum eum paterne monet, ne a ſuorum majorum inſtitutis deſciſcat, ne a Catholica fide aberret, ne cum infidelibus, a quibus non poteſt, niſi mala timere, amicitiam habeat, ut uxorem accipiat, & in honore habeat, neque ei inſidietur.

Deinde eum monet, ſe mandaſſe Archiepiſcopo Strigonienſi, ne cenſuris parcat, ut Crucem prædicet Hungaris, ut arma contra Infideles, & contra eum ſumant.

D. Romæ apud S. Sabinam IV. Id. Mart. P. a. II. a. D. 1287.

Epiſcopus Æſinus mittitur Legatus in Hungariam.

NICOLAUS IV. Æſino Epiſcopo. XXXI. Ad ann. 1291. §.45.

Inc. *Etſi Romana, &c.*

REm ab initio ipſo deducit Nicolaus. Aſſumptus ad regnum Ladislaus admodum juvenis cum infidelibus Saracenis, Cumaniſque inire ſocietatem cœpit. Eos in regnum admiſit, iis honores detulit, omnia de illorum conſilio agebat. Nicolaus III. ut eum ab iis averteret, miſit ad eum Epiſcopum Firmanum virum probum, prudentemque, qui de Epiſcoporum regni Hungariæ conſenſu, ut his malis mederetur, Concilium nationale indixit; dum celebrabatur Budæ, rex illud turbavit, Epiſcoposque expulit inde. Correctus rex promiſit ſe eſſe facturum omnia ad Pontificis beneplacitum: promiſſio non ſtetit. Sed omnia egit pro arbitrio ſuo.

Cum igitur plurimæ nunc ſint in eo regno turbæ, Epiſcopus Æſinus illuc eat, omnia inſpiciat, & quo in ſtatu res inibi ſint reſcribat; pro re nata conſilia capiat ad laudem Dei, ad ſalutem regni.

D. apud Urbem Veterem IV. Non. Jan. P. a. III. a. D. 1291.

Alia mandata dantur.

NICOLAUS IV. Æſino Epiſcopo. XXXII. Ib. §.46.

Inc. *Dudum fide, &c.*

FAma erat, Ladislaum deſeruiſſe Chriſtianam fidem. Et ſane pluries correctus ab Honorio IV. fuerat, ne amicitiam infidelium coleret;

Ille vero ſemper coluit, ſemper eorum conſilia eſt ſequutus.

Mandat Nicolaus prædicto Epiſcopo, ut inquirat, an hoc verum ſit.

D. ut ſupra.

Legatus denuntiet, Hungariam eſſe fiduciariam Eccleſiæ R.

NICOLAUS IV. Æſino, &c. XXXIII. Ib. §.47.

Inc. *Nuper ad noſtram, &c.*

IMperator Rodulphus ſimul cum filio ſuo Alberto nitebatur Regnum Hungariæ ſibi ſubjicere. Erant & alii, qui illud occupare ſtudebant; inter quos candidatos bellum ingens fuiſſet exortum.

Pontifex ergo ad omnia incommoda, & bella avertenda mandat prædicto Legato ſuo,

Ut nomine Eccleſiæ privatim, & publice denuntiet, & proteſtetur quibuſcumque, cujuſcumque ſint dignitatis, & eminentiæ, regnum illud eſſe fiduciarium Romanæ Eccleſiæ, ac proinde in illud invadentes eamdem Eccleſiam expeditura cenſuras &c.

D. ut ſupra.

De eodem argumento.

NICOLAUS IV. Archiepiſcopo Strigonienſi. XXXIV. Ib. §.48.

Inc. *Cum nos, &c.*

REm repetit Nicolaus ab ovo uſque, ut oſtendat, regnum hoc eſſe fiduciarium R. Eccleſiæ.

Tum narrat quanta cura ſtuderint Pontifices quieti illius regni conſulere, quot legationes eo miſerint, &

quomodo Ladislao ſine liberis defuncto plures curent illud invadere.

Ad bella tollenda eidem mandat Nicolaus, ut denuntiet omnibus, regni illius imperium clientelæ nomine ad A. Sedem ſpectare.

Faciat ſuper denuntiationem, & poteſtatem hujuſmodi confici duo inſtrumenta, quorum unum ſibi retineat, & reliquum per fidelem nuntium ad Pontificem mittat.

Reſcribat quidquid in hoc negotio aget.

D. apud Urbem Veterem II. Cal. Febr. P. a. III. a. D. 1291.

Maria Siciliæ regina conſtituitur hujus regni gubernatrix.

XXXV. Ad ann. 1295. §. 19. BONIFACIUS VIII. Mariæ Siciliæ Reginæ, &c.

Inc. *Pridem nos, &c.*

CArolus Martellus jure materno Hungariæ Rex a patre Carolo Siciliæ rege, qui in Gallias abierat relictus regni Siculi Vicarius, in ipſo ætatis flore Neapoli obierat. Bonifacius adminiſtrando regno, *in quo Apoſtolica ſedes directum, & altum* ſe dicebat *habere dominium*, Cardinalem Landulphum, & Philippum Caroli II. Siciliæ Regis filium principem Tarentinum præfecit. At paullo poſt & Cardinalis Legati & ejuſdem Philippi conſiliis adductus, cum ſpes effulgeret, melius publicæ rei conſultum iri, ſi Reginæ Mariæ Siciliæ Reginæ regni procuratio demandaretur, eam hoc munere exornat;

Donec per eamdem ſedem, aut per Regem ipſum aliud in hac parte ordinari contigerit, vel diſponi.

Confidit autem Bonifacius, ita eam adminiſtraturam illud eſſe, ut turbas in regno compeſcat, & hoſtes, qui illud ambiunt, comprimat, cum ſit *mulier fortis animo, in agendis experta, & multimode virtuoſa.*

D. Anagniæ III. Cal. Sept. P. a. I. a. D. 1295.

Legatus A. mittitur in Hungariam.

XXXVI. Ad ann. 1301. §. 9. BONIFACIUS VIII. Epiſcopo Oſtienſi, & Velletrenſi A. S. L.

Inc. *Quamvis univerſis, &c.*

HUngarorum Magnatum partim Carolum Caroli II. Siciliæ Regis ex Carolo Martello primogenito defuncto Nepotem ab Archiepiſcopo Strigonienſi, ad quem hoc munus ſpectabat, coronatum regem ſalutaverant; partim regis Bohemiæ filium elegerant, quem Colocenſis Epiſcopus inunxerat.

Neque tam facile videbantur ceſſaturæ diſcordiæ, utraque parte volente regem a ſe electum armis tutari.

Ad inteſtinum bellum hoc avertendum mittit Pontifex Legatum in Hungariam, ut concordiam inter eos Magnates inducat; eique dat opportunas facultates.

Ut autem illi majorem auctoritatem conciliet Bonifacius, *de ſpeciali gratia Apoſtolica* ei concedit in regno Hungariæ duntaxat ſolitis Legatorum, qui miſſi de latere mare tranſeunt, adornatum inſigniis procedere (erat veſtis rubra talaris, facta poſtea communis omnibus Cardinalibus) *ita ut perſonam Pontificis quodammodo repræſentet*, in aliis autem partibus, ad quas iturus erat legatus, iis inſigniis ne utatur, Polonia, Dalmatia, Croatia, &c.

D. Anagniæ XII. Id. Maji P. a. VII. a. D. 1301.

Mandatur Legato, ut Epiſcopo Colocenſi jubeat adire Pontificem.

XXXVII. §. 9. 7. BONIFACIUS VIII. Oſtienſi, &c.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

HAnc etiam Bullam incipit Bonifacius ab explicanda ſuprema poteſtate in reges, & regna, in principes, & principatus, in dominos, & in dominia.

Epiſcopus Colocenſis ut quibuſdam Magnatibus Hungariæ obſequeretur, Venceslaum filium Venceslai Bohemiæ regis coronarat, paulo ante quam Legatus ingrederetur in regnum.

I. Amplificat hoc crimen Pontifex, quia uſurpavit jus Archiepiſcopi Strigonienſis, ad quem coronatio ſpectat,

II. Adverſatus eſt Pontifici, qui declaravit illud regnum ſpectare ad Carolum Siciliæ regem,

III. Quia illud regnum eſt in tutela S. Sedis, cui Stephanus Rex illud tributarium fecit.

Ergo Legatus citet Epiſcopum, ut intra quatuor menſes ſe ſiſtat coram Pontifice.

Si non poterit adire Epiſcopum, citationem publicari faciat in aliquo loco Colocenſi urbi propinquo.

D. Later. XVI. Cal. Nov. P. a. VII. a. D. 1301.

Regnum Hungariæ adjudicatur Mariæ Siciliæ Reginæ.

BONIFACIUS VIII. ad p. r. m. XXXVIII. B. R. t. 1. p. 2. p. 98. C. C.

Inc. *Spectator omnium, &c.*

BElliſ, & vaſtationibus expoſitum erat Hungariæ regnum, eo quod rege ſpoliatum erat, illiuſque unica ſuperſtes Maria Siciliæ regina longe aberat.

Hungari elegerant filium Venceslai regis Bohemiæ in regem, Paterque ſcripſerat ad Pontificem filium ei commendans; electioni ſe ſe opponebat Maria, quæ jam coronari fecerat Nepotem ſuum Carolum *in Strigonienſi Eccleſia juxta ritum antiquum Hungariæ.*

Bonifacius ante Legatum ſuum in Hungaria citavit Regem Bohemiæ, & ejus filium, Mariam, & Nepotem Carolum, ut per ſe, vel per procuratores exponerent coram Legato rationes ſuas.

Maria, & Carolus miſerunt procuratores, & rex Bohemiæ, & filius miſerunt neminem.

Maria erat filia primogenita Stephani Hungariæ regis, ſoror Ladislai, qui fuit ejuſdem regni rex, ſine prole extincti. Jus ergo hereditatis ſtabat pro Maria.

Præterea Carolus primogenitus Mariæ pater Caroli Nepotis Mariæ jam coronati a S. Sede *per præſumptionem* habitus fuerat Hungariæ rex.

Venceslaus autem rex Bohemiæ, & filius nihil opponere poterant, niſi electionem.

His rationibus perpenſis adjudicavit Bonifacius Hungariæ regnum Mariæ, & Carolo.

Quapropter mandat prælatis, & proceribus illius regni, ut Mariæ, ejuſque Nepoti pareant.

Venceslai filio præcipit, ne uſurpet Hungariæ regis titulum, & inſignia.

Si qui Clerici, & Laici illi juramentum fidelitatis præſtiterunt, eos ab hoc juramento abſolvit.

Quod ſi Venceslaus rationes aliquas habere credit, cur regnum ad ſe pertineat, terminum quatuor menſium ei concedit ad eas producendas, quibus præterlapſis, quin eas produxerit, perpetuum ſilentium negotio imponit.

Quia porro in hac anarchia plures abuſus in regnum irrepſerant, pollicetur Bonifacius, ſe illud reformaturum.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Anagniæ II. Kal. Junii P. a. IX. a. D. 1303.

Hortatio ad Hungariæ Magnates, ut Carolum in regem agnoſcant.

BONIFACIUS VIII. Archiepiſcopis, Ep., Nobilibus, &c. XXXIX. Ex Bonif. ep. 36. l. 9.

Inc. *Regnum Hungariæ, &c.*

NArrat Pontifex omnes, quæ de hoc regno enatæ fuerant, controverſias inter Mariam Siciliæ reginam, & Venceslaum Bohemiæ regem, ſe tandem decidiſſe pro Maria, ejuſque filio Carolo.

Cum igitur Carolus ſit legitimus Rex, Hungaros hortatur Bonifacius, ut eum tamquam regem colant, illi obtemperent, illi tributa ſolvant;

Tum iis mandat, ne eorum quiſquam Venceslaum Bohemiæ regis filium regem habeat, cum illo ſocietatem contra Carolum, & contra regnum ineat;

Si juramentum illi dedit, illud reſcindit.

Apoſtolica auctoritate cenſuras minatur iis qui Carolum non agnoverint, & qui in regnum molientur inſidias pro Venceslao.

D. Anagniæ III. Non. Junii P. a. IX. a. D. 1303.

Puero

Puero Carolo dat Pontifex monita.

XL. Ad ann. 1303. §. 23. BONIFACIUS VIII. Carolo &c.

Inc. *Propagato caritatis, &c.*

AMorem ſuum teſtatur Carolo Bonifacius.

Proinde cum ſummopere optet, ut felix regat, eum monet, ut quoniam eſt in teneris aſſuefcat, *aſſumpto principio virtuoſo*, virtutem colere, juſtitiam diligere, & abſtinere a vitiis.

Ita fiet, *ut regnum ipſum laceratum undique ſub ejus dominio reparationis compendia ſentiat, & pro ſpinis, & tribulis fructus uberes quietis, & pacis cum amœnitate producat.*

D. Anagniæ ut ſupra.

Confirmatur ſententia Bonifacii de jure ſucceſſionis.

XLI. Ibp. 811. C. C. CLEMENS V. ad p. r. m.

Inc. *Æterni providentia, &c.*

COnfirmat Clemens conſtitutionem Bonifacii quoad ſucceſſionem ad regnum Hungariæ.

Quia tamen, mortuo Venceslao, quidam prælati, Comites, ſeu Bani, Barones, milites invitaverant Bavariæ Ducem ad regnum accipiendum, idcirco Clemens hanc edit conſtitutionem; præcipue cum jam Otho Bavariæ Dux ab Epiſcopo Veſprimienſi in præjudicium jurium Epiſcopi Strigonienſis jam coronatus fuerat.

Ergo cenſuris ferit omnes fautores Bavariæ Ducis, ſint cujuſcumque gradus, & dignitatis.

Excommunicat Othonem niſi diſcedat ab Hungaria, & deſiſtat a fovendis tumultibus in eodem regno.

Cæterum dat eidem Duci *annum continuum ad producenda jura*, quæ ſibi competere credit in illud regnum, quo elapſo, quin illa protulerit, cadet jure omni, ſi quod habet.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Pictavis IV. Id. Aug. P. a. II. a. D. 1307.

Gratulatio de excitato periculo.

XLII. Ad ann. 1331. JOANNES XXII. Carolo &c.

Inc. *Ad noſtram, &c.*

„ FElicianus e Zaachorum familia ut ulciſceretur ſuprum illatum uxori ſuæ a Caſimiro Reginæ Hun-
„ gariæ fratre, vel ut alii dicunt cupiditate regnandi
„ in Viſſegradi ſuburbio Die XV. Cal. Maji in Caro-
„ lum regem accumbantem cum uxore, & filiis gladio
„ evaginato erupit, Regem leviter percuſſit, Reginæ
„ amputavit quatuor digitos, & occidiſſet filios, niſi
„ eorum pædagogus objecto corpore eos protexiſſet.
„ Interim expergefacti cuſtodes Felicianum obtruncaverunt. Redibat Carolus victor e ſuperatis Tartaris.

Se nuntium, & litteras regis recepiſſe, ſcribit Pontifex; ſeque lætari ſummopere de Tartaris victis,

Sed inhorruiſſe cum legit diſcrimen grave, e quo feliciter fuit liberatus ipſe cum uxore, & regia familia;

In eo ſe agnoſcere divini numinis tutelam, ad quam magis ſibi promerendam Carolum hortatur.

D. Aven. Non. Aug. P. a. XV. a. D. 1331.

Alius Epiſcopus deputatur pro coronatione Regis, ſi non poſſit Archiepiſcopus Strigonienſis.

XLIII. Ad ann. 1333. §. 27. JOANNES XXII. Archiepiſcopo Colocenſi, Epiſcopis Varadienſi, & Zagabrienſi.

Inc. *Ex tenore, &c.*

DEſignatus erat ſucceſſor Caroli in hoc regnum primogenitus ejus filius Ludovicus, alter enim filius Andreas erat ducturus in uxorem Joannam heredem Siciliæ, qui fuit laqueo ſuſpenſus.

Carolus rex ſupplicavit Pontifici, ut eligeret alium præſulum, qui coronaret regem, ſi Archiepiſcopus Strigonienſis, ad quem ſpectabat hoc jus, paratus non eſſet ſtatim eum coronare. Mora enim in coronatione cauſa eſſe poſſet, cur interim alter coronaretur, & inter hunc, & legitimum regem Ludovicum excitaretur bellum cum regni ſummo detrimento.

Si ergo prædictus Archiepiſcopus tempore ſtatuto coronare regem non poſſet, vel differret, ut conſulatur regni quieti, decernit Joannes ut in quocunque deſit huic coronationi Archiepiſcopus, aliquis ex prædictis præſulibus regem coronare poſſit; is nempe qui requiſitus fuerit,

Nullum per hanc coronationem ab alio Epiſcopo forſan faciendam præjudicium Eccleſiæ Strigonienſi afferri vult Pontifex,

Vultque coronatum regem cenſeri æque regem, ac ſi ab eodem Strigonienſi Archiepiſcopo inunctus coronatuſque fuiſſet.

D. Aven. II. Cal. Aug. P. a. XVII. a. D. 1333.

Commutantur preces in alia pia opera.

BENEDICTUS XII. Carolo &c. XLIV. Ad ann. 1339. §. 31.

Inc. *Paterne caritatis, &c.*

VOtum emiſerat Carolus plures orationes vocales per diem dicendi, cum fuit adhuc puer electus Hungariæ Rex in Dei, & B. Mariæ V. honorem, ut eorum ope fretus rebelles Hungaros domare poſſet. Hæ orationes diviſæ erant, ut aliæ noctu, aliæ per diem dicerentur. Erant multæ, ita ut quibuſdam diebus decentas Ave Maria cum Antiphona Salve Regina pluries repetita diceret, & lectionem etiam adderet.

Cum hujuſmodi orationes in cauſa eſſent, cur non tam cito poſſet regni ſui expedire negotia, ſupplicavit Benedicto, ut eas in alia opera pia mutaret.

Annuit Benedictus, vultque eum dicere quindecim tantum Ave Maria, & ſemel Antiphonam Salve, & iis diebus, quibus conſueverat facere tam prolixas orationes, jubet,

Ut paſcat duodecim pauperes præter eos, quos jam ſemper alere conſueverat.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Aven. XVI. Cal. Febr. P. a. V. a. D. 1339.

„ Tres Carolus filios habuit, ſingulosque reges, Ste-
„ phanus primogenitus fuit Hungariæ Rex, Ludovicus
„ Rex Poloniæ electus, Andreas infeliciſſimus Rex
„ Siciliæ.

Poſtulatis Hungariæ Regis reſpondetur.

CLEMENS VI. Ludovico Hungariæ Regi. XLV. Ad ann. 1346. §. 52.

Inc. *Super eo, &c.*

AUdita Fratris ſui Andreæ morte turpi Ludovicus, multa cum Pontifice per litteras queſtus eſt;

I. Volebat ſibi dari regnum Siciliæ;

II. Accuſabat Carolum Dyrrachii Comitem auctorem ſimul cum Joanna necis Andreæ,

III. Accuſabat Pontificem tanquam ex arte coronationem Andreæ diſtuliſſet,

IV. Et quod diſpenſaſſet cum Carolo Dyrrachino ſuper conſanguinitate ad preces Cardinalis Tolayrandi (v. in c. regni Siciliæ citra pharum *multiplicatas &c.*)

Reſpondet his litteris Clemens Ludovico ad ſingula capita:

I. Se non poſſe illum de regno Siciliæ inveſtire, quia vivit heres legitima Joanna, neque convicta eſt de impacto ſibi crimine necis Andreæ, neque eſt crimen confeſſa; proinde eam eſſe antea examinandam, & audiendam, proinde cum regnum, ea ſuperſtite, non ſit ad R. Eccleſiam devolutum, ſe non poſſe alium illo inveſtire; ſi regina convincetur, devolutum regnum ſe Ludovico daturum.

II. Cum Joanna nondum convicta ſit, cum qui in ſuſpicionem Andreæ mortis nondum ſint examinati, affirmari non poſſe Carolum Dyrrachinum ſimul cum Joanna mortem Andreæ fuiſſe molitum;

III. Coronationem Andreæ non per annos, ut Ludovicus ſcribit, ſed per aliquot menſes fuiſſe dilatam; *negotium fuiſſe arduum inſolitum, & non clare ſub juris regulis limitatum*; multos magnos viros ſe oppoſuiſſe; demum altercationes multas fuiſſe ſuperandas;

IV. Licet fuiſſet multoties Pontifex oratus, ut diſpenſationem Carolo daret, ſe ſemper reſtitiſſe; non potuiſſe eam negare Cardinali Tolayrando magnæ probitatis, & doctrinæ viro; quem inſimulare reum mor-

tis

tis Andreæ nefas videtur; nam triſtitiæ ingentis, ejus morte audita, ſigna dedit; præterea crimen hoc ab ejus moribus optimis abhorret.

Demum regem orat ne ultionis ſtudio ita ſe abripi ſinat, ut eam æquitatem, quam ex officio habere debet, velit ab aliis negligi.

D. Aven. II. Id. Mar. P. a. IV. a. D. 1346.

De eodem argumento ad Reginam.

XLVI. lib. 9. 57. CLEMENS VI. Eliſabeth Reginæ &c.

Inc. *Quia ſicut*, &c.

QUeſtæ Reginæ Eliſabethæ reſpondet Pontifex, donec Joanna non ſit convicta, titulum Reginæ ei denegari non poſſe,

Eam non poſſe puniri, niſi audiatur; ream eſſe puniendam, ſicut punietur ab Eccleſia, quæ opera difficiliora præſtitit;

Filium Andreæ jam cuſtodiri diligentiſſime, & Epiſcopum Paduanum Ildebrandinum habere in juſſis ejus diligentiſſimam cuſtodiam; cum Eliſabetha volet, ad eam mittetur.

Licet regnum Siciliæ ſit ſub ſpeciali Sedis A. dominio directo, non tamen ſub eodem dominio erat Andreas; ſe tamen nihil omiſiſſe eorum, quæ putabat cadere in utilitatem ipſius Andreæ; ſe miſiſſe in illud regnum Cardinalem Legatum, qui Andreæ conſuleret; eumque tueretur; ſe proinde non eſſe accuſandum, ſi ejuſmodi infortunium advenit.

Rogat demum reginam, ut his rationibus ſe vinci patiatur.

D. Aven. XVI. Cal. Aug. P. a. V. a. D. 1346.

Docetur Cardinalis Legatus in Sicilia quid reſpondere debeat Ludovico Hungaro.

XLVII. Ad ann. 1349. §. 1. CLEMENS VI. Guidoni ti. S. Cæciliæ Presbyt. Card. A. S. L.

Inc. *Dilecti filii*, &c.

SIgnificat Clemens præfato Cardinali, qui erat Legatus in Sicilia, oratores regis Ludovici ad Curiam veniſſe, & litteras ipſius Ludovici attuliſſe, in quibus rex mirabatur,

I. Pontificem fuiſſe turbatum de ejus adventu in Siciliam cum exercitu, & nondum affectam fuiſſe ſupplicio Joannam,

II. Excuſabat Caroli Dyrrachii Comitis necem,

III. Se paratum regios e carcere *recepta tamen prius ſecuritate idonea emittere.*

IV. Mirabatur, Pontificem permiſiſſe Joannam venire ad Curiam,

V. Petebat confirmationem regni Siciliæ.

Quæ ſcripſerat Rex, petierant voce etiam Oratores.

Quæ iis reſponderit, docet Clemens Guidonem, ut ipſe quoque eadem reſpondeat, cum occaſio feret.

I. Quocunque titulo rex deſcenderit in Regnum, hoſtiliter non debebat deſcendere, cum ſciret ſpectare illud ad A. Sedem; ſi vult regnum, quiete illud poſtulet, ſi vult ultionem, rei ſunt Eccleſiæ ſubditi, ab Eccleſia pœnam irrogandam iis flagitet; Joanna nondum rea eſt comperta, & Bertrandus Epiſcopus Sabinenſis in regnum miſſus, ut proceſſum contra illam faceret, ſi reperiſſet, illam eſſe ream, illam damnaſſet; facultatem enim habebat eam damnandi, puniendique;

II. Injuſte, & levibus conjecturis ductus Ludovicus occidi fecit Carolum Dyrrachinum. Nemo enim illo ægrius Andreæ mortem tulit; nemo illo diligentius ejus interfectores perquiſivit; ille inermis fidens ſuæ innocentiæ obviam Ludovico proceſſit, & inter ejus copias verſatus eſt. Si nocentem eum credebat, cur non juſſit comprehendi, examinarique? fortaſſe auctores necis per examina innotuiſſent. Sed proditorie fuit interfectus, quæ quidem cædes ſummæ ignominiæ regi erit.

III. Sicut non potuit Ludovicus in carcerem regios conſanguineos, principeſque conjicere, quia ejus ſubditi non ſunt, ita non poteſt petere ſecuritatem. Tamen permittit Clemens Legato adducere eos ad regem ipſum Romanorum, qui efficiet, ut regii principes promittant, ſe nihil in Ludovicum molituros.

IV. Ipſi quoque Clementi Joannæ in curiam adventus permoleſtus fuit; eam citari in jus fecit; ſed aufugit.

V. Regnum Siciliæ dare regi non poteſt Clemens, tum quia Joanna adhuc rea convicta non eſt, tum quia vivit Carolus filius Andreæ, & Joannæ, ad quem jure hereditatio ſpectat.

Addiderant Legati, ſe habere in mandatis a Rege, ut, ſi nollet Clemens cum inveſtire Siciliæ regno, ipſe cederet cuivis juri, quod habebat in illud, modo Joanna plecteretur.

Iis Clemens reſpondit, ſe paratum eſſe eam punire, & eam ſe eſſe puniturum, cum illam necis Andreæ ream comperiet.

D. Aven. X. Cal. Apr. P. a. VII. a. D. 1349.

Quid reſpondendum aliis regis Ludovici poſtulatis.

CLEMENS VI. Guidoni &c. XLVIII. lb. 9. 7.

Inc. *Ad articulum*, &c.

PRopoſuerat Ludovicus Rex, dari Mariam in uxorem Stephano Fratri Regis Tranſilvaniæ Duci, ita ut Maria, & Stephanus inveſtirentur Siciliæ regno, & Joannam puniri.

Docet Clemens Legatum quid reſpondere debeat, nempe placere ſummopere Pontifici matrimonium hoc; ſed donec Joanna non eſt convicta, non poſſe de regno diſponi;

Reginam Joannam, ejuſque virum Ludovicum Principem Tarentinum interpoſuiſſe judicio exceptionem, non poſſe arctari adeo ad comparendum, quia armis Ludovici terrentur; Pontificem tamen præſcripturum iis certum terminum, intra quem compareant;

Acceptare Pontificem oblationem factam a Rege de reſtituendis arcibus Siciliæ, quas Legatus Cardinalis accipiet, ſed non eſſe in poteſtate Pontificis reginam comprehendere, cum a Curia aufugerit jamdiu,

Sibi fore gratam oblationem a rege factam, ſcilicet ſe deducturum e regno, & ex urbibus ſtatus Eccleſiaſtici milites ſuos, quin regno, & Eccleſiæ damnum ullum inferant.

D. Avin. XVI. Cal. Sept. P. a. VIII. a. D. 1349.

Terræ occupatæ ab Hungaro ſpectent ad Ludovicum.

CLEMENS VI. Ludovico Hungariæ regi. XLIX. Ad ann. 1352. §. 6.

Inc. *Ad ampliationem*, &c.

FInitimi Hungariæ regno populi bonam partem erant Schiſmatici.

Pontifex, ne Chriſtiana fides, quæ florebat in Hungariæ regno, inficeretur, & ut alacrius eos perſequeretur Ludovicus, decernit,

Ut omnes terræ, urbes, loca, quæ armis ex iis gentibus eripiet, adjiciat regno ſuo,

Ita tamen, ut ſchiſma tollat, & Catholicam religionem in iis prædicare faciat.

D. Aven. Id. Jul. P. a. XI. a. D. 1352.

De ſuo jure in regnum Siciliæ.

URBANUS V. Ludovico &c. L. Ad ann. 1368. §. 10.

Inc. *Dilectos Filios*, &c.

JUs ſuum in regnum Siciliæ ſignificavit Ludovicus Pontifici per oratores ad eum miſſos; ita ut ſi Joanna fato cederet, illud ad extraneos non devolveretur, cum ad ſe ſpectaret,

Reſpondet Pontifex, ſe in ea eſſe dignitate, in qua ex debito debet cuique juſtitiam miniſtrare, ſe nihil eſſe acturum, quod regia jura lædere poſſit.

His acquieſcat Rex.

D. apud Montem Flaſconem VI. Cal. Sept. P. a. VI. a. D. 1368.

Sigiſmundo, ejuſque poſteris regnum Hungariæ confirmatur.

JOANNES XXIII. ad f. r. m. LI. Ad ann. 1410. §. 27.

Inc. *Petitio pro parte*, &c.

DEfecerat a partibus Gregorii Sigiſmundus, ſicut antea defecerat a Bonifacio IX, eam afferens rationem,

tionem, quia cum ipſe ſemper Chriſtianam Religionem fuiſſet tutatus, eamque amplificaſſet, tamen quidam Chriſticolæ ejus regnum invaſerant, prædas ex eo abegerant, & mala plurima intulerant, quin Pontifices ſe commoverent, ejus cauſam ſuſciperent.

Novo igitur electo Pontifici Joanni (*ſi modo fuit verus Pontifex*) ſupplicavit, ut conſuleret.

Qui regnum illud ſuſcipit in protectionem B. Petri in perpetuum, & Regis ejuſque ſucceſſoribus Hungaricum ſceptrum aſſerit; quos ipſe Joannes, & ſui Succeſſores *paternis affectibus proſequentur.*

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Bononiæ III. Non. Aug. P. a. I. a. D. 1410.

De Regis Ladislai tutela.

LII. Ad ann. 1452. §. 7. NICOLAUS V. ad p. r. m.

Inc. *Ad audientiam*, &c.

„ GRaviſſimam conjurationem excitarant in Impe„ ratorem Fridericum Auſtriaci conſentientibus „ etiam Hungaris, & Bohemis, quod puerum Ladis„ laum ejus ducatus, eorumque regnorum heredem apud „ ſe retineret. Jamque extorſerant a Friderico aſſen„ ſum de cogendis ſolemni cœtu Viennæ, in quo eli„ gerentur tutores e regnis, & e Ducatu prædictis. „ Jamque electi erant.

Factus de hac electione certior Pontifex eam reſcindit.

Namque hæc lex in familia Auſtriaca ab antiquo, cujus memoria non exiſtit, ſemper viguit, ut propinquus ſenior tutelam pupillorum gereret, & curam minorum.

Cum ergo Friderico nullus ſit propinquior Ladislao juveni, & Fridericus ſit antiquior in Auſtriaca familia, ad illum tutela, & cura Ladislai ſpectare debet.

Ille poteſt eligere quem, & quos velit in cuſtodes Ladislai, in præceptores, & adminiſtratores ejus regnorum.

Caſſat ergo, & irritat omnes pactiones, omnes litteras, omnia geſta contra Fridericum Pontifex a conjuratis factas, exaratas, & acta, ut illi tutelam, & curam Ladislai adimerent.

Si quidpiam ſimile poſthac quicunque attentaverit ſit excommunicatus, habeatur læſæ majeſtatis reus.

Præſules monet, ut invigilent, & perturbatores compeſcant.

D. Romæ apud S. Petrum Pridie Non. ... P. a. VI. a. D. 1452.

De ſuo deſiderio delendi Turcas & de Miſſione in Hungariam F. Jacobi e Marchia Pontifex certiorem Regem facit.

LIII. Ad ann. 1457. §. 12. CALLIXTUS III. Ladislao Hungariæ Regi.

Inc. *Cum omnis*, &c.

„ JAm ante ſcripſerat Ladislao Pontifex ut deſiſteret „ a bello moto Imperatori Friderico (v. ibi *Quia diſcordia.*)

Nunc his litteris Regi oſtendit Callixtus deſiderium, quo flagrat, Turcas domandi, ne tantum dedecus inhæreat Chriſtiano nomini, eos tot urbes, totque regiones tam longas, lataſque e Chriſtianis eripuiſſe, quin eas recuperare Chriſtiani potuerint;

Illi ſignificat, ſe diu, noctuque divinam opem effuſis precibus poſtulare, ſe nullis impenſis, nulliſque laboribus peperciſſe, ut maritimam claſſem contra illos pararet, ut omnes Chriſtianos principes fœdere conjunctos in eos excitaret;

Sed ſi cuiquam annitendum eſt, annitendum eſt Ladislao, cujus regnum finitimum Turcis eſt, quod aggredientur primum.

Ad eum mittit F. Jacobum e Marchia (nunc inter Divos relatum) ordinis Minorum profeſſorem (in locum B. Joannis a Capiſtrano ejuſdem ordinis) qui accendat ad hoc bellum eos populos.

Eum regi commendat;

Sperat in Domino Pontifex, non minorem victoriam eſſe hoc anno de Turcis referendam, quam relata fuit anno ſuperiore.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVII. Maji P. a. III. a. D. 1457.

„ Chriſtiani fuere hoc anno apud Belgradum a Turcis cæſi.

De liberatione Matthiæ electi in Regem.

CALLIXTUS III. Cardinali S. Angeli A. S. L. LIV. Ad ann. 1458. §. 2.

Inc. *Ad graviſſimas*, &c.

„ LAdislaus Rex ingratum admodum ſe præbuit fi„ liis Joannis Huniadis, qui a Turcis toties re„ gnum liberaverat. Nam ejus filius Ladislaum Comi„ tem ultimo ſupplicio affici juſſerat, Matthiam autem „ Georgius Piedraichius in carcerem miſſum juſſu regis „ captivum detinebat. Mortuo ſine prole Ladislao, „ Michael Zilagius avunculus Matthiæ generoſi animi „ princeps ſuaſit Hungaris eligere Matthiam; quem & „ elegerunt. Sed cum eſſet in carcere, ſupplicarunt Pon„ tifici, ut ejus libertatem a Georgio obtineret.

Legato ſuo igitur ſcribit Pontifex, ut, quoniam ſcit Matthiam juvenem clarum eſſe, polliceturque, ſe imitaturum Patrem ſuum Hunjadem, & videt res turbulentas ejus Regni ſedandas eſſe per illum, ſtudeat permovere Georgium Podiebrachium Regni Bohemiæ adminiſtratorem, ut illum e carcere dimittat.

Quod ſi ipſe ad Georgium ſe conferre non poterit, det hoc negotium Epiſcopis VVaradienſi, & VVacienſi, *qui ſua ſponte ad hoc ſatis animati ſunt*, ut quibuscunque modis jurent Matthiæ libertatem.

D. Romæ apud S. Petrum Die IX. Febr. P. a. III. a. D. 1458.

Gratulatio de electione Filii in Regem Eliſabethæ ejus Matri.

CALLIXTUS III. Eliſabethæ &c. LV. lb. 9. 5.

Inc. *Certiſſimam ſpem*, &c.

SE ſemper ſperaſſe, ſcribit Callixtus Matri Matthiæ, fore ut Deus inſigni aliquo beneficio eſſet remuneraturus labores, & pericula illius viri Joannis, neque ſemper ita eſſet afflicturus ejus familiam, ſicut permiſerat ab invidis affligi morte viri, ſupplicio filii Ladislai, & carcere Matthiæ.

Cum ſperare juvet Deum in cœlis merito præmio afficere Joannem, qui tam ſtrenue Eccleſiæ cauſam protexit, voluit idem Deus etiam in terris ejuſdem Joannis poſteritati conſulere.

Abſtergat ergo lacrymas Eliſabetha, voluntatemque Dei adoret.

Magna etiam lætitiæ cauſa illi accedit, quod ejus Frater Michael ab iiſdem Hungaris regni adminiſtrator electus fuit.

Jam converſionem hanc rerum prævideret Pontifex, cum ſciat Deum mortificare, & vivificare.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIV. Mar. P. a. III. a. D. 1458.

Suum gaudium Matthiæ Corvino ſignificat Pontifex, & quæ ſpes ſint de illo conceptæ.

CALLIXTUS III. Matthiæ Hungariæ Regi. LVI. lb. 9. 7.

Inc. *Cum graviſſimæ*, &c.

HUngaricæ res ſemper cordi Pontifici fuerunt; quas cum videret tam ſtrenue a Matthiæ patre defenſas, non potuit non ſummopere eum amare; eoque fato functo amorem ſuum in ejus filium transferre.

Hinc poteſt Matthias colligere, quanto ſit perfuſus gaudio cum ejus electionem in Hungariæ regem factam accepit.

Certe cum ſemper effuſis precibus Deo commendavit, cum ſciret ejus probitatem, ejus ingenium ad virtutem factum, ejus pietatem.

Cum tanta mutatio rerum facta ſit, cujus ſolus Deus eſt auctor, ſperandum eſt reſervaſſe Matthiæ eundem Deum Turcicæ excindendæ gentis gloriam, Hungaricæque regnum ſub eo extollendum ad eam dignitatem, potentiamque in qua erat, antequam Turcæ illud aggrederentur.

Eum expectat Conſtantinopolis, cum Terra Sancta, utraque ab illo liberanda ab immani Turcarum feritate.

Ut

Ut hos triumphos faciliores redderet, excitavit Deus in Albania fortissimum Bellatorem Scanderbechum, ideo plures victorias Deus idem classi Pontificiæ dedit.

Quare ne aures præbeat Turcæ, si conditiones pacis proponet; piaculum ingens patraret, ingratissimusque Deo esset, si cum illo pacem faceret.

Auxilium suum illi Pontifex pollicetur; pollicetur se nullum non lapidem moturum, ut excitet in Turcam christianos principes.

Filiam Despoti Bosniæ, ejus fratrem, illius dominium Regi commendat; & eos, & Dominium cum susceperit Pontifex in protectionem S. Sedis, æquum est, illis, & huic consulere Pontificem.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIV. Mar. P. a. III. a. D. 1458.

Excitatur ad constantiam Matthias.

LVII. Ad ann. 1460. §. 17. PIUS II. Matthiæ Hungariæ Regi.

Inc. *Testis est, &c.*

CUm videret Matthias, & Turcas hinc, & Imperatorem Fridericum inde parare bellum, in Hungariam consternatus Pontificem rogavit, ut auxilium sibi ferret, suoque regno.

Dolorem suum ei significat Pius,

Tum eum ad constantiam excitat exemplo illius patris Joannis, qui parva manu sæpius ingentes Turcarum copias prostravit,

Spem in Deo collocet, qui e tot periculis eum ereptum ad solium evexit, in solio eum servabit.

Pollicetur Pius, se summa ope annixurum, ut cocant principes, & vires quam poterunt maximas, in Turcas mittant;

Sed spem præcipuam totius negotii in Matthiæ constantia positam esse scribit.

D. Senis Die VI. Jul. P. a. II. a. D. 1459.

Certior fit Rex de rerum statu.

LVIII. Ad ann. 1460. §. 19. PIUS II. Regi Matthiæ, &c.

Inc. *Si oratores, &c.*

QUantum laboret, ut accendat in Turcas catholicos principes Pius, oratores ipsius regis Mantuæ residentes, poterunt illi testari.

Illi significat octavum jam mensem Mantuæ sedere, neque ex eo conventu se percipere eum fructum, quem putabat;

Tamen si principes stabunt iis, quæ promiserunt, ingentem exercitum contra Turcas armandum esse, & in Hungariam mittendum,

Se mittere legatum S. A. in Germaniam Cardinalem Nicænum;

Regem demum hortatur, ut inter dissidentes suos populos curet vel pacem vel inducias facere.

D. Mantuæ Die XVII. Janu. P. a. II. a. D. 1460.

De Thoma Bosniæ rege.

LIX. Ad ann. 1463. §. 91. PIUS II. Matthiæ, &c.

Inc. *Timere vellitudo, &c.*

MIserat oratores ad Pontificem Thomas Bosniæ Rex, qui postularent a Pontifice Episcopos in eo regno ponendos, tum coronam, qua ipse, suique successores inaugurentur. Scripsit autem Hungariæ Rex ideo Thomam ut tegeret proditionem arcis Zendrem factam Turcis, petere Episcopos, & rogavit Pontificem, ne coronam mitteret, cum in Bosniam supremum imperium Reges Hungariæ habeant.

Matthiæ respondet Pontifex, se non tam faciles præbiturum fuisse aures Thomæ; se jam scire, quæ in Matthiam commisisset, & quam proditionis infamiam incurrisset;

Se nunquam daturum fuisse illi coronam, nisi prius mentem Regis sciviset;

Ejus oratores, ut eum ostenderent Catholicæ Religioni addictum adduxisse in medium, Thomam e suo regno omnes Patarenos eliminasse;

Ideo autem se ad illum nuntium mittere, quia videt ex hac missione nullum esse consequuturum malum; mittitur enim tantum ad explorandum, & referendum.

Regi demum commendat, etsi opus non sit, Catholicæ religionis propugnationem.

D. Petrioli Vulteranæ Diœcesis Die VII. Junii P. a. II. a. D. 1460.

Gratulatio de victoria, de colloquiis inter Reges Poloniæ, & Bohemiæ,

PAULUS II. Matthiæ Regi, &c. LX. Ad annu 1470. §. 3.

Inc. *Non sint, &c.*

PRæclaram victoriam de hæreticis Bohemis retulerat Matthias; dux Bohemorum erat Victorinus filius Bohemiæ Regis.

De hac igitur victoria gratulatur Paulus Matthiæ; qua commoneri deberent Bohemi quam injustam causam sustineant, cum quoties congressi sunt cum Matthia, toties superati, victique discesserint.

Tum hortatur Matthiam, ne causam Dei deserat, sed strenue in illa perstet, cum videat apertissime in tot de hostibus relatis victoriis Deum nunquam defuisse.

Domitis Bohemis facile eidem erit Turcas repellere, qui in dies singulos Christianæ Reip. graviores sunt.

„ Casimirus Poloniæ Rex cum videret jam deficere „ Bohemos a Georgio, & Matthiam inibi esse, ut „ Bohemiæ rex eligeretur, cum jam & Moravi, & „ bona Slesitarum pars, excusso Georgii Bohemi servi„ tutis jugo, Matthiæ se subdidissent, ne potentior il„ le evaderet, jam excursiones in Hungariam facere „ cæperat, ut divisis copiis Matthias infirmior contra „ Bohemum esset; agitabatque consilia, ut Rex Bohe„ mus regnum daret VVladislao ejusdem Casimiri fi„ lio; quare colloquium apud Radiz cum eodem Bo„ hemo habuerat.

Paulus tamen monet Matthiam, ne perterreatur novo hoc hoste; præterquamquod enim ejus vires ex accessione tot populorum, qui sese illi dedidernnt, auctæ sunt, potestque majores copias contrahere, Deus illi magis assistet.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Cal. Janu. P. a. VII. a. D. 1740.

Rex Hungariæ, & Bohemiæ accenditur in Venetos.

JULIUS II. Uladislao Regi, &c. LXI. Ad ann. 1504. §. 7.

Inc. *Oratorem Venetias, &c.*

„ CUm sciviset Uladislaus, Julium velle bellum in„ ferre Venetis, illi suas vires obtulit in auxilium, „ misitque oratorem ad Venetos, ut iis suaderet re„ stitutionem locorum, quæ volebat sibi Julius restitui.

Gratias & de oblatione copiarum, & de missione oratoris agit Regi Pontifex.

Deinde, quia Uladislaus erat cum Venetis fœderatus, illi probare nititur nullum fœdus initum cum hostibus Ecclesiæ in præjudicium Ecclesiæ valere debere, & esse servandum,

Ait se scripsisse omnibus regibus, ut Venetos ad restitutionem inducant; si non restituant, se adhibiturum prius in eos arma spiritualia, tum temporalia,

Resistendum esse Venetis, *in eam cupiditatem prolapsis, ut per ambitionem Italiæ dominio inhiantes cum Deo, & B. Petro, quem tam insigni injuria affecerunt, bellum gerere velint . . . qui ea de causa pacem cum Turcis iniisse videntur, ut flatim Romanæ Ecclesiæ bellum inferre liberius possint.*

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVI. Jul. P. a. I. a. D. 1504.

In eandem fere sententiam cum Julius aliis regibus scripserit, has unas litteras attulisse sufficiat.

Consolatur Regem puerum de morte Patris Pontifex.

LEO X. Ludovico Hungariæ Bohemiæ Regi puero. LXII. Ad ann. 1516. §. 2.

Inc. *Ex his, &c.*

MOrtuus erat Uladislaus florente adhuc ætate victoriis in Turcas relatis illustris. Moriens testamento commendaverat Pontifici filium suum adhuc puerum.

His

His litteris cum consolatur Leo de morte Patris extincti tempore tam alieno christianæ Reip. *viri maximi, clarissimique*; sed Ludovicus hoc saltem solatium habet, cum effusi sanguinis nunc præmia in cœlis habere.

Eum hortatur, ut exempla parentis sedulus imitetur; ut audiat consiliarios, ut nihil e libidine sua agat, ut studiis, bonisque artibus vacet, ut expectationem de se conceptam sustineat, superetque.

Et quoniam pater S. Sedi eum commendavit, S. Sedes eum in protectionem suam recipit, parata eandem curam de illo habere, quam habuit de patre, & merita patris in eo rependere.

Dat. Romæ apud S. Petrum Non. Apr. P. a. IV. a. D. 1516.

„ Pontifex commendavit Ludovicum Sigismundo Po„ loniæ Regi ejus patruo, commendavit Cardinali Epi„ scopo Strigoniensi; ut curam ejus gererent, vide„ rentque ne magnates Regnorum ab illo deficerent, „ & turbas moverent, ne rem militarem corruere si„ nerent, ut confinia regni a Turcicis incursionibus „ tutarentur, ut illi admoverent viros probos Deum„ que timentes.

Commendatur Ludovicus, quod religionem propugnet.

LXIII. Ad ann. 1524. §. 16. CLEMENS VII. Regi, &c.

Inc. *Gratias agimus, &c.*

PRogressus in Bohemiam Ludovicus, omnes veteres magistratus sustulit; præfecitque viros vere catholicos;

Iglavienses a veteri religione digressos deceptos ab Hæretico Sperato castigavit acerrime eisque pœnas meritas est minitatus;

Speratum hæreticum in vincula conjecit,

Pichardos omnes Praga expulit primum, deinde e toto regno facessere sunt jussi.

Cum Catholicis sese conjunxerunt Calixtini contra eosdem Pichardos.

Quæ omnia profecta esse a Spiritu Sancto, qui mentem ejusmodi Ludovico injecit, ait Pontifex.

Meritis igitur laudibus Ludovicum extollit.

Eum demum rogat, ut sicut sua regna hæreticis purgavit, ita illa non patiatur hæreti Lutherana infici.

D. Romæ apud S. Petrum VI. Cal. P. a. I. a. D. 1524.

Negat Pontifex se dare posse Joanni subsidia.

LXIV. Ad ann. 1528. §. 44. CLEMENS VII. Joanni Hungariæ Regi.

Inc. *Molestiam tuæ, &c.*

„ MOrtuo sine liberis in prælio contra Turcas apud „ Mohacium Ludovico, cujus soror nupserat „ Ferdinando Austriaco, divisa Hungarorum magna„ tum studia fuerunt; alii elegerunt Ferdinandum, „ alii Joannem comitem Scepusiensem Vaivodam Tran„ silvaniæ, egregium in bellis Ducem.

Eum ex Hungaria expulerat Ferdinandus.

Confugit ergo ad Pontificem Joannes auxilia exposcens.

Se excusat Pontifex, primum quia hoc anno tanta est in Italia, & in statu Ecclesiastico præcipue, annonæ caritas, ut nesciat quo pacto subditis suis providere possit; e peste, belloque erat nata;

Deinde omnem Ecclesiæ Thesaurum expilarant Germani, ita ut Ecclesiæ ipsæ fuerint prorsus nudatæ.

Quare eum nonnisi amore, & benevolentia adjuvare potest. Auctoritate tamen illi non deerit.

D. Viterbii Die XXX. Aug. P. a. V. a. D. 1528.

„ Cum nesciret Joannes quo confugeret, confugit ad „ Solimanum Turcarum Dominum, eumque ad bellum „ accendit contra Ferdinandum.

Joannis Regis filius subjicitur tutelæ Cæsaris, & Regis Ferdinandi.

LXV. Ad ann. 1551. §. 71. JULIUS III. Georgio Episcopo Varadiensi.

Inc. *Magnum nobis, &c.*

MOrtuus rex Transylvaniæ filium tenellum reliquerat.

Ejus tutelam voluerat suscipere Turca, sed eam re-

jecit Georgius Episcopus Varadiensis, qui erat Frater Minorita, regnumque regebat, duxitque satius eam committere Cæsari, & Regi Ferdinando; ita enim & Hungaria, & Transylvania sese mutuo a Turcis defendissent. Etiam regina Isabella mater id approbarat.

Laudat his litteris consilium Episcopi Pontifex.

Nihil enim aliud expectari potuissent a Turca nisi insidiæ, nisi fraus, & cum se sponte obtulisset, aliquod in animo habebat consilium contra Transylvaniam, vel Hungariam.

Eum rogat, ut catholicam fidem puero tradi jubeat, ut pie educari eum faciat, ut custodiæ regni invigilet.

D. Romæ apud S. Petrum Die X. Oct. P. a. II. a. D. 1551.

Titulum Majestatis Apostolicæ confirmat Pontifex Regibus Hungariæ.

CLEMENS XIII. Mariæ Theresiæ Hungariæ Reginæ Apostolicæ. LXVI. *In folio separato.*

Inc. *Cum multa, &c.*

COnsuevit semper Romana Sedes eos populos, regesque, qui Ecclesiæ hostibus viriliter, & fortiter sese opposuerunt, significationes dare, unde quisque eorum merita posset dignoscere.

Hinc in laudes nobilissimæ, & Inclitæ Hungaricæ nationis sese extendit Clemens, quæ toties Turcarum impetus substinuit, & repressit, & in laudes domus Austriacæ, quæ a Ferdinando I. Imperatore illud regnum per dotem acquisitum usque ad hæc tempora possedit, tutataque est contra Turcas, & Mariæ Theresiæ Imperatricis præcipue.

Titulum ergo *Majestatis Apostolicæ*, quem Silvester II. dederat Stephano Hungariæ regi, eo quod Catholicam fidem ibidem disseminarit, interruptum renovat Clemens, conceditque Mariæ, ejusque successoribus in illud regnum, ita ut possint appellari, honorarique hoc titulo;

Conceditque, quod dederat idem Silvester, ut ante hos reges prodeuntes in publicum Episcopus Crucem gestet.

Quod privilegium cadit in honorem non minus regum ipsorum, quam totius Hungaricæ Nationis. N.O.

D. Romæ Die XIX. Aug. P. a. I. a. D. 1758.

DE ECCLESIA HUNGARICA.

Jubentur prælati regni sibi temperare a nimia acerbitate in exigendis decimis.

JOANNES XXII. Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, &c. in regno Hungariæ, &c. I. Ex Rayn. ad ann. 1328. §. 83.

Inc. *Significavit nobis, &c.*

SIgnificaverat Rex Carolus Pontifici nimiam acerbitatem, qua Hungariæ prælati exigebant decimas a Neophytis, in causa esse, cur deficiant a suscepta fide, & cur pauci ex iis velint eam amplecti.

Supplicavit proinde, ut utrique malo consuleret.

Districte ergo iisdem præcipit Joannes, ne tanta acerbitate eas decimas exigant, quoutque non satis firmiter noviter conversi in fide sint fundati. Efficiant, ut sentiant, se esse sub miti, & levi Evangelii jugo, seque liberos ducant; ut inducere alios infideles ad eandem Catholicam fidem amplectendam possint.

D. Aven. VIII. Id. Maji P. a. XII. a. D. 1329.

Prælati Hungariæ recens provisi non tenentur visitare limina Apostolorum nisi singulis quadriennis.

CLEMENS VIII. ad f. r. m. II. B.R. t.5. p. 2. p. 415. C.C.

Inc. *Cum sicut, &c.*

CUm in litteris Apostolicis expeditis pro aliquibus Hungariæ Prælatis noviter provisis continueretur, *forsan scriptorum incuria*, eos singulis biennis teneri ad visitationem liminum Apostolorum, corrigit errorem Clemens declarans,

Eos non teneri ad hanc visitationem nisi singulis quadrienniis. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXIX. Apr. P. a. XI. a. D. 1602,

Ecclesiæ Hungaricæ jubentur uti Missali, & Breviario juxta ritum Romanum.

III. URBANUS VIII. ad f. r. m.

B.R. t.6. P. 2. p. 39. C.C. Inc. *Exponi nobis, &c.*

LIcet iteratis synodis jussum fuisset, ut omnes Ecclesiæ regni Hungariæ uterentur Breviario, & Missali juxta ritum Romanum, tamen Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis iis uti nolebat, cum Missale, & Breviarium ejus Ecclesiæ, licet *expurgata fuissent a variis defectibus*, errores adhuc haberent.

Rogatus Pontifex ab Episcopis ejus regni mandat, ut in omnibus Ecclesiis adhibeatur Missale, & Breviarium juxta ritum Romanum. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVIII. Sept. P. a. XIII. a. D. 1635.

Extensio facultatum Nuncii Ap. Hungariæ & pro regno Bohemiæ.

PAULUS V. Nuncio A. apud regem Hungariæ. IV. B. R. t. 5. p. 3. p. 425. C.C.

Inc. *Alias te, &c.*

CUm Matthias Hungariæ rex successisset etiam in regnum Bohemiæ, Paulus Nuncio suo apud eundem Matthiam extendit facultates, quas habebat pro regno Hungariæ, etiam ad regnum Bohemiæ, ita ut vices Pontificias in utroque regno agat. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXIV. Maji. P. a. VI. a. D. 1611.

DE REGNO BOHEMIÆ.

Bohemiæ dux admonetur de iis quæ Episcopus Pragensis fecerat.

I. GREGORIUS VII. Uratislao Bohemiæ Duci. Ex Greg. ep. l. 1. ep. 17.

Inc. *Frater vester, &c.*

MIserat Gregorius legatos in Bohemiam, qui honorifice a Duce Uratislao fuerunt excepti, sed pessime, & indigne tractati ab Joramiro Pragensi Episcopo, ita ut legati suspensionis sententiam in eum jecerint.

Gregorius ergo hoc significat Uratislao, simulque ei mandat,

Ut & legatos, & Episcopum conveniat, & per se, & per partem Pontificis eum hortetur, *quatenus legatorum monitis debitæ obedientiæ aurem inclinet, & quidquid justitiæ sibi suggesserint, vel ex eis prægravato nulla sibi ab hac Ecclesia audientia denegabitur;*

Si vero neutrum horum facere acquieverit, & sententiam legatorum nostrorum de suspensione in eum promulgatam firmabimus, & durius contra eum, scilicet usque ad interniciem gladium Apostolicæ indignationis evaginabimus; sicque fiet, ut ipse & per eum pluries alii experiantur, quantum hujus sedis auctoritas valeat.

D. Romæ P. a. I. a. D. 1073.

Significatur absolutio Joramiri Duci.

II. GREGORIUS VII. Uratislao, &c. Ib ep. 78.

Inc. *Frater tuus, &c.*

SIgnificat Gregorius Duci, quomodo Pragensis Episcopus Romam venerit, & cum debita humilitate se Pontifici præsentarit, & de objectis criminibus congruam satisfactionem obtulerit.

Quædam horum criminum negavit, & *se purgando in hunc modum removit videlicet, quod ipse Joannem Moraviensem Episcopum non percusserit, neque servientes ejusdem Episcopi decapillari, aut barbas eorum abradi præceperit, aut occasione subterfugiendi Synodum inducias per legatum suum petierit.*

Eum ergo reconciliatum cum litteris, & Apostolico sigillo ad Episcopatum remittit Gregorius, & eum Duci commendat, eumque hortatur, ut omni odio, & inimica æmulatione sublata Episcopum fraterno corde diligat.

D. Romæ P. a. I. a. D. 1073.

„ Rursus fuit Episcopus vocatus Romam, ut apparet „ ex Epistolis 6. 7. lib. 1.

Negatur Duci usus linguæ Slavonicæ in officiis divinis.

III. GREGORIUS VII. Uratislao Duci. Ex lit. Greg. l. 7. ep. 11.

Inc. *Quia nobilitas, &c.*

SUpplicarat Pontifici Dux ut permitteret divina officia lingua slavonica in suo ducatu celebrari.

Respondet Gregorius:

Scias nos huic petitioni nequaquam posse favere. Ex hoc nempe volventibus liquet non immerito sacram scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum mentis pateret forte vilesceret, & subjaceret despectui, aut prave intellecta a mediocribus in errorem induceret; neque enim ad excusationem juvat, quod quidam religiosi viri hoc, quod simpliciter populus quærit, patienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt, cum primitiva Ecclesia multa dissimulaverit, quæ a Sanctis Patribus postmodum firmata christianitate, & religione crescente correcta sunt.

Unde ne id fiat, quod a vestris imprudenter exposcitur, auctoritate B. Petri inhibemus, teque ad honorem omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis resistere præcipimus.

D. Romæ P. a. III. a. D. 1076.

Testimonium, annuum censum fuisse a Duce Bohemiæ persolutum S. Sedi.

GREGORIUS VII. Uratislao Bohemiæ Duci. IV. Ex Baron. ad ann. 1073. §. LV.

Inc. *Pervenit ad nos, &c.*

JAm Gregorius antea monuerat Uratislaum ut votum censum pro Bohemiæ Ducatu S. Sedi persolveret; quem cum misisset Uratislaus, ei significat præsentibus litteris Pontifex.

Nuntium Uratislai venisse cum *magnæ devotionis, & fidelitatis exhibitione, & B. Petro sub nomine census centum Marcas argenti ad memoriam illius ducatus attulisse.*

Quod quidem *gratanter accepit* Gregorius, sed multo acceptior est illi reverentia Ducis erga S. Sedem.

Illi testatur, B. Petrum copiosæ remunerationis præsidium illi esse daturum *suo munimine*, & eum lætificaturum *tam in præsenti, quam in futuro sæculo.*

D. a. 1073.

Dux monetur ut censum S. Sedi persolvat.

GREGORIUS VII. Uratislao, &c. V. Ib. ep. 8.

Inc. *Quoniam semper, &c.*

JAm mos erat, ut quilibet Pontifex recens creatus admoneret de sua electione principes, & censum ab iis postularet. Successere, censum per solutione abolita, regulæ Cancellariæ, quas die post suam electionem uno singuli Pontifices edunt.

Ergo Gregorius monet Ducem, ut meminerit se censum S. Sedi solvere, de quo solvendo juramentum dederat;

Quod etiamsi non dedisset, revocans tamen beneficium quod ab Alexandro prædecessore acceperat, nempe usum mithræ, deberet in grati animi significationem illum S. Sedi solvere.

D. Romæ P. a. I. a. D. 1073.

Facul-

Facultas datur Bohemiæ Regi, ut se coronari faciat ab Imperatore Ottone.

VI. INNOCENTIUS III. N. Bohemorum regi. B.M. t. 1. p. 57. B.R. t. 3. p. 1. p. 108. C.C.

Inc. *Licet ante, &c.*

IDeo Romana Sedes non recognovit N. Regem Bohemiæ quia coronatus fuerat a Philippo Duce Sveviæ, *qui cum coronatus* (Imperator) *legitime non fuisset, non poterat illum legitime coronare.*

Sed cum N. relicto Duce Sveviæ, adhæsisset Ottoni Imperatori, & ad Romanam communionem accessisset, Innocentius *eum reputare vult regem;*

Conceditque illi facultatem, ut se solemniter coronari faciat ab eodem Imperatore Ottone.

D. Later. XIII. Cal. Maji an. VII. a. D. 1204.

Ducis nomen erat Guntherus.

„ Jus mithræ permisit Alexander II. Uratislao Bohe- „ morum Duci II. Ptolomæus Lucensis in Annalibus „ tom. II. Script. Rer. Italic. pag. 1253.

De Ecclesia Metropolitica in Bohemia erigenda.

VII. ex Raynaldo t. 25. p. 127. INNOCENTIUS III. Bohemiæ regi.

Inc. *Licet tum, &c.*

ROgaverat Pontificem Bohemiæ Rex etiam per interpositionem Regis Hungariæ, ut in eo regno Sedem Metropoliticam constitueret, quoniam a Moguntina longius aberat.

Respondet Innocentius se ardere desiderio illius favendi votis; *sed negotium esse arduum, & petitionem continere novitatem;* proinde ejus desideriis se non posse statim obsequi;

Siquidem ostendenda est prius & urgens necessitas, & voluntas Ecclesiæ, in qua sedes debet Metropolitica stabiliri, & utrum in Bohemia diœceses possint statui competenter statuendæ Metropoli supponendæ.

Sed præcipue requirendus est consensus Ecclesiæ Moguntinensis, an velit hanc separationem fieri. Merito enim videretur deprimi, si tanta parte diœcesis multaretur invita, quod scandalum gravissimum pareret.

D. Later. XI. Cal. Maji P. a. VII. a. D. 1204.

Regi promittit Pontifex, se nihil acturum ante adventum ejus Nuntiorum Romam.

VIII. HONORIUS III. Bohemiæ regi. Ib. p. 142.

Inc. *Sicut princeps, &c.*

QUia clericos ad sæculare forum rex pertraxerat, quia eorum quosdam publice supplicio affici jusserat, quia jura Ecclesiastica violarat, fuerat a Pragensi Episcopo excommunicatus; quam sententiam laudarat Honorius, acriterque regem reprehenderat.

Rex contritus veniam humillime a Pontifice petiit, eumque rogavit, ut omnia in suspenso relinqueret, donec Romam ipse Nuntios suos mitteret.

Respondet Honorius, se lætari regem agere, ut principem Catholicum decet; se nihil facturum usque ad Nuntiorum adventum, neque Rex quicquam novi agat.

D. Later. Die IV. Nov. P. a. II. a. D. 1217.

Deputatio Episcopi Ratisponensis ad absolvendum Bohemiæ regem.

IX. HONORIUS III. Episc. Ratisponensi, Abbatibus &c Ib. p. 198. c. e.

Inc. *Carissimus in Christo, &c.*

BOhemiæ rex damna gravia intulerat bonis, & juribus Pragensis Ecclesiæ, institutiones, & destitutiones, & judicia Clericorum sibi reservaverat, Clericum, qui deposuerat habitum clericalem, ad suspendium damnaverat.

Tandem in se reversus scripserat Pontifici, ut mitteret legatum aliquem, quicum de satisfactione danda Ecclesiæ transigeret.

Pontifex deputat Episcopum Ratisponensem cum quibusdam Abbatibus, cui dat facultatem eum absolvendi, si dignam satisfactionem impositam adimpleverit.

D. Romæ apud S. Petrum Id. Maji P. a. II. a. D. 1218.

Const. Pontificiarum Tom. II.

De reditu Episcopi Pragensis Pragam.

HONORIUS III. Archiepiscopo Salisburgensi, Episc. Kirmensi &c. X. Ib. p. 277.

Inc. *Post diutinam, &c.*

SIgnificat prædictis prælatis Honorius, se tandem pace facta inter Episcopum Pragensem, & regem, Baronesque super quæstionibus de decimis, de jurisdictione Ecclesiastica, de Ecclesiarum immunitate, eum tandem ad suam Ecclesiam remittere;

Præcipue cum Othacharus rex pollicitus fuerit, se illum benigne excepturum, se missurum tuto eundem Episcopum ad S. Sedem, si inter eum, & regni barones recrudescent dissidia.

Mandat igitur iis Episcopis Honorius, ut attente invigilent, ne quid detrimenti Episcopus capiat.

Quod si Barones promissis non stent, eos excommunicent, curentque ut Episcopus possit tutus Romam redire.

D. Viterbii XIII. Cal. Apr. P. a. IV. a. D. 1220.

Regi Bohemiæ pax suadetur.

INNOCENTIUS IV. Venceslao Regi. XI. ex Rayn. ad ann. 1253. §. 29.

Inc. *Si considerarent, &c.*

SI omnes reges considerarent, quæ exitia animis, corporibus, regnis bella afferant, antequam ea moverent, serio cogitarent, neque levibus ex causis ea susciperent, & prosequerentur.

Intellexerat jam Pontifex, inter Regem, ejusque filium Prisimilaum Ducem Austriæ ex una parte, & Regem Hungariæ ex altera levi favilla, humani generis perturbatore excitante magnum, incendium fuisse conflatum.

Inter eos reges, inter quos antea summa intercedebat amicitia, nunc gravissima simultas exardet, ita ut unus ad perniciem alterius summopere accendatur; omnesque rationes alteruter inquirat alteri nocendi.

Siccis oculis duorum regum, quos unice amat, tam immane odium videre non valens Innocentius, eversiones urbium, vastationem agrorum, cædes immerentium populorum, furta, rapinas, raptus, & omnia infanda quæ in bellis fiunt, sibi menti proponens non potest non gravissime affligi, & angi.

Quare ad eos mittit Legatum, qui pacem nomine A. Sedis proponat in eas conditiones, quæ æquæ fuerint.

Rogat Regem, ut eas accipiat, ut hoc sibi apud Deum obedientiæ meritum, apud S. Sedem meritum reverentiæ consequatur.

Cæterum illum monet, se dedisse Legato in mandatis ut contradictores, & rebelles per censuras Ecclesiasticas compellat ad pacem, eorumque terras interdicto supponat, etiamsi personæ privilegium habeant ut excommunicari ne possint, & terræ non interdici.

D. Assisii Cal. Jul. P. a. XI. a. D. 1253.

„ Easdem litteras scripsit Duci Austriæ, easdem Hungariæ Regi.

Providetur, per quem sit coronandus Rex.

INNOCENTIUS IV. Electo Neapolitano Leg. S.A. XII. Ad ann. 1254. §. 32

Inc. *Cum carissimus, &c.*

OThacharus coronandus erat. Sed Archiepiscopus Moguntinus, ad quem coronandi regem munus spectabat fuerat excommunicatus ab Hugone Card. jam Legato A. S.

Rogavit ergo Pontificem Rex, ut provideret.

Qui præfato electo mandat, ut Archiepiscopum absolvat ab excommunicationis vinculo, modo dignam satisfactionem fecerit.

Quam si facere noluerit, adeat Capitulum Moguntinum, & Canonici nominent aliquem Episcopum e suffraganeis Ecclesiæ Moguntinæ, qui nomine Archiepiscopi, & Ecclesiæ Moguntinæ regem coronet.

Si capitulum nullum Episcopum nominare velit, electus deputet aliquem ex iisdem suffraganeis, qui hoc munus obeat.

D. Later. Id. Apr. P. a. XI. a. D. 1254.

Laudatur, accenditurque Regis zelus in barbaros.

XIII. Ib. ad an. 1255. §. 61. ALEXANDER IV. Othocharo &c.

Inc. *Regis æterni, &c.*

AD catholicam fidem Rex Othacherus Sambienſes redegerat,

Excitati barbari Pruſſi odio Religionis in Sambienſes irruerunt, multaſque eorum terras vaſtarunt, plurimos occiderunt, & captivos duxere multos.

Commotus Rex arma in Pruſſos ſumpſit; ut Sambienſes liberaret.

Pontifex regis zelum ſummopere laudat, quod pro Eccleſia Chriſti tot bellicos labores pertulerit, velitque perferre adhuc,

Tum eum hortatur, ut ab incœpto opere non deſiſtat, habeatque ante oculos quale ſibi ſit a Deo expectandum præmium; gratiamque qualem conſequetur ab Eccleſia.

D. Neapoli Id. Mart. P. a. t. a. D. 1255.

Datur facultas Regi unctionem accipiendi ab Epiſcopis Pragenſi, aut Olmucenſi.

XIV. Ib. ad an. 1260. §. 18. ALEXANDER IV. Pragenſi, & Olmucenſi Epiſc.

Inc. *Quoniam ad ſubſiſtentiam, &c.*

VEtus eſt inungendi reges conſuetudo, quæ quidem unctio datur iis vel in humero, vel in brachiis, vel in armo. Pontifex ut Vicarius illius, qui eſt Eccleſiæ caput, inungitur in capite; reges autem in aliquo eorum membrorum, ut ſciant ſe ſuſtinere grave regni pondus; ut ſciant, ſe illud eſſe defenſuros. Jam hæc unctio plurimum prodeſt.

Legimus enim Saulem poſt unctionem a Samuele acceptam in virum alium fuiſſe mutatum. Corona autem capiti imponitur, ut meminerit rex ſe eſſe caput ſui populi, populumque futurum talem vel probum, vel perverſum, ut in rege ſuo exempla vel probitatis, vel nequitiæ videbit.

His præmiſſis venit ad rem Pontifex. Primislaus, qui ſucceſſerat defuncto Patri ſcripſit Pontifici, ſe eſſe coronandum, neque coronari poſſe ab Archiepiſcopo Moguntino, ad quem hoc jus ſpectabat, quia nondum confirmatus erat, rogavitque eum ut conſuleret.

Pontifex facultatem Primislao dat eligendi vel Epiſcopum Pragenſem, vel Olmucenſem ad hoc munus,

Ita tamen ut nullum ex hoc redundet in Moguntinos Archiepiſcopos detrimentum hujus ſui juris.

D. Anagniæ II. Non. Oct. P. a. VI. a. D. 1260.

Legitimantur natus, nataque duæ Regis cum conditione &c.

XV. Ib. §. 21. ALEXANDER IV. Priſmilao regi, &c.

Inc. *Ecce Apoſtolicas, &c.*

UXorem habebat Primilaus Sororem Belæ Hungarorum Regis; cui dedit libellum repudii, conjecitque eam in Monaſterium, quia dicebatur, eam caſtitatem voviſſe ante nuptias. Dum uxoratus erat e ſoluta habuit Nicolaum, & filias duas. Rogavit Alexandrum, ut eos natalium dignitate ornaret.

Ad regem igitur per Furconem ſcriptorem ſuum litteras *ſuper hujuſmodi diſpenſatione Alexander* ad regem mittit,

Ideo autem mittit, ut intentionem Pontificis illi explicet. Non intendit Alexander ex hac diſpenſatione Nicolao, & feminis jus ullum competere in Regnum Bohemiæ, ad quod ſuccedere non poſſint ullo unquam tempore.

D. Anagniæ XII. Cal. Nov. P. a. IV. a. D. 1260.

„ Cum alii illegitime nati ſucceſſiſſent in regna, „ quidam volunt, ita de his decreviſſe Alexandrum, „ ut effrenem Regis libidinem coerceret, & puniret.

De Conradino.

CLEMENS IV. Othocharo Regi, XVI. Ad ann. 1266. §. 3.

Inc. *Ecce fili, &c.*

COnatus fatuos adoleſcentis ſtolidi Conradini pandere cogitur Regi Clemens.

Vocatus a perfidis in Italiam primo venit Veronam, inde contulit ſe Papiam *nitens ſubvertere, prout fertur opus nobile, quod in diebus noſtris voluit Dominus operari Carolum Regem Siciliæ mirabiliter promovens, & ſublimans.*

Hæc ideo ſcribit Regi Pontifex, *ut ejus ſciat ſtultitiam, & ſuorum inſaniam vicinorum Ducum Bavariæ, qui cum puero pueriliter ſentientes ducatum eum ad Ligures, potiuſve ſeductum in hoc periculo dimiſerunt, quodam ſibi cuſtode dimiſſo, qui Ducem Auſtriæ ſe appellat,*

Scit Pontifex hæc, quæ parantur contra Eccleſiam, regi maximopere diſplicere, qui eſt ejuſdem ſtudioſiſſimus.

Si opus fuerit, poſcet ab illo Pontifex auxilia, quæ Rex non eſt denegaturus, contra hujuſmodi homines & contra Conradinum.

D. Viterbii III. Cal. Mar. P. a. III. a. D. 1267.

Contra Lithuanos excitatur Rex, ejuſque regni acquiſita armis terra illi conceditur.

CLEMENS IV. Regi &c. XVII. Ad an. 1267. §. 40.

Inc. *In tui, &c.*

LIthuani bonam partem, licet baptiſmate fuiſſent abluti a fide deſciſcentes ſe cum Tartaris conjunxerant, & damna plurima finitimis provinciis intulerant. Votum voverat Othocharus crucem in eos ſumendi; illataſque ulciſcendi calamitates.

Laudat ejus propoſitum Clemens, eumque exſtimulat, ne ab illo ſe deduci patiatur a quibuſcumque.

Ut autem alacrius editum votum perficiat, illi confirmat, quod alias conceſſit ei Eccleſia, ut omnes terras, quas in Lithuaniæ regno armis vincet, ſuo regno adjiciat, exceptis tamen terris Fratrum S. Mariæ Theutonicorum, quas vult intactas ordini relinqui,

Regnum enim illud ſpectat ad A. Sedem, cui fuit oblatum a Cl. memoriæ Mindota, qui poſt ſuſceptum baptiſma auctoritate Apoſtolica coronatus in regem fuerat.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Viterbii XIII. Cal. Febr. P. a. III. a. D. 1267.

Adhortamentum, ut rex pacem ſervet cum Rege Hungariæ.

GREGORIUS X. Regi Bohemiæ &c. XVIII. Ad ann. 1272. §. 49.

Inc. *Paternum ad tuæ, &c.*

MOrtuo Stephano regi ſucceſſerat ejus filius Ladislaus adhuc juvenis.

Bella plurima rex Othocharus, & Stephanus inter ſe fecerant; ſed pacem demum inierant. Verens Ladislaus, ne capta anſa a ſua juventute, & belli imperitia Othocharus bellum in Hungariam moveret, ſupplicaverat Pontifici, ut regem a bellis diſſuaderet.

Gregorius ergo aliquot argumentis id ſuadere Regi ſtudet,

I. Quia cum pax ſit inita, nefas eſſet eam infringere; videretur enim Rex eam feciſſe coactus.

II. Quia Ladislaus promittit, ſi aliquid contra pacis articulos ſubditi ſui egerint, ſe illos puniturum, & ſatisfacturum regi;

III. Quia eſt juvenis & Rex & Regina Iſabella Regis Siciliæ filia (unde jus derivatum eſt in Reges Hungariæ ad Siciliæ regnum.) Netas eſſet regem tanti nominis, qualis eſt Othocharus aggredi juvenem imbellem, rei militaris rudem.

IV. Quia pacem colendo & devincit ſibi Ladislaum, & Carolum Siciliæ regem.

D. apud Urbem Veterem XIV. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1272.

Ad

Ad Bohemiæ regem de pace ſervanda cum Rege Rodulpho.

XIX. Ad ann. 1274. §. 57. GREGORIUS X. Othocharo regi, &c.

Inc. *Regalem excellentiam, &c.*

„ ERat infenſus Rex Bohemiæ Rodulpho jam anteaquam eligeretur Imperator, quidam putant, „ quia ipſe ambiebat eam dignitatem. Multo vero „ magis illi infenſus fuit cum accepit, Rodulphum in „ Comitiis Imperialibus, ubi erant omnes Imperii principes, qui homagium ei præſtiterant, & quo invi„ tatus Othocharus venire recuſarat, de eorundem prin„ cipum ſententia repetiſſe Auſtriam, tanquam Im„ perii provinciam, quam mulier abalienare aut dotis „ nomine, aut quovis alio titulo non potuerat, dein „ Carinthiam, atque Stiriam, quas Uldarico Feudata„ rie vendere Regi Bohemiæ ſine Cæſaris Imperio mi„ nime licuerat. Jam apparebat ex his, bellum ingens „ futurum inter Rodulphum, & Othocharum, cujus ta„ men victor fuit Rodulphus.

Gregorius hæc ſciens, & illud prævidens, Othocharo ſignificat, ſe nonniſi poſt maturam deliberationem cum Fratribus titulum Regis dediſſe Rodulpho, ſe illi præfixiſſe terminum, ut veniret accepturus Imperiale diadema.

Quare monet Othocharum ut proſpiciat non quid velit facere, ſed quid deceat: conſideret, quam incerti ſint exitus bellorum; & ſatius longe eſſe eum inire pacis conſilia, quam belli.

Evitet diſcordiam cum Rodulpho, immo cum ipſo Imperio, & diſcordia ſublata, ſimul cum Rodulpho incumbat Imperii reformationi, & promovendis totius chriſtianitatis negotiis.

D. Lugduni VI. Cal. Oct. P. a. III. a. D. 1274.

Rurſus Othocharo ſuadetur pax.

XX. Ad ann. 1275. §. 7. GREGORIUS X. Regi &c.

Inc. *Extenſo dudum, &c.*

„ FOedus inierat Rodulphus Imperator cum Carolo „ Siciliæ rege, qui Italiam ſe tutaturum adverſus „ Imperatoris hoſtes promiſerat. Quare tota virium Im„ peratoris moles contra Regem Bohemiæ vertebatur.

Quaſi præſagiret Gregorius quantum detrimenti Othocharus ex hoc bello eſſet paſſurus, eum iterum monet, ut cum Rodulpho concordiam ineat.

Illi, ad eum permovendum grandia commoda, & plurima, quæ ex concordia proveniunt, exponit.

Tum illi ſignificat, ſe ſtatuiſſe inſignia imperialia Rodulpho dare.

Deſunt his litteris notæ.

Se a ſuſpicione purgare nititur Pontifex.

XXI. Ib. §. 10. GREGORIUS X. Regi &c.

Inc. *Quid ita, &c.*

„ RElatum Regi fuerat, quod ſcripſerat Gregorius „ Rodulpho, nempe Eccleſiam nunquam illi de„ futurum. Quare in ſuſpicionem apud Regem incidit „ eum nimium favere partibus Rodulphi, ideoque bel„ lum improbare; deque hac ſuſpicione ad ipſum Gre„ gorium ſcripſerat.

Si quicquam, inquit Gregorius, tibi ſuaſiſem, unde malum in te eſſet redundaturum, amplectendum tanquam bonum, aliquo jure in ſuſpicionem tibi venire poſſem. Sed cum propoſuerim id, quod tibi eſt utiliſſimum, nempe pacem, ſuſpicio in te nulla oriri de me debet; omnes enim qui ſapiunt, conſilia pacata anteferunt turbulentis, & inquietis.

Ea propoſui, quæ juſtitia ſuggeſſit. Singuli, & univerſi electores, præterte, Rodulphum eligunt, cur eum agnoſcere in regem non vis? Si tu eum elegiſſes, & aliquis eorum nollet eum in regem agnoſcere, decerneres eum eſſe redigendum armis ad obedientiam. Eligitur, coronatur Rodulphus, tu unus ab eo recedis, invitatus non pares, admonitus animum obfirmas, & copias in eum paras; Excute te ipſum, ſi tibi pacem ſuadeo viderinę tibi debet ſuſpectus? Id moneo, quod ratio vult, quod juſtitia requirit.

Ne te decipiant tuorum conſiliariorum verba. Potes cum vis arma movere, ſed pacem habere, armis motis ſemel, cum volueris fortaſſe non poteris.

Redi igitur ad cor. Ego ut pater communis conſilia pacis ſuadere non deſiſtam.

D. Bellicardi XI. Cal. Aug. p. a. IV. a. D. 1275.

De ſubſidio imponendo Eccleſiaſticis pro coronatione Regis.

BONIFACIUS VIII. Venceslao &c. XXII. Ad ann. 1297. §. 51.

Inc. *Exhibita nobis, &c.*

COronandus erat Venceslaus ſimul cum uxore Guota Rodulphi Imperatoris filia.

Expenſæ multæ erant faciendæ: non poterat eas facere regius theſaurus pernexhauſtus, ſupplicavit itaque Pontifici Venceslaus, ut poſſet ab Eccleſiaſticis ſubſidium exigere.

Pontifex reſpondet, ſe quidem conſtitutionem edidiſſe (eſtque *Clericis laicos*) qua vetat, hæc onera imponi Clericis; ſed tamen cum agitur de expenſis extraordinariis, neceſſariiſque, eſt diſpenſandum.

Vult ergo Pontifex, prius ſibi ſcribi formam, modum, & quantitatem ſubſidii.

Cæterum non vult hanc ſubventionem annualem terminum excedere.

D. Romæ apud S. Petrum II. Cal. Apr. P. a. III. a. D. 1297.

Oſtenditur, Venceslao nullum jus competere in Regnum Hungariæ.

BONIFACIUS VIII. Regi Bohemiæ. XXIII. Ad ann. 1031. §. 10.

Inc. *Etſi Reges, &c.*

MIſerat Venceslaus ita rogatus a quibuſdam Hungariæ regni magnatibus filium ſuum Venceslaum in Hungariam, qui coronatus ab Archiepiſcopo Colocenſi fuit.

Quærit a Rege Bonifacius, quo jure id fecerit, cum ſciret regnum illud eſſe ſub tutela A. Sedis, cui illud ſubmiſerat Stephanus Rex; qui non eſt auſus ſe gerere in regem, niſi obtenta a S. Sede facultate coronationis accipiendæ.

Tum deplorat illius regni everſionem, quod eſt præda infidelium; ita ut Regi ſi velit illud conſervare, bella acerrima ſint ſuſtinenda.

Illud ergo deponat prudenter.

Cæterum ſi quod jus illi, vel ejus filio eſt in illud regnum, afferat rationes ſuas. Pontifex nullius vult rationes, juraque imminui, multo minus ejus regis, quem merito plurimi facit.

D. Later. XVI. Cal. Nov. P. a. VII. a. D. 1301.

Ad regem, ne devaſtet Hungariam, neque titulum Regis Poloniæ ſibi uſurpet.

BONIFACIUS VIII. Venceslao &c. XXIV. Ad ann. 1303. §. 20.

Inc. *Dilectum filium, &c.*

NArrat Pontifex Venceslao ſe recepiſſe ejus nuntium, litteraſque, & collegiſſe, hoc eſſe conſilium Regis, ut confirmaret ejus filium, quem dicebat eſſe canonice in regem electum.

Pontifex primum ſtatum infelicem illius regni Regi exponit, per quod debacchantur Cumani, Tartari, Pagani, Schiſmatici; tum explicat, fuiſſe eo miſſum a Pontifice Legatum A. qui ejus regni diſcordias ſedet; memorat etiam, ſe alias ſcripſiſſe Regi de ejus filio;

Quod ſi rex putat ſe habere jus in illud regnum, proferat rationes; Pontifex pater communis, & æquus judex ea decidet, quæ juſtitia exigit; ſed ne armis regnum turbet.

Sicut Maria regina Siciliæ, quæ putat habere jus in illud regnum judicio S. Sedis ſe ſtare velle promiſit, ita faciat Rex ipſe. Pontifex, & Caroli Nepotis Mariæ, & Venceslai rationes audiet, & decidet.

Demum, ait Bonifacius, ſe obſtupuiſſe cum vidit in litteris Regis, ſibi regis Poloniæ titulum tribuere. Romana Eccleſia certe eum ut regem Poloniæ numquam agno-

agnovit, Quale crimen sit hoc, quæ pœnæ in usurpantes sibi hos falsos titulos, non refert Pontifex, cum Regi jam sunt nota hæc omnia.

Si jura sibi in illud regnum putat competere illa proferat, Pontifexque illi in eo regno comparando, si ad illum spectat, erit auxilio.

D. Anagniæ IV. Id. Junii P. a. VIII. a. D. 1301.

„ Jam parabat expeditionem in Poloniam Venceslaus cum ex insidiis fuit interfectus. Imperator Albertus arma in regnum movit, eoque acquisito inveltivit filium suum Rodulphum; expulitque Ducem „ Carinthiæ, quem sibi elegerant Bohemi. „

De Ludovico Bavaro.

XXV. JOANNES XXII. Regi Bohemiæ Joanni. Ad ann. 1324.§.17.

Inc. *Infausti rumoris, &c.*

UT invidiam conciliaret Ludovicus in Joannem diffeminabat in vulgus, eum nihil aliud moliri, nisi ut facultatem, qua gaudent electores Germaniæ Regem Romanorum eligendi ad se traheret, eosque illa privaret. Rumores hi cum delati fuissent ad Pontificem, ut a se hanc suspicionem averteret ad plures Electores scriptit eadem, quæ scribit Bohemiæ regi,

Nempe Ludovicum Bavarum cum videret se justissimis censuris ob enormia crimina implicitum, ut aliquo modo de Pontifice ulciscereţur eos dissemināsse rumores.

Quos rogat Joannes regem ne credat, eique testatur, se numquam hoc jure Electores privare voluisse; *indecens enim esset, quod inde sequerentur injuriæ, unde jura nascuntur.*

D. Avin. VII. Cal. Junii P. a. VIII. a. D. 1324.

Ludovicus Bavarus falso se jactat Imperatorem.

XXVI. JOANNES XXII. Joanni Bohemiæ Regi. Ad ann. 1330.§.27.

Inc. *In responsione, &c.*

SCripserat Pontifex Regi, Ludovicum Bavarum coronatum fuisse a Petro de Corbario; hoc per errorem fuisse insertum scribit Joannes; nam fuit coronatus ab Jacobo Episcopo Castellano *tunc suis exigentibus meritis deposito, excommunicato, & ut hæreticorum fautore damnato.*

I. Fuit quidem coronatus, sed coronari non poterat, quia erat excommunicatus, & honoribus spoliatus;

II. Fuit coronatus, sed a Romanis, ad quos hoc munus non spectat; ita ut esset male coronatus etiamsi esset legitimus Imperator,

III. Hoc facinus, egresso ex urbe Bavaro, ipsi quoque Romani improbarunt,

His igitur rationibus efficitur, Ludovicum non esse Imperatorem.

D. VI. Cal. Oct. P. a. XV. a. D. 1330.

„ Episcopus hic Castellanus, seu Venetus fuit Jacobus de Albertis. Fautor Ludovici. Ab Antipapa „ Corbario fuit creatus Cardinalis Ostiensis, & Velletrensis. Paullo post obiit in Germania infeliciter Bavarum sequutus.

„ Scripsit duas epistolas ad Regem Bohemiæ Joannes quæ quia continent multa ad Imperatorem, ejusque electionem attinentia, eas v. in cap. de Impe„ ratoribus *Profecto fili, &c.* & *De regia, &c.* „

De coronatione Caroli primogeniti Joannis.

XXVII. BENEDICTUS XII. Archiepiscopo Pragensi. Ad ann. 1340.§.16.

Inc. *Nuper ad nostrum, &c.*

RElatum fuerat Pontifici velle Joannem coronari Carolum Moraviæ Marchionem in regem Bohemiæ.

Pertinebat hoc coronationis regum, reginarumque Bohemiæ jus ad Archiepiscopum Moguntinum.

Sed quia Henricus modernus Archiepiscopus erat fautor Ludovici Bavari, fuerat a Pontifice excommunicatus, ac proinde non poterat eam coronationem peragere,

Pontifex id faciendum mandat præfato Pragensi Præsuli;

Ita tamen ut nullum hinc præjudicium in Ecclesiam Moguntinam redundet, si futuris temporibus in communione Apostolicæ sedis erunt ii Archiepiscopi.

D. Aven. Id. Oct. P. a. VII. a. D. 1341.

In prœlio interiit rex hic Joannes pro Gallis pugnans contra Regem Angliæ Eduardum an. 1346.

Hortatio ad Bohemos ut regem ament.

EUGENIUS IV. Nobilibus, Baronibus, & universis urbibus Bohemiæ, XXVIII. B.M.p.i. vel t. 9. p. 238.

Inc. *Gratus Nuntius, &c.*

SEdatis in Bohemia seditionibus (*motæ fuerant ob hæresim Vicleffi, & Joannis Hus*) juramentoque fidelitatis regi (*is erat Sigismundus Imperator*) præstito post diutinum bellum, gratulatur Eugenius,

Et Bohemis omnibus commendat Imperatorem virum bonum, & religiosum, & clementiæ amantem.

D. Bononiæ IV. Id. Mar. P. a. IV. a. D. 1434.

Gubernator Bohemiæ Romam mittat Joannem Rochizanam.

CALLIXTUS III. Georgio Podiebratio. XXIX. Ad ann. 1456.§.69.

Inc. *Non minori, &c.*

„ NOndum hæresim deposuerant Bohemi, & ejus fautores præcipue erant Georgius Podiebratius „ regni administrator, & Joannes Rochizana Archie„ piscopalis Pragensis sedis invasor.

„ Ratus Pontifex longe latius esse Bohemos molli, „ ut dicitur, brachio tractare, præcipue cum catho„ licos principes armare in Turcas volebat, ad Geor„ gium has litteras mittit, „

In quibus dolorem suum Georgio significat ex eo quod nondum penitus in eo regno hæresis sit extincta; ad quam delendam eumdem hortatur; quoniam nulla salus est aliter credentibus, ac docet Ecclesia Romana.

Quoniam fama rarœ scientiæ, exquisitæque doctrinæ fulget Joannes Rochizana, cupit eum videre, cum illo colloqui, & cum illo rem totam transigere facilius, breviusque quam per legatos.

Ad curiam ergo illum mittat simul cum oratoribus, sicut jam ipse Joannes se cupere venire, & se venturum esse dixerat.

D. Romæ, &c. Desunt notæ numericæ.

Cur neget Pontifex Georgium Regem appellare.

PIUS II. Protonotario Bohemiæ. XXX. Ad ann. 1459.§.101

Inc. *Cum ad nos, &c.*

MEmorat Protonotario Pius, quam benigne, quam honorifice eum exceperit, cum eum a Georgio missum esse intellexit.

Tum eidem Protonotario roganti, quid agere debeat, ut Georgius rex appelletur, respondet, non decere Romanum Pontificem appellare Regem eum, qui nondum præstitit, quæ reges Catholici agere debent publice.

Convertat regnum ad Romanam Ecclesiam, subditos inducat Ecclesiæ parere, tollat de medio errores, & rex appellabitur.

D. Senis die XV. Apr. P. a. I. a. D. 1459.

Cur Protonotarius publice non fuerit exceptus.

PIUS II. Georgio Podiebratio. XXXI. Ibid.

Inc. *Quia in mandatis, &c.*

PRivate, non publice exceperat Pius Protonotarium prædictum.

Ne hoc ægre ferret Georgius, Pontifex eum monet, id evenisse, quia mandatum eidem fuerat, ut veniret privatus, ut privatus obedientiam præstaret nomine Georgii.

Jam

Jam dedecuisset excipi eum publice, qui privatim adire jussus fuerat.

Quare ne succenseat Georgius Pontifici, qui paratus erat honores regios Protonotario facere, si publice veniisset, sed causam illi adscribat, si ei illos non præstitit.

D. ut supra.

Suspicionibus Georgii de Pontifice circa Slesitas respondetur.

XXXII. Ib. §.21. PIUS II. Regi Bohemiæ.

Inc. *Slesitas, eum quibus, &c.*

„ WRatislavienses nolebant parere Georgio, quia „ dicebant, eum esse hæreticum, venerantque „ ad Pontificem, a quo benigne fuerunt ex„ cepti, qui per litteras rogavit Regem, ne arma in „ eos moveret. Suspicatus Georgius fuit, Pium movis„ se ad defensionem Slesitas, eumque velle de illo „ Ducatu disponere. „

Has suspiciones regis studet Pius dissipare ex ejusdem animo.

Æquum erat benigne excipi Slesitas a Pontifice, qui scit quam constantes fuerint in religione Catholica conservanda, cum Bohemia Hussitarum bello ardebat; decedebatque eos *dimittere inconsolatos*, qui causam Ecclesiæ tutabantur fide tanta;

Nihil autem dixit, unde possent ardentiores contra Georgium esse.

Iis obedientiam non suasit, ne alienum jus usurparet; ad Imperatorem enim, *cujus nomen, sedemque recognoscit* Georgius, spectat redigere ad obedientiam debitam Slesitas.

Si eum ad clementiam hortatus est, ideo est hortatus, non quia adversetur illi, faveatque Slesitis, sed quia cum satis, & plusquam satis Christiani sanguinis Turcæ effundant, rei christianæ sibi consulere æquum videtur, si Christianos principes roget, ne suorum subditorum populorum sanguinem versent.

D. Mantuæ Die XXIV. Aug. P. a. I. a. D. 1459.

Ne conjurationes in Imperatorem Fridericum Rex excitet.

XXXIII. Ad ann. 1460.§.82. PIUS II. Regi Bohemiæ Georgio.

Inc. *Intelleximus, &c.*

„ COnjurarant in Imperatorem Fridericum multi „ Germaniæ principes, qui de illo exauctorando „ cogitabant, frequenterque habebant de hoc conven„ tus. Inhiabat imperio Bohemus Georgius, ideo accen„ debat principes in illum. „

Pius, qui a Friderico acceperat plurima beneficia, & incrementa suæ amplitudinis ab illo agnoscebat, scribit Bohemo,

Se nescire quo tendat protectio ab illo sua promissa Moravis, & Austriacis contra Fridericum rebellantibus; se videre eam tendere in præjudicium non modicum ipsius Friderici;

Fridericum non ita de illo mereri, qui eum numquam offendit, immo dilexit, & beneficia in illum contulit;

Se amare Fridericum, & quia ab illo diligitur, & quia semper Ecclesiam, cui ipse præest semper est tutatus; proinde quamlibet injuriam Friderico illatam se habiturum ut illatam sibi, annixurumque, ne ullus eum perturbet, & ex ejus incommodis fructum percipiat;

Hæc paterne ad illum se scribere, quia vellet *propter opera bona eum cum honore, & gratia in universali Ecclesia esse.*

D. Romæ Die XXVII. Nov. P. a. III. a. D. 1460.

In Georgium sententia.

XXXIV. PIUS II. ad f. r. m. Ad ann. 1463.§.96.

Inc. *Dudum inclitum, &c.*

„ HÆresi sua infecerat Bohemiæ regnum Georgius, „ asserens ad salutem necessariam esse commu„ nem sub utraque specie; & Nuntium A. in vincula conjecerat,

„ Absolverat Pontifex VVratislavienses, & Slesitas „ ab juramentum fidelitatis. „

Nunc sententiam in illum Pius profert,

Tamquam in perjurum; cum enim professus esset, & jurasset obedientiam Romanæ Ecclesiæ, eam obedientiam non servavit;

Tamquam in hæreticum, ideoque multi ab illo defecerunt populi,

Tamquam in blasphemum, & aliquot ejusdem blasphemiæ recensentur;

Tamquam in violatorem Ecclesiasticæ immunitatis, qui in carcerem Nuntium A. detrusit.

Ideo subditi absolvuntur ab juramento, &c.

Reliqua conveniunt cum bullis hujus generis.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Apr. P. a. V. a. D. 1463.

„ Facta sua purgare est aggressus Georgius apud „ Pontificem, veniamque petiit: cum liberasset Fride„ ricum ab obsidione, qua a suis in arce detinebatur „ inclusus, Fridericum ipsum interceſorem apud Pon„ tificem adhibuit, affinitatem contraxit cum Ducibus „ Saxoniæ, cum Matthia rege Hungariæ, nullique „ populi ab eo defecerant; obstinatus perstitit in sua „ hæresi.

„ Fuit etiam excommunicatus a Paulo II. a. 1467. „ regnumque Bohemiæ fuit oblatum Casimiro regi Po„ loniæ, ad quem spectabat, habebat enim in uxo„ rem sororem Ladislai, sed ille regnum sprevit. Cum „ tamquam hæreticus privatus fuisset regno, arma in „ illum moverunt multi Germaniæ principes. Tandem „ convenere Fridericus Imperator, & Matthias rex „ Hungariæ, ut si Matthias liberos non haberet, re„ gna Hungariæ, Bohemiæque esent familiæ Austria„ cæ, sicut ultimus Rex Ladislaus Austriacus filius Im„ peratoris Alberti illa habuerat. Georgius habebat fi„ lium Victorinum dictum.

„ Cum videret Rex Georgius res suas ruere in pe„ jus hos articulos proposuit Pontifici, quos juravit se „ servaturum. „

I. Abjurabit hæreses, neque sustinebit Laicos communicandos necessario esse sub utraque specie, unde Bohemi dicti sunt Calixtini;

II. Eligat Pontifex Archiepiscopum Pragensem, quem & Rex, & Bohemi omnes admittent, & venerabuntur, salvis ejusdem Ecclesiæ Pragensis juribus in jure eligendi, & aliis consuetudinibus regni;

III. Archiepiscopo detur facultas reformandi eam Ecclesiam, tollendi errores, reformandi clerum tam regularem, quam sæcularem;

IV. Circa communionem, quæ datur infantibus Archiepiscopus *statuat modos ad audiendos Bohemos, & illos de veritate informandum.*

V. Ratione reformationum faciendarum ab Archiepiscopo populus, non excitabit turbas: Archiepiscopus tamen in iis faciendis consulat Regem pro tempore, & prudentiores;

VI. Georgius efficiet ut Ecclesiis, & ecclesiasticis quam primum restituantur bona, & jura, & vectigalia,

VII. Non permittet rex, ut in perceptione sacramentorum quisquam arcetur ad hos ad illos ritus, sed efficiet, ut serventur ritus Romanæ Ecclesiæ.

VIII. Quoniam multi consueverunt sub utraque specie communicare, his tantum permittatur hoc idem non quotidie, sed cum idoneus confessarius judicabit; qui usum non habent, ne communicent ita; progressu temporis per Archiepiscopum, bonosque confessores, & prædicatores hic abusus tolletur.

IX. Promittet rex hæc omnia se præstiturum, *omni dolo, & fraude secretis.*

X. Pontifex restituere debet pristinæ dignitati regem, & pro rege Bohemiæ habeatur, teneaturque.

„ Ad singulos articulos Romam missos, datosque exa„ minandos appositæ fuerunt notæ; & illi, & hæ „ missa fuerunt ad A. Legatum in Germania, & jus„ sus Legatus fuit in cœtibus Ratisponensibus indicere „ Cruciatam in hæreticos Bohemos. „

Die VIII. Apr. P. a. VII. a. D. 1471.

Lau-

Laudatur Maximilianus, quod velit e regno tollere corruptelas.

XXXV. Ad ann. 1560. §. 15. PIUS IV. Maximiliano Regi Bohemiæ.

Inc. *Jucundum nobis, &c.*

IMperator Ferdinandus renuntiarat filio suo Maximiliano regnum Bohemiæ.

Cum electus esset Pontifex Pius IV. Maximilianus misit ad illum oratores suos, qui gratularentur illi de collata dignitate, qui obedientiam eidem præstarent, testarenturque regem velle in Bohemiæ regno conservare Religionem Catholicam, & ex eo corruptelas sustollere.

Illi de missis oratoribus gratias agit Pius.

Eum commendat, quod se filium tam devotum Ecclesiæ ostenderit,

Eum exstimulat ad purgandum vitiis regnum.

D. Romæ apud S. Petrum die XXII. Febr. P. a. I. a. D. 1560.

„ Fluctuare in religione visus est Maximilianus, cum „ ex nefaria Ducis Saxoniæ persuasione hæreticorum li„ bros legere cœpit. Sed Cardinalis Stanislaus Hosius „ eum in fide firmavit. „

DE PRAGENSIBUS, ET BOHEMIS.

Gratulatio de inita concordia.

XXXVI. Ex Rayn. ad ann. 1436. §. 18. EUGENIUS IV. Baronibus Pragæ civitatis, nobilibus, cæterisque civitatibus regni Bohemiæ,

Inc. *Gratus Nuntius, &c.*

TAndem aliquando fracti bello Bohemi manus dedgrant; magno enim prælio victi fuerant, in quo ad duodecim millia ceciderant, multaque alia millia captiva facta fuerant exusta.

De hujusmodi concordia summopere lætatur Eugenius, quam sperat futuram esse perpetuam, & quia novit Bohemorum devotionem, & quia Deus illius regni miserebitur.

Gaudet, eos pacem cum rege suo Ladislao iniisse, a quo paterne amantur, quique dignissimus est eorum amore.

Iis significat, se iis concessisse ea, quæ per Imperatorem postularunt, paratum & alia argumenta amoris Pontificii illis dare.

D. Bononiæ. Notæ desunt.

Rescinditur Bohemorum juramentum, de parendo Regi Casimiro.

XXXVII. Ad ann. 1472. §. 12. SIXTUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Sicut nobis, &c.*

CAsimirus, & VVladislaus Rex, princepsque Poloniæ favebant hæreticis Bohemis, contra quos Rex Hungariæ Matthias pugnabat.

Casimirus, & VVladislaus in grave præjudicium Reip. Christianæ bellum contra Matthiam susceperant, quo victo, vel infirmato, prævaluturi erant Turcæ, & Bohemica hæresis confirmata magis fuisset.

Casimirus, & VVladislaus ut se purgarent, ajebant, a Bohemis se recepisse *fidelitatis juramentum*, ac proinde se non posse non eos tutari.

Pontifex, ut Polonis prætextum omnem rescindat, Bohemiæ regnum tutandi juramentum datum illis a Bohemis rescindit, nullinsque esse roboris declarat,

Pœnasque Ecclesiasticas Bohemis denuntiat, qui quacumque ratione auxiliabuntur prædictis Polonis.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Martii P. a. I. a. D. 1472.

Bohemi, Silesii, Moravi jubentur obsequi Regi Matthiæ.

SIXTUS IV. Ducibus, Baronibus, &c. Bohemis Silesiis, & Moravis, &c. XXXVIII. Ib. §. 31.

Inc. *Congregatis, &c.*

REm totam *ab initio* repetit *Sixtus*.

Bohemi Catholici, Moravi, & Silesitæ cum viderent Regem Georgium Podebratium in hæresim prolapsum, & in ea pertinacem, sibi constituerunt Casimirum Poloniæ regem. Casimirus regnum recusavit, orarunt, ut illud daret filio suo VVladislao. Id quoque respuit.

Iidem populi ergo *canonice, juridice, & legitime*, Matthiam regem Hungariæ elegerunt, juramentum fidelitatis præstiterunt eidem.

Matthias & Silesios, & Moravos ab armis Victorini filii Regis Bohemiæ sæpe liberavit; jamque in iis regionibus regnabat Matthias.

Casimirus clanculum subornare cœpit studiosos Matthiæ, ita ut inciperent in fide nutare; & cum transgisset cum Georgio Rege Bohemo de cedendo eo regno VVladislao, jam aperte ii populi a Matthia deficiebant,

Quæ quidem defectio cum esset penitus injusta, quippe quæ facta contra Regem canonice electum, contra regem, qui etiam jure armorum eas regiones conquisierat, quarumque possessionem ei confirmarat A. Sedes, contra Regem defensorem fidei, in favorem Casimiri hæreticis faventis,

Prædictis populis indicit Sixtus, ut in fide Matthiæ data permaneant, sub pœnis excommunicationis, &c.

Quod si facere recusabunt, iis minatur, acrioribus remediis se usurum.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Mart. P. a. I. a. D. 1472.

Absolvuntur Bohemi a censuris.

ALEXANDER VI. Decano, & Capitulo Ecclesiæ Pragensis, XXXIX. Ad ann. 1492. §. 16.

Inc. *Devotionum vestrarum, &c.*

REm ab exordio usque desumit Alexander:

Bohemia a Paulo Pp. II. fuit interdicta, quia adhærere volebat Georgio Podebratio, qui se regem fecerat, & Joanni Rochizanæ Pragensis Sedis invasori, & Joannis Hus in consilio Constantiensi damnati errores sequebatur, nec eos deponere volebat. Interdictum jacere in Bohemos jussus fuerat Episcopus VVratislaviensis. Censuris innodati pejora patrare sunt aggressi.

Cum visi fuissent se pœnitere, fuere a Sixto IV. soluti, sed ad tempus, & ad Pontificis beneplacitum.

Juvit hæc Ecclesiæ Clementia; nam Hussitarum bona pars hæresim abjuravit, argentum contulit, ut Ecclesiæ disjectæ reficerentur, & aliquæ fuerunt refectæ, pollicita est se refecturam esse alias.

Hæc Pontifex sciens, orante etiam Rege VVladislao, mandat præfatis decano, & capitulo, ut donec de pastore provideatur illi Ecclesiæ, peragant quæ viderint expedire, benedicant Ecclesias, vasa sacra, paramenta, ponant parochos ad animarum curam, jubeant administrari sacramenta, & divina celebrari, bona Ecclesiarum usurpata inquirant, & ea restitui faciant &c. Absolvant petentes veniam, ejuranteque errorem. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Id. Junii P. a. VII. a. D. 1499.

De Bohemis Hæreticis.

JULIUS II. ad f. r. m. XL. Ad ann. 1503. §. 10.

Inc. *Sicut carissimus, &c.*

„ PRæter Calixtinos, qui a Catholicis non dissi„ bant, nisi quod sub utraque specie communio„ nem sumebant, irruperant in Bohemiam etiam Pi„ kardi, qui infame nomen ab auctore sectæ Adami„ tarum

„ tarum Belga sibi assumpserant, qui negant præsen„ tiam Realem Christi in Eucharistia. „

Hi simul cum aliis irruptionem in Germaniam fecerant, loca sacra præcipue vastabant, & in SS. Eucharistiam indigna multa committebant. Ad quos reprimendos, & ingentem exercitum Maximilianus Imperator comparavit, & Pontificem oravit, ut provideret Germaniæ incolumitati.

Ergo Julius vetat quibuscumque cujuscumque sint dignitatis auxilium iis hæreticis ferre, ferre ad eos arma, commeatus, &c. eos excipere, iis quocumque modo favere sub Ecclesiasticarum censurarum pœnis;

Quin immo omnes hortatur causam communem defendere, Maximiliano opem ferre, indulgentiasque dari solitas Cruce signatis his pugnaturis, vel auxilium militibus contra illos pugnantibus præstantibus dat.

Et hæc ad omnium notitiam publicari mandat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Id. Oct. P. a. I. a. D. 1504.

Quomodo transigendum sit super articulis controversis cum Bohemis.

XLI. Ad ann. 1513. §. 70. LEO X. Thomæ tit. S. Martini in Montibus A. S. L. in Hungaria, & Bohemia.

Inc. *Cum te, &c.*

CUm esset iturus in Bohemiam, & Hungariam prædictus Cardinalis, facultatem illi dat agendi cum Bohemis de pace super articulis controversis Leo.

Articulus I. erat de communione sub utraque specie, & de illa danda infantibus. In Concilio Basileensi sess. 30. fuit hæc quæstio examinata. Si Bohemi putant ideo utramque speciem esse sumendam, quia una dumtaxat specie sumpta, credunt communionem imperfectam, errant; nam sub utraque specie totus Christus est; si putant, hanc consuetudinem dandi laicis unam tantum speciem temere ab Ecclesia invectam, errant; namque laudabilis hæc est consuetudo; Concilium tamen in secretis mandatis permittebat si ex uberiore devotione id Bohemi postularent, posse cum iis dispensari.

Non datur communio pueris ob irreverentiam, ob vomitum, qui præ ætate nesciunt quid agant; si Bohemi non instant, ut communio detur mente captis, multo minus instare debent, eam dari pueris.

Art. II. Peccata publica volunt Bohemi publice puniri etiam per inferiores, si superiores desint muneri suo. In cedulis de hoc actum est in Concilio eodem Basileensi, & convenit, ea puniri secundum Deum, & Canones, non tamen per privatas personas, sed per habentes jurisdictionem.

Art. III. De prædicatione verbi Dei nihil in eodem Concilio statutum est, sed tamen in cedulis definitur, non omnes promiscue prædicare posse, sed tantum presbyteros, & levitas idoneos ab habentibus potestatem missos.

Art. IV. contendebant Bohemi, Ecclesias, & Ecclesiasticos habere non posse bona stabilia; ideoque illa usurparunt; restitutio, quæ esset facienda, ex qua pauperes fierent, eos retinet ab amplectenda unitate. Primum quidem persuadendum iis est, Ecclesias habere bona posse, posse hereditates legatas testamento, donatas adire, posse sibi acquirere hæc bona; tum de fructubus perceptis ex his bonis possunt absolvi, si suis impensis, vel dimidiato stipendio arment in Turcas octo, decemve militum millia; de retentione bonorum ita, fiant emphytheuses, solvantque Ecclesiis, & Ecclesiasticis possessores Ecclesiasticorum bonorum modicos canones; fiant emphytheuses hæ ad tertiam, ad quartam generationem, ita ut si familiæ extinguantur redeant bona ad illas Ecclesias, ad quas spectabant ante occupationem, & Ecclesia possit ea dare aliis in emphytheuses sub annuo majore, vel æquali canone, aut ea sibi retinere.

De aliis articulis, qui a Conciliis damnati omnino fuerunt, ut sunt de imaginibus Sanctorum non tollendis, de Sacramentis, de Decalogi præceptis nulla concordiæ ratio haberi potest, sunt enim firmiter credendi, servandique.

De officio a Sacerdotibus dicendo, vel longius sit, vel brevius parum interest.

Hæc dedit Leo Legato, secundum quæ pacem, & concordiam inire cum Bohemis posset.

D. Romæ apud S. Petrum XII. Cal. Oct. P. a. I. a. D. 1513.

Commendatur Ferdinandus quod velit extinguere hæreses in Bohemia.

CLEMENS VII. Ferdinando Austriæ Archiduci, Hungariæ, & Bohemiæ Regi. XLII. Ad ann. 1530. §. 170.

Inc. *Licet quæ, &c.*

SÆpe testatus fuerat Ferdinandus, se simul atque dimissus erit Conventus Augustanus, velle in Bohemiam ire, & habere conventum, & hæresis reliquias prorsus extinguere.

Laudat Ferdinandi consilium Clemens, quod unum satis ostendit ejus pietatem, ejusque in catholica Religione constantiam.

Sibi persuadeat Ferdinandus ubi hæresis est, non posse esse prospera, & felicia ea regna.

Tum eum rogat, ut copias contrahat, quas opponat Turcis, qui ex apparatibus, qui ab illis fiunt, indicant, se aliquam in Christianos principes meditari expeditionem.

D. Romæ apud S. Petrum die VIII. Jul. P. a. VII. a. D. 1530.

DE CAPELLA REGIA.

Privilegia Capellæ Regiæ Pragensis.

ALEXANDER II. Urbis Romæ Episcopi, Papis suis successoribus. XLIII. B. R. t. 2. p. 21. C. C.

Inc. *Ea, quæ, &c.*

Bohemicorum Dux VVratislaus vir Christianus, fidei integerrimus amator, rebus in bellicis magnificus triumphator misit Nuntium ad Alexandrum, qui illi significaret, *cupere se pietate Pontificis ædificare Ecclesiam in honore Salvatoris nostri.*

Et Pontifex *ex numero septuaginta duorum Fratrum* (Cardinalium) ad hanc perficiendam Ecclesiam misit in Bohemiam *Episcopum Tusculanum, in cujus præsentia ipse dux cophinos terræ onustos duodecim propriis humeris portasse videbatur.*

Locus, in quo constructa fuit Ecclesia, est *VVisegrada, quod sonat litteraliter altior civitatibus.*

I. Eam Pontifex *totius provinciæ caput dici, & venerari præcipit;*

II. *Asylum* vult esse *eam tutamini B. Petri, cunctisque in ejus sedo sessuris,*

III. *Marchas duodecim de eadem Ecclesia quotannis ad pedes universalis Papæ offerendas destinavit Dux*, quam oblationem acceptat Alexander;

IV. *Septem Cardinalibus* ibi ministrantibus ad altare Sancti Petri, Præposito, Presbytero, Diacono, Subdiacono concedit Pontifex usum Mitræ, & Sandaliorum,

V. *Laudibus, quas sub diademate statutis diebus proclamare solet Papa, solummodo in ista* (Ecclesia) *adstante Duce Christum collaudare* permittit;

VI. *Si Episcopus loci illius invidia diaboli attractus Chrismæ baptizandi, consecrationem Clericorum abnegarit, Ecclesia ista a quolibet Episcopis inveniat, & accipiat.*

VII. Solitæ clausulæ, &c.

Data hæc in manus Petri Præpositi S. Georgii in Palatio Lateranensi sub Henrico rege Filio Henrici Gloriosissimi Imperatoris VII. Idus Maji a. 1073.

DE ECCLESIA BOHEMICA.

Confirmatio exemptionum datarum a rege Ecclesiæ Bohemicæ.

I. B.R. t.3. p.1.p.223. C. C. HONORIUS III. Abbatibus, Præpositis, Decanis, &c.

Inc. *Quæstione super, &c.*

PErmisit Rex Bohemiæ Ecclesiæ Bohemicæ omnem libertatem, & jurisdictionem sive per privilegia, sive per consuetudines acquisitam,

Dimisit omnia spiritualia, salvo patronis jure patronatus, destitutiones, correctiones Clericorum,

Dimisit decimas;

Confirmavit omnia privilegia.

Hæc egit, ut ita adimpleret satisfactionem impositam ab Episcopo Ratisponensi, & obtineret absolutionem. (v. s. *Charissimus in Christo, &c.*)

Pontifex hæc approbat, & rata habet, vultque inviolabiliter observari.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. Lateran. III. Idib. Januar. Pont. ann. V. ann. Dom. 1221.

Deputatur Archiepiscopus Pragensis visitator omnium Monasteriorum utriusque sexus in hoc regno.

II. B.R. t.5. p. 3. p. 192. C. C. PAULUS V. Archiepiscopo Pragensi.

Inc. *Cum sicut, &c.*

SCiens Paulus, admodum corruptos esse mores in monasteriis virorum, & monialium in Bohemiæ regno, deputat ad eos corrigendos in Visitatorem Archiepiscopum Pragensem ad triennium.

Ac proinde illi dat opportunas facultates videndi omnia, corrigendi, puniendi, mutandi Abbates, Superiores, Abbatissas, aliosque, & alias eligendi, &c.

Appellationes a sententiis definitivis Archiepiscopi in iis, quæ mores respiciunt, a nullo tribunali admitti posse vult. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXII. Decembr. P. a. III. a. D. 1607.

Facultas datur Cardinali de Harach, & Nuntio Apostolico apud Imperatorem conveniendi super bonis Ecclesiasticis hoc in regno.

URBANUS VIII. ad f. r. m. III. B.R. t.6. p. 1. p. 179. C.C.

Inc. *Inter gravissimas, &c.*

REbellaverat hoc regnum Bohemiæ a Ferdinando II. Imperatore, illudque occuparat Fridericus Palatinus Elector Comes Rheni, Vice-rege e fenestra in terram projecto a civibus Pragensibus. Sed brevi tempore illud recuperavit Ferdinandus, Palatinum ejecit, quem Electoratu, & titulo Electoris spoliavit (quem titulum dedit Maximiliano Bavariæ Duci) hæreticosque prostravit, restitutaque fuerat pristina quies Bohemiæ.

Interea usurpata fuerant bona Ecclesiastica, direptaque, & plures Ecclesiarum domus diruæ.

Habitus fuit recursus ad Urbanum, ut juberet, quid esset agendum.

Qui dat facultatem Cardinali de Harach, & Nuntio A. apud Imperatorem omnia componendi, disponendi de decimis, assignandi bona, restaurandi alia disjecta, alia relinquendi, agendique demum quod expedire crediderint. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VII. Jul. P. a. VI. a. D. 1629.

Confirmatio gestorum a prædictis Cardinali, & Nuntio.

URBANUS VIII. ad p. r. m. IV. Ib. p. 345. C. C.

Inc. *Sancta Mater, &c.*

CArdinalis, & Nuntius deputati ad prædictum opus cum vidissent, quædam bona Ecclesiastica occupata quidem esse a Laicis, sed earum occupationum nulla exstare apud Ecclesiasticos documenta, & eas occupationes a longinquis temporibus esse factas, ut refarcirent aliqua ex parte Ecclesiasticos, censuerunt, ut quarta pars vectigalis, quod in hoc regno solvitur pro sale, addiceretur Ecclesiasticis.

Urbanus, cui, antequam concordia firmaretur, oblata fuerat, per suam constitutionem, quæ apponitur, jussit, eam ita fieri;

Ita jubet & Ferdinandus, cujus decretum affertur.

D. Romæ apud S. Petrum Die V. Mart. P. a. X. a. D. 1633.

DE REGNO POLONIÆ.

Ducis Poloniæ litteris respondet Pontifex.

I. Ex epist. Greg. l. 3. ep. 7. GREGORIUS VII. Boleslao Polonorum Duci.

Inc. *Quoniam litteras, &c.*

MIserat oblationes ad S. Petrum Boleslaus cum litteris ad Pontificem, quibus fidelitatem suam S. R. Ecclesiæ testabatur, simulque rogaverat Pontificem ut legatos mitteret, quibuscum ageret,

I. De componendis ipsius provinciæ Ecclesiis,

II. De constituenda metropoli,

III. De augendis sedibus Episcopalibus, quæ regimini tantæ populorum multitudini sufficerent.

Respondet Gregorius, se ejus munera accepisse, quæ D. Petro obtulit, se mittere ad illum legatos, quibus dedit facultates agendi quidquid ad Dei gloriam, animarumque salutem pertinere crediderint,

Eum rogat ut quæ per arma a Russis abstulit, iisdem restituat, pacem, qua nihil pretiosius est, cum iis servet.

D. Romæ P. a. III. a. D. 1073.

„ Hic idem Boleslaus eo quod reprehensus a Stanis-
„ lao Cracoviensi Episcopo, eum inter missarum solem-
„ nia occidi fecit, fuit ab eodem Gregorio excom-
„ municatus an. 1079.

Confirmatio quorundam decretorum a Duce Poloniæ editorum.

II. B.R. t.2. p. 455. C.C. ALEXANDER III. Casimiro Poloniæ Duci.

Inc. *Ex parte, &c.*

DUx Poloniæ Casimirus de consilio Archiepiscopi, & Episcoporum edixit,

I. Ne bona decedentium Episcoporum e vita dilapidarentur, aut confiscarentur,

II. Anathema fuit latum ab Episcopis in hos raptores;

III. Vetuit, *ne principes terræ quocunque pergunt pomptatice, invadant horrea pauperum;*

IV. Et ne *satellites quoscunque caballos raptos enervent in cursu.*

Dux petiit a Pontifice, ut hoc edictum Apostolica auctoritate confirmaret.

Illud confirmat Alexander anathema jaciens in aliter facientes.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Tusculani V. Cal. Apr. a. 1180.

Uladislaus Dux Poloniæ monetur, ut se corrigat.

III. Ex Inn. ep. l. 9. ep. 215. INNOCENTIUS III. Uladislao Duci.

Inc. *Si quantum, &c.*

PLura mala patrarat Dux Uladislaus, quare merito denuntiarat Archiepiscopus Gesnensis eum in censuras a canone latas incidisse. Manus violentas in clericos injecerat, cujusdam defuncti Episcopi bona occuparat.

Quare ira motus in Archiepiscopum, ejusque Ecclesiam ira ardens & illi, & huic damna, & injurias intulerat; ejus Ecclesiæ beneficia conferebat, SS. reliquias, & ornamenta sacra rapiebat; bona Ecclesiæ a suis administrari volebat, immunitates pessundabat, clericos carceri mancipabat.

Hæc & alia multa illi exprobat Innocentius, quæ sicut iram Dei provocant, & facta sunt contra sacros Canones, illi minatur Pontifex, se contra illum progressurum, si talia facere perget, & ablata ex Ecclesiis non restituet.

D. Romæ apud S. Petrum XVII. Cal. Jan. P. a. IX. a. D. 1207.

Archiepiscopo Gnesnensi scripsit, nisi Dux respiscaret, eum excommunicaret, seque excommunicationem confirmaturum promisit.

Dux Cracoviensis recipitur in protectionem S. Sedis.

IV. Ex Inn. ep. l. 9. ep. 227. INNOCENTIUS III. Lesconi Albo Cracoviensi Duci.

Inc. *Ad tuas, &c.*

UT quiete viveret Lesco optimus princeps Casimiri optimi principis filius Innocentium rogavit, ut se, & ducatum in protectionem B. Petri susciperet.

Innocentius habita ratione illius fidei, illius devotionis in Romanam Ecclesiam, ejus personam, ejus bona quæ possidet, & possessurus est, ejus ducatum in suam, & B. Petri tutelam recipit.

Pœnas Ecclesiasticas minatur illum, & bona ducatus perturbantibus.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Janu. P. a. X. a. D. 1207.

Objurgantur Poloni, quod viliori moneta pensionem solvant S. Sedi.

V. B.R. t.1. p. 1. p. 113. C.C. INNOCENTIUS III. Universis Christifidelibus in Polonia constitutis.

Inc. *Si memoriter, &c.*

FRaudem Polonorum coarguit Innocentius, qui S. Sedi censum quotannis persolvendum moneta, *cujus vilior esset usus*, persolvebant.

Eos igitur monet, ut fraudem hanc evitent; namque ipse confirmabit sententiam, quam Gnesnensis Archiepiscopus feret in ejusdem census vel detentores, vel fraudatores.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Janu. P. a. X. a. D. 1207.

„ Causam, cur Poloni hanc pensionem S. Sedi sol-
„ verent, quæ dicebatur *nummus S. Petri*, reddit Dugloſ-
„ sus, seu Longinus lib. 3. Historiæ Polonicæ ad an. 1040.
„ quia Benedictus IX. seu melius Clemens II. ut con-
„ suleret Reip. Polonorum, Casimiro Miseconis II. Po-
„ loniæ Regis filio jam voto vitæ monasticæ apud
„ Cluniacenses obstricto, & Diaconatus ordine initia-
„ to facultatem dedit uxoris ducendæ.

„ Martinus Cromerus *De Origine & rebus gestis Po-*
„ *lonorum* lib. 4. p. 40. rem ita narrat: *Tandem a*
„ *Pontifice maximo Benedicto* IX. *vel a Clemente II.*
„ *ut alii volunt, impetrant* (Poloni) *ut Casimirus*
„ *Monachus, & Diaconus, professionis, & Sacramenti*
„ *religione solutus ad regnum majorum suorum redeat,*
„ *uxorem ducat, liberos procreet. Pro hoc Polonis,*
„ *quo beneficium Sedis Apostolicæ agnoscant, injunctum*
„ *primum, ut de singulis capitibus, exceptis nobilibus,*
„ *sive equitibus qui sacris addicti sunt, quotannis obu-*
„ *lus unus in lucernam perpetuo in æde D. Petri ar-*
„ *cuam pendatur, qui etiam nunc* S. Petri nummus
„ *dicitur . . . Deinde præscriptum, ut omnes Poloni*
„ *rotundæ in morem monachorum tonsura utantur, nec*
„ *infra auriculas ritu barbarico quicquam omnino co-*
„ *mam promittat. Festis solemnibus dum sacra pera-*
„ *guntur, ut singuli equites fasciam lineam candidam*
„ *in modum stolæ, qua in sacris utuntur Sacerdotes,*
„ *atque Diaconi, e collo suspensam ferant.*

„ Historiam de Casimiro votis exsoluto, & alias ge-
„ neris ejusdem tanquam veras propugnat Azorius P. I.
„ Institut. moral. lib. 12. c. 7. *Fabulosas esse, vel sal-*
„ *tem dubias* asserit Joannes Baptista Gonnet Tom. 5.
„ Clypei Theologici Thomist. Dissert. 9. de impedi-
„ mentis dirimentibus art. 2. §. 4. ita refellit quod
„ narrat Bernardus Justinianus in vita S. Laurentii Ju-
„ stiniani c. 1. Alexandrum III. restituendæ Justinia-
„ norum familiæ inter Venetas illustrissimæ indulsisse
„ Nicolao Justiniano, ut abdicato Monastico institu-
„ to uxorem duceret: Respondet enim cum Baronio
„ ad an. 1186. §. 29. *Auctorem hujus historiæ* (Ber-
„ nardum Justinianum modo dictum) *duo inter se pu-*
„ *gnantia scripsisse: ait enim, Alexandrum III. cum*
„ *Nicolao Justiniano dispensasse, & B. Laurentium Ju-*
„ *stinianum etantisse tempo[illegible] Eugenii IV. & ab eo Epi-*
„ *scopali insula fuisse ins[illegible]am. Quæ duo inter se pu-*
„ *gnant,*

„ *gnant, quandoquidem Alexander III. Eugenium pluſ-*
„ *quam ducentis annis præceſſit. Prior enim obiit*
„ *an.* 1181. *poſterior creatus eſt an.* 1431.

„ In hac reſponſione falſitur Gonettus, quia ponit „ Bernardum Juſtinianum facere S. Laurentium filium „ Nicolai, cum illum faciat filium Bernardi, quem „ Nicolaus ſuſceperat ex Anna filia Vitalis Michaelis „ Ducis Veneti.

Polonos contra quoſcumque Legatus defendere jubetur.

VI. Ad ann. 1253. §. 24. INNOCENTIUS IV. Abbati Mezanenſi A. S. L.

Inc. *Licet Apoſtolatus, &c.*

EX quo Poloni ad agnitionem veræ fidei venerunt, nunquam ab ea deſcivere, ſed fideles ſemper Ap. Sedi fuerunt, cui ſolummodo ſunt ſubjecti.

In hujus autem tutelam quotannis perſolverunt, perſolvuntque cenſum, qui denarius S. Petri dicitur.

Cum ſpecialem ergo ob hujuſmodi obſequium defenſionem mereantur, Pontifex legato prædicto mandat,

Ne permittat, eos a quibuſcunque moleſtari,

Et ut infeudationes, diſtributiones, aut occupationes de terra Poloniæ ſi quas invenerit etiam in manu Imperatoris auctoritate Apoſt. eas revocet, denuntietque eſſe irritas.

D. Aſſiſii XV. Cal. Jul. P. a. X. a. D. 1253.

Lachintiæ, & Cujaviæ duci permittitur Polexianos recipere.

VII. Ib. §. 25. INNOCENTIUS IV. Lachintiæ, & Cujaviæ Duci.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

POlexiani parati erant Catholicam fidem amplecti, modo reciperentur in protectionem Ducis Lachintiæ, & Cujaviæ; libertate tamen eis ſervata.

Id ſignificavit Dux Pontifici.

Pontifex licet generatim omnes populos Ethnicos ſubjeciſſet Fratribus S. Mariæ Theutonicorum, quos armis deviciſſent, quia hi non ſubjugabantur armis, ſed ſponte amplectabantur fidem evangelicam,

Permittit prædicto Duci, ut eos recipere poſſit, iis tamen libertatem ſervet.

Nulli ergo, &c. Si quis autem &c.

D. Aſſiſii IV. Cal. Junii P. a. X. a. D. 1253.

Luvcovienſis provinciæ populis conſulitur.

VIII. Ad ann. 1254. §. 26. INNOCENTIUS IV. Abbati Mezanenſi A. L. S.

Inc. *Ad audientiam, &c.*

INter Ruſſiam, & Ducatum Cracovienſem ingens Provincia Luvcovienſis interjacet, quæ ſubjecta fuerat Epiſcopo Cracovienſi.

Sed cum acceſſus ad eam eſſet admodum difficilis & propter diſtantiam, & propter nemoroſa itinera prorſus invia, graves errores in eum populum irrepſerant, inter hos præcipue, quod parentes filiis ſuis differebant baptiſma uſque ad annos eorum quatuor, quinque, & ultra.

Admonitus Cracovienſis Epiſcopus, ut his abuſibus mederetur, reſpondebat, ſe non poſſe illuc ire.

Quare mandat Innocentius legato ſuo, ut cum Cracovienſi præſule conveniat, ut ibidem erigatur Epiſcopatus; vaſta provincia eſt, abuſus tollendi multi, nimis ea diſtat Cracovia: etiam cum Archiepiſcopo Gneſnenſi colloquatur, remque compenſet;

Præficiatque in Epiſcopum fratrem ex ordine Minorum, qui ibi reſideat, & populum per prædicationem erudiat.

D. Anagniæ III. Id. Julii P. a. XII. a. D. 1254.

Spes retinendæ regiæ dignitatis in Polonia.

IX. Ad ann. 1319. §. 1. JOANNES XXII. Archiepiſcopo Gneſnenſi ejuſque ſuffraganeis.

Inc. *Dudum venerabilis, &c.*

EMerſerat Polonia e malis illis, in quibus tandiu jacuerat, in illa conjecta a Tartaris, Lithuanis, Ruthenis.

Putarunt ergo Poloniæ magnates adeſſe tempus recuperandæ priſtinæ dignitatis, miſerantque ad Pontificem oratores, ut quoniam Polonia *nullo medio mediante erat ſubjecta Romanæ Eccleſiæ*, ideoque cenſum, *qui denarius B. Petri vocabatur*, perſolvebat, permitteret regem eligi.

Volebant promoveri Uladiſlaum Lokrekum Cracoviæ, Sandomitiæ, Syradiæ, Lancitiæ, Cujaviæ, regnique Poloniæ, ac terræ Pomeraniæ Ducem, & heredem, & poſſeſſorem, deque hoc ſupplicarunt Pontifici, ſimulque ut electum mandaret regio diademate coronari.

Vidit ſtatim Joannes acceſſionem magnam majeſtatis, dignitatiſque ex hac electione Poloniæ fieri, & incrementa magna habituram Catholicam Religionem.

Sed quia Joannes Bohemiæ Rex ajebat ſibi jura in Poloniam competere ideo prædictis præſulibus ſcribit ſatius eſſe aliquantiſper expectare, donec Rex Bohemiæ hæc jura ſua proferat, tunc pacifice Uladiſlaum potiturum regno, quod poſſet Joannes Rex perturbare armis, ſi cauſa indicta, Venceslaus creatur.

Epiſcopos tamen jubet, ſpem bonam habere.

D. Avin. XIII. Cal. Sept. P. a III. a. D. 1319.

Ad Regem ut ad fidem Catholicam perducat Ruſſiæ Ducem.

JOANNES XXII. Uladiſlao Regi Poloniæ. X. Ad ann. 1327. §. 49.

Inc. *Famæ gloria, &c.*

GRatulatur Joannes cum Rege Uladiſlao, quod ejus nominis fama celebretur ejuſque pietas, & religio extollantur.

Ad quam augendam converſionem ejus pronepotis Ducis Ruſſiæ Boleſlai illi proponit, qui Græcos ritus ſequens aberat ab unitate R. Eccleſiæ; quem tamen acceperat Joannes non longe abeſſe ab amplectenda Catholica fide.

Eum ergo hortatur, ut pro ſua auctoritate illum ad hanc unitatem perducat.

D. Aven. XVI. Cal. Jul. P. a. XI. a. D. 1327.

De fœdere inito cum Regibus Bohemiæ, & Hungariæ, de cauſa, de translationibus Epiſcoporum.

BENEDICTUS XII. Caſimiro Poloniæ Regi. XI. Ad ann. 1336. §. 61.

Inc. *Primo non videtur, &c.*

I. FOedus inierat Caſimirus cum regibus Boheimiæ, & Hungariæ,

II. Scripſerat Pontifici requirenti ab illo annuum cenſum, eſſe illum ſolvendum non a ſingulis, excludi illos, qui in locis clauſis habitant,

III. Et de transferendis Epiſcopis VVratislavienſi, & Cracovienſi in alias Eccleſias, quia minus arridebant.

Singulis his Capitibus reſpondet Benedictus;

I. *Fœdus ſibi non placere, cum in multis articulis exorbitare a rationis, & æquitatis tramite, caritatique, ac regis honoribus, & utilitatibus plurimum obviare videatur;*

II. Se inſpexiſſe præteritorum Pontificum regeſta, & reperiſſe omnes incolas regni, etiam viventes in locis clauſis cenſum, ſeu denarium S. Petri ſingulos ſuper capita perſolviſſe; ſe non poſſe huic Eccleſiæ juri derogare;

III. Non ſolere Eccleſiam *Epiſcopos ſine magnis cauſis ad alias Eccleſias transferre.*

Commendat Regem, quod famam ingentem egregiis ſuis facinoribus ſibi comparavit, quam numeris omnibus abſolvet, ſi Eccleſias protegat, ſi ejus jura violari non ſinat.

D. Aven. II. Id. Dec. P. a. II. a. D. 1336.

Laudatur Rex quod Eccleſiam protegat.

BENEDICTUS XII. Caſimiro Regi. XII. Ad ann. 13 9. §. 80.

Inc. *Exultamus, &c.*

ACceperat Pontifex a litteris Nuntii Ap. in Poloniæ partibus, Regem Caſimirum divino amore ſuccenſum ſemper paratum eſſe agere quod Eccleſiæ Romanæ placet, Eccleſiaſticos colere, jura Eccleſiarum conſervare, vitia e regno evellere.

Eum

Eum igitur ſummopere Benedictus commendat, jubetque eum mercedem a Deo expectare, qui bona opera ſine præmio eſſe non vult.

D. Aven. XVI. Cal. Sept. P. a. V. a. D. 1339.

„ Hoc anno in conventibus ſolemnibus Poloniæ cum „ prole careret, delegit ſucceſſorem ſuum Caſimirus Lu„ dovicum filium Caroli Regis Hungariæ.

Se purgat Pontifex quod non poſſit confirmare ſententiam Commiſſariorum, gratulaturque de victoriis.

XIII. Ad ann. 1340. §. 39. BENEDICTUS XII. Caſimiro Regi.

Inc. *Cum quandam, &c.*

„ COmmiſſarii duo controverſiam dijudicarant, quæ „ diu ſæverat inter Regem Poloniæ ex una par„ te, & Fratres Theutonicos ex alia; adjudicarantque „ Regi, & Polonis Pomeraniam, Cujaviam, Dobri„ nenſem, Culmenſem, & Michalovienſem ditiones, & „ Cruciferos damnarant ad centum nonaginta quatuor „ millia, & quingentas Marchas Polonicas pro damnis „ datis, itemque ad mille ſexcentas Marchas impen„ ſarum nomine.

Rogavit Pontificem Caſimirus, ut hanc ſententiam Commiſſariorum confirmaret.

Reſpondet Pontifex, ſe dediſſe Fratribus Cardinalibus eam ſententiam examinandam, quam *notabiles habere defectus repererunt.*

Quare ne ægre ferat Rex, *ſi non poteſt decenter, nec de jure confirmationem concedere poſtulatam.*

„ Subegerat anno ſuperiore Caſimirus Ruſſiam, quæ „ parva dicitur, redactamque in provinciam regno Po„ lonico adjunxerat.

De hac victoria gratulatur Caſimiro Benedictus, quam illi Deum conceſſiſſe, ait, quia Deum colit, & Romanam Eccleſiam debito proſequitur cultu, & fidei Catholicæ propagationi ſtudet.

Eum hortatur, ut Eccleſiam tutari, fidemque propagare ſtudeat, ſperetque & nominis, & regni augmenta magna.

D. Aven. XV. Cal. Aug. P. a. VII. a. D. 1341.

De pace cum Rege Hungariæ.

XIV. Ad ann. 1340. §. 18. CLEMENS VI. Caſimiro Poloniæ Rege.

Inc. *Serenitatem tuam, &c.*

„ REx Bohemiæ Joannes, ejuſque filius Carolus Mo„ raviæ Marchio Avenionem ad Pontificem ſe „ contulerant, ut agerent de electione in Romanorum „ Regem (fuit electus Carolus nomine IV.) cum „ Pontifice.

„ Videns Pontifex non parum nocere poſſe impe„ rio, & Carolo eligendo bellum quod inter illum, „ interque Caſimirum Poloniæ regem ardebat, curavit „ ad pacem Bohemum, & Moravum inducere, qui „ reſponderunt ſe pacem facturos in eas conditiones, „ quas Pontifex poſuiſſet.

Pontifex hoc ſignificat Caſimiro,

Eumque rogat, ne deſit huic bono tam ſalutari pacis; poſſe illum in alios populos alienos a Catholica fide arma vertere, quin illa Chriſtiano ſanguine fœdet; ſaltem inducias faciat.

Eum ſimul rogat, ut Oratores mittat;

Sibique perſuadeat, ſe non acturum niſi quod juſtitia ſuaſerit.

D. Aven. XI. Cal. Junii P. a. V. a. D. 1346.

Hortatio, ut urgeat Lithuanos Duces ad fidem amplectendam Rex.

XV. Ad ann. 1349. §. 15. CLEMENS VI. Caſimiro &c.

Inc. *Magnificat anima, &c.*

POntifici ſcripſerat Caſimirus, ſe adeo inſtitiſſe Ducibus Lithuaniæ, ut tandem ad Catholicam fidem converti velint.

Hoc ſe nuntio præ lætitia ſeſe continere non potuiſſe, reſpondet Clemens Caſimiro, quin ſummas gratias Deo ageret, & etiam eidem regi.

Eum rogat, ut urgeat opus, perſuadeatque ſibi nihil glorioſius ſe poſſe facere.

Tum ei ſignificat, ſe mandaſſe Archiepiſcopo Gneſnenſi, ut ad eos viros bonos, doctos, prudenteſque mittat.

D. apud Villamnovam Aven. Dioec. XVI. Cal. Oct. P. a. VIII. a. D. 1349.

Deputantur duo prælati, qui pro Pontifice ſint Patrini filii Regis Poloniæ.

GREGORIUS XII. Alberto Poznanienſi, & Petro Cracovienſi Epiſcopus. XVI. Ad ann. 1408. §. 42.

Inc. *De veſtræ, &c.*

ROgatus fuerat a Venceslao Poloniæ rege, & a Regina Joanna Gregorius, ut naſcituram prolem vellet e ſacro fonte ſuſcipere.

Ergo mandat hoc officium Pontifex prædictis Epiſcopis, ut vel uterque, vel alteruter prolem natam, vel naſcituram ſuſcipiat, cum facultate *abrenuntiandi, promittendi, confitendi &c.*

D. Senis VIII. Cal. Aug. P. a. II. a. D. 1408.

Privilegia Regum regnique Poloniæ confirmantur.

MARTINUS V. ad p. r. m. XVII. Ad ann. 1417. §. 18.

Inc. *Juſtis, & honeſtis, &c.*

NE vetuſtate oblivioni mandarentur privilegia conceſſa ab Eccleſia Regibus Poloniæ, fictaque progreſſu temporis dicerentur, Rex Uladiſlaus ſupplicavit Martino, ut illa confirmaret.

Martinus autem ne videretur ſine cauſa ea confirmare, merita Regis recenſet:

Plura bella cum barbaris ſuſcepit, ut eos ad converſionem induceret, & in terris ex iis occupatis Catholicam fidem prædicari juſſit;

Nervis omnibus contendit, ut populos Græcorum ſchiſmate infectos perduceret ad unitatem fidei Catholicæ; multoſque jam induxit, & huic operi ſtrenuam adhuc navat operam.

Ergo omnia privilegia regibus, regnoque a prædeceſſoribus Pontificibus conceſſa, habita hic pro expreſſis confirmat Martinus.

Nulli ergo, &c: Si quis autem, &c.

D. Conſtantiæ IV. Non. Maji P. a. I. a. D. 1418.

Uladislaus fit S. Sedis Vicarius.

MARTINUS V. Uladislao Regi Poloniæ in Magna Novogardia, & Phicovv Civitatibus, & earum dominiis Ruſſiæ pro nobis, & R. Eccleſia in temporalibus generali Vicario &c. XVIII. Ib. §. 19.

Inc. *Etſi de cunctis, &c.*

ET ut muneri a Deo ſibi impoſito Martinus faciat ſatis, nempe Catholicam fidem propagandi, & ut grati animi argumentum det Uladislao, & ut eum magis accendat ad ea pro religione præſtanda, quæ jam e ſua devotione hactenus præſtitit, Vicarium eum deputat in temporalibus ſuum, & S. R. Eccleſiæ in prædictis locis.

Repetit, quæ Venceslaus egerit pro fidei dilatione, quæ ſuperius dicta ſunt.

Hac auctoritate Apoſtolica inſtructus facultatem habebit agendi, dacernendi, immutandi quæcumque conferre ad ejuſdem Catholicæ fidei dilationem poſſe crediderit.

Mandat Epiſcopis earum partium, ut Uladislao faveant, ut in iis, quæ ad hoc munus ſpectant illi pareant.

Vult, Regem in manu Gneſnenſis Archiepiſcopi juramentum fidelitatis dare, ſicut mos eſt.

D. Conſtantiæ III. Id. Maji P. a. I. a. D. 1418.

Commendatur Rex, excitaturque in Bohemos.

MARTINUS V. Uladislao &c. XIX. Ad ann. 1434. §. 11.

Inc. *Narravit nobis, &c.*

UT audivit Poloniæ Rex Nepotem ſuum Sigiſmundum Koributum foedus iniiſſe cum Turcis, gra-

viter id tulit; misitque oratorem ad Pontificem, qui testaretur, se nihil de hoc nepotis sui consilio sciviſſe, se habiturum illum, ut hostem, bellumque illi moturum.

Laudat Pontifex Regis religionem;

Eumque hortatur, ut in Bohemos arma moveat.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Id. Apr. P. a. VII. a. D. 1424.

„ Desponderat Venceslaus Friderico Marchioni Missniæ filiam suam, ad eum Martinus scribit: *hos quoque cum nostra prosapia de Columna, ex qua carnaliter nati sumus, obstrinxisti vinculo affinitatis; nam sicut ab antiquo accepimus, qui priscam originem nostram per manus traditam ab antiquioribus retulerunt, nostram de Columna Romana, & præsentium Burchgraviorum Norimbergensium domus, quæ etiam Romana fuisse dicitur, ab eadem stipite derivatæ sunt.*

Rursus aliis litteris excitatur in Neporem Koributum, & in Bohemos a Martino Rex an. 1415. §. 12.

Tum aliis an. 1426. v. ibi §. 15.

Monetur Rex, ne jura ecclesiastica lædat.

XX. MARTINUS V. Uladislao, &c. Ad ann. 1427. §. 17.

Inc. *Serenitatem tuam, &c.*

Solebat Pontifex exemplar veræ pietatis solidæque in Romanam Ecclesiam devotionis Uladislaum Poloniæ Regem quibuscumque proponere. Nam audiebat eum Ecclesias construere, & dotare, fundare monasteria, fidem Catholicam propagare, ac defendere. Numquamque animum induxisset credere, tam solidam pietatem posse umquam labefactari.

Quare rex ipse conjicere potest, qualis Pontificis admiratio fuerit, cum illi significatum fuit, *electiones Ecclesiarum, & monasteriorum, quorum tamen omnimoda dispositio ad Pontificem spectat, non esse liberas, sed fieri ad præscriptum regis; beneficiorum per Pontificem collatorum provisiones contemni, tum in beneficiis generaliter reservatis, atque in ea re non pareri mandatis Pontificis, multaque alia fieri præter honorem regium, & Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ dignitatem.*

Vix hæc credibilia in tanto rege sunt; sed si vera sunt, dicendum est, malevolorum consilio id fieri.

Quamobrem regem orat, ut veterem pietatem excitet, ne nomen illud, quod sibi tot pulchris Christianis factis comparavit, imminutum velit; perseveret in antiquo instituto, devotusque provisiones ab A. Sede factas admittat.

D. Romæ apud SS. Apostolos Cal. Apr. P. a. IX. a. D. 1427.

Improbatur Lex lata a Rege de beneficiis regni non dandis exteris.

XXI. MARTINUS V. Uladislao. Ad ann. 1429. §. 13.

Inc. *Certissimi fuimus, &c.*

Jusserat Rex, *prælatis, & Canonicis Ecclesiæ Gnesnensis sub gravi pœna, ne aliquem extraneum recipiant ad possessionem alicujus beneficii, cum inter prælatos regni ita statutum sit & conclusum.*

Miratur Pontifex, potuisse statuere prælatos legem hanc, nisi forte rex nomine prælatorum intelligat nonnullos regiam curiam sequentes, in quos nomen prælatorum vere cadere nequit;

Tum miratur, regem ita sapientem posse hoc permittere, licet alii hoc illi dicant, suggerantque, ut Ecclesia suis fraudetur juribus, quam ut matrem venerari debeat. Hoc est enim ligare manus Pontifici, ut nequeat dare cui vult beneficia.

Hac sanctione factum est, ut spoliatus fuerit Cardinalis Brandem beneficiis, quæ in Polonia possidebat, de rege optime meritus,

Cui regem orat Martinus ut illa restituat.

D. Romæ apud SS. Apostolos VII. Cal. Sept. P. a. VII. a. D. 1429.

De Basileensi Concilio.

EUGENIUS IV. Uladislao &c. XXII. Ad ann. 1433. §. 22.

Inc. *Post recessum, &c.*

Dolet Eugenius, se post discessum ab urbe Oratoris Uladislai nullas litteras accepisse.

Quotidie, ait, se intelligere quanta cum prudentia, & *maturitate consilii procedat circa facium Concilii*, de quo eum laudat.

Tum de patribus, qui erant in Concilio hæc scribit: *existunt homines magis cupidi seditionum, & novitatum, quam pacis Christifidelium, & unionis Ecclesiæ, qui quid quærant, quid moliantur contra nos non obscure significant: non enim ad reformationem Ecclesiæ vacant, sed ad depressionem Romanæ Ecclesiæ, atque nostram: sed obtundet Deus eorum conatus per tuam, & aliorum fidelium, & devotorum principum sapientiam.*

Verumtamen nos semper ad pacem, & quietem Ecclesiæ, & Christifidelium intenti misimus Basileam nostros oratores cum pleno mandato de comprobando illud Concilium super tribus rebus, propter quas solas Concilium fuerat a principio congregatum, 1. exstirpationem hæresum, 2. reformationem Ecclesiæ, 3. ac procurandum Christifidelium pacem.

Quod si illi acceptabunt, lætabimur in Domino propter bonum Reip. Christianæ; si vero minus, notum erit omnibus fidelibus, illos sequi consilia perniciosa Ecclesiæ, & ab unione remota.

D. Romæ apud S. Petrum III. Id. Oct. P. a. III. a. D. 1433.

De morte Regis Uladislai: monita ad ejus filium.

EUGENIUS IV. Uladislao &c. XXIII. Ad ann. 1434. §. 27.

Inc. *Vidimus libenter, &c.*

Mortuo Uladislao, acceptoque regno a filio ejusdem nominis statim hic ad Pontificem oratores misit, qui testarentur Regis obsequium in Pontificem, & obedientiam Ecclesiæ.

Commendat summopere Pontifex hoc Regis consilium, qui primitias regni sui Deo obtulerit in hac legatione ad A. Sedem missa.

Eum hortatur, ut Patrem imitetur Regem summum in quibuscumque virtutibus, *ejus pietatem*, religionem, justitiamque exemplar imitandum sibi proponat;

Speretque fore ut, sicut Deus Patris regnum amplificavit, ita sibi quoque sit benedicturus.

D. Florentiæ XIV. Cal. Apr. P. a. IV. a. D. 1434.

De Conciliabulo Basileensi, & de regno Hungarico.

EUGENIUS IV. Uladislao &c. XXIV. Ad ann. 1471. §. 14.

Inc. *Curam pervigilem, &c.*

Ecclesiam tutari, ejusque unitatem se velle scripserat Uladislaus Eugenio;

Eugenius illi gratias agit, eum rogat ut id faciat, damnetque Synagogam Basileensem, in qua nihil aliud actum est, nisi de sciffura in Ecclesiam inducenda: quod quidem conciliabulum omnes principes damnarunt.

Scripserat Uladislaus, Eugenium favere Ladislao Regi Hungariæ contra jura regum Poloniæ in illud regnum.

Respondet Eugenius, se amare plurimum Uladislaum, & merito eum amare, est enim filius regis, cujus ingentia sunt in Ecclesiam merita; se magna cum voluptate accepisse ejus successionem ad regnum, se illi pollicitum esse omnia, quæ rex postulasset, facturum; se illum dehortatum esse a bello inferendo in Hungariæ regnum, ne dilaniaretur a barbaris, qui in illud irrumperent, si illud rex aggrederetur.

Provisionem de beneficiis remiserat Rex Pontifici;

Respondet Eugenius, se *ante avisationem regis, & ad illius desideria, ac unitatem, & pacem regni* se prospecturum, cum erit nominaturus Prælatos: illi testatur, se in promotionibus proponere sibi ante oculos providendorum *munditiam vitæ, litterarum famam, zelum Domus Dei.*

Rex

Rex demum Pontifici scripserat, res regni bene procedere, se ducturum in uxorem Elisabetham.

Eugenius rescribit, se maximopere gratulari de felicitate illius regni, se, *quoad* matrimonii *ejus consummationem paratum esse possibili studio interponere partes suas.*

D. Florentiæ VIII. Cal. Junii P. a. XI. a. D. 1441.

Hortatio ad Regem, ut fœdus cum principibus Christianis faciat, & ne pacem pacisçatur cum Turcis.

XXV. CALLIXTUS III. Poloniæ regi Casimiro. Ad ann. 1458. §. 13.

Inc. *Delectarunt nos, &c.*

Scripserat Poloniæ Rex Callixto litteras, in quibus se paratissimum profitebatur ea facere, quæ Pontifex mandasset.

Duo, rescribit Pontifex, se ab illo deliderare.

Primum, ut cum principibus Christianis, & præcipue finitimis Imperatore, & Rege Hungariæ fœdus ineat,

Secundum ut nullas conditiones pacis, aut inducias cum Turca admittat; namque inducias cum Turca facere nihil aliud esset quam formidinem ostendere; & inde argumentum desumeret Turca gravius in Christianos insurgendi, quos inter se divisos esse sciret.

Sub anathematis autem, & maledictionis perpetuæ pœna Callixtus id Casimiro vetat.

D. Romæ apud S. Petrum die XIII. Maji P. a. III. a. D. 1458.

Arguitur Rex quod cum hæreticis Bohemis agat.

XXVI. PAULUS II. Casimiro Poloniæ regi. Ad ann. 1470. §. 8.

Inc. *His proximis, &c.*

„ Casimirus oblatum a Bohemis regnum refutarat; „ promiseratque Pontifici, se nullum auxilium „ Regi Bohemiæ hæretico pugnanti contra Matthiam „ Hungariæ rege daturum. Cum autem vidisset, Matthiam referre præclaras contra Bohemum victorias, „ & Moravos, Slesitalque bonam partem Bohemi jugum excudisse, & agnovisse Matthiam, libido Casimirum incestit regnum Bohemiæ ad se trahendi, „ illudque filio suo VVenceslao dandi, quare coeperat „ excursiones in Pannoniam facere, cum Matthiæ studiosis colloquebatur, studebatque ab illo eos avertere, & cum Bohemo congressus habebat. „

Certior de his artibus subdolis Casimiri certior factus Pontifex, scribit; ac

I. Illi ostendit, turpiter eum violare fidem illam, quam dederat, se nunquam cum Bohemo acturum, nunquam provocaturum bello Matthiam;

II. Potuisse illum habere cum beneplacito S. Sedis Bohemiæ regnum, illudque rejecisse, nunc illud affectando se prodere inconstantem, se prodere invidum Matthiæ, ad quem bona pars ejus regni propendit;

III. Se prodere etiam malum christianum, qui cum hæreticis egit;

IV. Eum prodere Christianam Remp. sic enim infirmat Matthiam, qui Turcis resistere non poterit, animosque Turcis addit, ut Hungariæ regnum aggrediantur.

Quare sciat Rex Matthiam nunquam esse ab Ecclesia deserendum, nunquam eam assensuram *translationi* Regni Bohemiæ in Casimirum, aut in ejus filium VVladislaum.

Potius arma cum Matthia societ, simulque uniti Bohemos pertinaces ad veram fidem inducant, Catholicæque Ecclesiæ assistant.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Cal. Jan. P. a. VII. a. D. 1470.

Rogatur Rex Oratoribus Moschis accessuris ad S. Sedem fidem publicam præbere.

XXVII. PAULUS II. Casimiro Poloniæ Regi. Ib. §. 9.

Inc. *Dum dilectus, &c.*

Joannes Moschoviæ Magnus Dux insignis memoriæ Basilii Magni natus volebat oratores ad Pontificem mittere.

„ Sicut enim Basilius, qui voluerat semet opponere „ Turcis, ut principes Christianos sibi conciliaret, vi„ derat optimum esse factu, si cum Ecclesia Romana „ se conjungeret, mortuique interea temporis faciat, „ sic Joannes Patris consiliis adhærens missuras erat „ hac de re oratores suos Romam; simulque rogabat, ut „ liceret sibi ducere in uxorem Sophiam filiam Thomæ Palæologi despotæ Peloponnesi heredem imperii „ Constantinopolitani. Namque Manuel filius Thomæ „ frater Sophiæ ad Turcas transfugerat. Quam Pontifex illi eam concesserit. Eam autem petit a Pontifice, quia Thomas ad Pontificem confugerat, & ab eo pensionem annuam habebat, Romæque vivebat. „ Pollicebatur etiam Thomas se conjuncturum cum „ principibus Catholicis contra Turcas. „

Rogat itaque Paulus Casimirum ut pro reverentia quam habet in Romanam Sedem jubeat per regnum suum eos benigne tractari, ut Romam venire tuto possint, & in patriam redire.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Id. Oct. P. a. VII. a. D. 1470.

Rogatur Rex desistere a bello Hungaro illato.

SIXTUS IV. Casimiro, &c. XXVIII. Ad ann. 1472. §. 15.

Inc. *Sapientiæ tuæ, &c.*

Etiam Sixtus rogat Casimirum, ut a bello contra Matthiam desistat;

I. Quia hoc bellum puritatem Casimiri fidei fœdat,

II. Quia defendendo Bohemos hæresim fovet,

III. Quia quicumque Casimiri gloriæ studiosi sunt, hoc bellum execrantur,

IV. Quia nihil laudis ex eo sibi comparat, etiamsi vincat,

V. Quia pugnando contra Matthiam contra defensorem fidei pugnat.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Mart. P. a. I. a. D. 1472.

De retinenda uxore Ruthena.

JULIUS II. Alexandro Poloniæ Regi. XXIX. Ad ann. 1505. §. 29.

Inc. *Tuæ serenitatis, &c.*

„ Gravibus agitabatur scrupulis Alexander. Joannes Moschoviæ Dux Lithuaniam aggressus fue„ rat, eamque devastabat, neque illi repellendo par „ erat Alexander. Joannes se a bello cessaturum pro„ miserat, si Alexander filiam Helenam Moscham du„ xisset in matrimonium, hac tamen conditione, ne „ eam cogeret ritus Ruthenos deserere, & amplecti „ Romanos. Omnia pollicitus Alexander Helenam „ duxit.

„ Hanc Sixtus conditionem cum sciviſſet, eam re„ scidit, voluitque Alexandrum anniti, ut ad fidem „ Catholicam Helenam reduceret, aut eam dimitteret. „ Cum omnia fecisset Alexander, ut uxorem conver„ teret, nec potuisset, confugit ad Julium, illique an„ gustias, ad quas redactus erat, significavit. Si reti„ nebat Helenam inobediens erat, si eam dimittebat, „ gravissimum bellum perhorrescebat a Moscho. Con„ suluit ergo Julium, quid sibi esset agendum. „

Qui Alexandro respondet, retineat Helenam; nimia enim mala ex ejus dimissione in Christianam Remp. proficiscerentur.

Deus qui spirat ubi vult, & quando vult, inflectet cor Helenæ. Fortasse alia opportunior occasio enasci poterit, cur possit Helena, quin pater ejus offendatur, dimitti.

N. O. Constitutione Sixti.

D. Romæ apud S. Petrum die XVIII. Maji P. a. II. a. D. 1505.

De Dalmatis Croatisque defendendis.

XXX. Ad ann. 1514. §. 69.

LEO X. Sigismundo Poloniæ regi.

Inc. *Non sine, &c.*

Episcopus Vesprimiensis Dalmatiæ, & Croatiæ Banus, seu Vice-rex significarat Pontifici, Dalmatas,

tas, Croatosque, querentes se fuisse ab Hungaris desertos, denuntiasse sese dedituros Turcis, nisi sibi cito subveniatur; ita enim se sponte dedentes conventiones utiliores se pacisci posse, quam si ab iis armata manu vincerentur.

Quare Pontifex id scribit Poloniæ Regi, eumque orat, obsecrarque, ut iis populis opem ferat, e quorum amissione plura ingentia mala profectura sunt in Christianam Remp. vires enim Turcarum augentur, imminuunturque Christianorum regna, opesque, & Dalmatæ, Croatique propugnatores Christiani nominis sub Turcarum jugo ejusdem impugnatores sient; In aperum periculum incidendi in Turcarum potestatem Hungaria ipsa immittitur; non enim tot vires habet, quibus Turcis ita amplificatis resistere possit.

Si ergo, & Catholica fides, & regnum nepotis, & suum etiam Turcis finitimum illi cordi sunt, ne differat auxilium Dalmatis, Croatisque ferre.

D. Romæ apud S. Petrum Id. Maji P. a. IV. a. D. 1516.

„ Etiam anno 1520. Leo excitavit Sigismundum ad „ ferendam opem iisdem populis. Cum de eodem ar- „ gumento agant hæ litteræ, eas ipnuisse sufficiat. „

Gratulatur Pontifex Sigismundo de victoria.

XXXI. Ad ann. 1531. §. 75. CLEMENS VII. Regi Poloniæ Sigismundo.

Inc. *Binas tuæ, &c.*

Miserat Clemens ad Regem *Pyxidem Agnus Dei sacrati*, & Jubilæum concesserat Ecclesiis Vilnensi, & Placensi.

Sigismundo de utroque favore gratias egit Clementi; Clemensque rescribit, regem multo majora amoris argumenta mereri.

Tum aliis litteris Rex significarat victoriam a se relatam de Moldavis, & Valachis.

„ Excursionem ii populi in Poloniam fecerant, præ- „ dasque abegerant. Erant vestigales Turcarum. Eos „ aggressus Rex fœda cæde afflixit. „

De hac victoria gratulatur Clemens,

Deumque rogat ut plures similes referre Rex possit.

D. Romæ apud S. Petrum Die VI. Oct. P. a. VIII. a. D. 1531.

Oratur Rex, ut pacem conciliet inter Ferdinandum, & Joannem Reges Hungariæ.

XXXII. Ad ann. 1537. §. 62. PAULUS III. Sigismundo Poloniæ Regi.

Inc. *Inter cæteras, &c.*

Joannes Scepusensis VVaivoda Hungariæ, qui Transilvaniam habebat, cui pars Hungariæ data fuerat, regisque titulum habebat, & Ferdinandus rex Romanorum inter se dissidebant.

Cum accepisset Paulus, Solimanum Turcarum Dominum copias contrahere, & arma parare, timuit ne usus his discordiis in Hungariam irrumperet, & aliquam ejus regni partem occuparet

Rogat Sigismundum, ut pacem inter eos conciliet, ostendatque illis, hujusmodi discordias nocere utrique: alterutro enim victo, alter semper infirmior erit, poteritque postea minus Turcis resistere.

Coeant ergo simul, arma conjungant, & collatis viribus Turcis sese opponant.

Glorioſum semper regi erit eos reges conciliare, remque saluberrimam Christianæ Reip. faciet.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXII. Maji P. a. III. a. D. 1537.

„ Conatus Sigismundi fuerunt irriti; aggressusque „ Solimanus Ferdinandum magna strage superavit.

„ Tum aliis litteris hortatus est Paulus eumdem re- „ gem, ut fœdus cum Ferdinando faceret. Sed Sigis- „ mundus bello Tartarico distractus illud non fecit. „

Hortatio ad Regem, ut hæresi purget regnum.

XXXIII. Ad ann. 1542. §. 48. PAULUS III. Sigismundo &c.

Inc. *Cum esset, &c.*

Acceperat Paulus a quibusdam Poloniæ magnatibus quædam decreta facta fuisse contra dignitatem, jurisdictionemque Pontificiam, rege absente,

Noluerat ea initio credere Pontifex, cum sciret quam religiosus, piusque rex sit.

Caveat itaque rex, ne iis decretis assentiatur, neque permittat in regno suo aliam religionem præter Catholicam coli. Si enim Deus hactenus eum, ejusque prædecessores tot victoriis insignivit, ideo insignivit, quia puritatem fidei servarunt.

At laboriosior est opera hoc præcipue tempore retinere in regno veram Religionem. Verum. Sed hoc ipso erit illa illustrior, majoremque mercedem a Deo promerebitur.

Adhibeat igitur omnem diligentiam rex, ut hujusmodi lues e suo regno expellatur; si cupit illud quiete regere, hæresim expellat. Haud facile concordes esse in pace possunt, qui diversa credant.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXIV. Junii P. a. VIII. a. D. 1542.

De morte Sigismundi Poloniæ Regis.

XXXIV. Ad ann. 1548. §. 18. PAULUS III. Sigismundo Augusto Poloniæ regi.

Inc. *Obitus claræ, &c.*

Et virtutes mortui regis genitoris Sigismundi Augusti, & tempora, quibus mortuus est, dolorem ingentem attulerunt Pontifici, & Catholicis omnibus:

Virtutes omnes in illo resplenduerunt cum politicæ, tum bellicæ; paucosque jactare potest Polonia Sigismundo similes. Turcas, Barbaros, Tartarosque repressit, concordiam inter Polonos fovit, Catholicam fidem protexit, neque permisit umquam hæresim in suo regno consistere. Idem pius, & in S. Sedem devotus, & Pontificis studiosus.

Circumsepta undique Polonia est hæreticis, qui nullum non lapidem movent, ut in illam irrepere possint, eamque inficere.

Sigismundus semper in officio Magnates continuit, neque umquam permisit novos ritus, novam credendi rationem in suas ditiones induci.

Virtutes hujusmodi æternum Sigismundi desiderium mortalibus omnibus reliquerunt.

Sed factum bene, quod ejus filius non minus regni, quam virtutum heres illi succedit.

Pontifex ergo amorem illum, quo prosequebatur patrem, in filium transfundit, meritaque patris agnoscet, compensabitque in filio.

Non indiget Sigismundus multis adhortamentis, satis documentorum pater dum vixit illi dedit exemplo suo: ne recedat a patris vestigiis, felixque regnabit.

Nuntius, quem ad eum mittit Paulus, susius hæc sensa illi explicabit.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXI. Junii P. a. XIV. a. D. 1548.

„ Infecta fuit sub hoc rege postea Polonia Aria- „ nis, Nestorianis, Calvinistis, Tritheitis, Anabapti- „ stis, &c. „

Evangelium, & Patenam deosculari permittitur Reginæ Poloniæ.

XXXV. Ad ann. 1549. §. 46. PAULUS III. Sigismundo Aug.

Inc. *Dilectus filius, &c.*

Mos erat in Polonia, ut quoties Rex, & Regina Episcopali Missæ assistunt, iis Evangelium, & Patena porrigantur deosculanda.

Sed cum Regina nondum esset coronata, scrupulus angebat Episcopos.

Rex ergo Nepoti Pontificis Cardinali Farnesio Regni Poloniæ Protectori scripsit, ut Pontificem oraret, ut super hoc providere dignaretur.

Pontifex attenta devotione præfatorum Regis, & Reginæ, mandat Episcopis, ut Reginæ, etiamsi non sit coronata, Patenam, & Evangelium deosculanda porrigant *sine conscientiæ scrupulo*. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XI. Mar. P. a. XV. a. D. 1549.

De

De hæresi comprimenda, & de celebratione Concilii.

XXXVI. Ad ann. 1550. §. 49. JULIUS III. Sigismundo Augusto, &c.

Inc. *Majestatis tuæ, &c.*

„ Nimia Sigismundi facilitas animos dederat qui- „ busdam regni magnatibus, ut in solemnibus or- „ dinum regni Comitiis de libertate conscientiæ quoad „ religionem decerni postularent.

„ Rex scripsit Pontifici nullam aliam potiorem ra- „ tionem esse eos motus sedandi, quam celebratio- „ nem Concilii, simulque oratorem miserat, qui Pon- „ tifici obedientiam, obsequiumque regis regnique in „ Romanam Ecclesiam testaretur.

Laudat Pontifex Sigismundum, quod tam prompte testatam voluerit obedientiam suam Romanæ Ecclesiæ capiti; nihilque minus expectandum fuisse ait a nato Sigismundi, qui tanto animi ardore hæresim e suo regno arcuerat, summoque labore, & cura magnates continuerat in officio, & unam Catholicam Religionem in suo regno coli voluerat.

Ad quem imitandum Julius hortatur Regem.

Tum se jam in animo habere Concilium prosequi, scribit; se quoque aperte cernere concilium esse modum potissimum hæresim tollendi; ideo se scripsisse regibus, & principibus ut omnia pro ejus celebratione parent.

Amorem demum suum testatur Regi.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Jul. P. a. I. D. 1550.

„ Plurimas alias in hanc sententiam scripsit Julius „ Regi litteras; quas facile lector patietur a nobis „ prætermitti.

Gravissime monet Paulus regem, ut fidem tueatur.

XXXVII. Ad ann. 1556. §. 54. PAULUS IV. Sigismundo Augusto.

Inc. *Perspicere ex proximis, &c.*

Jam alias paterne admonuerat Paulus Sigismundum, ut Catholicam fidem, quam ejus progenitores illibatam in Poloniæ regno conservarant, protegeret, & propugnaret.

Sed cum audivisset Regiam ipsam esse contaminatam hæreticorum familiari licentia, eum his litteris increpat;

Non esse Catholici regis cum hostibus fidei habere amicitiam, & eos ad familiaritatem admittere; unumquemque ex hac regis cum hæreticis familiaritate animum sumere, & Catholicam religionem deserere;

Si vellet fidem Catholicam in suo regno solam esse, non daret honores, dignitatesque, & etiam Castellanias hæreticis. Quid enim aliud ab iis sperari potest, nisi ut fide deserta, hæresim amplectantur?

Scit, quid dicat Apostolus Joannes, hujusmodi homines esse fugiendos, nullumque cum iis esse habendum commercium.

Ejiciat e regno Joannem a Lasco hæresiarcham; ejiciat Vergerium Apostatam, sive sponte in Poloniam venerit, sive ab illo vocatus.

Removeat ab Ecclesiis hæreticos, quos illis præfecit. Hæreticum præfecit Ecclesiæ Uladislavienſi, Hæreticum Ecclesiæ Chelmensi; summa auctoritate apud eum pollet Palatinus VVilnensis Hæreticus.

Quare caveat ne ita deserens Dei causam a Deo tandem aliquando deseratur; se corrigat, eamque fidem, quæ una est, in qua natus altusque est, puram conservet.

D. Romæ apud S. Marcum Die XIII. Jul. P. a. II. a. D. 1556.

„ Gedanenses, Helbigenses, Thornienses, Mariæ- „ burgenses Dominica prima quadragesimæ hoc anno „ communicarunt sub utraque specie, defecerunt a fide.

Indultum primariarum precum Regi datur.

XXXVIII. B.R. t. 5. p. 2. p. 29. C.C. CLEMENS VIII. Episcopo Luceorienſi.

Inc. *Ut carissimus, &c.*

Indulget Clemens Sigismundo Poloniæ, & Svetiæ regi privilegium primariarum precum, hoc est confe- *Const. Pontificiarum.* Tom. II.

rendi tria beneficia primo vacatura in Ecclesiis Gnesnensi, Cracovienſi, Vladislavienſi, Posnanienſi, Plocensi, & VVarmiensi;

Sive hæc beneficia simul vacaverint, sive successive, etiam mensibus reservatis. N. O.

Pro beneficiis valorem viginti quatuor scutorum superantibus, vult, litteras Apostolicas de more intra sex menses expediri.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXV. Maji. P. a. III. a. D. 1494.

Quædam beneficia reservantur Regi.

GREGORIUS XV. Episcopo Luceorienſi. XXXIX. B.R. t. 5. p. 4. p. 371. C.C.

Inc. *Ut Carissimus, &c.*

Supplicavit Sigismundus Poloniæ, & Svetiæ rex, ut quædam beneficia Pontifex ipsi reservaret, quibus posset gratum facere personis de se bene meritis, & sibi bene visis.

Pontifex mandat supradicto Episcopo, ut regi reservet tria beneficia primo vacatura cujuscunque generis sint, etiam dignitates, a rege conferenda in Ecclesiis Gnesnensi &c. ut supra. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIII. Aug. P. a. I. a. D. 1621.

Facultas data Nuncio in Polonia reservandi decem, & octo Beneficia conferenda a rege.

INNOCENTIUS X. Nuncio Ap. in Polonia. XL. B.R. t. 6. p. 2. p. 20. C.C.

Inc. *Ut Carissimus, &c.*

Dat Innocentius facultatem Nuncio suo reservandi tria beneficia, etiamsi sint dignitates in Ecclesiis Gnesnensi, ut supra, conferenda a rege, &c.

Et vult a rege electos censeri tanquam electos ab ipsa S. Sede. N. O.

Provisi intra sex menses litteras Ap. impetrent.

D. Romæ apud S. Petrum Die VI. Febr. P. a. I. a. D. 1645.

Facultas data Nuncio procedendi contra Ecclesiasticos, qui in regem, ejusque filios conspiravunt.

URBANUS VIII. Nuncio Ap. in Polonia. XLI. B.R. t. 5. p. 5. p. 246. C.C.

Inc. *Ad audientiam, &c.*

Conjuratio fuerat mota contra Sigismundum Poloniæ regem, & *fortasse* in ejus filios; ab Ecclesiasticis autem fuerat promota, & conflata.

Urbanus dat facultatem Nuncio suo ibidem, ut contra hos Ecclesiasticos procedat, etiamsi sint in dignitate Archiepiscopali, & Episcopali constituti.

Contra Ecclesiasticos nullius dignitatis procedat ipse, & eos puniat, judicia contra Prælatos reservet S. Sedi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVII. Aug. P. a. II. a. D. 1624.

Indulgentiæ concessæ exercitui Polono pugnanti contra hæreticos Prussiæ.

URBANUS VIII. ad f. r. m. XLII. B.R. t. 6. a. p. 2. p. 92. C.C.

Inc. *De salute, &c.*

Exercitus Poloni militibus ducendis a Rege Sigismundo contra hæreticos Prussiæ, qui postquam convenerint, in aliqua hebdomada deputanda a Capellano majori jejunaverint feria quarta, sexta, & sabbato, confessis postea, & communicatis indulgentiam plenariam largitur Urbanus.

Eis permittit electionem Confessarii, qui ab omnibus casibus absolvere eos possit;

Quam indulgentiam lucrabuntur etiam milites ægroti confessi, & communicati.

Quoties confitebuntur postea, vel contritionis actum elicient, quinque annorum indulgentiam acquirent; indulgentiamque plenariam iis dat in mortis articulo.

Omnibus Ecclesiæ Prælatis dat facultatem benedicendi benedictione Apostolica omnes milites, & omnes Christifideles hanc expeditionem sequentes. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XII. Nov. P. a. V. a. D. 1627.

Ad reginam Poloniæ mittit Innocentius Rosam auream.

XLIII. Lib. p. 112. INNOCENTIUS X. Poloniæ Reginæ,

Inc. *Eximiis majestatis, &c.*

ROsam auream solitam quotannis benedici a Romano Pontifice (*v. supra h. t.* „ in quo ponen„ dum erat hoc Breve, si animadvertissem „) dominica quarta quadragesimæ ob ingentia Reginæ in S. Sedem merita ad eam dono mittit Innocentius;

Precaturque illi omnia bona, quæ a Deo precatus est, tum juxta ritum illam benedixit.

Permittit autem, ut eam in qua voluerit Ecclesia exponat, conceditque omnibus, qui confessi, & communicati Missæ cantandæ ab aliqua persona in Ecclesiastica dignitate constituta interfuerint annorum quindecim indulgentiam.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Sept. P. a. VI. a. D. 1656.

Confirmatio erectionis trium Capellaniarum pro anima q. Bonæ de Vicecomitibus reginæ Poloniæ in Ecclesia Barensi.

XLIV. B. R. t. 5. p. 2. p. 174. C. C. CLEMENS VIII. ad p. r. m,

Inc. *Romani Pontificis, &c.*

BOna de vice-Comitibus regina Poloniæ, & Ducissa Bari mortua est Neapolitano in regno: ejus filia Anna Jagellona regina Poloniæ curavit, ejus corpus deferri ad Ecclesiam S. Nicolai Barensis, capellam adornavit miro modo; volebatque tres Capellanos instituere, qui bis in Hebdomada pro bona sacrificarent.

Sigismundus III. Poloniæ, & Svetiæ rex præstitit, quod Anna non potuit; transegit cum civibus Barensibus super Capellaniis. Iis enim dedit tres mille ducatos monetæ Neapolitanæ, ut ipsi darent eleemosynam Capellanis, rex tamen retinuit jus eligendi Capellanos.

Rogatus Pontifex hanc transactionem confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XV. Oct. P. a. VI. a. D. 1597.

Silentium imponitur Canonicis Barensibus super nominatione Capellanorum.

XLV. B. R. t. 5. p. 2. p. 201. C. C. CLEMENS VIII. ad p. r.

Inc. *Gratias a vobis, &c.*

CApitulum, & Canonici Barenses procurarunt, in Signatura revocari præcedentes proxime litteras.

Pontifex, ne unquam in posterum hiscere amplius audeant, iis perpetuum silentium imponit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Janu. P. a. XIII. a. D. 1605.

DE ECCLESIA POLONA.

Episcopi nascentem hæresim suffocent.

I. Ex Ravn. Ad ann. 1542. §. 49. PAULUS III. Universis Poloniæ prælatis.

Inc. *Magna nos, &c.*

MUlta attentata fuisse in Polonia contra auctoritatem dignitatemque S. Sedis acceperat Paulus, dum rex aberat.

Ex his dolorem ingentem perciperet Pontifex, nisi sciret ea fuisse per quosdam sæculares decreta in absentia regis insciisque Episcopis.

Quare sperandum est, fore ut hæc decreta per Regem, & per Episcopos infringantur.

Ad hoc eos hortatur Paulus.

Discant ex Germania, quas turbas excitet, quæ mala hæresis pariat; quia Episcopi initiis sese non opposuerunt, ita excreverunt, ut iis remedium illud afferre non possint, quod attulissent facillime in principio. Laici omnem Episcopis jurisdictionem ademerunt, Ecclesias spoliarunt.

Caveant, si sapiunt, ab his malis.

Meminerint juramenti a se dati, cum consecrati fuerunt Episcopi; nempe se servaturos unitatem cum suo capite, se non passuros, Ecclesias sibi creditas detrimentum ullum capere.

Illud pro certo habeant, si ab initio his novatoribus resistant, suam dignitatem, auctoritatemque facile posthac esse conservaturos.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXIV. Junii P. a. VIII. a. D.

Culmensis Episcopus constituitur in Polonia Inquisitor in hæreticos.

JULIUS III. Culmensi Ep. IV. Ad ann. 1550. §. 41.

Inc. *Cum sicut, &c.*

SIgnificarat Rex Pontifici jam hæresim penetrasse in regnum, pluresque magnates esse illa infectos, & se timere, ne morbus progrediatur ulterius, nisi eatur illi obviam.

Pontifex, quoniam experientia vidit in iis locis, ubi est inquisitio, hæresim non esse, constituit præfatum Episcopum in Poloniæ regno Inquisitorem contra hæreticam pravitatem.

Illi proinde dat facultates, quæ huic muneri sunt annexæ.

Eum tamen ad beneplacitum S. Sedis Inquisitorem constituit. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXV. Jul. P. a. I. a. D. 1550.

De comprimendæ hæresis modo, & de Concilio.

JULIUS III. Universis Poloniæ Episcopis. III. lb. p. 49.

Inc. *Quæ ad nos, &c.*

QUantum in suo regno grassaretur hæresis, scripsere Poloniæ Episcopi Julio,

Et modum eam cohibendi requisierunt.

Dolet Pontifex in illud regnum, quod semper summo studio Catholicam Religionem est professum, penetrasse hæresim, & debacchari;

Duplicem autem modum eam extinguendi, ait, esse; unum si Episcopi assidue moneant populos, ne a fide deficiant, si quorundam impiorum Episcopali constantia conatus reprimant; si cum Rege communicent quæ egerint, & agere in animo habeant, ejusque auxilium implorent;

Alterum esse Concilium œcumenicum, quod jam Pontifici stat prosequi, ejusque prosequtionem jam indixit reassumendam ad Calendas Maji, quod significavit Regi.

Eos Tridentum ad prædictam diem invitat, veniant frequentes, & suarum Diœcesum necessitates colligant Concilio exponendas, ut iis remedium afferatur.

D. Romæ apud S. Petrun Die XX. Dec. P. a. I. a. D. 1550.

„ Litteras bene multas scripsit Pontifex iis Episco„ pis, quæ tendunt eodem, quo hæ. Paucas nos af„ feremus.

Excitantur Episcopi ad concordiam inter se.

PIUS IV. Archiepiscopo Gnesnensi Poloniæ Primati, cæteriseque regni Episcopis. IV. Ex Ravn. Ad ann. Lycii. §. 186.

Inc. *Ad aures, &c.*

„ MOrtuo Sigismundo Augusto Poloniæ regi successit Augustus filius animi pusillioris parre. „ Magnates ergo quique eam religionem in suas di„ tiones admiserant, quæ ipsis magis arridebant. Ac„ cessit hoc etiam incommodum, ut Episcopi inter se „ discordes essent. Quare hæreses maximum incremen„ tum fecerunt.

De

De his discordiis admonitus Pius, has ad illos litteras mittit.

Si unquam concordia inter Ecclesiæ præsules opus fuit, hoc certe tempore est prorsus necessaria. In hac enim discordia rationes ab illis iniri non possunt, quomodo repellendæ sint hæreses, purgandique populi;

Ansam hinc hæretici capiunt debacchandi, effutiendique quas conceperunt blasphemias,

Magnates quoque, qui Episcoporum conjunctorum auctoritatem revererentur, neque omnia ad libitum suum facerent, iis spretis, animos sumunt.

Interea hæreses introducuntur, firmanturque, ita ut vel summo labore vix expelli amplius possit.

Redeant ergo ad pacem.

Quod si aliquas lites agunt, eas æquo animo agant, mittet ad eos Pontifex Nuntium, virum probum, doctumque, eas ad illum deferant.

In fine alloquitur Archiepiscopum Pius, quem, sicut alios honore antecedit, ita eos ad concordiam, pacemque adducat.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Octob. P. a. IV. a. D. 1563.

Ecclesiastici, qui interveniunt Senatui Poloniæ absque metu censuræ possunt dicere sententiam suam.

V. B. R. t. 5. p. 3. p. 27. C. C. CLEMENS VIII. Sigismundo Poloniæ, & Svetiæ regi,

Inc. *Securitati conscientiæ, &c.*

UT consulat Clemens securitati conscientiæ Ecclesiasticorum, qui interveniunt Comitiis, & Senatui Poloniæ, declarat,

Eos libere posse dicere sententiam suam, quin in censuras, & irregularitates incurrant, etiamsi inde alicujus mors sequatur, *modo ipsi sententiam sanguinis non ferant*, nec sententias subscribant, *nisi forsan ex officio sententias subscribere teneantur, quo casu* illis permittit, *ut subscribant*. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die IX. Aug. P. a. XII. a. D. 1603.

Episcopi vocati ad comitia regni eant.

VI. B. R. t. 6. p. 2. p. 12. C. C. URBANUS VIII. Nuncio A. Poloniæ.

Inc. *De juribus, &c.*

JUbetur Apostolicus Nuncius hortari, & admonere Poloniæ prælatos, ut quoties vocati fuerint aut ad Synodum, aut ad comitia eant;

Ex quorum absentia si Ecclesiæ detrimentum ceperint, liceat Primati Gnesnensi eos punire de hac negligentia.

N. O. *Nulli ergo &c.*

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Nov. P. a. XII. a. D. 1634.

Modus cognoscendi causas criminales Ecclesiasticorum in hoc regno.

VII. B. R. t. 6. p. 2. p. 362. C. C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Singularis, atque eximia, &c.*

AD instantiam Uladislai Poloniæ, & Svetiæ regis hanc rationem cognoscendi causas criminales Ecclesiasticorum in eo regno Urbanus præscribit.

In prima instantia cognoscantur ab Ordinariis locorum; in secunda a Metropolitano; in tertia a Nuncio ibidem; etiam causæ restitutionis in integrum, & in secunda instantia cognoscantur a Nuncio, si Ordinarius sit Metropolita;

Causæ appellationum nullitatum per signaturam justitiæ. Infra certum tempus committentur alicui ex Episcopis in partibus, vel suffraganeis ibidem existentibus, quos omnes, & singulos ad hoc Urbanus habilitat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die V. Febr. P. a. XI. a. D. 1634.

Responsio ad dubium de cognitione causarum criminalium Archiepiscoporum, & Episcoporum hujus regni.

VIII. B. R. t. 6. p. 3. p. 83. C. C. INNOCENTIUS X. ad f. r. m.

Inc. *Alias a felicis, &c.*

AD Breve Urbani VIII. proxime relatum, dubitatum fuit, an etiam causæ criminales Archiepiscoporum, & Episcoporum in eo comprehenderentur.

Innocentius respondit, eas quoque comprehendi; servata tamen dispositione Tridentini Concilii. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die X. Mar. P. a. II. a. D. 1646.

Jusso Nuncio facta procedendi in eos, qui a ministris Svecis beneficia Ecclesiastica impetraverunt.

IX. B. R. t. 6. p. 4. p. 87. C. C. ALEXANDER VII. Nuncio Ap. in Polonia.

Inc. *Pervenit ad aures, &c.*

CUm prævalerent in Polonia arma regis Svetiæ, multi a Svecis ministris obtinuerant beneficia eo tempore vacantia, vel saltem eorum administrationem usque ad provisionem.

Quod indignum ratus Alexander ab Hæreticis distribui, & accipi beneficia Ecclesiastica mandat Nuncio suo, *ut, licet sit extra suæ nunciaturæ fines* (VVratislaviam enim in Silesiam se contulerat) in hos Ecclesiasticos procedat juribus, &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XII. Febr. P. a. I. a. D. 1656.

Nuncius processum faciat in Episcopum Samogitiensem.

X. lb. §. 88. ALEXANDER VII. Eidem, &c.

Inc. *Cum sicut, &c.*

SAmogitiensis Episcopus pro Svetiæ rege stabat, & a Svetiæ rege Episcopatum VVilnensem obtinuerat.

Quæ crimina cum sint gravissima, Episcopum cum hæreticis hostibus contra Catholicos suos cives stare, & beneficium Ecclesiasticum magni honoris in Ecclesia accipere ab hæreticis, jubetur Nuncius processum facere in eum legitime, *& in forma authentica eum Romam mittere quamprimum*. N. O.

D. apud S. Petrum Die XII. Febr. P. a. I. a. D. 1656.

Absolutio Clericorum, qui necarunt hostes.

XI. lb. p. 133. ALEXANDER VII. Nuncio Ap. Poloniæ.

Inc. *Cum, sicut, &c.*

MUlti presbyteri, etiam regulares, ira moti in hostes patriæ Moschos, & Svecos, oblata opportunitate, quosdam eorum interfecerant.

Hi orantes a Pontifice absolvi ab irregularitate, quam incurrerant, jubentur confugere ad Nuncium, cui Urbanus dat facultatem eos absolvendi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIX. Aug. P. a. II. a. D. 1656.

Permissio regi accipiendi subsidium ab Ecclesiasticis.

XII. B. R. t. 5. p. 4. p. 92. C. C. PAULUS V. Sigismundo Poloniæ regi.

Inc. *Ex majestatis, &c.*

UT validius rex Sigismundus resisteret Moschis, qui bellum Poloniæ intulerant, Ecclesiastici polliciti illi fuerant subsidium.

Rex petiit facultatem a Paulo illud acceptandi.

Quam illi dat Paulus.

Et Ecclesiasticos a censuris liberat illud dantes. N. O.

Archiepiscopus Gnesnensis hujus subsidii deputatur collector;

Pauperes tamen Ecclesiastici ab hac solutione eximuntur.

D. Romæ apud S. Marcum Cal. Junii P. a. VIII. a. D. 1612.

Nuncius det facultatem Clero dandi ſubſidium regi.

XIII. Ib. p. 116, C. C. PAULUS V. Nuncio A. Poloniæ.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

CUm averet Clerus Poloniæ regi ſuo ſtrenue pugnanti in Moſchos ſubſidium ferre, Paulus dat facultatem Nuncio, ut illi hoc concedat *pro una vice tantum, & pro ſumma, quæ ei videbitur;*

Et det facultatem regi illud accipiendi, quin & hic, & ille in cenſuras incurrant. N. O.

Dat. Romæ apud S. Marcum Die IV. Maji P. a. VIII. a. D. 1613.

Aliud ſubſidium permittitur Clero,

XIV. Ib p. 145, C. C. PAULUS V. Nuncio &c.

Inc. *Alias per nos, &c.*

ET hoc quoque anno, ut pergat rex tutari regnum, petierunt a Pontifice Eccleſiaſtici facultatem dandi ſubſidium.

Eam illi concedit Paulus iiſdem ſub conditionibus, quibus ſupra &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Maj. P. a. IX. a. D. 1614.

Solutio ſubſidii pro rege permittitur Clero,

XV. B.R. t. 5. p. 4. p. 351. C. C. GREGORIUS XV. Archiepiſcopo Gneſnenſi.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

SIgnificavit Archiepiſcopus Gneſnenſis Gregorio incitas, in quibus verſabatur Poloniæ rex, magnumque eſſe periculum, ne præpolleant hoſtes, ni illi ſubveniatur, Clerum quidem paratum eſſe ad dandum illi ſubſidium, ſi Pontificia voluntas accederet.

Gregorius id illi permittit; collectoremque hujus numinarii ſubſidii vult eſſe eundem Archiepiſcopum. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVIII. Maji P. a. I. a. D. 1621.

Indultum utrique Clero factum dandi ſubſidium regi.

XVI. B.R. t. 6. p. 1. p. 111. C. C. URBANUS VIII. Nuncio A. in Polonia.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

CUpientes Eccleſiaſtici utriuſque Cleri regi militanti in hæreticos Pruſſiæ auxilium dare pecuniarium, rogarunt Pontificem, ut ſibi id permitteret.

Quod illis permittit,

Nunciumque deputat exactorem hujus pecuniæ. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIV. Febr. P. a. V. a. D. 1628.

Conceſſio, ut Eccleſiaſtici dent ſubſidium regi.

XVII. B.R. t. 6. p. 2. p. 3. C. C. URBANUS VIII. Nuncio A. in Polonia.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

VIdebant Eccleſiaſtici indigere regem Uladislaum ſubſidio ad defendendum regnum; jamque obtulerant, ſed requirebatur Pontificia conceſſio.

Jubetur Nuncius eam illis ſignificare, immo illi mandat, ut etiam renuentes cogere poſſit ad illud exſolvendum, pauperibus Clericis exceptis. N. O.

D. in arce Gandulphi Die XIX. Oct. P. a. XII. a. D. 1634.

Facultas data Clero dandi regi ſubſidium.

XVIII. Ib. p. 118. C. C. URBANUS VIII. Archiepiſcopo Gneſnenſi.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

EXpoſuerat Archiepiſcopus Gneſnenſis Urbano, optare quam maxime Clerum una cum Laicis ſubſidium dare regi.

Eum proinde oraverat, ut id permitteret.

Urbanus per eundem Archiepiſcopum Clero id permittit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXI. Maji P. a. XXI. a. D. 1644.

Licentia auxiliandi regi per ſubſidium.

ALEXANDER VII. Nuncio A. in Polonia. XIX. B.R. t. 6. p. 2. p. 27. C. C.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

VIdens Clerus pericula gravia imminero regno, & facultates Laicorum exhauſtas, ſupplicavit Alexandro, ut liceret ſibi opitulari regi.

Pontifex mandat Nuncio ſuo, ut licentiam hanc illi impartiatur pro una vice tantum, & pro ea pecuniæ quantitate, quæ eidem Clero opportuna videbitur. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die II. Aug. P. a. I. a. D. 1655.

Eccleſiaſtici vaſa aurea, & argentea ad cudendos nummos dantes abſolvantur.

ALEXANDER VII. Nuncio A. in Polonia. XX. Ib. p. 48, C. C.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

A Moſchis, & a Svecis ſimul diverſis e partibus factæ fuerant in Poloniam irruptiones; ut eas reprimerent, collectis exteris militibus & Epiſcopi, & Prælati Eccleſiarum vaſa aura, & argentea, aliaque mobilia dederant, ex quibus conflarentur nummi,

A cenſuris ob hoc incurſis dat Alexander Nuncio ſuo licentiam eos omnes, qui illa dederunt, eos, qui nummos conflarunt, abſolvendi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXX. Sept. P. a. I. a. D. 1655.

Nuncius compellat Eccleſiaſticos ad danda vaſa ſacra ad conflandos nummos.

ALEXANDER VII. Nuncio A. Poloniæ. XXI. Ib p. 91, C. C.

Inc. *Cum, ſicut, &c.*

HOſtes jam magnam regni partem occupaverant, cum maximo Catholicæ religionis detrimento; vireſque regni, & ærarii exhauſtæ erant.

Pontifex, ut aliqua ex parte regno conſulat, mandat Nuncio ſuo, ut Eccleſiaſticos cogat ad danda Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Leopolienſi, & Epiſcopo Luceorienſi vaſa aurea, & argentea Eccleſiarum, locorumque piorum ad nummos cudendos. N. O.

Dat. Romæ apud S. Petrum Die I. Jan. P. a. I. a. D. 1656.

Commiſſio Nuncio apud Imperatorem, ut cogat Prælatos Poloniæ ad danda vaſa &c.

ALEXANDER VII. Nuncio A. apud Imperatorem, XXII. Ib. p. 86, C. C.

Inc. *Emanarunt nuper, &c.*

PRælati quidam, ne darent prædictis Epiſcopis vaſa &c, ea miſerant in ditiones Imperatoris,

Itaque Alexander præcipit Nuncio apud Imperatorem, ut, ubi ea ſita ſunt, inquirat, & tradi faciat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIX. Jan. P. a. I. a. D. 1656.

Eadem commiſſio Nuncio Poloniæ.

ALEXANDER VII. Nuncio A. Poloniæ, XXIII. Ibid.

Inc. *Emanarunt nuper, &c.*

ETiam quidam regulares ſuperiores vaſa &c. miſerant huc illuc, ne illa darent,

Jubetur prædictus Nuncius eos cogere etiam per cenſuras ad ea proferenda; excipiuntur tamen *vaſa ſacra unctione delibuta*. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIX. Jan. P. a. I. a. D. 1656.

Det

Det Nuncius Clero facultatem ſolvendi ſubſidium,

XXIV. Ib. p. 225, C. C. ALEXANDER VII. Nuncio A. Poloniæ.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

VOlenti Clero opitulari validius regi ſuo, committit Alexander Nuncio,

Ut det facultatem elargiendi Regi decem millia Talerorum. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VII. Junii P. a. IV. a. D. 1658.

Facultates datæ Nuncio A. Poloniæ.

XXV. B.R. t. 6. p. 4. p. 299. C. C. ALEXANDER VII. Nuncio A. Poloniæ.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

QUia occaſione bellorum plures abuſus irrepſerant in Poloniam, has facultates ad eos tollendos dat Alexander Nuncio ſuo ibidem,

I. Ut poſſit abſolvere omnes exteros, & Polonos vere hæreſim abjurantes (excipit Italos, & Hiſpanos, qui habent Inquiſitores;)

II. Magos, incantatores, veneficos &c. qui contra regem, & reginam conſpirarunt,

III. Diſpenſare Clericos regulares, & ſæculares ab irregularitate contracta ex his criminibus,

IV. Diſpenſare in matrimoniis (v. h. t. *Hodie per alias.*)

V. Beneficiatis relaxare male perceptos fructus,

VI. Colligere Moniales, quæ exierunt e clauſtris occaſione belli, & illas eo reducere.

VII. Et hæ facultates durent per triennium.

VIII. Confeſſis, & communicatis dare indulgentiam plenariam. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die X. Nov. P. a. III. a. D. 1657.

Jubetur Nuncius A. in Polonia procedere in quoſdam Laicos judices, qui condemnaverant Epiſcopum Smolecenſem.

XXVI. B.R. t. 6. p. 3. p. 61. C. C. INNOCENTIUS X. Nuncio A. Poloniæ.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

CItatus fuerat ad inſtantiam judicis terreſtris Miſciſlavienſis ad tribunal Laicum Epiſcopus Smolecenſis, qui interpoſita appellatione *de non competentia tribunalis* ſiſtere ſe noluit. Proinde eum judices bannivêrunt, invaſerunt ejus bona, & pecuniaria pœna multarunt.

Quæ omnia cum ſint acta contra Sacros Canones, mandat Innocentius Nuncio ſuo ibidem, ut contra eos tanquam excommunicatos judices procedat, & cenſuris *illos aggravet, & reaggravet, omni appellatione poſtpoſita, invocato etiam ſi opus fuerit, brachio ſæculari.* N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die X. Mar. P. a. II. a. D. 1646.

Jubilæum datur huic regno.

XXVII. B.R. t. 6. p. 6. p. 396. C. C. CLEMENS IX. ad p. r. m.

Inc. *De ſalute, &c.*

UT Deus felices eventus rebus iſtius regni det, (agebatur enim de electione regis) Jubilæum per quindecim dies conſequendum ſolitis operibus Clemens promulgari jubet ibidem. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXII. Sept. P. a. II. a. D. 1668.

Irritatio electionum factarum a Capitulis Eccleſiarum Gneſnenſis, & Uladislavienſis.

XXVIII. B.M. t. 8. p. 64. B.R. t. 10. p. 1. p. 187. C. C. CLEMENS XI. ad p. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

IN vacantem Archiepiſcopalem Eccleſiam Gneſnenſem promoverat Clemens Stanislaum Szembek & ad Uladislavienſem Sedem elegerat Conſtantinum Szlavvinuſchi.

Jam uterque Epiſcopus poſſeſſionem ſuæ Eccleſiæ ceperat, ſuoſque miniſtros miſerat, donec unus, & alter adveniret.

Rumor interea ſpargitur, litteræ oſtenduntur, ambos eſſe illarum Eccleſiarum uſurpatores.

Coguntur ergo Canonicorum capitula, eliguntur adminiſtratores e gremio utriuſque Capituli; exploduntur per milites officiales Epiſcoporum.

Res delata Romam vehementer commovit Clementem, qui declarat, nullas eſſe electiones adminiſtratorum factas a Capitulis, violatam eſſe Eccleſiaſticam juriſdictionem, Canonicos incurriſſe in cenſuras Eccleſiaſticas a Sacris Canonibus hæc peragentibus inflictas.

Tum prohibet, adminiſtratores electos a Capitulis quicquam agere in iis Eccleſiis, nullumque declarat, quidquid egerint.

Pœnas etiam minatur eorum fautoribus, adjutoribus, conſiliariis.

Omnes demum monet abſolutionem ab his cenſuris reſervatam eſſe ſoli Pontifici. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die IV. Febr. P. a. VIII. a. D. 1708.

Irritatio decretorum a Magno Conſilio Varſaviæ contra Eccleſiaſticam immunitatem.

CLEMENS XI. ad p. r. m. XXIX. B.R. t. 6. vel t. 12. p. 504. Ib. p. 264. C. C.

Inc. *Ad Apoſtolatus, &c.*

QUeritur Clemens, multa gravamina eſſe impoſita Eccleſiaſticis in regno Poloniæ a poteſtate Laicali; impoſitum ſtipendium ad alendos milites in hybernis, ad nutriendas copias; his oneribus præter perſonas etiam bona eccleſiaſtica fuiſſe ſubjecta;

Æque Laici, & Clerici ſubjiciuntur pœnis *generalis confœderationis Sandomiriæ judicio.*

Addit, id factum fuiſſe abſque beneplacito S. Sedis; ſemper enim in eo regno viguiſſe laudabilem morem, etiam cum agebatur bellum contra Turcas, ut reges expoſcerent a Pontifice licentiam imponendi ſubſidia Eccleſiaſticis perſonis, & bonis.

Hæc omnia igitur cum ſint acta contra Eccleſiaſticam libertatem, contra regis placitum, contra morem regni, irritat, & caſſat Clemens, & vult ab eadem laicali poteſtate revocari, & annullari edita decreta.

Mandat itaque prælatis, ut pœnas interdicti, & inhibitionis ab ingreſſu Eccleſiarum denuncient Laicali poteſtati, niſi revocat taxam prædictam; quas pœnas incurrent etiam Conſultores, Fautores, Miniſtri, Executores.

Declarat demum, omnes, qui jura Eccleſiaſtica violarunt, incidiſſe in cenſuras a Sacris Canonibus denunciatas, a quibus abſolvi non poſſint, niſi a Romano Pontifice. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVIII. Jul. P. a. XI. a. D. 1711.

Nullitas actorum in Comitiis Grodnenſibus contra Apoſtolicam Nunciaturam a. 1726.

BENEDICTUS XIII. ad ſ. r. m. XXX. B.M. p. 7. vel t. 12. p. 366. B.R. t. 12. p. 343. C. C.

Inc. *In ſupremo, &c.*

IN Comitiis Grodnenſibus an. 1726. ab ordinibus regni Poloniæ *quædam novella lex* non minus adverſa B. M. Vincentii (Santini) dum viveret Archiepiſcopus Trapezuntinus, & tunc quin eodem regno Nuncii A. quam adverſus Eccleſiaſticam libertatem, & Pontificiam juriſdictionem edita fuit.

Cujus legis hi erant articuli:

I. Executio militaris, & carceratio denunciabatur præter pœnas pecuniarias illis, qui ad tribunal Nunciaturæ recurriſſent;

II. Eædem pœnæ denunciabantur cauſidicis, & advocatis, ſi ad præfatum tribunal aliquam cauſam detuliſſent;

III. Superioribus Ordinum denunciatum fuit, ne ullam gratiam per Nunciaturam poſtularent;

IV. Pœnæ ſtatuebantur in Parochos, & Vicarios, ſi in ſuis Eccleſiis aliquas litteras Nuncii publicaſſent;

V. Ju-

V. subebantur milites degere in domibus prope palatium Nunciaturæ.

Scripsit ad hæc Benedictus Regi, & primatibus, hortatusque est eos, ut legem cum quinque articulis revocarent; sed frustra; misit etiam Nuncium, qui nullum non lapidem movit, ut ad bonam frugem reduceret eos, qui putabant, Laicalem potestatem augeri dirutæ Ecclesiasticæ libertatis ruinis.

Cum hæc omnia incassum adhibita fuissent, Pontifex & legem, & articulos cassat, & irritat;

Declaratque, eos, qui quoquo modo interfuerunt promulgationi legis, & articulorum, eamque, & hos jusserunt, incidisse in censuras a sacris Canonibus indictas, sint ii cujuscumque dignitatis, & gradus; Et ab his censuris a nemine, nisi a Romano Pontifice, eos absolvi posse. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum die XXV. Sept. P. a. V. a. D. 1728.

Alternativa mensium quoad jus conferendi beneficia in hoc regno servanda præscribitur.

XXXI. *In folio separatu.* CLEMENS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Ecclesiastici ordinis, &c.*

UT tandem aliquando lites omnes quoad collationem beneficiorum in hoc regno amputarentur Archiepiscopus Gnesnensis regni Primas, simulque rex Augustus Clementi supplicarunt, ut duas Constitutiones Leonis X., & Clementis VII. confirmaret.

Hi Pontifices jusserunt, ut alternativa servaretur inter Ordinarios, & Pontificem, ita ut quæcumque beneficia, etiam dignitates majores vacantes, prout caderent in menses Februarii, Aprilis, Junii, Septembris, Novembris distribuerentur ab Ordinariis, si caderent in alios menses a Pontifice.

Clemens authenticis exemplis Litterarum præfatarum attente examinatis, eas confirmat, & perpetuis futuris temporibus ita beneficiorum provisiones fieri vult. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. VI. Id. Aug. P. a. VI. a. D. 1763.

DE MAGNO DUCATU LITHUANIÆ.

Rex Luthaviæ, seu Lithuaniæ recipitur in protectionem S. Sedis.

I. Ex Rayn. ad ann. 1251. §. 44. INNOCENTIUS IV. Mendog Regi, &c.

Inc. *Multa cor, &c.*

LÆtatur Pontifex, Regem a Deo illustratum fidei Catholicæ nomen dedisse, & fuisse ablutum baptismate.

Quia vero per speciales Nuntios supplicaverat Pontifici, ut reciperetur in protectionem S. Sedis, ejus desideriis Innocentius annuens

Regnum Luthaviæ, ac terras omnes quas per divinæ virtutis auxilium jam eripuit de infidelium manibus, vel eripere poterit eis futurum in jus, & B. Petri proprietatem suscipit, & eum cum uxore, filiis, & familia ejus sub protectione, ac devotione Sedis A. permanere facit.

Vetat proinde omnibus Innocentius molestare regem, regnum, &c.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Mediolani XVII. Cal. Aug. P. a. IX. a. D. 1251.

Culmensi Episcopo mandatur, ut coronet in Regem Mindonum.

II. Innoc. ep. lib. 9. ep. 3. INNOCENTIUS IV. Culmensi Episcopo.

Inc. *Cum sicut, &c.*

VOlens Pontifex Mindonii, seu Mendog satisfacere desideriis, eumque magis accendere ad Christianam religionem tutandam mandat Culmensi Episcopo Ut accersitis aliquibus Ecclesiarum prælatis, & religiosis personis eumdem in totius Luthaviæ, & terrarum omnium, quas ex Infidelibus cepit, & capturus est, in regem coronet; & jubeat, ut omnes in iis terris existentes eidem ut regi Catholico pareant;

Ita tamen, ut ille, ejusque successores regnum, & terras præfatas se ab A. Sede tenere recognoscant.

Contradictores pœnis Ecclesiasticis coerceat, &c.

D. Mediol. ut supra.

Idem Episcopus constituat Episcopum in Luthavia.

III. Ex Rayn. a. 47. INNOCENTIUS IV. Episcopo Culm.

Inc. *Præsentium tibi, &c.*

HOc quoque Innocentius committit Episcopo, ut virum providum, circumspectum, probum, parem tanto honori, & oneri præficiat in Episcopum Luthaviæ regno, & vocatis duobus, vel tribus Episcopis consecrationis munus illi impendat.

Prius tamen Rex assignet optimum solum pro fundanda Cathedrali Ecclesia, *honorabilibus, ac decentibus dotibus assignatis;*

Episcopo licitum sit, quoties opportunum duxerit, terram ipsius regis visitare, & omnia munia Episcopalia ibidem exercere.

Episcopus soli Romano Pontifici subjaceat.

A consecrato Episcopo recipiat fidelitatis juramentum, quod ad Pontificem mittet,

D. Mediol. XVI. Cal. Aug. P. a. IX. a. D. 1251.

Subjicitur Lithuaniæ Episcopus Sanctæ Sedi immediate.

IV. Ex Innoc. ep. 178. lib. 12. INNOCENTIUS IV. Abbati Mezanensi A. S. L.

Inc. *Cum nos, &c.*

PRussiæ Archiepiscopus, cui Episcopus Culmensis mandarat, ut in Lithuania erigeret Episcopatum, post datam Episcopo consecrationem, sibi dari juramentum voluerat tamquam metropolitæ.

Rex ratus hoc modo privilegium concessum regno suo, ut immediate esset sub protectione S. Sedis tolli rem detulit ad Pontificem, eum rogans, ut datum indultum conservaret.

Mandat igitur Legato suo Innocentius, ut juramentum datum ab Episcopo Lithuaniæ Archiepiscopo Prussiæ nullum declaret, & nomine A. Sedis illud ab Episcopo accipiat,

Cui quidem sedi Episcopum, ejusque successores perpetuo immediate subjacere vult Innocentius.

D. Anagniæ III. Non. Sept. P. a. XII. a. D. 1254.

Conceditur Lithuaniæ regi, ut a Catholico antistite filium suum coronari faciat.

V. B. R. t. 3. p. 1. p. 351. C. C. ALEXANDER IV. Lectoviæ Regi.

Inc. *Catholicæ fidei, &c.*

OPtaverat Rex, filium suum in regem inungi, ut augustior esset ejus dignitas apud populos; & de hoc supplicavit Pontifici.

Habita ratione Pontifex meritorum in A. Sedem, & in Ecclesiam ingentium Patris, qui armis, qui prædicatione, qui exemplo populos ad fidem pertraxerat, & pertrahere pergebat,

Illi permittit, ut *quem maluerit Latinum Episcopum communionem sedis Apostolicæ habentem advocare illi liceat, qui ejus filium ad honorem Dei, & S. R. Ecclesiæ in Regem Lectoviæ auctoritate Apostolica coronet.*

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Neap. II. Non. Mar. P. a. I. a. D. 1255.

Russia eidem Regi subjicitur.

VI. Ib. §. 3. ALEXANDER IV. Regi, &c.

Inc. *Cum sicut, &c.*

SUpplicaverat Pontifici Rex, ut quoniam fere totam Russiam armis subegerat, eosque populos ad Christi fidem

fidem pertransierat, eam vellet sibi, suisque heredibus subjectam; semper enim in armis standum erat, & ut tota subigeretur provincia, & ut a finitimis populis, qui erant idololatræ, defenderetur.

Pontifex tamquam mercedem laborum regi, ejusque heredibus eam provinciam subdit, & ut eum magis accendat ad Christi fidem propagandam.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Neapoli II. Non. Mar. P. a' I. a. D. 1255.

De Lithuanorum Regis pace.

VII. Ad ann. 1323. JOANNES XXII. Magistro, præceptoribus, & fratribus S. Mariæ Theutonicorum Hierosolym. per Alemanniam, Livoniam, & Prussiam.

Inc. *Gratias agimus, &c.*

SIgnificat præfatis Episcopis, Lithuaniæ Regem Gedenninum divina luce perfusum statuisse e gentilitatis tenebris ad veritatis lucem venire;

Se accepisse ab advocato, consulibus, & universitate civitatis Rigensis litteras humanas, in quibus significabatur, eumdem regem ardere desiderio summo nomen Christianæ Religioni dandi, & misisse etiam litteras ad eos equites rogantem, ut in Lithuaniam Nuntios speciales mitterent, quibuscum desiderabat pacem firmam constituere; Nuntiosque missos convenisse de mittendis illuc viris, qui omnia, *quæ Christianitati dictarum partium expedirent, ad ipsius regis præsentiam decreverunt;*

Ad hunc Nuntium duxisse se mittere Legatos duos Apostolicos, qui Lithuanos in fide erudirent; quos ut vidit Rex humanissime excepit, sicut excepit etiam Nuntios equitum Livoniæ, Prussiæ, & Alemanniæ; quibus publice dixit, se audivisse a suis majoribus, *quod Romanus Pontifex erat pater, & Dominus omnium suorum, post quem Archiepiscopi, & Episcopi in orbe præeminent potestate;* se cupere pacem firmare cum illis, & Religionem Christianam amplecti, & prædicari in suo regno;

Legatos AA. conditiones dixisse, quas Rex approbavit, & Nuntii equitum approbarunt.

Eas conditiones ad se fuisse missas in latinum sermonem versas, quas cum optimas reperiret, se illas confirmasse;

Facultatem se dedisse Episcopo Osiliensi censuris feriendi earum conditionum violatores.

D. Avin. Cal. Sept. P. a. VIII. a. D. 1323.

Regis litteris respondetur.

VII. Ad ann. 1324. §. 48. JOANNES XXII. Gedennino Lithuaniæ regi.

Inc. *Missa nobis, &c.*

SCripserat Rex Pontifici, numquam suos majores, suosque populos recessuros fuisse a fide Catholica, nisi coacti id facere fuissent gravissimis injuriis, & tributis factis impositisque sibi a Fratribus S. Mariæ Theutonicorum; prætextu religionis eos in Lithuanos plurima scelera patrasse, vetuisse ne iis prædicaretur verbum Dei, bona Ecclesiarum feciisse sua, expulsis pastoribus; se ideo bellum in eos movisse non odio religionis, quam sciebat suos progenitores fuisse amplexatos, sed desiderio se, suumque regnum ab eorum fratrum crudelitate subducendi; se tamen paratum esse cum iis fratribus concordiam inire.

Hæc scripserat Gedenninus Pontifici primis epistolis.

Alteris scripsit, se agnoscere primatum Pontificis Romani.

Utrisque litteris regis hac littera respondet Joannes;

Ac primum auctoritatibus petitis a SS. Litteris probat Ecclesiam, in qua est salus, esse unam, Vicario Christi in persona Petri datum fuisse in hac Ecclesia primatum;

Se mittere ad regem Legatos, quos rogat benigne excipiat; eos prædicantes audiat, agatque quod illi monuerint agendum;

Pollicetur se daturum operam, ne Fratres Sanctæ Mariæ injurias illi, ejusque regno afferant (& sane eos vocavit Joannes in jus) se annixurum, ut pax fiat inter regem, fratresque, & se dicturum esse pacis conditiones.

Eum demum rogat, ut Catholicis faveat.

D. Aven. VI. Id. Oct. P. a. IX. a. D. 1323.

Gedenninus non diu perstitit in hoc proposito. Rediit ad infidelitatem.

Mittuntur in Lithuaniam AA. Concionatores.

IX. Ad ann. 1343. §. 29. CLEMENS VI. Kentuto, ejusque Germanis ducibus Lithuanorum.

Inc. *Gaudemus, & exultamus, &c.*

REx Poloniæ Casimirus certiorem fecerat Pontificem optare prædictos Duces Catholicam fidem amplecti.

Ad illos igitur Clemens scribit iis de hoc proposito gratulans, hortansque ut in illo perstent.

Ut autem citius, faciliusque consequi quod volunt possint, iis significat, se scripsisse Archiepiscopo Gnesnensi, ut ad eos viros probos, doctosque mittat, qui Catholicæ fidei rudimenta eos doceant.

D. apud Villamnovam Aven. Diœc. XIV. Cal. Oct. P. a. VIII. a. D. 1349.

Lithuaniæ duces excitantur ad fidem.

X. Ad ann. 1371. §. 16. GREGORIUS XI. Oligerdo Magno, & Renstuco, ac Lubardo Fratribus Ducibus Lithuanorum viam veritatis agnoscere, & agnitam custodire.

Inc. *Salvatoris nostri, &c.*

AUdierat Pontifex, ad pietatem prædictos principes suapte natura ferri, neque a Catholica religione prorsus abhorrere.

Ad eos ergo Pontifex scribit, occasionemque scribendi accipit ex bellis, quæ semper præcipue eum militibus S. Mariæ Theutonicorum gerebant;

Si fidem Catholicam colerent, non tam assidue bellis vacarent, non viderent regiones suas ferro flammaque vastatas, divexatos populos suos, in captivitatem ductos, trucidatos. Ab his Catholica abhorret religio.

Immo viderent plurima bona ex ea in se, in suos populos, in suas ditiones derivari, fieretque inter eos, quiteisque pax, & uni auxilio alteris essent.

Exercerent opera pietatis invicem, eliminatoque Sathana felices viverent hic victuri in altera vita feliciores æternum.

Quare, si animum ad hanc fidem amplectendam inducunt, mittet ad eos verbi Dei ministros, qui illos edoceant.

Interim ad eos mittit internuncium S. A. qui est in Polonia.

D. Aven. X. Cal. Nov. P. a. III. a. D. 1373.

Dehortatur Ducem Pontifex a fovendo Hussitas.

XI. Ad ann. 1421. §. 21. MARTINUS V. Vitholdo Lithuaniæ Duci.

Inc. *Jam pridem, &c.*

„ MOti Hussitæ bello sibi indicto ab omnibus Germaniæ principibus (V. C. de Imperatoribus „ *etsi non dubitamus, &c.*) confugerunt ad Vencesslaum Poloniæ regem, a quo fuerunt rejecti, & ad „ Vvitoldum Ducem Lithuaniæ. Ne iis opitularetur „ Dux, his litteris eum dehortari Martinus nititur;

I. Quia si eis faverit, in sua hæresi persistent; quod esset principe Catholico indignum fovere hæreticos, ne convertantur,

II. Quia sibi inimicitiam omnium Germaniæ principum conciliaret; imprudenterque ageret: ii enim bellum Hussitis indixerunt,

III. Quia graviter Deum offenderet; ejus enim hostes protegeret, & ejus causam, quam tutari debet, proderet.

IV. Longe melius aget, si cum aliis principibus arma jungat; & quia hæresim exstingueret, & quia sibi eos principes devinciret, a quibus sperare auxilium posset,

V. Si Hussitas defendet, sciat Pontificem concitaturum in eum sacram militiam. Jam scit Dux quot hostes finitimos habeat, qui ejus Ducatui inhiant.

VI. Si juramentum Hussitis dedit, se iis auxiliaturum, si cum illis pepigit societatem, Martinus juramentum

tum hoc solvit, declaratque nullum, nullaque pacta declarat. De rebus enim illicitis juramenta facta, pacta inita per se nulla sunt.

D. Romæ apud S. Petrum XII. Cal. Junii P. a. V. a. D. 1422.

Confirmatur legati A. sententia in Sigismundum e Lithuanorum principibus.

XII. Ad ann. 1429. §. 8. MARTINUS V. ad p. r. m.

Inc. *Ut alii, &c.*

„ JAm succubuissent Hussitæ Catholicis, ni Sigismundus e Lithuanorum principibus satus collecto exercita iis succurrisset. Erat Regis Poloniæ nepos. Quare Cardinalis Branda A. S. Legatus excommunicavit illum, ejusque sequaces.

Martinus, ut alii quoque absterreantur a ferendo auxilio iis hæreticis, legati sententiam confirmat;

Declaratque excommunicatos fore quicumque commercium, amicitiamque cum illo, ejusque sequacibus habuerint.

D. Romæ apud SS. Apostolos X. Cal. Janu. P. a. VII. a. D. 1424.

Sperabat Sigismundus se posse regno Bohemiæ potiri, regemque creari.

Excitatur Alexander in Bohemos.

XIII. Ad ann. 1425. §. 14. MARTINUS V. Alexandro, &c.

Inc. *Quando primum, &c.*

CUm fuisset e concepta spe dejectus Martinus æstate superiore, qua sperabat, sicut Imperator, & Rex Poloniæ, & Dux convenerant, videre Hussitas deletos omnino; rogat VVitoldum,

Ut saltem hoc anno in Bohemiam irrumpat simul cum Polono.

Immanitates, erroresque & illas & hos pejores, & turpiores illis quas exercent, & quibus inficiuntur Turcæ, exercent, & fovent Hussitæ.

D. Romæ apud SS. Apostolos Non. Janu. P. a. VIII. a. D. 1424.

Aliis litteris exstimulavit eundem Ducem in Bohemos an. 1426. v. 16. §. 15.

Isidorus Kyen constituitur legatus a latere.

XIV. Ad ann. 1439. §. 11. EUGENIUS IV. Isidoro Kyen, ac totius Russiæ in Lithuaniæ, & Russiæ provinciis, & locis terræ Lechiæ, quæ tibi jure Metropolitico subesse noscuntur A. S. Legato.

Inc. *Cum juxta, &c.*

POst annos tot, post summos labores jam tandem aliquando concordia utriusque Ecclesiæ Græcæ, latinæque facta fuerat.

Ut illa observaretur, deputandæ erant personæ, quarum probitas, & integritas, pietasque esset nota.

His virtutibus præstabat Isidorus.

Eum igitur eligit Pontifex legatum a latere, ut in prædictis regionibus sibi subjectis statutam unionem servari faciat.

Opportunas illi proinde dat facultates huic muneri necessarias.

D. Florentiæ XVI. Cal. Sept. P. a. IX. a. D. 1439.

DE DUCATU PRUSSIÆ.

Episcopos adhortatur Pontifex, ut in Prussiam fideles excitent.

I. Ex Rayn. ad ann. 1218. §. 43. HONORIUS III. Archiepiscopo Moguntino, ejusque suffraganeis.

Inc. *In Prussiæ partibus, &c.*

IN Prussia, narrat Pontifex, esse homines plusquam bestiali feritate; omnes natas puellas præter unam in quavis familia, ut generationi consulatur, illi occidunt, & comedunt, prostituunt filias, & uxores, captivos immolant Diis.

Prussiæ Episcopus destinavit pretio emere a genitoribus eas puellas, & in aliquo erecto loco eas alere, & christianam fidem edocere; pueros quoque educare, & iis tradere fidei præcepta, ut ita Prutenorum impietatem detestari possint.

Hæc scripserat Pontifici Episcopus qui tamen cum non posset solus hoc pium propositum perficere, supplicavit Pontifici de auxilio.

Honorius præfato Archiepiscopo, ejusque suffraganeis id notum facit, eosque monet, ut fideles excitent ad sumenda arma, & ad opem ferendam Episcopo;

Et ut facilius eos permoveat, iis dat facultatem eas indulgentias fidelibus proponendi, denique quas euntes in terram sanctam luefantur.

D. Romæ apud S. Petrum XVII. Cal. Jul. P. a. II. a. D. 1218.

Laudantur Prussi, quod fidem amplexati sint, accenduntur que ad eam propagandam.

HONORIUS III. Episcopo, & noviter conversis in Prussia. II. B. R. t. I. p. 1. p. 214. C. C.

Inc. *Gratias agimus, &c.*

POpulos Prussiæ collaudat Honorius, quod tam cito conversi fuerint ad Christianam fidem.

Quam ut integram semper custodiant, eos hortatur vehementer:

Et ad eam disseminandam per eas regiones, in quibus adhuc idololatriæ tenebræ sunt, eos exstimulat.

Prussis conversis & convertendis Apostolicam protectionem pollicetur, & libertatem.

D. Viterbii XIV. Cal. Maji, P. a. IV. a. D. 1220.

Noviter conversis datur libertas,

GREGORIUS IX. Prussis nuper conversis ad fidem. III. Ib. p. 38. C. C.

Inc. *In Ecclesia, &c.*

NE sint deteriorisconditionis nuper conversi ad fidem Prussi, quam fuerunt cum erant infideles, eos Gregorius recipit in protectionem S. Sedis.

Declarans, hunc populum *acquisitionis* [illegible] *Christo, cujus facti sunt membra, & obedientiæ Ecclesiæ Romanæ fore subjectum.*

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Later. III. Non. Maji, P. a. I. a. [illegible]. 1227.

Excitantur fideles ad ferendam opem Ecclesiæ Prussicæ.

GREGORIUS IX. Episcopis, &c. IV. Ad ann. 1232. §. 6.

Inc. *Ex litteris, &c.*

MAzovienses, & VVratislavienses Episcopi scripserant Pontifici, Paganos Prutenos in Prussiam irrupisse, Ecclesiarum bona vastasse, & Ecclesias ipsas incendio consumpsisse, Prussosque Christianos in sylvis se abdidisse, ad quinque millia tamen eorum Prutenos detinere in vinculis;

Equites quidem hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, qui assumpserant negotium fidei in Prussia, paratos esse Prussis auxilium ferre, sed hoc negotium esse nimis arduum, quod soli suscipere, & perficere possent.

Quare consuleret Pontifex.

Gregorius ergo fideles omnes Episcopos earum partium hortatur ut populos suos excitent ad opem ferendam Prussis. Et quoniam multi parati erant in Terram S. ire, multique in Regno Bohemiæ equites ituri erant in Syriam, facultatem Episcopis Gregorius dat commutandi vota transmarinæ peregrinationis in peregrinationem in Prussiam.

Publicent Episcopi indulgentias, quas euntes in Prussiam consequentur easdem ac si irent in Terram S.

D. Reatæ X. Cal. Febr. P. a. VI. a. D. 1232.

Tres

Tres Episcopatus erigantur in Prussia.

V. Ad ann. 1236. §. 12. GREGORIUS IX. Guillelmo Episcopo.

Inc. *Cum exultatione, &c.*

SCripserat Guillelmus Episcopus Mutinensis Legatus A. S. jam christianam Religionem per Prussiam ita fuisse propagatam, ut possent Diœcesium limites constitui, instituique Episcopatus.

Gregorius dat facultatem prædicto Guillelmo cum consilio præceptoris, & fratrum hospitalis S. Mariæ Theutonicorum tres Diœceses limitare, & tres consecrare, adscito Episcoporum numero Episcopos ex ordine Prædicatorum, & eisdem congrue de bonis temporalibus providere.

D. Interamnæ III. Cal. Junii P. a. X. a. D. 1236.

De divisione terræ Prussiæ.

VI. Ad ann. 1243. §. 32. INNOCENTIUS IV. Episcopo Prussiæ.

Inc. *Iis quæ, &c.*

SIgnificarat Prussiæ Episcopus præclara facinora facta ab equitibus S. Mariæ Theutonicorum in Prussia, & quam late victorias circumtulissent, & magnum terræ tractum, quem comparaverant; duas ejus terræ partes datas fuisse equitibus, ut possent belli sumptus sustinere, tertiam assignatam fuisse Episcopo loci a legato A. cui Innocentius mandarat, sicut mandaverat Gregorius, ut diœcesum fines constitueret.

Jamque constituerat tres diœceses in Prussia, & unam in terra Culmensi Legatus Ap. *ita ut sive unus Episcopus fuerit, sive plures, duas partes terræ integre cum omni proventu habeant, & Episcopus, vel Episcopi tertiam similiter habeant cum omni jurisdictione, & jure, salvis tamen Episcopo in duabus partibus fratrum illis omnibus, quæ non possunt nisi per Episcopum exerceri.* „ Has duas partes equitibus a legato assignatas „ nunc possidet Elector Brandeburgicus, qui ideo dici„ tur Rex Prussiæ.

Hanc limitationem, divisionemque Diœcesum confirmat Innocentius, mandatque, *quatenus una ipsarum diœcesum Prussiæ, quam Episcopus maluerit, & parte tertia terræ ipsius diœcesis contentus existens, terras, vel jura ad partem diœcesis, quam eligendam duxerit, pertinentia infeudare, alienare, vel dare absque speciali mandato Sedis A. non præsumat:* revocatque Pontifex alienationes, si quas ille fecit, in Prussia, & in terra Culmensi.

Si elegerit terram Culmensem in Episcopatum, servet conventiones factas ab ipso, & Legato Ap. ex una parte & fratres ex alia.

Temporalia, quæ Episcopatus jure illi competunt, nomine Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ de ipsius legati manu Episcopus recipiat.

D. Anagniæ III. Cal. Aug. P. a. I. a. D. 1243.

Creatur Legatus A. S. in Prussiam.

VII. Ep. Inn. 295. l. 2. INNOCENTIUS IV. Guillelmo Sabinensi Episcopo.

Inc. *De tua, &c.*

TUrbari a quibusdam, & præcipue a Duce Pomeraniæ, Prussos acceperat Pontifex: ut iis consulat, Cardinalem Guillelmum Episcopum Sabinensem eo mittit cum solitis facultatibus legatorum.

Illi autem mandat, *ut de terra Curoniæ, seu Curlandiæ infra Prussiæ terminos constitutæ fratribus hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, in quibus post Deum esse dignoscitur, ut tantum negotium salubriter dirigatur, ac Episcopo, vel Episcopis, qui pro tempore fuerint in eadem, providere valeat, prout ipsi negotio, & saluti fidelium in prædictis partibus posstorum expedire viderit.*

D. Lugd. Id. Sept. P. a. II. a. D. 1244.

Mittitur Abbas Messanensis in Prussiam ad sedandas rixas.

INNOCENTIUS IV. Abbati Messanensi. VIII. Ad ann. 1245. §. 90.

Inc. *Cum inter, &c.*

A Casimiro Cujaviæ Duce magna clade affectus fuerat Svvantopelkus Pomeraniæ Dux (v. Pomeraniam *Potentiæ tuæ*) ejusque defensionem alii susceperant contra Cujavienses. Proinde inter Episcopum, & Ducem Cujavienses, fratres S. Mariæ Theutonicorum in Prussia, & nobiles viros Poloniæ, & Cominensem Ducem ex parte una, & nobilem virum Ducem Pomeraniæ, & Prussiæ Neophytos ex altera graves discordiæ fuerant enatæ, periculumque erat, ne excrescerent, nec potuerat Pontifex veritatem detegere, & pacem proinde stabilire.

Mittit itaque in Prussiam Innocentius prædictum Abbatem *tanquam pacis Angelum.*

Vocet coram se partes Apostolica auctoritate, *trahet sollicite ac prudenter de facienda concordia inter ipsas, eamque, si poterit, juxta datam sibi a Domino industriam studeat reformare*

Quod si pacem componere non poterit, *inquisita super omnibus discordiæ articulis veritate*, terminum competentem partibus assignet, intra quem coram Pontifice comparere debeant.

Ipse autem quid egerit, quid detexerit, referibat.

D. Lugduni II. Id. oct. P. a. III. a. D. 1245.

Privilegium ferendi ante se Crucem elatam Prussiæ Archiepiscopo datur.

INNOCENTIUS IV. Archiep. Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ. IX. Ad ann. 1246. §. 31.

Inc. *Æterni regis, &c.*

LAudat Pontifex Archiepiscopi desiderium, qui cupiens in omnibus suis operibus præ oculis crucem Domini habere, supplicaverat, ut sibi daretur facultas eam elatam ante se gestandi.

Si enim illa semper præ oculis habeatur, nihil agetur unquam quod a vero christiano non sit faciendum; ita Episcopus poterit dicere populis suis quod dicebat Apostolus, *imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Hoc privilegium igitur Innocentius dat Archiepiscopo, & ejus successoribus.

D. Lugduni XIV. Cal. Apr. P. a. III. a. D. 1246.

Legatus admittat Regem Russiæ ad Ecclesiam Latinam, si ex animo venire vult.

INNOCENTIUS IV. Archiepiscopo Prussiæ, &c. A. S. Legato. X. Ad ann. 1247. §. 28.

Inc. *Sicut omnes, &c.*

ANno superiore Daniel Russorum Rex, abjurato schismate, flagitarat admitti in communionem latinæ Ecclesiæ.

Mandat ergo Innocentius prædicto Archiepiscopo, ut ad Danielem se personaliter conferat, & *si præfatus Rex in tam sancto proposito perseverans tam ipse, quam Archiepiscopi, & Episcopi, & alii magnates regni sui schismate abjurato, promiserint, & juraverint, se de cætero in unitate fidei, quam Ecclesia Romana prædicat, & observat, perpetuo permansuros, eos reconciliet, & incorporet prædictæ Ecclesiæ,*

Et hanc incorporationem publicari per regna, & loca faciat.

Jam hoc per litteras a Pontifice flagitarat antea Daniel.

D. Lugduni VII. Id. Sept. P. a. V. a. D. 1247.

DE LIVONIÆ DUCATU.

Hortatio ad tutandam Livoniam a Paganis.

INNOCENTIUS III. Saxoniæ, & VVestphaliæ universis Christifidelibus. I. Ex Rayn. t. 13. p. 1.

Inc. *Accepimus quod, &c.*

BOnæ memoriæ M. Episcopus Livoniensis eos barbaros populos a cultu animalium, plantarumque,

& a fero victu ad Christi fidem, & ad honestatem converterat, eosque baptizarat.

Inimicus homo invidens eorum conversioni pariter, & saluti in eos accendit circumjacentium paganorum rabiem, ita ut timor esset, ne illi terrore victi acceptam fidem rejicerent.

Ne id eveniat, hortatur paterne Innocentius prædictos Christifideles, ut arma sumant, & Livonienses defendant a Paganorum armis.

Veniam peccatorum dari solitam crucesignatis iis dat; Iis pollicetur Apostolicæ Sedis clientelam.

D. Laterani P. a. II. a. D. 1199.

„ Eadem scripsit Innocentius ad Sclavos, & Tran„ salpinos.

Jubentur prælati ordinum mittere navos viros ad prædicandum Verbum Dei in Livonia.

II. HONORIUS III. Abbatibus Prioribus, Præpositis, &c.
B.R. t. 3. p. 1. p. 241. C.C. Inc. *Etsi nos, &c.*

EPiscopi Livoniæ ad Honorium scripserant, esse quosdam populos corde adeo obdurato, ut nisi mittantur ad eos viri strenui, qui verbis, & exemplis eos permoveant, qui monasteria inter eos ædificent, prope sit de iis desperandum.

Quare mandat Pontifex prælatis ordinum, ut si illi Episcopi requirent, mittant eo Monachos doctos & prudentes ad stabilienda monasteria, & ad prædicandum verbum Dei.

D. Viterbii XIV. Cal. Maji. P. a. IV. a. D. 1220.

Mittitur Episcopus Mutinensis ad evangelizandum in Livoniam, &c.

III. HONORIUS III. Livoniæ, & Prussiæ præsulibus, & populo.
Ib. ad an. 5224. §. 38. Inc. *Ecce ad Evangelizandum, &c.*

NOn opus multis verbis fuerat, ut moveretur ad munus hoc suscipiendum Mutinensis Episcopus virtute, probitate, & scientia insignis; velut alter Esaias se obrulit, *ecce Domine, mitte me.*

Eum ergo commendat regionum Borealium præsulibus, & populis Honorius; non enim in sola Livonia prædicaturus erat.

Eum honore, & reverentia prosequantur, eum audiant, ejusque monitis pareant.

D. Later. XI. Cal. Janu. P. a. IX. a. D. 1224.

Providetur propagationi fidei in Livonia, Semigallia, Curonia, & Estonia.

IV. GREGORIUS IX. Guillelmo S. A. Legato.
Ex Rayn. ad ann. 1230. §. 62. Inc. *Ne terra, &c.*

JAm incolæ prædictarum provinciarum verbum Dei acceperant.

Ne igitur fundata fides corrueret, mandat Gregorius prædicto Guillelmo, ut provideat, *quod neophyti congrua libertate gaudeant, ordinentur Ecclesiæ, & dotentur, nec infeudentur decimæ, & terra sine Pontificis beneplacito nullatenus dividatur.*

Ut autem Ecclesiæ illæ non turbentur barbarorum incursionibus, possit mutare vota crucesignatorum, qui ituri sunt in terram sanctam, in peregrinationem, & defensionem earum Ecclesiarum.

Et nomine Pontificis publicet indulgentias jam consuetas dari crucesignatis.

D. Viterbii XII. Cal. Mart. P. a. X. a. D. 1236.

Curonii fidem Christianam amplectuntur.

GREGORIUS IX. Curoniis, &c, V. Ex Rayn. ad ann. 1232. §. 1.

Inc. *Intelleximus, &c.*

LAudat initio statim Curonios Gregorius, quod opera Othonis Cardinalis A. S. Legati ad fidem conversi velint in ea perseverare.

Tum iis hoc dat privilegium, ut nec Daniæ, nec Svetiæ Regibus subjaceant, donec fides Catholica inter eos vigebit;

Injuncta onera iis a Cardinali confirmat Gregorius,

Ut recipiant Sacerdotes, quos Cardinalis destinabit, & honeste in necessariis iis procurent, ut iis pareant, ut eos ab hostibus defendant, ut ab iis tam viri, quam mulieres, & infantes sacri regenerationem baptismatis indilate recipiant, & alios ritus Christianorum observent,

Ut Episcopum a Pontifice instituendum cum reverentia suscipiant tanquam Patrem, & Dominum, illique dicto audientes sint;

Ut defensionem Catholicæ fidei suscipiant in iis locis, e quibus hostes eam vellent expellere,

Ut intra biennium se Pontifici sistant facturi quod ille jusserit.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Reate III. Id. Febr. P. a. VI. a. D. 1232.

Samaytæ ad constantiam in fide excitantur.

MARTINUS V. Christicolis gentis Samaytarum, VI. Ad ann. 1421. §. 14.

Inc. *Mirabilis Deus, &c.*

SAmaytæ, vel Samogitæ VVladislai Poloniæ Regis, & VVitoldi Lithuaniæ Ducis opera fuerant ad fidem conversi. Nonnulla iis adversa acciderant; ne caderent animis, ne causam sinistrorum adventuum in Religionem conjicerent, iis his in litteris Martinus exponit,

Quanta sit felicitas Christum adorantium, ejusque fidem sequentium, quæ efficit homines Angelis pares, quæ efficit, ut ipsæ calamitates pro Christi nomine acceptæ gratæ sint, & jucundæ, quæ efficit, ut ex iis spes immensæ retributionis proficiscatur, quæ quidem spes non potest, quin gaudio summo fideles perfundat.

Videant quam feliciter regnent VVladislaus, & VVitoldus; eos imitentur, eorum dictis, consiliisque pareant.

Ne cedant ergo adversis, sed confidant, se majora esse consequuturos præmia, quo lætius ea exantlabunt.

Ne sua mæstitia magis affligant Episcopum suum Medinensem, sed eum erigant, illique animos addant ad quæcumque toleranda fortiter.

Apostolicam protectionem iis pollicetur, jubetque eos ad Romanam Ecclesiam tanquam ad matrem suam, & ad Pontificem veluti amantissimum parentem confugere, *quos tanquam filios tueri, & protegere totis viribus enitentur.*

D. Romæ apud S. M. Maj. III. Id. Sept. P. a. IV. a. D. 1421.

DE RE-

DE REGNO SVEONUM, VEL SVETIÆ.

Gratulatio quod rex prædicatores admiserit.

I. GREGORIUS VII. Glorioso regi, &c.
ex Baron. ad ann. 1080. §. LXI. Inc. *Quoniam regni, &c.*

LÆtatum scribit Gregorius regi se plurimum, cum scivit Regem ex Gallia in suum regnum prædicatores admisisse.

Nam *Gallicana Ecclesia non instruxit eos populos alienis documentis, sed quod de thesauris matris suæ accepit.*

Hortatur regem, ut mittat Romam aliquem Clericum, qui instructus reversus in regnum populum veram fidem docebit.

Quædam monita regi dat ad regnum regendum.

D. Romæ IV. Non. Oct. P. a. VIII. a. D. 1080.

Citantur Romam, qui elegerunt in regem Joannem.

II. HONORIUS III. Lubicensi, Szerinensi, Baskeburgensi Episcopis.
Ib. p. 215. C. C. Inc. *Carissimus in Christo, &c.*

MOrtuo Henrico Regi Svetiæ substituendus erat in regnum Nepos Valdemari Regis Daniæ.

Magnates tamen quidam quendam Joannem, frustra reclamante Daniæ rege, & appellante ad S. Sedem, ad quam Svetiæ regnum spectabat, elegerunt, & Archiepiscopus Upsalensis cum aliis in regem eum inunxit.

Questus fuit ad Pontificem Valdemarus de gravissima injuria facta Nepoti suo pupillo, & posthumo, & de contemptu S. Sedis.

Prædictis Episcopis igitur mandat Honorius, ut Archiepiscopo Upsalensi, qui regem coronavit, & aliis Episcopis, qui coronationi interfuerunt, diem dicant, & terminum assignent, *ut Apostolico conspectui se sistant de hujusmodi contemptu* satisfacturi.

Nolentes per censuras cogant.

D. Reatæ VII. Id. Aug. P. a. IV. a. D. 1220.

Adhortatio ad Regem Svetiæ, ne Ecclesiasticos lædat.

III. HONORIUS III. Regi Svetiæ illustri.
ex Rayn. ad ann. 1224. §. 37. Inc. *Significantibus, &c.*

SIgnificaverant cujuscunque Ordinis Ecclesiastici hujus regni Pontifici, a rege *expeditionum angaciis, & aliis sæcularibus exactionibus aggravari*, se & omnia sua jura tolli, opemque a Pontifice poposcerunt.

Scribit ad Regem Honorius, eum rogans, monensque attente, ne contra se iram ejus, qui regna transfert, concitet; ne Dei ministros lædat, memor eorum quæ Deus dixit, qui eos lædit, Deum lædere;

Cæterum si perget Ecclesiasticos gravare, non poterit Pontifex non cogitare, quod Regem gravet.

D. Later. X. Cal. Mar. P. a. VIII. a. D. 1224.

Upsalensi Archiepiscopo, & suffraganeis mandatur, ut regni perturbatores compescant.

IV. INNOCENTIUS IV. Arch. Upsal. & suffraganeis.
Ad ann. 1251. §. 20. Inc. *Cum Carissimus, &c.*

REx Svetiæ Vvaldemarus, & Birgerus Dux cum statuissent in Regno Svetiæ Ecclesias, & Ecclesiasticos in sua servare justitia, & a malignorum incursibus defensare,

Ut id facilius præstare possint, committit Innocentius prædictis Prælatis,

Quatenus præfatis Regi & Duci contra perturbatores ipsius regni viriliter assistant, ita quod iidem, mediante prælatorum auxilio, tenere valeant in pacis pulchritudine terram suam.

D. Perusii XII. Cal. Nov. P. a. X. a. D. 1252.

Regi, Duci, & uxori crimina confessione expiaturis datur indulgentia.

INNOCENTIUS IV. Regi, Duci, reginæque Svetiæ. V. Ib. §. 21.

Inc. *Cum desideretis, &c.*

CUm prædicti desiderarent in munditia cordis deducere dies suos nolentes currere in incertum,

Pontifex omnium eorum peccatorum absolutionem, & veniam, de quibus sunt, vel infra tres menses a receptione præsentis erunt corde contrito vere confessi iis misericorditer elargitur,

Domini deprecans clementiam, ut eorum immemor delictorum bonorum cælestium faciat eos participes esse in æterna retributione justorum.

D. Perusii X. Cal. Nov. P. a. X. a. D. 1252.

Spirituale indultum concessum Regi.

MARTINUS IV. Magno Svecorum regi. VI. Ad ann. 1281. §. 23.

Inc. *Regiis supplicationibus, &c.*

ITa supplicanti regi indulget Martinus,

Ut aliquem idoneum presbyterum religiosum, vel sæcularem, quotiescunque opportunum fuerit, sibi eligere valeat confessorem, qui audita ejus confessione illi auctoritate Apostolica pro ejus peccatis, quæ confitebitur, pœnitentiam salutarem injungens super iis beneficium debitæ absolutionis impendat; nisi talia fuerint, propter quæ Sedes A. sit merito consulenda.

Idemque quoque vota per eum emissa, Hierosolymitano, & continentiæ voto excepto, hac vice eadem auctoritate commutare valeat in alia opera pietatis, prout animæ illius saluti viderit expedire.

Dat. apud Urbem Veterem X. Cal. Dec. P. a. I. a. D. 1281.

Regi permittitur ut in sua Capella sacra pervagantur.

MARTINUS IV. Magno Regi &c. VII. Ad ann. 1284. §. 22.

Inc. *Cum sicut, &c.*

SUpplicaverat Rex Pontifici, ut sibi permitteret, ut in sua capella regia divina fierent ritu Romano.

Id indulget Martinus Regi, ejusque successoribus in perpetuum,

Ita tamen, ut qui ibidem celebrant, alio ritu celebrare non possint.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

Dat. apud Urbem Veterem Cal. Mart. P. a. III. a. D. 1284.

Rogatur Rex, ne collectores Denarii S. Petri impediat.

JOANNES XXII. Regi Svetiæ. VIII. Ad ann. 1317. §. 49.

Inc. *In devotione, &c.*

CEnsus, qui dicebatur *Denarius S. Petri, debitus Ecclesiæ Romanæ a pluribus retroactis temporibus non fuerat eidem Ecclesiæ persolutus.*

Cum Pontifex ex munere debeat esse sollicitus de de juribus Ecclesiæ Romanæ, scribit se mandasse Archiepiscopo Upsalensi, ut hunc censum colligeret.

Sperat (nam eum novit devotum filium Ecclesiæ) fore ut rex hujusmodi exactionem non impediat, imo renuentes solvere sua auctoritate ad solvendum compellat;

Ad quod agendum illum enixe hortatur.

D. Avin. III. Non. Febr. P. a. I. a. D. 1317.

De decreto Synodi Lundensis non servando in terra Hallandiæ.

IX. Ad ann. 1331. §. 40. JOANNES XXII. Episcopo Skarensi.

Inc. *Sincera devotio, &c.*

EPiscopi Daniæ in Synodo Lundensi decretum ediderant, ut quoties Episcopus aliquis regni coperetur, & conjiceretur in vincula, si id factum fuisse constaret regis jussu, regnum supponeretur interdicto.

Daniæ Rex Christophorus comprehendi jusserat Episcopum Burglavensem, & in carcere eum detinebat.

Omnes ergo regni incolæ interdictum servabant.

Hallandia erat quondam, cum factum fuit illud decretum, Daniæ provincia, tunc regi Svetiæ parebat. Hallandi quoque clausserunt Ecclesias, & interdictum servabant.

Rex Svetiæ supplicavit Pontifici, ut juberet, illud decretum non esse servandum in Hallandia.

Pontifex mandat Skarensi Episcopo, ut inquirat, an Hollandia regi Svetiæ pareat, si paret populos moneat, se esse solutos ab interdicto; si subjacet Regi Daniæ, servet interdictum, donec Burglavensis Episcopus liberetur e carcere.

D. Aven. XII. Cal. Aug. P. a. XV. a. D. 1331.

Indulgentia conceditur Regi, & populo intervenienti Prædicationi.

X. Ib. §. 41. JOANNES XXII. Magno Svetiæ, & Norvegiæ Regi.

Inc. *Tuis supplicationibus, &c.*

QUotiescunque in regiis Capellis Rex assistet Missarum solemniis, & ei prædicabitur, præco verbi Dei possit Regi, & populo assistenti relaxare annum unum de injunctis pœnitentiis, modo audientes sint vere pœnitentes, & confessi,

Si alia persona prædicabit, *cui tamen competat prædicare*, dies sexaginta.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Aven. ut supra.

De alieno regno, parte non audita contraria, nihil S. Sedes potest statuere.

XI. Ad ann. 1340. §. 85. BENEDICTUS XII. Magno Svetiæ, Gothorum, & Norvegiæ Regi.

Inc. *Sane petitionis, &c.*

CHristophorus ob suam tyrannidem suis populis invisus e regno Daniæ depulsus fuerat. Populi Scaniæ, ut tuti essent, se subjecerant regi Svetiæ Magno, re, & nomine magno. Cum Dania esset stipendiaria S. Sedis, si vellet idem facere, supplicavit Magnus Benedicto, ut eam quoque Svetiæ regibus confirmare vellet subjectam.

Reperit de more Pontifex id, de quo rogatus fuerat a rege Magno: tum respondet,

Neminem suorum prædecessorum, cum agitur de rebus temporalibus, consuevisse adjudicare possessionem ullam alicui, nisi parte, a qua possessio aufertur, audita;

Excusset Rex, qui ob sua præclara merita in Ecclesiam omnibus favoribus dignus est; experiatur in aliis rebus Ecclesiæ amorem, & Pontificis animum.

Eum rogat ut a malorum hominum fœdere remotus sit.

D. Aven. X. Cal. Febr. P. a. V. a. D. 1340.

„ Annis quatuor post Archiepiscopi Laudensis, &
„ Upsalensis congregato suorum suffraganeorum Synodo
„ pronunciarunt Scaniam esse subjectam Regi Svetiæ,
„ ejusque heredibus, Christophoro Daniæ rege domestico bello implicito consentiente.

Monita Regi dantur.

XII. Ad ann. 1343. §. 91. CLEMENS VI. Magno Regi Svetiæ.

Inc. *Quia te, &c.*

„ JAm inceperat ab justitiæ tramite Rex declinare,
„ clatusque multa contra justitiam patrabat.

Eum ergo monet Pontifex, ut pietatem sectetur, justitiam colat, Ecclesiam, virosque Ecclesiasticos favoribus prosequatur, miseros suscipiat, viduas, orphanos, pupillos tueatur, & caduco regno immortale conjungat.

D. apud Villanovam Aven. Diœc. IV. Cal. Aug. P. a. II. a. D. 1343.

Raynaldus ad hunc §. ita. *Utinam Svecus Clementis monita dimisisset in animum, atque justitiæ laudem non obscurasset; feliciter enim regna propagare in posteros potuisset. Verum quia postea Elisabetham Henrici Holsatorum principis filiam, quam Aquino filio Norvegiæ Regi desponderat, tradita illi Margarita Valdemari Regis Daniæ filia, per summam injuriam rejecit, ratus splendidioribus iis Aquini nuptiis res suas magnis confirmatum iri, delusus vana spe, & cogitatione, justo Dei judicio, ex regno depelli meruit, qua de re pluribus Albertus Crantzius (Svev. L. 5. c. 20.) additque, regnum Alberto Ducis Magnopolensi filio delatum.*

Præsules Svetiæ eligant in Regem virum probum.

CALLIXTUS III. Archiepiscopo Upsalensi, Baronibus, proceribus, militibus regni Svetiæ, & Gothorum. XIII. Ad ann. 1457. §. 60.

Inc. *Ex tenore, &c.*

„ DEcretum erat, ne quisquam in Svetiæ regem
„ eligeretur, nisi Norvegiorum, Danorumque
„ consensus accederet. Svevi tamen elegerunt Carolum, iis inconsultis.

„ Quare Dani præcipue in Sveros bellum moverunt, qui victi pluries in bello a Carolo quievérunt.

„ Ratus Carolus se satis regnum firmasse suum, neque
„ quicquam a Danis sibi timendum, in vitia omnia
„ prolapsus est. Divites contemnebat, Ecclesiastica jura
„ lædebat, avarus, crudelis. Magnates regni conjura-
„ tionem in eo constarunt, & ducem conjurationis
„ voluerunt esse Archiepiscopum Upsalensem. Pluries
„ victus Carolus fuit, tandem regno fuit dejectus.

Hæc omnia scripserunt Svevi Pontifici,

Qui dolet Carolum, qui prædicabatur prudentissimus, iis se flagitiis inquinasse, & quosdam servasse ritus, ob quos merito fuerit in hæreseos suspicionem inductus.

Merito igitur Deus permisit illum vinci, illum, qui tot præliis antea Christiernum Regem Daniæ superant.

Quoniam autem regnum vacat, & eligendus Rex est, præfatos Nobiles hortatur Callixtus, ut virum probum, Deum timentem, prudentemque eligant.

D. Romæ apud S. Petrum XIV. Cal. Nov. P. a. III. a. D. 1457.

„ Electus fuit Christiernus Daniæ, Norvegiæque Rex.

Deplorat Clemens in Svetiam penetrasse hæresim.

CLEMENS VII. Lincopensi, & Ariosensi provinciæ Upsalensis regni Svetiæ Episcopis. XIV. Ad ann. 1526. §. 128.

Inc *Ad aures, &c.*

ACceperat Clemens quosdam parochos, & presbyteros jam profiteri publice hæresim Lutheranam, matrimoniam contraxisse, habitu clericali depositio, & Sacrum Missæ ritum aut fuisse immutatum, aut Missam prorsus abolitam; communicari homines utriusque sexus, quin Sacramentum Pœnitentiæ præmittant, neque morientibus Sacramentum extremæ unctionis ministrari.

Quibus malis mederi volens Clemens prædictis Episcopis ut etiam per brachium sæculare hujusmodi excessus corrigant mandat.

Iis significat, se scripsisse ejus regni Nobilibus, & Gustavo electo Regi, ne patiantur fidem Catholicam, in qua ipsi, eorum majores nati sunt, Lutherana hæresi labefactari.

Quod si qui in errorem inciderunt, ad unitatem venire voluerint, eos absolvant a censuris, & in pristinis dignitatibus eos permanere posse declarent. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIX. Sept. P. a. III. a. D. 1526.

Rex

Rex Svetiæ invitatur ad Concilium.

XV. Ad ann. 1559. §. 73. PIUS IV. Regi Svetiæ, & Norvegiæ.

Inc. *Ejusmodi munus, &c.*

CAusam aperit Regi Pius, cur Concilium Tridenti prosequi velit; nempe quia muneris sui est Ecclesiam tutari, & hæreses detegere, ut vera fides appareat;

Bullam convocationis ad Regem mittit, sicut ait se illam ad omnes principes mittere,

Eum ad illud invitat, ut veniat vel ipse, vel suos oratores mittat; interesse, ait, etiam sua, mittere eos legatos, sic enim videbit quænam sit vera fides, sic rixas, discordiasque e regno suo tollet.

Ad illum se mittere, ait, Nuntium Episcopum Pharensem Zachariam Delphinum spectatæ probitatis, exquisitæque prudentiæ virum, qui plura cum rege loquetur de hoc.

Dat. Romæ apud S. Petrum Die V. Dec. P. a. I. a. D. 1560.

In eandem sententiam scripsit ad Regem Daniæ Pius.

Facultas data prælato N. absolvendi ab hæresi Christinam Reginam Svetiæ.

XVI. B. R. t. 6. p. 4. p. 50. C. C. ALEXANDER VII. Episcopo N.

Inc. *Cum sicut, &c.*

CHristina Svetiæ Regina illustris ex hæreticis parentibus procreata, & in hæresibus educata, divino numine illustrata, viaque veritatis agnita, easdem hæreses omnino deserere, & ad gremium S. R. E. benedicente Domino, redire desideravit.

Quapropter Prælato N. dat facultatem Alexander eam absolvendi, *sive prævia abjuratione judiciali, sive extrajudiciali, aut nulla abjuratione præcedente, sed recepta tantum fidei Catholicæ professione juxta articulos a S. Sede propositos; adhibito aliquo ad prædictos actus notario.* N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die X. Oct. P. a. I. a. D. 1655.

Deputatio quatuor Prælatorum missorum in Nuncios extraordinarios ad eamdem Reginam.

XVII. Ib. p. 58. C. C. ALEXANDER VII. Venerabilibus Fratribus &c.

Inc. *Ut carissima, &c.*

HOs quatuor Prælatos deputat Alexander in Nuntios extraordinarios mittendos ad Reginam Svetiæ, Annibalem Thebarum, Lucam Ravennæ Archiepiscopos, Innicum Caracciolum, & Philippum Cæsarinum Clericos Cameræ.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXIX. Oct. P. a. I. a. D. 1655.

Duo Cardinales mittuntur obvii Reginæ.

XVIII. Ib. p. 65. C. C. ALEXANDER VII. Cardinalibus, &c.

Inc. *Cum carissima, &c.*

DE consilio Cardinalium juxta Decretum Conciliare Alexander deputat Cardinales Joannem Carolum Medici, & de Hassia, ut tamquam Legati a Latere obviam eant Reginæ Romam adventanti.

D. Romæ apud S. Petrum die XXIX. Nov. P. a. I. a. D. 1655.

Indultum ut Regina possit ingredi Monasteria virorum urbis.

XIX. Ib. p. 69. ALEXANDER VII. Eidem, &c.

Inc. *Singularis majestatis, &c.*

UT magis, magisque Reginæ *consolatio augeri posset*, permittit Alexander, *ut cum honesto, & moderato mulierum, quas duxerit eligendas, & nonnullorum virorum ætate, & prudentia gravium numero monasteria virorum ingredi possit.* N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIV. Dec. P. a. I. a. D. 1655.

Indultum ingrediendi Monasteria Monialium.

ALEXANDER VII. Eidem, &c. XX. Ib. C. C.

Inc. *Spirituali consolationi, &c.*

CUm eodem comitatu ob eamdem causam indulget Alexander Christinæ, ut Monasteria Monialium queat intrare. N. O.

D. Romæ eod. die, &c.

Indultum ingrediendi cryptas Basilicæ S. Petri.

ALEXANDER VII. Eidem &c. XXI. Ib. C. C.

Inc. *Eximia majestatis, &c.*

ETiam illi permittit Pontifex, ut quoties voluerit, ingredi possit Basilicas S. Petri, Capellam ad Sancta Sanctorum, Capellam subterraneam S. Helenæ in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem de Urbe, in quæ loca non patet ingressus. N. O.

D. eod. die &c.

Indultum visendi Vultum Sanctum, & Sacram Lanceam.

ALEXANDER VII. Archipresbytero, & Capitulo Basilicæ S. Petri. XXII. Ib. p. 71. C. C.

Inc. *Ut Carissima, &c.*

MAndat Alexander Archipresbytero, & Canonicis supradictis, ut quoties requisiverit Regina, illi deferant *Vultum Sanctum*, & *Sacram Lanceam* e tabernaculis, ubi asservantur ostendenda *usque ad fores, per quas e Basilica ad Odeum, in quo tabernacula existunt, datur accessus.* N. N.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Jan. P. a. I. a. D. 1656.

Indultum ingrediendi quælibet loca Sacra.

ALEXANDER VII. Reginæ &c. XXIII. Ib. C. C.

Inc. *Eximia majestatis, &c.*

DEmum reginæ permittit Pontifex, ut quaslibet Cryptas, quælibet loca sacra ingredi, & invisere possit. N. O.

D. ead. die.

Indultum ingrediendi Eremos Camaldulensem, & Carthusianam.

ALEXANDER VII. Eidem, &c. XXIV. Ib. C. C.

Inc. *Singularis majestatis, &c.*

HAnc quoque dat Reginæ facultatem Pontifex, ut Eremos Carthusianam, & Camaldulensem prope Tusculum visitare possit, & invisere. N. O.

D. eod. die.

Indulgentia affixa Imagini Christi Crucifixi datæ Reginæ.

ALEXANDER VII. Eidem, &c. XXV. Ibid. 73. C. C.

Inc. *Quanto majori, &c.*

DOno dederat Alexander Reginæ *Imaginem Jesu Christi ad columnam ex lapide cydneo ligati, & a duobus tortoribus flagellati, & theca ex ebano inclusam.*

Hasque addit indulgentias; quoties regina illam gestans imaginem vel officium parvum B. Mariæ V. recitaverit, vel psalmos Pœnitentiales, coronam Domini,

ni, aut certiam partem Rosarii dixerit, aut aliquod hospitale visitaverit, & aliquo die festo de præcepto confessa fuerit, & communicata indulgentiam plenariam consequetur;

Si feria sexta, qua jejunabit, confitebitur, & communicabit, eamdem lucrabitur indulgentiam,

Quoties dolnerit vere de peccatis, indulgentiæ annorum decem erit particeps, & alias. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die II. Jan. P. a. I. a. D. 1656.

Facultas pernoctandi in itinere in Monasteriis Monialium.

XXVI. Lib. p. 185. ALEXANDER VII. Eidem, &c.

Inc. *Spirituali majestatis, &c.*

ITer susceptura Reginæ, ut aliqua loca Italiæ videret, dat facultatem Alexander, ut, si pervenerit ad loca, ubi sint monasteria Monialium cujuscumque ordinis, ibi pernoctare possit cum quatuor feminis, quas sibi in socias itineris delegit. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Jul. P. a. III. a. D. 1659.

De electionibus Episcoporum in Regno Svetiæ.

XXVII. Ex Rayn. ad ann. 1265. §. 40. INNOCENTIUS IV. Upsalensi Archiepisc. ejusque suffraganeis.

Inc. *Lecta nobis, &c.*

SCripsit Upsalensis Archiepiscopus hunc pravum morem esse in Svetia, *ut Cathedralibus Ecclesiis regni non præficerentur, nisi quos in eis institui, vel destitui potius per potestatis sæcularis potentiam, regis scilicet, & Baronum, nec non, & ad clamorem tumultuantis populi contra sacrorum statuta canonum contingebat.*

Sabinensis Episcopus A. S. Legatus *hunc detestandæ præsumptionis abusum diligenter attendens, volensque eum tollere, statuit ut in singulis Ecclesiarum ipsarum, in quibus adhuc capitula nulla erant, unus prælatus idoneus, & ad minus quinque canonici haberentur, per quos eisdem Ecclesiis pro tempore vacaturis de futuro Episcopo per electionem canonicam providetur.*

Rogavitque Pontificem, ut statutum hoc Legati confirmaret;

Quod quidem Innocentius confirmat, *& præsentium tenore statuit, ne quis de cætero in aliqua Ecclesiarum ipsarum in Archiepiscopum, vel Episcopum per abusum hujusmodi præfici debeat, sed ille præficiatur, quem ejusdem Ecclesiæ capitulum, vel eorum major, & sanior pars forma servata canonica duxerit eligendum.*

Tum decernit, ne obeunte Episcopo quisquam bona ad Episcopalem mensam spectantia usurpare præsumat, *sed per capitulum Ecclesiæ, vel alium ad hoc deputatum ab ipsis ad opus futuri Episcopi fideliter conserventur.*

Inhibet, ne ab illis eorumque successoribus *aliqua sæcularis persona homagii, vel fidelitatis exigere, seu oblatum recipere audeat juramentum; maxime cum,* sicut asserebat Archiepiscopus, *pro aliquorum assertione regalium, seu feudorum obtenta eisdem Regi, & Baronibus, seu aliis personis sæcularibus obnoxii nullatenus existant;*

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Lugduni VII. Id. Dec. P. a. VIII. a. D. 1250.

Gratulatio cum Regibus, & Populis VVisigothorum, quod Christiani facti fuerint cum monitis.

XXVIII. Le Baron. ad a. 1082. §. XXX. GREGORIUS VII. VVisigothorum gloriosis regibus L. & A., & populis.

Inc. *Pater noster, &c.*

SE accepisse ab eorum Episcopo qui venerat ad sacra limina, significat prædictis Gregorius, eos amplexatos Christianam religionem esse.

Quare gratias plurimas Deo agit, eumque rogat, ut quod incepit in iis opus perficiat.

Respiciant hujus caducæ vitæ, & harum rerum incertitudinem; mutuam caritatem fervent; Ecclesiis honorem, pauperibus subsidium, Episcopis, & Sacerdotibus reverentiam præstent, decimas in victum Sacerdotum, in substentationem Ecclesiarum, in auxilium pauperum solvant.

Et quoniam tarde ad fidem venerunt, elaborent, ut cura, & studio eam profitendi certent cum iis, qui primitus eam acceperant.

D. Romæ P. a. IX. a. D. 1081.

DE POMERANIÆ DUCATU.

Laudantur Pomerani quod fidem sint amplexati.

GREGORIUS IX. Pomeranis, & Pozolucensibus. I. Ex Rayn. ad ann. 1231. §. 42.

Inc. *Gratias agimus, &c.*

GRatias Deo agit Gregorius, quod suum lumen diffuderit in Pomeraniæ, & Pozolucensem regiones.

Eos incolas etiam laudat, quod propositam veritatem fidei audierint, & sint amplexati.

Eos hortatur, ut quoniam tanta aviditate Christi legem sunt amplexati, eam fideliter semper custodiant.

Eos monet, ut ament præcones verbi Dei, qui erant Fratres Prædicatores, eorum dicta exequantur, eorum opera imitentur.

Ut autem Pontificiam gratiam sentiant, eos, eorum provincias, eorum bona sub B. Petri, *& sua protectione recipit speciali.*

D. Reatæ VII. Id. Jul. P. a. V. a. D. 1231.

Reprehenditur Dux Pomeraniæ.

INNOCENTIUS IV. Svvantopelko Duci Pomeraniæ spiritum Consilii Salutaris. II. Ex Rayn. ad ann. 1245. §. 85.

Inc. *Potentiæ tuæ, &c.*

CUm Leotinis, & Prutenis societatem inierat Dux, & cum illis una aggressus fuerat Fratres S. Mariæ Theutonicorum in terra Culmensi constitutos, & eos magna clade affecerat,

Monet eum Pontifex, ut videat, ne in se iram Dei concitet, & quia cum hostibus fidei ille, qui est christianus, societatem fecit, & quia defensores fidei interemit.

Redeat ad Ecclesiam tandem aliquando; & potius quam obicem ponat absolutioni excommunicationis, qua irretitur his malis operibus, operibus bonis caret permulcere Ecclesiam, ut eum liberet ab ejus censuræ vinculo, quo per annos octo constringitur,

Mitius ergo agat cum iis fratribus, & cum fidelibus Russiæ, sciatque, & terram Culmensem, & Prussiam, & Fratres, & eos fideles esse sub speciali S. Petri protectione.

Quod si perget idem facere, non poterit Pontifex non ea remedia adhibere quæ his malis mederi posse credet.

D. Lugduni Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1245.

Mandatur Archiepiscopo Gnesnensi, & Suffraganeis, ut Ducem Pomeraniæ excommunicatum declarent.

INNOCENTIUS IV. Archiepiscopo Gnesnensi, & Suffrag. III. Ib. §. 87.

Inc. *Ne hic, &c.*

NArrat prædictis Prælatis Innocentius, quæ mala patrarit Pomeraniæ Dux.

Tum illis mandat, ut eum moneant, ut intra quindecim dies a receptione præsentium *a tanta penitus temeritate desistat.*

Quod niti fecerit, eum cum suis fautoribus singulis diebus festis solemniter excommunicatum populis denuntient;

Nisi

Nisi corrigatur, adversus eum sæculare brachium invocent.

Dat. Lugduni Calend. Februar. Pontificat. ann. II. ann. Dom. 1245.

Commendatur Ducibus Stetinensibus Ecclesiæ propugnatio.

IV. Ex Rayn. ad ann. 1331. §. 22. JOANNES XXII. Othoni, & Barnim Ducibus Stetinensibus Ecclesiæ R. fidelibus.

Inc. *Litteras Apostolicas, &c.*

IIs ducibus significat Joannes, se *noviter* confeciss, & edidisse processus contra Ludovicum Bavarum Ducem hæreticum, & schismaticum, & contra Ludovicum ejus filium, & misisse litteras continentes recognitiones, & abjurationes hæresis, & errorum Petri de Corbatia simul cum processibus ad Episcopum Caminensem, ut processus publicaret in iis partibus.

Eos igitur Duces hortatur, ut cum suis nepotibus in devotione erga sedem Romanam, & Ecclesiam persistant, & Ludovico Bavaro, ejusque sequacibus se strenue, & viriliter opponant.

Dat. Avenion. II. Idib. Februar. Pont. ann. XV. ann. Dom. 1331.

De Ducatu Stetinensi investiuntur ii Duces.

V. Ib. §. 23. JOANNES XXII. Othoni, & Barnim nato, & Butizlao, & VVratiozlao Ducibus Stetinensibus.

Inc. *Dilectus filius, &c.*

MIserunt præfati Canonicum quemdam Caminensem nomine suorum nepotum, & patruelium, qui offerret A. Sedi Ducatum Stetinensem, & a Pontifice investituram acciperet; qui quidem Ducatus ad illos pleno jure pertinebat.

Recensentur omnia loca ejusdem Ducatus.

Rescribit Pontifex, se recepisse præfatum Canonicum, & eum procuratorio nomine ea loca offerentem accepisse, & nomine Ecclesiæ se investire eos, eorumque Nepotes, & successores de iis locis tamquam de feudo ad Romanam Ecclesiam attinente;

Ac proinde cuilibet novo Pontifici juramentum fidelitatis præstabunt, juxta formulam earum partium, & homagium in recognitionem supremi dominii, quod in eum Ducatum, Comitatum, Villas, loca habet Ecclesia Romana,

Scribit, Canonicum jam dedisse eorum nomine prædictum juramentum.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Avin. III. Id. Mart. P. a. XV. a. D. 1331.

DE REGNO DANIÆ.

Monetur Rex, ut censum S. Sedi persolvat.

I. Ex Baron. ad ann. 1062. §. CIX. ALEXANDER II. Svenoni Regi Danorum. *Deest initium.*

Inc. *Quapropter, &c.*

QUapropter (placet hoc fragmentum exscribere) *prudentiam tuam admonemus, ut censum regni tui, quem prædecessores tui Sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ persolvere soliti sunt, nobis, & successoribus nostris transmittere studeat; ita tamen ut non sicut oblatio in altari ponatur, sed ut supra diximus, tam nobis, quam successoribus nostris, ut certius approbetur, præsentialiter offeratur.*

D. P. a. II. a. D. 1062.

„ Heriboldus Rex detrusus e regno primus suscepit „ Religionem Christianam. a. 826. „

Commendatur Regi anima illius Patris, & Ecclesia Daniæ.

II. Ib. ad an. 1077. §. LXXVI. GREGORIUS VII. Haraldo Regi Daniæ.

Inc. *Sancta, & universalis, &c.*

JAm novit Haraldus, quanto amore illius Patrem sit prosequuta Apostolica sedes. Quem quidem amorem Heraldus merebatur sua probitate, suaque clementia, *& cum vis diabolico instinctu incentiva vitiorum illecebras imitans corporis sui frena laxasset, inter optime Deo placentes reges illum cœlicas sedes inhabitare non esset dubitandum.*

Sed cum ante vitæ finem peccata per pœnitentiam luerit, sperare juvat eum felici in beatorum patria esse.

Testatur Gregorius, se Deum pro illius anima orare, ad quod debitæ pietatis officium regem etiam hortatur.

Sicut etiam enixe hortatur, ut Ecclesiæ defensionem suscipiat ad effusionem usque sanguinis.

D. Romæ P. a. V. a. D. 1077.

„ Laudatus postea fuit ab eodem Gregorio hic rex „, ut obediens Romanæ Ecclesiæ. Epist. 21. Lib. 7. „

Regis Canuti litteris respondetur.

III. Ib. ad an. 1079. §. XXXIII. GREGORIUS VII. Acono (lege *Canuto*) Regi.

Inc. *Sincero caritatis, &c.*

ASsumptus ad regnum Canutus miserat ad Gregorium legatos, qui testarentur suam Sanctæ Sedi obedientiam, reverentiamque; & scripserat Pontifici, se desiderio teneri ipsius Ecclesiæ documenta recognoscere.

Eum laudat Gregorius, hortaturque ad hæc desideria magis augenda, & ad præstandum se egregium, & probum Christianum. Quo magis excellit, eo etiam debet alios probitate superare.

Quoniam hæc omnia fluxa sunt, & instabilia, bona cælestia inquirat perpetuo permansura.

Si vult scire vera documenta Romanæ Ecclesiæ, mittat aliquem Romam, qui reversus *Apostolicæ sedis documenta, sive mandata plenius eruditus ad illum poterit perferre.*

D. Romæ Id. Oct. P. a. VII. a. D. 1079.

De liberatione Episcopi Slevicensis.

IV. Ib. p. 148. INNOCENTIUS III. VValdemaro Danorum Regi.

Inc. *Gratias agimus, &c.*

DOctus exemplo avunculi sui Canuti in turba interfecti Rex VValdemarus cum audisset Episcopum Slevicensem VValdemarum populum concitare, eum in carcerem conjecit.

Cum id accepisset Pontifex, regi scripsit, ut eum liberaret. Liberavit Rex, quamvis, ut scripsit Pontifici, certo sciret, VValdemarum moliturum esse in regnum insidias; tum petiit, ut alium Episcopum crearet.

Primum quidem gratias amplissimas agit Innocentius regi, quod Episcopum dimiserit,

Tum eum rogat, ut illum tuto deduci faciat in Hungariam, unde Rex ille Romam eum mittet.

Deinde illum rogat, ut nummos pro itinere, & mora Romæ Episcopo det, quos exiget super redditibus Episcopatus;

Quod Canonicæ sanctiones vetant locum viventis Episcopi usurpari, se excusat Innocentius, si alium Episcopum in locum VValdemari substituere nequit.

Illi tamen pollicetur, se nihil prætermissurum de iis, quæ ad cautelam pertinent.

Dat. Ferentini XIII. Calend. Februar. Pont. a. IX. a. D. 1206.

Gat-

Confirmatio privilegii de non turbando Daniæ Regno.

V. B.R. t. 3. p. 1. p. 36. C. C. INNOCENTIUS III. Regibus, principibus, fidelibus regno Daniæ circumpositis.

Inc. *Quanto specialius, &c.*

PRivilegium prædecessoris Alexandri (quod desideratur) *ne quis præsumat regnum Daniæ invadere*, turbare, minuere sub anathematis pœna inhibentis confirmat Innocentius.

Fuit enim hoc regnum in protectionem S. Sedis receptum.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c

D. Later. III. Cal. Febr. P. a. XII. a. D. 1210.

Confirmatio.

VI. Ib. p. 219. C. C. HONORIUS III. Regibus, principibus, &c.

Inc. *Cum sicut, &c.*

HOnorius, qui repetit iisdem verbis Innocentianum diploma, datum privilegium confirmat.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Later. XVI. Cal. Dec. P. a. V. a. D. 1220.

Suscipitur Rex cum regno in protectionem S. Sedis.

VII. T. XIII. Ib. p. 178. INNOCENTIUS III. VValdemaro Danorum Regi.

Inc. *Quod orthodoxæ, &c.*

SIgnificaverat Daniæ Rex Pontifici, se velle crucem assumere & exercre gladium ad laudem divini nominis, & Christianæ Religionis honorem, & reprimere feritatem incredulæ nationis.

Laudat Innocentius hoc regis propositum, illumque favoris Apostolici gratia prosequi voleus

Regem, & regnum ejus cum omnibus illius bonis, quamdiu vacaverit operibus hujusmodi pietatis in protectionem sham, & S. Petri recipit, & integra ei remanere vult.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Later. Non. Maji. P. a. XIII. a. D. 1210.

De liberatione e carcere Regis Daniæ, ejusque filii.

VIII. Ib. p. 301. HONORIUS III. Archiepiscopo Colonienſi.

Inc. *Immanitas detestandi, &c.*

HEnricus Comes de Zvverin regem Daniæ, ejusque filium in carcerem detruserat, & retinebat. Non preces prælulum, non magnatum regni apud comitem valuerunt.

Igitur scripserunt Pontifici, ut eorum libertatem procuraret.

In hunc finem Archiepiscopo Colonienſi scribit, cui facinus narrat.

In quandam insulam regni migrarat rex cum filio suo, ut ibidem æstatem transigeret; parvam secum habebat familiam, utpote qui nullas suspicabatur insidias. Comes immemor juramenti Regi præstiti, & beneficiorum ab eo acceptorum noctu irrupit in regis tentorium cum sociis, eumque dormientem invasit, ligatumque vulneravit, & una cum filio in sylvam abduxit, & regno cum illis egressus *in districtu Imperii captos detinere præsumit.*

Facinus tam atrox movere debet omnes reges, principesque, ut eorum libertatem obtinere a Comite studeant; sed Pontifex præ cæteris eniti debet. Regnum enim Daniæ est in Ap. Sedis protectione; Rex semper devotum in eandem se ostendit; Rex etsi publice Crucis signum pro expeditione in Terram S. non fert, tamen promisit, se, vel suum filium illuc iturum, ducturumque eodem subsidia.

Sicut igitur hactenus Archiepiscopus pro eorum liberatione laboravit sponte, multo magis laboret nunc Pontificis adhortationibus excitatus.

Comiti denuntiet Pontificis nomine, nisi intra mensem a denuntiatione facta captivos dimittet, eum esse excommunicandum solemniter, ejus terras dandas occupantibus, solvendos ejus subditos ab juramento, locum, in quo sunt captivi, supponendum interdicto.

Quæ omnia peragendi, nisi Comes pareat, dat facultatem Archiepiscopo Honorius.

D. Later. Cal. Nov. P. a. VIII. a. D. 1223.

Eadem scripsit ad Episcopos Lubecensem, & VVerdensem.

Scripsit etiam ad Imperatorem Fridericum, quem movere studet stimulis gloriæ, cum ipse sit primus inter reges, æquum esse, eum regibus afflictis opem ferre.

De testamentorum executione, & solutione decimarum.

GREGORIUS IX. Regi Daniæ, IX. Ib. p. 486.

Inc. *Sua nobis, &c.*

PRavus hic mos erat in Diœcesi Roschildensi, ut si quis aliquid legasset in pios usus, aut alicui personæ, etiamsi testamentum factum esset, duodecim testibus, qui *nominati* dicebantur, comparentibus ante judicem, & jurantibus, ita defunctum non legasse, sed reliquisse bona sua huic, illi, legata non adimplerentur, & bona huic darentur, aut illi.

Rogavit Episcopus Roschildensis Pontificem, ut efficeret, ut hic malus mos tolleretur;

Illum etiam rogavit, ut quoniam suæ Ecclesiæ redditus grant valde exigui, ne sibi retinerent populi decimas, sed eas Ecclesiæ solverent, ut moris erat.

Scribit Gregorius Regi, offenditque perversum eum morem esse, indignumque qui in Christiano regno vigeat; eumque horratur ut illum tollat;

Eum etiam hortatur, ut cogat dominos agrorum solvere Episcopo decimas, dignus est enim operarius mercede.

D. Anagniæ X. Cal. Sept. P. a. XIII. a. D. 1239.

Populi sequantur regem, & dum abest, ne regnum turbetur.

INNOCENTIUS IV. Lundensi Archiepiscopo, & ejus suffraganeis, X. Ib. p. 560.

Inc. *Sunt ii, &c.*

EStonii populi Christianæ Religioni jam nomen dederant. Sed circumjacentes populi Ethnici eos armis invaserant, acriterque eos impugnabant. Rex Daniæ Catholicæ fidei zelo motus crucem assumpsit, eoque parabat se conferre, ut Estonios protegeret.

Ut bene instructus militibus eo se posset Rex conferre, & ut de regni quiete tutus sit, mandat Archiepiscopo Lundensi, & ejus suffraganeis, ut populis crucem pro Estonia prædicent; & comitantibus Regem solitas indulgentias concedant;

Et ut compescant volentes regnum in absentia regis quocumque modo perturbare.

Quod quidem Pontifex recipit in suam, & Romanæ Ecclesiæ tutelam.

D. Lugduni X. Cal. Mart. P. a. II. a. D. 1245.

De violata libertate Ecclesiastica castigatur Daniæ Rex.

INNOCENTIUS IV. Daniæ Regi, XI. Ad ann. 1252. §. 31.

Inc. *Optamus fili, &c.*

PAterne monet Innocentius regem adhuc juvenem, qui privilegia concessa a suis majoribus Ecclesiæ Lundensi violarat, seque immiscere volebat in designandis iis, quibus sacerdotia darentur, ut cito assuescat Deum timere, revereri Ecclesiam, Christi sponsam, & diligere Ecclesiasticos Dei ministros.

Videat, quem exitum habuerit Ozias, qui volnit sacerdotale munus exercere, & collabentem arcam sustinere, illicet periit. Quid iis accidet, qui jura Ecclesiastica violant, si Ozias bono consilio egit; & eo modo punitus a Deo fuit?

Ergo reddat usurpata jura Ecclesiæ, restituat Vassallos eidem, neque amplius canonicos molestet, permittatque Episcopos eligere in pastores quos ipsi duxerint eligendos,

Sara-

Satagat Deum placare condignam faciendo satisfactionem.

D. Assisii XVI. Cal. Sept. P. a. XI. a. D. 1253.

Statuta prælatorum pro Ecclesiastica dignitate confirmantur.

XII. Ad ann. 1257. §. 29. ALEXANDER IV. ad p. r. m.

Inc. *Cum Ecclesia, &c.*

CUm adeo vilescret Episcopalis, & Clericalis dignitas in Dania, ut nobiles *etiam in præsentia Regis in* Episcoporum, & Clericorum *personas non verentur minas injuriosas inferre*, regni Prælati, coacta synodo, statuerunt abjectam dignitatem erigere.

Itaque decreverunt, ut

I. *Quicunque Episcoporum infra terminos regni Daciæ mala captione de mandato Domini regis, sive ejus conniventia, vel consensu, vel alicujus nobilis, qui manet intra fines prædicti regni, captus fuerit, vel membrum amiserit, aut atrocem injuriam in persona sua passus fuerit, ipso facto, dummodo probabiliter præsumi possit, hoc de voluntate Domini regis processisse, ac dubium non sit, ipsum hoc faciliter corrigere posse, in toto regno sint divina officia interdicta,*

II. *Si vero aliquid prædictorum alicui Episcoporum illatum fuerit per aliquem potentem, qui manet extra regnum Daciæ, & ex conjecturis constet posse aliquo modo hoc ex Regis, vel principum, sive nobilium regni Daciæ provenisse, eo ipso ejusdem Episcopi diœcesis a celebratione mysteriorum sileat divinorum. Et si rex admonitus per duos Episcopos, vel quoscunque clericos suæ diœcesis distulerit, vel non curaverit taliter læsa intra mensem justitiam exhibere, regnum ipsum usque ad condignam satisfactionem habeatur a divinis suspensum.*

III. *Prohibuerunt etiam sub excommunicationis pœna, ne aliquis presbyter, seu capellanus alicujus nobilis, durantibus prædictorum interdictorum sententiis, ipsis nobilibus præsentibus, aut aliquo alio in curiis dictorum nobilium, vel alias publice, vel private, divina celebrare præsumat: quod qui fecerit, sciat se excommunicationis sententiam incurrisse.*

Episcopi supplicarunt Pontifici postea, ut hæc decreta confirmaret ad majus eorum robur.

Ea itaque Alexander confirmat, observarique jubet.

Nulli ergo, &c.. Si quis, &c..

D. Viterbii V. Non. Oct. P. a. III. a. D. 1257.

Castigatur Rex Daniæ de illatis Ecclesiæ gravaminibus.

XIII. Ad ann. 1265. §. 53. CLEMENS IV. Regi Daniæ.

Inc. *Quam bonus, &c.*

QUæ qualiaque beneficia Ecclesia contulerit Majoribus regis, enarrat Clemens; eos & regnum in suam protectionem suscepit; quoties populi in reges rebellia sumpserunt arma, Ecclesia rebelles repressit, regem ipsum, & reginam cum Populus in carcerem detrusisset, Alexander IV. eos eripuit inde; & cum rursus populus turbas in eos excitasset, Urbanus IV. turbas sedavit.

Clemens ipse, ut regis quieti consuleret, & in officio populum contineret, misit legatum in Daniam Cardinalem Guidonem prudentissimum, & probissimum.

Hæc tot, taliaque beneficia non erant a rege maleficiis compensanda; non debebat in Ecclesiam, a qua auxilium, præsidiumque & ipse, & ejus progenitores acceperant, manus inferre, ejus jura violare, lædere ejus immunitates, libertatemque.

Hæccne reddit matris affectibus? Ita patris beneficia recompensat? Quanto melius ageret, si legato obediret nihil nisi sanum, nisi utile admoneuti, quam per appellationem, quæ est remedium ad sublevandos oppressos, ab ejus mandatis semet eximeret.

Quare sit rex posthac obsequentior legati monitis, sibique illud persuadeat, legatum ea dicere, quæ videt ipsi regi, regnoque expedire; eum agere non res suas, sed regis, eum esse Angelum pacis, non everſorem.

D. Perusii IV. Id. Junii P. a. I. a. D. 1265.

Jus coronandi Regis Archiepiscopi Lundensis ne usurpetur.

JOANNES XXII. Episcopis regni Daniæ. XIV. Ex Rayn. Ad ann. 1320. §. 6.

Inc. *Exhibita nobis, &c.*

MOrtuus erat Ericus Daniæ Rex, succesſeratque Christophorus.

Episcopus Lundensis, qui pro suæ Ecclesiæ negotiis erat in Curia timens, ne dum aberat, aliquis Episcopus coronaret Regem, jusque Reges coronandi, quod semper fuit Ecclesiæ Lundensis, Ecclesia sua amitteret, supplicavit Joanni, ut provideret.

Edicit omnibus ejus regni præsulibus Joannes, ne eorum quispiam audeat regem inungere sub excommunicationis pœna.

Irritum autem decernit quidquid contra hanc constitutionem actum fuerit.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Aven. IX. Cal. Aug. P. a. IV. a. D. 1320.

De restituenda Regi urbe Rosthok.

JOANNES XXII. Episcopo Ripensi, Præposito Slesvicensis, & Archidiacono Boschildensis Ecclesiarum. XV. Ad ann. 1323. §. 22.

Inc. *Querelam Carissimi, &c.*

REx Ericus Henrico Domino Magnopolensi Raseburgensis Diœcesis *terram de Rosthok quæ a longis vetro temporibus, quorum in contrarium memoria non existit, regibus Daniæ, qui fuerunt pro tempore dicitur fuisse subjecta, quamque dictus Ericus Rex, dum vixit, diutius in pace possederat, & tunc etiam pacifice possidebat*, dederat, custodiendam bona fide, restituendam dicto Regi, vel ejus heredi, & successori suo, cum fuisset requisitus. Mortuus Ericus fuit, quin restitutionem exigeret; & Christophoro heredi, & successori, qui eam ab illo requisivit, restituere renuit.

Quare confugit Rex ad Pontificem, qui cogeret Henricum eam urbem restituere.

Hoc negotium demandat Joannes prædictis prælatis; sine strepitu rei veritatem inquirant, repertaque, moneant Henricum, ut urbem det Regi, recusantem censuris eum cogant, ejus fautores, &c.

D. Aven. Cal. Febr. P. a. VII. a. D. 1323.

De Ludovico Bavaro.

JOANNES XXII. Christophoro Daniæ Regi. XVI. Ad ann. 1324. §. 18.

Inc. *Magnificentiæ tuæ, &c.*

OBsequium in S. Sedem testatus litteris ad Joannem missis fuerat Christophorus; simulque de pace inter eum, & Bavarum facienda innuerat.

Sicut etiam scripserat quibusdam Cardinalibus: fecerat enim Danus cum Ludovico affinitatem.

Rescribit Pontifex: sibi non accidere inauditum obsequium regis in Romanam Ecclesiam; omnes ejus progenitores summo studio eam coluisse; se in gratiam regis omnia paratum esse facere.

Tum multa crimina de Ludovico narrat, quam injuste se Imperatorem dici velit, quam injuste curet ab Ecclesiæ Romanæ servitio urbes subditas avertere; monitum non destitisse hæc facere; demum cum debeat tueri Ecclesiæ jura, se illum excommunicasse.

D. Avin. II. Cal. Junii P. a. VIII. a. D. 1324.

Regnum Daniæ suscipitur in protectionem S. Petri.

URBANUS V. VValdemaro Regi Daniæ. XVII. Ad ann. 1364. §. 14.

Inc. *Eximiæ affectionis, &c.*

UT devotionem suam in R. Ecclesiam ostenderet VValdemarus, eam personaliter visitaverat.

Hinc Pontifex in grati animi argumentum *regis personam, cum ejus regno & aliis omnibus, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet sub B. Petri, & sua, tutela recipit & præsenti scripti patrocinio communit.*

Insuper, ut aliquod spirituale bonum e suis laboribus

latis in dicta visitatione, *eum bonorum omnium, quæ in Dei Ecclesia, ipsius operante clementia ex nunc fieri contigerit, participem esse vult;*

Idque illi Apostolica auctoritate concedit de munere gratiæ specialis.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Aven. VII. Id Mar. P. a. II. a. D. 1364.

De suo adventu Florentiam, & de missione oratorum.

XVIII. Ad ann. 1439. §. 3. EUGENIUS IV. Erico Regi Daniæ.

Inc. *Cum variæ, &c.*

VIx ac pervenit Eugenius Florentiam, ubi celebrandum erat Concilium, omnes principes de suo adventu monuit; narratque se anfugisse Ferraria propter grassantem pestem, quæ in causa fuit, cur Florentia eligeretur; quo receptus magna cum populi lætitia Eugenius fuit.

Florentia est locus salubris, amænas urbes, fertilem habet agrum, locusque est tutus, liberque omnibus.

Regem rogat, ut mittat oratores suos, ut Danos quoque Episcopos oratoresque conjunctioni Ecclesiarum Occidentalis Orientalisque faciendæ interfuisse dici possit.

D. Florentiæ a. 1438. desunt reliquæ notæ.

De adventu Romam Regis Daniæ.

XIX. Ad ann. 1474. §. 2. SIXTUS IV. Regi Daniæ.

Inc. *Cognoscimus, &c.*

„ DAnorum Rex Christiernus una cum Joanne Saxoniæ Inferioris Duce, & splendida equitum aureatorum Caterva peregrini cultu Romam versus iter „ suscepit veneraturus sacra limina. Deflexit ad Imperatorem, a quo fuit investitus Ducatu Thietmar„ siæ, Holsatiæ, & Stormariæ; unde ex eo tempore „ locum habent Reges Dani inter Imperii principes. „ In Italiam progressus scripsit Pontifici, se venturum „ esse Romam,

Pontifex illi rescribit, se eo nuntio plurimum lætatum fuisse, rarissime enim contingit, Reges tanta devotione ferri, ut velint longa itinera suscipere, ut Martyrum monumenta, quæ plurima Romæ sunt, inspiciant; tantoque magis esse ejus pietatem deprædicandam, quod ejus regna longissime Roma absunt;

Quocunque tempore veniet, Pontificem eum esse excepturum extensis brachiis, daturumque operam, ut in ditionibus Ecclesiæ commode iter faciat, commode moretur Romæ, & commode revertatur.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXV. Febr. P. a. III. a. D. 1474.

Regis clementia laudatur.

XX. Ad ann. 1505. §. 24. JULIUS II. Joannis Daniæ, Svetiæ, Norvegiæ, & Gothorum Regi.

Inc. *Retulit nobis, &c.*

GRave bellum inter Lubecenses hinc, & Joannem Regem inde erat exortum; & Lubecensibus longe præstabat exercitu maritimo navalique Joannes ita ut posset delere omnino Lubecenses.

Motus tamen precibus A. Legati, qui dicebat, non decere principem Christianum versare christianum sanguinem, melius multo eas copias converti posse in Turcas, arma deposuit, & ad veniam admisit Lubecenses, pro quibus fidejussor fuit Dux Holsatiæ, quem laudavit litteris datis Julius.

Joannis clementiam igitur merito extollit Julius;

Sententiamque excommunicationis minitatur Lubecensibus si pacem frangent.

D. Romæ Die XV. Junii P. a. I. a. D. 1505.

Privilegia spiritualia dantur Regi, & Reginæ.

JULIUS II. Joanni Daniæ, &c. XXI. Ib. §. 19.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

COnsiderata eximia regis, reginæque devotione dat iis Julius facultatem

I. Eligendi sibi confessarium, a quo absolvi possint ab omnibus casibus, hæresis, rebellionis, & conspirationis in personam, & in statum Ecclesiæ, & quibusdam aliis exceptis; a quo possint commutari vota, exceptis votis castitatis, & religionis,

II. Habendi altare portatile, in quo possint facere celebrare missam ante auroram;

III. Si devenerint ad loca interdicta, possint facere celebrari sacra, januis clausis, exclusis excommunicatis,

IV. Possint a quocunque Sacerdote communionem accipere tempore interdicti, dummodo illi causam hujus interdicti ferendi non dederint,

V. Possint diebus quadragesimalibus, & jejunii vesci butyro, lacticiniis, & etiam carnibus de consilio utriusque medici;

VI. Quoties visitaverint duas Ecclesias, vel tria altaria in una Ecclesia cum sex personis nominandis ab ipsis in diebus quadragesimalibus lucrentur easdem indulgentias non secus ac si stationes urbis facerent.

VII. Christiana Regina quater in anno cum sex sive octo suis domicellis introire in monasteria monialium possit.

Parce utantur privilegio audiendi missam ante lucem. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVIII. Maji P. a. II. a. D. 1505.

De internuncii libertate, & de collectis pecuniis in fabricam S. Petri.

LEO X. Christierno Daniæ Regi. XXII. Ad ann. 1519. §. 57.

Inc. *Cum per litteras, &c.*

„ INternuntius Ap. in Dania summam auri magnam collegerat ex indulgentiis mittendam Romam pro „ ædificanda Vaticana Basilica. Ex Germania in Daniam fama pervadens, pecunias collectas non infu„ mi in fabrica, sed in construendis Palatiis Domus „ Mediceæ, christierrorum movit, ut vellet eam pecuniam sibi restitui, qua merces qualdam emerat; „ & quia quædam Internuntii crimina delata sibi fue„ rant, eum majestatis læsæ reum in carcerem conjici „ jussit.

De carcere Internuntii ac de crimine scripserat Pontifici Rex; tum accepit ab Internuntio litteras, se falso fuisse accusatum a famulo quondam suo, regemque fuisse deceptum.

Leo jam primo mandarat, ut Internuntius mitteretur Romam, qui si reus fuisset, gravissime fuisset punitus.

At ejus litteris acceptis, scribit Regi, se mandare Archiepiscopo Lundensi, ut inquirat, & processus ipse faciat in Dania, reumque repertum puniat, insontem autem Rex e carcere dimittat.

Quoad autem collectas pecunias pertinet, rogat Regem Pontifex, ut quoniam difficile esset vendere Romæ merces coemptas iis pecuniis, eas mittat Antuerpiam ad mercatores de Fucharis impensis fabricæ S. Petri; illi eas vendent, exactosque inde nummos Romam mittent.

Opus utpote magnificentissimum indiget pecunia multa, nec nisi Christiani principes sua liberalitate succurrant, erigi posse.

Fit in honorem Dei, & Apostolorum Petri, & Pauli, a quibus Religio sumpsit exordium, ne desit huic operi Rex munificentia sua.

D. R. apud S. Pet. Die XVI. Aug. P. a. VII. a. D. 1519.

De defendenda Religione Christiana in Dania.

CLEMENS VII. Friderico, & Christiano Holsatiæ, & Slevvicensi Ducibus. XXIII. Ad ann. 1526. §. 29.

Inc. *Persuasum habemus, &c.*

„ PRæ nimia ferocia, qua populos regebat Chri„ stiernus Daniæ, Svetiæ, & Norvegiæ rex fuerat e suis

e suis regnis ejectus, & exulabat; frustraque imploraverat Caroli V. auxilium, cujus sororem Isabellam in matrimonio habebat.

Timebat merito Clemens ne in ea rerum perturbatione posset in Daniam hæresis Lutherana irrepere, sicut irrepserat in Ducatum Bremensem.

Quare etiam atque etiam prædictos Duces rogat Clemens, ut efficiant, ne illuc penetrare possit.

Tum eosdem rogat, ut Episcopo Bremensi, qui magna clade hæreticos Lutheranos affacerat, auxilium præstent, ut reliquias ejus hæresis e sua Ecclesia exterminare possit.

D. Romæ apud S. Petrum Die VIII. Dec. P. a. III. a. D. 1525.

Rex Daniæ invitatur ad Concilium.

XXIV. Ad ann. 1536. §. 42. PAULUS III. Regi Daniæ.

Inc. *Licet quemadmodum, &c.*

SIgnificat Regi Paulus, se indixisse Generale Oecumenicum Concilium celebrandum Mantuæ, bullamque convocationis publicatam fuisse Romæ, ad tollenda dissidia, quæ tandiu Catholicam Ecclesiam vexabant.

Eum invitat ad idem Concilium.

Si venire ipse non poterit, mittat saltem oratores suos, cogatque Episcopos sui regni, ut illuc eant.

D. Romæ apud S. Petrum Die X. Sept. P. a. II. a. D. 1536.

„ Jam Rex Christiernus Lutheranæ sectæ se addi„ xerat,

„ Easdem litteras mittit ad Svetiæ regem. In Svetiam „ quoque irrepserat Lutherana lues.

DE REGNO NORVEGIÆ.

Monetur Rex Norvegiæ ut suo Archiepiscopo pareat,

ALEXANDER II. Haraldo Regi.

I. ex Daro. ad ann. 1062. §. CVI. Inc. *Qui adhuc, &c.*

QUi adhuc rudes in fide existitis, & in Ecclesiastica disciplina quodammodo claudicatis, scribit Alexander, opus est, Pontificem vos sæpe litteris visitare.

Sed cum difficultas viarum sit magna magna distantia, hinc jam deputarat Alexander Vicarium suum Albertum Bremensem Archiepiscopum, qui per litteras fuerat conquestus, *Episcopos ejus provinciæ aut non esse consecratos, aut data pecunia contra Romana privilegia, quæ suæ Ecclesiæ, sibique data sunt, in Anglia, vel in Gallia pessime esse ordinatos.*

Quare regem, & Episcopos monet, ut sicut S. Sedi debent reverentiam exhibere, ita exhibeant eam Archiepiscopo ejusdem Pontificis Vicario.

D. P. a. II. a. D. 1062.

Rex Olavus excitatur ad mittendos Romam juvenes nobiles, qui addiscant Religionem.

II. Ad ann. 1077. §. XXXII. GREGORIUS VII. Olavo &c.

Inc. *Notum vobis, &c.*

SIgnificat Gregorius Olavo, se ardere desiderio quosdam Roma mittendi in ejus regnum, ut puram, integramque ibidem Catholicam religionem doceant eos populos, sed paucos se habere; præterea esse longissimum iter, ignotum idioma;

Longe melius facturum regem (sicut scripsit Regi Daniæ quoque) *si de juvenibus, & nobilibus terræ suæ* quosdam mitteret ad aulam Apostolicam, quos *sub aliis suis reciperet B. Petrus*; hi bene instructi in regnum reversi fidem traderent puram.

Ad hoc igitur Regem hortatur.

Hortatur ad defendenda jura Ecclesiæ,

Ad administrandam recte justitiam &c.

D. Romæ XVIII. Cal. Jan. P. a. V. a. D. 1077.

Norvegiæ præsulibus mandatur, ut populos parentes Sveroni interdicant.

INNOCENTIUS III. Nidrosiensi Archiep. cæteris- que Norvegiæ Præsulibus. III. ex Rayn. t. 13. p. 18.

Inc. *In vestrorum, &c.*

SUero *quondam Ecclesiastico*, ut dicebatur, *functus officio* legitimo heredi Norvegiæ regni coronam detrahens ejus sanguine adhuc stillantem sibi imposuerat; Ecclesias rapiebat, Ecclesiasticos divexabat, bona Ecclesiarum occupabat, & alia plura indigna faciebat.

Ait Pontifex, se non mirari de Deo, qui permittit in bonorum exercitationem malos homines mala patrare, sed de præsulibus, qui cum videant sponsas suas, socios, populosque suos tam male haberi, adhuc tacuerint.

Eos ergo hortatur, ut Ecclesiastica arma in latronem, in apostatam, in sacrilegum, in tyrannum, & in ejus fautores, consiliarios, assseclas excommunicationis expediant, interdictoque subjiciant loca illi obtemperantia.

D. apud Civitatem Castell. II. Non. Oct. P. a. I. a. D. 1198.

Scripsit etiam litteras ad Reges Daniæ, & Svetiæ, ut in Sveronem arma caperent, & ex occupato regno eliminarent.

De Regis Coronatione.

GREGORIUS IX. Bergensi, & Stavengrensi Episcopis, & Abbati S. Mariæ de Stauleja Ord. Cist. IV. Ib. p. 383.

Inc. *Cum carissimus, &c.*

SUpplicaverat Rex Norvegiæ Pontifici pro coronatione.

Pontifex Episcopis Lundensi, & Scarensi provinciam dederat, ut *super electione, conditione, ac statu personæ regis, & Regni, aliisque circumstantiis universis, quæ ad ipsius promotionem, & prosecutionem negotii necessaria videntur, diligenter inquirerent veritatem.* Dum hanc inquisitionem faciebant, illi fato sunt functi. Nihil ergo statuere tunc potuit Pontifex.

Hoc idem negotium dedit igitur Pontifex Nidrosiensi Archiepiscopo & Episcopo Bergensi; hic procedere non potuit, quia ille mortuus fuit.

Ergo, ne Rex postulationes suas irritas videat, præfatis præsulibus committit Gregorius, ut negotium prosequantur, & Pontifici scribant.

D. Reate V. Id. Sept. P. a. V. a. D. 1231.

Ne Episcopum Amerensem Rex exagitet.

GREGORIUS IX. Norvegiæ regi. V. Ad ann. 1234. §. 47.

Inc. *Serenitatem regiam, &c.*

OCcuparat bona Amerensis Episcopatus Rex, jura invaserat: & injurias Episcopo intulerat; qui confugit ad Pontificem.

Eum per has litteras monet Gregorius, ut ablata Episcopatui restituat, ut satisfactionem Episcopo det.

Alioquin licet Pontifex eum diligat, *quia tamen deferre homini contra Deum non potest*, quibusdam prælatis, ait, se mandasse, ut nisi satisfecerit, in eum censuris procedant, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

D. Perusii III. Non. Oct. P. a. VIII. a. D. 1234.

Mittitur Legatus A. S. in Norvegiam.

INNOCENTIUS IV. Regi Norvegiæ Yachino. VI. Ad ann. 1246. §. 32.

Inc. *Tuo desiderio, &c.*

YAchinus Rex Norvegiæ virtutibus omnibus cumulatissimus flagitaverat ab Innocentio, ut in suum regnum Legatum mitteret.

Pontifex, qui summopere suspiciebat regem hunc, illi rescribit, se delegisse, & mittere in Legatum Villelmum Cardinalem Episcopum Sabinensem, *qui cum sit de dignioribus membris Ecclesiæ*, sollicitus erit *ut*

Deo per vitæ innocentiam placeat, & gratus hominibus per piæ converſationis ſtudium exiſtat; in eo Rex habebit, *quod ſuæ decus excellentiæ, ac regni utilitas per ejus miniſterium, Deo propitio, procuratur*.

Eum regi ſummopere commendat.

D. Lugduni III. Cal. Nov. P. a. IV. a. D. 1246.

Coronatio Regis Yachini mandatur Legato.

VII. 19.§.32. INNOCENTIUS IV. Villelmo &c.

Inc. *Te in Norvegiam, &c.*

SAbinenſi Epiſcopo electo Legato in Norvegiam, & in Sveciam Innocentius mandat, ut

Aſcitis prælatis provinciarum hujuſmodi, & convocatis, earum nobilibus, iiſque conſultis Regi Norvegiæ vice Pontificis coronæ regiæ largiatur honorem.

Eum monet, ut ita ſe gerat, ut *Dei gloria, & ipſius Eccleſiæ, ac regis ejuſdem inde decus proveniat.*

D. Lugduni III. Non. Nov. P. a. IV. a. D. 1246.

Legitimatur Yachinus.

VIII. 1b.§.34. INNOCENTIUS IV. Yachino &c.

Inc. *Mira regis, &c.*

EX illegitimo matrimonio natus erat Yachinus. Sed cum Pater ejus Haquinus heredem non haberet, heredem ex aſe eum reliquit. Verens Yachinus ne progreſſu temporis aliqui ſuper natalium defectu negotium ſibi faceſſerent, rogavit Pontificem, ut huic defectui conſuleret;

Innocentius ratione habita

I. Egregiarum illius virtutum, & in Eccleſiam meritorum,

II. Summorum illius genitoris in eandem Eccleſiam meritorum,

III. Omnium Norvegiæ regum propagandæ fidei ſtudii,

De conſilio Fratrum declarat, eum poſſe ſuccedere non obſtante hujuſmodi defectu in regnum, illudque tranſmittere ad filios, heredeſque ſuos.

Vetat quibuſcumque eum in hoc moleſtare.

Sperat demum fore ut Yachinus hujus beneficii ab Eccleſia accepti memor ſemper eam protegat, tuteturque.

D. Lugduni VI. Id. Nov. Ps a. IV. a. D. 1246.

Jus patronatus Eccleſiarum datur Yachino.

IX. Inn. Ep. 227. L. 4. INNOCENTIUS IV. Yachino &c.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

FAcultatem ſibi concedi arma ferendi contra finitimos ſuo regno populos idololatriæ addictos, flagitaverat a Pontifice Rex Yachinus.

Eam illi concedit Innocentius, ejuſque ſtudium religionis Chriſtianæ propagandæ maximopere commendat.

Tum in præmium, *ut cum aliqua ex terris paganorum ipſorum Chriſtiano dominio fuerit ſubjugata, in Eccleſiis, quæ ibidem ab illo, vel ejus heredibus conſtructæ fuerint, & dotatæ, jus patronatus habeat perpetuo, illi auctoritate præſentium indulget.*

D. Lugduni VII. Id. Nov. P. a. IV. a. D. 1246.

Norvegiæ regnum ſuſcipitur in tutelam S. Sedis.

INNOCENTIUS IV. Yachino regi, &c. X. ex Rayn. ad ann. 1252. §. 52.

Inc. *Dignum eſt, &c.*

ASſumpta Cruce iturus erat in Syriam Yachinus; regnumque ſuum Pontifici commendarat.

Ergo Pontifex Regem, reginam, regiam familiam, regnum, terraſque illius quæ in præſentia poſſidet, ſub ſuam, Beatique Petri protectionem ſuſcipit;

Statuitque ne quiſquam cujuſcumque ſit dignitatis quicquam eorum moleſtare perturbet; ſed ex nunc omnia integra maneant, & quieta, donec de reditu, vel obitu regis certiſſime cogноſcatur.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Peruſii II. Id. Dec. P. a. X. a. D. 1252.

Excitantur Norvegi ad propugnationem fidei.

JOANNES XXII. Fidelibus per regnum Norvegiæ conſtitutis. XI. An ann. §. 23. §. 21.

Inc. *Fide digna, &c.*

QUidam pagani dicti Fumar Crucis hoſtes, & inimici nominis Chriſtiani maximas ſtrages, & depopulationes exercebant, nitebanturque a veritate Chriſtianæ fidei ad gentilitatis errores avertere.

Ne id evenjat, quod eſſet dedecori maximo ei regno, ſi ad gentilitatem tranſiret, Norvegos hortatur, & orat Joannes, ut eos armis inde propellant, miſeraſque finitimas eas gentes ab eorum populationibus vindicent.

Et ut facilius in eos arma capiant, conſuetas indulgentias iis concedit.

D. Aven. Id. Febr. P. a. VII. a. D. 1323.

Norvegiæ Regit dat Pontifex mediam ſexennalis decimæ partem.

JOANNES XXII. Joanni de Serone Ord. Prædic. & Bernardo de Ortolis A. S. N. XII. Ad ann. 1326 §. 10.

Inc. *Dudum ex inſinuatione, &c.*

CArelli, Ruthenique depopulabantur regna Regis Magni Norvegiæ, Sveciæ, & Gociæ, ſed præcipue Norvegiæ.

Id ſignificavit Rex Joanni, ſimulque poſtulavit auxilium, quod niſi ſibi daretur, ſe neſcire, ſcripſit, quomodo eos repelleret, & regna ſua tutaretur.

Miſereſcens Joannes eorum populorum calamitatem, mandat prædictis Nuntiis ut medietatem decimæ ſexennalis quæ colligebatur, collectaque ex parte erat, inſumendæ in expeditione terræ Sanctæ, darent Regi, qua ad hunc unum finem uteretur, ut e ſuis regnis procul arceret hoſtes.

D. Aven. Id. Aug. P. a. X. a. D. 1326.

DE

DE DUCATU SABAUDIÆ.

Caſtrum Avillani oblatum a Comite Sabaudiæ S. Sedi acceptatur.

I. R. R. t. 3. p. 1. p. 251. C. C. GREGORIUS IX. Nobili viro Comiti Sabaudiæ.

Inc. *Sinceritatem, &c.*

CAſtrum Avillani obtulerat Comes Sabaudiæ S. Sedi, ut eſſet ejuſdem vaſſallus.

Illud recipit Gregorius;

Illudque illi dat in feudum, exigitque ab eodem fidelitatis juramentum.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Id. Apr. P. a. II. a. D. 1228.

Comes Sabaudiæ reſtituat Comitatum Gebennæ Epiſcopo.

II. ex Luhig. t. 3. P. 1053. GREGORIUS XI. Amadeo (VI.) Comiti Sabaudiæ.

Inc. *Nuper ſuper, &c.*

CUm natæ eſſent diſcordiæ inter Comitem Amadeum hinc, & Epiſcopum Gebennenſem inde, & ſe ſe interpoſuiſſet Gregorius, Comes eidem ſcripſerat, *tanquam Romanæ Eccleſiæ filius devotiſſimus, ſe ſuper prædictis factuvum quidquid duxiſſet ordinandum.*

Igitur rogat, & hortatur Gregorius Comitem, *quatenus ſuæ ſalutis intuitu, & etiam pro Pontificis, & Apoſtolicæ Sedis reverentia omnia per illum, ſeu ejus gentes Imperialium conceſſionum prætextu, & etiam alia occupata, propter quæ Gebennenſis civitas* (jam diu erat) *ſuppoſita fuerat, & adhuc erat Eccleſiaſtico interdicto, eidem Epiſcopo, & Gebennenſi Eccleſiæ plene, & libere reſtituat; ac Imperiales litteras, quas de hujuſmodi conceſſione habere dicebat, ad ipſum mitteret, vel ipſi Epiſcopo traderet.*

Eum demum rogat, ut ſtet conventionibus inter ejus prædeceſſorem, & Aymonem Epiſcopum factis. (*vide Eccl. Gebennenſem*).

D. Avinione IX. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1371.

Ne Dux, ejuſque conſiliarii infeſti ulterius ſint Epiſcopo Gebennenſi,

III. ſb. p. r. m. SIXTUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Sollicitudo, &c.*

PLurima diplomata probant Urbem Gebennam cum caſtris ad Epiſcopum pertinere;

Plures etiam Sabaudiæ principum litteræ extant, quibus rogarunt Epiſcopum Gebennenſem, *ut daret territorium, ut poſſent ſuis ducalibus ſubditis juſtitiam miniſtrare.*

Acceperat Sixtus, *nonnullis de commiſſione, & mandato, ut aſſeruerunt, Ducis Caroli* Epiſcopum Gebennenſem fuiſſe bonis ſuæ Eccleſiæ ſpoliatum, ſubditoſque & vaſſallos coactos fuiſſe recedere a ſervitute, & obſequio ejuſdem Epiſcopi, & recognoſcere in Dominum eundem Ducem.

Pontifex, qui non poteſt hanc juriſdictionem Epiſcopi ita violari permittere, terminos tres intra triginta dies, decem pro quovis termino, aſſignat Duci, & ejus conſiliariis per præſens monitorium affigendum valvis Eccleſiæ Gebennenſis, & locorum vicinorum, intra quos *exercitium juriſdictionis, & ſuperioritatis, & palatii, & caſtrorum dictæ Eccleſiæ cuſtodiam Epiſcopo dimittant*; liberent officiales, caſtellanos, & reliquos miniſtros Epiſcopi; neque obſtaculum ullum poſthac ponant Epiſcopo, quin ſuam exerceat juriſdictionem, & miniſtris, quin ſua munia.

Triginta diebus elapſis poſt alios octo dies ſententiam excommunicationis minatur reis, a qua abſolvi non poſſint, niſi a R. Pontifice, interdictum Diœceſi Gebennenſi, & minatur, ſi unquam poſthac in ſuo exercitio impedietur Epiſcopus, ſe commercium cum finitimis terris interdicturum, ſoluturum populos ab juramentis, juſjurumque Prælatis Eccleſiarum, ut ſingulis diebus dominicis, & feſtis excommunicationem, & interdictum promulgent, donec Ducis miniſtri plenam dederint ſatisfactionem. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum III. Non. Febr. P. a. XIII. a. D. 1483.

Sabaudiæ Duci ſignificatur Carolæ Cypri Reginæ obitus.

IV. ex Lunig. t. 3. P. §. 208. INNOCENTIUS VIII. Carolo I. Sabaudiæ Duci.

Inc. *Illuſtris memoriæ, &c.*

MOrtua fuerat Romæ Carola Cypri regina, quæ mira patientia innumeras tulerat ærumnas, quæ virtutibus omnibus ſplenduit, *quæ pridem jura ſua omnia eidem Carolo amoris in illum ſui teſtimonium ceſſerat, & dimiſerat.*

Hunc obitum Carolo ſignificat Innocentius, quem, ait, ſibi fuiſſe permoleſtum, & ſcire certo, talem Carolo futurum *ex ſanguinis neceſſitudine, & ex arctiſſima caritate*, qua illi erat conjuncta.

Eidem Carolo commendat Reginæ familiam orbatam quovis auxilio; ſe quidem, teſtatur Pontifex illi non defuturum, ſed ſummas eſſe ærarii Pontificii difficultates; eam eſſe compoſitam e ſenibus, ex expullis e Patria ſua;

Ait ſe curaturum ejus funus quam maxima magnificentia poterit pro difficultate temporum;

Eum hortatur, *ut pro ejus honore, & poſterorum conſolatione providere velit, ut aliquod ſepulcrum honorificum conſtruatur.*

D. Romæ apud S. Petrum Die XXI. Jul. P. a. III. a. D. 1487.

De auxilio mittendo Duci, & de reſtituendis rebus Eccleſiarum.

CLEMENS VII. Sabaudiæ Duci.

V. ex Rayn. ad ann. 1531. §. 31. Inc. *Quod pro noſtro, &c.*

„ FIdem Catholicam ejurarant Gebennenſes: ſed diſ„ ſidia multa erant inter eos. Dux ejus urbis Pa„ tronus ut eos ad officium redigeret, bellum in eos mo„ verat; ad eum miſerat auxilia, facultatemque ei „ dederat res pretioſas Eccleſiarum vendere, ut exactis „ pecuniis milites conduceret, Clemens.

Ut ergo ſemper antea Clemens auxiliatus Duci eſt, ita profitetur ſe in poſterum illi eſſe auxiliaturum pro conſervatione illius ſtatus, & Catholicæ Religionis.

Mittit ad illum prælatum ſuum domeſticum, qui cum conſilia communicet, & a quo Pontificii animi ſenſa audiet.

Quod ſi victoria, vel concordia honeſta illi contingeret, fietque, bona Eccleſiarum divendita progreſſu temporis ea illis reſtituat.

In hac tamen venditione habeatur ratio ut prius minus neceſſaria divino cultui vendantur.

D. Romæ apud S. Petrum XXVI. Febr. P. a. VIII. a. D. 1531.

Rogat Ducem Paulus, ut commodet de Urbe Niciæ, & arce pro celebrando conventu.

PAULUS III. Sabaudiæ Duci.

VI. Ex Rayn. ad ann. 1538. §. 40. Inc. *Nobiſcum qui, &c.*

„ INduciæ per ſex menſes factæ fuerant inter Impe„ ratorem, & Franciſcum Galliæ regem, ſed de „ pace convenire non potuerant Oratores utriuſque Prin„ cipis. Putavit Paulus inter eos poſſe concordiam ſe „ facere, ſi inducere eos ad mutuum colloquium poſ„ ſet, eos induxit. Niciam ergo ſelegit Pontifex, quo „ uterque conveniret, ubi ipſe Paulus mediator eſſet.

„ Suberat ea urbs Sabaudiæ Duci.

Illi igitur ſcribit Pontifex; ſe nihil a ſui Pontificatus exordio magis habuiſſe cordi, quam pacem ſtatuere inter principes Chriſtianos, ut reſiſti poſſet Turcis;

Cum omnia fruſtra per litteras, per Nuntios expertus fuiſſet, tandem conſentiſſe primos Chriſtianæ Reip. principes inter ſe colloqui Carolum, & Franciſcum;

Cum utrique vellet Pontifex commodam urbem eligere, elegiſſe Niciam.

Quapropter Ducem rogat, ut urbem, & arcem, quoniam urbs auguſta eſt, accommodare velit, & in

pote-

potestatem Pontificis, ut suspicio omnis tollatur, interea remittere.

Ne pigeat hæc facere, cum ne Pontifex quidem pro Christianitatis bono tam longinquum iter suscipere non recusat.

D. Romæ apud S. Marcum prid. Cal. Mart. P. a. IV. a. D. 1538.

„ Jam fœdus contra Turcas initum fuerat inter Pontificem, cujus classi præerat Grimanus Patriarcha Aquilejensis, & Imperatorem, & Venetos. Frustra eo „ in colloquio nixus est Paulus in idem fœdus pertrahere Franciscum. Vincentius Capellus præerat classi „ Venetæ, Andreas Auria Imperiali. Vitio Auriæ factum est, ut nulla utilitas ex hoc fœdere perciperetur. Turcarum Dux erat Barbarossa.

Facultas datur Nuncio in Sabaudia cognoscendi causas in secunda instantia quorundam locorum Abbatiæ S. Benigni.

VII. B.R. t.5. p. 3. p. 514.C.C. PAULUS V. Nuntio A. in Sabaudia &c.

Inc. *Ex commissa, &c.*

PIus IV. permiserat, ut Abbas S. Benigni causas incolarum Abbatiæ S. Benigni (quæ erat Abbatia ordinis S. Benedicti nullius diœcesis provinciæ Taurinensis: (*V. C. de Monasteriis monasterium S. Benigni de Fructuaria*) Montanarii, Fileti, & Lombardoni, aliorumque locorum ab Abbatia dependentium cognosceret etiam in secundâ instantia.

Facultatem hanc ademptam Abbati *rationabilibus de causis & animum Pontificis moventibus* dedit Clemens VIII. Nuntio A. in Sabaudia, & quidem quoad lites civiles, criminales, & mixtas, beneficiales, & matrimoniales ad quinquennium.

Sciens Paulus hanc delegationem cadere in commodum eorum locorum incolarum, iisque eam placere, ad aliud quinquennium eidem Nuntio illam prorogat. N.O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIX. Jan. P. a. IV. a. D. 1609.

Extenditur ad aliud quinquennium eadem facultas.

VIII. B.R. t.5. p. 4. p. 149.C.C. PAULUS V. ad f. r. m.

Inc. *Ex commissa, &c.*

CErtior factus Paulus causas eorum populorum bene procedere, eosque de hac delegatione lætos esse,

Eidem Nuntio eandem facultatem prorogat ad aliud quinquennium. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVI. Mar. P. a. IX. a. D. 1614.

Prorogatio alia ejusdem facultatis.

IX. B.R. t.6. p. 2. p. 318.C.C. INNOCENTIUS X. ad f. r. m.

Inc. *Alias pro parte, &c.*

AD preces incolarum hujus Abbatiæ, qui non leve commodum ex facultate data Nuncio cognoscendi causas &c. percipiebant,

Innocentius eandem facultatem ad quinquennium eidem Nuntio prorogat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Dec. P. a. VII. a. D. 1650.

Eadem facultas datur Nuntio.

X. B.R. t.6. p. 6. p. 215.C.C. CLEMENS IX. Nuntio &c.

Inc. *Alias pro parte, &c.*

IIsdem verbis, eadem de causa, quibus Innocentius dedit Nuntio facultatem cognoscendi lites,

Eandem illi dat ad quinquennium etiam Clemens, N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Prid. Cal. Nov. P. a. I. a. D. 1667.

Privilegium circa Beneficiorum provisiones.

NICOLAUS V. Ludovico Duci Sabaudiæ. XI. ExLunig. p. 744.

Inc. *Etsi ex paterne, &c.*

MErita Ludovici de Ecclesia expulsa ut Nicolaus compenset,

Ne ex provisionibus quibuslibet de quibusvis dignitatibus S. Sedi *reservatis, seu ex promotione quorumvis ad quarumcunque Ecclesiarum vel Monasteriorum infra districtum ejus Dominii temporalis consistentium regimina* Ludovici *dominio succedat dispendium, aut alia quævis adversitas intestina*, eidem Ludovico *promittit, & certum reddit,*

I. Se non provisurum ad regimina quarumcunque Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum, & ad dignitates Abbatiales *de quorumcunque personis nisi habitis prius per se intentione, & consensu ipsius Ducis de personis idoneis ad hujusmodi regimina, seu dignitates promovendis, vel de quarum personis provisiones fuerint faciendæ.*

II. Pollicetur ad alias dignitates post Pontificales majores reservatas nominationi S. Sedis se non promoturum nisi personas idoneas *de locis ditionis ipsius Ducis, aut illi gratas, & acceptas de aliis locis oriundas.*

III. Prioratus Tallueriarum, Ripaliæ, & Novalitii, ac Præposituram Montis-Jovis in confinibus Ducis dominiorum, non conferret, *nisi similiter prius ab ipso Duce ejus intentione habita de personis, quibus fuerint conferendi.*

IV. Non concedet gratias expectativas, & speciales reservationes nisi personis, *quæ locorum ejusdem districtus alienigenæ, vel extraneæ non fuerint; nisi fortasse ejusdem Ducis consensu aliis personis super hujusmodi gratiis obtinendis suffragetur.*

V. Si quidquam egerit contra tenorem harum litterarum *ex importunitate petentium, aut per præoccupationem, seu alias inadvertenter* irritum declarat, & nullum, & pro infecto haberi vult.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Id. Jan. P. a. V. a. D. 1451.

„ Hoc insigne privilegium dedit Nicolaus huic domui, quia Amadeus VIII. a Concilio Basileensi electus Pontifex pro pace Ecclesiæ Pontificatum depo„ suerat. Dicebatur Felix V. „

Nullus Clericus alterius nationis, & dominii obtineat in Ducatu Sabaudiæ beneficia.

SIXTUS IV. ad f. r. m. XII. Ex cod. Dipl. Ital. Lunig. t.p.723.

Inc. *Creditam nobis, &c.*

JOlantes Ducissa tutrix, & tutorio nomine Nobilis viri Philiberti Sabaudiæ Ducis significavit Pontifici mala multa provenire ex eo quod alienigenæ ad beneficia ducatus Sabaudiæ promoventur;

I. Morum incolarum sunt ignari:

II. Non curant bonum animarum; sed dummodo lucrentur, nihil pensi habent.

III. Ut plurimum in beneficiis non residunt.

IV. Bonum subditorum cum bono principis non conjungunt.

Supplicavit igitur Sixto, ut provideret.

Qui decernit, ne quisquam promoveatur ad beneficia in eo ducatu, qui non sit indigena.

Irritat proinde provisiones omnes expectativarum factas, & faciendas, sub quavis forma concessiones factæ sint. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum IX. Cal. Mart. P. a. IV. a. D. 1474.

Confirmatio præcedentis Constitutionis,

INNOCENTIUS VIII. ad p. r. m. XIII. Ib.p.728.

Inc. *Iis quæ, &c.*

EAdem Ducissa Jolantes supplicavit Innocentio, ut ratam haberet Sixti constitutionem.

Affertur integra in Bulla.

Innocentius eam confirmat, vultque ab omnibus Prælatis illius Ducatus sub excommunicationis pœna servari, declaratque provisiones de alienigenis factas futuras nullas. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Id. Mart. P. a. I. a. D. 1484.

Iterum

Iterum Sixti Bulla confirmatur.

XIV. Ib.p.734. JULIUS II. ad p. r. m.

Inc. *Romani Pontificis, &c.*

EXperti Duces Sabaudiæ quantum interesset Sabaudos clericos ad beneficia ejus Ducatus promoveri, expulsis inde alienigenis, rogarunt Julium, ut Sixti Constitutionem observari a Prælatis illius regionis præciperet in provisionibus ad beneficia.

Id præcipit per præsentes litteras Julius. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Maji P. a. III. a. D. 1506.

Confirmantur Bullæ Nicolai V. & Sixti IV.

XV. Ib.p.744. LEO X. ad p. r. m.

Inc. *Benignitas sedis, &c.*

FUerat rogatus Leo, ut Bullam Nicolai de provisionibus beneficiorum non faciendis nisi cum placito Ducum, & Sixti IV. confirmaret.

Summam uniuscujusque Bullæ apponit Pontifex.

Annuit ergo Ducis Caroli precibus, easque præcipit observandas. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XVI. Junii P. a. III. a. D. 1515.

Indultum datum Margaritæ Sabaudiæ Ducis Viduæ.

XVI. Ib.p.747. LEO X. Dilectæ in Christo Filiæ.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

NArrat Pontifex indultum a se datum Carolo V. Hispaniarum Regi Nepoti ejusdem Margaritæ, nempe ut nullus posset promoveri ad beneficia, Abbatias, prioratus in Archiducatu Austriæ, Marchionatuum, & Comitatuum, & dominiorum districtibus ejusdem Caroli, exceptis regnis Hispaniarum, & Neapolitano, *nisi habitis prius* de personis providendorum *intentione, & consensu ejusdem Caroli.*

Hoc privilegium extendit etiam ad beneficia in Flandria, & in Artheisa, & in Burgundia existentia.

Quia vero bona dotalitia in Burgundia habebat supradicta Margarita, & bona in Sabaudia illi concedit hoc privilegium concessum Carolo quoad beneficia in Burgundia sita, & indultum datum domui Sabaudiæ respectu beneficiorum in Sabaudia existentium. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XXII. Mar. P. a. V. a. D. 1517.

Confirmatio Bullæ Nicolai V. & Bullæ Sixti IV.

XVII. Ib.p.753. CLEMENS VII. ad p. r. m.

Inc. *Exposcit Apostolicæ, &c.*

HÆc Clementis Bulla edita ad preces Ducis Sabaudiæ Caroli est eadem ac Bulla Leonis *Benignitas sedis.*

Insuper domui Sabaudiæ confirmat Clemens omnes gratias, concessiones, indulta data a Pontificibus, ab Imperatoribus, a Regibus eidem familiæ, modo non adversentur sacris Canonibus.

Huic privilegio derogari non possit, nisi *causa urgens, & sufficiens* derogationis *exprimatur, & hujusmodi derogatio per trinas distinctas litteras earumdem tenorem continentes* fiat, *& tribus distinctis vicibus pro tempore existenti Duci Sabaudiæ insinuata, & intimata sit.*

Ita ab omnibus judicari vult.

Conservatores horum privilegiorum deputat Augustensem, Lausanensem, & Bellicensem Episcopos.

Qui censuris contradictores compescant, &c.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum die XIII. Febr. P. a. II. a. D. 1524.

Nova confirmatio supradictarum Bullarum.

JULIUS III. ad p. r. m. XVIII. Ib.p.769.

Inc. *Etsi ea, &c.*

NIhil novi continet hæc Bulla, nisi summam aliarum Bullarum Nicolai V. Sixti IV. & Leonis X. in favorem Domus Sabaudiæ de beneficiis.

Ita Emmanuel Philibertus supplicaverat Julio. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum VI. Id. Oct. P. a. V. a. D. 1554.

Alia Confirmatio.

GREGORIUS XIII. ad p. r. m. XIX. Ib.p.777.

Inc. *Divina disponente, &c.*

DUx Emmanuel Philibertus oravit Gregorium, ut confirmare vellet privilegia concessa a Superioribus Pontificibus Sabaudæ familiæ quoad beneficia.

Gregorius repetitis summis prædictarum Bullarum, ea confirmat. N. O.

Nulli ergo, &c. Si vuis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Id. Dec. P. a. I. a. D. 1572.

„ Cum Henricus II. Galliæ Rex Sabaudiam occupasset, velletque de beneficiis disponere juxta privi„ legium Nicolai V. aula Romana semet illi opposuit „ ajens privilegium illud esse personale, nempe datum „ uni Duci Ludovico, sed Julius III. illud confirmavit „ Henrico.

„ Sixtus V. etiam confirmationem negavit Carolo „ Emmanueli D. ut apparet ex ejus Brevi die 4. Jul. „ an. 1584. ad eumdem Carolum. Exquisierat consi„ lium Cardinalium S. Marcelli, & Aldobrandini, „ qui censuerant, illud esse personale. Sed Aldobran„ dinus creatus Pontifex (Clemens VIII.) illud con„ firmavit. „

Confirmatio Privilegiorum domus Sabaudiæ.

CLEMENS VIII. ad p. r. m. XX. B.R. t.5. p. 2. p. 62. C.C.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

COnfirmat Clemens omnia privilegia a Pontificibus Sabaudiæ domui concessa.

Nicolaus V. concessit Ludovico, ut sedes Apostolica non eligeret ad beneficia Metropolitanarum, Cathedralium, ad monasteria in eo districtu, nisi habito prius ipsius ducis consensu,

Sixtus IV. decrevit, ut beneficia Sabaudiæ conferrentur incolis tantum, & oriundis inde;

Quas Constitutiones Innocentius VIII., & Julius II. confirmarunt.

Bonifacius VIII. vetuit, in Ducem Amadeum, & ejus dominia censuras jaci inconsulta S. Sede, & non facta expressa mentione hujus indulti,

Quod Julius II. confirmavit Carolo.

Leo X. rata habuit quæcumque privilegia concessa ducibus, & nationi Sabaudiæ ab Imperatoribus, Regibus, &c.

Idemque approbavit Clemens VII.

Confirmavitque Gregorius XIII. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum die X. Junii P. a. IV. a. D. 1595.

Explicatio Privilegii Nicolai V. de provisione Beneficiorum in dominiis Ducum Sabaudiæ.

INNOCENTIUS XII. ad p. r. m. XXI. B.M.p.40. vel t.10. p. 235.

Inc. *Cum dudum, &c.*

NIcolaus V. ann. 1451. Ludovico Sabaudiæ Duci spoponderat, ne ex provisione beneficiorum a S. Sede facienda existentium *infra districtum ejus temporalis dominii, flatui ejus succederet dispendium aut quævis alia adversitas intestina, se ad quarumcunque Ecclesiarum Metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium, aut dignitates abbatiales neminem præsecturum, nisi*

niſi habitis prius intentione, & conſenſu ipſius Ludovici Ducis de perſonis idoneis ad regimina ſeu dignitates Abbatiales promovendis, vel de quorum perſonis eæ proviſiones eſſent faciendæ.

Hæc privilegia confirmavit Leo X., Clemens VII., Julius III., Gregorius XIII., Clemens VIII.

Ortum ad illa verba *infra diſtrictum ejus temporalis dominii* fuit dubium; an etiam provinciæ citramontanæ eidem Duci ſubjectæ eſſent intelligendæ?

Pontifex, attenſa obedientia, & reverentia eorum Ducum erga S. Sedem ſemper præſtita, vult, & declarat, etiam eas provincias citramontanas fuiſſe a Nicolao intellectas, & eſſe intelligendas; *idque etiam de conſiliis Cardinalium, qui juſſu Pontificis dubium illud excuſſerunt.*

Supradicti Nicolai indultum, ejuſque litteras hujuſmodi etiam citramontanas eidem Ludovico Duci tunc ſubjectas ditiones comprehendere auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die III. Jul. P. a. IX. a. D. 1700.

„ A Clemente XI. in demortui Innocentii locum „ ſubrogato petiit Dux Nicolai privilegii confirmatio- „ nem.

„ I. In confirmationis Bulla, hæc verba *niſi habitis* „ *prius per nos intentione, & conſenſu regis* apponere „ Clemens prætermiſit, quæ quidem verba, & in pri- „ vilegiis Nicolai, & in Brevibus illud confirmantibus „ omnibus repetita fuerant;

„ II. Prætérea ſibi jus eſſe dicebat Clemens quaſ- „ cumque penſiones vellet, imponendi beneficiis in pri- „ vilegio recenſitis;

„ III. Volebat, Cameram Apoſtolicam debere frui „ omnibus fructibus, & redditibus beneficiorum vacan- „ tium, quos quidem antea ſemper œconomi regii per- „ cipiebant, & adminiſtrabant.

„ Obſtupuit ad hæc maximopere rex; hinc utrin- „ que, & a regia aula, & a Romana diſceptatum eſt „ per totum Clementis diuturnum Pontificatum, quin „ quicquam concludi poſſet, emergente ſubinde nova „ diſputandi ſegete, cum Pontifex accuſaret Regem „ tamquam violatorem immunitatis Eccleſiaſticæ, & „ libertatis, proferretque juriſdictionem in Abbatiam „ S. Benigni, & in feuda ab illa dependentia, quam „ a Rege uſurpatam eſſe dicebat. „

Mandatur Nuntio, ut vetet, infantes Catholicorum educari apud hæreticos.

XXII. B.R. t. 5. p. 1. p. 39. C.C. CLEMENS VIII. Nuncio A. Sabaudiæ.

Inc. *Perlatum eſt, &c.*

IN locis Pinarolii, & finitimis Catholici parentes dabant infantes ſuos educandos nutricibus hæreticis; quorum aliqui apud eas, uſque ad annos quinque, ſeptem permanebant.

Quod cum poſſet eſſe maximo periculo illis infantibus, qui tenelli quod percipiunt, difficulter admodum deponunt,

Mandat Clemens Nuntio ſuo Sabaudiæ, ut hanc peſſimam conſuetudinem tollat.

D. Romæ apud S. Petrum die XXVIII. Febr. P. a. XIII. a. D. 1604.

Ad Nuntium Sabaudiæ, ut eligat Epiſcopum Gebennenſem in viſitatorem Eccleſiarum Sabaudiæ.

XXIII. B.R. t. 5. p. 4. p. 351. C.C. PAULUS V. Nuntio A. apud Ducem Sabaudiæ.

Inc. *Oneroſa paſtoralis, &c.*

NE hæreſis peſtis inficiat ducatum Sabaudiæ, vult Paulus, viſitari omnes ejus Eccleſias, monaſteria, loca pia, oratoria, univerſitates ab Epiſcopo Gebennenſi, cui hanc deputationem Nuntius A. ibidem ſignificabit.

Illi dat ad hanc viſitationem neceſſarias facultates Paulus.

Negotia tamen gravioris momenti vult reſervata S. Sedi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die VIII. Aug. P. a. XIV. a. D. 1618.

Conceſſio ſubſidii Duci.

CLEMENS VIII. Carolo Emmanueli Duci, &c. XXIV. B.R. t. 5. p. 2. p. 76. C.C.

Inc. *Cum alias, &c.*

ETiam Sixtus V. bis conceſſerat Duci Emmanueli ſubſidium quinquennale decem millium ſcutorum ſuper fructibus Sabaudiæ, & Pedemontii (Bulla deeſt in V. B.)

Quod prorogarat Gregorius XIV. ad aliud quinquennium.

Clemens illud extendit ad annos tres, augetque illud ſcutis quinque millibus, modo Dux hoc ſubſidio utatur ad expellendos hæreticos e ſuis ditionibus, intactamque ſervandam Catholicam fidem.

In exactione vult obſervari formam præſcriptam a Sixto (quæ fuerit hæc forma, non docetur).

Nuncius A. executor deputatur. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum die XIV. Sept. P. a. IV. a. D. 1595.

Conceſſio trium decimarum intra triennium Duci.

PAULUS V. Nuntio Apoſtolico apud Sabaudiæ Ducem M. P. XXV. B.R. t. 5. p. 3. p. 219. C.C.

Inc. *Præſtantia dilecti, &c.*

OB eximia merita Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis illi Paulus M. P. concedit decimas tres ſuper bonis Eccleſiaſticis ſuarum ditionum intra triennium.

Ita tamen, ut hæ decimæ ſummam triginta millium ſcutorum non exſuperent;

Intra triennium erunt perſolvendæ, & decem millia erunt perſolvenda quovis anno.

Collectorem deputat Nuntium A. cui dat opportunas facultates. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum die II. Julii P. a. II. a. D. 1606.

Impoſitio ſex decimarum.

GREGORIUS XV. Nuntio A. apud Ducem Sabaudiæ M. P. XXVI. B.R. t. 5. p. 4. p. 252. C.C.

Inc. *Præſtantia dilecti, &c.*

MAndat Gregorius Clero ſæculari, & regulari dominii Ducis Sabaudiæ, ut ſolvat ſex decimas Duci unam quolibet anno per annos ſex.

Nuntius deputatur executor; in qualibet provincia ſcuta 10. millia tantum colligantur. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XXVII. Maji P. a. I. a. D. 1621.

Commiſſio facta Nuntio pro impoſitione ſubſidii in favorem Catholicorum Vallium dominii Ducis.

ALEXANDER VII. Nuntio A. Sabaudiæ. XXVII. B.R. t. 5. p. 4. p. 60. C.C.

Inc. *Ut quacumque, &c.*

UT Alexander ſublevet egeſtatem, ad quam redacti erant propter bellum cum hæreticis, incolæ Vallium dominii Sabaudiæ Ducis, mandat Nuntio A. ut impetret omnibus bonis Eccleſiaſticis ejus ducatus ſubſidium unius pro quolibet centenario;

Quod omnino ſolvendum eſſe decernit a quibuſcumque, Cardinalibus, & militibus Hieroſolymitanis exceptis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XV. Nov. P. a. I. a. D. 1655.

Irritatur edictum Ducis quoad feuda Eccleſiæ Aſtenſis.

ALEXANDER VII. ad p. r. m. XXVIII. B.R. t. 5. p. 4. p. 233. C.C.

Inc. *Accepimus nuper, &c.*

AStenſis Epiſcopus ediderat, ut omnes Feudatarii (qui ſunt numero decem & ſeptem) in diœceſi Aſtenſi

Aſtenſi venirent ad Epiſcopalem curiam, ut inveſtituram acciperent.

Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux, ut Vicarius Imperialis injungit omnibus his, ut vocati inveſtituram ab Epiſcopo accipiant, illique juramentum fidelitatis præſtent.

Pontifex irritat hoc decretum, quo videtur Dux in eos feudatarios jus habere, cum illorum dominium ſupremum, & directum ſpectet tantum ad Sanctam Sedem. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XX. Aug. P. a. IV. a. D. 1658.

Caſſatio articulorum inter Ducem, & Gebennenſes cives factorum.

XXIX. B.M. p. 5. vel t. 11. p. 113. B.R. t. 7. p. 282. C.C. CLEMENS X. ad p. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

JAm ab ann. 1603. pax convenerat inter B. M. Carolum Emmanuelem Ducem Sabaudiæ ex una parte, & cives Gebennenſes ex alia, & hæc erant Capitula:

I. Ut quædam jura, & bona ſpectantia ad Eccleſiam Gebennenſem reſtituerentur hæreticis,

II. Ut qui profugerunt ex Catholicis, Gebennam interdum reverti poſſent impune domos ſuas,

III. Ut hi hæretici libere vivere poſſent in dominio Ducis;

IV. Ut ſententiæ latæ a Gebennenſibus contra Catholicos valeant, ſententiæ vero contra Gebennenſes ſuper bonis Eccleſiarum ab his uſurpatis non valeant,

Quia ſuper his articulis beneplacitum Sedis A. non fuit requiſitum, quia in ſummum Eccleſiarum præjudicium cadunt, eos articulos caſſat, & irritat Clemens;

Declaratque, neminem ad eorum obſervantiam teneri, etiamſi juraverit, nullum coloratum titulum, nullam præſcriptionem admitti debere, & Cathedralem Gebennenſem in ſua jura reſtituit. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Dec. P. a. V. a. D. 1674.

Irritatio edicti circa fumentes habitum Clericalem, aliorumque.

XXX. B.M. t. 8. p. 43. B.R. t. 10. p. 1. p. 168. C.C. CLEMENS XI. ad p. r. m.

Inc. *Alias cum, &c.*

JAm diſſenſiones inter Aulam Sabaudiæ, & S. Sedem a tempore Innocentii XII. ortum habuerant. Multa enim acta fuerant a magiſtratibus laicis *ſuper conſervatione, & reunione regalii, & ratificatione per delegatos, appellatos contractuum, læſiva Eccleſiaſticæ juriſdictionis, libertatis, & immunitatis.*

Etenim an. 1697. Edictum fuerat ſub certis pœnis, ne concederent ſynodici, conſiliarii, aliique Gubernatores beneplacitum, vulgo *placet*, cuiquam habitum Clericalem volenti aſſumere, aut promovendo ad ordines, niſi prius conſtaret *officiali appellato Patrimoniali Generali* de qualitate, capacitate perſonæ, & de numero ſacerdotum ejus loci, unde is eſſet oriundus.

Per Archiepiſcopum Taurinenſem tentaverat Innocentius tolli hoc edictum; ſed renovatum fuit a. 1699. in quo ulterius jubebatur, ut omnes Eccleſiæ parochiales haberent numerum præfixum Clericorum, & ut patrimonia eſſent ad normam Concilii Tridentini tantum; cujus edicti nullitatem declaravit Archiepiſcopus.

Eodem anno editum fuit hoc juſſum in urbe Hypporegienſi, quo bona omnia Eccleſiaſtica, perſonæ, communitates, collegia, quæ fuerant antea exempta, ſubjiciebantur *ſolutioni annui oneris* (*taſſa*) & hæc omnia bona deſcripta fuerant *in cataſtico*, ſuper quæ interim per ſequeſtrum procedebatur; publicabaturque præcedens edictum interea per omnes urbes Pedemontii.

Oppoſuerant edicto huic Ducis edicta ſua nonnulli Ordinarii; ſed prævalebat Patrimonialis delegatus Generalis edicto ſuo, quo conabatur oſtendere nullitatem edictorum Epiſcopalium, monens Epiſcopos etiam, *ut deſiſterent a perturbatione; conſervandum enim eſſe Ducale Patrimonium;* pœnas laicis minitans, ſi in hoc Epiſcopis adhærerent.

Innocentius, qui congregationem Cardinalium conſtituerat ad hoc, approbavit decretum ejuſdem congregationis jubentis Ordinariis, ut contra miniſtros Ducis de jure procederent a. 1700.

Archiepiſcopus Taurinenſis ita juſſus monitorium in ducales miniſtros publicavit; eodem tempore ducales miniſtri aliud edictum ediderunt una cum edicto Senatus Taurinenſis contra Archiepiſcopum declarantis, non eſſe læſam Eccleſiaſticam libertatem, ſi Dux vellet a bonis Eccleſiarum perſolvi onus (*Taſſæ*) & jubentis Archiepiſcopo revocationem edicti intra menſes duos.

Etiam Senatus Nicienſis dicebatur egiſſe contra Eccleſiaſticam libertatem. Voluerat enim dijudicare cauſam Cajetani Albanelli proviſi de Eccleſia parochiali loci Rocaſteronis *pro impedienda exactione fructuum inexactorum dictæ Eccleſiæ ad Cameram Apoſtolicam pertinentium; decrevitque ſequeſtrum cum laxatione infavorem ipſius Cajetani.* Ad Senatum enim confugerat Albanelli.

Cum Nuncius S. Sedis exiſtens Taurini, & Prolegatus Avenioni tueri vellent jura S. Sedis, Archiepiſcopus Ebredunenſis tanquam Metropolitanus Epiſcopatus Nicenſis declaravit licitum recurſum Cajetani ad Senatum Nicienſem contra Nuncium, eumque abſolvit. Cum Prolegatus juſſiſſet affigi valvis Eccleſiæ ſententiam Archiepiſcopi, curſor, qui affixit edictum, fuit in carcerem conjectus.

Aliud edictum non minus injurium S. Sedi edidit idem Senatus, cum juſſit an. 1699. ne ſubditi temporalis Dominii Nicienſis compærent in Curia Epiſcopali Ventimilienſi; Ventimilienſis Epiſcopus cenſuras jecit in hos miniſtros. Sed Nicienſis Senatus aliud edidit edictum, quo jubebat, ut excommunicati ab Epiſcopo converſarentur, & colloquerentur æque ac non eſſent excommunicati.

Hæc acta fuerant vivente Innocentio XII.

Aſſumpto Clemente, Senatus Nicienſis an. 1701. appellavit a ſententia emanata a Nuncio, & Prolegato de caſſatione ſententiæ irregularis, & incompetentis Archiepiſcopi Ebredunenſis pro parte procuratoris fiſcalis ducalis, Pontifici inſtanti, ut reparatio injuriæ fieret, terminoſque aſſignanti, pro Victorio Amadeo Duce exhibita fuit inſtantia, ut deputaretur Cardinalium congregatio, quæ examinaret, & ageret quæ expedire crediderit.

Deputatus fuit Cardinalis Sperellus, ut cum miniſtris Ducis ageret.

Interim dum agebatur, naſcitur controverſia inter menſam, & Curiam Epiſcopalem Auguſtanam Tarentaſiæ provinciæ ex una, & Canonicos Regulares S. Ægidii de Verreſio ex alia parte ſuper jure conferendi quaſdam Eccleſias parochiales. Indicium demandatum fuerat Nunciaturæ Taurini. Procurator Fiſcalis provocat ad Senatum Taurinenſem. Senatus revocat judicatum Nunciaturæ; vetat, de cætero deferri cauſas ad eam; immo Auditor Nunciaturæ diſcedere jubetur ab omnibus Ducis tunc abſentis ab aula dominiis.

Clemens an. 1702. ſcripſit Duci, ne inſtigeret hoc vulnus Eccleſiæ; ut corrigeret miniſtros ſuos, interpoſitis etiam officiis Cardinalis Barberini Duci cari.

Amadeus eodem anno publicavit Taurini edictum tritavi ſui de an. 1563. jam alias editi, quo multo magis reſtringebantur jura Eccleſiaſtica de ſucceſſionibus, de jure teſtandi, &c.

Præterea ſubditis, & Feudatariis Eccleſiæ locorum Montaſiæ, Ciſternæ, Cortanſæ Patrimonialis Ducalis per edictum injunxerat, ut Ducem tantummodo recognoſcerent; cum certo certius eſſet, eos ſemper fuiſſe ſubditos Eccleſiæ; tamen fuerunt ab iis locis violenter extracti, *proceſſati, &c.*

Ad hæc Senatus Taurinenſis per edictum monuit Epiſcopum Aquenſem, ne extra ditionem temporalem Ducis evocaret Parochum loci Mombaldoni a divinis ſuſpenſum; qui tamen Parochus declaratus fuit irregularis ob violatam ſuſpenſionem ab Epiſcopo per decretum latam; quod decretum ut revocaret ab eodem Senatu, fuit admonitus Epiſcopus.

Aliud decretum ejuſdem Senatus prodiit an. 1702. quo vetabantur FF. MM. Conventuales executioni demandare ſententiam excommunicationis latam contra Carolum Auguſtinum Mallettum ejuſdem ordinis profeſſum.

Demum Senatus Nicienſis vetuerat Epiſcopo Nicienſi, ne Antonio Arnaud officiali Archiepiſcopi Ebredu-

nensis impediret exercitium Vicariatus in loco Barcinonettæ, quæ est urbs ipsius Episcopi Nicæensis.

Hæc, & alia talia non poterant non angere Pontificis animum. Quare M. P. & de plenitudine potestatis acta, decreta, statuta hæc rescindit, cassat & annullat, & censuris Ecclesiasticis subjicit mandantes, consulentes, exequentes; a quibus liberari non possint, *nisi convenientem fecerint reparationem* illarum injuriarum, & damnorum Ecclesiasticæ libertati, & immunitati latorum. N. O.

Cum autem hæc decretum tuto in dominiis ejusdem Ducis publicari non posset, jussit illud affigi locis solitis Romæ. *Nulli ergo, &c.*

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVII. Maji P. a. VII. a. D. 1707.

Nullitas actorum a potestate laica circa Abbatiam S. Benigni.

XXXII. B.M.t.8. p. 362. B.R.t.10. p. 1. p. 245. C.C. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Accepimus super, &c.*

CUm vacasset Abbatia S. Benigni, Patrimonialis Generalis supplicem libellum Sabaudiæ Duci obtulit, eum rogans, ut confirmaret deputationem suam factam super quatuor terris S. Benigni, Montanarii, Felletti, & Lombardoris spectantibus ad juspatronatus regium, aboleretque deputationem factam a subdelegato Thesaurarii Cameræ Apostolicæ, quo eligebantur deputati ad administrationem justitiæ vassallis dictæ Abbatiæ S. Benigni in Fructuaria, & œconomus ad colligendos fructus toto vacationis ipsius Abbatiæ tempore.

In has patrimonialis Generalis preces edidit decretum Victorius, in quo confirmat judices deputatos, & œconomum electos a Patrimoniali, & excludit electos a subdelegato Thesaurarii. Decretum est de an. 1710.

Clemens decretum Ducis ut læsivum jurium Ecclesiasticorum reprobat, pœnisque Ecclesiasticis subjicit & Generalem Patrimonialem, & delegatos ab eo, & œconomum; & roborat decretum a Thesaurarii subdelegato editum; & hunc œconomum, non alios Abbatiæ vacantis fructus percipere jubet. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVII. Oct. P. a. X. a. D. 1710.

Thesaurarii Generalis Monitorium in usurpantes fructus Abbatiæ S. Benigni.

XXXIII. B.M.t.8. p. 362. B.R.t.10. p. 1. p. 245. C.C. JOANNES Patricius R. C. A. Thesaurarius Generalis. *Monitorium.*

Inc. *Universis, & singulis, &c.*

NArrat hic Generalis Thesaurarius, quæ contra Ecclesiasticam immunitatem, & Ecclesiæ jura patrimonialis Generalis Ducalis fieri jusserit per suos officiales in Abbatia S. Benigni.

Omne frumentum quod in horreis Abbatiæ reconditum erat, quodque erat apud Colonos, ablatum fuit; molendinum, quod erat Abbatiæ, fuit datum aliis; Procurator Fiscalis Abbatiæ pro R. Camera fuit percussus, & in carcerem armata manu conjectus; irruerunt etiam artifices in monasterium, tectumque discooperuerunt.

Commissarius S. Sedis in principatu Masserani hæc audiens edictum ad valvas Ecclesiæ Abbatialis S. Benigni affigi jussit, quo imperabat, ut omnes S. Sedis subditi A. Sedis jura defenderent.

Hoc edictum armata manu fuit ablatum a valvis Ecclesiæ, & laceratum; armata manu Capitaneus intravit in Ecclesiam Montanarii, & ibi male vexavit presbyteros, quos invenit. Subcollector R. Cameræ impositus equo, circumdatus *birruariis* fuit jussus se conferre in Ducatum Mediolanensem.

Hæc sunt præcipua crimina attentata contra Ecclesiæ jura.

Tum recenset Thesaurarius eos, qui ita deliquerunt; eisque præscribit terminos tres, quindecim dies pro quolibet termino, ut Romam veniant, vel alios mittant nomine suo ad se purgandos; quibus elapsis minatur, se processurum ad publicationem earum censurarum, in quas ita agentes incurrerunt.

D. Romæ Ind. IV. Die VI. Oct. a. D. 1711.

Cum citati intra datos terminos non comparuissent, Thesaurarius eos excommunicatos publice denunciavit ob violatæ jura Ecclesiastica.

Aliud Monitorium contra Laicalem potestatem, quæ locavit bona Abbatiæ.

JOANNES Patritius, &c. *Monitorium.* XXXIV. Ib.p.368.

Inc. *Universis, & singulis, &c.*

OB usurpationem fructuum Abbatiæ S. Benigni rei citati, neque comparentes declarati publice excommunicati fuerant. Sed laicalis potestas nullas declaravit Generalis Thesaurarii censuras; immo novæ injuriæ factæ sunt Ecclesiæ.

Namque vacante judice illius Abbatiæ alius fuit suffectus a sæculari potestate; tum coacti fuere conductores bonorum Abbatiæ comparere ante hunc judicem, & quæ credita, quæque debita haberent, exponere.

Demum Generalis patrimonialis Ducis supplicavit eidem Duci, ut declararet, quam vim haberent denunciatæ a Thesaurario R. Cameræ censuræ, & nomine Ducis fuit publicatum edictum, quo damnabantur Thesaurarii censuræ tanquam nullæ, verabaturque cuique cujuscunque jussa exequi, nisi ministrorum Ducis.

Taurinum citantur conductores bonorum Abbatiæ, Novæ violentiæ fiunt presbyteris, conductoribus, subditis, quorum aliis rapiuntur bona, aliis adimuntur locationes, omniaque armata manu fiunt; militesque hic illic per loca Abbatiæ distribuuntur.

Subditi tamen Abbatiæ non recedunt a fide, quam S. Sedi debent.

Nomina eorum, qui hæc nova crimina contra Ecclesiam patrarunt, vel patrari jusserunt, recensentur, iique citantur intra quadraginta quinque dies Romam cum interminatione inobedientibus Ecclesiasticarum pœnarum publicationis.

D. Romæ Ind. VI. Die XX. Junii a. 1713.

Jam hoc tempore Dux, tunc rex Siciliæ, & S. Sedes contendebant inter se de juribus Monarchiæ Siculæ. v. ibi.

Citatio trium Canonicorum, quod conversati fuerint cum excommunicatis.

JOANNES Patritius, &c. *Monitorium.* XXXV. Ib.p.374.

Inc. *Universis, & singulis, &c.*

QUidam Canonici Ecclesiæ Abbatialis S. Benigni metuentes interdictum, quia sacrum fecerant præsente Joanne Blancardo excommunicato, dum hi in capitulo agunt de petenda absolutione, Canonicus Blancardus ibi præsens frater Joannis graviter eos reprehendit; neque Blancardus fuit solus, alii duo Canonici idem senserunt. Hique tres Canonici familiariter, & palam loquebantur cum excommunicato, & cum illo conversabantur non sine gravi bonorum scandalo.

Hos ergo tres Canonicos Thesaurarius A. Cameræ tanquam participes excommunicationis Blancardi citat, terminosque tres, quindecim dies pro quolibet, præscribit, ut Romam adeant. Quibus elapsis, nec se per se, vel per alios sistentibus publica indicitur excommunicatio.

D. Romæ Die III. Aug. a. 1714.

Elapsis tribus præscriptis terminis, quia rei non comparuerunt, eos tres Canonicos in excommunicationem incidisse declarat per suum edictum Thesaurarius.

Citatio læsorum Fiscalis A. Cameræ.

JOANNES Patritius, &c. *Monitorium.* XXXVI. Ib.p.376.

Inc. *Universis, & singulis, &c.*

DOminicus Gumarra Brunettus Procurator Fiscalis localis Cameræ computorum, aliique duo satellites citantur intra spatium quadraginta quinque dierum Romam.

Erant hi rei violatæ immunitatis Ecclesiasticæ; namque e gradibus Ecclesiæ parochialis S. Crucis Abbatiæ S. Benigni tentarunt armata manu trahere Fiscalem A. Cameræ in eadem terra, eumque in Ecclesiam confugientem inde extraxerunt, & in carcerem detruserunt, accurrentemque Parochum, eosque admonentem, ne violarent asylum, graviter vulnerarunt; ita ut sanguinem effuderint.

D. Romæ Die III. Aug. a. 1714.

Non comparuerunt intra statutos terminos citati; proinde declarantur excommunicati.

Monitorium contra conductores bonorum Abbatiæ.

XXXVII. Ib.p.372. JOANNES Cardinalis Patritius, &c. *Monitorium.*

Inc. *Universis & singulis, &c.*

POstquam Patrimonialis Generalis conductores bonorum Abbatiæ expulerat, Taurini bona illius Abbatiæ hastæ supposuit, plusque offerentibus dedit.

Pro-thesaurarius Generalis A. Cameræ rescindit hanc locationem, ut factam a laica potestate nullum jus in ea bona habente.

Deinde citat Romam conductores intra solitum terminum ut rationem reddant, cur id egerint.

Minatur, se eos excommunicaturum, nisi compareant.

D. Romæ Die XI. Junii a. 1716.

Elapso termino, non comparentes fuerunt publicati excommunicati.

Monitorium in Judicem delegatum a laicali potestate in terris Abbatiæ.

XXXVIII. Ib.p.378. JOANNES Cardinalis Patritius. *Monitorium.*

Inc. *Universis, & singulis, &c.*

DOctor Victorius Amadeus Throna Taurinensis delegatus fuerat a laicali potestate judex in terris Abbatiæ S. Benigni vacantis.

Primum quidem hanc deputationem factam a laicali potestate nullum jus in eas terras, eosque subditos habente cassat Pro-thesaurarius,

Deinde citat intra quadraginta quinque dies eundem judicem Romam, ut purget se, quibus rationibus adductus putaverit, se non esse excommunicatum parendo laicali potestati in re ad Ecclesiam spectante.

Non comparenti minatur Cardinalis excommunicationis publicationem.

D. Romæ Die XXIX. Sept. a. 1716.

Throna non paruit, ac proinde pronuntiatur censuris innodatus.

Citatio Fiscalis, & executorum Curiæ Abbatialibus.

XXXIX. Ib.p.379. CAROLUS Collicola Pro-thesaurarius. *Monitorium.*

Inc. *Universis, & singulis, &c.*

HOc monitorio citantur Fiscalis Curiæ Abbatialis, & executores tanquam excommunicati, quia violatores immunitatis Ecclesiasticæ;

Præscribiturque iis quoque idem terminus, quo elapso, quin pareant, denuntiatio censurarum publicabitur.

D. Romæ Die XVII. Maji. a. D. 1719.

Litteræ declarationis fuere affixæ locis solitis, termino elapso, non comparentibus citatis.

Monitorium ad omnes officiales Abbatiæ.

XL. Ib.p.380. CAROLUS Collicola, &c. *Monitorium.*

Inc. *Universis, & singulis, &c.*

OMnes officiales in terris Abbatiæ S. Benigni a laica potestate electi violatores Ecclesiasticorum jurium citantur Romam; prætiguntur soliti termini.

Præterea omnia acta, sententiæ emanatæ a judice, instrumenta rogata per vicarios declarantur nulla.

D. Romæ Die XVII. Maji a. D. 1719.

Cassatio actorum ab Episcopo Vintimiliensi in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis.

XLI. B.M.p.6. vel t.12. p. 495. B.R.t.10. p. 1. p. 249. C.C. CLEMENS XI. ad p. r. m.

Inc. *Cum, sicut, &c.*

ACta quædam Episcopi Ventimiliensis in præjudicium Ecclesiasticæ jurisdictionis cassat, & irritat Clemens.

Simul ac ad Episcopatum Carolus de Rubiolis assumptus fuit, Vicarium misit in oppidum Soargium sub temporali jurisdictione Ducis Sabaudiæ, eique Vicario facultatem omnem dedit cognoscendi lites Ecclesiasticas, & mixtas, & agendi quidquid expedire crediderit in grave præjudicium suæ Sedis.

Præterea supplicem libellum porrexit eidem Duci, quo rogabat eum, ut sineret, se capere possessionem eorum Episcopalium bonorum, quæ in dominio ejusdem Ducis erant.

Rogabatque eum, ut sequestrum appositum fructibus eorum sub antecessore Episcopo relaxaret.

Dux jussit id, & Senatus Niciensis sequestrum sustulit.

Hæc omnia cum sint contraria sacris Canonibus, injuriosa Episcopis, damnosa S. Sedi, Pontifex tanquam non acta esse vult.

Jubet, ut Episcopus statim inde Vicarium removeat, eidemque Vicario mandat, sub præcepto strictæ obedientiæ, ne quicquam agat, sed inde statim recedat.

N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die III. Janu. P. a. XI. a. D. 1711.

Confirmatio excommunicationis latæ ab Episcopo Astensi.

CLEMENS XI. Decretum. XLII. B.M.t.8. p. 428.

Inc. *Cum sacræ, &c.*

PRo quadam causa beneficiali, quæ unice ad Episcopum Astensem spectabat (cum beneficium, de quo agebatur, esset in ejus Episcopi Diœcesi) cum quidam confugissent ad Taurinensem Senatum, Episcopus declaravit, eos incurrisse in excommunicationem enuntiatam in Bullis Pontificiis, propositque illis terminum quinque dierum. Idque public exposuit.

Senatus interim Taurinensis jussit Episcopo, ut sententiam revocaret, & absolveret reos; quamquam sciret, eorum absolutionem, cum non paruissent intra datum tempus, reservatam esse Pontifici.

Sacra ergo immunitatis Ecclesiasticæ Congregatio hanc absolutionem abolet, declarans, eam omnino esse nullam, & quod consequens est, confugientes ad laicalem potestatem in causa mere Ecclesiastica esse excommunicatos, ac proinde vitandos, ac arcendos a Sacramentorum participatione.

Confirmat hoc Congregationis decretum Clemens.

D. Romæ Die V. Julii a. D. 1712.

Nullitas actorum a Senatu Niciensi.

CLEMENS XI. ad p. r. m. XLIII. B.M.p.6. vel t.12. p. 527. Ib.p.324. C.C.

Inc. *Cum, sicut, &c.*

A Syndicis terræ Villiarii Nicensis Diœcesis, ut cogerentur Ecclesiastici ad solutionem talliarum, & aliorum onerum pro bonis Ecclesiasticis possessis impositorum, *factus fuit recursus* ad Senatum Nicensem, qui publicavit edictum, quo dabat Syndicis facultatem exigendi pro rata a Clericis, & regularibus pro bonis Ecclesiæ, & patrimonialibus solutiones, quas si Ecclesiastici dare renuerent, per vim ea bona invaderent, & inde auferrent solutiones.

Ecclesiastici id scientes transegerunt cum Syndicis, se soluturos pro rata, hac tamen conditione, *ut si princeps declararet, ea bona debere esse immunia*, solutio non amplius fieret.

Damnat omnia hæc acta Clemens, & recursum Syndicorum ad potestatem laicalem de re, quæ ad potestatem laicam non spectat, & decretum Senatus Nicensis in bona, in quæ jurisdictionem non habet, & appositionem clausulæ factæ conventionis ab Ecclesiasticis,

ſticis, cum cognitio hujus rei ſpectet ad S. Sedem, non ad ſæcularem poteſtatem.

Pœnas ergo minatur Eccleſiaſticas Clemens & Syndicis, ſi exegerint ſolutionem in vim decreti Nicienſis, & Eccleſiaſticis, ſi ſolverint in vim initæ conventionis, quam ipſe de plenitudine poteſtatis tollit, & abrogat. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Ms Maj. Die IX. Jul. P. a. XII. a. D. 1712.

Confirmatio excommunicationis latæ ab Epiſcopo Caſalenſi.

XLIV. B.M.t.8. p. 114. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Non ſine, &c.*

EPiſcopus Caſalenſis excommunicationem jecerat in quemdam nobilem virum, eo quod cum fieret ſolemnis proceſſio, & SS. Sacramentum deferretur ab ipſo Epiſcopo, is turbam excitaverat, unde proceſſio interrupta fuerat, increpituſque ab Epiſcopo injuriosis verbis eum affecit.

Licet nobilis ita excommunicatus vitandus eſſet, tamen *ſæcularis poteſtatis officiales cum eo converſabantur.*

Imo prodiit ſæculare edictum nomine Sabaudiæ Ducis, quo injungebatur Epiſcopo, ut excommunicationem tolleret, neque ulterius progrederetur ſub interminatione ſequeſtri bonorum menſæ Epiſcopalis; additurque in decreto excommunicationem eſſe nullam, utpote injuſtam; & confiſcatio bonorum aliæque pœnæ denunciantur iis, qui cum illo colloqui, & converſari recuſaverint.

Clemens ad hæc audita conſtitutionem hanc edit, qua damnat, & caſſat edictum ducale; ad ſæcularem enim poteſtatem non pertinet dijudicare, utrum excommunicatio ſit juſta, an non.

Irritat etiam occaſione dicti edicti quæcunque alia ſequuta, & ſecutura ſunt;

Jubetque, ſingulos Eccleſiaſticos præcipue obſervare ea, quæ Sacri Canones jubent obſervanda circa publicos excommunicatos.

Et abſolutionem harum omnium cenſurarum & nobilis, & officialium & edictum Ducale publicantium ſibi reſervat Clemens. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVIII. Jul. P. a. XIII. a. D. 1713.

Citatio Romam Præpoſiti Eccleſiæ S. Quilici Loci Odalengi.

XLV. lb.p.356. NICOLAUS Generalis Cauſarum Curiæ Cameræ A. Auditor. *Monitorium.*

Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

NEceſſe habuit Epiſcopus Caſalenſis, ut conſuleret ſaluti animarum habitantium in Valle Sturæ, Caſalegii, & Rivæ decernere, ut functiones parochiales fierent in Eccleſia S. Grati pro Eccleſia S. Quilici propter bellorum incurſiones derelicta, idque fecerat cum aſſenſu habitantium Odalengi Magni, hoc eſt totius vallis.

Parochus, jam adventante Feſto Paſchatis, obtinuit a Laica poteſtate, ut milites mitterentur ad domos uniuſcujuſque, qui eos cogerent ad eundum ad Eccleſiam S. Quilici, imo eos, qui cum Epiſcopo tranſegerant de tranſlatione Parœciæ in Eccleſiam S. Grati, comprehendi fecit, & in carceres detrudi; Vicecuratus autem quem Eccleſiæ S. Grati præfecerat Epiſcopus, fuit inde in exilium ejectus.

Pontifex de his factus certior, chirographum miſit ad Auditorem Cameræ ſupradictum eum admonens de iis, quæ evenerant, ut cogat per cenſuras Eccleſiaſticas Præpoſitum Odalengi Eccleſiæ S. Quilici ad ſiſtendum ſe ad Cameram A. ut reddat rationem cur ita egerit.

Citatur ergo Præpoſitus, citantur illi, quorum opera ipſius erat ad inducendos incolas vallis, ut irent ad faciendum Paſcha in Eccleſiam S. Quilici.

Spatium duorum menſium iis aſſignatur.

D. Romæ Die XXIX. Jul. a. D. 1715.

Intra præſcriptum terminum Præpoſitus Odalengi pœnitentia ductus petiit veniam ab Epiſcopo Caſalenſi; ſponditque ejus decretis obſequium, & reverentiam.

Data ergo fuit licentia eidem Epiſcopo Præpoſitum abſolvendi a cenſuris.

Mandatur Subditis Eccleſiæ in Diœceſi Aſtenſi, ne ſolvant taxam impoſitam a Duce.

JOANNES Baptiſta Spinula Cardinalis Camerarius, *Monitorium.* XLVI. lb.p.368.

Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

IN Diœceſi Aſtenſi Apoſtolica Sedes nonnulla habet feuda principatum Ciſternæ, & Montaphiæ, & Marchionatum Cortanzæ, ſeu Cortanzoni, quæ nullum alium recognoverant Dominum niſi S. Sedem.

Dux Sabaudiæ tamen onera, & taxas ſubditis eorum feudorum impoſuit, non ſecus ac ſubditis ſuis.

Juſſu ergo Pontificis Cardinalis Camerarius injungit illis ſubditis S. Eccleſiæ, ut has taxas minime ſolvant, nec alium dominum recognoſcant niſi S. Sedem, & ad quodlibet gravamen reclament, & proteſtentur.

D. Romæ Die VIII. Aug. a. D. 1702.

Renovatio prædicti edicti.

JOANNES Baptiſta Spinula Card. Cam. &c. *Præceptum,* XLVII. lb.p.369.

Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

MArchio Cortanzæ, & homines illarum communitatum licet proteſtati fuiſſent, ſe ſubjacere dominio Eccleſiæ, nec poſſe ſolvere taxas Sereniſſimo Sabaudiæ Duci, ne tamen majoribus injuriis (plures enim paſſi fuerant) ſubjacerent, cum milites paſſim vagarentur ad eas colligendas, coacti fuerunt eas nomine Ducis exigentibus dare,

Renovat ergo Camerarius prædictum edictum, indicens omnibus, ne quicquam eu quam ſolvant præter Sedem A. cenſuraſque denunciat iis, qui illas taxas collegerint.

D. Romæ Die XXVIII. Jan. a. D. 1711.

Alia ejuſdem edicti renovatio.

JOANNES Baptiſta Spinula Card. Cam. *Præceptum,* XLVIII. lb.p.371.

Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

INcolæ Caſtri Cortanzæ ſubditi Eccleſiæ, eo quod renuebant ſolvere taxas ſibi impoſitas a Duce multa fuerant perpeſſi aſpera,

Et licet Pontifex minitatus fuiſſet cenſuras Eccleſiaſticas ſolutiones illas exigentibus, nihil profecerat, & quamvis ii ſubditi proteſtati fuiſſent, ſe eſſe ſubditos S. Sedis, nihilo ſecius coacti fuerant eas ſubminiſtrare.

Per hoc ergo præceptum renovatur juſſio illis incolis, ne cuiquam obtemperent in ſolutione taxarum, niſi S. Sedi.

D. Romæ Die XVII. Oct. a. D. 1711.

Rurſus edicitur idem præceptum.

JOANNES Baptiſta Spinula Card. Cam. *Præceptum,* XLIX. lb.p.372.

Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

NOn deſiſtebant Officiales Ducis ab incolis Caſtri Cortanzæ taxas exigere æque ac a ſubditis ipſius Ducis, quas hi ſolvebant, ne injuriis ſeſe exponerent.

Cardinalis Camerarius renovat proximum præcedens edictum, illis injungens, ne ulli omnino quicquam ſolvant, ſed proteſtentur ſe ſubditos S. Sedis; ne teneri ſe ad recognoſcendum dominium Ducis, idque ſub pœnis &c.

D. Romæ Die XXIII. Maji a. D. 1716.

Injun-

Injungitur ejuſdem præcepti obſervantia.

L. lb.p.378. JOANNES Baptiſta Spinula &c. *Præceptum.*

Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

CUm Feudatarii Ciſternæ moniti primis litteris Pontificis per Cardinalem Camerarium, ne alium dominum recognoſcerent præter S. Sedem, reſiſterent Officialibus Ducis, novis injuriis fuerunt expoſiti.

Referuntur hæ injuriæ.

Injungit tamen Cardinalis Cam. idem præceptum iis ne quicquam ſolvant, & proteſtentur.

D. Romæ Die XXIII. Maji a. 1716.

Hortatio ad injurias officialium Ducis ferendas.

LI. lb.p.374. JOANNES Baptiſta Spinula Card. Cam. *Præceptum.*

Inc. *Noviſſime vero, &c.*

OFficiales Ducis taxam ſalis volebant imponere hominibus Cortanzæ; cum hi ſeſe opponerent, & proteſtarentur, ſe eſſe ſubditos Eccleſiæ, multis moleſtiis fuerunt affecti.

Quidam Joſephus Vaynus ex loco Cortanzæ Taurini fuerat carceri mancipatus.

Ad has moleſtias ſufferendas excitat eos Camerarius, præcipiens, ut Durem Sabaudiæ ne recognoſcant.

D. Romæ Die XXIII. Maji a. 1716.

Eadem hortatio ad omnes eos ſubditos.

LII. lb.p.375. JOANNES Baptiſta Spinula &c. *Præceptum.*

Inc. *Noviſſime vero, &c.*

ET hujus præcepti idem eſt tenor, qui præcedentis, ſcilicet illos ſubditos hortatur Camerarius Cardinalis, ut fortiter reſiſtant officialibus Ducis, injuriaſque viriliter patiantur.

D. Romæ Die XXII. Maji a. 1716.

Nullitas omnium actorum a Duce in ſupradicta loca.

LIII. lb.p.190. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Alias ad retundendos, &c.*

CAmera computorum Ducis per aliud decretum nulla declaraverat decreta S. Sedis, juſſeratque, Syndicos eorum locorum denunciare incolis, ne alium haberent in Dominum, niſi Ducem; executioneſque factæ fuerant in eos, qui huic decreto parere recuſaverant.

Pontifex per aliud decretum hæc ſæcularia attentata nulla declaravit.

Non ideo tamen Laica poteſtas deſtitit, ſed perſtitit in ſuo incœpto; imo Generalis patrimonialis ſupplicem libellum porrexit Duci, ut declararet nulla quæcunque edita, & edenda a Sede A. ſibique vindicaret hæc feuda, quæ ad principatum Pedemontii ſpectarent.

Clemens multa affert, ut oſtendat, hæc loca pertinere ad Sedem Apoſtolicam illi a Regibus, & Imperatoribus data.

Pius V. Emmanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem tentantem iis ſubditis onera imponere hoc deterruit; Paulus V. conventionem quandam factam ab Epiſcopo Aſtenſi cum Duce de quadam bonorum permutatione reſcidit; Alexander VII. nullum declaravit jus, quod Dux ajebat ſe habere in quædam ex iis locis.

His rationibus fretus Clemens nulla declarat quæcumque edicta Ducis in hoc genere. Ns O.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Oct. P. a. XVII. a. D. 1717.

Citatio Romam officialium Ducis actus juriſdictionales in ſubditos S. Sedis exercentium.

LIV. lb.p.277. JOANNES Baptiſta Spinula &c. *Declaratio.*

Inc. *Univerſis, & ſingulis, &c.*

SUmmatim collectis injuriis factis contra ſubditos Eccleſiæ locorum Montaphiæ, Cortanzæ, & Cortanzani, quia nolebant ſolvere taxas a Duce impoſitas.

Omnes actus laicalis poteſtatis editos contra præfatos Feudatarios ut injuſtos, & per vim exercitos damnat, & annullat Cardinalis Camerarius.

Tum eos officiales nominatim Romam citat intra duos menſes, quo termino præterlapso ad ſententiam procedetur.

D. Romæ Die XI. Dec. a. 1717.

Sententia in non comparentes pronunciatur.

JOANNES Baptiſta Spinula &c. *Sententiæ.* LV. lb.p.380.

Inc. *Chriſti nomine, &c.*

OB jura Eccleſiaſtica violata, ob vexationes factas feudatariis Eccleſiæ, ob ſpreta Pontificia decreta, ob neglectas citationes Cardinalis Camerarius pronunciat contra Officiales Ducis talia auſos ſententiam, jaciens in illos *omnes ſententias diſpoſitas a ſacris Canonibus, & præſertim in Feria V. Majori, a fidelium conſortio eos disjungit, ſegregat, ſeparat, ac pro disjunctis, ſegregatis, & ſeparatis eos haberi vult;*

A quibus cenſuris non niſi a Romano Pontifice abſolvi poſſint.

D. Romæ Die XIII. Aug. a. 1718.

Juſſio, ut pronunciata Sententia publicetur.

JOANNES Baptiſta Spinula &c. *Publica declaratio.* LVI. lb.p.387.

Inc. *Hic auctoritate, &c.*

SEntentiæ excommunicationis latæ contra officiales Ducis publicatio jubetur ad omnium notitiam, ut excommunicatorum conſortium fugiant.

Et has cenſuras illi ipſi incurrent, qui folia publicationis ſententiæ *affixa locis ordinariis amovebunt, lacerabunt, aut aliquo modo deturbabunt.*

D. Romæ Die XIII. Aug. a. 1718.

Nullitas edicti Senatus Taurinenſis jubentis, omnia Brevia deferri ad Senatum.

CLEMENS XI. ad p. r. m. LVII. lb.p.208. E.R.t.11. p. 2. p. 146.C.C.

Inc. *Ad Apoſtolatus, &c.*

JUſſu Ducis Senatus Taurinenſis publicaverat edictum, quo admonebantur omnes, ut omnes bullas, conſtitutiones, brevia Pontificia deferrent ad Senatum eumdem Taurinenſem;

Cujus Senatus eſſet hæc, & illas examinare, numquid in iis oppoſitum eſſet œconomicæ, vel politicæ gubernationi ſtatus Ducis.

Pœnas minabatur Senatus iis, qui ita non feciſſent, vel illas, vel hæc aliter executi fuiſſent, quin oſtenderent Senatui, vel, qui Senatu prius non admonito, & conſulto hæc, & illas a Pontifice impetraſſent. Taurini an. 1719.

Clemens hoc edictum nullum declarat, utpote quod læſivum Apoſtolicæ auctoritatis, neque vult a quoquam obſervari.

Et hujus decreti Pontificii declarantis nullitatem edicti Taurinenſis copiam vult affigi locis ſolitis ad omnium notitiam,

Pœnaſque denunciat iis, qui illud Taurinenſe edictum obſervaverint. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVIII. Aug. P. a. D. 1719.

Reſciſſio actorum a Vicario Ebredunenſi.

CLEMENS XI. ad p. r. m. LVIII. E.M.p.6. vel t. 12. p. 592. lb.p.154. C.C.

Inc. *Non ſine, &c.*

VIcarius Capitularis Eccleſiæ Nicienſis (vacabat enim Epiſcopalis Sedes) aliquos officiales, & Miniſtros Nicienſis Senatus, qui ab Eccleſia, quo ſufugerat, extraxerant armata manu quendam presbyterum, ut violatores Sacri Aſyli, & Sacerdotalis characteris cenſuris impetiverat. Officialis Archiepiſcop. Ebredunenſis (cujus eſt ſuffraganeus Epiſcopus Nicienſis) ad quem confugerant excommunicati cum appellatione ab his cenſuris,

ris, quamvis nihil ad se id pertineret, eos officiales & Ministros Nicienses a censuris absolvit, sed ad cautelam, ut ipse ajebat.

Protestatus est Vicarius Capitularis, ostenditque, officialem Ebredunensem non debuisse se ingerere in rem, in qua nullam habebat jurisdictionem.

Non obstante hac declaratione, ille sententiam protulit, rursusque nullam declaravit censuram inflictam a Vicario ministris Nicensibus.

Acta hæc ab Officiali Ebredunensi tanquam gesta sine auctoritate nullatenus sibi competente contra justissimam sententiam Clemens cassat, & annullat, & ratas habet censuras pronunciatas a Vicario Nicensi; mandatque, eos ministros ut excommunicatos publicos esse a quibuscumque vitandos; præcipitque Ecclesiasticis, ut in suas Ecclesias eos non admittant, officia interrumpant, & cum illis agant juxta Canonum Sanctiones sub pœnis &c. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die V. Jan. P. a. XX. a. D. 1720.

Acta a Laicali potestate in Monasterium S. Bernardi in Vallesia rescinduntur.

LIX. BMP.7. vel t. 13. p. 107. B.R.t.12. p.72.C.C. BENEDICTUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *In sublimi, &c.*

Sæcularis potestas *multa attentavit contra Ecclesiasticam immunitatem adversus personas, & bona monasterii, seu magni hospitalis S. Bernardi in Vallesia Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini.* Sed præcipue coegit Præpositum antequam occiperet præposituram ad dandum juramentum in manu laicali tamquam illud monasterium esset de jure patronatus ejusdem Laicalis potestatis.

Acta hæc omnia nulla declarat Benedictus, *nullius-que plane roboris, momenti, & efficaciæ;*

Jubetque, Canonicos juramentum non observare.

Tum declarat, & agentes, & consulentes, & exequentes in censuras Ecclesiasticas incidisse, a nemine absolvendas, nisi a Romano Pontifice. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XIX. Febr. P. a. II. a. D. 1725.

„ Brevitas Pontificatus Innocentii XIII. defuncto „ Clementi suffecti in causa fuit, cur dissensiones in„ ter Sardiniæ Regem, & S. Sedem sedari non po„ tuerint.

„ Vix ac assumptus ad Pontificatum Benedictus XIII. „ fuit miserescens Ecclesiarum tamdiu pastoribus ca„ rentium vices sponte ad Regem misit F. Thomam „ de Spoleto Ord. MM. Reformatorum S. Francisci, „ qui significaret Regi Pontificis voluntatem concor„ diam constituendi, eodemque tempore regi quosdam „ articulos offerret, quibus respondéret Rex.

„ Ad singulos Rex respondit:

„ I. Ut in provisionum ad Regiam nominationem „ Bullis apponeretur clausula *ex Indulto Nicolai V.* sicut „ fieri semper consuevit cum aliis regibus, qui hujus„ modi indulta habent;

„ II. Ne S. Sedes arbitratu suo posset imponere pen„ siones hujusmodi beneficiis, sicut non imponuntur „ beneficiis illis, quæ sub aliis principibus simili in„ dulto gaudent;

„ III. Ut redditus beneficiorum concistorialium va„ cantium ab œconomis regiis administrarentur, qui „ semper, & ab immemorabili eos custodierunt, in„ sumpseruntque pro Ecclesiis, successoribusque secun„ dum sacros canones.

„ IV. Quoad negotia disciplinæ, temporalisque se „ paratum esse ostendere suppositiones erroneas illorum, „ & hæc discutere.

„ Quæ artes adhibitæ a quibusdam fuerint, ne Pon„ tifex concordiam hanc iniret cum Rege, legi possunt „ in Libro inscripto: *Relazione istorica delle vertenze „ che si trovavano tra la Corte di Roma, e quella del „ Re di Sardegna, allorchè fu assonto al Pontificato Be„ nedetto XIII. di santa, e gloriosa memoria; dei „ trattati fra di esso seguiti, e delle determinazioni „ prese, con i motivi, ai quali si sono appoggiate; co„ me anche di tutto ciò, ch'è succeduto nel Pontificato „ di Clemente XII.* In Torino MDCCXXXI. Per Gio: „ Battista Valetta Stampatore di S. M., e de' Regi „ Magistrati, In Foglio p. 365. „

Quæ tamen omnes artes, & æquitate earum, & Pontificis constantia superatæ fuerunt: Hique sunt

Articuli concordiæ S. Sedem inter, & Regem Sardum.

LX. Ex eadem relatione. BENEDICTUS XIII.

Inc. *Omnes fructus, &c.*

I. Omnes fructus Abbatiarum, Episcopatuumque in indulto Nicolai V. comprehensarum, & comprehensorum collecti in earum, horumque vacantia servabuntur in utilitatem Ecclesiarum vacantium, & successorum sub custodia, & œconomia Regiæ Majestatis, hoc est ab iis œconomis quos Rex vacationis tempore constituet.

II. Episcopatuum, & Abbatiarum comprehensorum, comprehensarumque in eodem Nicolai V. indulto omnes fructus, Prælatis, vel beneficiatis morientibus, maturi neque ab iis tamen e superveniente fato collecti, sicut etiam supellectiles ab iis relictæ, acquisitæque Ecclesiasticis redditibus insumentur juxta morem legitime introductum, observatumque semper antequam dissensiones hæc nascerentur:

III. De beneficiis in dicto Nicolai indulto non comprehensis S. Sedes, Rexque agent secundum morem servatum ante enatas controversias cum quoad fructus maturos non collectos ex morte Beneficiatorum interveniente, tum quoad mobilia ab ipsis relicta, & redditibus beneficiorum comparate, sicut etiam quoad fructus, qui vacationis tempore matuescent, donec successorum provisio fiat.

IV. Cum intellexisset Rex, optare Pontificem aliquam pensionem beneficiis in Nicolai indulto comprehensis imponi, licet sciat, jure nominationis quod ex eodem indulto habet, in suo vigore permanente, nullam iis sine consensu suo imponi posse; cupiens tamen maxima filialis sui obsequii in S. Apostolicam Sedem argumenta dare permittit Pontificis ejusque successorum arbitrio reservationem pensionis statuendæ ab ipso Pontifice super Abbatia *de Lucedio*, quæ est de jure patronatus Regis.

Pontifex Regis oblationem paterno excipiens animo sibi, suisque successoribus jus imponendi pensionem millium, & quingentorum scutorum monetæ Romanæ constantium singulorum decem julii reservat, quæ assignabitur uni, vel pluribus personis etiam eidem Regi non subditis super Abbatiæ *de Lucedio* redditibus;

Pontifex autem, suique successores ad preces Regis, ejusque successorum pensiones super Episcopatibus, & Abbatiis in Nicolai indulto comprehensis ea forma, & quantitate reservabunt, sicut ad instantiam Principum indultariorum reservari consueverunt; quæ quidem pensiones quoad Episcopatus tertiam partem annuorum reddituum non superent.

Quod si aliqua de causa fieret, ut prædicta millium & quingentorum scutorum pensio tota eidem Abbatiæ *de Lucedio* imponi non posset, ex parte alicui Abbatiæ de jure patronatus regis, de qua utraque pars conveniet, imponetur,

V. In conficiendo Brevi declarabitur, in provisione Ecclesiarum Cathedralium *Casalis, Aquensis, & Alexandrinæ* stilum hactenus usitatum observandum esse, & cum Rex putet se jus habere ad has Ecclesias nominandi & ex indulto Nicolai V. & ex F. M. Innocentii XII. Brevi, non renuit S. Sedes Regis rationes audire, & quod æquum erit, statuere.

Hi articuli subscripti fuerunt nomine Pontificis a Cardinali Lercario, nomine Regis a Ferrero de Roascio Marchione d'Ormea.

Eos ratos habuit Benedictus.

D. Romæ Die XXIX. Maji a. 1727.

„ Cæterum adversarii Regis nullum non lapidem „ moverunt, ut inita concordia disrumperetur. Hos „ conatus vide in prædicta narratione. Hoc unum sa„ tis sit scire, adeo adversarios fuisse tergiversatos, ut „ Bullæ de beneficiis expeditæ non fuerint nisi die X. „ Julii a. 1728.

Etiam aliæ controversiæ & quoad catastica bonorum Ecclesiasticorum, & quoad feuda sublatæ fuerunt; cum invicte Rex rationes suas ostendisset,

Decla-

Declaratio, quomodo sit intelligendum Nicolai decretum.

LXI. Ibid. BENEDICTUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Apostolicæ Sedis, &c.*

Cum vidisset Benedictus hujusmodi controversias ortas fuisse ex Nicolai indulto male intellecto; e quibus controversiis gravissima mala erant derivata, nempe ut multæ Ecclesiæ diutius vacaverint, & abusus multi in eas introducti fuerint, ut omnia hujusmodi rixarum jurgiorumque semina tollantur, sicut fecerat prædecessor Innocentius XII. qui Nicolai indultum explicuerat, ita verba illa *nonnisi habitis prius per nos intentione, & consensu ipsius Ducis de personis idoneis ad hujusmodi regimina, seu dignitates promovendi, vel de quarum personis tales provisiones fuerint faciendæ*, explicat, declaratque Benedictus.

Aliter intellectis a Sixto IV. Innocentio VIII. &c. Indultum Nicolai confirmarunt ii Pontifices; aliter a Sixto V. illud confirmare noluit, ajens esse illud personale; aliter ab Innocentio XII. illud extendit & ad provincias citramontanas Regis, aliter demum accepta a Clemente XI. materiam tot disputationibus dederant, tot malorum fuere semina.

Ne igitur dubitetur in posterum de eorum verborum intelligentia, declarat Benedictus verba illa *intentione, & consensu* requirendis a Pontifice significare idem ac jus nominandi.

Atque ita ab omnibus judicari vult. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Mart. P. a. IV. a. D. 1727.

„ Et sane Severonius, Advocatus de Jandis & Cæsari„ nus rentur, & probant, *assentiri, consentire, nomi„ nare, præsentare* esse unum & idem.

Declaratio de Beneficiis apud S. Sedem vacantibus.

LXII. Ibid. BENEDICTUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

Ut omnem jurgandi materiam amputet Benedictus prudentissime prævidens fieri posse, ut aliquis provisus de aliquo beneficio in Nicolai indulto comprehenso in Romana Curia moriatur,

Sciensque quid decreverit Bonifacius VIII. (*c. 34. de præbend. & dignit. in VI.*) nempe ut omnia beneficia sic vacantia censeantur Pontifici reservata, declarat,

Beneficia omnia & singula, quæ continentur in Nicolai indulto ab hac Bonifacii reservatione esse prorsus exempta; nimirum etiam de his nominationem ad Regem, ejusque successores spectare.

Atque ab omnibus ita judicari decernit. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. ut supra.

Litteris Regis respondetur.

LXIII. Ibid. BENEDICTUS XIII. Regi &c.

Inc. *Sicut nos, &c.*

Gavisus, ut par erat, magnopere Sardiniæ Rex de hac inita Concordia cum S. Sede, sibique competentia jura esse tandem aliquando post tot, tamque diutinos labores, examina, discussiones cognita & confirmata ab æquissimo Pontifice Benedicto, filialis obedientiæ significationum, actionumque gratiarum plenas litteras eidem scripserat.

Rescribit Regi Pontifex, se non minori lætitia affici,

I. Primum quia sustulit omnem materiam dissensionum inter Regem, & S. Sedem,

II. Quia ita provisum est in posterum animarum eorum beneficiorum saluti,

III. Quia paterni amoris argumentum aliquod dedit Regi ita de Ecclesia benemerito, & a majoribus ita de Ecclesia benemeritis progenito.

IV. Cæterum ex his gratiarum actionibus animum regis, scribit se Benedictus agnoscere, in se & in S. Sedem optime animatum, non enim gratias ejusmodi meretur, cum ita agendo non egerit nisi quod justitia suadebat, nisi quod prædecessores sui fecerant cum Nicolai indultum confirmarunt.

Pro certo habet Benedictus, regem, sicut ejus successores nonnisi optimos viros nominaturum esse ad hæc beneficia, innatamque suam in S. Sedem devotionem esse amplificaturum.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXI. Junii P. a. IV. a. D. 1722.

„ Controversiis de rebus beneficialibus, hoc est pro„ visionibus, redditibus, pensionibus, ita compositis, „ componendæ restabant illæ de immunitate, & de „ jurisdictione; quarum utramque læsam a Rege di„ cebat aula Romana, & juste a se hanc exerceri, „ neque eam a se violari Rex ajebat.

„ Hos articulos compositionis, ne videam quicquam „ ad arbitrium addere, vel detrahere, ex Italo in La„ tinum sermonem verbo ad verbum reddemus.

Articuli concordiæ de controversiis inter S. Sedem ex una parte, & Regem Sardiniæ Ducem &c. ex alia de immunitate, & libertate ecclesiastica agitatis,

Articuli de ecclesiastica immunitate, & libertate, de quibus jamdiu controversiæ inter S. Sedem hinc, & Regem Sardum inde vigent, sunt & multi numero, & valde inter se diversi. Cum materia hæc diu multumque versata, & agitata fuerit, patuit, singula hujusmodi capita eodem modo non posse componi, sed quædam indigere Brevi Apostolico, quædam documento Apostolico ministro dando, quædam demum regia notificatione,

De Brevi Apostolico.

Aliquot Episcopi duarum diœceseon partem habent in provinciis Regis, suam autem Sedem & partem alteram in aliorum principum ditione. Episcopi ejusmodi sunt hi: *Vigintinilienſis, Albengenſis, Ticinenſis, seu Papienſis, Viglevanenſis, Novarienſis, Dertonenſis.*

Earum diœceseon dispositio controversiæ locum dedit. Sardiniæ Rex nunquam hoc animo intendit, eos jurisdictionem suam in ea diœceseos parte, quæ in regis provincia sita est, exercere non posse, sed hoc postulavit, ut Vicarium Generalem haberent, qui jurisdictionem ibidem exerceret; idque ea de causa, ne subditi regii in temporalibus, qui e suis regionibus exire ad omnes fere lites, saltem ad lites appellationis cogi non possunt, nimis gravarentur, si iis ad hujusmodi lites peragendas ad Ecclesiasticum tribunal coram Episcopo suo, vel ejus vicario nimis remoto eundum esset;

Responderunt Episcopi, aliive pro iis, se in iis partibus regi subjectis Vicarios foraneos constituisse, non Vicarios generales. Si enim Vicarios Generales ibidem habuissent, se quavis jurisdictione spoliassent, cum a sententiis Vicariorum Generalium non detur appellatio ad Episcopos.

Ut hujusmodi controversia tollatur, simulque ut Episcopalis jurisdictio servetur, ad eos singulos mittetur Breve, quo in partibus suarum diœceseon in provinciis regis sitis Vicarios Generales pro quovis causarum, personarumque genere ponere jubeantur; hac tamen conditione, ut nullus generalis Vicarius ullo modo possit quicquam gravis momenti decidere, multoque minus sententiam ullam in litibus criminalibus pronuntiare, quin prius Episcopum suum de omnibus certiorem fecerit ejusque assensum obtinuerit, sub suspensionis a divinis pœna, si contra fecerit, ipso facto, præter pœnam privationis officii, aliasque ad arbitrium contempti Episcopi infligendas.

De instructione.

Certior facta S. Sedes de quibusdam gravibus violationibus immunitatis, libertatisque ecclesiasticæ eas Marchioni d'Ormea Regis apud Pontificem ministro significavit; negavit quosdam esse veras, alias diversimode expositis, & interpretatus est.

Aliæ etiam expositæ fuerant, quas S. Sedes non potest nisi tolerare.

In colloquiis demum, ac tractatibus alia capita, quæ jurisdictionis Ecclesiasticæ usum, terminosque, intra quos se is continere debet, respiciunt, ut jus utrique parti conservetur, fuerunt agitata.

Hi

Hi sunt articuli, qui inserentur in instructione danda ministro Apostolico, quæ significari poterit Episcopis.

Ac primum delatarum Ecclesiasticæ libertatis, immunitatisque læsionum, quas in scriptis a se prolatis aut negavit, aut diversimode interpretatus est Marchio d' Ormea, factus fuit epilogus, qui apponetur instructioni, ut sit Ecclesiasticis ministris, & Episcopis tamquam regula.

E capitibus autem quæ S. Sedes non potest nisi tolerare, primum est cognitio *possessorii* in causis Ecclesiasticis, quam jurisdictio laica ad se spectare dicit, & licet se judicare *de petitorio* non posse fateatur, in iisdem tamen causis de possessorio se decidere posse credit.

In hujusmodi capitibus tolerantia sese extendet ad *possessorium* in casu *manutentionis*, & *reintegrationis* quoad beneficia, & decimas; hac tamen conditione, ut si sit aliqua controversia de his iisdem rebus pro petitorio, nonnisi ab Ecclesiastico judice ea decidi possit, v. g. si quis quatuor frumenti mensuras spiritualis decimæ nomine antea solvere consueverit, permittetur, eum citari ante judicem laicum pro hac solutione, etiamsi Ecclesiasticus semet opponat, testeturque annis superioribus eum quinque, aut sex mensuras solvisse. Itidem si aliquis Clericus aliquo beneficio, vel decimarum perceptione spoliatus, quin examen juris excutiat, vult tantummodo argumentis, actisque dumtaxat facti probare, se fuisse turbatum, aut spoliatum possessione vel vi, vel casu, bellove, aut alio actu simili, postulatque proinde vel remitti, vel manuteneri in sua possessione, permittetur, factum hujusmodi ab judice laico examinari, decidique: At si clericus, cum acceperit annis præteritis solutionem quatuor mensurarum, dicat, aut postulet, sibi quinque, aut sex fuisse solvendas, vel testetur, sibi jus esse sex, aut quinque in posterum exigendi, hujusmodi controversia erit deferenda ad judicem Ecclesiasticum, & ab illo solummodo definienda.

Caput secundum, quod S. Sedes non potest nisi tolerare, est illud quod vulgo dicitur regium *exequatur*, quod ad se spectare laica potestas dicit, quoad *Bullas*, & *Brevia Apostolica*; tolerabitur, modo hoc *exequatur* redigatur ad purum, putumque *visum*, quin addatur nota ulla, quin fiat ullum decretum de iisdem aut *Bullis*, aut *Brevibus*, quoad executionem.

Caput tertium respicit *Brachium sæculare*, quod potestas laica numquam revera omnino Ecclesiasticæ potestati præstare rennit, sed quod illi nonnisi quibusdam cum conditionibus, modisque præstare non vult.

Ut bene caput hoc controversum componatur, nonnorumque jurgiorum resecetur occasio quæveis, jubeantur Episcopi, antequam ad Ecclesias suas se conferant, ad regem suum ire, illique obedientiam præstare, & ab illo brachium sæculare implorare, quod illis benigne rex concedet. Sed sicut, licet hæc concessio facta sit, plura enasci in ejus usu incommoda possent, usus idem ita exercebitur.

Vel agetur de clericis cum in rebus civilibus, tum criminalibus, satis erit si Episcopus ex vi regiæ concessionis brachium a loci judice petat, qui illico illud ei concedere debebit, quin significandum judici sit clerici nomen, titulus, aut causæ qualitas;

Vel agetur de laicis: casus autem in quibus laici possunt citari ante judicem Ecclesiasticum, vel quoad criminalia, cum multi numero sint, si causa sit civilis, permittetur, Episcopum brachium judicis loci petentem significare eidem judici nomen rei, causæque titulum; sin autem causa sit criminalis, cum eidem peccantis, criminisque titulum tantummodo exponere; tunc autem judex statim brachium Episcopo concedet.

Ut omnia capita, quæ comprehendenda in instructione sunt, comprehendantur, nonnulli articuli liberæ Ecclesiasticæ jurisdictionis exercitationis explicandi, certique termini, intra quos ea contineatur quin vel ullam jacturam faciat, vel alieni juris quicquam usurpet, sunt præscribendi.

Quoad articulos liberæ ecclesiasticæ jurisdictionis exercitationis, in documento, sive instructione dicetur, competere Episcopis omnimodam facultatem visitandi suas diœceses, omnimodam jurisdictionem in Ecclesias, & loca pia etiam exempta, quæ quidem jurisdictio a Tridentino Concilio illis conceditur.

Quoad terminos autem, intra quos Episcopi sese continere debent, ne aliena sibi arrogent jura, cum laica potestas valde questa sit de facilitate admittendi ad ordines, dicetur in instructione, eos observare debere decreta Concilii Tridentini, quod non vult ordinationes titulo patrimonii, nisi in necessitate, & utilitate Ecclesiæ, & adversari Ecclesiæ consilio ordinare titulo cujuscumque, vel exiguæ capellaniæ supplente patrimonio sine necessitate, & utilitate Ecclesiæ, sicut dictum est.

Dicetur denique, Episcopos, postquam ingressi fuerint in suas diœceses, statuturos esse Patrimonium ordinandorum in sacris ejus quantitatis, ut sufficiat ordinati subsistentationi, & onerum laicalium solutioni, a qua non eximentur, nisi patrimonia jam constituta hactenus, non constituenda in posterum, sicut mox dicetur.

Laica potestas edidit anno 1606. edictum, quod innovavit anno 1640. quo omnia bona fuerunt descripta, seu in catasticum redacta, & subjecta perpetuæ hypotechæ, ita ut nunquam ab oneribus laici eximi possint, etiamsi transirent ad Ecclesiasticos, sierentque fundi Ecclesiarum Collegialium, inservirentque causis similibus piis; idque statutum fuit, ne laici eo egestatis redigerentur, ut eadem onera sufferre amplius non possent. Laica potestas rata est, se posse defendere hujusmodi edicta, & cogere horum vi bona descripta iis annis ad solvendum, & etiam cogere ad solvendum ea, quæ hactenus non solverunt, unde summa maxima pecuniæ conflaretur; ac proinde eadem potestas e patrimoniis sacris constitutis, constituendisque onera laicalia exigere voluit,

Approbare S. Sedes illa edicta annorum 1606., & 1640., & rem tam exiguam Regi Sardo non concedere non potest, ut bona, quæ tributorum solutioni esse obnoxia debent, ne ullo modo obnoxia sint: sed mediam viam iniens modum utilem Ecclesiasticis, quin ad exitium redigat laicos, proponit; sicut autem hujusmodi modus nullum sortiretur effectum sine regia notificatione, hinc illa est necessaria.

Regia ergo notificatio fiet juxta exemplar hic appositum, & in hoc edicto, seu notificatione dicetur;

I. Regem jam convenisse cum Sede Apostolica, bona quæ erant descripta in catastico, & obnoxia solutioni onerum laicalium ann. 1620. futura his omnibus solutionibus esse obnoxia;

II. Benigne remittit omnes has solutiones non factas usque ad notificationis diem, ita ut eorum bonorum possessores, & prædecessores eorum molestiis affici nullo modo possint, licet neutri usque ad notificationis diem solverint;

III. Patrimonia sacra jam constituta, convenisse Regem cum S. Sede, se non postulare ut quicquam solvant; & hoc intelligendum esse de constitutis usque ad diem notificationis, & quæ hactenus non solverunt.

Jam articuli hi de jurisdictione erant utrinque signati; voluerat enim Benedictus ut hæc jurisdictionalia capita præcederent tractatum de beneficiis.

Res hoc modo compositæ erant, cum mortuo Benedicto, electus fuit Clemens XII. Jam Rex in vado res suas esse putabat, præcipue cum Clemens electus adhuc in Conclavi Cardinali Albano, & Ferrero dixerat, se velle initam concordiam a Benedicto cum Rege Victorio servare.

Tamen cum Rex putabat nihil minus eventurum, Pontifex quamdam Congregationem quibusdam Cardinalibus, Prælatisque constantem deputavit, quæ articulos examinaret; dicta fuit *Congregatio immunitatis peculiaris*.

Instituti ratio nos cogit præterire multa, quæ interea temporis aula Romana egit, ut assentiretur Rex Carolus Emmanuel, qui nunc felix regnat, regnetque diu, (Pater regnum renuntiarat) novo examini tractatus cum Benedicto XIII. initi. Dum Pontifex hoc urgebat, Rexque negabat, Clemens Chirographo jussit Cardinali Camerario, ut *Monitorium* ederet, quo irritarentur omnia acta a Rege jurisdictionalia in terras Cortanziæ, Cortanzonis, Cisternæ, & Montasiæ, neque darent eorum locorum incolæ juramentum fidelitatis a novo Rege requisitum sub pœnis, &c. fuit die XXIII. Dec. a. 1730. Cum plura superius hujusmodi monitoria attulerim, ne fatigetur Lector, hoc, & alia a Clemente edita præteribo.

Monitorium illud fuit confutatum, v. *narrationem dictam* p. 74.

Aliud Monitorium editum fuit ab Auditore Generali Cameræ A. quo intra dies sexaginta Romam citabatur Abbas Abbatiæ S. Benigni, ut suam possessionem purgaret. Die XX. Jan. a. 1731.

Huic quoque Monitorio respondit Aula Regia.

Discordiæ tenuerunt per totum Clementis Pontificatum.

Benedictus XIV. tandem huic tractatui finem imposuit.

Aula Romana quoque librum edidit, cui titulus: *Ragioni della Sede Apostolica nelle presenti controversie colla Corte di Torino.*

De quo libro ita Historicus Allobrox in fine suæ narrationis: *Accepimus distributos quibusdam Cardinalibus Romæ libros de nostris controversiis, sed fuisse cum consueto Sancti Officii arcano, & hoc etiam modo, ut non communicentur cum Cardinali Alexandro Albani, quia nostrarum provinciarum protector est.* „ Abbiamo „ inteso, che si son distribuiti de' libri *sulle nostre con-* „ *troversie* in Roma a' certi Cardinali, ma sotto l'or- „ dinario secreto del S. Officio, e con questa circo- „ stanza di più, che non siano comunicati a S. E. il „ Cardinal Alessandro Albani, perchè è protettore de' „ nostri stati. „

DE PRINCIPATU MASSERANI.

Confirmatio Feudi Masserani Familiæ Ferreriæ.

I. B.R. t. 6. p. 2. p. 18. C.C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Constantis, & eximiæ, &c.*

PAulus Bessus Ferrerius rogavit Pontificem, ut Feudum Masserani, aliorumque locorum Crevacorii, Quirini, Flecchiæ, & Rissi, quod habebat ab Ecclesia, approbatum a multis Pontificibus, & censum decem ducatorum auri de Camera pro uno accipitre impositum a Sixto V. confirmaret.

Urbanus hæc omnia confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die X. Febr. P. a. XII. a. D. 1635.

Jacet Principatus hic in Pedemontio in districtu Vercellensi.

Confirmatio, &c.

II. B.R. t. 6. p. 6. p. 229. C.C. CLEMENS IX. ad p. r. m.

Inc. *Constantis fidei, &c.*

IIsdem verbis, quibus Urbanus, confirmat Clemens Familiæ Ferreriæ Masserani Feudum cum aliis supradictis locis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXIV. Dec. P. a. I. a. D. 1667.

Donationis factæ a familia Flischa jurium super principatu Masserani S. Sedi acceptatio.

III. B.R. t. 6. p. 5. p. 1. C. C. ALEXANDER VII. ad f. r. m.

Inc. *Cum, sicut, &c.*

QUædam jura spectantia *ad antiquissimam Flischorum familiam* fuerant reperta, *quæ tamen licet essent clarissima, non tamen principes ea valebant experiri* super principatibus Masserani, & Crevacorii.

Ergo familia Flisca satius putavit donationem liberam, quæ dicitur inter vivos, irrevocabiliter horum jurium S. Sedi facere; deditque spatium sex mensium Pontifici ad illam acceptandam, an non.

Alexander declarat, se donationem acceptare. N. O.

D. in arce Gandulphi Die VIII. Maji P. a. V. a. D. 1659.

Declaratur irrita alienatio quorundam locorum hujus principatus.

IV. B.M.p.5. vel t.11. p. 481. B.R. t.8. p. 381. C. C. INNOCENTIUS XI. ad p. r. m.

Inc, *Cam sicut, &c.*

CArolus Bessus Ferrerius alienaverat aut omnia castra Masserani, Crevacorii, Quirini, Flechiæ, & Rissi, aut unum aliquod tantum Sabaudiæ Duci, Sede Ap. inconsulta, quamvis hæc essent Pontificia feuda, & quamvis Feudatariis minime liceat absque licentia Domini directi aut totum feudum, aut aliquod ejus membrum alienare.

Declaratur igitur irrita quælibet alienatio hujus principatus facta in præjudicium S. Sedis.

Esse autem hæc feuda Pontificia, confirmatur pluribus Constitutionibus Pauli III., Pauli IV., Pii IV., Pii V., Gregorii XIII., & aliorum, qui investituram eorum Castrorum cum terris, & dependentiis eidem Familiæ Ferreriæ confirmarunt. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XXVI. Febr. P. a. X. a. D. 1686.

Nuncius A. in Sabaudia audiat recursus subditorum Masserani, Crevacorii, &c.

V. B.R. t.6. p. 5. p. 83. C.C. ALEXANDER VII. Nuntio A. Sabaudiæ.

Inc. *Cum dilecti, &c.*

OB nimiam ab urbe distantiam, ut Alexander consulat subditis prædictorum Principatus, & Marchionatus, mandat Nuntio suo, ut eorum recursus audiat.

Principi Masserani autem jubet sub indignationis pœna, ut imperanti Nuntio pareat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XV. Jul. P. a. VI. a. D. 1660.

Confirmatio ejusdem facultatis Nuntio.

VI. B.R. t.6. p. 6. p. 111. C.C. ALEXANDER VII. Nuntio Ap. Sabaudiæ, &c.

Inc. *Cum dilecti, &c.*

EAmdem facultatem iisdem verbis confirmat Alexander Nuntio suo in Sabaudia. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die V. Apr. P. a. XI. a. D. 1666.

Nova confirmatio.

VII. Hb.p.302. C.C. CLEMENS IX. Nuntio Ap. &c.

Inc. *Cum dilecti, &c.*

ETiam Clemens hanc facultatem Nuntio dat iisdem verbis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XII. Nov. P. a. II. a. D. 1668.

Episcopus Maceratensis deputatur Gubernator hujus Principatus, absente Principe.

VIII. B.R. t.6. p. 4. p. 170. C.C. URBANUS VIII. Episcopo Maceratensi.

Inc. *Tuis in nos, &c.*

OB dissidia inter se, & communitates sibi subditas Franciscus Philibertus Ferrerius Flischus Masseraui Princeps abgrat a principatu, nec tuto eo mittere officiales suos poterat.

Ut interim principatus aliquod detrimentum non acciperet, Urbanus, qui est dominus directus illius dominii, gubernatorem eorum locorum interea deputat Episcopum Maceratensem,

Cui ut pareant incolæ principatus jubet. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XVIII. Apr. P. a. VI. a. D. 1629.

Jubetur Episcopus Casalensis mittere Romam statum controversiæ inter Principem, & subditos.

IX. B.R. t.6. p. 4. p. 68. C.C. ALEXANDER VII. Episcopo Casalensi.

Inc. *Cum sicut, &c.*

NAtæ erant controversiæ inter Principem Masserani ex una, & ejus subditos ex alia parte.

Alexander mandat Casalensi Episcopo, ut diligenter perquirat horum jurgiorum veram causam, eamque Roma-

mam mittat, ut ratio inveniatur lites sedandi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXIV. Dec. P. a. I. a. D. 1655.

Julianus Laureti interea deputatur Principatus Gubernator.

X. Ib. p. 171. C. C. ALEXANDER VII. Juliano Laureti.

Inc. *Tuis in nos, &c.*

NE inter contentiones subditorum cum Principe læderentur jura S. Sedis, prædictum Julianum ejusdem principatus Gubernatorem interea deputat Alexander,

Eique dat facultates necessarias.

Subditis præcipit obedientiam Gubernatoris mandatis. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die X. Mar. P. a. II. a. D. 1657.

Episcopus Alexandrinus faciat processus controversiarum inter Principem, & subditos.

XI. E. M. p. 5. vel t. II. p. 209. B. R. t. 8. p. 14. C. C. INNOCENTIUS XI. Episcopo Alexandrino.

Inc. *Cum sicut, &c.*

INter Ludovicum Principem ex hac parte, & subditos Masserani, & Crevacorii ex alia subortæ fuerant controversiæ.

Pontifex statum harum rixarum scire volens causam committit præfato Episcopo, ut examinet, citet, processus conficiat, *informationes sumat*, & agat omnia, quæ expedire crediderit usque ad sententiam definitivam, ut omnia acta, processusque Romam mittat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XII. Apr. P. a. I. a. D. 1677.

DE MARCHIONATU MONTAFFIÆ.

Confirmatio Investitionis Comitatus de Montaffia, ejusque erectio in Marchionatum.

GREGORIUS XIV. ad p. r. m. XII. B. R. t. 6. p. 1. p. 316. C. C.

Inc. *Ad Romanum, &c.*

EXtincta linea Comitum de Montaffia, Gregor. XIII. jusserat, nomine Cameræ ejus Comitatus possessionem capi. Sese oppositit Taurinensis Archiepiscopus Cardinalis Hieronymus della Rovere, ajens, Comitatum pendere ab Ecclesia sua.

Lites ardebant; cum Gregorius XIV. factus Pontifex, jussit Cardinalem de Comitatu disponere. Cardinalis investivit Franciscum Sfondratum ex Fratre Pontificis Nepotem.

Pontifex confirmat investitionem;

Et in Marchionatum erigit Comitatum, capacesque Feudi vult etiam Filias legitimas familiæ Sfondratæ. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Cal. Oct. P. a. I. a. D. 1591.

Confirmatio venditionis supradicti Feudi.

ALEXANDER VII. ad p. r. m. XIII. B. R. t. 6. p. 6. p. 152. C. C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

FRatres Sfondrati Feudum Montaffiæ, quod directe spectat ad Archiepiscopos Taurinenses optarunt vendere Carolo Emmanueli Philiberto Hyacintho de Simiana Marchioni Planitiarum Taurinensis civitatis pretio quatuor millium duplarum Italicarum.

Sed quia bona Ecclesiastica vendi non possunt sine beneplacito S. Sedis, illud petitum fuit ab Alexandro, qui per chirographum missum ad Archiepiscopum Taurinensem dat hanc facultatem, modo ea summa investiatur in cautionem Ecclesiæ, & modo hæc venditio cadat in evidentem utilitatem Taurinensis sedis.

Apponitur instrumentum venditionis, & Pontificii chirographi.

Quam venditionem ratam habet Alexander. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die IV. Ap. P. a. XII. a. D. 1667.

DE

DE REPUBLICA VENETA.

Rogatur Dux, ut efficiat, ut Ravenna restituatur Imperatori.

I. Ex Baron. ad ann. 726. §. XXVII. GREGORIUS II. Urso Duci Venetiarum.

Inc. *Quia peccato, &c.*

ANec dicenda gente Longobardorum capta fuerat Ravennatum civitas, ita peccato faciente; & Domnus exarchus apud Venetias morabatur.

Ducem rogat Gregorius, *ut Exarcho adhæreat, & cum eo decertet, ut ad pristinum statum sanctæ Reip. Imperiali servitio Dominorum Leonis, & Constantini magnorum Imperatorum ipsa revocetur Ravennatum civitas;*

Deum precatur, ut Ducem incolumem custodiat.

D. a. D. 726.

„ Porro ejusmodi Pontificis conatum haud frustra „ cessisse, sed per Venetos expulsum fuisse Regem Lon„ gobardorum, receptamque Ravennam, omnes affir„ mant. (Baronius ib.)

„ Vidisti, Lector, arbitrio Romani Pontificis Vene„ tos arma parasse, victoresque magna gloria extitisse. „ (Idem Baron. ib. §. XXVIII.)

De paupertate Patriarchatus Gradensis.

II. Ex Baron. ad ann. 1053. §. 5. GREGORIUS VII. Dominico Duci, & populo Venetiarum (*Dominico Silvo*)

Inc. *Notum esse, &c.*

SCribit Gregorius Duci se ab adolescentia sua usque maximopere terram, & libertatem populi Venetiarum dilexisse, ita ut *ob id nonnullorum principum, & nobilium personarum inimicitias sustinuerit*; sed cum fuit ad Pontificatum assumptus, magis suum amorem in illos excrevisse.

Cum ergo Dux, & populus sciant tantum amorem, sperat fore ut credituri sint, se ex animo loqui, nihilque magis cordi sibi esse, quam eorum decus, honoremque.

Eorum terram Patriarchatus honore *divina dispensatio sublimavit, cujus dignitatis eminentia ex sui ipsius nominis & officii prærogativa adeo augusta, & rara est, ut non amplius quam quatuor in toto mundo reperiantur.* Veneti tamen tantum decus curare non videntur. Nam permittunt Patriarcham indigentia laborare

Patriarcha Dominicus præ inopia Patriarchatum deserere volebat, hodiernus ad Pontificem scripserat, nisi sibi provideatur, se dignitatem sustinere non posse.

Quare Gregorius Ducem, & populum hortatur, ut quoniam eorum opes crescunt, Deo adjuvante, non prætermittant Patriarchatui assignare redditus, e quibus vivere possit.

Consulant inter se, & quid deliberaverint, ad Pontificem referant; si statuent, quod eos, & Patriarchatum deceat, gloriabitur; *si vero aliqua minus honesta occasio eos retraxerit, procul dubio tanti ministerii nomen apud eos vilescere & debito honore privari non patietur.*

D. Romæ pridie Cal. Janu. Indict. XIII. P. a. I. a. D. 1073.

Hortatio ad Venetiarum Ducem, ut permittat Ecclesiam Gradensem transferri Venetias.

III. Ex Corn. D. 4. p. 73. ALEXANDER III. Nobili viro Duci Venetiarum. (*Vitali II. Michaeli*)

Inc. *Non sine, &c.*

I. UT succurrat inopiæ Patriarchæ Gradensis,

II. Et ut tollat jurgia, quæ inter eum, & Episcopum Castellanum quotidie emergebant.

Hortatur Alexander Ducem Venetiarum, ut patiatur Venetias Sedem Gradensem transferri;

Et ut promptum, & benignum hujus translationi præstent assensum, & populum, & Clerum ad hoc idem diligenter inducat.

D. Tusculani XII. Cal. Februarii.

Pacta inter Venetos & Gallos de præda Constantinopolitana rescinduntur.

IV. Ex Rayn. ad ann. 1205. §. 9. INNOCENTIUS III. Henrico Dandulo Duci.

Inc. *Cum Ecclesiarum, &c.*

HAs rationes affert Innocentius Dandulo Duci, ob quas ipse probare nequit pacta Venetorum cum Gallis de præda Ecclesiastica facta Constantinopoli;

I. Quia per violentiam Ecclesiæ fuerunt spoliatæ;

II. Quia non est verum, illud bellum esse factum ad honorem Romanæ Ecclesiæ;

III. Quia exercitus erant parati contra Saracenos, ut ex iis erriperetur Terra sancta, non ut raperentur Ecclesiæ.

D. Anagniæ P. a. VIII. a. D. 1205.

Non conceditur solutio a voto eidem Duci.

V. Ibid. INNOCENTIUS III. Henrico, &c.

Inc. *Attendentes, &c.*

VOtum voverat se iturum contra Saracenos Henricus, Constantinopoli expugnata, supplicavit Pontifici longævam suam ætatem, causatus ut liberaretur ab hujusmodi voto.

Cui respondet Pontifex, *quod cum ejus circumspectio probitatis, subtilitas vivacis ingenii, & consilii maturitas sanioris exercitui christiano multum sit in posterum profutura*, se non posse sine gravi præjudicio Terræ sanctæ eum ab hujusmodi voto liberare; si quid adversi contingeret, se timere, ne culpa in se recideret, quod talem virum ab exercitu discedere fuerit passus;

Cæterum quia exercitus aliquandiu in Romania moraturus est, maturius considerabit, Deo dante, quid sit agendum.

D. ut supra.

Sententia excommunicationis lata a Patriarcha Constantinopolitano in Venetos confirmatur.

VI. Ex Rayn. a. XIII. p. 156. INNOCENTIUS III. Patriarchæ Constantin.

Inc. *Ex tenore, &c.*

HEnricus Græcorum Imperator *quandam Iconam, in qua B. Lucas Evangelista imaginem B. Virginis propriis manibus dicitur depinxisse, quam ob ipsius Virginis reverentiam tota Græcia venerabatur, & quasdam reliquias, quæ erant in capella majori Palatii, ponendas in Ecclesia S. Sophiæ Patriarchæ duxit conferendas.*

Venetorum Potestas cum Venetis adiit Patriarcham, postulavitque imaginem, asserens sibi ab Imperatore fuisse promissam; quam dare tamen Patriarcha illi noluit. Sed precibus Patriarcha vexatus respondit se illam iis nec dare, nec auferre, *ironice addens quod ipsam Potestas acciperet, si tunc eam in Ecclesia posset reperire: clausa quippe erat Ecclesia, & præfata icona in ea non erat, sed in sacrario sub sera triplici reservata*: ergo Potestas quendam per funem ab ala ipsius Ecclesiæ in Ecclesiam dimitti fecit, qui cum eam non reperisset, retulit se illam non invenisse.

Jussu ergo Potestatis effractis portis cum sciviissent Veneti a quodam Græco ubi imago erat, portam sacrarii diruperunt, & eam sustulerunt: excitatus strepitu Patriarcha desuper facinus prospiciens eos excommunicavit. Sed Veneti imaginem in Ecclesiam *Pantocrator* dictam intulerunt; tunc Patriarcha candelis accensis solemniter eos excommunicavit.

Venetis eam non curantibus Patriarcha supplicavit Legato Pontificio, ut rem significaret per litteras Pontifici; eumque rogaret, ut confirmaret excommunicationis sententiam.

Pontifex igitur, *licet opinionem illam, qua quidam Græci existimabant, quod spiritus B. Virginis in prædicta imagine requiesceret, tanquam superstitiosam minime approbet, & pactionem de partiendis reliquiis,*

& aliis factis initam, tanquam illicitam detestetur, ne tamen sacrilegii crimen remaneat incorrectum, sententiam Patriarchæ confirmat, *& præcipit usque ad satisfactionem condignam firmiter, appellatione remota, observari.*

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Id. Janu. P. a. IX. a. D. 1208.

„ Imago hæc est in Marciana Basilica; & summa „ veneratione colitur.

Ob dirutam Jadertam objurgantur Veneti.

VII. Ex Lunig. t. 2. p. 1959. INNOCENTIUS III. Communi Venetiarum.

Inc. *Apostolicæ servitutis, &c.*

SIgnificat Venetis Innocentius, se increpuisse Venetos oratores, quia graviter Deum, Ecclesiam, Pontificem, universumque Christianum populum *in Jadertinæ civitatis excidio* læserant, cum potius debuissent in Saracenos arma ferre, quam expellere legatum, excommunicationem contemnere, votum recuperandæ terræ sanctæ violare; quam *Constantinopoli diripere Ecclesiarum thesauros, possessiones Ecclesiasticas invadere volentes quasi hereditario jure sanctuarium Domini possidere, propter quod compositiones illicitas extorserant.*

Peccatum est ingens, quia damnum illatum Terræ S. reparari non potest, ingens enim exercitus tanto studio collectus, qui poterat Hierosolymitanam provinciam, & magnam partem Babylonici regni acquirere, per eos dissipatus fuit; nam si potuit Constantinopolim expugnare, multo magis aliis urbibus fuisset potitus. Gratum est, Constantinopolim rediisse ad sinum matris suæ, sed gratius fuisset, si terra Christi Sanguine sacrata fuisset recepta.

Rationem reddit cur Abbati S. Felicis, quem Veneti appellabant electum Jadertinum, pallium non miserit, ne scandalizaret proximum in Jadertino negotio, sicut illi eum scandalizaverunt. Ad metropoliticam dignitatem evecta fuerat ea sedes *propter Venetorum honorem specialiter*. Nunc Innocentes Jadertini pœnas delicti Venetorum luunt, sicut pœnas Davidis enumerationis populi populus persolvit.

Eos monet *ut ad satisfactionem Deo, & ipsi offerendam, & exhibendam humiliter inclinent*, quod alii minus rei fecerunt. Pontifex, *qui eorum affectat honorem, & in his, & in aliis, quæ dignius duxerint postulanda, eos exaudire curabit.*

Interim *censuram suspendit eorum correctionem expectans, quam universorum pene sententia in eos asserit exercendam.*

Ne illos pudeat pœnitentia luere quam maculam contraxerunt, ne pudeat sub omnipotenti manu Dei humiliari. Si ita agent, Deus eos proteget, exaltabitque.

D. Ferentini Non. Aug. P. a. IX. a. D. 1206.

Respondetur legato de Venetis quærenti quid esset agendum.

VIII. Ad ann. 1204. §. 24. INNOCENTIUS III. Petro t. S. Marcelli Presb. Card. Legato Ap.

Inc. *Tibi breviter, &c.*

RAtus Henricus Dandulus Dux cum suis Venetis se jure obsedisse, & cepisse Jaderam, neque ejus obsidionem, captionemque esse rem Ecclesiasticam absolutionem a censuris pronuntiatis ab Innocentio, si eam urbem cepisset, non petierat.

Cum Venetos innodatos censuris putaret Legatus Ap. Constantinopoli existens interrogavit Pontificem, quomodo se gerere deberet cum Venetis?

Pontifex respondet, Ducem, & Venetos moneat, ut humiliter beneficium absolutionis petant, petentibus illud impertiatur;

Quod si obstinati fuerint, videat Legatus quid expedire crediderit, habita ratione locorum, temporum, circumstantiarum; *cum sit etiam cautum in jure, quod si quisquam per terram hæreticorum, aut quorumlibet excommunicatorum transierit, communicare in emendis, & recipiendis necessariis possit iis, & super participatione Patrisfamilias excommunicati familia excusetur: necessitas etiam, maxime cum insistitur operi necessario multum, & in multis, excusat.*

D. Anagniæ X. Cal. Febr. P. a. VII. a. D. 1204.

Monita ad Ducem Henricum Dandulum.

INNOCENTIUS III. Henrico Venetorum Duci spiritum Sanioris Consilii. IX. Inn. lit. L. 7. Ep. 100.

Inc. *Accepimus, &c.*

CUm scivisset e suo legato Petro &c. Innocentius, Henricum Ducem minimum commoveri, indictis censuris illi scribit Innocentius,

Eum monens ut ad officium redeat, ut Ecclesiam agnoscat, ne hujusmodi Ecclesiasticarum pœnarum contemptu iram Dei in se, in suos convertat, qui potest efficere ut quam largus ei fuit in victoriis, tam justus sit in exigendis pœnis:

Animum convertat, ac vires in subsidium Terræ sanctæ, quoniam classis principe studio in eam expeditionem parata fuit; neque permittat diutina mora invalescere Saracenorum vires, quos tanto difficilius erit vincere.

D. Anagniæ XVI. Cal. Mar. P. a. VII. a. D. 1204.

Fuisse Venetos absolutos a Legato Ap. colligitur ex gestis Innocentii; qui legatum reprehendit, quod eos absolverit, *quamvis in nullo satisfecerint de commisso*,

Henricus scripsit, misitque oratores ad Pontificem; ei rationem reddit, cur Jaderam expugnarit, nempe quia Jaderenses juramenta fidelitatis Venetis præstita non servarant, Venetosque pluribus injuriis affecerant; testatur, se nescivisse eam urbem esse sub protectione S. Sedis; acceperant quidem Jaderenses crucem, sed nemo ex iis iter in Terram S. arripuerat.

Tum ait se petiisse absolutionem a Legato Petro, & eam impetrasse.

Narrat illi obsidionem Constantinopolis, pacta conventa cum Gallis, quæ ut approbentur a Pontifice, eum rogat.

Rogatur Dux, ut discordias Tarvisinorum, Feltrensium & Bellunensium componat.

HONORIUS III. N. V. Duci Venetiarum. X. Ex Ughel. lo t. 5. p. 373.

Inc. *Quod vir, &c.*

QUod vir sis fidelis, ac probus, tua merita, quæ sunt nota, testantur, & circumpositi populi, qui viciniores existunt, ad id amplius diligerunt.

Tum illi narrat Honorius dissidia inter populos Feltrensem, & Bellunensem hinc, & Tarvisinum inde.

Hi populi cum sicut vicini certius noverunt tuam probitatem, & fidem, & sicut de te plenius confidentes promiserunt in se super guerra, & discordia, & omnibus quæstionibus temporalibus, quas invicem habent; ratum, & firmum quidquid cum majori parte consilii tui super hoc judicio concordia, vel arbitrio, seu alio quocunque modo feceris habituri.

Quare Ducem hortatur, ut Deum præ oculis habens curet partes ad unitatem, & concordiam reducere.

Pollicetur illi Honorius, se ratum habiturum, quidquid ille fecerit, effecturumque, ut conditiones ab illo propositæ adimpleantur.

D. Later. IX. Cal. Novembs P. a. IX. a. D. 1224.

Dux, & civitas suscipiuntur in protectionem S. Petri.

GREGORIUS IX. Duci & Communi, &c. XI. Ex Lunig. t. 4. p. 1572.

Inc. *Sacrosancta, &c.*

CUm *Civitas Venetiarum erga Romanam Ecclesiam matrem suam, sicut certo rerum experimento probatur, reverentiam, devotionem, & fidem semper habuerit, & habeat specialem,*

Gregorius *personam Ducis, & civitatem in devotione Sedis A. persistentes sub B. Petri, & sua protectione suscipit, & præsentis scripti patrocinio communit.*

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Later. Non. Dec. P. a. XII. a. D. 1238.

Narra-

Narratur Venetis captivitas præsulum venientium ad Concilium.

XII. ex Rayn. ad ann. 1241. §. 64. GREGORIUS IX. Duci, & Communi Venetiar.

Inc. *Existens in mari, &c.*

LIcet summi sint fluctus, quæ Naviculam Petri exagitant, licet gravis sit hyems, qua vexatur, tamen desperandum non est; tempestati motæ succedet serenitas, & æstuosis undis tranquillitas.

Fridericus causa mali tanti est; quodque est magis mirandum, ille flagitaverat Concilium, ille ad principes scripserat, ut juberent Prælatos ad Synodum venire; cum audiit a Pontifice fuisse indictum, animum mutavit, struxitque insidias ad eam venientibus Episcopis.

Cum multi prælati ex Lombardia, & ex Gallia scientes omnia itinera esse infesta, ut insidias Friderici effugerent, & venirent ad Concilium Januam petiere; conscenderuntque in naves. Fœdere inito cum Pisanis misit Fridericus filium suum Entium, ut Januenses naves interciperet. Commissa ad Meloram pugna fuit. Entius vicit. Cardinales legati A. Sedis capti fuerunt, capti fuerunt quidam alii Episcopi; nonnulli occisi in pugna fuerunt, quidam mari absorpti, fugerunt pauci. Captos detinet in carcere Fridericus, qui squalore, inedia, æstu misere consumuntur.

Sed non est de divino præsidio desperandum, & quo graviores sunt Ecclesiæ calamitates, eo enixius est elaborandum, ut illi subveniatur. Pontifex certe non deerit muneri suo.

D. Later. XV. Cal. Junii P. a. XV. a. D. 1241.

Eadem scripsit Gregorius ad Insubres, & Bononienses, aliosque.

De treguis Venetos inter, & Januenses.

XIII. Ib. p. 1589. BONIFACIUS VIII. Duci, Consilio, & Communi.

Inc. *Quam gravis, &c.*

VOlens Bonifacius consulere animarum saluti, populorum quieti, recuperationi Terræ S. Venetos, & Januenses inter se bellantes ad inducias componendas induxerat, ut interea temporis pacis ineundæ conditiones proponerentur, pœnasque indixerat violatoribus.

Veneti promiserunt, se acquieturos Pontificis arbitrio, miseruntque Oratores; sed non Januenses. Imo parabant classem ingentem, & milites cogebant.

Ne ergo Resp. Veneta quicquam detrimenti caperet, & ne ex bona fide damnum perciperet, eos absolvit a censuris Pontifex jam indictis si contra aggredientes Januenses se defendent.

D. Anagniæ Id. Aug. P. a. I. a. D. 1295.

Monentur Veneti ut ab Ancona obsidenda desistant.

XIV. Ad ann. 1277. §. 43. Miseratione divina Cardinales Duci, consilio, & communi Venetiarum.

Inc. *Insignis Venetiarum, &c.*

ANconitani contra Venetorum edicta victualia per ostia fluminum riperiæ australis præsumpserunt deferre, nec admoniti resipiscere voluerunt. Igitur Joannes Theupolo cum tredecim galeis capitaneus, subsequenter Marcus Michael cum totidem contra eos missi sunt. Andr. Dandolo L. 17. c. 9. in Jacobo Contareno. Ergo Veneti obsederunt Anconam.

Quia Cardinales Sede vacante, ut tunc vacabat, mortuo Joanne XXI. facultatem habent, si quod gravis momenti negotium accidit, illud peragendi, ad Venetos scribunt, eos dehortantes, ne Urbem illam ad Romanam Ecclesiam spectantem oppugnent.

Insignis Venetiarum civitas, inquiunt, *& nobilis universitas Venetorum evidens ab olim ad Romanam Ecclesiam protulerunt devotionis insigne laudabilium operum evidentia insignitum: taliter eidem Ecclesiæ astiterunt in prosperis, nec ei defuerunt etiam in adversis. Hæc in vos a vestris sunt derivata parentibus; hæc a vobis laudabiliter hactenus observata, ut lætari eadem Ecclesia huc usque potuerit pro devotis patribus devotiores sibi natos.*

Quanto igitur præstantiorem famam acceperunt Veneti a suis majoribus eo enixius laborandum est, ut illam conservent, & amplificent. Sed contra nunc agunt; excussisse enim videntur obsequium illud, quo Ecclesiam semper sunt prosequuti, cum in viduitate eam incommodis, injuriisque afficere non dubitent; Anconamque Ecclesiæ Romanæ subditam ab ea divellere satagunt.

Si aliquam querelam contra eandem habebant, debebant eam ad A. Sedem deferre, eorumque querelis Ecclesia satisfecisset. Videntur ita agendo de Ecclesia matre sua male sentire, possetque illa jure ac merito irasci.

Sed quia caritas nunquam excidit, eadem Ecclesia eos monet, & hortatur in Domino, *quatenus exercitum, & omnes, ac singulos, quos contra civitatem eandem destinasse dicuntur, absque mora, & difficultate qualibet ad propria revocantes ab omni civitatis ipsius molestatione cessent.* Et si quid adversus illam habent, querelas suas ad Ecclesiam deferant.

Alioquin civitati eidem protectionem Sedis ejusdem nec valentes subtrahere, nec volentes necesse (Cardinales) *habebunt validioribus uti remediis, quibus per se, & quoslibet ipsius devotos Ecclesiæ tantam injuriam compescant.*

D. a. 1277.

„ Cum noluissent Veneti ab oppugnatione Anconæ „ desistere, fuerunt excommunicati.

Mandatur Episcopo Castellano, ut Venetos absolvat.

HONORIUS IV. Episcopo Castellano. XV. Ad ann. 1285. §. 64.

Inc. *Accedentes, &c.*

MIssus fuerat a Martino IV. Venetias Episcopus Portuensis, ut conduceret viginti galeas pro Carolo contra Petrum invasorem Siciliæ. Veneti renovarant obsoletam legem, *ne quis inconsulta Rep. arma pro ullo extero principe capesseret*. Quare eas galeas armare Episcopus non potuit, interdixitque Venetos.

Veneti ad Honorium vix electum miserunt oratores orantes, ut interdictum tolleret, affirmantes se non renovasse eam legem, ut partibus Caroli nocerent; faverentque Petro, sed ne quadam mali contagione extera bella in Remp. inferrentur, edictum illud non fuisse renovatum, ut deprimeretur Carolus, & Ecclesia.

His auditis Honorius, licet putet, Venetos male egisse, quia præsente Cardinali Portuensi edictum illud vulgarunt, unde conjici potest, contra Carolum fuisse editum, tamen mandat præfato Castellano Episcopo,

Ut interdictum tollat, hac tamen conditione, ut Veneti promittant, se non suppeditaturos auxilia nec per se, nec per alios, nec directe, nec indirecte Petro, Siculis, ejusque, eorumque fautoribus;

Si contrafecerint, non solum pœnam a Cardinali pronuntiatam confirmabit, sed addet alias graviores.

D. Tibure Non. Aug. P. a. I. a. D. 1285.

Conditiones apponuntur Venetis absolvendis a censuris.

HONORIUS IV. Episcopo Castellano. XVI. Ad ann. 1286. §. 17.

Inc. *Olim tibi, &c.*

DIstulerat Episcopus Castellanus Venetis absolutionis munus impertiri ob quasdam enatas difficultates; Rursus ergo institerunt Pontifici, ut absolverentur.

Pontifex repetitis quæ jam dixerat in superiore proxime Bulla, mandat eidem Episcopo, ut eos absolvat, ita tamen

Ut Veneti declarent, superius Senatusconsultum non fuisse factum adversus Ecclesiam, & Carolum, & ut pœnas statutas in eos, qui pro Ecclesia, & Carolo dimicarent, inconsulto Senatu, rescinderent, & iis militantibus restitutis in patriam pœnam nullam infligerent.

Dat. apud S. Sabinam XV. Cal. Apr. P. a. I. a. D. 1286.

Venetos Nicolaus hortatur, ut restitutis bonis, pacem cum Patriarcha Aquilejensi ineant.

NICOLAUS IV. Duci, & Communi Venetorum. XVII. Ad ann. 1288. §. 19.

Inc. *Habet nostris, &c.*

JAm antea scripserat Nicolaus Episcopo Ragusino, ut occupata bello Aquilejensi Patriarchæ loca eidem resti-

restituerent; neque Tergestinos, qui Patriarchæ favebant, divexarent; erant hæc loca Urbes Parentina; Æmonensis, Justinopolitana, S. Laurentii Montonensis, & Gresignanæ, Pirani Insulæ, Mugle, aliaque ignobiliora.

Sed auditis hinc inde rationibus satius duxit ad eos paterne scribere, & hortari illos ad pacem, & ad restituenda ea loca Patriarchæ.

Eos etiam monet, se mandasse Ragusino Episcopo, ut censuras in eos expediat, si Ecclesiis in locis occupatis existentibus usurpata bona non restituent, aut usurpabunt.

Eos coram se citat intra duos menses, ut si rationes habent ea occupandi, illas proferant.

D. Reate XV. Cal. Sept. P. a. I. a. D. 1288.

„ Pacem demum fuisse initam Venetos inter & Patriarcham legitur in Appendice Andreæ Danduli: „ *reliquas urbes Istriæ maritimas, quæ juramento fidelitatis sibi erant astrictæ, non desistentes propterea* „ *ab iniquis actibus sub suo dominio sapienter reduxit* „ (Joannes Dandulus). *Qua de re bellum maximum* „ *inter Venetos, & Aquilejensem Patriarcham exortum* „ *extitit, qui tandem Venetorum potentiæ non valens* „ *resistere cum ipsis pacta composuit.*

Excitantur Veneti ut cum Carolo Valesio fœdus ineant contra Græcorum Imperatorem.

XVIII. Ad ann. 1305. §. 3. CLEMENS V. Duci, & Communi Venetiarum.

Inc. *Cupidis per orbem, &c.*

JAm fuerat a Martino IV. Græcorum Imperator Michael Palæologus excommunicatus simul cum complicibus, quia Schisma inter Ecclesias Græcam, & Latinam fovebat.

Jamque prædecessor Benedictus XI. ad omnes principes scripserat, ut bellum contra Græcos susciperent; sed prosequi negotium non potuit morte præoccupatus, Curam hanc suscipit Clemens.

Carolus Cl. mem. Philippi Francorum regis genitus Comes Andegavensis, *ad quem ratione uxoris suæ imperatricis Constantinopolitanæ* illud imperium pertinebat, statuit illud armis recuperare.

Quæ hinc sint oritura bona, ostendit Clemens, Ecclesiarum unio fiet, tollenturque scandala, barbarorum excursiones comprimentur, Terræ S. feretur subsidium.

Sed quia prædictus Comes sine præsidio A. Sedis, & fidelium hoc bellum non potest suscipere per se, Clemens hortatur Venetos, ut cum illo fœdus ineant.

Venetorum res agitur; nam ita recuperarent quartam ejus imperii partem, quæ ad ipsos spectabat, haberent alterius quartæ partis partem dimidiam ex initis olim cum Balduino conventis;

Et ut facilius eos permoveat, iis militaturis in hoc bello elargitur indulgentias consuetas &c.

D. Lugduni XIX. Cal. Febr. P. a. I. a. D. 1306.

Ad Venetos ne Ferrariam oppugnent.

XIX ex lib. 3. l. 4. Clem. CLEMENS V. Duci, & Communi Venetiarum,

Inc. *Cum sicut, &c.*

„ DEderant se Ferrarienses paucis mensibus ante Pontifici; cum Veneti eos, & Ferrariam oppugnare aggressi sunt. Jam moniti fuerant a Legatis „ AA. ut desisterent, eosque desistere nolentes excommunicarant. Harum rerum ignarus Clemens ad eos „ scribit,

Eos hortans, ut illud obsequium, quod sui majores semper habuerunt in Ecclesiam, habeant & ipsi; ne velint Pontificem, & Ecclesiam in suis juribus perturbare.

Tum iis exponit, quantum in illis Romana Ecclesia confidat, quæ illos semper ut dilectos filios habuit.

Pergant igitur eam habere ut matrem; ne Ferrariam vexent, quæ est Ecclesiæ ejusdem; pergetque ipsa quoque eos habere filios.

D. Lectoræ II. Non. Dec. P. a. IV. a. D. 1308.

Excommunicantur Veneti ob occupatam Ferrariam.

CLEMENS V. ad p. r. m. XX. Ib. p. 1595.

Inc. *In omnem, &c.*

POpulum Ferrarienſem, populum peculiarem, populum antiquæ acquisitionis Matris Ecclesiæ, & populum in sacrario pectoris Apostolici præ dilectione nimia recumbentem Dux, consilium, & commune Venetiarum, quos semper Romana mater Ecclesia dilexit ut filios, & multis privilegiis, & gratiis insignivit, occupaverant.

Sane ut Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ justitia, & Venetorum insolentia, & injustitia pateat evidentius, universis facti seriem duxit Clemens præsentibus breviter inserere.

Certo certius est, quod civitas Ferrarienſis cum suo comitatu, & districtu & omnimoda jurisdictione, ac juribus, & pertinentiis ad jus, & proprietatem Ecclesiæ Romanæ in temporalibus pertinet, & pertinuit ab antiquo. Sed Veneti *ab octo mensibus circa principium Aprilis incœperunt Ecclesiam in possessione antiqua prædictorum indebite molestare.* Nuncii Pontificii ibidem existentes Capitaneos, officiales, ministros ponebant, destituebantque, & jurabant se Nunciis obtemperaturos; claves urbis Nuncii retinebant. Officiales ponebant iidem etiam in locis ejusdem districtus; appellationes a potestate audiebant; Dum ita quiete ibidem vivebatur, *Joannes de Superantiis Venetus nomine Venetorum in injuriam, & præjudicium Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ pro Potestate Civitatem Ferrarienſem intravit.* Jam Nuntii AA. ante adventum Joannis audiverant de hoc; & per litteras monuerant Ducem, ne res perturbaret, etiam per Diœcesanum Episcopum Castellanum eos admonere fecerunt, ne vellent pacem violare; & Abbas Tutellensis Nuntius A. Ferrariæ Venetias ivit, sed exceptus fuit lapidibus, unaque vox omnium fuit, *moriatur Legatus.* Tum Veneti occuparunt pontem super Padum e conspectu Ferrariæ, occuparunt turrim, & Ferrariam irruperunt, bona civium rapuerunt, non pepercerunt ætati, vel sexui, Nuntiis alimenta subtraxerunt; Episcopum Cervienſem venientem in auxilium Nuntiorum spoliarunt, & ejus familiares in carcerem detruserunt,

Quare Nuntii admonitione præmissa, eos excommunicarunt, & Venetiarum civitatem interdixerunt. Pontifex qui hæc jam ignorabat, sed solum sciebat Venetorum consilium de occupanda Ferraria, eos paterne monuerat, ut desisterent; quod nisi facerent, se scripsit, non posse quin eos censuris irretiret. Non contentus Pontifex his, etiam per quosdam mercatores, per Archiepiscopum Ravennatensem eos admonuit, ne pacem violarent. Cum vero audivit his non obstantibus, Venetos Ferrariam occupasse, & recensita commisisse mala excanduit. *Quis enim nisi ferreum pectus habens, vel caput saxeum vel cor gerens durissimi adamantis eidem Terræ destructioni expositæ non aperiat viscera pietatis? quis non accendatur ad iram?*

Hic invehitur in Venetos, eos cum Lucifero, Dathan, & Abiron, & Core, & cum Absalone comparans,

Posset æquissime, inquit Clemens, ulcisci; sed vult patienter potius agere. Ergo Ducem, Consiliarios, & commune, & nominatim Joannem de Superantiis, & Vitalem Michaelem Capitaneum exercitus, & omnes qui occuparant Pontem, Turrim, Urbem, & detinent, monet, & hortatur, & mandat, ut dimittant, & dimitti faciant occupata, Nuntiis AA. auctoritatem restituant; de damnis illatis urbi, hominibus satisfactionem impendant.

Si intra triginta dierum spatium hæc non egerint, declarat prædictos omnes incursuros esse excommunicationem non absolvendam nisi a Romano Pontifice, *præterquam in mortis articulo*, & si quis in mortis articulo absolutus postea convaluerit, esse censendum rursus excommunjcatum,

Supponet interdicto civitatem, vetabit asserri ad urbem victualia, spoliabit Ducem, & alios complices honoribus, dignitatibus, privilegiis, eos declarabit infames; eorumque posteri ad quartam generationem ad dignitates ne admittantur.

Imperabit Prælatis Ecclesiarum, ut diebus festis, & dominicis hanc sententiam in Missarum solemniis publicent, & publicari faciant, contra eos principes, & reges excitabit &c,

Et

Et ut hujus admonitorii notitia ad Venetos perveniat, illud publicari fecit Avinione *in platea quæ est ante Ecclesiam Fratrum Prædicatorum.*

Actum Avinione an. 1307.

„ Veneti Nuntios miserunt ad Pontificem, resque „ sedata fuit. Mandatum procuratorium refertur ab „ eodem Lunig. ib. p. 1599.

Tolluntur censuræ.

XXI. Ibid. p. 1611. CLEMENS V. Duci, & Consilio, &c.

Inc. *Dedit nobis, &c.*

QUare sententiam excommunicationis, & interdicti in Venetos tulerit, narrat Clemens. Reperit ergo, quæ in proxime superiore Bulla dictum fuit.

Postmodum Deus pater luminum, & misericordiarum cor Venetorum perfregit, qui in se reversi sui criminis gravitatem considerantes oratores ad Pontificem miserunt Franciscum Dandolo, & Carolum Quirini orantes absolutionem pro Petro Gradonico Duce, consilio, & communi.

Pontifex ergo Joannem Superantium Ducem, consilium &c. ab excommunicatione absolvit, tollit *processus, pœnas, sententias, & aggravationes per se, per nuntios latas*, tollit interdictum in terram, restituitque omnes, & singulos, & terram communioni, & unitati Ecclesiæ, restituit eis bona, dignitates, honores, privilegia, &c. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Avin. VII. Cal. Febr. P. a VIII. a. D. 1311.

Subditi Veneti declarantur a censuris absoluti.

XXII. Ibid. p. 1619. CLEMENS V. ad f. r. m.

Inc. *Dudum contra, &c.*

AB juramento fidelitatis absolverat subditos Venetos Pontifex, eos interdicto supposuerat, & quosdam Ecclesiasticos beneficiatos a beneficiis cecidisse fixerat non beneficiatos suspenderat a divinis.

Cum autem impartitus esset absolutionem a censuris, & a pœnis Duci, & communi, etiam subditos absolvit, quos vult suo Domino parere.

Restituit omnes in sua jura. Ecclesiasticos beneficiatos vult rursus sua beneficia administrare, & officia suorum ordinum reliquos Ecclesiasticos peragere. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Avin. VII. Cal. Febr. P. a. VIII. a. D. 1311.

Rogatur Dux, ne permittat hæresim in suis ditionibus Græciæ serpere.

XXIII. Ex Rayn. ad ann. 1318. §. 57. JOANNES XXII. Duci Venetiarum.

Inc. *In vinea, &c.*

IN ea Græciæ parte, quæ erat latini ritus, cuique Veneti imperitabant, jam hæresis grassabatur.

Ne latius serperet, eo missurus erat Joannes quosdam Fratres ex ord. Prædicatorum.

Joannes Duci scribit hoc; certusque de Ducis, & Dominii pietate, & religione Ducem rogat, ut his Fratribus eo missis, ut irrumpenti hæresi sese opponant, auxilium præstet.

Eum etiam rogat, ut Judæos mala plurima patrantes, & blasphemantes Christianam religionem, inducentesque alios ad male agendum sentiendumque debitis pœnis puniat.

D. Aven. VIII. Cal. Aug. P. a. II. a. D. 1318.

Grates agantur Venetis quod Ecclesiam sint tutati.

XXIV. Ad ann. 1321. §. 15. JOANNES XXII. Duci, Consilio, & communi Venetiarum.

Inc. *Relatione grata, &c.*

VEneti rogati a rebellibus Firmanis neque auxilium, neque pecuniam mutuo dare voluerant; immo præsidi Æmiliæ Classem maritimam obtulerant ad redigendam Ferrariam in Ecclesiæ potestatem.

Iis gratias maximas de hoc Pontifex agit, antiquamque in iis devotionem erga Ecclesiam deprædicat, quæ in eorum majoribus semper clu[illegible].

Ait, se avere in eos voluntatem suam propensam ostendere.

D. Aven. X. Cal. Junii P. a. VIII. a. D. 1324.

Certior fit Dux de bello Pontificis a Duce Mediolani moto.

EUGENIUS IV. Francisco Foscari Duci Venetiarum. XXV. Ad ann. 1433. §. 26.

Inc. *Existimamus, &c.*

QUamvis putet Eugenius non latere Ducem, quæ evenerunt, ea tamen illi narrat.

Comes Franciscus Sforcia fere totam Marchiam Anconitanam occupavit proditorie, nam obtento a Pontifice transitu per terras Ecclesiæ, ut iret in Apuliam in terras suas, promittens per Micheletum Capitaneum Ecclesiæ se non turbaturum Ecclesiæ terras, Marchiam occupavit.

In Ducatum Spoletanum descenderunt Italianus Furlanus, & Antonellus de Senis duce quodam Jacobo de Lunate Ducis Mediolani familiari, qui dicebant se esse commissarios cujusdam Vicarii deputati a Concilio.

Expugnatio Pontificis redundare potest in præjudicium Ducis. Hoc est consilium architecti, qui rerum quietem turbare nititur.

Consideret sua prudentia Dux, quo ista recisura sint.

Eadem scribit Florentinis Eugenius.

D. Romæ prid. Non. Janu. P. a. III. a. D. 1433.

Adhortatio ad pacem.

INNOCENTIUS VI. Andreæ Dandulo Duci Venetiarum. XXVI. Ad ann. 1353. §. 13.

Inc. *Licet gentibus, &c.*

„ FOederati erant Veneti cum Petro Aragonum Rege (v. ibi *Cum apud &c.*) contra Genuenses, „ studueratque Clemens VI. pacem inter eos componere. Sed frustra. Commissum fuit prælium navale, „ in quo cladem ejusmodi acceperunt Genuenses, ut „ dejecti prorsus fuerint animis, & qui antea Thyrreno mari, Ægæo, ac Ponto Euxino dominaban„ tur, & certabant cum Græcorum Imperatore, & „ Rege Aragonum Joannis Archiepiscopi Mediolanen„ sis imperio Liguriam subjecerint, paucis locis exceptis.

Pontifex Januensibus consulere volens, simulque orientalibus rebus Venetos ad pacem hortatur.

Segetem quidem magnam gloriæ eos sibi comparasse ex illa victoria, scribit, sed multo majorem eos sibi acquirere posse ex generositate; si nimirum pacem cum Januensibus ineant; in prælio multa esse potuisse, quæ non sunt Venetorum, ventos, undas, casum; at in concilianda pace, in generositate omnia sibi vindicabunt Veneti; neque partem ullam in victoria dividunt.

Quod si fructum aliquem ex tanta victoria sibi volunt percipere, convertant arma in Orientem, ubi multa majora præmia habere possunt, quam ex victis Januensibus.

Deus, Deus ipse effecit, ut Veneti victores existerent ita, ut uno prælio deleti Januenses essent, ut eos hostes non habentes amplius victricia arma in infideles converterent.

Quare eos rogat ut ad diem festum S. Andreæ oratores suos Avenionem mittant pro concilianda pace, quod facient Januenses, & Petrus Aragonum Rex.

D. apud Villamnovam Aven. Diœc. III. Cal. Oct. P. a. I. a. D. 1353.

„ Anno insequenti missus fuit orator Franciscus Pe„ trarcha ad eum Ducem pro pacis conciliatione ab „ Innocentio.

Excitantur Veneti ad Catharenses tutandos.

URBANUS V. Marco Cornario Duci Venetiarum. XXVII. Ad ann. 1367. §. 13.

Inc. *Dilectorum filiorum, &c.*

SChismatici Albaniæ, & Rasciæ opprimere Catharenses nitebantur, quia constantes in fide Catholica perstabant, nec eorum schismati adhærere volebant.

Quia

quis tamen ipsi suis viribus resistere iis non poterunt, auxilium ab Urbano poposcerunt;

Qui precatum Ducem rogat, quoniam commode potest, ut eorum civium defensionem suscipiat, securus se suscipere causæ Dei propugnationem, a quo præmium, & a Romana Ecclesia uberiorem benevolentiam expectet.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Cal. Dec. P. a. V. a. D. 1367.

Se excusat Pontifex, si autumno proximo non aggreditur iter in Italiam Ducemque rogat, ut missionem triremium differat.

XXVIII. Ad ann. 1375. §. 22. GREGORIUS XI. Andreæ Contareno Venetiarum Duci.

Inc. *Die octava, &c.*

STatuerat se ad iter accingere Gregorius. Jamque triremes quas Veneti illi obtulerant, in promptu erant, cum die octava Julii mensis iis scripsit, ut differrent usque ad diem XV. Augusti mensis Venetiis discedere.

Interim cum indictus esse conventus a Regibus Galliæ, & Angliæ Brugis, in quo ageretur de pace, scribit Duci Gregorius, ut adhuc discessum triremium suspendat. Sua enim præsentia iis in partibus adeo necessaria est, ut si Romæ esset, inde esset illi in Gallias veniendum; cum agatur de pace, quæ toti Christiano orbi est necessaria.

Quare duxit discessum suum differre usque ad veris venturi tempus.

Sibi maximopere displicere ait, Venetis impensas augeri, neque posse se statuto antea tempore eorum liberalitate uti; propter quam illis *condignos gratiarum refert actiones.*

Jam cum tempus aderit, eos certiores faciet.

D. apud Villamnovam V. Cal. Aug. P. a. V. a. D. 1315.

Cardinalis legatus mittitur ad Venetos.

XXIX. Ad ann. 1419. §. 3. MARTINUS V. Episcopo Sabinensi legato de Latere.

Inc. *Cum te, &c.*

QUædam magni momenti acturus erat negotia Pontifex cum Duce Thoma Mocenigo, ejusque Consilio. Quare mittit Venetias prædictum legatum, cui *ut se reddere gratiosum valeat*, ei dat facultatem Venetos absolvendi a censuris, si quas incurrissent vel leges contra Ecclesiasticam libertatem ferendo, vel res ad R. Ecclesiam spectantes usurpando, vel molestando ejusdem S. Sedis subditos, injuncta pro gravitate culpæ salutari iis pœnitentia.

D. Ferrariæ Id. Febr. P. a. II. a. D. 1419.

„ Animum suum in Venetos propensum jam osten-
„ derat Martinus anno sui Pontificatus primo. Cum
„ enim Rex Romanorum, & Hungariæ Sigismundus
„ Robertum Mauroceuum, & Fantinum Michaelem
„ Dux Mocenigo ad eum misisset, Sigismundus eos
„ in carcerem conjecit. Martinus præfectum S. ædis
„ S. Salvatoris ad Imperatorem misit, Præsulibus Im-
„ perii scripsit, scripsit gravissimas litteras ad eundem,
„ ut eos liberaret; quos & liberavit.

Dux monetur, ut ab obsidione Ferrariæ desistat.

XXX. Ibid. p. 1803. SIXTUS IV. Joanni Mocenigo Duci.

Inc. *Ut primum, &c.*

SIgnificat Duci Sixtus sibi vix ad Pontificatum assumpto nihil magis fuisse cordi, quam Christianos principes, & præcipue Italos ad pacem inducere, ut collatis inde viribus Turcis resisti posset.

Sed, ita pacis inimico operante Diabolo, superioribus mensibus Italia periculoso bello tota conflagare cœpit, cujus incendii damnum Pontifex quoque *immerito causa Ducis lacessitus* experiri cogitur, *plures civitates, & oppida amisit, urbem Romani cinctam, agrum fere omnem depopulatum, cives adversus eum infligatos, littora infesta classe exagitata, intercluſam commeatibus civitatem, &c. Ferrariam insignem Ecclesiæ civitatem in manifesto periculo constitutam.*

Ferdinandus, & Elisabeth Aragonum, & Castellæ Reges, & alii principes, & plurimæ civitates luctuosa hæc videntes ad Pontificem oratores miserant, ut pacem inter belligerantes principes componeret, & eos in Turcas excitaret.

Quare ad Ducem scribit, se credere, eum, & inclitam ejus Remp. nolle esse hujus decoris, quod certe maximum ex depressione acerrimi hostis Turcæ proficiscetur, expertem.

Removeat igitur copias suas a Ferrariæ obsidione, *neque amplius bello eam civitatem Pontificiam urgeat, se quidem illi offert in justitia prompte, & expedite non defuturum, si quid habet, quod de Duce illo* (Ferrariæ) *conqueratur.*

D. Romæ apud S. Petrum Die XI. Dec. P. a. XII. a. D. 1482.

Monitorium in Venetos ob occupatam Ferrariam, agrumque ejus.

SIXTUS IV. ad p. r. m. XXXI. Ibid. p. 1805.

Inc. *Ad bonorum, &c.*

REpetit Pontifex initio statim, quæ scripserat Duci Venetiarum de pace, de Turcis, de Ferrariæ obsidione, exposita a nobis proxime superiore Bulla.

Tum ait, se motum precibus omnium principum indixisse treguas per triennium sub pœnis Ecclesiasticis eas violantibus enuntiatis.

Sed Joannes Mocenigo Dux, ac Consilium, & commune Venetiarum (quibus nulla gerendi belli occasio antea data fuerat) propugnacula quædam erigendo primi contra mandata Pontificis venire, & pacem in Italia turbare cœperunt. Cum illa propugnacula intra Ferrariensis territorii fines ad quintum fere milliare constructa essent, Dux Hercules questus est. Vix hæc credebat Sixtus, monitique Veneti responderunt, se construxisse illa propugnacula intra suos fines, Herculem violasse pacta suorum majorum, se velle tutari jura, finesque suos, non aggredi Ferrariam.

Pontifex abstinuit a censuris in Venetos, licet potuisset eas jacere, monuitque Herculem, ut pacta servaret; qui scripsit Pontifici, se illa & servasse, & esse servaturum; quas quidem litteras ad Venetos Sixtus misit; imo Hercules in consistorio per oratores suos professus fuit se in fœdus contra Turcas ingressurum. Rogati Veneti, ut fœdus amplectarentur, ut Ferrariæ abstinerent, neutrum voluerunt facere, *affirmantes, se in rebus Ferrariensibus nullum agnoscere superiorem.* Quod responsum licet caderet in contemptum S. Sedis, ad quam supremum ejus urbis dominium spectat, Sixtus tacuit; neque labori pepercit, ut semina discordiarum evelleret.

Interea Alphonsus Calabriæ Dux Eleonoræ Ferrariensis Ducissæ frater, ut ab obsidione Venetorum Herculem, & sororem liberaret, copias contraxit, petitque a Sixto transitum per ditiones Ecclesiæ; quem Pontifex illi denegavit, quia Franciscus Diedo Venetus orator pollicitus Sixto fuerat, propediem concordiam esse ineundam; Venetos ea fecisse, ut facilius, citiusque Herculem ad pacem inducerent.

Veneti terrestri exercitu, & classe pleraque oppida illius territorii interim expugnarunt; & Pontifex non levia passus est damna, quia credebatur Venetis favere.

Jamque omnes principes fœdus in Turcas jurarant, soli Veneti restabant, qui rogati a Pontifice, quid agere vellent, *Ferrariense bellum variis fucarunt coloribus*, scripseruntque *se bellum velle prosequi.* Non destitit tamen Sixtus eos hortari ad pacem; variasque rationes affert Pontifex, quibus eos permovere credebat, ad ipsos scriptas; principes posse in eos accendi, sicut armaverat principes in Turcas, sic posse se in illos excitare; Herculem habere fœderatos; victorias esse in Dei manu.

Igitur cum incassum omnia ceciderint, Pontifex excommunicationem in eos fert; aitque se eandem ferre, & eo modo quam, & quo tulit Clemens V. (Vide supra *In omnem*) N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. R. apud S. Petrum X. Cal. Junii P. a. XII. a. D. 1483.

Contra eosdem, quod appellarant ad futurum Concilium.

XXXII. Ibid. p. 1819. SIXTUS IV. ad f. r. m.

Inc. *Qui monitis, &c.*

PAucis enarrat Pontifex quid egisset antequam Venetos puniret Ecclesiastica excommunicatione, & interdicto.

Illi, *spiritu rebellionis assumpto, accersitis in Ducali palatio nonnullis prælatis Ecclesiasticis coram eis, ut bonestis personis a monitionibus, & mandatis Sixti ad tribunal omnipotentis Dei, & ad id, quod de proximo celebrari debere temere affirmare non erubuerunt, futurum generale concilium appellarunt*, curaruntque, *ut appellatio ipsa per eosdem prælatos reciperetur, laudaretur, & admitteretur, ac tandem ad notitiam Pontificis deferretur*, & hujus appellationis prætextu voluerunt in suis ditionibus Ecclesias patere, divina peragi, sacramenta administrari, quasi nullæ latæ essent censuræ in homines, in terras.

Ab his, ait, abstinuissent Veneti, si considerassent facultatem ligandi, & absolvendi datam a Christo Petro esse in Romano Pontifice.

Tum appellationem hanc minus recte factam esse probare studet Sixtus.

A minoribus ad majores judices duntaxat appellare legalis permittit auctoritas; jam Christus *A. Sedem, & in ea sedentem prætulit universis etiam conciliis, quæ ab ea robur accepisse, Sanctorum Patrum decreta testantur, & etiam Gelasius Papa contra Acacium scribit*, testantur ipsa Concilia, *in quibus verba illa apponuntur, salva in omnibus A. Sedis auctoritate*; testatur Pius II. qui hanc appellationem in conventu Mantuano damnavit.

Ergo Venetorum *appellatio est nulla, quia a Pontifice non appellatur; & quia ad fictum, & imaginarium concilium interposita fuit, sacrilega, & abhorrenda extitit; & ut ad tribunal Dei interposita sustineri non potest; nisi alterum de duobus affirment, vel omnipotentem Deum Petro Apostolorum principi, & per eum ejus successoribus omnimodam potestatem in terris non tradidisse, & aliquid de ea retinuisse, vel quod a Vicario ad eum, cujus vices gerit, cujusque unum & idem est tribunal valeat appellari: quorum unum hæreticum, aliud vero a sacris Canonibus alienum esse nemo ambigit.*

Melius longe Veneti feciſsent, nisi appellassent.

Nunc habito cum fratribus consilio appellationem Sixtus irritat, declarat *inanes & sacrilegas*, & Ducem, & Consiliarios, & notarios, & omnes, qui appellationem consuluerunt, approbarunt, excommunicat, privat Ecclesiasticos beneficiis, & suspendit ab ordinum officio, laicos privat dignitatibus, officiis, &c.

In contradictores easdem pœnas fert. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. R. apud S. Petrum Id. Jul. P. a. XII. a. D. 1483.

Archidux Austriæ excitatur in Venetos.

XXXIII. Ibid. p. 1823. SIXTUS IV. Maximiliano I. Archiduci Austriæ.

Inc. *Intellexisse, &c.*

NArrat Maximiliano Sixtus, quæ egerit, ut Venetis persuaderet, ne obsiderent Ferrariam;

Et quomodo eos excommunicarit, cum eorum superba responsa audivisset;

Et quomodo ii appellarint ad futurum Concilium, & sperent hac appellatione se non incurrisse in censuras; & e curia omnes Venetos revocarint.

Hortatur ergo, & rogat Maximilianum, *qui Catholicus princeps, & benemeritus est, ut huic dominandi cupiditati resistat*; periculum enim est, ne superata Ferraria ad alias urbes occupandas animum, & arma convertant. *Adsit S. R. Ecclesiæ totis suis viribus, quod sane Sixtus confidit.*

D. Romæ apud S. Petrum Die XIII. Jul. P. a. XII. a. D. 1483.

Veneti absolvuntur.

INNOCENTIUS VIII. ad p. r. m. XXXIV. Ibid. p. 1824.

Inc. *Dudum felicis, &c.*

JAm ab obsidenda Ferraria *circa obitum prædecessoris* Sixti cessarant Veneti, & per quosdam Cardinales origine Venetos absolutionem censurarum petierunt humiliter ab Innocentio.

Eam tamen non statim impetrarunt; sed cum iterato Cardinales supplicassent, cum Dux litteras ad eum misisset, boni patris, pastorisque more motus a censuris, & pœnis *omnes absolvit, & totaliter liberat Innocentius.* N. O.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Cal. Mar. P. a. I. a. D. 1484.

Mandatur Episcopo Castellano, ut Venetos ad pacem cum Januensibus inducat.

CLEMENS VI. Episcopo Castellano (*Joanni Barbo.*) XXXV. Ibid. p. 1645.

Inc. *Amara nobis, &c.*

AMaram sibi esse, ait Clemens, Episcopo discordiam enatam inter Ducem Venetorum Andream Dandulum hinc, & Joannem e Valetaro Januensium Gubernatorem inde, quia videt damna ingentia, quæ in utramque Remp. redundant.

Iteratis sæpe vicibus vocatis utriusque partis nunciis coram se egit de pace Clemens; scripsit etiam, etiam Nuncios misit; sed sperat se tandem aliquando futurum voti compotem.

Mandat ergo præfato Episcopo, qui est Venetus, & Venetiarum Episcopus, cui commissus sibi grex cordi esse debet, ut hoc negotium peragat quo maximo potest studio; ostendat eis incommoda, exponat pericula; demonstret, quantum animi populus orientis sumat, quantumque virium iis accedat ex hac Catholicorum principum acerrima dissensione.

D. apud Villamnovam Aven. Diœc. IX. Cal. Nov. P. a. X. D. 1351.

De eodem argumento.

INNOCENTIUS VI. Andreæ Dandulo Ven. Duci. XXXVI. Ibid. p. 1647.

Inc. *Licet gentibus, &c.*

VEneti fœderati cum Aragonum rege victoriam de Januensibus retulerant;

Eam tamen, scribit Duci Andreæ Innocentius, non omni ex parte caram eidem Duci esse, cum sanguis suorum civium sit effusus; saltem bonum hoc inde proficiscereturt, ut pax fieret; ad quam Ducem hortatur,

Quia infideles interea vires acquirunt, & exercitus in Christianos comparant.

Quia nisi cito debellentur, tam fortes evadent, ut superari non possint amplius.

Mittat ad Pontificem oratores cum facultatibus; Pontifex pacem componet; sibique Dux persuadeat, *quod ille victor est, qui pietate vincitur.*

D. apud Villamnovam Aven. Diœc. III. Cal. Oct. P. a. I. a. D. 1353.

Gratulatio Duci fit de ejus electione.

URBANUS V. Marco Cornario Duci Venetiarum. XXXVII. Ex Corn. d. 13. P. pri. p. 335.

Inc. *Dilectum filium, &c.*

VIx ac electus Dux fuit Marcus Cornarius ad Urbanum Avenione residentem misit Desideratum Lucium notarium, ut cum Pontifice de quibusdam negotiis ageret, eique suam electionem in Ducem significaret.

Urbanus respondet Duci, se *gratulanter* accepisse ipsum Lucium, & benigne eum audivisse *super his, quæ pro illius parte proposuerat.*

Duci gratulatur, cum ad Ducale fastigium fuisse provectum, & sperat, se habere *illum devotum, & reverentem filium, ad commissi sibi regiminis exercitium utilem, ac ad ea, quæ Altissimo placeant, & ad Pontificis, Ecclesiæque Romanæ honorem, & statum*

cedere valeant, dispositum, atque promptum; de quibus ejus nobilitatem paternæ caritatis suasionibus exhortatur.

Se offert Urbanus *ad ea, quæ honeste poterit illi, illiusque communitati gratis affectibus complacere.*

D. Aven. XVI. Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1362.

Hortatio ad Ducem, ut jura Aquilejensi Ecclesiæ restituat.

XXXVII. Ex Lunig. t. 2. p. 1987. EUGENIUS IV. Francisco Foscari Ven. Duci.

Inc. *Reversus ad nos, &c.*

CArdinalis Venetiarum Franciscus S. R. E. Vicecancellarius reversus ad Pontificem *multa illi retulit de amplo honore sibi, ac in eo Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ multipliciter impenso a Dominio, & civibus, narravitque diligenter quid egerit cum Duce circa singulas commissionis sibi factæ partes. Sed cum cætera suum sint habitura tempus, unum est, quod differri non potest.*

Semper Pontifex per oratores Venetos, & per Nuntios suos Venetos monuit, ut *si pacem veram, bonam, atque utilem habere cupiebant a verum Ecclesiasticarum retentione, ab aliisque prævaricationibus respiscentes omnia emendarent.* In Concilio Basileensi occasione Ecclesiæ Aquilejensis magnas, multasque promissiones Dux fecerat.

In eodem Concilio cum excommunicationis laqueo innodati, & per orbem publicati fuissent, non levem infamiam incurrerat Eugenius eos ad cautelam tam leviter absolvendo. Mortuo Patriarcha volens Pontifex gratum Venetis facere illi Ecclesiæ præfecit Archiepiscopum Florentinum, cui Ecclesiæ promiserant Veneti se jura antiqua, & bona restituturos. Sed hæc promissa fuerunt irrita; licet Pontifex rationes adduxisset, preces adhibuisset, & caritatis paternæ viscera effudisset.

Nunc easdem rationes iterat Eugenius: nempe Deum lædi ex occupatione, & retentione bonorum ejus Ecclesiæ; lædi honorem S. Sedis, & Pontificis; dicitur enim ubique, permittere Pontificem *tyrannice teneri* a sæcularibus bona Ecclesiarum in Italia; nomen Venetum lædi; nam cum Christiani non videant soluta promissa, quæ oratores Veneti in Concilio Basileensi fecerunt de restituendis Ecclesiæ illi bonis occupatis, Venetos super mendaces credent.

Neque demereri se, ait Eugenius, a Venetis, cur ita illudatur.

Respondebant Veneti, *periculosum nimis videri, Patriam Forijulii tanto labore, tantisque impensis quæsitam in Patriarchæ unius potestate relinquere, hoc præsertim tempore, quando tam multos in circuitu habebant hostes.* Quæ quidem responsio facile refellitur. Nam magis homines accenderentur ad eam provinciam e Venetorum manibus extorquendam, sicut ipsi e Patriarchatu extorserunt, ex quo augebuntur incommoda. Fieri etiam potest, ut aliquis Patriarcha volens sua vindicare, fœdus cum potentiore ineat, & Venetos exagitet.

Concludat ergo Dux ex his rationibus utilius restituere ablata Ecclesiæ illi, quam retinere, gloriosius certe multo ea reddere, quam male occupare. Ludovicus Patriarcha Venetus transferetur ad aliam Ecclesiam, Pontifex autem alium præficere illi Ecclesiæ non poterit, *cum sit ex principalioribus Imperii dignitatibus, quam unum ad requisitionem regis Romanorum. Qui autem futurus sit, hucusque ignorat Pontifex.*

D. Florentiæ III. Id. Mart. P. a. X. a. D. 1440.

Confirmat Pontifex Venetis indulgentiam in die Ascensionis, & amorem suum in Patriam.

XXXIX. ex Cornel. de Eccl. Ven. D. lib. pr. part. p. 273. PAULUS II. Patriarchæ Venetiarum.

Inc. *Mittimus dilecti, &c.*

SIgnificat Paulus Patriarchæ, se ad illum mittere pro Christophoro Mauro Duce, & Dominio *duplicatas bullas plenariæ remissionis, quam ad excludendum omnem ambiguitatem vel concessionis non factæ, vel revocationis indulgentiarum hujusmodi in die Ascensionis Domini singulis annis perpetuo duraturam indulxit, ut sit amoris, & caritatis suæ erga patriam, ex qua secundum carnem originem duxerat, monumentum, ac memoriale perenne.*

Jubet Patriarchæ, ut litteras Pontificias amoris, & paterni affectus plenas det Duci, atque dominio, & post benedictionis Apostolicæ, & salutationis officia declaret animum Pontificis ergo patriam propensissimum, se omnia prospera Veneris desiderare; quæ illis evenient, *si Deum ex toto corde dilexerint, si ejus præcepta servaverint, si Christi Pontifices, ac Sacerdotes pro summi Dei reverentia venerati fuerint, si Ecclesiasticam immunitatem illibatam custodierint.*

Eos hortetur, ut monita Pontificis, *quæ forsan* aliquanto duriora iis visa sunt, *ea devotione filiali suscipiant, qua mente a Pontifice prolata sunt.*

Patriarcha igitur qui *sui adventus initio vulneribus mustum vini adhibuit, nunc apponat oleum; exhibuit virgam districtionis, adhibeat nunc manna dulcedinis.*

Venetis persuadeat, Pontificem urbem illam, Ducem, dominium, populos tamquam carissimos filios, & viscera sua diligere; *nihil aliud ab eis, nisi timorem Domini, & salutem suarum animarum exquirere; In omnibus, quæ statum, & dignitatem illius Resp. contingent, quantum cum Deo poterit, nullo unquam tempore se defecturum.*

D. Romæ apud S. Petrum Prid. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1465.

Conditiones fœderis initi inter Paulum II. & Remp.

XL. B.M.p.t. vel t. 9. p. 289. PAULUS II.

Inc. *In nomine &c.*

ANno *a Nativitate Domini nostri* MCCCCLXIX. *die vero* XXVIII. *mensis Maji Indict.* II.

Fuit initum fœdus inter summum Pontificem Paulum II. (erat Venetus Petrus Barbo) ex una parte, & Remp. Venetam ex alia his conditionibus:

I. Pontifex, & Dominium Venetum faciunt *bonam, & sinceram, & veram invicem confœderationem, & ligam ad annos XXV. duraturam ad mutuam conservationem, & defensionem statuum, & contra omnes de cætero non provocatos volentes offendere Sanctissimum, & Dominium Venetum, vel illorum alterum.*

II. Pontifex tenebit equites quatuor mille, pedites tres mille, totidem dominium propriis sumptibus, quos dominium mittet in Romandiolam ad requisitionem Pontificis, quibus ipse Pontifex *providebit de allogiamentis.*

III. Etiam suis navibus Dominium succurret Pontifici;

IV. *Si Dominium sit aggressum*, Pontifex mittet in auxilium *equites duo mille, pedites mille usque ad finitum bellum.*

Additæ sunt, & hæ pactiones, ut non fiat fœdus *cum ullo principe, & populo Italiæ, si non consenserit altera pars;*

Ut unicuique Principi sit facultas accedendi ad hoc fœdus;

Post mensem unum *a publicatione fœderis quælibet pars designet socios,*

Altera pars non possit facere pacem, una dissentiente.

Rogatur Senatus, ut veniam Nicolao Canalio det.

XLI. ExKalin. ad ann. 1470. §. 17. PAULUS II. Christophoro Mauro Venetiarum Duci, &c.

Inc. *Negropontis, &c.*

„ EXpugnarat Chalcidem, seu Negropontem Turca. „ Causa conjecta fuit in supremum classis Ducem „ Nicolaum Canalium; missusque fuit ad classem Ni„ colaus Mocenigus jussus mittere in vinculis Canalium „ Venetias, eumque tradere Pontifici puniendum, cum „ Pontifex esset caput fœderis in Turcas. „

Paulus misereſcens sortem tanti viri, Duci scribit,

Se merito excitatum pietate, *etiam quadam vi potiore*

tiore rationis possibili instantia apud Dacem, & nobile Dominium velle esse Patrocinio Canalio; sæpius se colloquutum cum Venetis oratoribus, ut a Duce, & Senatu peterent pro Canalio veniam.

Neque enim *persuadere* sibi Paulus *potuit, aut potest, quod vir talis, ac tantus, & qui pro Rep. anno præsertim superiore in eo bello strenue satis, ac felici successu bene meritus fuit, aut dolo malo, aut incuria defecerit:*

Quod si aliqua in parte fortasse tardius processit, non propterea judicio communi, & Pontificis studioso tanto negotio defuit.

Quare illi Dux ignoscat, nolitque hoc præcipue tanto viro consilio, & experientia valente spoliari.

D. Romæ apud S. Petrum VII. Cal. Sept. P. a. VII. a. D. 1470.

Venditio aluminis facta a Pontifice Venetis.

XLII. Ex Cornel. t. 12. p. 423. PAULUS II. Abbati S. Gregorii Venetiarum.

Inc. *Requisiti a dilectis, &c.*

CUm viderentur Turcæ *ingenti classe parata quotidie appropinquare, & jam Hellesponto navigato in civitatem Negropontem impetum* facturi, Veneti classem parare cœperunt, ut iis resisterent.

Ut aliqua ex parte eos adjuvaret Paulus, illis concedit magnam aluminis vim *existentem in cura, & custodia Bartholomæi Parutæ Abbatis S. Gregorii* his sub conditionibus,

Ut solvant Abbati tres mille, & quingentos Ducatos *pro oneratione, & exoneratione, datiis, gabellis, &c.*

Pro naulo, & vectura solvant de undecim millibus septuaginta quinque ducatis,

Ut nomine Cameræ Apostolicæ accipiat Abbas *fidejussores a Duce pro tertia parte spectante constructoribus aluminum, qui sunt socii in appalto in quatuor annis persolvenda,*

Singulæ mille libræ vendantur pretio viginti quinque, vel saltem viginti duorum ducatorum, & grossorum duorum ad aurum;

Ne alumina ferantur ad partes occidentales propter capitula, quæ fecerat Pontifex cum Carolo Duce Burgundiæ, & ne Anglia perturbaretur, sed vendantur in Italia.

D. Later. Non. Jul. P. a. VI. a. D. 1470.

Oratur Dux Venetiarum, ut curet propulsare Gallos ab Italia.

XLIII. Ex Lunig. t. 4. p. 1823. ALEXANDER VI. Augustino Barbadico Venet. Duci.

Inc. *Tu dilectissime, &c.*

VIx ac Dux audierat Gallos per Italiam discurrere, Pontificem aufugisse Romam, Gallos cœdibus, & incendiis Ecclesiæ statum fœdare requisitus, oratusque a Pontifice, *coacto maximo, robustissimoque equitum, peditumque exercitu parataque validissima classe pro Pontificis, & Matris Ecclesiæ in primis, & consequenter Italicæ patriæ ac sociorum defensione terra, marique decertare justum, & gloriosum putavit. Non incruenta victoria incomparabili Ducis, suorumque virtute invasores Ecclesiæ, occupatores Italiæ* superati fuerunt, *ereptaque fuit ex eorum manibus Venetæ classis armis Apulia*; quam victoriam prosequuturum esse Ducem, uberioresque ex ea reportaturum fructus Pontifex sperat.

Jam Equiti Hieronymo Georgio Veneto apud Pontificem oratori injunxerat, ut Duci gratias ageret de susceptæ Ecclesiæ defensione, illique gratularetur de relata insigni victoria, tamen non potest Pontifex, quin illi gratum animum suum testetur, gratiasque amplissimas reddat, *quas si dabit occasio, Venetis rependere benevolentissimo animo non tardabit.*

Verum quia perseverantia est illa, quæ in bonis operibus sola coronatur a Domino, Ducem hortatur & orat, ut porro pergat, neque ab armis desistat, donec Gallus expellatur Italia; Jam ejus exercitus est imminutus, urbes sociæ eum deserunt, Dux habet victorem exercitum pugnandi avidissimum; pugnat pro Dei causa, a quo victoriæ dantur,

D. Romæ apud S. Petrum die XI. Aug. P. a. III. a. D. 1495.

Ne nova occupent Veneti Ecclesiæ loca.

XLIV. Ex Rayn. ad ann. 1504. §. 8. JULIUS II. Duci Venetorum.

Inc. *Postquam nobilitati, &c.*

MIserat Rex Galliæ ad Venetos litteras, quibus eos hortabatur restituere Ecclesiæ occupata loca. Veneti tunc arcem Forilivii, & universam eam provinciam *pecunia, & artibus Ecclesiæ subtrahere tentabant.*

Gravior ergo in dies erat injuria, graviorque Julii dolor.

Ne fidant Veneti magno, quem habent, exercitui; nam Deus, cui Julius fidit, valentior erit.

Consideret sua sapientia Dux, quam graviter suam oneret conscientiam, & quæ mala nota suo nomini inuratur ex hac tot Ecclesiæ locorum detentione.

D. Romæ apud S. Petrum die VII. Febr. P. a. I. a. D. 1504.

Monentur Veneti, ut usurpata Ecclesiæ restituant.

XLV. lb. p. 1826. JULIUS II. Leonardo Lauretano Ven. Duci.

Inc. *Cum per venerabilem, &c.*

PEr *Angelum Episcopum Tyburtinum, & per plures litteras declaravit Julius Duci, suæ fixæ esse voluntatis repetere, & recuperare suas civitates Faventinam, & Ariminensem, earumque arces, omniaque alia loca, & oppida, quæ Veneti ab obitu Alexandri VI. occupaverant; hoc idem semper dixerat oratori Veneto.*

Quare miratur, se nullum responsum a Duce habuisse, magisque mirari iterum rem ad consilium rogatorum deferri, cum Dux, & inclitus iste Senatus perspicere possit, non licere res Sanctæ Romanæ Ecclesiæ detineri.

In hoc recuperandi proposito, testatur Julius, *se ab initio constantissimum fuisse, esse, & futurum;* quod si Venetus orator, vel quispiam alius scripsit, aliquam concordiam super his iniri posse, *aliena a vero scripsit: a proposito enim dictas civitates recuperandi nullus terror, nulla pactio, nulla conditio dimovere eum poterit.*

Paterne igitur Ducem monet, *& quod jure facere debet sponte, & cito facere velit, ut restitutis integre urbibus, civitatibus, arcibus, & locis prædictis, Pontificis, & S. Sedis, cujus semper observantissimus fuit, benignitate perfrui possit.*

D. Romæ apud S. Petrum die X. Jan. P. a. III. a. D. 1505.

Excommunicationis, & interdicti sententia in Venetos lata.

XLVI. lb. p. 1829. JULIUS II. ad f. r. m.

Inc. *Pastoralis officii, &c.*

INitio statim Julius curat in Venetos invidiam excitare principum: *Cum retroactis temporibus Dominii Venetorum potentia privilegiis, indultis, atque favoribus, pecuniis etiam adjuta Romanæ sedis sæpenumero adeo in immensum excreverit, ut quibuscumque Regibus, Principibus, Ducibus, potentatibus, & dominiis totius Europæ, & præcipue matri suæ Ecclesiæ, a qua beneficia multa suscepit, formidolosa, & perniciosa fuerit, & sit in præsens, quandoquidem leonina pelle assumpta, non solum leonis more, sed & luporum omnium, quibus proxime accedit, coria expilat, nec unquam retro aspicit, sed ejusdem leonis feritate vicinos, & obvios quosque perstrundat, & discerpit.*

Tum exponit quare eos velit excommunicare, & interdicere. Voluerunt occupare Ferrariam semel, & iterum, *per dolum, & fraudem* Ravennam, & Cerziam occuparunt; mortuo Alexandro VI. Ariminum, Faventiam,

ventiam, & Sarſinam Urbes S. R. Eccleſiæ, illarumque arces, & oppida, & multa loca Cæſenatenſis, Forlivienſis, & Immolenſis diſtrictuum uſurparunt. Admoniti ab Julio, ut eas terras dimitterent, noluerunt. Miſſus fuit ab Julio ad eos Nuntius, qui iis ſuaderet, ut ea loca reſtituerent; ſed nihil profecit; ſcripſit ad eos Julius, ſed fruſtra. Etiam Maximilianus Romanorum Rex eorum oratores *tamquam S. R. Eccleſiæ advocatus requiſivit, & interpellavit*, ut ea loca concederent Eccleſiæ, ad quam ſpectabant. Sed incaſſum omnia.

Bentivolos hoſtes Eccleſiæ, invaſores Bononiæ, excommunicatos in ſuas ditiones exceperunt.

Eccleſiarum proviſiones a S. Sede factas *impudenter impediunt, nec illorum poſſeſſionem niſi ex arbitrio ſuo cuiquam dari permittunt*; puniunt confugientes ad S. Sedem pro juſtitia conſequenda; nulla Apoſtolica reſcripta, niſi ipſis annuentibus, executioni mandari poſſunt, Clerum, & Eccleſias *graviſſimis impoſitionibus, decimis atque oneribus uſque ad ſanguinem excoriant; Clericos, prælatos, religioſos in exilium, & nonnumquam in carcerem mittunt*.

Pacem conciliaret Julius inter Imperatorem, & Regem Galliæ, & jam eos in Turcas moviſſet, niſi Ferdinandus Aragoniæ Rex illi perſuaſiſſet, ut antea res Eccleſiæ retentas a Venetis recuperaret.

Sed Veneti numquam potuerunt adduci ut in Turcas bellum pararent.

Cum igitur tot, tantorum criminum rei ſint, eos excommunicatos declarat.

Reliqua hujus Bullæ conveniunt cum Clementina (v. ſupra *In omnem*.) N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum V. Cal. Maji P. a. VI. a. D. 1509.

Contra eoſdem, quod appellarint ad futurum Concilium.

XLVII. JULIUS II. ad p. r. m.

B. M. t. 1. p. 501. B. R. t. 3. p. 3. p. 312. C. C. Inc. *Suſcepti regiminis, &c.*

QUod egerant Veneti, cum Sixtus IV. monitorium in eos emiſit, egerunt, & nunc poſt ſententiam excommunicationis, & interdicti in homines, & in loca Reip. ab Julio II. latam, appellarunt a Pontifice ad Concilium.

Tanto uberiorem materiam in eos invehendi ex hac appellatione ſibi datam eſſe ratus Julius, quia contempſerunt Pii II. pœnas enuntiatas in appellantes ad futurum Concilium, in eos evomit quæcumque in mentem, & in buccas venire potuerunt;

Eos eſſe ſchiſmaticos, eos velle inconſutilem Chriſti tunicam diſcerpere, non hominum, non Dei timorem, reverentiamque iis eſſe, in reprobum ſenſum jam eſſe prolapſos, nullum amplius eſſe morbo remedium;

Proinde excommunicationem, interdictumque confirmat,

Eorum appellationem nullam eſſe declarat, imo magis reos eſſe illos quod appellarunt, ait.

Reliqua congruunt cum Bulla Sixti IV. (v. ſupra *Qui monitis*.) N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Jul. P. a. VI. a. D. 1509.

Appellaverat etiam a cenſuris Joannes Bentivolus, qui ſimul cum Venetis excommunicatur.

„ Ut a fœdere Cameracenſi contra Remp. inito revocarent Veneti Julium, ſex oratores elegerunt, qui „ de concordia cum Pontifice agerent, conditioneſque „ pacis proponerent;

Ex Lunig. Ib. p. 1844. „ Significarent Pontifici *ſingularem devotionem, & filialem obſervantiam ipſorum Dominorum conſtituentium, quæ ſingulis temporibus fuit erga Sanctitatem ſuam, & optimam, & conſtantiſſimam mentem, & diſpoſitionem perſeverandi, ſicut ſemper fuit peculiare inſtitutum Veneti Dominii*; eos in gratiam reſtitueret; *& ſi quovis modo ipſi Domini conſtituentes, vel eorum aliqui in ullas cenſuras, & pœnas incurriſſent in monitorio expreſſas, abſolutionem, & relaxationem impertiretur*; ipſis conſtituentibus revocantibus omnes appellationes.

Ib. p. 1847. „ Apponitur ſecundum mandatum, quo datur facul„ tas electis Oratoribus agendi cum Pontifice pro con„ cordia.

„ Conditiones autem initæ pacis hæ ſunt:

I. Revocetur quæcumque appellatio. Epiſcopi, & Ib. p. 1849. Eccleſiaſtici, qui illam approbarunt, Romam eant impetraturi a Pontifice veniam.

II. Confiteantur oratores, litteras monitoriales prius cognitas *legitime, & ex veris, & legitimis cauſis emanaſſe*,

III. Promittant *expreſſe, & ſolemniter ſe nullo umquam tempore, aut quovis quæſito colore, ſeu quavis cauſa impoſituros eſſe aliquas decimas, ſeu impoſitiones, ſeu collectas Clericis, Eccleſiaſticis perſonis, boniſque*.

IV. Polliceantur, ſe non impedituros ullo modo *collationes, præſentationes, inſtitutiones, proviſiones, ſeu quaslibet diſpoſitiones per Pontificem pro tempore exiſtentem, vel per S. Sedem, vel per Legatos, & Ordinarios factas, de Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, &c.*

V. Se non impedituros, quin cognitio cauſarum fori Eccleſiaſtici devolvatur ad judices Eccleſiaſticos in quacumque inſtantia; nec permiſſuros, *Clericos, aut Eccleſiaſticas perſonas abſque expreſſa licentia Sedis A., vel alterius Eccleſiaſtici judicis, ad quem ſpectat, capi, carcerari, detineri, aut quavis moleſtia in eorum bonis, perſonis, aut beneficiis affici*;

„ Ex hoc articulo anſam cœpit Paulus V. Vene„ tos interdicendi. (vide de infra *ſuperioribus menſi*„ *bus*.) „

VI. Se non impedituros ſtatus Eccleſiaſtici ſubditos, quin per maria, per flumina libere ire poſſint, & negotiari, non homines, non merces retenturos, &c.

VII. Obtemperaturos S. Eccleſiæ mandatis, eique auxilium præſtituros;

VIII. Se caſſaturos, & irritaturos quoſvis contractus initos cum quibuſcumque contra Romanam Eccleſiam;

IX. Se non protecturos rebelles Eccleſiæ, & qui in dominium venient, ſe expulſuros, ſint hi rebelles ſubditi mediate, vel immediate Eccleſiæ;

X. Se renunciaturos quibuſcumque juribus in petitorio, & poſſeſſorio competentibus ſuper civitate Ferrarienſi;

XI. Se compenſaturos damna illata Eccleſiis, Monaſteriis, locis Piis;

Hæc Capitula Oratores jurarunt Dominium eſſe ſervaturum coram Pontifice, & Sacro Cardinalium Collegio.

Die XXIV. Febr. a. D. 1510.

In ſecunda Dominica Quadrageſimæ, quæ fuit dies eadem XXIV. Febr. Pontifex Venetos oratores vice, & nomine Ducis, & Dominii abſolvit.

Quæ emolumenta redundarent in Imperatorem ex pace cum Venetis.

JULIUS II. Gurcenſi Epiſcopo. XLVIII. Ex Lunig. t. 2. p. 2001.

Inc. *Intelleximus, &c.*

INtellexerat Julius Epiſcopum Gurcenſem arrepturum eſſe iter, ut Romam veniret pacem cum Venetis nomine Maximiliani I. Imperatoris componendi ergo.

Julius ei ſcribit, quid pro hac pace cum Venetis egerit:

Nempe *obtulerant hactenus pro inveſtitura centum quinquaginta millia Florenorum Renenſium, pro annuo vero cenſu viginti millia. Sperat tamen* Julius, *eos majorem ſummam cito oblaturos*.

Eum rogat, ne tardet, illique promittit ſimul ſecum annixurum Oratorem Ferdinandi Regis Aragonum, ut inducantur Veneti ad ſolvendam majorem pecuniæ vim.

Iterum eum rogat, ut properet; namque *rebus Cæſaris bene confectis cum magno incremento honoris redibit*.

Dat. Bononiæ Die XI. Februarii Pontif. ann. VIII. ann. D. 1510.

Horta-

Hortatio ad Venetos ut exercitum parent, ne Italia fædetur hæreſis.

XLIX. CLEMENS VII. Duci Venetorum.

ex Rayn. ad ann. 1532. §. 68. Inc. *Quanto nuper, &c.*

PEr biennium aluerat Clemens exercitum, ut repelleret hæreticos, ſi in Italiam deſcendere vellent.

Exercitum quoque habebat in Italia Imperator Carolus;

Exercitumque habebat Sabaudiæ Dux contra Helvetios.

Per has litteras hortatur Clemens Venetos, ut quoniam ipſi quoque florentiſſimam Italiæ partem habent, copias comparent, ut communibus viribus irruentes in eam hæreticos repulſare poſſint.

Et quoniam hæ copiæ parabantur etiam in propugnationem bonorum Eccleſiaſticorum iis permittit, ut poſſint ex iis bonis decimas exigere inſumendas in ejus exercitus conſervatione.

D. Romæ apud S. Petrum Prin. Cal. Jan. P. a. IX. a. D. 1532.

„ Copias coegerunt Veneti, ne tamen ſuſpicaretur „ Galliæ Rex Franciſcus, ſe cum Imperatore, Pontifi„ ce, Sabaudo fœdus iniiſſe aliis de cauſis, teſtati ſunt, „ ſe nonniſi pro tutanda ab hæreſi Italia eos milites „ contraxiſſe.

Rogantur Veneti, ut urbem aliquam ſuæ ditionis celebrando Concilio aſſignent.

L. PAULUS III. Duci, & Dominio Venetorum.

Ad ann. 1537. §. 33. Inc. *Appropinquante, &c.*

CUm Italiæ principes omnes ſuſpecti eſſent vel Cæſari tanquam Gallorum fautores, vel Gallo tanquam Cæſaris, ſicut erat Dux Mantuæ, qui Cæſari adhærebat, Mantua urbe electa ut ibidem celebraretur Concilium prætermiſſa, ad Venetos nulli principi addictos confugit Paulus,

Eoſque rogat, ut aliquam urbem commodam, opportunam, abundantem rebus victui neceſſariis aſſignent in ſua ditione celebrando Concilio, quod indictum erat in Calendas Novembris venturi.

Cum eorum pietatem optime noverit, ſupervacaneum ducit pluribus eos orare: vident enim hoc in univerſæ Chriſtianæ Rep. utilitatem cadere.

Dat. Romæ apud S. Marcum Die XXIX. Aug. P. a. III. a. D. 1537.

„ Aſſignarunt Veneti Vicentiam. Pontifexque duos „ Prælatos Venetias miſit, ut Dominio gratias agerent.

Veneti monentur, ut hæreſi Lutheranæ Vicentiæ graſſanti reſiſtant.

LI. PAULUS III. Duci & Senatui, &c.

ex Rayn. ad ann. 1546. §. 147. Inc. *Alias egimus, &c.*

CArdinalis Rudolphius Vicentinæ Eccleſiæ adminiſtrator jam ſignificarat Pontifici, Lutheranam hæreſim irrepſiſſe in Urbem Vicentiæ, & quoſdam illic eſſe labe Lutherana infectos.

Pontifex & per Nuntium, & per litteras rogavit Senatum, ut eam urbem purgaret hujuſmodi contagione, neque permitteret eam diſſeminari.

Cum nimis ſegniter, & præter ſpem ſuam Poteſtas, & Capitaneus agere in hoc negotio videretur, iterum Ducem, Senatumque rogat, ut jubeat Prætori, Præfectoque auxilium præſtare Vicario Cardinalis inquirenti hæreticos.

Decet Senatum ita facere, quia majores ejus Reip. ſemper Catholicam fidem in ſuis ditionibus conſervarunt.

Quia dedecet in oculis prope ipſis Concilii Tridentini, quod habetur ad exſtirpandam Lutheranam hæreſim, Venetos collatis cum illo viribus eam ex urbe ſuæ ditionis florentiſſima non expellere,

Quia hæreſis in omnibus iis locis, in quibus graſſata eſt, diſſenſiones peperit, ex his diſſenſionibus excuſſa fuit debita ſubditorum Populorum obedientia principi; unde poſtea bella graviſſima ſunt enata.

Sed pluribus argumentis Veneta prudentia non eget.

Dat. Romæ apud S. Petrum Cal. Maji P. a. XII. a. D. 1546.

„ Paruere Veneti, atque acerbiſſimis edictis hæreti„ cos proſcripſere, ut qui divino timore arceri a fla„ gitio non poterant ſuppliciorum metu ab impietate „ ſubmoverentur, quorum pietatem, ac prudentiam „ eximiam commendat Surius his verbis:

Veneti edicto cavent, ut libri a Catholica Religione diſcrepantes ad certos homines adducantur, idque intra dies octo, quibus elapſis inquiſitum iri ajunt, & qui deprehenſi fuerint non impune abituros: iis qui deferent hujus edicti contemptores, munera promittunt. Hæc moleſtiſſime ferunt homines. Sed ſi ſaperent, gauderent, magiſtratus eorum ſaluti mature providere. Atque utinam ubique terrarum proſcripti eſſent libri omnes ex hæreticorum officinis profecti; nam ſermo eorum (quod veriſſime dixit Apoſtolus) ut cancer ſerpit. Apud eundem Raynaldum ib.

Sollicitantur Veneti ut cum Imperatore fœdus in Turcas ineant.

PAULUS III. Duci Venetorum &c. LII. Ib. §. 54.

Inc. *Cum metus, &c.*

INgentem navalem claſſem cum pararet Solimanus Turcarum Dominus omnes Italiæ principes, qui habent loca maritima, valde ſibi timebant; Carolus V. præcipue, Venetique. Carolus utriuſque Siciliæ oras præſidiis muniverat.

Sed aggreſſus Venetos eſt.

Pontifex igitur capta hinc occaſione, illis ſcribit, ſe ad eos mittere Internuntium, ut iis perſuadeat fœdus inire cum Carolo contra Turcas tantummodo.

Carolus claſſem armatam habet, militeſque, eadem cauſa urget Carolum, quæ Venetos.

Ne pigeat ergo contra communem hoſtem arma conjungere.

D. Romæ apud S. Marcum Die V. Aug. P. a. III. a. D. 1537.

„ Aggreſſus fuerat Solimanus Corcyram. Sed fruſtra. „ Inde enim abſcedere coactus fuit; irrupitque in Apu„ liam; inde quoque eum Auria Dux Cæſaris expulit.

Venetis ſignificat ſuam electionem Pontifex, & in eorum laudes digreditur.

JULIUS III. Franciſco Donato Duci, & Senatui. LIII. Ad ann. 1550. §. 37.

Inc. *Nos quidem, &c.*

POſtquam Venetis ſuam electionem narravit Julius, comparat regimen ſtatus Pontificii cum Veneto, & inter utrumque eſſe analogiam oſtendit.

Uterque ſtatus ab eadem origine fluit; uterque in conſervationem communis boni, & libertatis incumbit;

Quoad vero apud vos legum obſervantia, morum gravitas, juſtitiæ cultus tantopere vigent, ſingulariſque in regendo prudentia veſtra celebris apud omnes eſt, quod magna veſtra liberalitate adapertum Orbi Chriſtiano habetis Patavii Emporium bonis litteris addiſcendis, id quod pariter hæc Sancta Sedes Bononiæ fecit, & facit, merito augent inter nos amorem morum, ſtudiorum, & voluntatum ſimilitudo.

Illud quoque ad veſtras tot laudes ſumme laudandum accedit, quod nobilitas Italiæ in veſtram civitatem ab initio confluxit, & in Chriſti fide fundata nunquam hæreſes aut veteres, aut has recentiores admiſit, ſemper ipſa pia, ac nobilis.

Habet igitur, habuitque hæc Sancta Sedes multas, ac juſtas cauſas ſuæ erga vos dilectionis, in qua nos quidem conſtanter permanebimus, nullique noſtrorum prædeceſſorum in hoc cedemus.

D. Romæ apud S. Petrum Die XII. Febr. P. a. I. a. D. 1551.

„ His ſimilia ſcripſerat antea Cardinalis Beſſarion „ Chriſtophoro Mauro Duci Venetiarum, cum Reip. „ legavit Bibliothecam ſuam, quod antea fecerat Fran„ ciſcus Petrarca.

Mihi multas Italiæ urbes animo volventi ſola tandem veſtra inclita, atque ampliſſima civitas occurrit, in qua animus meus omni ex parte conquieſceret. Primo enim non videbam quem locum eligere tutiorem poſ-

ſem,

ſem, quam eum, qui æquitate regitur, legibus tenetur, integritate atque ſapientia gubernatur, ubi virtutis, continentiæ, gravitatis, juſtitiæ fidei domicilium eſt, ubi imperium ut maximum eſt, atque ampliſſimum, ita æquabile, & moderatum, animi in conſultando liberi, nulli libidini, nulli delicto obnoxii; prudentes imperii clavum tenent, & boni malis præferuntur, ac privatorum commodorum obliti totum corpus Reip. unanimi conſenſu, & ſumma integritate procurant; ex quo ſperandum eſt, veſtram civitatem (quod optamus) in dies magis & vires, & nomen propagaturam.

De ſua electione, de pace principum, de fiducia in Venetam Remp.

LIV. PIUS IV. Hieronymo Priolo Duci Ven.

E regno Pii p. 7. Inc. *Dum nos, &c.*

NUllo unquam tempore difficiliore poterat, ſcribit Pius, eligi in Pontificem, quam, cum tot hæreſes, turbæque exagitent Eccleſiam, cum multi peſſimi mores mortales omnes inficiant, & graviſſimi abuſus in ipſam Urbem Romam irrepſerint.

Enimvero Deus eſt in ſuis judiciis mirabilis, qui voluit onus, quo nullum eſt gravius, ſibi viribus tam infirmis imponere.

Sed tamen ex concordia omnium Catholicorum principum magna ſpes effulget, fore ut velit tandem aliquando optatiſſimam pacem Eccleſiæ ſuæ dare. Nihil enim magis avent hæretici, quam videre principes inter ſe pugnantes; tunc hæreſes ſuas impune diſſeminant; illi, pace inter ſe compoſita, toti incumbent una cum Pontifice, evellendis radicitus hæreſibus.

Concilium, quod in animo habet proſequi, & ad exitum perducere, huic exſtirpationi mirum quantum inſerviet.

Præter Deum, multum Reip. Venetæ Pius fidit: cum etenim ejus religionis ſtudium norit, cum norit ejus prudentiam, ejuſque pietatem, in certam ſpem adducitur, fore ut ab iis auxilium, conſilium ſibi hæreſes compeſcere volenti præbeatur.

Ad quod agendum Ducem maximopere rogat,

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIX. Jan. P. a. I. a. D. 1559.

Jus nominandi ad Archiepiſcopatum Nicoſienſem in Cypro detur Venetis.

LV. PIUS IV. Duci & Dominio Venet.

Ad ann. 1569. §. 91. Inc. *Cum inter, &c.*

COllaudatis jure meritoque Venetis, quod nullis impenſis, nullis laboribus parcentes contra Turcarum impetus & maria, & terras plurimas defendebant, & Cyprum præcipue, quam Inſulam & Ægyptii, & Turcæ toties fruſtra aggreſſi erant, *Syriæ, & Ægypto fere conterminam Turcarum armis undique circumſeptam, & cæterorum barbarorum inſidiis obnoxiam.*

Eam proinde Veneti *non ſolum perpetuo militari peditum equitumque, ac omni inſtructiſſimæ claſſis præſidio firmarant, verum etiam operoſis portuum inſignium monumentis roborarant, præclaris civitatibus, & populoſis oppidis decorarant, & hominum Chriſticolarum frequentia, omnigenum Mercatorum concurſu, larga opum multiplicum exuberantia, fertiliumque agrorum cultura antiquæ illi amplitudini ſuæ reſtituerant.*

Quare reputans Pius, quanta cura ſit illud regnum cuſtodiendum, & quantum interſit *ne in illius intima ignoti admittantur, ſed portuum navalium, arciumque cuſtodia Venetis fidiſque miniſtris fidatur, & regni Cathedrales, & potiſſimum Metropolis Nicoſienſis Eccleſia Prælatis Venetis* committatur,

Ut aliquam quaſi laureolam det Venetis de ſuſceptis pro Eccleſia laboribus, de aditis periculis, factiſque expenſis, & ne non *a ſatis fidis præſulibus dictæ Metropoli præficiendis pericula aliquando ſuccedere poſſint,*

Pius *ſpeciali gratia* jus patronatus, & præſentandi Romano Pontifici pro tempore exiſtenti perſonam idoneam ad ipſam Eccleſiam Nicoſienſem infra ſex menſes a die vacationis Senatui concedit. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XIV. Cal. Jan. P. a. I. a. D. 1569.

Interdictum in Venetos.

PAULUS V. Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis per dominium Venetum conſtitutis. LVI. B.M. p. 4. vel t. 10. p. 175.

Inc. *Superioribus menſibus, &c.*

SEnatus Venetus anno 1605. ediderat, vel potius innovaverat quædam antiqua decreta, ne in Urbe Venetiarum quiſquam Laicus vel Eccleſiaſticus Eccleſias, monaſteria, pias domos fundaret inconſulto Senatu.

Et item inhærendo alteri decreto edito jam anno 1536. edixerat, *ne quiſquam in urbe Venetiarum, ejuſque Ducatu bona immobilia ad pias cauſas ex teſtamento, ſeu donatione inter vivos legaret, aut aliquovis titulo alienaret.*

Inſuper anno 1602. cum decretum fuiſſet in deciſione cujuſdam litis inter Doctorem Franciſcum Zabarellam ex una parte, & Monachos de Praglia Congregationis S. Juſtinæ de Padua, *ne Monachi quovis titulo in bonis Eccleſiaſticis Emphytheuticis a Laicis poſſeſſis præferantur, ac etiam jure prælationis, ſeu conſolidationis directi cum utili dominio, aut extinctionis lineæ in primis inveſtituræ comprehenſæ, aut alia quavis cauſa bonorum prædictorum proprietatem ſibi vindicare minime poſſent, ſed tantummodo jus directi dominii illis præſervatum eſſet,*

Et præterea cum *Dux, & Senatus Scipionem Saracenum Canonicum Vicentinum, & Brandolinum Valdemarinum Abbatem de Nerveſa carceri mancipaviſſent, & mancipatos detinerent,*

Aſſerens Paulus, hæc *Sedis Apoſtolicæ auctoritati, Eccleſiæ libertati, & immunitati contraria, tum Conciliis, & ſacris Canonibus repugnantia*, declaravit, Ducem, & Senatum incurriſſe in excommunicationem; admonuitque eos, ut illa decreta tollerent, & mancipatos traderent Nuncio ibidem exiſtenti, & tres terminos iiſdem præſcripſit, octo dies pro quolibet termino, ut prædicta agerent, & *ſi per tres dies poſt lapſum dictorum viginti quatuor dierum excommunicationis ſententiam animo ſubſtinuerint obdurato, Civitatem Venetiarum, urbes, terras, &c. ac univerſale temporale dominium Reipublicæ Eccleſiaſtico interdicto ſupponit.*

D. Romæ apud S. Petrum Die XVII. Apr. P. a. I. a. D. 1606.

„ Leonardus Donatus Dux (is ſucceſſerat Lauretano) Ib. p. 177.
„ cum audiſſet, ſe, Senatum, Dominium eſſe interdictum, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis dominii ſcripſit, *Proteſtamur, nihil eorum, quæ fieri poterant, prætermiſſum fuiſſe, quo validiſſimæ, & indiſſolubiles rationes, & jura principatus Pontifici innoteſcerent, per oratorem ordinarium Romæ reſidentem per litteras, per oratorem extraordinarium.*

„ Proinde prædictum Breve *non modo ut injuſtum, indebitumque, ſed uti nullum, nulliuſque roboris eſſe habendum;*

„ Jubetque illis Dux, ut divina officia peragant æque ac ſi illud breve non fuiſſet editum; vultque, has litteras publicis in locis affigi.

„ Dat. in noſtro Palatio Ducali Die VI. Maji a. MDCVI.

Mandatur Cardinali de Jojoſa, ut abſolvat Venetos.

PAULUS V. Cardinali de Jojoſa. LVII. B.R. t. 5. p. 3. p. 252. C.C.

Inc. *Vices illius, &c.*

EX *parte ſatisfecerunt* Dux, & Senatus litteris Pauli, (Cardinali de Jojoſa enim tradiderant Carceratos).

Rex ſiquidem Galliæ Henricus IV. præcipuus mediator fuerat (deinde etiam Rex Hiſpaniæ ſeſe interpoſuerat).

Committit Paulus Cardinali præfato, ut Venetos a cenſuris abſolvat, & interdictum tollat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die IV. Apr. P. a. II. a. D. 1607.

Clero

Clero utrique interdicitur ſolutio cujuſdam impoſitionis.

LVIII. B.R. t. 5. p. 4. p. 254. C.C. PAULUS Univerſis, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis in Civitate, & Statu Venetiarum.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

CLerus ſæcularis, & regularis juſſus fuerat perſolvere quandam collectam (*Campadego* nuncupatam) jamque nonnulli Eccleſiaſtici eam ſolvere incœperant.

Sub excommunicationis pœna illis interdicit Paulus ejus collectæ ſolutionem. Impoſita enim fuerat ſine S. Sedis licentia. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIX. Aug. P. a. XIII. a. D. 1617.

Ob prætermiſſam nominationem ad Patriarchatum Aquilejenſem nullum præjudicium afferatur Reipublicæ.

LIX. B.R. t. 6. p. 4. p. 119. C.C. ALEXANDER VII. Duci, & Dominio Venetiar.

Inc. *Cum nos, &c.*

NOminandi jus ad Eccleſiam Aquilejenſem dederat Julius III. Duci, & Dominio. Prætermiſere Veneti coadjutorem nominare, quem auctoritate Apoſtolica nominavit Alexander.

Hinc timentes Veneti, ne amitterent jus, vel hoc eſſet ſibi præjudicio, confugerunt ad Pontificem;

Qui declarat, hoc nullum damnum, nullum præjudicium allaturum eſſe Reip. N. O.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVI. Junii P. a. II. a. D. 1656.

Jus nominandi ad tres Epiſcopatus datur Reip.

LX. B.M. t. 19. p. 57. BENEDICTUS XIV. ad p. r. m.

Inc. *Sinceritas fidei, &c.*

NOn ſolum Benedictus confirmat huic Reip. privilegium illi datum a Pio IV. nominandi ad Eccleſiam Patriarchalem Venetam, ſed etiam illi dat jus nominandi ad tres Eccleſias Epiſcopales Torcellanam, Caprularum, & Clodienſem.

Epiſcopus Altinenſis, Altino diruto, Torcellum Sedem tranſtulit, Petrus tunc Dux Epiſcopium ædificavit, & Epiſcopus (Juſtinianus) de congrua habitatione, & ſupellectili ſucceſſoribus providit; *initia Eccleſiæ Caprularum ex eo derivantur, quod olim Concordienſis Epiſcopus Joannes nomine a ſua civitate profugus, propterea quod ſchiſmati adhærere noluit, in eo oppido exceptus, Epiſcopalis Sedis ibidem ſtatuendæ commodum obtinuerit*; Clodienſis Eccleſiæ *conſtitutionem*, dicunt, *præcipue acceptam referri debere bon. me. Ordelafo Faletrio Venetiarum Duci, cujus auxilio factum eſt, ut, quum Inſula Metamauci*, vulgo Malamocco, *marinis fluctibus ſubmerſa fuerit illius Epiſcopus in Foſſa Clodia conſiſtere, ibique Sedem Epiſc. figere potuerit.*

Hoc etiam eo libentius Benedictus præſtat, quo enixius ſemper Reſpublica adhæſit S. Sedi, ut a prædeceſſore Papa Honorio III. promeruerit *præclarum Chriſtianiſſimæ Reip. nomen*, recenſque erat illius meritum, cum *publico, & ſolemni Senatus decreto faceſſere* juſſit e provincia Dalmatiæ, *quo a Pſeudo Patriarcha ſchiſmatico Græcorum miſſus fuerat, ut ibi ſedem figeret*, quod fuiſſet maximo Catholicæ Religionis damno, *quendam Schiſmaticum Pſeudo-Paſtorem Papam Simonem Conzacovich.*

Electores hortatur, ut in electionibus ad has Eccleſias in mente habeant conditiones requiſitas in eligendis a Tridentina Synodo. *Seſſ. 24. de reform. c. 1.*

N. O. *Nulli ergo &c.*

D. in arce Gandulphi Id. Junii P. a. XIII. a. D. 1715.

Impoſitio ſubſidii pro S. Sede.

LXI. B.R. t. 5. p. 2. p. 60. C.C. CLEMENS VIII. Nuncio A. apud Venetos.

Inc. *Eæ ſunt, &c.*

CUm *ad præſentes S. Sedis difficultates ſublevandas* ordinarii reditus non ſufficerent, ſubſidium ſcutorum quinquaginta millium ſuper omnibus bonis dominii Veneti Eccleſiaſticis ſæcularibus, & regularibus, & militaribus, & penſionariis imponit Clemens; Congregationes regulares excipit, quæ cum Camera Apoſt. convenerunt.

Dat igitur Nuncio A. opportunas facultates deputandi collectores, cogendi per cenſuras nolentes ſolvere. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVIII. Mart. P. a. IV. a. D. 1595.

Impoſitio alterius ſubſidii.

CLEMENS VIII. Nuncio A. apud Venetos. LXII. Ib. p. 369. C.C.

Inc. *In ſummo &c.*

COnvenit hæc conſtitutio in ſumma exigendi ſubſidii, in mandatis ad Nuncium cum ſuperiore. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die X. Maji P. a. X. a. D. 1601.

Impoſitio octo decimarum in ſubſidium Reip.

CLEMENS VIII. Nuncio A. Venetiis. LXIII. Ib. p. 396. C.C.

Inc. *In ſupremo, &c.*

CUm jam Turca pararet bellum, nec ſatis appareret, cuinam illud inferre meditaretur, Clemens conatus eſt fœdus in eum facere inter principes Chriſtianos.

Veneti paruerunt Pontifici, munieruntque portus, & loca maritima incurſionibus magis expoſita.

Cum magna pecunia opus eſſet ad hoc, Pontifex iis decimam ſuper bonis Eccleſiaſticis in ditione Veneta exiſtentibus conceſſit.

Sed cum non ſatis ſit parare arma, niſi etiam conſerventur parata, ne medio in opere iis pecunia deſit, imponit decimas octo ſuper iiſdem bonis, & penſionibus.

Duodecim Congregationes monaſticas excipit, quæ jam ſub Pio V. convenerant ſuper his; illæ ſolvent quatuor decimas, & dimidium.

Executores deputat Nuncium A. Patriarcham Venetiarum, & Epiſcopum Vicetinum, quibus dat in præmium bis mille ſcuta.

Opportunæ facultates illis conceduntur deputandi ſubcollectores, cogendi per cenſuras nolentes ſolvere &c. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XX. Dec. P. a. X. a. D. 1601.

Conceſſio unius decimæ Reipublicæ.

GREGORIUS XV. Nuncio A. Venetiis. LXIV. B.R. t. 5. p. 5. p. 38. C.C.

Incs *Sacroſanctæ, &c.*

UT contra Turcas poſſent Veneti portus, & loca maritima munire,

Imponit Gregorius utrique Clero, lociſque piis decimam per annos octo ſolvendam,

Collectoreſque deputat Nuncium A. Patriarcham Venetiarum, Epiſcopum Vicetinum cum opportunis facultatibus &c. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XI. Jul. P. a. II. a. D. 1622.

Conceſſio ſexdecim decimarum Reipublicæ.

URBANUS VIII. Nuncio A. Venetiis. LXV. B.R. t. 6. p. 1. p. 197. C.C.

Inc. *Sacroſanctæ militantis, &c.*

QUia graviſſimas expenſas facere debet Reſpublica, ut ſua dominia ab incurſionibus Turcarum tueatur, debetque ſemper armata conſiſtere, Urbanus illi concedit ſexdecim decimas ſuper omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, & ſuper penſionibus.

Ordines Mendicantes octo decimas ſolvent,

Congregationes Monaſticæ novem.

Executores ſoliti deputantur. N. O.

D. R. apud S. M. Maj. Die III. Oct. P. a VII. a. D. 1629.

Con-

Conceſſio unius decimæ.

LXVI. B.R.t.6. p. 2. p. 166.C.C. URBANUS VIII. Nuncio, &c.

Inc. *Sacroſanctæ, &c.*

OB eandem cauſam aliam decimam concedit Urbanus illis, &c.

Convenit cum ſuperiore conſtitutione. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die IV. Dec. P. a. XVI. a. D. 1635.

Impoſitio ſubſidii 100 *m. Ducatorum.*

LXVII. B.R.t.6. p. 3. p. 33. C.C. INNOCENTIUS X. ad f. r. m.

Inc. *Etſi pro cura, &c.*

BEllum impium ingens intulerant Turcæ Reipublicæ, jamque cœperant inſulam Cretam obſidere.

Reputans Innocentius impenſas ſummas ideo faciendas a Republica imponit utrique Clero in eo dominio ſubſidium centum millium Ducatorum auri.

Quæ vero faciendæ erunt expenſæ ad prædictam ſummam colligendam, vult a Clero eas quoque ſolvi, ut integra illa 100 milla ducata perveniant ad Rempublicam. N. O.

Decima una imponitur Clero.

LXVIII. Ib. p 95. C.C. INNOCENTIUS X. Nuncio Ap. Venetiis.

Inc. *Sacroſanctæ militantis, &c.*

QUotidie magis creſcentibus expenſis faciendis a Rep. ut reſiſteret Turcis, mandat Innocentius Nuncio ſuo, ut imponat utrique Clero decimas ad ſummam ſcutorum 400 m. quæ libera, detractis expenſis pro iis colligendis deveniant ad ærarium.

Collectores deputat cum facultatibus &c. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIX. Sept. P. a. II. a. D. 1646.

Impoſitio ſubſidii 100 *m. Ducatorum.*

LXIX. Ib. p. 196. C.C. INNOCENTIUS X. ad f. r. m.

Inc. *Etſi pro cura, &c.*

ALiud ſubſidium 100 m. ducatorum concedit Pontifex Reip. ut poſſit ſtrenue Turcis ſeſe opponere, exigendorum ſuper bonis Eccleſiaſticis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVIII. Jul. P. a. V. a. D. 1649.

Impoſitio Decimarum ſexdecim.

LXX. Ib. p. 250. C.C. INNOCENTIUS X. Nuncio Ap. Venetiis.

Inc. *Sacroſanctæ, &c.*

SExdecim decimas imponit Innocentius, ſicut impoſuerat Urbanus iiſdem conditionibus, iiſdemque verbis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die V. Sept. P. a. IX. a. D. 1653.

Impoſitio ſubſidii.

LXXI. Ib. p. 256. C.C. INNOCENTIUS X. ad f. r. m.

Inc. *Etſi pro cura, &c.*

PRæter præfatas decimas etiam ſubſidium 100 m. ducatorum imponit Innocentius. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die X. Oct. P. a. IX. a. D. 1753.

Bona ſuppreſſorum ordinum dantur vendenda Reipub.

ALEXANDER VII. Carolo Caraffa Nuncio Ap. Venetiis. LXXII. B.R. t. 6. p. 4. p. 102. C.C.

Inc. *Nuper nos, &c.*

CUm bellum Cretenſe difficillimum ſtrenue ſuſtineret, & impavide contra Turcas Reſpublica, Pontifex, ut ei opituletur, bona conventus S. Spiritus, & conventuum FF. Cruciferorum, ordinum a ſe ſuppreſſorum mobilia, & immobilia (vaſibus ſacris exceptis, detractiſque expenſis faciendis in ſubſtentationem eorum fratrum, qui in ſæculo vellent vivere, vel migrare ad alios ordines) mandat Nuncio ſuo, ut vendat vel per ſe, vel per alios, & ex venditione redactum pretium det Reip. inſumendum in expeditionem contra Turcas. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIX. Ap. P. a II. a. D. 1656.

Impoſitio alterius ſubſidii.

ALEXANDER VII. ad f. r. m. LXXIII. Ib. p. 258. C.C.

Inc. *Etſi nobis, &c.*

ALiud ſubſidium imponit Alexander ſuper omnibus bonis Eccleſiaſticis: ſubſidium 100 m. ſcutorum pro eodem bello. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVII. Febr. P. a. II. a. D. 1657.

Aliud ſubſidium.

ALEXANDER VII. ad f. r. m. LXXIV. B.R. t. 6. p. 5. p. 89. C.C.

Inc. *Etſi nobis, &c.*

IDem ſubſidium iiſdem verbis concedit Alexander Reip. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIII. Aug. P. a. VI. a. D. 1660.

Decimarum Impoſitio.

ALEXANDER VII. Nuncio Ap. apud Venetos. LXXV. Ib. p. 91. C.C.

Inc. *Sacroſanctæ, &c.*

EAdem eſt hæc conſtitutio, ac aliæ ſolutionem ſexdecim decimarum jubentes. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Sept. P. a. VI. a. D. 1660.

Subſidium conceditur.

ALEXANDER VII. ad f. r. m. LXXVI. Ib. p. 287. C.C.

Inc. *Etſi nobis, &c.*

DUrante adhuc Turcico bello Cretenſi, concedit Pontifex 100 m. ſcutorum ſubſidium Reip. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die III. Febr. P. a. VIII. a. D. 1663.

Simile ſubſidium conceditur.

ALEXANDER VII. ad f. r. m. LXXVII. B. R. t. 6. p. 6. p. 143. C.C.

Inc. *Etſi nobis, &c.*

SUbſidium centum millium ſcutorum auri aliud concedit Alexander Reipublicæ pro eodem bello.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die III. Febr. P. a. XII. a. D. 1667.

Conceditur impoſitio decimarum.

CLEMENS IX. Nuncio Ap. Venetiis. LXXVIII. Ib. p. 219. C.C.

Inc. *Sacroſanctæ, &c.*

SIcut conceſſerunt ſuperiores Pontifices decimas Reip. ita iiſdem verbis concedit Clemens. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Nov. P. a. I. a. D. 1667.

Con-

Conceſſio Reipublicæ bonorum aliorum ordinum ſuppreſſorum.

LXXIX. B.R. t. 6. p. 6. p. 305. C.C. CLEMENS IX. Laurentio Trotti Nuncio Apoſt. Venetiis.

Inc. *Cum nos, &c.*

GRaviſſimis de cauſis motus Clemens ſuppreſſerat Congregationem S. Georgii in Alga, fratrum Jeſuatorum, & FF. B. Hieronymi de Feſulis.

Cum ab annis tribus, & viginti acerrima obſidione premeretur a Turcis Creta, fortiterque Reſp. conatibus tanti hoſtis reſiſteret, ut ejus ærario ſuccurreret Clemens, mandat Nuncio ſuo, ut bona, quæ hæ congregationes habebant in Veneto Dominio, det Reip. in uſum belli.

Quadraginta ſcuta aſſignantur cuilibet Sacerdoti ex his congregationibus, & viginti cuilibet converſo ad vitam.

Onera Miſſarum Capellaniarum Eccleſiarumque Dominium adimplere faciat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VI. Dec. P. a. II. a. D. 1668.

Applicatio trium ſuppreſſarum congregationum bonorum ultra pharum in regno Siciliæ.

LXXX. Ib. p. 311. C.C. CLEMENS IX. Epiſcopo Mazzarienſi.

Inc. *Cum nos, &c.*

IMplicitæ Reipublicæ in difficillimo Cretenſi bello, opemque a Pontifice petente, mandat præfato Mazzarienſi Epiſcopo Clemens,

Ut bona Canonicorum quatuor ord. S. Georgii de Alga, aliarumque duarum congregationum ſuppreſſarum divendat plus offerentibus, detractiſque expenſis in ſubſtentationem Canonicorum, & fratrum, & oneribus Eccleſiarum, redactum pretium deponat apud ædem aliquam ſacram, aut fidelem perſonam, nec illud det cuiquam, niſi habeat litteras Nuncii Ap. reſidentis Venetiis.

Eos autem nummos decernit Clemens inſumendos contra communem hoſtem. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVII. Dec. P. a. II. a. D. 1668.

Idem jubetur Archiepiſcopo Panormitano.

LXXXI. Ib. p. 332. C.C. CLEMENS IX. Archiepiſcopo Panormitano.

Inc. *Cum nos, &c.*

IPſiſſimis verbis mandat Panormitano Antiſtiti Clemens quod juſſerat Epiſcopo Mazzarienſi de bonis ſuppreſſarum congregationum. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Martii P. a. II. a. D. 1669.

Hortatio ad Senatum, ut edictum factum revocet.

LXXXII. *In folio ſeparato.* CLEMENS XIII. Dilectis filiis, &c.

Inc. *A primo, &c.*

VEnetus Senatus die 7. Septembris anno 1754. decretum ediderat, ne quiſquam poſſet quicquam a Romana curia petere (exceptis caſibus ad Pœnitentiariam ſpectantibus) Principe inſcio, & inconſulto. Quod quidem decretum cauſa turbarum fuit inter Prædeceſſorem Benedictum XIV. & Senatum: Sæpius curarat Benedictus decretum tolli, ſed cum nonniſi prudenter Senatus agat, noluit illud revocare.

Defuncto Benedicto ſuffectus Cardinalis Carolus Rezzonico Patavinus Epiſcopus ſub Clementis XIII. nomine hoc Breve ad Senatum mittit.

Primum quidem ſe valde adſtrictum Venetis fatetur Clemens, quod vix aſſumptione ſua ad Pontificatum audita, effuſæ lætitiæ exquiſita ſigna Reſp. dederit, gratiaſque egerit Deo, monumentaque honoris in familiam ſuam congeſſerit plurima.

(Ejus frater creatus fuit Eques, & Procurator, eques *Conſt. Pontificiarum.* Tom. II.

ejus nepos major, equitatus titulus in poſteritatem propagatus fuit, nepos poſtea fuit electus D. Marci Procurator.)

Sed inde percepiſſe ſe majoris gaudii ſegetem ait Pontifex, quod audiit, Senatum decretum ſuum per menſes quatuor ſuſpendiſſe; unde ſpes ſibi effulget fore ut concordia, quæ ſub Benedicto XIV. interrupta fuerat, inter S. Sedem, Senatumque rurſus ineatur, perſevereteque ſemper; tantoque major Pontificis lætitia fuit, quod Venetus apud S. Sedem legatus teſtatus eſt, id Senatum feciſſe, ut Pontifici gratum faceret.

Se paratiſſimum eſſe ſemper, & futurum teſtatur Clemens ea facere, quæ grata fore Senatui credet, ſeque eos eſſe ſublaturum abuſus, qui ſenſim irrepſerunt, nullamque prætermiſſurum eſſe occaſionem Reip. favendi, ejuſque votis obſecundandi.

Quod ſibi gratiſſimum erit, ait, hoc eſſe, ſi Senatus *ſuprema ſua poteſtate* tollat, & abroget editum decretum, hanc eſſe ſuorum deſideriorum, votorumque ſummam.

Neque vero quiſquam putet, per hoc Reip. dignitatem imminui, eam legislativam facultatem, qua quiſque princeps pollet, lædi. Qui ita putaret, male de Pontifice ſuſpicaretur, quaſi vero vellet patriam ſuam id facere, quod in ejuſdem Patriæ dedecus redundaret; jam hæ ipſæ Pontificis preces oſtendunt, hanc poteſtatem ferendi leges, & eas abrogandi eſſe in Rep. ille enim unus poteſt leges abrogare, qui tulit. Si ergo ſupremæ auctoritatis nota eſt legum abrogatio, qui dici poteſt per eum ſuprema principis jura lædi, qui earum abolitionem petit?

Nihil etiam omnino legislatoris decus imminuitur. Si enim quis timet hoc malo futurum eſſe exemplo, inſpiciat hic, quæſo, tempus, quo hæc revocatio fit, & cujus gratia fiat, nempe filii, & precibus quem Dei clementia ad Pontificatus apicem evexit; depónatque hujuſmodi metum. Immo omnes revocationem hanc ſummis extollent laudibus.

Se autem gratitudinis ſuæ in Remp. argumenta plurima daturum eſſe, ſe emendaturum abuſus teſtatur.

Senatum demum hortatur, ut hæc animadvertat, ſe interim patrem luminum oraturum, ait, ut Senatorum mentes illuſtret, & corda moveat, ut his adhortamentis obſequantur; iiſque, & Patriæ dilectiſſimæ Apoſtolicam benedictionem impartitur.

D. Romæ apud S. M. Majorem Die V. Aug. P. a. I. a. D. 1758.

„ His Clementis litteris Die XII. ejuſdem menſis „ Senatus reſpondit, jam inde cum Venetus legatus „ Senatui ſcripſit, Pontificem maxime cupere, ut de„ cretum revocaretur, & Senatus attente materiam „ hanc verſabat, Pontificias litteras ſuperveniſſe, in „ quibus notus ille animi candor emicabat, qui in Pon„ tifice ſemper eluxit;

„ In iis agnoſcit Pontifex poteſtatem legislativam „ una cum Rep. natam, ſemperque ab illa exercitam; „ additque, per revocationem decreti nihil omnino „ Reip. eandem legislativam facultatem lædi poſſe; „ his ita præmiſſis, petere Pontificem quam enixe „ poteſt ut revocetur decretum, ſibi id fore gratiſſi„ mum munus teſtari.

„ Cum ergo Reſp. in hoc graviſſimo capite ſecura „ ſit, ait Senatus, ſe die eodem (XII. Aug.) revo„ caſſe decretum cum omnibus ſimul monumentis ad „ illud attinentibus.

„ Orat Pontificem, ut id accipiat, ut certiſſimum „ argumentum illius lætitiæ, qua fuit affectus, cum „ ejus electionem in Pontificem accepit; id meritas „ ejus inſignes, inclitaſque virtutes fuiſſe.

„ Gratias demum illi agit, quod tam amplas illi pol„ licitationes fecerit, ſibique perſuadere, ait, Pontifi„ cem in ſuo illuſtri regimine ſuorum concivium, pa„ triæque rationem habiturum eſſe; Apoſtolicamque be„ nedictionem petit. „

Pontificis reſponſum.

CLEMENS XIII. Dilectis filiis, &c. LXXXIII. *In folio ſeparato.*

Inc. *Quale quantumque, &c.*

REſpondet Pontifex, ſe ſatis eloqui non poſſe, quo gaudio fuerit perfuſus, quantis lætitiis inceſſerit, cum e Veneto legato, & ex Senatus litteris a legato traditis accepit, Remp. revocaſſe jam decretum, & quidquid ad illud pertinebat.

Tantum Pontificis gaudium fuit, ut cum non posset illud intus continere, effundere lacrimas coactus fuerit, quas merito effusas esse ait, cum finis gravissimo negotio, quod sibi summopere cordi erat, tam feliciter fuisset impositus.„

Gratiis ergo Deo actis, & qui Senatorum mentes illustravit, & corda movit, ut Vicarii Christi suique concivis votis annuerent, plurimas illis agit, iisque etiam gratulatur, quod tam illustre exemplum toti Christo orbi præbuerint ejus obsequii, quo Sanctam Sedem prosequuntur ab eorum inclitis avis iis traditi, quorum meritorum in S. Sedem memoria viget, florebitque semper.

Quod si tanta fuit Clementis lætitia, non minor erit ejusdem gratitudo; tempora omnia exquiret, modosque decus, utilitatemque communis Patriæ amplificandi.

In harum pollicitationum pignus, & in argumentum patrii amoris dat Reip. Apostolicam Benedictionem.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIX. Aug. P. a. I. a. D. 1758.

Hæc statuta fuerunt die 20. Sept. a. 1767. in Consilio Rogatorum de bonis ad pias causas a Venetis.

Cum vidisset Senatus Venetus, hominum ingenium omnes leges rogatas an. 1333. die 14. Sept. 1536. die 31. Decemb. 1605. die 26. Martii, ne bona stabilia urbis, & Dominii ad Ecclesiasticos cœtus, & ad pias causas per legata, donationes, oblationes, & alienationes aliosque modos, transirent, rationem eludendi reperisse, paullumque proinde emolumentum e decreto, ut legata bona venderentur, & inde pretium persolutum in piis operibus testamento jussis insumeretur, in laicos redundasse; a. 1766. die 12. Apr. decrevit, ut huic malo nova remedia opponerentur. Quare hæc præcepit:

I. Ne fundi, bona, capitalia, fœnora *Zecchæ*, redditus, census, proventus, emolumenta cujuscumque naturæ nunc a laicis possessa quocunque modo testamento, codicillo, legato, successione, donatione inter cives; contractu, *locatione*, *consolidatione*, *emphytheusi* perpetua, vel *redimibili*, vel vitalitia, conventione, transactione, permutatione, &c. ne per Procuratores quidem *S. Marci*, *scholas magnas*, *presbyteros* sæculares, commissarias, personas, & collegia laicalia, quin Senatus permittat, quo dicetur articulo VII. modo, legentur, donentur, vendantur, cedantur, *transferantur* in opera, & causas pias, Ecclesias, beneficia, communitates, & domos religiosas, commendas, titulos ordinum militarium, cœtus Ecclesiasticorum, fratrum, Monachorum, Monialium, Clericorum Regularium, presbyterorum Regularium, seminariorum &c.

II. Neque hæc bona possint ullo modo, tempore, & quantitate hypothecari, obstringi iis cœtubus, &c.

III. Hinc nullius roboris, sed irrita, & nulla censenda erit quævis dispositio, instrumentum, testamentum &c. & huic legi obnoxiæ illæ dispositiones intelligantur, quæ nondum effectum suum sortitæ sint.

IV. Cum autem Religionem Ecclesiasticam professi a curis sæculi semper suscepti instituti excellenti fini oppositis abstinere debeant, nullus Ecclesiasticus cœtus, aut Religiosa persona cujuscunque status, qualitatisque sit, quocunque modo, & quacunque de causa possit institui Commissarius, administrator, aut custos cujuscunque hereditatis, legati, personæ, familiæ, cœtusque laici, aut assumere administrationem redditiuum laicalium, si tamen nemo esset, qui sororum, nepotumque curam gereret, tunc Ecclesiasticus possit domus curam gerere; quæ tamen omnia judici competenti nota erunt facienda. Idem intelligatur de commissariis; quæ jam effectum suum essent sortitæ.

V. Quæ decreta sunt de bonis stabilibus, ne transeant ad cœtus Ecclesiasticos, intelligenda sunt etiam de bonis mobilibus, argento gravi, non signato margaritis, mercibus, supellectilibus, &c. hoc tamen permittitur, ut decima tantum pars possit disponi, legari ad pias causas, dummodo dispositio non superet Ducatos quingentos communes e toto eorum bonorum asse, semperque reducatur in nummos idque semel tantum;

VI. Hæc decreta non afficiunt nunc legata, quæ fient, ut collocentur puellæ nubiles, pro pia Catechumenorum domo, pauperum fraternitate S. Antonini, & pro omnibus fraternitatibus Venetiarum, & Dominii quæ quocunque nomine appellentur pauperes recipiunt, & pro omnibus hospitalibus urbis, & status, in quibus curantur ægri, alunturque pueri genitoribus orbati. Omnia tamen hæc loca legi patebunt a. 1605. rogatæ; qua jubetur venditio intra biennium legatorum bonorum. Poterit tamen Senatus ea statuere quæ expedire crediderit, quoad tempus venditionis, eorumque bonorum administrationem; redditus autem horum bonorum in favorem eorum locorum duntaxat impendantur; in quorum venditione nulla emptorum prælatio detur, sicut solet fieri in venditionibus aliis, idque ut omnibus fraudibus præcludatur aditus.

VII. Quia tamen fieri potest, interdum causas esse, cur publica pietas, alicujus Ecclesiæ, aut piæ fundationis ratione habita, velit ab hac lege dispensare, hæc dispensatio dari non possit, nisi collegium decem Sapientum super decimis in Rivoalto juratum audiatur; ut hæc pars sola proponatur, & in suffragiis servetur Senatus consultum a. 1714. die 13. Martii; quod si intra annum incipiendum a die præsentationis supplicis libelli gratia non fuerit obtenta, peti eadem amplius non possit.

VIII. Si bona, redditusque unquam contra hujusce decreti sententiam apud Ecclesiasticos cœtus reperientur, censeantur proscripta, & confiscata; & magistratus qui hoc detegent, habeant quindecim pro quovis centenario pretii eorum venditionis, quæ quidem decima quinta pars erit dividenda secundum leges.

IX. Omnia dubia circa hoc decretum enata explicentur pro laico.

X. Hujus executio demandatur decem Sapientum collegio, Advocatique communis apertum processum habeant in eos, qui auderent illam violare, & ejus officii peritissimus notarius ad id deputetur, advocatusque senior reum ad Senatum deferat;

XI. Demum publici Notarii, Cancellarii Rectoratuum, & quicunque Minister Concilii, cujuscunque collegii, magistratus, qui aliquod instrumentum huic legi oppositum rogarent, hi a capitibus eorundem Consilii, Collegii, magistratus, illi a Conservatoribus legum, & Advocatis communis declarentur incapaces officii notariatus, & quocunque munere privati, in quæ officia restitui non possint nisi per suffragationem faciendam eo modo, quo cum aliquo est dispensandum super hac lege.

Jubetur ejus publicatio,

Posita fuit, & confirmata in majori Consilio.

Et locis solitis fuit publicata die 22. Septembris ann. 1767.

„ Die septima mensis Septembris 1768. in Consilio „ Rogatorum capita undecim decreta fuerant quoad „ Regulares, nempe

„ I. Ordinarios locorum restitutos in sua pristina „ jura potestatis in omnes Regulares, nullo ordine ex„ cepto, quoad sacramentorum administrationem, præ„ dicationem, censuras, Ecclesiarum sacrariorumque „ visitationem præesse debere Regularibus. Hinc om„ nes chartæ exemptionum aliunde obtentarum nullæ „ censebuntur.

„ II. Quidquid ad disciplinam regularem pertinet, „ spectabit ad Ordinarios, qui poterunt canonicas pœ„ nitentias Regularibus imponere; processus tamen fa„ cere non poterunt, neque pœnas afflictivas dare, „ quæ a potestate laica pendent; hinc processus facti „ non possint extra statum mitti, non admittentur „ sententiæ, non habebuntur in monasteriis carceres.

„ III. Nemo admittetur ad habitum nisi complerit „ annos XXI. nemo profitebitur, nisi post annos qua„ tuor probationis; tunc probabile est, fore in suo „ proposito constantes eos, qui admittuntur.

„ IV. Nemo vestiatur, & profiteatur extra statum; „ vel si extra vestietur, locum, & affiliationem in „ statu habere nequeat.

„ V. Omnes ordines, qui in statu sunt, per se re„ gantur, quin vel tantillum commercii cum provin„ ciis extraneis habeant.

„ VI. Officiales fiant per vota secreta temporibus „ statutis in constitutionibus; Definitores generales „ creent Superiores, Vicarios, &c. & electi, & ele„ ctores, sint subditi Veneti. Nemo reficiatur in eo„ dem officio nisi post contumaciam in constitutioni„ bus statutam. Visitatores, Vicarii Generales, Com„ missarii extranei ne recipiantur; si opus erit, Se„ natus interrogabit Pontificem, aut Generales.

„ VII. Mendicantium conventus, qui possident bona „ stabilia, cum satis bonorum ad sustentationem ha„ beant, ne mendicent. Senatus providebit iis ordini„ bus quæstuantibus non habentibus hæc bona stabilia.

„ VIII. Omnes Fratres debeant æqualiter vivere si„ ne ullo discrimine, quod fit in quibusdam bene re„ ctis ordinibus; qui in gubernio sunt habeant præce„ cedentiam, sicut decet.

„ IX. Hospitia, monasteriaque non habentia quo „ duodecim Fratres alant, & vivant conventualiter, „ supprimantur; & Fratres transferantur in alios con„ ventus, quorum sustentationi assignabuntur redditus „ suppressorum conventuum.

„ X. Prohibentur fratres gerere curam animarum, „ ubi non est conventus ejus ordinis; excipitur Dal„ matia, & Albania. Sacerdotes sæculares eligentur „ subditi nominandi a Regularibus cum congrua assi„ gnata pensione.

„ XI. Ne quocumque prætextu a Fratribus mittatur „ pecunia extra statum; nam punientur aliter facien„ tes, cum rationum libri inspicientur a Magistra„ tu. „

Hortatur Clemens Episcopos ditionis Venetæ, ne Decretis Senatus quoad visitationem Regularium pareant.

LXXXIV. *In folio separato.* CLEMENS XIII. Patriarchæ Venetiarum, Archiepiscopis, & Episcopis in ditione Reip. Venetæ.

Inc. *Ad plurimas, &c.*

Hoc edictum Romam perlatum Clementem movit, ut ad Ordinarios ejus Reip. hoc Breve mitteret.

Inter calamitates, quæ plurimæ ejus Pontificatum affecerunt, reputat Clemens legem hanc, quæ eo spectat, ut funditus in ea Rep. ordines regulares tollantur. Quæ lex si lata est, ut collapsa disciplina erigatur, ideo est collapsa, quia *in iis, quæ ad regendorum regularium gubernationem pertinent, se immiscuerit laica potestas*; præterquamquod *lex illa, etiamsi a legitima potestate proficisceretur, minime est opportuna, quæ regulares ordines non restituit, sed avertit; Ecclesiasticam potestatem imminuit; quæ ad regulares ordines recte gubernandos saluberrime Ecclesia constituit, omnia fere depravat, atque permiscet.*

Examinat Pontifex edicti articulum primum, quo exemptio Regularium ab Ordinariorum jurisdictione tollitur;

Ait Pontifex, se sperare, fore ut Episcopi numquam sint usuri in Regulares ea facultate, *quæ ab eo, qui tali facultate caret*, illis conceditur: tamen non posse se cohibere, quin eos admoneat, ut intactas relinquant exemptiones Regularium ab Apostolica sede concessas, & a Leone X. in Lateranensi generali Concilio V. iis commendatas. Utantur iis tantum facultatibus in Regulares, quas habent a Concilio Tridentino, quæ sacramentorum administrationem, & regimen animarum respiciunt.

Miratur Clemens, tam parvam rationem habere Venetum Senatum ejus Concilii, quod eo quia Senatus cum primum editum fuit, demisse accepit, & publicari, servarique voluit, *honorificentissimis fuerit litteris, & immortali præconio* a Pio IV. *laudatus*.

Verba, quibus Concilium Lateranense commendat Episcopis regulares, apponit Clemens: *Ipsos quoque*, inquit illud, *Episcopos hortamur, & per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes eorum jura omni cum caritate custodiant, atque defendant.*

Iis demum Apostolicam impertitur *peramanter* benedictionem.

D. Romæ apud S. Mariam Maj. Cal. Oct. P. a. XI. a D. 1768.

In folio separato. Etiam Secretarius Congregationis super Episcopos, & Regulares scripsit ad singulos Generales ordinum epistolam, cujus hæc est summa.

„ Accepit Pontifex, quamdam legem a laica pote„ state rogatam in Veneto Dominio die septima men„ sis Octobris de statu, & disciplina Regularium „ fuisse.

„ Cum velit Pontifex illa damna reparare, quæ ea„ dem lex inferre Pontificis Romani primatui putatur, „ cui immediate vigore Apostolicorum etiam in multis „ Conciliis generalibus approbatorum decretorum, & „ præcipue in Tridentina Synodo, quæ fuit edita, & „ accepta summis cum laudibus a Venetis, subjacent, „ ideo Congregationi super Episcopos, & Regulares „ mandavit;

„ Ut eadem significaret omnibus superioribus Gene„ ralibus ordinum, ut commonerent familias suorum „ ordinum in eo dominio existentes, ut unusquisque „ Religiosus vinculi meminerit, quo se in edenda pro„ fessione obstrinxit, sciatque, in obedientia superiori „ Regulari promissa votum majoris obedientiæ S. Sedi „ includi, cui superiores ipsi immediate subjiciuntur; „ ut singuli Regulares se exemptos, & immediate „ S. Sedi subjectos agnoscant, sicut hactenus exempti, „ subjectique S. Sedi fuerunt; neque subjici (iis casi„ bus exceptis, quos Tridentinum Concilium excipit) „ alicujus alius jurisdictioni debeant, quam suorum „ superiorum, sedisque Apostolicæ.

„ Superiores hortatur, ut hæc omnia statim exequantur.

„ Ad eos etiam mittit Breve, quod Pontifex ad „ Episcopos Veneti Dominii misit.

„ Romæ die VII. Oct. a. 1768.

Hortatur Clemens Venetos, ut edictum de Regularibus abrogent.

CLEMENS XIII. Nobilibus viris, Duci, & Reipub. Venetiarum. LXXXV. *In folio separato.*

Inc. *Cum ad nos, &c.*

Perculsum se stupore fuisse, ait Clemens, cum ejusmodi decreta legit, vixque animum inducere potuisse ut crederet, Venetos huc usque evasuros. Plurima jam annis præteritis decreverant, quibus *læsa jura Apostolicæ sedis, proculcata, ac protrita Ecclesiæ jurisdictio, ipsa in periculum adducta Religio fuerat.*

Et licet Pontifex ad eos scripsisset, *inaniter* ad eos scripsit, *neque in re ulla Ecclesiæ satisfecerunt, quasi nulla iis cura sit de suarum animarum periculo*. Sed hæc nova decreta eos *in alium scopulum studio novarum rerum impulere*.

Quantum interest eos inter, eorumque majores, qui *a novitatibus semper abfuerunt*; illi vero, *magnum quiddam aggressi sunt, ac plane incredibile; legibus in generalibus conventibus statutis contemptis, in tota Veneta ditione ordinum Regularium extinctionem parant; quæ plures malos effectus in Ecclesiam pariet, & perniciosissimos in Remp.*

Quod si reformari ordines Regulares volebant, remedia afferre *non est laicæ potestatis*; præterea præscripta remedia eos potius *ad interitum trahunt*; qui proficui admodum sunt in Ecclesia Dei, neque *Tridentina Synodus* eos esse *delendos existimavit, sed veterem disciplinam restituendam.*

Itaque ab Ecclesiæ, & Sedis A. potestate deposcenda est reformandorum ordinum ratio.

Præterea miratur Pontifex, eos existimasse auctoritate laica *cujusque ordinis constitutiones immutari posse, quarum ad normam religiosi viri solemniter Deo promiserunt vitam suam conformaturos*: & hi ordines sic constituti in Venetam ditionem majorum consensu fuerunt recepti. Illo ergo edicto *leges Ecclesiæ infringuntur, jura Sedis A. perrumpuntur, Religiosi de suo prope statu rejiciuntur.*

Quare non potest Pontifex videns laqueos, quibus illi conscientias suas irretiunt, quin eorum *animarum commiserescat.*

Quare eos monet, ut videant *in quæ prærupta, & præcipitia loca eos perducat falsa quædam gubernationis publicæ ratio*. Immo hæc *potestatis in Ecclesiam proferendæ libido ita eos transversos* egit, ut sua *auctoritate ordines Regulares Ordinariorum jurisdictioni subjecerint*. Sed confidit Pontifex, Ordinarios *numquam* existimaturos ab illis se habere *posse jurisdictionem, qua satis sciunt, eos omnino carere*. Quamobrem ait Pontifex, se opportunum putare admonere Episcopos, ut *exemptiones Regularium tueantur, salva eorum jurisdictione in iis rebus, in quibus valere Tridentina Synodus voluit*; cujus Concilii decreta sicut Veneta Resp. *fere prima inter Catholicos principes summo excepit obsequio, ita existimationis eorum est*, ea sarta tecta servare.

Eos demum pro suo Pontificio munere monet, ut ab his salutis periculis semet expediant, revocentque edictum, habeantque præ oculis ad quod tribunal ituri serius, aut ocius sint; & eos puniendos esse gravissime, si bona, quæ redundatura in Ecclesiam sunt, illo edicto impedient.

Pontifex Deum orabit, ut *divinæ gratiæ rore* Deus eorum

eorum *animos emolliat, quo facilior in eos cœlestibus inspirationibus aditus pateat*. Illisque Apostolice benedicit.

D. Romæ die VIII. Oct. P. a. XI. a. D. 1768.

„ Responderunt his Clementis litteris Veneti, se „ maximopere mirari, quomodo quorumdam astutia „ decipere voluerit pietatem animi Pontificii, & Ve„ netam pietatem, & in sedem Apostolicam Venetum „ obsequium, cultumque in Primatem Apostolicum co„ nata fuerit verbis vafris extenuare,

„ Edictum a se editum inniti Legislativæ potestatis „ firmissimis fundamentis, notis jam Pontifici; a qua „ legislativa potestate robur suum accipit edictum quo„ ad omnes articulos, & quoad ordinariam potestatem „ in ordines Regulares, quæ quidem potestas statuta a „ Christo fuit: Hæc sensisse eadem Pontificem ipsum, „ cum Patavinam Ecclesiam tam sancte regebat.

„ Si hæc legislativa facultas tollatur, non posse „ Resp., & regna gravissima incommoda simul cum „ divino cultu non subire;

„ Se ergo hæc sequutos principia non posse, quin „ ea firmissime servent, quæ decreverunt, fidantque, „ illustrissimam Pontificis pietatem lumine clarissimo „ sui intellectus inspecturam, respueturamque esse verba „ ambigua quorumdam, qui privatis consiliis turbas „ inter sacerdotium, & imperium serere conantur; „ sperare fore ut Pontifex dolorem deponat; „

„ Sperare se etiam, fore ut Regulares cujuscumque „ gradus memores suorum munerum, a sacris litteris „ statutorum, & indelebilium eam vitam agant, quæ „ suam professionem deceat, serventque ea statuta, „ quæ Senatus edidit, & semper intacta esse vult, „ voletque.

Cæterum si Pontifex æque, & recte omnia expendat, videbit Religionem, dogma, morum integritatem illo edicto nullo prorsus pacto lædi;

„ His de causis Deum se rogare, ut tollantur cau„ sæ illæ, quæ Ecclesiam affligunt, minanturque gra„ via mala in Ecclesia suboritura esse, nisi eæ cito de „ medio tollantur; petunturque humillime A. benedictio„ nem, osculanturque Pontificios pedes.

„ Die XIX. Novembr. ann. 1768. in Consilio Roga„ torum. „

Rursus Pontifex hortatur Venetos, ut Decretum immutent.

LXXXVI. *In folio separato.* CLEMENS XIII. Dilectis filiis, &c.

Inc. *Non possumus, &c.*

COntinere dolorem suum non potest Pontifex, sed parendum illi est Apostoli præcepto, *argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. Etiamsi enim Venetorum epistola testetur eos obsequio summo S. Sedem colere, & prosequi, tamen reipsa ii ostendunt, Apostolica adhortamenta non, ut decebat, eos recepisse.

Nam dicunt, velle se sua decreta quoad Regulares executioni demandari, quæ sperabat Pontifex fore ut abrogarentur, & jure ac merito sperabat, si modo cura aliqua eos tetigisset, ut ordinum Regularium congregationes salvæ in eorum dominio permanerent.

Neque vere putent quæ illis in superioribus litteris scripserat, se eorum arte, dolisque, qui pacem quietemque Christianæ Reip. perturbare creduntur, scripsisse. SS. Patrum sententiæ, canonicæ sanctiones, conciliorum decreta, ipsa demum antiqua probata, constantque Ecclesiæ consuetudo rationem, qua gubernandi sunt ordines Regulares, docent; quam si uno edicto labefactare, & evertere putant, deflendum potius est, *eos fuisse deceptos*, quia levibus, imperitis, novarumque rerum studiosis hominibus aurem præbere maluerunt; quam cum Ecclesia sentire, sanctorumque Patrum adhærere documentis, sacramque majorum exempla sequi.

Nonne pudendum est, ordinem illum amplissimum prudentia, doctrinaque inclitum inanibus quorundam hominum sermonibus abripi, qui simulantes, se ad antiquum Regulare institutum pristinamque vitæ sanctimoniam revocare Religiosos ordines, eum impulerunt, ut decerneret, ut partim ab Apostolicæ Sedis subjectione subducerentur, partim ab obedientia suis superioribus præstanda eximerentur, partim Tridentini Concilii violarentur decreta, everterenturque eorumdem ordinum præcipuæ leges, disciplinæque Regularis gravissima capita, & novas institutorum regulas constitui juberet, & ita sus deque miscerentur omnia, ut brevi tempore omnes Regulares ordines penitus corruere debeant? Quid enim absurdius esse potest, quam Monacos ad laica tribunalia rapi, quam a laicis magistratibus eos puniri? Quid turpius, quam Superiorum auctoritatem imminuere, novisque conditionibus, aut originis, aut ætatis in Religiones ingressum inhibere? Hæc, & alia talia horum similia illo edicto jussere, quod quidem edictum ad Regularium ordinum bonum principe studio esse factum dictitant.

Non hoc eos docuerunt majores. Demisse Tridentini Concilii decretis ipsi paruerunt, ideoque a Romanis Pontificibus tot fuere laudibus exornati.

Idem se sensisse, fatetur Clemens, cum Ecclesiam Patavinam regebat, neque sententiam mutavit unquam, cum divina omnipotentia ita disponente fuit ad sacram B. Petri Sedem evectus, nempe sensit ut Tridentina de Regularibus decreta integra servarentur, ut Monasteria viverent, sicut eorum institutum requirebat, ut Episcopi in illos eam tantum jurisdictionem haberent, quam Tridentina Synodus iis concesserat, ut hoc pacto privilegia a S. Sede iis concessa in honore haberentur, ut ita demum, sicut S. Gregorius monet, nemo aliena jura usurparet; ut hinc Regularibus, Episcopisque singulis muneribus suis vacantibus in iis omnibus, quæ ad disciplinæ integritatem, animarumque salutem spectant, pax, quiesque in Ecclesia floreret. Hoc ab iis exigebat prudentia, ne ab antiquis Ecclesiæ institutis, & ab eorum majorum exemplis discederent; pietas vero Religioque volebant, ut nihil in hoc genere ageretur, quin prius Sedem Apostolicam consulerent, nihilque sine judicio, & auctoritate Ecclesiæ decernerent. At eorum decretum dignitatem, potestatemque Apostolicam imminuit, cui Regulares ordines subjiciuntur, Ecclesiæ, ad quam unam de his rebus judicare, ac decernere spectat, jurisdictionem lædit, violatque. Ne errent ergo; hæc facultas, hæc auctoritas, quas adeo extollunt, terminos suos habent.

Tibi Deus (ita Osius Cordubensis Episcopus Imperatori Constantio scribebat) *imperium commisit, nobis Ecclesiastica concredidit; quemadmodum qui sibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue, ne si ad te Ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias.* Qua ergo facultate tot decreta de regimine, moribus, pœnis, redditibus, & Institutis Regularium Ordinum ediderunt? Nonne Patrum auctoritas, Conciliorum Canones, Ecclesiæ universæ sanctiones, ipsa demum hujus negotii natura postulant, ut Domos Religiosas gubernandi ratio ab Ecclesiæ potestate, unde suam habent & ortum, & incrementum proficiscantur? Si enim æquum est, homines sacramento militiæ addictos a suis ducibus judicari, æquius multo est, Militiæ Ecclesiasticæ, rebus caducis spretis, adscriptos legibus Sacerdotum subjici; ubi enim singularia Dei dona sunt, inde necessum est veritatem addisci.

Quod si ita se res habeat, ut, legibus Patrum despicatui habitis, Conciliorum decretis, Apostolicisque constitutionibus contemptis, neglectis Ecclesiæ consuetudinibus priscisque institutis, id unum pro lege habeatur, quod quidam insipientes rerum æstimatores faciendum esse dixerunt, aut id quod ejusmodi sapientia, quæ apud Deum stultitia est, persuasit, jam actum conclamatumque de tota quanta est, Apostolica auctoritate, de sublimi, divinaque Ecclesiæ regiminis potestate esset, ilicet periissent, neque ulla in Pontifice facultas esset reliqua, si per quorundam minas, dolosque permitteremus, veteres, sanctas, probatasque leges, & Ecclesiæ statuta labefactari.

Sed præterea diligenter est iis animadvertendum eos, si Episcopos, & Regulares vel edito decreto, vel jurejurando, quo se Pontifici, Sedique Apostolicæ obstrinxerunt, obedire cogunt, violatores, aut contemptores edicti illos facere; advertant animum, quo causa hæc evadere possit. Hac ratione D. Ambrosii ad Imperatorem Theodosium scribentis vestigiis insistens Pontifex cum iis agit. Si viros fortes putant Episcopos, eorum venerentur Veneti constantiam, si infirmos, ne illarum infirmitatem tentent; reus siquidem valde coram Deo est, qui infirmum dejicit. Caveant ergo ab his periculis, hos scopulos devitent, Ecclesiæ satisfaciant. Ad hoc non suo tantum nomine, sed etiam Episcoporum suorum Venerabilium Fratrum nomine, imo nomine universæ Ecclesiæ eos adhortatur, & orat.

Putat

Putat, eos jam scire, quam multi hac ætate sint Ecclesiæ hostes. Si ii ab illis eam ictu vel uno feriri videbunt, graviore vulnere eam sauciabunt. Medeantur inflictis vulneribus potius, sicut antiqua, insignisque eorum majorum pietas facere consueverat, oleum, vinumque infundant, & majore cultu obsequioque tam acerbis temporibus Matris suæ benevolentiam sibi comparent. Ille quidem, licet undique gravissimis premantur malis, quæ tamen sperat, fore ut in extremo judicio sint suorum peccatorum remedium, officio suo deesse non potest, neque ut in Domino sperat, unquam deerit.

Reddant ergo Veneti Deo quæ Dei sunt: nihil magis esse suum Deus ducit, quam homines illos, qui Regularibus institutis se obstrinxerunt, summoque Numini se, suaque omnia consecrarunt. Videant, ne ad Christi tribunal eos accusatores, judicesque habeant, quos in terris æternæ suæ salutis adjutores habere debuissent.

Iis paterne amanterque Apostolicam benedictionem impartitur.

D. Romæ Die XVII. Dec. P. a. XI. a. D. 1768.

„ His Pontificis litteris, quas ex Italo in latinum „ sermonem verbo ad verbum fere vertimus, respondit „ Senatus.

Sanctissime Pater.

„ Eadem summæ reverentiæ erga S. Sedem, sum„ mique filialis obsequii in Sanctitatem V. quæ ve„ lut hereditate ad nos transmissa in responsione die „ decimo nono proxime elapsi mensis ad veneratione „ dignum Breve die octavo Octobris ad nos missum „ sensa significavimus, ad alterum non minus reveren„ dum Sanctitatis V. Breve superioris Decembris die „ decima septima nobis scriptum, & a nobis quam „ maxima reverentia acceptum iteramus.

„ Non sine gravi animi mœrore intelligere potui„ mus, licet veritas pateret, licet candida animorum „ nostrorum sensa essent, adhuc Beatitudinis vestræ „ perturbari mentem, eo quod potestate legislativa usi „ sumus, in qua exercenda ne latum quidem unguem „ ab illo modo, & ratione discessimus, qua semper res „ nostras peregimus.

„ Sanctitatem V. non latet, Catholicos principes „ hac facultate utendo jura ad Sanctam Sedem, & ad „ Primatum Apostolicum pertinentia nihil imminuere, „ quæ quantum in nobis est, integra servare volumus, „ non secus ac majores nostri pro Catholicæ Religio„ nis juribus omnibus nostraque, sanguinemque effun„ dere parati.

„ Cum nobis igitur persuademus Principis Catholici „ jura nos non fuisse prætergressos, non possumus quin „ summopere optemus, Tuam conspicuam prudentiam „ opinionem de nostra agendi ratione deponere.

„ Qua quidem ratione eo magis contenti sumus, „ quod cernimus omnes Regulares ea qua decet reve„ rentia, & contentione leges nostras excipere, atque „ ita dignos esse, qui nostris in regionibus maneant, „ in quas publico munere fuerunt recepti, & propter „ constantem legibus nostris identidem latis obedien„ tiam semper a nobis amentur, diligantur que.

„ Paterna tua clementia, & benignitate candida „ hæc nostra demissaque animi sensa excipe Sanctissi„ me Pater, iteranteque summum in Beatitudinem Tuam „ obsequium qua maxima reverentia possumus Sanctis„ simos Tibi pedes deosculamur.

„ In Consilio Rogatorum Die XXXI. Dec. a. 1768.

Ob defensum Capitolium præmium assignatur Zachariæ Trivisano.

LXXXVII. ex Rayn. ad ann. 1460. §. 2. BONIFACIUS IX. N. V. Zachariæ Trivisano militi Veneto Castellanæ Diœcesis.

Inc. *Probata in arduis, &c.*

COnjurationem fecerant in Bonifacium Columnenses, noctuque irruperant in urbem, impetumque in Capitolium fecerant; illudque *obsederunt usque ad solis ortum machinamentis hostilibus*; & Zachariæ prædicti bellica virtus, & fortitudo hostes fudit, irritosque eorum effecit conatus.

Pontifex, & ejus *Ecclesiæ impensa servitia, & quæ impendere non desistebat* volens debito præmio afficere illi assignat *quingentos florenos auri de Camera per illum singulis annis usque ad Pontificis beneplacitum a Nicolao Marchione Estensi Vicario Generali in Ducatu Ferrariensi, vel a quocunque alio Vicario pro tempore* ibidem existente exigendos *ex censu, quem annuatim* idem Vicarius Ecclesiæ solvit.

Dat. Romæ apud S. Petrum Cal. Febr. P. a. XI. a. D. 1400.

DE CIVIBUS BRIXIANIS.

Mandatur duobus prælatis, ut Brixiam ab hæreticis liberent.

HONORIUS III. Episcopis Ariminensi, & Brixiensi, ex Rayn. ad ann. 1225. §. 47. LXXXVIII.

Inc. *Sicut ad audientiam, &c.*

HÆretici Brixiæ, *tanquam in suo domicilio in tantam vesaniam proruperant, ut armatis turribus contra Catholicos non solum Ecclesias destruxerint incendiis, & ruinis, verum etiam jactatis facibus ardentibus ex iisdem ore blasphemo latrare præsumpserint, quod excommunicabant Romanam Ecclesiam, & sequentes doctrinam ejusdem.*

Ergo ad eos reprimendos mandat prædictis Episcopis Honorius, ut destrui faciant turrim Dominorum de Gambara, & turrim Ugoniorum, etiam turrim Orianorum, & turrim filiorum quondam Botarii, e quibus eas vesanias ii faciebant, & *usque ad pulverem detrahi*, nec reædifica possint, *sine Apostolicæ Sedis licentia speciali, sed in acervo lapidum in memoriam tantæ vesaniæ remaneant.*

Aliæ vero turres non datæ quidem hæreticis, sed armatæ in Catholicos destruantur *usque ad tertiam partem, vel usque ad mediam pro excessuum gravitate*. Hæ quoque non eleventur absque Sedis A. licentia.

Nulli tamen hæretici, vel fautores excommunicati ex hac causa intelligantur absoluti; sed si absolvi volunt, ad Apostolicam Sedem accedant.

D. Later V. Id. Jan. P. a. X. a. D. 1226.

Lex lata a Brixianis de matrimoniis rescinditur.

NICOLAUS IV. Potestati, Capitaneo, Antianis, Populo, Consilio, & Communi Civitatis Brixiæ. LXXXIX. Ad ann. 1291. §. 62.

Inc. *Ad audientiam, &c.*

BRixiana civitas in duas se factiones diviserat, tantoque odio inter se ardebant, ut armata manu pars una victa coacta fuerit urbe egredi, & alio confugere. Victrix pars legem condidit, ut nemo unus posset ducere in uxorem filiam partis alterius, vel filiam aliquam dare alicui ex parte adversa, ita nullo unquam tempore posset inter eas partes affinitas iniri.

Rex delata fuit ad Pontificem, qui duxit hanc legem esse tollendam,

I. Quia matrimonia debent esse libera, quam libertatem hæc lex tollit,

II. Quia *in hujusmodi spiritualibus causis nulla est laicis disponendi attributa facultas*;

III. Quia odia hoc modo essent æterna.

Ergo mandat præfatis Potestati &c. ut eam e statutis urbis abradant, populo autem ne illam observet.

Quod si eam non abradent, eam servari voluerint, iis significat, se mandasse Archipresbytero Veronensi, Archidiacono Pergameno, & Delfino Canonico Cremonensi, ut censuras in eos expediant, appellatione postposita.

Dat. apud Urbemveterem Id. Febr. P. a. III. a. D. 1291.

„ Hoc anno Alma Domus, in qua fuit B. Maria ab „ Angelo annuntiata, traditur translata in Europam Mi„ nisterio Angelorum, atque Terfactum inter, & Flu„ men Dalmatiæ oppida in Montis leviter assurgentis, „ imminentisque Adriatico Mari æquata planitie collo„ cata. Jam ab Apostolis in Sacelli formam redacta „ fuerat. V. Ecclesia Lauretana.

DE PATAVINIS,

Lex a Patavinis lata abrogatur.

XC. L. 1. ep. Hon. ep. 87. HONORIUS III. Episcopo Patavino,

Inc. *Cum ad nos, &c.*

UT comprimerent fures Patavini, legem tulerant hujusmodi, *si quis aliquid ab alio ablatum ad se pertinere juratus asseruerit, ejusmodi jurejurando esse standum.*

Cum vidisset Honorius per hanc legem aditum ampliſſimum aperiri sceleſtis hominibus pejerandi,

Et res alienas usurpandi simul,

Hanc legem cassat, & irritat, eamque præcipit e civitatis legibus abradi,

Mandatque Episcopo, ut per censuras procedat, si observabitur.

D. Later. III. Non. Apr. P. a. I. a. D. 1217.

Decretum Cardinalis Legati de cultu Patavinarum mulierum solvitur.

XCI. ex Ann. 1217. §. 12. NICOLAUS V. Fantino Episcopo Paduano,

Inc. *Dudum bonæ, &c.*

LAtinus Episcopus Ostiensis quondam A. S. L. in Gallia Cisalpina ut mulierum præcipue Patavinarum luxum coerceret, hæc decreta ediderat observanda sub excommunicationis pœna non solvendæ nisi a R. Pontifice, juſſis Confeſſariis pœnitentiam, & susceptionem aliorum Sacramentorum iis negare, nisi eorum observantiam promiſissent.

I. *Ne aliqua mulierum, quæ duodecimum ætatis annum transcenderet in veſte, quæ ab anteriori parte aperta foret, per Civitatem Paduanam procedere, vel veſtimenta per humum defluentia intra unam, aut ab humero chlamydis dependentem plicaturam ultra duas palmas deferre præsumeret;*

II. *Mulieres nuptæ, quæ decimum octavum ætatis annum attingerent, ex quo per annum in conjugio fuiſsent, omnes in publico capitibus velatis incederent;*

III. *Ne eædem mulieres veſtes ex diverſis pannis artificioſe consutas in publico deferrent.*

IV. Terminum præfixerat, quo elapso non liceret vetitis modis procedere mulieribus.

Cum detrectarent leves mulierculæ his statutis parere, videretque Nicolaus potius detrimentum, quam utilitatem ex iis in mulieres redundare, prædicto Fantino Episcopo facultatem dat eas leges Apostolica auctoritate rescindendi.

D. Romæ apud S. Petrum III. Id. Apr. P. a. VIII. a. D. 1454.

DE TARVISINIS.

Ne Tarvisini perturbent Eccleſias Feltrensem, & Bellunensem.

XCII. ex Ughal. in t. 5. p. 372. HONORIUS III. Episcopo, & Clero tam Civitatis, quam Diœcesis, & districtus Tarvisini.

Inc. *Iniquitates quibus, &c.*

„ PHilippus Patavinus antea Pompoſæ Abbas Episco-
„ pus Feltrensis, & Bellunensis injuriis, & contu-
„ meliis affectus, captus & exilio multatus a Tarvi-
„ sinis ad Honorium confugit.

Honorius prædicto Episcopo, & Clero narrat, Tarvisinos *olim impie Cenetenſem, Feltrenenſem, & Bellunenſem Epiſcopatus deſtruxiſſe, & quod bon. m. Bellunenſem, & Feltrenenſem Epiſcopum poſt facta de ipso ludibria, tandem populo more judaico acclamante, moriatur, moriatur, immaniter occiderunt.*

Tunc privandos fuisse, ait Honorius, eos Episcopali Sede; sed nimiam fuisse S. Sedis clementiam: inde enim audaciam sumentes omnes terras, omnes Eccleſias per eas Diœceſes qua ferro, qua igne vaſtasse, & conſumpsisse, captivasse hodiernum Episcopum Feltren. & Bellun.

Hæc tam gravia peccata cum ferre, aut dissimulare ulterius non possit Honorius, significat prædicto Episcopo, & Clero, se scribere Tarvisinis, ut nisi infra mensem a receptione harum in manu Episcopi Paduani non jurarint præcise se obeditoros esse mandatis Pontificiis, & satisfacturos de damnis, & injuriis irrogatis Episcopo, se eos excommunicaturum esse &c.

Episcopum itaque, & Clerum monet, ut invigilent, an Tarvisini juſsa exequantur.

Nisi ea exequantur, eos excommunicet Episcopus, eos urbe, districtu spoliet &c.

Reſcribat quid egerit.

D. Viterbii V. Cal. Junii P. a. IV. a. D. 1221.

Minitatio pœnarum fit Tarvisinis.

XCIII. ibid. HONORIUS III. Potestati, & populo Tarvisino Spiritum Sanioris Consilii.

Inc. *Iniquitatum veſtrarum, &c.*

REcensitis gravissimis criminibus a Tarvisinis patratis,

Iis minatur Pontifex nisi intra mensem post receptionem harum jurarint in manu Episcopi Paduani se satisfacturos &c. se datarum facultatem Patriarchæ Gradensi eos excommunicandi, & interdicendi,

Se effecturum, ne Dux, & populus Venetiarum ullum commercium cum illis habeant, nullumque contractum faciant, &c.

Se divisurum Tarvisinam diœcesim finitimis Episcopis, &c.

Se juſsurum, ut Tarvisini mercatores ubicunque sint, a principibus sæcularibus capiantur, eorumque bona publicentur;

Si nondum ii satisfacient, se excitaturos omnes principes in eos, sicut excitantur in Saracenos, quibus pejores multo ii sunt,

Fugiant ergo a facie arcus extenti, sibique persuadeant, nolle ferire dum, qui dicit, cavete.

D. ut supra.

A Sacramento fidelitatis dato Friderico solvuntur Tarvisini.

XCIV. ex Rayn. ad ann. 1245. §. 65. INNOCENTIUS IV. Communi Tarvisino.

Inc. *Sicut revera, &c.*

CEperat Fridericus Tarvisium, captisque primoribus urbis, exegit ab iis civibus juramentum fidelitatis, quod illi factis publicis instrumentis dederunt.

Sed excommunicato in Concilio Lugdunensi, depoſitoque ab Imperio omnes fere populi excusserunt jugum ejus, inter quos & Tarvisini.

Significarunt ergo Pontifici, se cinctos periculis, se sine auxilio, sine viribus non potuisse, quin quod volucrat Fridericus, fidelitatem illi jurarent; se tamen invitos juraſse; orare ergo Pontificem, ut hoc juramento solverentur,

Pontifex igitur *attendeni, quod ea quæ vi, metuſque cauſa fiunt, carere debent robore firmitatis; ſi prædictus metus talis, ac tantus fuit, quod merito potuerit, & debuerit cadere in conſtantem, ab omnibus conceſſionibus, ſeu contractibus cum Friderico, aut nuntiis taliter initis Tarviſinos decernit abſolutos.*

D. Lugduni IV. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1245.

Irritantur acta ſuper Caſtris SS. Viti, & Danielis.

XCV. B. t. 5. p. 4. p. 179. C. C. PAULUS V. ad f. r. m.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

CUm *omnimoda juriſdictio competeret Patriarchæ Aquilejenſi ſuper caſtra SS. Viti, & Danielis, & reſpectu datiorum, & reſpectu cauſarum, nihilominus a Dominio* quædam exactio datiorum illis impoſita fuerat, & cognitio quarundam cauſarum adempta Patriarchæ.

Paulus omnia hæc acta irritat,

Declaratque eos incolas his exactionibus, invito Patriarcha gravari non posse;

Minaturque pœnas contrafacientibus. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die VI. Jul. P. a. XI. a. D. 1615.

Irri-

Irritatur impoſitio Macinæ prædictis caſtris.

XCVI. Ib. p. 262. C. C. PAULUS V. ad p. r. m.

Inc. *Cum venerabilis, &c.*

IMpoſita etiam fuerat his castris exactio macinæ, quam ne tempore quidem belli antea solverant.

Paulus hujus gabellæ impoſitionem irritat, quippe quæ impoſita fuerat locis Patriarchæ immediate subjectis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVIII. Jan. P. a. XIV. a. D. 1619.

„ Cum Patriarchatus fuit suppreſſus, Veneti, ne aliæ
„ controverſiæ orientur, Archiepiſcopo Utinensi pro
„ his duobus castris assignarunt tantundem in num-
„ mis, subjeceruntque illa Locumtenentis Utini juriſ-
„ dictioni.

Cenetenſes a ſententia Epiſcopi appellent ad S. Sedem.

XCVII. Bull. t. 5. p. 2. p. 324. C. C. CLEMENS VIII. Hominibus Civitatis Cenetensis,

Inc. *Decet Romanum, &c.*

CIvitas *Cenetenſis cum pleno jure in temporalibus ſubjecta eſſet Cenetenſi Epiſcopo*, appellationes ab ejus sententiis faciendæ erant ad almam Curiam duntaxat.

Monet igitur Clemens eos homines, ne aliò appellent.

Declaratque quascumque appellationes ad alia tribunalia factas, & sententias inde prolatas nullas, & nullius roboris.

Solitas pœnas Ecclesiasticas minitatur appellantibus, & appellationes admittentibus. N. O.

Mandat Cenetensi Episcopo, ut monitorium ad omnium cognitionem publicari faciat.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Dec. P. a. IX. a. D. 1600.

Confirmatio.

XCVIII. B. R. t. 5. p. 3. p. 324. C. C. PAULUS V. Civibus, Incolis &c.

Inc. *Alias felicis, &c.*

MAndat Paulus Civibus, & Incolis Urbis, & districtus Cenetæ, ne decretum Clementis violent.

Acceperat enim, quosdam illud violare avere.

Pœnas addit violatoribus. N. O.

Mandatque Episcopo, ut prædictum Clementis decretum publicet.

D. Romæ apud S. Petrum Die XI. Maji P. a. VI. a. D. 1611.

Alia Confirmatio.

XCIX. B. R. t. 5. p. 4. p. 335. C. C. PAULUS V. ad p. r. m.

Inc. *Alias felicis, &c.*

IIſdem verbis confirmat Paulus immediate antecedentem constitutionem. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XI. Jan. P. a. IX. a. D. 1614.

Irritatio impoſitionis Macinæ factæ Cenetenſibus.

C. Ib. p. 267. C. C. PAULUS V. ad p. r. m.

Inc. *Cum Venerabilis, &c.*

IMpoſitionem macinæ Cenetensibus injunxerant Veneti. Episcopus id significavit Paulo,

Qui promulgat solitas pœnas in exigentes eam impoſitionem,

Vetatque Cenetensibus eam solvere;

Suberant enim in spiritualibus, & temporalibus Episcopo.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Mart. P. a. XIV. a. D. 1619.

„ Die XIV. Decembris an. 1769. Senatus decrevit,
„ ut regium jus, regimen civile, & criminale, &
„ temporalis laica juriſdictio in Cenetam, Tarſumque
„ cum suis districtibus in posterum, & semper exer-
„ ceantur a Laicis, quin Episcopus pro tempore exi-
„ stens seſe in iis immiſceat. Quare irritavit decre-
„ tum editum an. 1734. die 5. Junii, quodcunque in
„ eo sit, quod huic Senatuſconſulto contrarium esse
„ posse videatur.

„ Decernit, ut illæ urbes districtuſque regantur ili-
„ ſtar Tarvisinorum, salva tamen separatione Cene-
„ tensium a Tarvisinis secundum editas publicas con-
„ cessiones.

„ Cenetensibus, & Tarsensibus permittit uti suo ju-
„ re municipali, secundum quod sententias ferre judi-
„ ces mandat Senatus.

Permittitur Fratribus Prædicat. SS. Joannis, & Pauli facultas concedendi, & aſſignandi nationi Græcorum Sacellum S. Urſulæ Venetiis.

CI. ex Corn. D. t. 15. p. 370. SIXTUS IV. Episcopo Æmonienſi, Plebano S. Martini, ac Ludovico de Medicis Canonico Venetiar.

Inc. *Sollicitudo paſtoralis, &c.*

GRæci *poſt devaſtationem, & terrarum in partibus orientalibus ſub Chriſti nomine degentes obſidionem* multi se Venetias receperant, *qui manus immiſſimi Turci evaſerant*, moramque ibi facientes *a ſancta Sede obtinuerant quamdam capellam parvam in Eccleſia S. Blaſii Venetiarum, in qua Miſſas, & divina officia, & devotiones ſuas græco eloquio juxta ritus, & conſuetudinem celebrarent, atque facerent ſibi aſſignari.*

Sed cum Græcorum multitudo Venetiis excreviſſet, ejus Eccleſia illa capax non erat;

Præterea confusio non parva oriebatur, cum neque Græci *divina officia Latinorum intelligerent, neque illorum ritus ſequerentur*; & tamen simul *cum ipſis Latinis in illorum divinis officiis perſiſtere debebant.*

Hæc igitur, aliaque incommoda respicientes fratres Prædicatores Monasterii SS. Joannis, & Pauli *quamdam capellam ſub vocabulo S. Urſulæ Eccleſiæ dictæ domus contiguam pro certa annua eleemoſyna Priori, & Fratribus per dictos Chriſti fideles Græcos annuatim largienda cum beneplacito tamen ejuſdem S. Sedis conceſſerunt.*

Græci ergo iidem supplicarunt Pontifici, ut eam concessionem ratam haberet, *ne in eorum devotionibus, & ritibus aliquod incommodum, ſive detrimentum paterentur*, in qua possent Clerici, & Presbyteri Græci juxta suos ritus Missas celebrare, & divina officia facere; quæ quilibet rector in sua Ecclesia facit, & facere potest.

Pontifex ergo prædictis Apostolicis delegatis mandat, ut vel tres, vel duo, vel unus, *ſi eſt ita, dummodo in præmiſſis aliqua pactio illicita non interveniat*, Priori, & Conventui facultatem dent concedendi eamdem Capellam S. Urſulæ sub annua eleemosyna Græcis commorantibus Venetiis, in qua per suos Presbyteros divina peragant. N. O.

D. R. apud S. Petrum Cal. Apr. P. a. II. a. D. 1473.

„ Anno 1511. supplicarunt iidem Græci jam aucto
„ multo magis numero decemvirali Consilio, ut per- Ib. p. 271. & seq.
„ mitteret, posse a sua natione Ecclesiam ædificare;
„ quandoquidem humanitate, juſtitiaque Veneti regi-
„ minis pellecti statuerant Venetiis vivere, morique.
„ Quod permisit Consilium, *cum hac tamen conditio-*
„ *ne, quod locus per ipſos emendus ad hunc effectum*
„ *ſit talis, quod placeat Dominio, & Capitibus Conſilii*
„ decemviralis; *quibus propterea teneantur, & debeant*
„ *illum antenotificare, & declarare.* „

Græci Venetiis commorantes poſſint in illa urbe Eccleſiam cum cœmeterio conſtruere, & eligere Presbyterum, a quo ſecundum ſuos ritus ſacramenta accipiant.

CII. Ib. p. 273. LEO X. Nobilibus, Mercatoribus, & aliis hominibus, & personis Græcis in civitate Venetiarum commorantibus, & pro tempore in posterum.

Inc. *Pro parte, &c.*

FUgientes *tyrannidem, & invaſionem Turcarum, qui ampliſſimam Græciæ partem retinent occupatam, in*

in civitate Venetiarum non in pravo numero degebant Græci cujuscumque conditionis.

Tamen nullam Ecclesiam propriam habebant, sed tantummodo quandam capellam in Ecclesia S. Blasii, de qua diximus in superiore Brevi.

Avebant igitur Ecclesiam *sub invocatione S. Georgii Martyris, ad quem singularem gerebant devotionis affectum, in aliquo loco, & præsertim a civitatis Dominio assignato ad id idonco a fundamentis construi facere*, & de hoc natio supplicarunt Pontifici.

Pontifex igitur licentiam iis dat;

Concedit iis etiam, *ut unum presbyterum Græcum ad eorum nutum amovibilem* eligere sibi possint *qui ibi quotidie, vel diebus per eos statuendis missas celebrare, & iis, & pro tempore in dicta civitate, & hominibus, & personis dictæ nationis quæcunque Ecclesiastica sacramenta juxta eorum ritus ministrare debeat;*

Et dictam Ecclesiam, & presbyterum pro tempore illi intervenientem cum omnibus suis bonis tam spiritualibus, quam temporalibus ab omni Ordinarii loci jurisdictione, superioritate, & dominio perpetuo eximit; & sibi, & Sedi Apostolicæ sub annuo censu in recognitionem veri dominii quinque librarum ceræ candidæ immediate subjicit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Junii P. a. II. a. D. 1514.

Ib.p.147. „ Juxta facultatem sibi datam a Decemvirali consilio, „ jussuque ejusdem Consilii licentia a S. Sede impe- „ trata construendi Ecclesiam, quasdam domos in con- „ finio S. Antonini cum emere possent Græci, suppli- „ carunt Consilio, ut ratam emptionem haberet; obtu- „ leruntque munus quingentorum ducatorum in nume- „ ratis pecuniis dandum, quotiescumque requisiti fuerint.

Ib.p.375. „ Decemvirale Consilium emptionem confirmavit, „ oblatumque donum acceptavit . . Idque actum fuit „ an. 1526. Die II. Julii.

Ibid. „ Anno 1534. die 29. Maji idem Consilium decem- „ virale decrevit, ut Archiepiscopus Epidauri duos sa- „ cerdotes Græcos Catholicos exhiberet, qui admini- „ strationi Ecclesiæ S. Georgii Græcorum præessent.

Ib.p.376. „ Idem Consilium decrevit etiam, ut Græci presby- „ teri Ecclesiæ S. Georgii Græcorum præfecti a Pa- „ triarcha Venetiarum circa fidei sinceritatem agno- „ scerentur, & approbarentur,

Obtentæ facultates, & exemptiones omnes a Leone X, confirmantur Græcis.

CIII. Ibid. PAULUS III. Venerabili fratri N. N,

Inc. *Dudum postquam, &c.*

NArrat Pontifex, quæ Leo concesserat Græcis Venetiis degentibus, nempe facultatem sibi erigendi Ecclesiam, deputandique presbyterum &c. ut supra.

Narrat etiam, Clementem VII. vetuisse Ecclesiarum ejusdem urbis rectoribus ne molestarent Græcos, non eorum presbyteros, quod etiam vetuerat Ordinario loci.

Sed cum Patriarcha Venetiarum eidem Clementi exposuisset, *quod Græci in dicta civitate commorantes orationem per eos ad laudem virginis editam, in qua Latinos hæreticos esse temere asserebant, non solum publice recitare, verum etiam in opprobrium eorumdem Latinorum imprimi facere præsumpserant*, ac propterea illos omni privilegio, & exemptione indignos esse asseruisset, *Nuncio suo Venetiis residenti scripserat idem Clemens, ut Græcos nullatenus defenderet, nec in aliquo de rebus eorum se intromitteret, sed judicibus, quibus causam ipsam commiserat, onus eam cognoscendi, & terminandi omnino relinqueret;*

Paulo relatum fuit, nonnullos Græcos decretis in Concilio Florentino non adhærere, & appellare eos Græcos, qui illis adhærebant, & Latinos schismaticos; & nonnisi Patriarcham Græcum posse censuras Ecclesiasticas jacere; & eos expulisse ab Ecclesia S. Georgii eos presbyteros, qui illud concilium sequebantur; demandaret Pontifex Nuncio suo, ut *de præmissis omnibus, & universis eorum circumstantiis se auctoritate Apostolica informaret, & causas hujusmodi in statu debito reassumens illas ulterius audiret, & terminaret*, & Græcos laicos, & presbyteros decreta illius Concilii servantes in Ecclesiam S. Georgii restitueret; non observantes expelleret, mandaretque, ut ita de cetero fieret, hoc est, ut servantes ea decreta in Ecclesiam admitterentur, inobservantes expellerentur.

Sed cum Græci testati Paulo fuissent, se non vocare Latinos hæreticos, se timere censuras etiam a latinis Episcopis latas, te agnoscere Florentini decreta concilii, rogarunt Paulum, ut causas hujusmodi ad se advocaret; & silentium cuilibet imponeret, & facultatem eligendi sibi presbyterum nationis daret,

Paulus ad hæc omnia deputat Nuncium suum, cui jubet vocare vocandos, & de plano, & sine tela judiciaria his litibus finem imponere, dare iis licentiam eligendi sibi presbyterum, qui divina officia in illa Ecclesia celebret, & sacramenta iis administret, & omnes immunitates exemptionesque iis confirmet, & efficiat, ut effectum suum plenarie sortiantur, & id publicet, quoties opus fuerit, & in præmissis efficacis defensionis præsidio Græcis sit.

Contradictores pœnis Ecclesiasticis comprimat. N.O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXII. Junii P. a. XV. a. D. 1539.

Ib.p.381. „ Senatus Venetus centum & octoginta aureos Theo- „ doro Xenachio Archiepiscopo Philadelphiensi annua- „ tim exigendos assignat (præerat hic curæ Ecclesiæ „ S Georgii) sicut ejus antecessor habebat.

Datur facultas militibus Cretensibus construendi templum in honorem S. Marci Evangelistæ, in insula Cretæ.

CIV. Ex Flam. Corn. de Eccles. Cretens. t. 2. p. 4.

GREGORIUS IX. Militibus Cretensibus,

Inc. *Cum sicut, &c.*

IN urbe, quæ dicitur Candida, volebant milites Cretenses in honorem S. Marci Ecclesiam erigere, & fundum Romanæ Sedi offerre.

Dux Venetiarum, militesque supplicarunt Pontifici, ut id permitteret, & Ecclesiam *in jus, & in proprietatem Apostolicæ Sedis reciperet.*

Quod per has litteras Gregorius præstat.

Ad indicium autem hujusmodi perceptæ a Sede Apostolica libertatis eadem Ecclesia censum unius yperperi Cameræ Apostolicæ singulis annis persolvet.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Later. III. Non. Jul. P. a. XIII. a. D. 1239.

Jubetur Episcopus Gerapatrensis primum lapidem Ecclesiæ ponere.

CV. Ib. p. 9. GREGORIUS IX. Episcopo Gerapatrensi.

Inc. *Cum sicut, &c.*

SIgnificat Gregorius prædicto Episcopo, se fuisse rogatum a Duce Venetiarum & militibus Cretensibus, ut Ecclesiam S. Marci construendam in urbe Candidæ in protectionem S. Sedis susciperet, seque illam suscepisse.

Quocirca ejus fraternitati per Apostolica scripta mandat, quatenus auctoritate Pontificia primarium lapidem eisdem concedere non postponat.

D. Later. III. Non. Jul. P. a. XIII. a. D. 1239.

Improbantur conventiones initæ a Venetis cum Alexio Calergio in Candia.

CVI. Ex Corn. Creta sacra p. 198. CLEMENS V. Patriarchæ Gradensi, & Episcopo Castellano.

Inc. *Eam gerimus, &c.*

CAndiæ Ducha Vitalis Michael de consensu Ducis Venetiarum Petri Gradonici, & communis pro bono pacis quasdam conventiones inierat cum Alexio Calergio nobili Cretensi, ei dederat „ locationes pos- „ sessionum ad Episcopatus Milipotamensem, & Cala- „ monensem spectantium, & alias Ecclesiastici juris „ concessiones quæ *de convenientia, & consensu Archie- „ piscopi Cretensis pro utilitate Ecclesiarum* factæ fuis- „ sent, & ipsi Episcopi Milipotami, & Calamonæ *pa- „ ctis eos tangentibus* consensissent, assignatos proven- „ tus *recipiendo per quinque annos*, attamen l. . . qui „ Milipotamensi, & Petrus qui Calamonensi Ecclesiis „ eo tempore præerant, obliti pactas locationes pro „ bono pacis, & quieto insulæ statu firmatas fuisse, „ elapso a conciliata concordia quinquennio, jura sua „ rum Ecclesiarum hoc pacto graviter læsi conquesti „ sunt,

„ sunt, propriamque licet minus justam utilitatem com- „ muni totius regni tranquillitati præferentes Avenio- „ nem ad Clementem V. accesserunt, eique suppressa „ dolo malo rerum omnium serie, exposuerunt bona „ sua a Græco homine sub specie initæ cum Rep. con- „ ventionis contra Ecclesiasticæ libertatis jura injuste „ occupari.

„ Hæc cum accepisset Pontifex vir acris nimium in- „ genii, & ad subditos motus celerrimus, causa non „ explorata graves Duci, ac communi Venetiarum „ Epistolas dedit, ipsos rogans attentius, & adhortans, „ ut Episcopis ad suas Ecclesias *cum debita reverentia „ reductis bona Episcopatuum suorum cum fructibus „ inde perceptis, Alexio Calergio, & quibuslibet aliis „ detentoribus amotis* restitui, ipsique de illatis hac „ occasione damnis satisfieri curarent.

„ Patriarchæ etiam Gradensi Fratri Ægidio, & „ Castellano Episcopo Fratri Ramperto (quorum ille „ Ferrariensis, hic Bononiensis civis erat, uterque au- „ tem ex ordine Prædicatorum) per Apostolica scri- „ pta mandavit, ut Venetias accedentes Duci, ac Se- „ natui Venetiarum Pontificias litteras exhiberent, „ ipsosque hortarentur, ut summi Pontificis jussum „ quam citissime ita impleri niterentur, *ut exinde di- „ vinam obtinere gratiam uberius* promererentur. „ (*Cornelius ib. p. 296. & s.*)

Iis igitur Pontifex narrat, datas fuisse Alexio possessiones eorum Episcopatuum *pro tercentis quinquaginta yperperis ex eis annuatim solvendis*, fuisse eas *ad quinquennium fictum* locatas, sed ut *ex tunc procuraret pro posse quod de quinquennio in quinquennium usque ad quinquaginta octo annos ut ipse petebat, concessio fieret*, datam facultatem Alexio, ejusque heredibus fuisse *faciendi cum Archiepiscopo Episcopis, & Clericis sicut vellent*,

Quæ pacta licet iniquissima Ducem, & Dominium approbasse.

Occupatis igitur ab Alexio Episcopatibus, Clerus omnis inopia languet, divinus cultus imminuitur, errores pullulant.

Attendens ergo Pontifex, omnia hæc mala nasci ex initis conventionibus non potest non eas irritare, cassare, & nullas declarare.

Quare hæc omnia supradicti prælati Duci, & Senatui exponant, hortenturque eos ad ea pacta tam contraria æquitati, & libertati Ecclesiasticæ rescindenda, *prout eorum circumspectio melius expedire noverit.* Iis ostendant excessum, quem commiserunt.

Etiam tempus hujus rescissionis præscribit Pontifex, nempe ut *infra sex menses post monitionem* hæc adimpleant Veneti.

Prælatis jubet, ut quod egerint, *qualiter Dux, & Commune se habuerint in prædictis, rescribant.*

Si ambo his exequendis interesse non poterunt, alter eorum ea nihilominus exequatur.

D. Pictavis IV. Cal. Junii P. a. II. a. D. 1307.

„ Res, ut acta revera fuit, relata Pontifici eum se- „ davit.

Hortatur Pontifex Venetos ad pacem cum Cretensibus.

CVII. Ib.p.329. URBANUS V. Laurentio Celsi Duci, ac communi Venetiarum.

Inc. *Intellecta dudum, &c.*

„ TItus Venerio, & Titus Gradonico, cum eorum „ complicibus facto submurmure propter quædam „ datia satis tenuia imposita pro auxilio expensarum „ portus Candiæ plurima reparatione indigentis, su- „ bito tumultu totum populum commoverunt; manus- „ que nefarias in Ducham, & Consiliarios, aliosque „ officiales Cretæ, nec non in omnes nobiles, & „ mercatores Venetos tunc illi existentes injecerunt, „ ipsos tetro carceri includentes, prædæ expositis eo- „ rum Mercationibus, & bonis. Idem excessus in om- „ nibus locis insulæ est commissus. „ *ex Raphayno Fl. Cornelius ib. p.* 317.

Discordiam natam inter Venetos ex una parte, & Cretenses ex alia cum audivisset Urbanus & Venetos, & populum Cretensem hortatus est, ut ad pacem mutuam redirent.

Sed cum considerasset in partibus illis vix idoneum pacis tractatorem reperiri posse, id negotium se destitue ait Archiepiscopo Cretensi S. Sedis Nuncio, quem scit Urbanus nullum lapidem non moturam, ut pacem constituat.

Monet Venetos, ut mente revolvant quam calamitosa futura sit rebus Terræ sanctæ diuturna discordia. Proinde pacem quocumque modo faciant.

D. Avenioni VIII. Id. Dec. P. a. II. a. D. 1363.

Responsio ad litteras Ducis, & adhortatio ad pacem.

CVIII. Ib.p.330. URBANUS V. Laurentio Celsi Duci, &c.

Inc. *Litteras tuæ, &c.*

REsponderat Urbano Dux, se nonnisi maximo cum mœrore posse Pontifici scribere, se non posse ire ad Terræ sanctæ bellum bello Cretensi implicitum, & donec rebellio non sedatur, vota sua se adimplere non posse.

Respondet Urbanus, *se non intellexisse jucundanter*, Ducem ad Terram S. ire non posse.

Proinde se mandasse iterum Archiepiscopo Cretensi, ut sua dexteritate rebelles ad obedientiam adducat.

Cum concordia erit inita, Dux juvabit plurimum res Terræ S. *suum potentem maritimum, & terrestrem exercitum in hostes sacræ fidei convertendo.*

Ducem rogat, ut eum certiorem faciat, quid de Cretensibus facere velit.

D. Avenioni XIV. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1363.

Gratulatio de victis Cretensibus.

CIX. Ib.p.339. URBANUS V. Laurentio Celsi Duci, &c.

Inc. *Nobilitatis tuæ, &c.*

SUmma cum voluptate se accepisse Nuncium de domitis rebellibus Cretensibus Laurentio Duci significat Urbanus.

Victoriam tantam a Deo agnoscere Venetos, gratulatur; cui ut referantur dignæ gratiæ, accelerandum est passagium in Terram S. quod ut semper in mente habeant, & Ducem, & populum hortatur.

D. Avenioni V. Cal. Julii P. a. II. a. D. 1363.

Hortatio ad Venetos, ut clementer agant cum Cretensibus.

CX. Ib.p.343. URBANUS V. Marco Cornaro Duci, &c.

Inc. *Etsi de quorumlibet, &c.*

AIt Pontifex, se maximopere doluisse de Cretensium rebellione, & quod sentit Venetos gravari sollicitudinibus, & gravibus impensis.

Sed non potuit quin gravius doleret, cum audivit Cretenses & Latinos, & Græcos *se offerre ad mandata, & conditionibus rationabilibus*; Venetosque *ratione cujusdam immutabilis deliberationis, quam partem dicunt, nolle præbere assensum.*

Pontifex, qui ab hujusmodi rigore abhorret, Venetam prudentiam requirit; rogat Venetos, ut lenes sint, ut considerent, Deum posse victorias Cretensibus dare, *si humilitatem supplicum spernerent.*

Ait, se misisse litteras ad Andruynum S. Marcelli Presbyterum Cardinalem S. Sedis legatum, ut eos ad misericordiam, & pacem hortetur, & ut solvat nomine Pontificis juramentum, si quod ediderunt, gravissime Cretenses puniendi.

D. Aven. III. Id. Dec. P. a. V. a. D. 1385.

Laudatur Cardinalis Andruyni cura de pace.

CXI. Ib.p.345. URBANUS V. Cardinalis Andruyno, &c.

Inc. *Libenter audivimus, &c.*

LAudat Cardinalem Urbanus, quod per Nuncios suos non destiterit hortari Venetos ad concordiam; eumque porro pergere jubet.

Mittit ad illum litteras (suntque proxime superiores) ad Venetos scriptas, quas Cardinalis iis præsentari faciet.

Eum hortatur, ne in hoc opere desistat.

D. Aven. III. Id. D. P. a. V. a. D. 1365.

Jacobus Abbas S. Thomæ de Torcello Nuntius Ap. & exactor in Insula Cretensi instituitur.

CXII. Ex cod. de Eccl. Torcel. p. pr. p. 253. URBANUS V. Jacobo Abbati, &c,

Inc. *Ex fideli, &c.*

EX probitate, prudentia, integritate, experientiaque rerum, quibus insigniri Jacobum Abbatem S. Thomæ ordinis Cisterciensis Torcellanæ Diœcesis e multorum relatione scit Urbanus, confidit, eum optime actarum esse illa, quæ illi facienda mandat,

Eum igitur Nuncium, & Collectorem in insula Cretæ ad S. Sedis beneplacitum deligit Urbanus, penitusque revocat nuncium, collectorem, subcollectores, commissariosque qui ibidem erant.

Datque facultatem eidem Abbati *vel per se, vel per alios Cameræ Ap. & Ecclesiæ R. nomine omnia, & singula, res, bona Pontifici, & Ecclesiæ R. ac Cameræ præfatæ in eadem insula quacunque ratione, vel causa debita, & debenda in antea, vel ad Pontificem, seu ad eat nunc & impostetum pertinentia quæcunque, & qualiacunque fuerint colligendi, exigendique, super iis pacisicendi, componendi,* &c. cum quibuscunque, quacunque dignitate fulgeant, eos contradicentes competendi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, *necnan de excepta quietandi & absolvendi*; N. O.

Sic igitur in præmissis diligenter, sollicite, & fideliter se habeat Abbas, quod apud Pontificem merito commendari valeat, Pontificique, & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam uberius promereatur.

D. Aven. Id. Dec. P. a. I. a. D. 1362.

Abbas S. Thomæ de Torcello Nuncius Ap. in Creta jubetur exigere ab Episcopo Archadiensi ea quæ collegerat, nec solvit.

CXIII. Ex Cornel. de Eccl. Torcel. in pr. p. 252. URBANUS V. Thomæ ord. Cisterc. A. S. Nun. &c,

Inc. *Cum nuper, &c,*

RAphael Archadiensis Episcopus erat Nuncius Ap. in Creta, & Collector spoliorum. Urbanus quibusdam de causis eum ad hoc officio removerat, Thomamque prædictum illi substituerat.

Cum *in nonnullis rebus, & pecuniarum summis per eum in præfata insula nomine Cameræ Apostolicæ teneretur*, mandat Urbanus eidem Thomæ, *ut per se, vel per alium, vel per alios tam ab eodem Episcopo, quam a subcollectoribus, & commissariis, & subdelegatis ejus de omnibus, & singulis receptis, & habitis, ac solutis, traditis, & assignatis, & alias gestis, & administratis per eos nomine Cameræ Ap. in eadem Insula Pontificia auctoritate petat & exigat computum, & rationem, & de ipsis tam per libros rationum suarum, ac instrumenta litteras, scripturas simpliciter, de plano, sine strepitu, & figura judicii se informet.*

Quod si per informationem, & computum hujusmodi præfatum Episcopum eidem Cameræ aliquid, vel aliqua de resta teneri reperiet, ipsum ad solvendum, & exhibendum nomine ipsius Cameræ collecta non soluta cogat.

Contradictores per censuras Ecclesiasticas cohibeat. N. O.

De omnibus Abbas *quam citissime per instrumenta publica certificet particulariter, & distincte.*

D. Aven. VIII. Id. Mar. P. a. I. a. D. 1363.

In hac insula nemo ordinetur, qui non sit adhæsurus Romanæ Ecclesiæ.

CXIV. Ex Rayn. ad ann. 1329. §. 20. URBANUS V. Archiepiscopo Cretensi, ejusque suffraganeis.

Inc. *Communis habet, &c.*

CUm jam Veneti edomuissent Cretensium rebelle ingenium, & juxta morem Religiosissimæ suæ Reip. vigere vellent in illa insula Romanam Catholicam fidem auxilium, dabant Episcopis ut schismaticos reprimere possent.

Urbanus ergo ad Episcopos insulæ hujus scribit, ut, quoniam auxilium brachii sæcularis iis non deest, comprimant calogeros, & presbyteros, qui Græcorum schisma fovent, & disseminant;

Præterea neminem ad ordines admittant, qui non profiteatur Religionem Catholicam Romanam;

Ordinandi autem vel ordinentur ab Episcopis Latinis, vel a Græcis communionem tamen cum Ecclesia Romana habentibus.

D. apud Montem Flasconem V. Cal. Aug. P. a. VI. a. D. 1369.

Excitatur Dux, ut observari juheat legem latam de schismaticis.

GREGORIUS XI. Andreæ Contareno Venetiarum, CXV. Ibid. ad an. 1373. §. 18.

Inc. *Lætamur in Domino, &c.*

SOlebat a Patriarcha Constantinopolitano mitti in hanc insulam Episcopus schismaticus, qui præsideret Græcis schismaticis in ea existentibus.

I. Statuerunt Veneti *tam provide, quam Catholice sub gravi pœna, quod ex tunc nullus talis schismaticus Episcopus reciperetur in insula prælibata.*

II. *Et etiam sub diversis gravibus pœnis statuerunt, quod nullus schismaticus dictæ insulæ exiret de illa a schismatico Episcopo existente extra dictam insulam quoscunque ordines recepturus.*

Prudentissimæ hæ leges hactenus fuerant observatæ. Sed cum accepisset Gregorius quosdam Clericos, laicosque extra insulam exire, & ab Episcopis schismaticis ordinari, reversosque in eam disseminare inter populos schisma in fraudem secundæ legis, enixe Ducem rogat, ut jubeat, eam observari. Cum una sit fides, seditiones difficiljus excitantur.

Eum etiam rogat, ut enitatur, ut convertantur schismatici.

D. Aven. VI. Cal. Nov. P. a. III. a. D. 1373.

Dantur monita Episcopis Creta circa schismaticos.

GREGORIUS XI. Archiepiscopo Cretensi, Clytonensi, Sicitensi, Archadiensi, Calamonensi, Agriensi, Chissimensi, Canticensi, Arienst, & Milopotamensi Episcopis, CXVI. Ib ad an. 1375. §. 25.

Inc. *Ad propagationem, &c.*

MAjorem partem erant schismatici Cretenses, qui extra urbes vivebant; & nihil magis cordi erat Venetis, quam ut ad unitatem fidei redigerentur, ideoque saluberrimas rogarant leges.

Quare ad Episcopos singulos ejus insulæ mittit formulam fidei, juxta quam credere omnes debeant, & juxta quam Episcopi prædicent ipsi, & prædicationes faciendas esse jubeant, Gregorius.

Eos præcipue instruant de primatu Romanæ Ecclesiæ, quo credito facile de unitate convenient.

Absolvant emittentes professionem fidei juxta formulam Clericos, & laicos.

Clerici si sint ordinati, & beneficia habeant, si professionem ediderint, permaneant in beneficiis, secus expellantur, denturque eam edentibus; non habentibus permittatur exercitium suorum ordinum, si eam emittant, suspendantur renuentes.

Si dubitetur de collatione canonica beneficiorum, ea illis iterum canonice conferantur, fructusque male percepti iis remittantur.

Denique iis facultatem dat omnia peragendi, quæ Dei honori, Ecclesiæ utilitati, animarum saluti expedire crediderint.

D. Aven. XV. Cal. Maji P. a. V. a. D. 1375.

Presbyteri Græci tam Religiosi, quam Regulares in Ecclesia S. Francisci Candiensi possint Missam, & sua officia celebrare die festo ejusdem Sancti.

JOANNES XXIII. ad p. r. m. CXVII. Ex Flaminio Cornelia de Eccles. Creten. t. 6. p. 15.

Inc. *Justis, & honestis, &c.*

PRovincialis, Fratresque Domus Candidæ Ord. Minorum provinciæ Romanæ significarunt Pontifici, *quod Græci, ac quasi singuli de natione Græca illarum partium zelo devotionis accensi, quem ad B. Francis-*

cum gerere comprobantur, ad Ecclesiam domus præfatæ in die festo ejusdem Beati Francisci confluebant in multitudine copiosa, & plerique ex iisdem Græcis tam Religiosi, quam sæculares Presbyteri in eadem Ecclesia Missam, ac alia divina officia cupiebant celebrare.

Quare supplicarunt Pontifici, ut *super præmissis de benignitate Apostolica providere dignaretur.*

Joannes *statuit, & etiam ordinat, quod omnes, & singuli ex præfatis Græcis, sive Religiosi ordinis cujuscunque, sive sæculares Presbyteri Missam, & alia divina officia secundum eorum morem, & consuetudinem a primis vesperis, usque ad secundas vesperas inclusive diei, & festi præfatorum possint, & valeant in præfata Ecclesia celebrare.* N. O.

D. Bononiæ IV. Non. Apr. P. a. IV. a. D. 1414.

Deputatur legatus ad hanc insulam pro unitate cum Ecclesia Latina.

CXVIII. Ad ann. 1439. §. 11. EUGENIUS IV. Archiepiscopo Cretensi legato, &c.

Inc. *Cum omnipotens, &c.*

UNio utriusque Ecclesiæ Orientalis nempe, & Occidentalis facta fuerat in Synodo œcumenica Florentina; quod maxime optabat Eugenius, etiam antequam Pontifex esset.

Quare æquum erat, jubere Pontificem, ut ea concordia ubicumque servaretur.

Quæ ut observetur in insula Cretæ, deputat in hoc ejusdem insulæ Archiepiscopum Legatum, quem Deus plurimis donis insignivit, cujus pietas, doctrina, & experientia jam nota erat Pontifici.

Necessarias eidem dat huic muneri facultates Eugenius.

D. Florentiæ XIV. Calend. Octob. P. a. IX. a. D. 1439.

Gratulatur Pontifex Archiepiscopo Cretensi de suo adventu ad Episcopatum, eumque Legatum a Latere creat.

CXIX. Ex Cornelio de Sacra Creta t. 2. p. 79. EUGENIUS IV. Fantino (*Dandulo*) Archiepiscopo Cretensi.

Inc. *Ex litteris, &c.*

VIx ac ad suum Cretensem Archiepiscopatum Fantinus Dandulus pervenit, certiorem fecit Eugenium, *se reverenter a Clero, populoque fuisse receptum.*

Ergo de ejus adventu ad eam Ecclesiam gratulatur illi summopere Pontifex.

Et quia cupit, illum *posse illam Ecclesiam cum honore Dei, & animarum fructu gubernare, illi mittit facultates Legati de Latere, & dispensandi in prohibitis tertio, & quarto gradibus matrimonii.*

Licet noscat ejus prudentiam, eum tamen monet ut his facultatibus parce utatur.

D. Romæ apud S. Petrum die VI. Apr. P. a. XVI. a. D. 1446.

Archadiensis Ecclesia supprimitur, Ecclesiæque Milipotamensi subjicitur.

CXX. Ex Flaminio Corn. Creta Sacra p. 132. CLEMENS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Ecclesiarum omnium, &c.*

DUx Venetiarum Marinus Grimanus significavit Clementi, Ecclesiam Archadiensem esse pene ad nihilum redactam, in illa esse duo altaria tantum, & pro octo Canonicis, qui in illa erant, unum solummodo presbyterum illi inservire; *nonnullas villas, seu casalia, & duo castra* ejusdem diœcesim constituere, mensæque Episcopalis redditus esse quadraginta quatuor florenos auri.

Rogavit ergo Dux Pontificem, ut illam Ecclesiam extingueret, & ejus diœcesim Ecclesiæ Milipotamensi subjiceret, quæ non satis ampla erat.

Quia vero hospitale invalidorum, senum, pauperumque erat Candiæ, supplicavit, ut redditus ejusdem Ecclesiæ huic hospitali applicaret.

Pontifex ergo dignitatem Episcopalem in Arcadiæ urbe supprimit, ejusque diœcesim unit Ecclesiæ Milipotamensi, & gubernatoribus hospitalis dat facultatem

redditus Ecclesiæ prehendendi, insumendique pro usibus ejusdem hospitalis, presbytero tamen inservienti Archadiensi Ecclesiæ ex iis redditibus portionem assignent, ut substentetur.

Quod si hospitale destruetur, vult eos redditus pertinere ad mensam Milipotamensem Archiepiscopalem cum onere dandi substentationem Sacerdoti, qui Ecclesiæ Archadiensi inservit. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Jan. P. a. IX. a. D. 1604.

Archiepiscopus Cretensis deputatur visitator totius Insulæ.

URBANUS VIII. Archiepiscopo Cretensi. M. P. CXXI. B.R. t. 5. p. 5. o. 170. C. C.

Inc. *In specula, &c.*

URbanus M. P. pluribus causis animum suum nioventibus assentiente Veneto Senatu in visitatorem Apostolicum Ecclesiarum, Iocorum Piorum, & Ecclesiasticorum deputat Cretensem Archiepiscopum.

Facultates ad id necessarias illi impartitur.

Hortatur autem omnes ut decretis Archiepiscopi pareant. N. O.

Acta visitationis ille Romam mittat.

D. Romæ apud S. Petrum die XIV. Dec. P. a. I. a. D. 1623.

Extensio facultatis visitandi.

URBANUS VIII. Archiepiscopo Cretensi. CXXII. Ib. p. 208. C. C.

Inc. *Alias de tua, &c.*

ETiam in visitatorem insularum Cephaloniæ, & Zacynthi, & Corcyræ cum iisdem facultatibus deputat Urbanus eumdem Archiepiscopum; quod orarat Senatus;

Earum quoque Ecclesiarum visitationis acta Romam mittat.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Apr. P. a. I. a. D. 1624.

Deputatur visitator A. insularum Maris Ægæi, Zacynthi, & Cephaloniæ.

ALEXANDER VII. Josepho a S. Maria Episcopo Hieropolitano. CXXIII. B.R. t. 6. p. 6. p. 129. C. C.

Inc. *Cupientes, &c.*

DE consilio sacræ Congregationis de Propaganda deputat Alexander supralaudatum Episcopum in minoribus professum ordinem B. Mariæ de Monte Carmelo in visitatorem Apostolicum insularum maris Ægæi, Zacynthi, & Cephaloniæ, ita Senatu orante.

Vult eum visitare loca omnia religiosa, pia, hospitalia.

Dat illi solitas facultates corrigendi, puniendi, decernendi, *modis congruis restituendi, ac restaurandi* juxta Decreta Concilii Tridentini, &c. dispensandi in matrimoniis, &c. consecrandi olea cum Sacerdotibus, dandi indulgentias, &c. præficiendi parochiis regulares, &c.

Mandat ordinariis eorum locorum, ut visitatorem recipiant, ejusque decretis pareant. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. die II. Jul. P. a. XII. a. D. 1666.

DE BASILICA DUCALI S. MARCI.

Indulgentia conceditur visitantibus Ecclesiam S. Marci.

NICOLAUS III. Primicerio, & Capitulo Ecclesiæ S. Marci. I. Ex Flam. Corn. D. 13. pr. par. p. 219.

Inc. *Inter Sanctorum, &c.*

VIsitantibus Ecclesiam hanc, cui a corpore S. Marci, quod in ea delitescit, inditum nomen, in-

dulgentias largitur Nicolaus anni unius in omnibus festivitatibus S. Marci, & in die Ascensionis Domini, & diles octo post.

D. Romæ apud S. M. Maj. XIV. Cal. Jan. P. a. II. a. D. 1278.

Ecclesiæ S. Marci Tyrensis, & S. Marci Acconensis, & omnia bona a Balduino I. Jerosolymorum Rege Ecclesiæ Ducali S. Marci concessa confirmantur.

II. Ib.p.219. ALEXANDER III. Leonardo Procuratori operis Ecclesiæ B. Marci Venetiarum, sibique in eodem opere succedentium in perpetuum.

Inc. *Piæ postulatio, &c.*

SCribit Pontifex Leonardo Fradello procuratori operis Ecclesiæ S. Marci, se petitionibus Vitalis Ducis, & civium Venetorum benignum præbere assensum.

I. Quare Ecclesiæ huic confirmat *Ecclesiam B. Marci in Tyrensi civitate cum domibus suis, pistrino, furno, platea, & cum integra ruga, campis, terris, & omnibus ad eamdem Ecclesiam, & ad opus S. Marci pertinentibus,*

II. Confirmat Ecclesiam S. Marci Acconensis *cum pistrino, & domibus suis, platea, & ruga, quam b. m. Balduinus I. Jerosolymorum Rex B. Marco, & Duci Venetiæ, suisque successoribus in acquisitione Sydonensis civitatis rationaliter contulit;*

III. Confirmat *etiam omnes terras, quas in Jerosolymitana, Tripolitana, Antiochena, & Cæsaræa civitatibus Dux, & commune Venetiæ a Rege Jerosolymorum sibi concessas prædicto operi B. Marci legitime contulerunt,*

IV. Confirmat etiam omnia possidenda in futurum pro prædicto opere concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, vel oblatione fidelium, seu aliis justis modis.

V. Pœnas in perturbantes, rapientesque hæc bona minatur Pontifex,

VI. Contra vero præmium æternum hoc privilegium servantibus promittit. *Amen.*

Cardinales duodecim post nomen Pontificis suum apponunt.

Datum Biturii per manum Hermanni S. R. E. Subdiaconi, & Notarii tertio Idus Maji Indictione decima tertia Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo sexagesimo quinto, Pontificatus vero Alexandri Papæ III. anno sexto.

Patriarchæ Jerosolymitano, & Archiepiscopo Cæsareensi mandatur, ut restituere faciant Plebano S. Marci Tyrensis Ducali S. Marci Basilicæ subjecto quæ illi Archiepiscopus Tyrensis abstulerat.

III. Ib.p.221. INNOCENTIUS III. Jerosolymitano Patriarchæ, & Archiepiscopo Cæsareensi.

Inc. *Accedens ad præsentiam, &c.*

EPiscopus Paphensis, Episcoporum Acconensis, Tiberiadensis, & Perithensis litteras Pontifici dedit, in quibus sententia ab iis data ut delegatis Apostolicis in causa vertente inter Archiepiscopum Tyrensem ex una parte, & Plebanum Ecclesiæ S. Marci Tyrensis ad Ducalem Sancti Marci Ecclesiam spectantis continebatur.

Archiepiscopus quædam bona S. Marci Ecclesiæ occuparat, sese oppositerat Plebanus; appellavit hic ad Pontificem, qui Episcoporum Acconensis, Tib., & Perith. assistentiam huic causæ imperaverat; hi citarunt Plebanum, qui comparere noluit, litteras Pontificias, quibus delegatio continebatur ostenderunt, neque paruit, immo ad S. Sedem appellavit; ergo damnatus fuit.

Sed quidam Nobiles Viri Veneti nomine Henrici Dandulo Ducis significarunt Pontifici, *quod in recuperatione Terræ Orientalis Ecclesiarum Prælati, & Principes sæculares tertiam partem Civitatis Tyrensis plena jure Venetis concessorunt, quam ipsi possederunt longo tempore, etiam iis decedentibus*; In excidio vero ejusdem terræ Veneti a Clemente, & Cælestino litteras impetrarunt, quibus eorum bonorum, & Ecclesiæ Sancti Marci possessio Venetis confirmatur.

Ideo autem subterfugisse judicium Plebanum dicebant, quia duo Episcopi erant suffraganei Archiepiscopi Tyrensis, ideoque suspecti.

Pontifex ergo his motus, appellationem Plebani justam fuisse decernit, sententiam trium illorum Episcoporum irritat, & Plebanum in sua jura restitui a præfatis Patriarcha Jerosolymitano, & Archiepiscopo Cæsareensi jubet,

Veratque Archiepiscopo Tyri, ne de cætero Plebanum, & Ecclesiam, & bona Ecclesiæ S. Marci Tyrensis molestet.

D. Laterani Non. Apr. P. a. III. a. D. 1199.

Canonici Tyrenses jubentur non molestare Plebanum Ecclesiæ S. Marci.

INNOCENTIUS III. Canonicis Tyrenfibus. IV. Ex cod. Ib.p.223.

Inc. *Exposita nobis, &c.*

NArrat Pontifex Canonicis Tyrensibus, quæ exposuerat S. Sedi Plebanus S. Marci, nempe præfatam Ecclesiam *jus parochiale habere in tertia parte Tyri tam in Basilica, quam in pœnitentiis, sepulturis, decimationibus, benedicendis nubentibus, tenendis scholis, & mulieribus propter partum in Ecclesiam inducendis*; quod quidem jus prædecessores Pontifices illi confirmarant.

Narrat etiam eisdem se cassasse quamdam sententiam contra prædictum Plebanum latam.

Quare iisdem Canonicis quoque mandat, ne, sicut justus fuerat eorum Archiepiscopus, ipsi eam Ecclesiam perturbent, donec duo Cardinales Apostolicæ sedis Legati eo venerint, aut saltem unus, qui *iter Sanctæ peregrinationis est fallurus.*

Irritum decernit futurum quidquid interea temporis Canonici facient.

D. Laterani III. Cal. Jun. P. a. V. a. D. 1202.

Cardinalis Legatus declaret Ecclesias S. Marci Tyrensis, & S. Marci Acconensis esse in protectione S. Sedis.

INNOCENTIUS IV. Octaviano S. Mariæ in via lata Card. Diac. Legato S. Sedis. V. Ib.p.225.

Inc. *Illum erga, &c.*

QUoniam *illum erga Romanam Ecclesiam civitas Venetorum continuat sinceritatis affectum, eumque cordis servavit constantiam, ut inter cæteras alias fidelitatis titulo specialiter insignita illas exemplo suo ad ejusdem obsequium Ecclesiæ laudabiliter animarit; nam in ipsius agendis Ecclesiæ sic sollicita semper extitit, & attenta, quod in eorum susceptione se promptam exhibuit, in prosequutione reddidit studiosam, in consummatione stabilem*, æquum Innocentius censet eorum precibus annuere.

Quare mandat prædicto Octaviano Legato, ut Ecclesias S. Marci Tyrensis, & Acconensis ad Ecclesiam S. Marci Venetiarum spectantes *in jus, & proprietatem B. Petri Pontificia auctoritate suscipiens inhibeat firmiter, ne aliquis in illas absque sedis Apostolicæ Episcopali mandato jurisdictionem aliquam audeat exercere;*

Ut *certum censum persolvendum certo termino a Primicerio, & Capitulo ipsius Ecclesiæ S. Marci de Venetiis earumdem Ecclesiarum S. Marci Tyrensis, & Sancti Marci Acconensis nomine Sedi prædictæ annis singulis ad indicium hujusmodi libertatis sicut expedire viderit statuendo.*

D. Lugduni Non. Maii P. a. IV. a. D. 1247.

„ Legatus imposuit annuum censum duorum byzantiorum solvendum in festo omnium Sanctorum. „

Archidiacono Antiocheno mandatur, ne permittat Ecclesiarum S. Marci Tyrensis, & S. Marci Acconensis, bona molestari.

VI. Ib.p.223. INNOCENTIUS IV. Archidiacono Antiocheno.

Inc. *Clara devotio, &c.*

CLara *devotio, qua dilecti filii, Nobilis Vir Dux, Consilium, & commune Venetorum erga Romanam Ecclesiam fulgere noscuntur, sic Ecclesiam ipsam iis reddit favorabilem, & benignam, quod eadem Ecclesia de ipsorum honore sollicita commodum eorumdem tamquam specialium filiorum affectuose procurat.*

Cum igitur accepisset Pontifex Ecclesias S. Marci Tyrensis, & S. Marci Acconensis ad Sedem Apostolicam immediate subjectas ad Ecclesiam S. Marci Venetiarum spectantes *super decimis, & juribus parochialibus*, & aliis *earum pertinentiis* molestari a quibusdam, eidem Archidiacono mandat,

Ut molestatores per censuras Ecclesiasticas comprimat. N. O.

Præsentibus post decennium minime valituris.

D. Lugduni XII. Calend. Januar. P. a. VII. a. D. 1249.

Idem Archidiaconus jubetur tutari bona Ecclesiæ S. Marci Venetiarum in regno Jerosolymitano posita.

VII. Ib.p.225. INNOCENTIUS IV. Archidiacono Antiocheno.

Inc. *Clara devotio, &c.*

VOlens Innocentius se gratum ostendere Venetis ob eorum devotionem in S. Sedem, cum audivisset bona ad Ecclesiam S. Marci Venetiarum spectantia in Jerosolymitano, posita a quibusdam molestari regno eidem Antiocheno Archidiacono committit,

Ut *molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescat.* N. O.

D. Lugduni XII. Cal. Jan. P. a. VII. a. D. 1249.

Monasterium SS. Felicis, & Fortunati de Aymanis unitur huic Ecclesiæ.

VIII. p. 15. p. 232. SIXTUS IV. ad p. r. m.

Inc. *In Apostolica, &c.*

NIcolaus Tronus Venetiarum Dux Sixto significavit, onera Ecclesiæ S. Marci esse multa, & gravia, & expensas pro ejus structura graves annuatim esse faciendas; Facilius hæc onera, easque expensas tolerari posse, si Monasterium SS. Felicis, & Fortunati de Aymanis Ordinis S. Benedicti eidem Ecclesiæ uniretur;

Jam in eo monasterio conventum non esse; posse igitur in illo dignitatem Abbatialem supprimi, & ordinem aboleri; illudque Procuratoribus ejusdem Ecclesiæ dari, ut ejus fructus in reparatione structurarum ejusdem Ecclesiæ insumant.

Sixtus ergo, dignitate Abbatiali in eo suppressa, & ordine extincto illud Ecclesiæ S. Marci perpetuo unit, & incorporat,

Jubet illud dari cum omnibus suis bonis, & juribus, & pertinentiis ejusdem Ecclesiæ Procuratoribus, ut ejusdem redditibus onera illius supportentur. N. O.

Non vult tamen monasterii Ecclesiam in usus profanos converti.

Præterea vult, ut onera Ecclesiæ monasterii annexa adimplere iidem Procuratores faciant.

Irritum decernit quidquid secus fiet.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Id. Oct. P. a. II. a. D. 1472.

Prioratus S. Jacobi de Pontida Bergomensis Diœcesis annectitur huic Ecclesiæ.

IX. D. 13. p. 252. INNOCENTIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Pastoralis officii, &c.*

ECclesia *S. Marci Venetiarum, quo admodum claret in ipsa Civitate Venetiarum, ac plures Nobiles, & alii dictæ civitatis Cives pro divinis officiis audiendis devotionis causa confluunt, pro conservatione, & manutentione Fabricæ illius non parva impensa continue noscitur indigere, ad quam fabricandam ipsi non commoda suppetit facultas.*

Sed si illi uniretur Prioratus de Pontida Bergomensis Diœcesis, cujus redditus annuus valor erat MCC. Florenorum auri de Camera, Ordinis S. Benedicti, quam obtinebat in Commendam Cardinalis Marcus Barbo Pauli II. Nepos, facile posset Ecclesia S. Marci expensas facere,

Innocentius ergo *Ecclesiarum omnium, præsertim insignium, necessitatibus libenter subveniens*, dictum Prioratum illi Ecclesiæ annectit *motu proprio, de mera sua liberalitate, & ex certa scientia, etiam si cura animarum illi imminet, ac forsan Cluniacensis ordinis foret* (inter cujus privilegia hoc erat, ut ejus Abbatiæ non darentur in Commendam, & ejus Prioratus nulli Ecclesiæ incorporarentur) *cum omnibus juribus & pertinentiis*, ita ut liceat Procuratoribus S. Marci vel per se, vel per Procuratorem suum ejus possessionem capere; *diœcesani loci, & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita.*

Vult in usus hujus Ecclesiæ redditus illius prioratus duntaxat adhiberi. N. O.

Vult etiam, ne Ecclesia Prioratus in profanos usus convertatur; & vult onera & Ecclesiæ, & Prioratus supportari ab Ecclesia S. Marci.

Quod si incorporatio non fiat, prioratus sibi reservat Pontifex dispositionem.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum V. Id. Oct. P. a. V. a. D. 1487.

„ D. Marci Procuratores hunc Prioratum Congrega- Ib.p.253.
„ tioni S. Justinæ Patavinæ concesserunt an. 1491.

Ecclesia S. Ægidii de Fontanellis, & Monasterium S. Jacobi de Pontida iterum uniuntur huic Ecclesiæ.

X. Ib.p.259. CLEMENS VII. ad p. r. m.

Inc. *Revolventes in mente, &c.*

ECclesiam S. Ægidii de Fontanellis Ecclesiæ S. Marci univerat Sixtus IV. & Prioratum S. Jacobi de Pontida Innocentius VIII.

Cameracensis Fœderis tempore Julius II. eas Ecclesias dederat in Commendam Cardinali Sigismundo t. S. Mariæ Novæ; ii enim agri in eodem bello amissi fuerant a Venetis, quos postea recuperaverant.

Mortuo Sigismundo Procuratores Ecclesiæ S. Marci tanquam bona ejusdem Ecclesiæ æperunt.

Sed quia scrupulus nasci poterat, eas Ecclesias, quæ de plenitudine potestatis Julius ab Ecclesia S. Marci sejunxerat, semper esse censendas sejunctas, Clemens declarat motu proprio, ex certa sua scientia, non ad alicujus instantiam, acta quæcunque post earum Ecclesiarum solutionem irrita, & prorsus nulla; præcipue cum Procuratores Ecclesiæ S. Marci pro iis Ecclesiis quindennia solverint; vultque valere annexiones a Sixto IV. & Innocentio VIII. factas; quas restituit, reponit, plenarie reintegrat, & ab omnibus judicibus ita judicari vult, quasi prædicta dissolutio facta non fuisset.

Quod si Procuratores S. Marci aliquos fructus ex earum Ecclesiarum bonis post earum vacationem a morte Card. Sigismundi collegerunt, eos illis remittit, & condonat, & bene fuisse perceptos decernit.

Vult de cætero, sicut jusserant Sixtus IV. & Innocentius, ut Procuratores earum Ecclesiarum onera supportent; & si aliqua iis immineat cura animarum, ne per eos negligatur.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XI. Cal. Dec. P. a. II. a. D. 1525.

Monasterium S. Petri in Valle diœcesis Arbensis unitur huic Ducali Ecclesiæ,

XI. lb.p.262. LEO X. ad p. r. m.

Inc. *Creditum nobis, &c.*

DRago Episcopus Arbensis Falcani Abbati concesserat Ecclesiam S. Petri, & S. Cypriani, eique facultatem dederat Monasterium construendi. Concessio facta fuerat anno 1062.

Monasterium hoc erat Ordinis S. Benedicti, illudque in Commendam habebat Petrus Bembus Venetus vir Clarissimus a Paulo III. Cardinalis creatus, illudque in *manibus Pontificis sponte, & libere cesserat*; quam cessionem Pontifex accepit.

Cum igitur ad eum spectaret hujus Monasterii ita cessi provisio, cum sciret, Ecclesiam S. Marci Venetiis esse insignem, & Ducem Leonardum Lauretanum, & Dominium Venetiarum singularem in eam gerere amoris affectum, ut illius cultus conservetur, & augeatur, motu proprio, ad nullius instantiam, ex mera sua liberalitate prædictum Monasterium eidem Ecclesiæ unit cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, bonis.

Datque facultatem ejusdem Ecclesiæ Fabricæ Procuratoribus illius possessionem vel per se, vel per alios capiendi; ejusque redditus in usus ejusdem Ecclesiæ convertendi. N. O.

Non vult tamen in Monasterii Ecclesia ut divinus cultus imminuatur, neque Monachorum, & ministrorum numerus decrescat; sed divina officia ibidem celebrentur, & supportentur onera conventus.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Idib. Jan. P. a. VI. a. D. 1519.

Parochiales S. Bartholomæi de Frasinella, & S. Andreæ de Pontecchio, & Capella S. Dominici de Gardazola uniuntur Ducali Ecclesiæ.

XII. lb.p.267. LEO X. ad p. r. m.

Inc. *Cum sicut, &c.*

ALoysius Durante Clericus Venetiarum Rector parochialium Ecclesiarum S. Bartholomæi de Frasinella, & S. Andreæ de Pontecchio, & Capellæ S. Dominici de Gardazola Adrienſis diœcesis, *ex certis causis animum suum moventibus* earum Ecclesiarum spontaneam, & liberam cessionem in manibus Pontificis fecit, eamque Pontifex acceptavit;

Qui cum semper in Ecclesiam S. Marci affectum gessisset, sciretque quam insignis esset, quam ornata, quanta esset populi ad eam concurrentis multitudo, quantum expensarum esset faciendum in ejusdem structurarum conservatione, Motu proprio eas Ecclesias, & Capellam, quarum reddituum valor est Florenorum sexaginta auri de Camera, annuatim illi Ecclesiæ unit,

Ita ut ejus Procuratoribus liceat harum, illarumque bonorum, & jurium possessionem capere. N. O.

Has tamen addit Leo conditiones, ne cultus divinus in iis Ecclesiis minuatur, sed earum onera supportentur, neque si iis imminet animarum cura, negligatur, neque in profanos usus convertantur;

Ut singulis annis Venetiis Aloysio prædicto quoad vixerit, centum Ducati persolvantur *in festo &c. ita quod in eventum, in quem Procuratores* Ecclesiæ Sancti Marci *a dictorum centum ducatorum solutione cessaverint, ex tunc post mensem termini solutionis incorporatio censoatur nulla*, liceatque Aloysio administrationem earum Ecclesiarum capere; & ad eas facere regressum. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Cal. Dec. P. a. IX. a. D. 1521.

Prædictarum Ecclesiarum unionis confirmatio.

XIII. lb.p.269. HADRIANUS VI. ad p. r. m.

Inc. *Rationi congruit, &c.*

LItteræ Leonis, quarum tenorem refert Hadrianus, ejus superveniente obitu, confectæ non fuerant.

Ne igitur quomodolibet de earum effectu valeat hæsitari, & Ecclesiæ S. Marci *Procuratores illarum frustrentur effectu*; decernit Hadrianus,

Ut Leonis litteræ æque valeant ad unionem, & incorporationem prædictarum Ecclesiarum Ecclesiæ S. Marci faciendam, ac si ab eodem Leone fuissent confectæ, & ut eædem *ad probandum plenam habeant absolutionem.*

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Prid. Cal. Sept. P. a. I. a. D. 1522.

Ecclesia S. Mariæ de Nanto Vicentinæ Diœcesis unitur Basilicæ S. Marci.

JULIUS III. ad p. r. m. XIV. lb.p.272.

Inc. *Admonet nos, &c.*

REctor Ecclesiæ S. Mariæ de Nanto Diœcesis Vicentinæ sponte cesserat in Manu Pontificis Rectoriam; cujus provisio ad Pontificem, qui collationem omnium Ecclesiarum sibi reservaverat, spectabat.

Procuratores S. Marci exposuerunt Pontifici onera gravia Ducalis Ecclesiæ, impensasque multas pro ejus conservatione faciendas; oraveruntque ut illa Ecclesia, cujus valor est centum Ducatorum auri de Camera annuatim, huic uniretur; sic facilius poterunt onera supportari, & impensæ fieri.

Pontifex igitur, iis a censuris ad hunc effectum duntaxat consequendum absolutis, eam huic unit;

Quare permittit, ut iidem Procuratores ejus Ecclesiæ, bonorum, jurium, pertinentiarum possessionem capiant;

Liceat ergo Procuratoribus redditus ejus Ecclesiæ in usus Ecclesiæ S. Marci convertere, liceat iis idoneum presbyterum ad eorum nutum amovendum ibidem ponere, qui Parochianorum curam gerat. N. O.

Proviso quod eadem Parochialis Ecclesia debitis propterea non fraudetur obsequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, *sed ejus congrue supportentur onera consueta.*

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Nov. P. a. II. a. D. 1551.

Facultas datur Reip. alienandi quædam bona ad hanc Basilicam attinentia.

CLEMENS IX. Cardinali Joanni Delphino, & Nuncio A. Venetiis. XV. B.R. t. 6. p. 2. p. 282. C.C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

HAbebat Ecclesia hæc quædam bona in confiniis agri Bergomensis Mediolanensem Ducatum versus illi unita a Sixto IV. Innocentio VIII. & Clemente VIII. quorum redditus antehac erant septem millium, & septingentorum ducatorum monetæ earum partium.

Sed imminuti fuerant hi redditus, vel ob vilitatem annonæ vel ob inopiam conductorum, vel ob monetæ mutationem.

Cum autem bellum Cretense adhuc perduraret, rogavit Clementem Senatus, ut liceret ea bona vendere, facta a Rep. cautione, se ex redditibus provenientibus e datiis, & gabellis soluturam quotannis præfatæ Ecclesiæ fructum eorum bonorum in ratione quatuor pro quolibet centenario.

Pontifex rem totam examinandam committit prædictis Cardinali, & Nuncio, qui quidem venditionem permittant, si utilis futura sit Ecclesiæ, si illi nummi impendantur contra Turcas, si Resp. spondebit, se soluturam statutam pecuniæ quantitatem Ducali Ecclesiæ. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVIII. Aug. P. a. II. a. D. 1668.

Plebani Canonici Basilicæ Ducalis in ea residentes non teneantur residere in propriis Ecclesiis.

ALEXANDER IV. Reniero Zeno Venet. Duci. XVI. ex Corn. t. 12. p. 1. p. 286.

Inc. *Inducunt nos, &c.*

ITa rogante Duce, ob ejus præclara merita concedit Alexander,

Ut

Ut Canonici Ecclesiæ S. Marci, quæ Capella Ducis esse dicitur, dummodo in eam residentiam fecerint personalem, ad residendum in Ecclesiis, quarum Plebani existunt, usque ad triennium compelli non possint;

Non obstante quod scripserit Episcopo Castellano, quod Plebanos suæ civitatis, & diœcesis ad residendum in Ecclesiis, quarum sunt Plebani, compellere valeret.

Nulli ergo &c. Si quis, &c.

D. Anagniæ Cal. Apr. P. a. VI. a. D. 1260.

Capellanis hujus Ecclesiæ usus almutiorum datur.

XVII. lb.p.294. MARTINUS V. ad p. r. m.

Inc. *In eminenti, &c.*

UT dignitas hujus Ecclesiæ magis effulgeat, in qua Dux cum Dominio Sacris interest, ut decentius divina officia peragantur, ad preces Ducis Francisci Foscari concedit Martinus,

Ut Capellani huic Ecclesiæ inservientes, qui sunt viginti quatuor, in ea, & extra eam in processionibus, aliisque publicis actibus *pro tempore almutiis de pellibus variis* uti possint. N. O.

D. Romæ apud Ss. Apostolos VIII. Id. Maji P. a. X. a. D. 1427.

Etiam Sacristæ possint deferre almutium.

XVIII. lb.p.296. ALEXANDER VI. Sacristis Ecclesiæ S. Marci.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

ETiam Sacristæ hujus Ecclesiæ, qui æquam cum Canonicis portionem habent, petierunt a Pontifice facultatem gestandi almutium.

Quam facultatem illis Alexander concedit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XV. Jan. P. a. X. a. D. 1502.

DE PRIMICERIO.

Redditus quarundam Ecclesiarum uniuntur Primiceriatui.

XIX. ex Corn. D.13.p.1. p. 299. JULIUS III. Episcopo Ravellensi Nuncio &c.

Inc. *Cum sicut, &c.*

PRimiceriatum, quæ est dignitas prima Ecclesiæ Ducalis Collegiatæ occupari solita a nobili Viro, exiguos habentem redditus adauget Julius annexione horum beneficiorum, Ecclesiæ de Ronchis sine cura Diœcesis Vicentinæ, S. Fentii de Megliadin &c. ad valorem sexcentorum scutorum auri de Camera.

Mandat Nuncio suo apud Venetos, ut hanc annexionem faciat, ei præscribens, quot beneficia simplicia illi unire debeat ex Diœcesi, Vicentina, Patavina, Brixiensi. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXX. Aug. P. a. I. a. D. 1551.

Usus Rocchetti datur Primicerio.

XX. ex Lunig. t. 4. p. 1671. ALEXANDER V. Bartholomæo de Recovratis Primicerio.

Inc. *Exponit tua, &c.*

SIgnificarat Primicerius Pontifici, e speciali S. Sedis privilegio Primicerium pro tempore existentem Ecclesiæ S. Marci, *quæ inter alias* Venetiarum *Ecclesias notabilior existit, & in qua corpus S. Marci venerabiliter quiescit, in Pontificalibus Missas, & alia divina officia in certis anni festivitatibus celebrare consueſſe.*

Pontifex *ad ampliorem ipsius Ecclesiæ decorem, eum, & successores per amplius honorare volens, ut ille, & successores in ipsa Ecclesia, & extra cum Rocchetto, sive super indumento albis uti, illudque gestare valeant, indulget.*

D. Pistorii Id. Nov. P. a. I. a. D. 1409.

Possit dare benedictionem cum indulgentia in Missis Primicerius.

ALEXANDER V. Bartholomæo &c. XXI. lb.p.1692.

Inc. *Injunctum nobis, &c.*

HOc etiam privilegium dat Alexander Primicerio eidem, & successoribus, ut fideles ferventius divinis, quæ in illa Ecclesia peraguntur, interveniant,

Quotiescunque Missas & Officia in Pontificalibus celebrabunt, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, & in eadem Ecclesia tum præsentibus quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxare valeant. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Pistorii Id. Nov. P. a. I. a. D. 1409.

Primicerius possit benedicere etiam sine Pontificalibus.

JOANNES XXIII. Bartholomæo &c. XXII. lb.p.1674.

Inc. *Dum clara, &c.*

AD preces Primicerii, & Ducis Michaelis Steno, & ad majus ornamentum Ecclesiæ, & Primiceriorum indulget Joannes,

Ut Primicerii, quotiescunque divina officia in eadem Ecclesia eos celebrare contigerit, *Benedictionem solemnem etiam sine Pontificalibus insigniis super populum, dummodo in benedictionis hujusmodi datione aliquis Legatus S. Sedis, seu Episcopus, vel superior præsens non existat, elargiri valeant.* N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. R. apud S. Petrum V. Id. Maji P. a. II. a. D. 1412.

Primicerius possit dare tonsuram, & ordines minores.

ALEXANDER V. Bartholomæo &c. XXIII. lb.p.1675.

Inc. *Inter singulos, &c.*

HOc quoque privilegium dat Alexander Primiceriis, *Ut scholares in ipsa Ecclesia pro tempore beneficiandos ad hoc voluntarios duntaxat in forma Ecclesiæ consueta Clericali charactere insignire, ita tamen, quod proinde nihil detur, aut recipiatur, libere valeant, diœcesani loci, vel cujuscunque alterius licentia minime requisita.* N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Pistorii Id. Nov. P. a. I. a. D. 1409.

Privilegia data Primicerio.

CLEMENS VIII. Primicerio insignis Collegiatæ Sancti Marci. XXIV. ex Corn. d.13.p.1. p. 300.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

HÆc privilegia dat Clemens Primicerio, ut primam tonsuram, & quatuor ordines Minores Clerici eidem Ecclesiæ inservientibus conferre possit,

Possit uti mitra, baculo, & anulo, aliisque insigniis Pontificalibus in hac Ecclesia, & in aliis eidem subjectis;

Benedicere vasa, & paramenta sacra, modo sacra unctio non sit adhibenda, pro usu hujus Ecclesiæ tantum,

Benedicere populo, modo non adsit Legatus, vel Nuncius, vel alius Superior Prælatus. N. O.

D. R. apud S. Petrum Die VII. Nov. P. a. II. a. D. 1596.

Possit dare Primicerius litteras dimissoriales.

ALEXANDER VIII. ad p. r. m. XXV. lb.p.302.

Inc. *Ad Apostolicæ, &c.*

PRæter confirmationem relatorum privilegiorum, concedit Alexander Primicerio, ut possit dare litteras dimissoriales ad ordines majores Clericis illis, qui inserviunt huic Ecclesiæ, vel aliis huic subjectis, etiam extra tempora, & a quovis Episcopo accipiendos,

Deputare Confessarios in hac, & in aliis Ecclesiis huic subjectis. N. O.

D. R. apud S. M. Maj. Die VIII. Apr. P. a. I. a. D. 1690.

DE ECCLESIA CATHEDRALI.

Olivolenſis Eccleſiæ privilegia.

I. ex Ughello t. 5. p. 1217. LEO IX. Olivolenſi Eccleſiæ, & per eam Dominico Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus.

Inc. *Convenit Apoſtolico, &c.*

I. QUidquid legitime poſſidet, & quidquid canonice poſſeſſura eſt hæc Eccleſia, Dominico Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus Leo confirmat;

II. *Nullus Patriarcha, ſeu Comprovincialis, vel quilibet alius Epiſcopus in ipſa Diœceſi ſine conſenſu Epiſcopi ipſius confirmationes, conſecrationes Eccleſiarum, aut Clericorum, ſive ſanctimonialium, vel excommunicationes, ſeu abſolutiones, ſeu Synodum, niſi forte provincialem facere audeat;*

III. *Nec Clericos ipſius tam ab eo, quam a quocunque ordinatos quiſquam judicare, aut defendere contra eundem Epiſcopum canonice eos tractare volentem præſumat.*

Si quis, &c. Porro qui, &c.

Datum III. Idus Martii per manus Friderici Diac. S. Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarii, & Cancellarii Vice Domini Herimanni Archicancellarii, & Colonienſis Archiepiſcopi anno Domini Leonis IX. Papæ 5. Ind. 6. A. D. 1053.

Privilegia Olivolenſis, ſeu Caſtellanæ Eccleſiæ.

II. B. R. t. 2. p. 472. C. C. LUCIUS II. Joanni Epiſcopo Olivolenſi, ejuſque Succeſſoribus.

Inc. *Æquum & rationabile, &c.*

QUoniam Pontifex providere debet, ne jura Epiſcoporum uſurpentur, violenturque, ideo Epiſcopi Olivolenſis precibus inclinatus Lucius inhærens Sacris Canonibus hæc decernit;

I. Ut in Eccleſia Olivenſi, quæ & Caſtellana dicitur, vel in ejus Diœceſi nullus Patriarcha, nullus Comprovincialis Epiſcopus ſine licentia Epiſcopi Caſtellani Eccleſiarum, aut Clericorum, aut Sanctimonialium conſecrationes, ſeu benedictiones agere præſumat, nec poteſtatem habeat inibi Chriſma conficere, pueros confirmare, nec excommunicationes, aut abſolutiones facere;

II. In eadem parochia ſine voluntate Epiſcopi paſſim Epiſcoporum convocatio ne fiat, niſi Comprovincialis Concilii gratia; quod & ipſum cum Epiſcopi caritatis conſcientia diſponatur, nec ibidem nili pro graviore neceſſitate immorentur ultra terminos a canonibus conſtitutos.

III. Nullus eorum ſine licentia Epiſcopi audeat Venetos Clericos aut illic, aut alibi ordinare, vel retinere, neque de publicis criminibus pœnitentias indicere;

IV. Tam B. Marci Eccleſia, quam cæteræ Eccleſiæ, vel Eccleſiarum Clerici intra eandem parochiam ſub Epiſcopi obedientia, & diſpoſitione conſiſtant; inobedientes juxta Sanctorum Canonum Sanctiones Epiſcopi poteſtatis coerceantur arbitrio;

V. De Monaſteriis S. Ilarii, Georgii, Nicolai, S. Crucis, S. Zachariæ, S. Laurentii, S. Eraſmi, & Sancti Servuli eandem Epiſcopo obedientiam permanere ſancit Lucius, quam Epiſcopi prædeceſſores obtinuiſſe noſcuntur;

VI. Abbates in Caſtellana parochia, ſeu Diœceſi conſtituti publicas Miſſas in Eccleſiis non ſuis minime celebrare præſumant;

VII. Qui in Olivolenſi Diœceſi perpetuo commorantur, & quibus tam ipſis, quam eorum familiis ſpiritualia Epiſcopus miniſtrat, decimas illi abſque contradictione perſolvant;

VIII. Nullus Epiſcopus, nullus Abbas eis tam ſanis, quam infirmis publice pœnitentiam injungere, inconſulto Epiſcopo, niſi forte mortis urgente articulo audeat.

IX. Illi, ejuſque ſucceſſoribus omnia bona, poſſeſſiones, jura &c. in perpetuum, & intemerata permaneant, vult, ſalva in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate.

Si quis igitur, &c.

D. Later. per manum Baronis Capellani, & Scriptoris XII. Incarn. Dom. anno MCXLIV. Pontif. vero D. Lucii II. Pp. anno I.

Confirmatio eorundem Privilegiorum.

III. ex Corn. de Eccl. Ven. d. 16. p. poſt. p. 219. HADRIANUS IV. Joannni Olivolenſi Epiſcopo,

Inc. *Ex injuncto, &c.*

COnſonant hæ Hadriani litteræ cum ſuperioribus Lucii; nullumque novum privilegium continent; Sed tantummodo confirmant ea, quæ eidem Joanni, qui eorum privilegiorum confirmationem petiverat, dederat Lucius.

Solitæ formulæ pœnarum, præmiorumque.

Cardinales treſdecim poſt Pontificem diplomati ſe ſubſcribunt.

D. Beneventi per manum Rolandi S. R. E. Card. Presbyt., & Cancell. VIII. Cal. Februarii Indict. IV. Incarnationis Dominicæ anno MCLV. Pontificatus vero D. Hadriani Pp. IV. anno ſecundo.

Epiſcopus Caſtellanus in die Aſcenſionis recipiatur ab Abbate S. Nicolai de Littore.

IV. Ib. p. 221. CLEMENS III. Epiſcopo Caſtellano.

Inc. *Ea quæ, &c.*

LIs erat enata in ter Epiſcopum Caſtellanum ex una parte, & Abbatem, Monachoſque Monaſterii Sancti Nicolai de Littore. Volebat Epiſcopus in die Aſcenſionis Domini *ſuſcipi ab ipſo Abbate, & Fratribus in Miſſa majori, & ad proceſſionem, & ad refectionem præſtandam ſibi cum ſuis*; Renuebat hæc facere Abbas. Appellavit ad Pontificem Epiſcopus: Pontifex erat Urbanus III.

Hic delegavit Epiſcopos Equilenſem, & Torcellanum, qui rationibus hinc inde auditis rem totam deciderent.

Epiſcopo litem adjudicarunt; juſſuſque fuit Abbas in die Aſcenſionis venienti Epiſcopo cum ſuis Fratribus obviam ire, ei celebranti aſſiſtere, eum comitari, illi, ejuſque familiaribus refectionem dare.

Quam ſententiam idem Urbanus confirmavit.

Marcus Caſtellanus Epiſcopus a Clemente petiit ſententiæ prædictæ confirmationem.

Quam Clemens ad exemplar b. m. Urbani Pp. prædeceſſoris ſui confirmat.

Nulli erga, &c. Si quis, &c.

D. Laterani II. Cal. Nov. P. a. I. a. D. 1188.

„ Id confirmavit etiam Alexander III.

Leoni Procuratori Conſtantinopolitano mandatur, ut quaſdam decimas Epiſcopo Caſtellano ſolvi faciat.

V. Ib. p. 223. CÆLESTINUS III. Magiſtro Leoni Procuratori Conſtantinopolitano.

Inc. *Venerabilis Frater, &c.*

QUeſtus apud Pontificem Epiſcopus Caſtellanus fuerat, *quod decimationes, quæ ipſum, & ejus Eccleſiam de bonis, quæ fuerant Joannis Canalo-Lupi, de jure contingunt, eidem detinentur injuſte, & ipſis minus licite defraudentur.*

Nolens Pontifex hujuſmodi jurium læſionem præfato Leoni mandat, *quatenus heredes, & commiſſarios ejuſdem Defuncti ad debitam ſolutionem decimationum ipſarum Nuntio præfati Epiſcopi, cum requiſitus fuerit, faciendam, appellatione ceſſante, compellat.*

Etiam vult, & mandat, ut memorati Epiſcopi in omnibus juſtitiis ſuis, hoc eſt juribus, *& præcipue in decimis, quas ſui prædeceſſores hactenus habuerunt, & quæ ad ipſum, & ejus Eccleſiam rationabiliter pertinere noſcuntur, Apoſtolica auctoritate conſervet indemnem.*

Nullis litteris veritati, & juſtitiæ præjudicantibus a Sede Apoſtolica impetratis.

D. Laterani II. Id. Aug. P. a. VI. a. D. 1197.

Lau-

Laurentius Juſtinianus eligitur Epiſcopus Olivolenſis, ſeu Caſtellanus.

VI. Ex Ughello t. 5. p. 1230. EUGENIUS IV. Laurentio, &c.

Inc. *Quam primum, &c.*

SImul atque Eugenius audivit Eccleſiam Vicetinam vacare, Epiſcopum Caſtellanenſem ad eam promovit, ut Caſtellanenſem Epiſcopum Laurentium Juſtinianum inſtitueret.

Ejus doctrina, virtus, probitas, & cætera ornamenta nota erant Pontifici, & urbi.

Eum proinde hortatur, ut huic vocationi factæ a Deo pro Dei honore, ac animarum ſalute, & pro animæ ſuæ merito aſſentiri velit.

Non ignorat Pontifex, *quantum ſit valiturus verbo, auctoritate, & exemplo illi civitati.*

Auxilium, præſidiumque ſuum illi pollicetur Eugenius.

Quare obediat Laurentius; Epiſcopatum appetere non licet, ſed non licet vocato ad ipſum eum recuſare.

D. Romæ apud S. Petrum Die XI. Maji P. a. III. a. D. 1432.

Reſcripſit humillimus Laurentius Pontifici rogans, obteſtanſque, ut a tanto onere liberaretur; mœrorem ſuum illi ſignificat, horrorem etiam, ſe virtutes paſtore dignas non habere teſtatur, ſe poſt annos triginta in monaſterio (*erat Canonicus Congregationis S. Georgii de Alga*) converſatum aſſueſcere non poſſe generi vivendi omnino diverſo: non poſſe ſine gravi periculo intereſſe turbis, audire cauſas ſæcularium, converſationem cum iis habere.

Jubetur Laurentius parere.

VII. Ibid. p. 1291. EUGENIUS IV. Laurentio &c.

Inc. *Receptis litteris, &c.*

NOn ſolum ſcripſerat Eugenio Laurentius, ſed per Georgium Eremitam eum oraverat, ne hoc onus ſubiret.

Reſpondet Eugenius, ſe cum illum elegit Epiſcopum, conſuluiſſe patriæ communi, ex qua erat ipſe Eugenius (e gente Condulmera) conſuluiſſe merito majori ipſius Laurentii.

Nempe quia per annos triginta in monaſterio vixit, erit Epiſcopus bonus, cum virtutibus ornatus ibidem fuerit;

Habebit, licet in ſenium tendat, conſervos, habebit præſidium S. Sedis, auxilium Chriſti, cujus miniſterium ſuſcipit; laborandum eſt illi animo, non corpore,

Tota Caſtellanenſis Eccleſia eum Patrem, & paſtorem deſiderat.

Sumat ergo animum, & pro Chriſto, pro Deo hoc onus ſuſcipiat.

D. Deſunt notæ temporis.

Patriarchæ Venetiarum conceditur collatio minorum Beneficiorum non reſervatorum.

VIII. Ex Corn. d. 16. p. poſt. p. 400. CALLIXTUS III. Laurentio (*Juſtiniano*) Patriarchæ Venet.

Inc. *Sicut pro parte, &c.*

TAm de obſervata conſuetudine, *quam vigore ſpecialis commiſſionis Apoſtolicæ* Laurentio prædicto per Eugenium IV. conceſſæ Epiſcopi, Caſtellani, & ipſe Patriarcha beneficia minora non reſervata conferebant.

In Eccleſiis enim Venetis præter Plebanatus, *qui erant Apoſtolicæ Sedi generaliter reſervati, ſunt minora beneficia, presbyteralia, diaconalia, & ſubdiaconalia.* Hæc minora diſtribuebantur ab Epiſcopis pro tempore.

Verum quia, ſicut Callixtus acceperat, *erant nonnulli improbi, & ſcandaloſi Sacerdotes, & Clerici, qui Patriarchæ auctoritatem in his perturbare, & in hujuſmodi beneficiis Clericos per eum inſtitutos moleſtare non erubeſcebant cum detrimento Eccleſiarum, & beneficiatorum, & multo aliquanto ſcandalo Parochianorum,* jurisdictionem Ordinariorum pro tegere, & ſcandala auferre volens, *quæ temerarii Clerici* contra collationes, ſive inſtitutiones rite factas ſuſcitare nituntur *propter merita laudabilis vitæ,* quam Patriarcha ducebat, Apoſtolica auctoritate ex certa ſcientia facultatem Apoſtolicam Patriarchæ jam conceſſam confirmat, & omnes inſtitutiones eorum minorum beneficiorum ratas habet; & illi permittit, ut in vacantibus perſonas meritas inſtituat, quas collationes jam faciendas (tantum ejus probitati confidit) confirmat.

Dat illi *facultatem perturbatores, & contradictores in præmiſſis, prout illi viſum fuerit expedire, coercendi, & puniendi.* N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XII. Nov. P. a. I. a. D. 1455.

Facultas datur Patriarchæ procedendi in Clericos criminoſos, &c.

IX. Ex Jan. t. 4. p. 1825. ALEXANDER VI. Patriarchæ Venet. (*Antonio Suriano*)

Inc. *Cum intelligamus, &c.*

PResbyter *Franciſcus Venetus Pœnitentiarius Pontificius ob crimen læſæ majeſtatis contra ſtatum iſtius incliti Dominii captus fuerat, & ad forum Patriarchæ per Concilium Decem per illum puniendus remiſſus fuerat,* crimen jam confeſſus.

Nolens Alexander tantum crimen eſſe impunitum, mandat Patriarchæ, ut contra illum procedat, & quod juſtum fuerit, decernat,

Datque illi facultatem, *ut in poſterum contra omnes & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas in caſibus tantummodo crimen hujuſmodi læſæ majeſtatis ſapientibus procedere, eoſque punire poſſit, & valeat, juſtitia mediante.* N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXV. Janu. P. a. V. a. D. 1497.

Conſtitutiones ab Antonio Contareno Patriarcha editas Clerici obſervent: privilegia dantur Patriarchæ.

X. Ex Corn. d. 16. p. poſt. p. 393. CLEMENS VII. Antonio Patriarchæ Venetiarum.

Inc. *Dum iſtius, &c.*

MUlta decreta edita a ſuis prædeceſſoribus renovarat Antonius Contareno Patriarcha prudentiſſimus, & vigilantiſſimus; multaque ipſe fecerat, & illa, & hæc in unum corpus redegerat, *ut in Eccleſiis ſuæ diœceſis divinum officium devote celebraretur, ut Clerici in habitu, & tonſura juxta ſacrorum Canonum ordinationem incederent, ac in moribus ſe honeſte exhiberent, quodque divina officia debitis horis recitarentur, ut completorium ad plus circa horam vigeſimam quartam diei terminari deberet.*

Quidam tamen utriuſque Cleri *a certis annis citra cervices erigentes, & pro arbitrio laxatis habenis vivere volentes a dictis conſtitutionibus ad S. Sedem appellaverant,* ut appellationis ſuffragio, lite pendente, modo ſuo viverent.

Sed his auſibus obviam ire volens Clemens Motu proprio, & ex certa ſcientia dictas conſtitutiones confirmat, & omnes lites de iis motas & movendas ad ſe revocat, & penitus extinguit, & annullat;

Et Patriarchæ, ejuſque ſucceſſoribus committit, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandat, *ut conſtitutiones, & reformationes ejuſmodi, utpote laudabiles, & honeſtas in omnibus, & per omnia laudabiliter obſervari faciat, faciantque.*

Mandat, *ne Clericos in alio habitu, quam Clericali incedere, ac verſari permittat, quodque juxta ſtatuta Concilii Lateranenſis ultimo celebrati (ſub Leone X.) in omnibus, & per omnia eoſdem Clericos vivere mandet, & a concubinis, aliiſque ſuſpectis familiaritatibus, etiam ingreſſu monaſteriorum Monialium, abſtinere faciat, & contravenientes, prout juſtum fuerit, puniat.*

Vult, ut cujuſcunque ordinis Regulares faciat bonum exemplum dare populo, jubeat, ut omnibus diebus Dominicis; aliiſque feſtis aliquis eorum verbum Dei populo prædicet, & poſt veſperas aliquis etiam eorum lectionem in ſacra pagina legat, & omnia divina officia ante horam vigeſimam quartam diei compleantur.

Et ut Clerici docti evadant, mandet Patriarcha, ut in ſingulis urbis ſexteriis magiſter Grammatices inſti-

tuatur, qui eos doceat, cui detur merces de pecunia fabricarum Ecclesiarum, aut mansionariarum, aut provideatur de aliquo titulo Ecclesiastico pro tempore vacante in dictis Ecclesiis.

Et quia multi tam Clerici utriusque Cleri, quam laici gravia crimina patrant, & *cum monialibus in monasteriis earum turpissime versantur*, & veniam consequuntur a confessoribus eos casus absolvendi potestatem habentibus, vel a S. Sede, vel a legatis facultatem habent eligendi sibi confessarios, has omnes facultates cassat, & annullat Clemens.

Et ne ignorantia horum decretorum prætendatur, vult Pontifex, ut decreta hæc, & statuta Concilii Lateranensis de vita, & honestate Clericorum singulis annis convocato Clero publicentur.

Et ut hæc omnia executioni mandentur, dat facultatem Patriarchæ Clemens rebelles, & contradictores puniendi, privandi beneficiis, si qua habent, quorum collationem sibi reservat, reddendi inhabiles ad ea consequenda, si non habent, *cogendi, compellendi, incarcerandi, ac Synodos, cum opportunam duxerit, celebrandi*, & invocandi brachii sæcularis auxilium. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die V. Maji P. a. I. a. D. 1524.

Hieronymo Quirino electo Patriarchæ datur facultas disponendi de redditibus suæ Ecclesiæ ad annos duos etiam si obierit.

XI. Ib. p. 309. CLEMENS VII. Hieronymo Quirino electo Venet.

Inc. *Cum nuper*, &c.

DE hoc patriarchatu provisus fuerat Hieronymus Quirino ex ordine Prædicatorum, quem fuerat professus; pro Bullis cum multum esset solvendum; præterea cum alias expensas facere deberet, significavit Clementi, facultates suas iis expensis non suppetere.

Pontifex ne diu Ecclesia pastoris sui solatio privaretur, illi permittit, ut de fructibus ejusdem Ecclesiæ per biennium tantum cum personis vel laicis, vel clericis conveniat, & ab iis pro meliori conditione pecuniam numeratam accipiat, qua jura Cameræ Apostolicæ solvat.

Et ut facilius numeratam pecuniam reperire possit, vult, ut etiamsi moriatur, qui pecuniam dederunt, per illud biennium redditus Patriarchalis Ecclesiæ percipiant; neque hoc iis denegetur a successore in beneficium, cui tanquam indicta illi hæc facultas fuisset, hoc observandum Clemens præcipit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die X. Febr. P. a. II. a. D. 1525.

Dirimuntur controversiæ inter Patriarcham, & Clerum, & ad mansuetudinem excitatur Patriarcha.

XII. Ib. p. 315. CLEMENS VII. Hieronymo Quirino Patriarchæ.

Inc. *Postquam per alias*, &c.

PEr alias litteras facultatem dederat Clemens Patriarchæ, ut contra omnes, & singulos suæ jurisdictioni subjectos procederet, *qui contra Ecclesiasticam libertatem aliquid vel per se vel alium, vel altos tractassent, aut procurassent aut commisissent*, eosque puniret; & vivæ vocis oraculo ei concesserat, ut eosdem absolvere posset;

Etiam ad supplicationem Ducis, & Dominii litteras ad perpetuam rei memoriam dederat Clemens, *per quas omnes differentiæ, quæ super electionibus, & præsentationibus ad beneficia Ecclesiastica* Venetiis natæ erant, tollebantur; *ac duo Plebani præmissorum occasione Bononiæ coram locumtenente Auditoris Cameræ instante Procuratore Fiscali arrestati inquisiti, tanquam innocentes ab eodem locumtenente absoluti fuerant.*

Satius ergo ducit Pontifex *hoc calamitoso tempore pro ipsius Patriarchæ, & civitatis quiete viam mansuetudinis potius sequi, quam severitatis.*

Facultatem igitur Patriarchæ datam litteris primis puniendi &c. illi adimit.

D. Romæ apud S. Petrum Die VIII. Janu. P. a. VIII. a. D. 1531.

Nuncio Apostolico Venetiis residenti mandatur ut cum Patriarcha magna animorum concordia e gerat.

PAULUS IV. Nuncio A. XIII. Ib. p. 331.

Inc. *Meminimus*, &c.

MEminerat Paulus IV. cum erat in minoribus, & Venetiis etiam Præpositus primus Clericorum Regularium Theatinorum erat, inter Patriarcham Hieronymum Quirinum, *virum optimum, permulta religione, ac pietate præditum, & Nuncium Apostolicum controversias de jurisdictione sæpe fuisse exortas, ita ut Patriarcha interdum potius de civitate, quam ullo pacto de jure suo discederet.*

Quod sane non sine nota ipsius civitatis, & Pontificis tunc viventis accidebat; videbatur enim nullum his malis remedium ponere; & *quamquam id aliqua ex parte tam Patriarchæ, quam Nuncio tribuebatur, de ministris tamen Nuncii nonnihil dubitabatur, qui nulla prava industria, sed ipsorum tribunalium inveterata quadam consuetudine, dum rem facerent, non considerabant, & quidquid fere Patriarcha instituisset, Nuncii auctoritate destituebant.*

Hinc religiosi utriusque Cleri in discordia hac suorum judicum arbitratu suo vivebant, scandaloque populo erant.

Etiam dum Paulus Venetiis aberat, multas audiit ejusmodi discordias.

Cum igitur ipse Pontifex cognosceret Vincentii Dedo Patriarchæ *probitatem, doctrinam, prudentiam, animi dotes, & virtutis divitias*, quæ illum dignissimum tanto munere reddiderunt, sui muneris esse ducit, præcavere, ne huic accidant, quæ Quirino Patriarchæ evenerant.

Hortatur igitur, & monet Nuncium suum, ut cum pace, caritate, & concordia cum Patriarcha se gerat, illudque in mente habeat, tam se, quam Patriarcham in unum finem tendere, nempe in Dei gloriam, in animarum salutem. Ne igitur alter diruat, quod unus ædificavit.

Quod si quædam sunt, quæ huic concordiæ obstare possint, Nuncius certiorem Pontificem faciat, qui modum pacis constituendæ inveniet.

D. Romæ apud S. Petrum pridie Cal. Mart. P. a. I. a. D. 1556.

Patriarchæ Joanni Trivisano permittitur retinere in Commendam Abbatiam S. Cypriani.

PIUS IV. Joanni electo Venetiarum &c. XIV. Ex Corn. de Eccl. Torcel. p. 3. p. 301.

Inc. *Personam tuam*, &c.

UT *statum suum juxta Patriarchalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeat* Joannes Trivisano electus Venetiarum Patriarcha, *de alicujus subventionis auxilio vult illi providere Pius;*

Tantoque promptius hoc facit, quia ita ejusdem Joannis merita exigunt; ejusque virtutes recensct.

Ergo eum absolutum a censuris, *si quibus innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, & absolutum fore censens, motu proprio, non ad alicujus oblatæ pro illo petitionis instantiam*, etiamsi munus consecrationis acceperit, prædictum monasterium simul cum Patriarchatu retinere posse concedit; *debitis, & consuetis ipsius monasterii, & filiorum illius conventus supportatis oneribus, quarta* redditumn, si mensa Abbatialis sit separata a Conventuali; si vero unita, & communis, parte tertia in restaurationem fabricæ, in eleemosynas insumenda; alienatio tamen quæcunque monasterii bonorum immobilium, & pretiosorum illi interdicitur; de residuis vero possit licite, & libere disponere fructibus, & redditibus, N. O.

Monachorum numerus in monasterio non minuatur, neque numerus ministrorum.

Nulli ergo, &c. *Si quis*, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XVI. Cal. Mart. P. a. I. a. D. 1560.

Facul-

Facultas datur Joanni Trivisano Patriarchæ Abbati Commendatario S. Cypriani deferre habitum Episcoporum sæcularium.

XV. Ib. p. 333. PIUS IV. Joanni Patriarchæ Venet.

Inc. *Devotionis tuæ*, &c.

ECclesiæ huic præfectus fuerat Joannes Trivisano Abbas Commendatarius Monasterii S. Cypriani de Murano Torcellanæ diœcesis ordinis S. Benedicti, quam Commendam tenere simul cum Patriarchatu dispensatus a Pontifice fuerat.

Ut decentius in sæculo versetur, & sine deformitate inter Canonicos hujus Ecclesiæ, ac dignitates in ea obtinentes deeat, illi permittit, *ut habitum, Rocchettum, & alia insignia Patriarcharum, seu Episcoporum sæcularium ad eorum instar in omnibus, & per omnia, quo ad vixerit, ubique locorum publice absque alicujus censuræ, seu pœnæ Ecclesiasticæ incursu, aut apostasiæ reatu deferre, & gestare libere, & licite valeat.* N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Mart. P. a. I. a. D. 1560.

Confirmantur omnia Patriarchatus privilegia.

XVI. Ib. p. 335. PIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Pastoralis officii*, &c.

PApa Nicolaus V. (v. Ecclesiam Gradensem), *considerans quanta esset dignitas, & magnitudo Reip. Venetorum quantaque populi multitudo, quantus civium ornatus, & amplitudo, quantaque illius Dominii magnificentia existeret, advertens quoque animum ad eorum singularem erga eum, & Romanam Ecclesiam devotionem*, videns etiam, civitatem Gradensem esse desertam, longeque melius Patriarchatum futurum Venetiis, & omnia suorum prædecessorum Episcopatui Castellano privilegia confirmavit, & privilegia Ecclesiæ Gradensis una cum Patriarchatu ad hanc transtulit Ecclesiam.

Patriarchæ Gradensi data fuerat facultas Crucem ante se ferendi *non tamen Romæ, aut in præsentia, seu comitatu Romani Pontificis*;

Jura metropolitica Ecclesiæ Gradensi confirmata fuerant super Cathedrales 1. Castellanam, 2. Torcellanam, 3. Methamaucensem, 4. Equilensem, 5. Caprulensem, 6. Civitatis Novæ, 7. Veglensem, 8. Arbensem, 9. Auserensem. Quæ jura metropolitica reciderunt una cum Patriarchatu in Venetam Ecclesiam.

Joannes Priolus Dux per Hieronymum Superantium Oratorem apud S. Sedem supplicavit Pontifici, ut hæc privilegia confirmaret.

Pius ergo suscipiens *sub sua, & B. Petri protectione denuo* hanc Ecclesiam omnibus prædictis privilegiis eam ornatam esse vult, ita ut si aliquod eorum vel ignoranter, vel dolose violatum fuerit, nullum illi afferatur præjudicium.

Atque ita ab omnibus judicari decernit. N. O.

Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum Non. Aug. P. a. II. a. D. 1562.

Abbatia S. Cypriani de Murano unitur Patriarchatui, & declaratur, familiam Gradonico in eam nullum jus habere.

XVII. Ex Corn. de Eccl. Torcell. p. 3. p. 305. SIXTUS V. Venetiarum Patriarchæ, Torcellano, & Patavino Episcopis, M. P.

Inc. *Nuper cum*, &c.

NArrat Pontifex prædictis prælatis, quomodo Joannes Trivisano obtinuerit a Pio IV. facultatem retinendi simul cum Patriarchatu etiam Monasterium S. Cypriani illi commendatum, ut decentius dignitatem illam sustineret; & quomodo in favorem Joannis Emi pensio quædam centum ducatorum auri de Camera fuerit super fructibus ejusdem monasterii imposita, quoniam ipse Joannes intendebat cedere regimini ejusdem monasterii in favorem ejusdem Emi;

Et quomodo Paulus, & Vincentius Gradonici Nobiles Veneti Filii qu. Petri Dominici libellum supplicem Pontifici porrexerunt, asserentes jus Patronatus, & præsentandi, seu nominandi personam idoneam ad dictum monasterium ad ipsos, suosque successores pertinere; qui audientes, velle Patriarcham Joannem cedere in favorem Nepotis sui Emi, cessioni semet opposuerant.

Volens Pontifex certior fieri de omnibus, vidensque redditus Patriarchatus non esse ita magnos, ut pro dignitate Patriarchæ se gerere possint, animadvertensque, se rem gratam facturum Duci, & Dominio, *quorum inveteratum erga Pontificem, & sedem Apostolicam devotionis, & reverentiæ studium grati animi propensione Sixtus complectitur*, motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ auctoritatis plenitudine juspatronatus hujus monasterii Paulo, & Vincentio Gradonicis Fratribus, eorumque posteris, & suæ familiæ minime competisse, aut competere declarat, illudque penitus, & omnino supprimit, & extinguit, & abrogat;

Et quia ipsius Patriarchæ assensus accedit, Ecclesiam, sive Capellam S. Margaritæ Paduanæ diœcesis sine cura unitam ipsi monasterio ab eodem monasterio separat, eamdemque Ecclesiam in prioratum sæcularem erigit pro uno clerico sæculari futuro ibidem Priore, qui in ipso prioratu, seu Ecclesia singulis diebus dominicis, & festis Missam celebret, vel celebrari faciat per quemcumque presbyterum sæcularem approbandum ab Ordinario, vel regularem de licentia sui superioris; & prioratus dotem colligendam e redditibus, & emolumentis separatis a bonis monasterii; quæ tamen vivente Patriarcha separatio fieri non possit, sed tantummodo post ejus cessum, vel decessum.

E bonis etiam monasterii separatos vult ducatos mille in favorem Joannis Emi, & Jacobi Prioli, & aliorum, qui pensionibus super hoc monasterio gaudent.

Quod si prædicta summa e bonis separatis monasterii non redibit, Nuntius Apostolicus residens Venetiis tot bona e monasterio separet, quot requirentur ad eam summam conficiendam.

Dignitatem autem Abbatialem unit perpetuo mensæ Patriarchali, ita ut Patriarcha pro tempore jus habeat nominandi ad Ecclesias cum cura, & sine cura dependentes a monasterio, percipiendi fructus, locum primum in Choro tenendi, in Capitulo, in Conventu, in actis publicis, privatisque, denum omnibus juribus, quibus Abbates solent gaudere, perfruendi.

Iterum declarat Sixtus nullum juspatronatus aut competisse, aut competere Familiæ Gradonicæ in hoc monasterium; *tamen ob singularem in illud munificentiam, & præclara merita volens singularibus favoribus prosequi Paulo, & Vincentio, quoad vixerint, ejusque successoribus, & descendentibus in perpetuum* dat juspatronatus, seu jus præsentandi, seu nominandi perionam idoneam ad prioratum S. Margaritæ ab hac prima vice, quomodocumque illa Ecclesia vacaverit, vel per cessum, vel per decessum, vel per resignationem, quocumque tempore vacaverit vel mensibus Ordinario, vel S. Sedi reservatis, ita ut nullæ exceptiones, neque pro Cardinalibus illud tollere possint, sed semper sit, & censeatur juspatronatus laicorum Nobilium.

Hoc tamen jure uti Fratres Gradonici non possint, nisi post mortem Joannis Patriarchæ.

Omnes autem resignationes faciendæ a prioribus in favorem cujuscumque personæ censeantur nullæ, irrita censeantur omnia acta, nisi assensus prædictorum Patronorum accesserit.

Tum assignat Pontifex pensionem Joanni Emo, & Jacobo Priolo in octavo ætatis anno constituto nepotibus respective ejusdem Joannis Patriarchæ *ducatorum mille de camera novorum* utrique annuatim super bonis monasterii sine onere decimarum, subventionum ordinario, & extraordinario, neque imponendarum titulo caritativo; quod si fructus Monasterii tantumdem non reddant, teneatur Patriarcha de suo ære eas pensiones solvere; ita ut nisi solvantur vel ipsis, vel eorum procuratoribus, actio in commendatarium iis competat.

Et hæ quidem pensiones solvantur, quamvis unio monasterii facta dissolvatur, quamvis cum alio beneficio uniatur. N. O.

Fiat motu proprio F.

D. Romæ apud S. Petrum Idib. Mart. P. a. III. a. D. 1587.

Monasterium SS. Cornelii, & Cypriani de Murano unitur mensæ Patriarchali.

XVIII. B.R. t.4. p. 4. p. 398. C.C. SIXTUS V. Episcopis Veronensi, & Vicentino, & Primicerio Ecclesiæ S. Marci Venetiarum.

Inc. *Hodie a nobis, &c.*

UT Venetiarum Patriarchæ habeant, quo decentius Patriarchalem dignitatem sustineant, annectit in perpetuum Sixtus Patriarchatui Monasterium SS. Cornelii, & Cypriani de Murano Ordinis S. Benedicti, quæ erat jam Abbatia commendatitia, omnes priorato, & præposituras, Ecclesiasque cum cura animarum, & sine cura ab Abbatia dependentes;

Ita tamen, ut Patriarcha pro tempore adimplere faciat onera Abbatiæ annexa.

Paulus autem, & Vincentius Gradonici q. Petri Dominici Filii Patritii Veneti jactantes hujus Abbatiæ jusPatronatus, huic annexioni sese opposuerunt.

Voluit edoceri Sixtus, examinatisque monumentis omnibus, declaravit, nullum jus nominandi ad hanc Abbatiam competere præfatis Nobilibus.

Prædicti Episcopi, & Primicerius deputantur executores, itaut in realem possessionem Abbatiæ, ejus honorum, jurium, pertinentiarum, &c. Patriarcham vel per se, vel per ejus procuratorem inducant. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Marcum P. a. III. a. D. 1588.

„ Nunc in eo Monasterium est Seminarium Patriarchale curæ Clericorum Regularium Congregationis „ de Somascha commissum. „

Jubetur Patriarcha visitare suam Diœcesim.

XIX. B.R. t.5. p. 1. p. 345. C.C. Ex Corn. D.16. pr. part. p. 337. CLEMENS VIII. Patriarchæ Venetiarum.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

ACceperat Pontifex *non sine magno animi sui dolore temporum injuria, & quorumdam etiam, qui Dei timore posthabito, ac proprii instituti immemores a recto sacrorum Canonum, & receptarum constitutionum tramite deviaverant, opera multos in hanc Ecclesiam abusus irrepsisse.*

Cupiens igitur Pontifex his malis mederi in Domino Patriarchatu hortatur, & paterne monet, ut qua pollet prudentia, & dexteritate *auctoritate ordinaria, nec non facultate a Concilio Tridentino attributa omnes civitatis, & diœcesis subditos tam sæculares, quam cujusvis ordinis regulares, eorum Ecclesias, monasteria, & loca pia tam in capite, quam in membris visitet, eosque tam ex juris communis, quam ex dicti Concilii Tridentini præscripto, Apostolicarumve, & Synodalium constitutionum norma corrigat, & ad honestam vitam, regularemque observantiam reducat.*

Quod si Patriarcha opportunum crediderit Synodum convocare, eam cogat, & ad faciendas in ea constitutiones vitam Clericorum conformet.

Testatur Clemens se approbaturum quidquid Patriarcha aget pro suæ civitatis, diœcesisque clericorum sæcularium, & regularium regimine.

Hortatur demum omnes ejus suffraganeos, subditosque, & in virtute sanctæ obedientiæ iis præcipit, ut Patriarchæ in tam bono opere assistant. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XXV. Apr. P. a. I. a. D. 1592.

Aloysius Foscari a Duce, & a Dominio electus instituitur Patriarchæ Venetiarum.

XX. Ib.p.349. BENEDICTUS XIV. Aloysio Foscari electo, &c.

Inc. *Onerosa pastoralis, &c.*

OMnes Ecclesiæ curæ esse debent Pontifici, sed præcipue insigniores, inter quas procul dubio est Patriarchalis Veneta.

Ergo cum intellexisset Benedictus per obitum F. Antonii Corrarii Patriarchæ hanc Ecclesiam vacare, statim intendit animum, ut illi præficeret virum probum, & religiosum.

Talem invenit esse Aloysium Foscari *de legitimo matrimonio ex Catholicis Nobilibus parentibus in civitate Venetiarum ortum, in sexagesimo, & ultra ætatis suæ anno, & in sacro presbyteratus ordine a pluribus annis constitutum, juris utriusque Doctorem, quem Dux, & Dominium Venetiarum vigore privilegii Apostolici, cui non est hactenus in aliquo derogatum, Pontifici ad hoc per suas litteras præsentarunt.*

Jam de ejus scientia, probitate, religionis zelo certior factus Pontifex, de fratrum suorum consilio de Ecclesia Veneta illi providet, illique eum præficit, confiditque ejus regimen utile & fructuosum illi Ecclesiæ futurum.

Eum hortatur ad capessendam hanc provinciam strenue, impigreque sustinendam; quod faciet si retributionis a Deo faciendæ memoriam semper habebit.

Vult ut fidei professionem edat juxta formulam missam in Nuntii A. vel Episcopi Torcellani manibus, eamque subscriptam ab ipso, & ab iis Episcopis Romam mittat intra præfixum tempus.

Vult, ut curet erigi Montem pietatis Venetiis.

Vacantem declarat Canonicatum, & præbendam in Ecclesia Patavina, quod beneficium habebat Patriarcha.

D. Romæ apud S. M. Maj. V. Non. Jul. P. a. I. a. D. 1741.

DE CANONICIS, ET ECCLESIA.

Reductio Canonicatuum confirmatur.

JOANNES XXII. Aymerico Archiepiscopo Ravennati. I. Ex Corn. D.16. pr. par.p.251.

Inc. *Nuper ex parte, &c.*

VIginti duo erant Canonicatus in hac Ecclesia *computatis Archidiaconatu, Archipresbyteratu, & Primoceriatu.*

Sed eorum redditus erant ita exigui, ut nescirent Canonici quo viverent, eranteque hi Canonicatus incommodo, & oneri potius.

Ergo decreverunt Canonici eos redigere ad numerum duodenarium, comprehensis etiam præfatis dignitatibus, suppressorumque Canonicatuum redditus dividere inter hos duodecim. Episcopus Castellanus reductionem confirmavit.

Tum Canonici supplicarunt Pontifici, ut eam reductionem Apostolica auctoritate muniret.

Joannes, qui de præmissis certam notitiam non habet, mandat præfato Archiepiscopo, ut videat, an ita exiguæ essent præbendæ canonicatuum; & si eas fuisse ejusmodi reperiet, Apostolica auctoritate eum duodenarium numerum confirmet.

Contradictoresque per censuram Ecclesiasticam compescat.

D. Avenione Non. Junii P. a. IX. a. D. 1325.

Ecclesia S. Joannis de Rivoalto, & alia beneficia uniuntur huic Ecclesiæ.

EUGENIUS IV. ad p. r. m. II. Ib.p.257.

Inc. *Injunctum nobis, &c.*

ACceperat Eugenius in Ecclesia Castellana esse novem Canonicatus, & totidem præbendas præter tres dignitates, quorum, & quarum redditum tenuitas effecerat, *ut in divinorum exhibitione plurimum neglecta remanserit, & quod modernis temporibus ultra quatuor ad plus e Canonicis, & dignitates obtinentibus apud eam non residerent, quodque reliqui eorumdem, illa quasi derelicta in aliis suis Ecclesiis, seu plebaniis morari trahant.*

Hanc ergo consuetudinem eidem Ecclesiæ damnosam videns Eugenius, volensque personas illi addictas perpetuo in ea deservire, cupiensque inservientium numerum augere motu proprio, & ex certa scientia *sex perpetua officia, quæ subcanonicatus nuncupari vult pro totidem Ecclesiasticis personis ad illa idoneis, necnon unum perpetuum Collegium duodecim pauperum clericorum, ac pro eis totidem loca, necnon unum in Grammatica, & alium in cantu Magistros in hac Ecclesia instituit.*

I. Vult ut infra annum obtinentes hos novos canonicatus, & præbendas se ordinare faciant.

II. Etiam

II. Etiam jubet, ut nemo qui aliud beneficium præsentiam, & residentiam requirens, ut est plebanatus, Canonicatus in Ecclesia S. Marci habet possit esse simul Canonicus Castellanus, sed ultra mensem Canonicatum tenere non valeat, & illum dimittat.

III. Mandat ut omnes proventus provenientes e canonicatibus, præbendis, decimis, oblationibus, funeribus, cera, &c. una massa fiat, & distribuantur inter Archidiaconum, Archipresbyterum, Primicerium, Canonicos, & subcanonicos pro tempore existentes, & personaliter residentes, ac divinis officiis interessentes juxta ordinationes a D. Laurentio (Justiniano) statutas; non interessentes iis fructibus careant.

IV. *Episcopus Castellanus pro tempore existens in omnibus, & singulis Dominicis, ac B. Mariæ, necnon Apostolorum omnium, & aliarum solemnium festivitatum diebus Missis majoribus in ipsa Castellana Ecclesia personaliter intersit.*

V. *Canonici, & Subcanonici tam in præfatis, quam in aliis festivis duplicibus, ac quadragesimalibus, nec non in magnorum anniversariorum, & exequiarum diebus hujusmodi majores missas cum Diacono, & Subdiacono, Dalmatica, & Tunicella tunc indutis per seipsos perpetuo celebrare teneantur.*

VI. Canonici hujus Ecclesiæ in processionibus, in conventionibus publicis, & in quibusvis actibus publicis omnibus, & singulis Ecclesiasticis Ecclesiarum Venetarum etiam plebanis præferantur; *Subcanonici, qui etiam almutias pellibus schiriolinis fœderatas gestare possint, eisdem Canonicis duntaxat exceptis, Mansionariis, ac aliis omnibus, & singulis personis Castellanæ Ecclesiæ præponantur:* Magistri præferantur Mansionariis, *Archidiaconus Vicario in spiritualibus Generali in Episcopi præsentia duntaxat in choro dictæ Castellanæ Ecclesiæ præponatur.*

VII. Collatio, & provisio omnium, & singulorum sex officiorum, & provisio Clericorum Magistrorum pro hac prima vice ad Episcopum Laurentium spectet, & successive, quoties quocunque modo ea vacaverint Canonicorum, & Subcanonicorum electio ad Capitulum pertineat; confirmatio vero electionum semper ad Episcopum; deputatio Clericorum, & Magistrorum ad Episcopum pro tempore, & Capitulum simul libere spectet.

VIII. Nullus possit habere aliquod officium in hac Ecclesia, nisi sit de civitate, & Diœcesi Castellana, seu Torcellana, vel Clugiensi oriundus.

IX. Canonicatus non possint conferri nisi Subcanonicis.

X. Magistri, & Clerici singulis diebus missis majoribus, & horis Canonicis perpetuo intersint; & ipsi Clerici superpelliceis induti, ac bini per ordinem missis interviant.

XI. Procuratores Fabricæ Ecclesiæ redditus ad Collegium puerorum, & ad eorum mensam, & ad eorum Magistros spectantes juxta statuta ab Episcopo Laurentio colligant, & persolvant.

XII. Nullus in Collegium admittatur, nisi octavum ætatis suæ annum tetigerit; nec post annum decimum quintum in eo remanere possit.

XIII. Magistri ad alia quam ad Clericorum institutionem, & Missarum, & divinorum celebrationem intendere non valeant.

XIV. Statuit Eugenius, decernit, declarat, ne quisquam in dignitate Ecclesiastica Venetiis constitutus, aut beneficium habens hos Canonicos præcedere audeat.

XV. Pro dote, & substentatione Clericorum assignat Pontifex plebanatum plebis S. Joannis Eleemosynarii, qui parvam animarum curam habet, cujus redditus sunt sexaginta duc. & unum ex tribus beneficiis Presbyteralibus in dicta plebe primo vacaturis, quorum cujuslibet viginti duorum, ac etiam Ecclesiam S. Marci Bochalame in suis structuris & ædificiis penitus diruptam, ac etiam S. Jacobi de Rivoalto sine cura, quarum reditus sunt nonaginta ducatorum auri de Venetiis; & hæ omnes Ecclesiæ cum suis bonis, & juribus uniantur Collegio Clericorum, eorumque mensæ.

XVI. Confirmat statuta edita ab Episcopo Laurentio circa onera Missarum, celebrationem divinorum faciendam per Archidiaconum, Archipresbyterum, & Primicerium; eique dat facultatem nova statuta condendi, addendi, mutandi &c.

XVII. Quæ ab omnibus observari jubet. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Florentiæ IV. Cal. Jan. P. a. XI. a. D. 1401.

Prædictarum litterarum executores deputantur.

EUGENIUS IV. Paduanensi, & Tarvisiensi Episcopis, & Primicerio Ecclesiæ S. Marci. III. Ibid.

Inc. *Dudum nostræ, &c.*

PRæfatis Episcopis significatis proxime præcedentibus litteris, mandat iisdem, ut prædictarum litterarum executionem procurent,

Efficiantque ut omnia & singula ab Episcopo, Capitulo, personis supradictis firmiter observentur percensuram Ecclesiasticam, & alia juris remedia.

Contradictores coerceant &c. N. O.

D. Florentiæ VI. Id. Oct. P. a. XII. a. D. 1402.

Confirmatur Eugenii constitutio.

CALLIXTUS III. ad p. r. m. IV. Ib p.262.

Inc. *Inter multiplices, &c.*

PAtriarcha Laurentius Justinianus, & Canonici, & Capitulum videntes in Dei honorem, & in decus magnum hujus Ecclesiæ redundare, quæ decreverat Eugenius IV. supplicarunt Pontifici, ut Eugenianam constitutionem confirmaret.

Callixtus eam confirmat, perpetuoque eam observari mandat. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum VI. Cal. Jul. P. a. I. a. D. 1455.

Facta dissolutione Ecclesiæ S. Joannis Eleemosynarii ab hac Ecclesia, alia beneficia Ecclesiastica huic uniuntur.

INNOCENTIUS VIII. ad p. r. m. V. Ib.p.264.

Inc. *Injunctum nobis, &c.*

JAm dissolutionem annexionis Ecclesiæ S. Joannis de Rivoalto factæ ab Eugenio IV. huic Ecclesiæ Innocentius dissolverat. (*vide Bullam in titulo de Ecclesiis minoribus n. XX.*)

Ut tamen provideatur Collegio, & mensæ Clericorum, tria beneficia Ecclesiastica sine cura in Dominio Veneto Augustini Barbadico Ducis consensu, quorum fructus annuus est ducentorum Florenorum auri de Camera cum omnibus bonis, juribus, pertinentiis perpetuo illi unit, & annectit Pontifex.

Quare liceat dicto Collegio eorum possessionem capere, eorumque redditus in suos usus convertere. N. O.

Vult, ut si Collegium prædictum aliquod Ecclesiasticum beneficium dispositione Apostolica generaliter reservatum consequetur, cujus proventus sint viginti quatuor Florenorum, jura Cameræ A. solvat.

Nulli ergo &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Maji P. a. IV. a. D. 1488.

Confirmatio privilegii Canonicorum, ut ipsi possint eligere Canonicos.

ALEXANDER VI. Patriarchæ Venetiarum. VI. Ib p.367.

Inc. *Vacantibus nuper, &c.*

CAnonici, & Capitulum in cujusdam Canonici demortui locum alium e subcanonicis magis idoneum elegerunt, quem confirmavit Patriarcha.

Dux supplicavit Pontifici ut sic electum Canonicum, & confirmatum confirmaret & ipse.

Quem confirmat Alexander;

Mandatque simul Patriarchæ, ut hoc jus ab Eugenio IV. concessum, confirmatumque a Callixto III. Canonicis, & Capitulo & consuetudine inveteratum eligendi Canonicos e Subcanonicis contra quoscunque tueatur,

Contradictores per censuras Ecclesiasticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione posthabita compescendo.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Jul. P. a. I. a. D. 1493.

Duode-

Duodecim Plebani possint assumi in Canonicos.

VII. Lib.p.278. ALEXANDER VI. Archiepiscopo Corinthiensi, Episcopo Philadelphiæ, & Archipresbytero S. Mariæ Bassani Vicentinæ Diœcesis Venetiis commorantibus.

Inc. *Apostolicæ Sedis, &c.*

ANimadvertentes Canonici hujus Ecclesiæ pro Patriarchali ejus dignitate, non satis dignum, & honorificum præberi in ea servitium, cum duodecim tantum essent canonicatus, totidem præbendæ, comprehensis tribus dignitatibus Canonicalibus, & Collegium duodecim Clericorum cum Magistris duobus uno cantus, altero grammatices, neque posse numerum augeri propter reddituum tenuitatem, supplicarunt Pontifici, ut decerneret,

Ut possent assumi duodecim Plebani Ecclesiarum urbis in Canonicos sine spe consequendæ nullo unquam tempore præbendæ; ut ii interesse deberent processionibus, & majoribus solemnitatibus; ita divinum servitium futurum augustius;

Pro installatione autem deberent offerre super altare majus pro prima vice decem ducatos aureos pro confectione unius pulchræ crucis in processionibus deferendæ, & aliorum ornamentorum;

Ex hac tamen admissione duodecim Plebanorum in Canonicos Castellanos, nullum præjudicium afferri debeat fructibus & juribus primodictorum Canonicorum,

Deputat Alexander præfatos Archiepiscopum &c. ut hæc omnia peragi curent, de quibus supplicaverant Canonici, modo ea sic se habere repererint. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Prid. Id. Apr. P. a. X. a. D. 1502.

Confirmatio privilegiorum Patriarchatus, & Ecclesiæ.

VIII. Lib.p.282. JULIUS II. Patriarchæ, & Capitulo Venet.

Inc. *Cum a nobis, &c.*

ET Patriarcha, & Canonici supplicarunt Pontifici, ut Patriarchatus, & Cathedralis concessa a prædecessoribus Pontificibus privilegia confirmaret.

Quibus *postulationibus grato concurrens* Julius *assensu omnes libertates*, & immunitates, privilegia, indulta data Patriarchæ, Canonicis, & Ecclesiæ a Pontificibus, regibus, principibus, & Christifidelibus, sicut juste possident, Apostolica auctoritate confirmat.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Id. Febr. P. a. X. a. D. 1512.

Indulgentia conceditur visitantibus hanc Ecclesiam.

IX. Lib.p.54. BONIFACIUS IX. Universis Christifidelibus.

Inc. *Cum ad promerenda, &c.*

IN singulis festivitatibus S. Petri Apostoli (cui dicata est Ecclesia hæc) & per octo dies immediate sequentes, & in die anniversario ejus dedicationis eam visitantibus devote &c. Bonifacius concedit annum unum, & quadraginta dies indulgentiæ de injunctis pœnitentiis &c.

Idque facit, quia hanc Ecclesiam *congruis honoribus frequentari cupit*.

D. Anagniæ Idib. Aug. P. a. I. a. D. 1390.

Patriarchæ Andreæ Bondumerio detur facultas vendendi domum, & Capellam cum onere aliam Capellam ædificandi.

X. Lib.p.272. PIUS II. Episcopo Clugiensi, & Plebano S. Benedicti Venetiis.

Inc. *Ex injuncto, &c.*

IN contrata S. Silvestri Venetiarum erat quædam domus *Patriarchatus* nuncupata, quæ spectabat ad Patriarchatum Gradensem; eo translato in Episcopatum Olivolensem hæc quoque domus spectare cœpit ad Patriarchatum Venetum. Quia illa valde distabat a Cathedrali, nullus Patriarcha eam incoluit, præterquam quod etiam ob vetustatem ruinam minitabatur.

Exposuit ergo Patriarcha Pontifici, si ea domus, in qua erat quædam capella sub vocabulo omnium Sanctorum, venderetur justo pretio, & tertia pars pretii insumeretur in refectionem alterius domus ad mensam Patriarchalem spectans prope Ecclesiam S. Silvestri posita, & aliæ duæ partes ponerentur *in emptionem certorum redituum perpetuorum, & stabilium impresitiorum communis Venetiarum, seu aliorum bonorum immobilium in dicta civitate, vel locis propinquis* id magnæ utilitati mensæ Patriarchali futurum esse.

Supplicavit igitur Patriarcha Pontifici, ut liceret sibi eam domum vendere, & ut daret facultatem omnibus, quicumque vellent eam emere cum suis adjacentiis; si emptor eam cum capella diruet, testatur Patriarcha se illam ædificaturum vel eo loci, vel in alio magis idoneo.

Pontifex ergo mandat prædictis Episcopo, & Plebano, ut de his omnibus informationem capiant; ut tertia pars pretii insumatur in refectione domus Patriarchalis, ut capella alibi exstruatur, ut nummi dentur mercatoribus fide dignis, vel bona utilia mensæ Patriarchali emantur, in alios usus nummi non expendantur.

Ita decernant auctoritate Apostolica, si ita res est. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Idib. Dec. P. a. III. a. D. 1463.

Dos, & statuta pro Capella S. Crucis in Jerusalem erecta ab Antonio Contareno Patriarcha approbantur.

LEO X. Episcopo Chissamensi Venetiis commoranti, & Archidiacono Ecclesiæ Venet. XI. Lib.p.292.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

ANtonius Contareno Patriarcha *in Ecclesia sua Venetiarum Capellam unam sub invocatione S. Crucis in Hierusalem construi fecerat; & in ædificatione, & constructione hujusmodi summam quadringentorum ducatorum auri de Camera e redditibus suæ mensæ Patriarchalis insumpserat. Tum quamdam domum ad dictam mensam Patriarchalem ab illius mensa Capitulari distinctam jure proprietatis pertinentem, & Francisco de Morandis secretario suo alim locatam, & tunc pro melioramentis per eundem Franciscum in illa factis de licentia suorum prædecessorum pro pretio ducentorum ac octoginta septem ducatorum auri ipothecatam ab ipso Francisco acquisiverat, & ab eadem ipotheca liberaverat, & sic liberatam una cum aliis certis proventibus eidem Capellæ pro illius, & duorum presbyterorum secularium ibidem celebraturorum dote assignaverat, & mensæ Patriarchali pro annuo censu fundi singulis annis ducatum unum auri reservaverat*, quod cadit in emolumentum Patriarchatus, & decus ingens Cathedralis.

Supplicavit itaque Pontifici, ut erectionem Capellæ, dotem, & censum approbaret, confirmaretque.

Leo deputat prædictos Prælatos, qui instrumentum examinent, videant, num jura Ecclesiæ sint læsa, num Patriarchalis mensa detrimentum capiat.

Si res est, ut fuit exposita, illi auctoritate Apostolica omnia exposita actaque a Patriarcha confirment. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XX. Maji. P. a. II. a. D. 1514.

Canonicatus, & aliæ minores dignitates ab Antonio Contareno Patriarcha institutæ in duobus sacellis Ecclesiæ Patriarchalis ad arctiorem numerum rediguntur ob defectum redituum.

CLEMENS VIII. Laurentio Priolo Patriarchæ Ven. XII. Lib.p.501.

Inc. *Fraternitatis tuæ, &c.*

ANno 1511. in Ecclesia Cathedrali duas Capellas erexerat Antonius Contareno Patriarcha unam in honorem S. Crucis in Hierusalem, alteram in honorem SS. Sacramenti, & in eis quatuor Canonicos, quatuor subcanonicos, quatuor Mansionarios, & quatuor Cle-

Clericos ad nutum amovibiles instituerat, *quorum bini ex quolibet ordine alteri ex dictis capellis inservirent; pro eorum substentatione capellas præfatas diversis bonis tunc ad valorem ducentorum ducatorum ascendentibus dotavit, computatis fructibus unius beneficii foranei cum cura, cujus unio effectum non habuit.* Quatuor domos iis quatuor Canonicis assignavit; & *ex prædictis bonis ante omnia nonnulla legata ad triginta ducatos annuos ascendentia inviolabiliter solvi statuit*; voluit ut Canonicis singulis præter domum darentur ducati viginti quinque monetæ Venetæ, Subcanonicis, & Mansionariis sex, Clericis quatuor annuatim, si proventus imminuerentur, imminueretur pro rata portione solutio his ministris, sed legata integra solverentur.

Electionem horum ministrorum sibi dum viveret reservavit; post obitum spectare eam voluit *ad antiquiorem de domo Contarena, & ad priorem Canonicum Patriarchalem residentem, & ad Capitula, quorum vota si diversa essent*, Patriarchæ pro tempore *gratificationi remisit*.

Voluit Canonicos eligi e Subcanonicis, Mansionarios & Subcanonicos ex ordine inferiorum Clericorum; voluit ne electi ullum aliud beneficium in Cathedrali, aut alia Ecclesia haberent, nec essent familiares Patriarchæ; ut quilibet eorum in adeptione possessionis ducatos decem Capitulo Patriarchali solveret, almutias deferrent, residerent quotidie in eadem Ecclesia, divinis interessent;

Nisi ordinationes prædictæ servarentur, redditus iis capellis applicati devolverentur ad Capellaniam sub invocatione S. Sepulchri sitam in Ecclesia S. Antonii Venetiarum, vel ad alia loca pia.

Executores autem voluit esse Patriarcham, Episcopos, Abbates, & Protonotarios, duosque eorum Venetiis commorantes.

Patriarcha Priolus cum hanc Ecclesiam visitasset, reperit jam ab annis multis iis Capellis non deserviri, eo quod redditus cum essent imminuti & partim etiam dispersi, nemo reperiebatur, qui vellet ei deservire.

Quare Pontifici, cui hæc exposuerat, significavit, nullam aliam potiorem rationem esse inveniendi Ministros pro his Capellis, nisi Ministrorum numerus imminueretur;

Pontifex ergo illi hanc imminutionem facere permittit, sed præcipue eum curare vult, ut inveniat dispersos redditus, occupataque bona; & retentores ad eas, & ea restituendum per censuras Ecclesiasticas cogat.

Non obstante voluntate dicti testatoris.

D. Romæ apud S. Petrum Die IX. Dec. P. a. V. a. D. 1595.

Indulgentia datur visitantibus Sacellum Omnium Sanctorum *a Marco Lando Episcopo Castellano in Cathedrali Ecclesia erectum.*

XIII. Lib.p.255. MARTINUS V. Universis Christifidelibus.

Inc. *Splendor paternæ, &c.*

UT Capella, quam Marcus Lando Castellanus Episcopus *in honore*, & sub vocabulo *Omnium Sanctorum* juxta suam Ecclesiam Cathedralem fundaverat, congruis honoribus frequentaretur; & ut fideles ipsi eo libentius eo confluant,

Martinus annum unum, & XL. dies *de injunctis eis pœnitentiis relaxat* eam visitantibus in festis diebus Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Nativitatis, Annuntiationis, & Assumptionis B. Mariæ V., Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, & eam visitantibus diebus octavarum earum dierum dies centum.

D. Romæ apud S. Petrum Die VIII. Febr. P. a. VII. a. D. 1424.

DE CLERO VENETO.

Clerici Dominii Venetiarum provisi a Gregor. XII. de Beneficiis vel per se, vel per procuratores earum provisionum gratias impetrent de novo.

I. Ex Flam. Cornelio Creta Sacra t. 2. p. 367.

ALEXANDER V. Michaeli Steno Duci Venetiarum.

Inc. *Summe nobis, &c.*

ROgarat Dux per suos Oratores Pontificem, ut provisiones beneficiorum factas Clericis Dominii Veneti a Gregorio XII. *tempore inhabili* confirmaret.

Grata, rescribit Pontifex, fuit sibi hæc postulatio, *suoque cordi suavius nihil esse, quam Ducem, Venetosque, quos præcipuos S. Matris Ecclesiæ filios reputat, gratiis consolari.*

Scribit se paratissimum esse provisis de novo providere, *dum tamen tales per ipsum Angelum* (Gregorium XII.) *assumpti non fuerint per privationem, vel in præjudicium eorum, qui Sacrum Generale Concilium* (Constantiense) *sequebantur; nam privationes hujusmodi per ipsius Concilii sententiam irritæ declaratæ sunt.*

Indulget ne personaliter beneficiati teneantur ad Pontificiam sedem accedere, sed qui sunt citra mare infra duos menses, qui ultra infra sex menses per nuncios, vel procuratores sufficienter instructos teneantur dictam curiam visitare *recepturi gratias novarum provisionum libere, & sine solutione alicujus pecuniæ; sed illa dumtaxat debita, pro quibus cameræ remanent obligati, prout est debitum, extinguere teneantur.*

Ita se Ducis desideriis posse satisfacere gaudet Alexander.

D. Pistorii IV. Id. Dec. P. a. I. a. D. 1409.

Confirmatio statutorum novem Congregationum Cleri Veneti.

II. Ex eod. Cornelio D. 6. p. XXVII.

PAULUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Ex solita, &c.*

A *Primordio fere civitatis* sunt Venetiis novem Clericorum Congregationes, quibus singulis præficiuntur Archipresbyteri novem perpetui, ex quibus tres eliguntur, qui *Supramassarii* omnium Congregationum sunt, & ex aliis clericis tres assumuntur in Syndicos majores, quorum officium est ad biennium, & alii sex deputantur in præsidentes Collegii, quod constat viginti septem personis, quod collegium semper tutatur jura harum congregationum.

Cum inter Clericos *de congregationum, & forma congregationis* (Collegii) acerrimæ controversiæ essent exortæ, electus fuit *in arbitrum, & arbitratorem, & amicabilem compositorem* D. Laurentius Justinianus Castellanus Episcopus, deinde Patriarcha, qui *laudum pronunciavit, per quod nonnulla statuta, & ordinationes, & quomodo congregatio, nec non qui ex corpore earumdem congregationum esse, & per quos, & ad quantum tempus præsidentes, & officiales creari debeant decrevit.*

Approbavit Collegium, & Maphæus Ghirardus subsequens Patriarcha D. Laurentii sententiam;

Immo Maphæus quædam alia addidit, approbavitque quod Collegium decreverat, Præsidentes esse debere judices primæ instantiæ in causis inter congregationes enatis.

Ut stabiliora sint hæc statuta multo tempore post Clerus Venetus supplicavit Paulo de confirmatione.

Quam apponit Paulus. *Nulli ergo, &c.*

D. Domæ apud S. Marcum III. Id. Sept. P. a. IV. a. D. 1558.

Vicarius Patriarchæ pronunciet in causis Congregationum, absente Patriarcha.

III. D. 16. p. post. p. 327.

JULIUS III. Vicario Generali Patriarchæ Ven.

Inc. *Mittimus tibi, &c.*

NE congregationes ob nimiam dilationem in absentia Patriarchæ aliquod perferrent præjudicium in sententiis proferendis, juxta ac rogatus fuerat, concedit

cedit Julius Vicario Generali Patriarchæ, ut lites harum novem Congregationum judicare posſit.

D. Romæ apud S. Marcum die XXX. Jul. P. a. II. a. D. 1561.

Damnatur mos procurandi plebinatus.

IV. Ib.p.282. LEO X. Leonardo Lauretano Duci, &c.

Inc. *Exposuit nobis, &c.*

QUidam soliti ferre ad domos pauperum eleemosynas, extorquebant *cedulas a singulis regulariter subscriptas*, in quibus declarabant, se velle illum, vel hunc in Plebanum contra antiquum morem, qui jam inoleverat, *ut in plebanias pro tempore vacantes personæ morum honestate, ac prudentia præditæ, & vitæ exemplaritate graves, & probatæ per ipsarum Ecclesiarum, seu Plebanatuum Parochianos in certo loco ad id deputato specialiter vocatos, & congregatos, præcedentibus legitimis tractatibus nominari, & præsentari legitime consueverint:*

Pravum igitur morem ad instantiam Ducis paucis ab hinc annis introductum Leo damnat, & reprobat, & quemlibet consensum extra locum ad id deputatum antea præstitum irritat, nulliusque vult esse roboris.

Pœnam excommunicationis infligit Patronis extra eum locum consensum præbentibus. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die IV. Febr. P. a. IV. a. D. 1517.

Ratio eligendi Plebanos confirmatur; modus eligendi titulatos.

V. Ib.p.312. CLEMENS VII. ad p. r. m.

Inc. *Ad sacram, &c.*

COnfirmat Clemens rationem electionis in Plebanos faciendæ in loco ad id deputato, ut præceperat Leo X. cujus refert Breve.

Tum quædam tradit observanda super electionibus Titulatorum, siquidem in Ecclesiis hujus urbis sunt inferiora beneficia presbyteralia, Diaconalia, Subdiaconalia, ad quæ electio spectat ad Collegia Ecclesiarum ipsarum, & confirmatio ad Patriarcham *juxta constitutiones Patriarchales editas* a D. Laurentio Justiniano & ab Andrea Bondumiero, aliisque Patriarchis, *& a procuratoribus Cleri confirmatas, & de consuetudine observatas.*

Personæ idoneæ de gremio ipsarum Ecclesiarum, si vita, moribus, ætate idoneæ reperiantur; alias de quibuscumque aliis Ecclesiis urbis gradatim promoveantur, a Subdiaconis ad Diaconos, ab his ad presbyteros. Quod jus est etiam in Ecclesiis de Muriano, de Majurbio, de Torcello, & Burano, & Methamauco.

Multi tamen minus idonei *exquisita, & indirecta via eligi procurabant.* Quare Dux Andreas Gritti supplicavit, ut Pontifex provideret.

Qui confirmat morem eligendi Plebanos a Parochianis, & morem eligendi ad minora beneficia a Collegiis ipsarum Ecclesiarum.

Deinde decernit, *ut electiones, ipsa forma juris, & constitutionum non servata, vel de personis indignis, & non idoneis pro tempore factæ nullius roboris, vel momenti existant.*

Quod si quis sub prætextu, quod non sit idoneus, & dignus, quod servata forma electionis non fuerit, non posit a Patriarcha institui, *appellari possit per illum, qui ab ipso Patriarcha, vel ejus prædecessore examinatus, seu de ejus licentia ad sacros ordines promotus fuerit,* nisi aliquid post susceptos ordines commiserit, ex quo indignus reputetur; & si appellaverit, unica sententia Venetiis valeat pro tribus sententiis definitivis conformibus.

Si male appellatum sit, liceat electoribus devenire ad electionem pro una vice tantum.

Si Patriarcha ne hanc quidem electionem confirmare voluerit ob non servatam formam, ob indignitatem personæ, quod approbaverit judex appellatus, liceat pro hac vice tantum Patriarchæ alium eligere;

Lite pendente, capitulares ad nullam electionem devenire possint; nec postea in alio loco, nisi in deputato eligant.

Pœnam excommunicationis infligit Patriarchæ, vel Capitulis, si voluerint aliquem beneficiatum ex his cedere beneficio.

Executores deputat, quibus dat facultatem censuras expediendi in contradictores. N. O. *Nulli ergo, &c.*

D. Romæ apud S. Petrum VII. Id. Febr. P. a. III. a. D. 1525.

Primicerius deputatur executor, si Patriarcha recuset exsequi modo imperata.

CLEMENS VII. Primicerio Ecclesiæ S. Marci, VI. Ib.p.314.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

REpetitis, quæ in proxima superiore Bulla decreverat, Clemens significat Primicerio Ecclesiæ Sancti Marci, Patriarcham interdum personas Canonice electas, dignasque sibi præsentatas *instituere recusare, & plus debito differre, & prorogare.*

De quo cum questus esset Dux, mandat Clemens, ut executionem proxime prædictarum conditionum peragat Primicerius, si Patriarcha requisitus, vel ejus Vicarius sine rationabili causa facere recuset.

Vult, censeri vacantes Ecclesias, & beneficia minora statim ac eas, vel hæc possidentes ad alia beneficia translati fuerint.

Dat autem Primicerio præfato opportunas ad hoc facultates. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXX. Maji P. a. IX. a. D. 1530.

Lites enatas, & appellationes presbyterorum, quos in beneficiis instituere Patriarcha recusarat, Paulus extinguit, & ad se advocat.

PAULUS IV. Vincentio Diedo Patriarchæ, VII. Ib.p.334.

Inc. *Cum sicut, &c.*

EX *antiqua, & per Sedem A. approbata, hactenusque pacifice observata consuetudine (ut asseritur) competit Parochianis* Venetarum Ecclesiarum, *quæ pro majori parte etiam collegiatæ existunt*, Plebanos eligere; ad minora beneficia vero Clericatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus electio Plebanis earundem Ecclesiarum pro tempore, cum suis capitulis competit; Institutio autem spectat ad Patriarcham.

Jam alias Paulus Patriarchæ mandarat, ut neminem electum ad beneficium instituret, *nisi prius illi de ejus ætate, moribus, doctrina, idoneitate, & sufficientia per diligens desuper ab illo habendum examen constitisset; & si aliquem minus idoneum in Rectorem, vel Plebanum instituendum præsentari contigeret, juxta constitutiones Patriarchales Venetiarum, & super illis emanatas litteras Apostolicas, eo rejecto, Parochianis, seu Capitulo alium idoneum eligendi licentiam concederet.*

Observabat diligenter hæc Patriarcha; rejiciebat minus idoneos volebatque alios eligi.

Rejecti ergo litem Patriarchæ movebant, sicut moverat nuper quidam presbyter Victor ad Subdiaconatum in Ecclesia S. Joannis Chrysostomi a Capitulo electus, rejectusque a Patriarcha; appellaveratque ad S. Sedem.

Animadvertens Paulus, iniquum esse, Patriarcham exagitari *ex bono obedientiæ, pro quo laudandus est*, causam hujusmodi ad se advocat, & litem extinguit, & Victori silentium imponit; sicut vetat Abbati Monasterii S. Cypriani de Murano, ad quem Victor litteras impetrarat, ut ejici in hac causa judex, in hac causa se immiscere.

Dat etiam facultatem nominandi Patriarchæ pro ea vice tantum, si Capitula, vel Parochiani aliquem minus idoneum præsentaverint instituendum, nisi intra terminum a Patriarcha præfigendum alium elegerint. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XX. Dec. P. a. I. a. D. 1557.

Confirmatur Pauli constitutio.

PIUS IV. ad f. r. m, VIII. Ibid.

Inc. *Dudum emanarunt, &c.*

VIncentio Diedo Patriarcha vita functo, quicunque electi ad beneficia fuerant, ab eo rejecti appellaverant

verant vel ad Pontificem, vel ad S. Sedem, vel ad Nuncium Apostolicum, omnia ergo tribunalia fervebant litibus.

Quare Dux, & Dominium per N. V. Antonium Amulium Equitem militiæ auratæ Oratorem apud S. Sedem significarunt hæc Pontifici, oraruntque ut provideret.

Pius inhærens vestigiis Prædecessoris sui Pauli IV. silentium his omnibus litigantibus, & appellantibus imponit, litesque, & appellationes ad se advocat, & judices appellatas lites audire, & definire vetat.

Imo dat, sicut fecerat Paulus, Patriarchæ, & ejus successoribus si aliquem rejecerint tanquam minus idoneum, facultatem vel parochianis, vel Capitulo statuendi tempus, intra quod alium eligant, quem si non elegerint, ipse, & ipsi pro illa vice tantum eligant. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIX. Jul. P. a. I. a. D. 1560.

Nuncius A. electos Plebanos confirmet.

IX. 2 R. t. 5, p. 1. p. 63. C. C. SIXTUS V. Nuncio in Venetorum Dominio.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

ELecti a Parochianis Plebani solent ab A. Nuncio ibidem commorante confirmationem petere.

Nuncius dubitavit, utrum has electiones sic factas approbare deberet, dubiumque proposuit Sixto;

Qui respondet, sic electos, & examinatos, idoneosque repertos juxta formam a Tridentino Concilio præscriptam a Patriarcha, ab eo esse confirmandos. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIV. Maji P. a. V. a. D. 1589.

„ Plebani Veneti qui a Dominis stabilium, seu domorum in parochiis existentium eliguntur, solvebant
„ Nuntio Pontificio dimidiam annatam, & illius in
„ manu solemne juramentum præstabant, postquam
„ confirmati fuerant a Patriarcha, cui certam pecuniæ
„ summam juxta Canonicam institutionem pro Bullis
„ dederant. Decretum a Senatu fuit die 24. Martii
„ a. 1770. ne quicquam Nuncio solverent, sed jurisdictione a Patriarcha, cujus sunt coadjutores accepta,
„ possessionem temporalem caperent.

Quilibet Beneficiatus in sua Ecclesia unum tantum beneficium habere possit.

X. ex ecd. Cornelio Ib p.323. PAULUS III. Petro Lando Duci, & Dominio Venetiarum.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

REpetitis, quæ Leo X. quæ Clemens VII. statuerunt de Plebanis, aliisque beneficiatis Ecclesiarum Venetiarum, Paulus decernit, neminem beneficiatum plura beneficia in eadem Ecclesia habere posse;

Vel si habeat aliquod beneficium extra suam Ecclesiam, hoc, vel illud dimittat, nisi sint compatibilia.

Quod intelligi debet de beneficiatis etiam insularum adjacentium. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIX. Nov. P. a. IX. a. D. 1542.

De Magistris Clericorum in singulis sexteriis, & de Magistro Clericorum Ecclesiæ Patriarchalis.

XI. Ib.p.329. JULIUS III. Nuncio A. Venetiis.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

PRudenter institutum fuerat, ut in quolibet sexterio, quæ sunt sex Venetiis, essent Magistri conducti ex bonis Fabricæ Ecclesiarum, qui Clericos illis inservientes gratis docerent. Sed fiebat, ut Magistri vel vellent mercedem a Clericis discipulis, vel laicos admiscerent, vel sæculares eligerent, qui eos docerent, ipsi vero aliis negotiis incumberent.

De hac re questus est Archidiaconus Castellanus; cum enim Magister Clericorum non posset ab Ecclesia mercedem ullam accipere, quæ non habet nisi viginti quatuor ducatos pro Fabrica annuatim, Patriarcha eum fructibus suæ mensæ conducebat; sed cum abesset procul ab Ecclesia, discipulique potius vagarentur, & cum parum attente suum adimpleret munus Magister, Archidiaconus illum cogere volebat, ut prope Ecclesiam scholam haberet, & sedulius vacaret suo muneri; alioquin, ajebat, Patriarcham illi subtracturum quod solvebat.

Litem Archidiacono, & Patriarchæ movit Magister, qui confugerunt ad Pontificem.

Pontifex hoc negotium demandat Nuncio, ut sua prudentia videat, quid faciendum sit de his Magistris Clericorum per sexteria, & de Magistro Patriarchali. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVII. Mart. P. a. IX. a. D. 1553.

Patriarcha Clericos obæratos ære alieno cogat ad solvendum.

CALLIXTUS III. Patriarchæ Venetiarum. XII. Ib. d.16. pars post. p. 269.

Inc. *Ad sacram, &c.*

QUidam ære alieno gravati, nolentesque suis creditoribus satisfacere, ut se subtraherent a foro Laicali, Clericali militiæ nomen dabant.

Qua de re Oratores destinati ad Pontificem eum orarunt, ut provideret.

Qui Patriarchæ mandat, ut Clericos hos, *summarie, sola veritate inspecta*, cogat ad satisfaciendum, eique propterea dat facultatem in eos procedendi *tam in bonis, quam in persona*, si satisfacere recusent. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum XIV. Cal. Aug. P. a. I. a. D. 1455.

Ne ullus Prælatus ordinet Clericos Venetos nisi de licentia Patriarchæ.

PIUS IV. Patriarchæ Venetiarum. XIII. Ib. 332.

Inc. *Cum sicut, &c.*

VIncentius Diedo Venetiarum Patriarcha aggressus sui Cleri reformationem, proposuerat ad tollenda scandala, quæ ex ignorantia proveniunt, non promovere ad ordines nisi probos, & doctos;

Ne autem quidam Clerici desperantes se promoveri posse ad Ordines a Patriarcha, confugerent ad alios Episcopos, & ab iis ordinarentur, & ita Patriarchæ curæ in cassum irent, supplicavit Pontifici, ut consuleret.

Qui mandat omnibus Ecclesiæ Prælatis, ne quemquam Clericum Venetum ordinent, nisi de Patriarchæ licentia sub pœnis &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die XII. Maji P. a. II. a. D. 1557.

De titulo sufficiente Clericorum Venet. ordinationi.

SIXTUS V. Patriarchæ Venet. XIV. In Synodo Venet. sub Laurentio Prioli p. 116.

Inc. *Romanum Pontificem, &c.*

QUia Venetiæ scatent Nobilibus, & populo, & pauca sunt beneficia, quorum titulo Clerici, qui multi in frequenti civitate esse debent, ordinari possunt, ne Ministris Civitas careat, dat Sixtus facultatem Patriarchæ, *ut omnes, & singulos dictæ civitatis Clericos, qui vita moribus, ætate, natalium legitimitate, & aliis qualitatibus a jure requisitis idonei reperti fuerint, etiamsi titulo beneficii, vel pensionis annuæ non sint provisi, aut patrimonialia, aliaque bona non possideant, ordinandi, servatis Tridentini Concilii decretis;*

Modo alicui Ecclesiæ dictæ Civitatis de consensu ejusdem Ecclesiæ Rectoris fuerint adscripti pro celebratione Missarum, & divinorum officiorum, ex quarum celebratione, & eleemosynis a piis Christifidelibus elargendis aliquid ad sustentationem victus capere possint;

Et ab eadem Ecclesia, cui adscripti fuerunt, amoveri, nisi cum demerita ita rejudicarint, *aut discedere possint*, nisi aliunde provisi sint.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXX. Dec. P. a. V. a. D. 1590.

Interdicitur Plebanis, & Presbyteris, & Clericis Venetis notariatus, & cancellariatus munia exercere.

EUGENIUS IV. ad p. r. m.

Ex Corn. de Eccl. Ven. D. 2. p. 334. XV. Inc. *Cum ex injuncto, &c.*

EO sedulius præclaræ civitatis Venetiarum sacerdotio, & statui Clericali prospicere decet Eugenium, quo magis ex congenita patria affectione requirentibus moribus excitatur; ut animarum saluti pro ministerio divinorum munerum, & bonis populi exemplis consulat.

Jam Honorius PP. cum intellexisset, *quod Clerici nonnulli potius secularibus negotiationibus, quam divinis officiis intendebant, & gaudere volentes privilegio etiam volebant statutis patriæ se tueri sicut laicos, ut suarum negotiationum quæstibus subjacerent, mandavit, quod nisi tales Clerici tertio moniti resipuerint, de facto privilegium abjicerent clericale.* Nam quid expectandum est ab iis Clericis, qui amore pecuniæ tenentur, cum pecunia sit omnium irritamentum malorum vel possessa, vel acquirenda?

Eugenius dum erat in minoribus constitutus, *cum gravi abominatione sentiebat; quod in foro laicorum, causarumque pro majori parte Clerici, & Sacerdotes destinati venire ad sonum campanæ ad forum, quorum nonnulli erant Plebani in tempore electissimo ab una hora diei usque ad Tertiam, vel sextam suas Ecclesias deserentes, & forensi quæstui causis, & litibus assistentes.*

Pontifex autem factus accepit *quod non solum litibus, & blasphemiis iracundis, perjuriis, & sceleribus inde provenientibus conversantur, sed eorum nonnulli Ecclesias suas liberius deserentes in publico negotiorum loco stationes publicas conduxerunt, ibique per totam fere diem intenti quæstui commorantes notarios se Imperiales, & Venetiarum mere laicos profitentur cum singulari nota, & infamia ordinis Clericalis, & malo exemplo etiam aliorum.*

Describit præterea mala, quæ in plebem, & in Ecclesias ita desertas, & in Dei cultum adeo neglectum deriyantur.

Quare cupiens Pontifex *his inconvenientiis mederi, præter generale Concilium, quod in Basilea duxit celebrandum mores, & vitam Clericorum inter cætera mandavit reformari, decernit, quod universi, & singuli Plebani, Sacerdotes, & Clerici Castellanæ diœcesis vel in Civitate Venetiarum commorantes in sacris ordinibus constituti, etiam in minoribus, si beneficiati sint intra sex menses a data præsentium computandos, quos præfigit pro primo, secundo, & tertio peremptorio termino sub excommunicationis pœna soli Pontifici reservatæ, privationis beneficiorum debeant omnia scribanatus, notariatus, officia, eorumque exercitia dimisisse.*

Excipit tamen casus quoad testamenta, *ubi ad pias causas legata perveniunt, & omnia alia instrumenta quibus de religione, Ecclesiarum utilitate, & reformatione, hospitalium erectione, & pauperum subsistentatione tractatur*, quæ scribere possint, *sed eorum prætextu stationes non teneant.*

Très Cancellarii autem N. V. Ducis Venetiarum, qui pro tempore fuerint possint, ut de præsenti, suum Cancellariatus officium exercere statutis diebus interpretando scripturas, & alia ad dictum officium spectantia exercendo. Declarat si laici ejus diœcesis cogent Clericos illa officia notariatus peragere, & eorum operam exquirent incursuros in excommunicationem.

Nulli ergo, &c.

D. R. apud S. Petrum VI. Id. Junii P. a. III. a. D. 1433.

Quidam deputantur, ut monasteria virorum Ducatus Venetiarum visitent & reforment.

XVI. Ex Corn. de Eccl. Torcel. p. 3. p. 137. URBANUS V. S. Thomæ S. Cypriani Torcellanæ diœcesis Abbatibus, & Priori monasterii S. Matthiæ.

Inc. *Decet ex provisione, &c.*

AUdierat Pontifex, *quod in Ducatu Venetiarum multa erant monasteria, Prioratus, & alia pia loca virorum exempta, & non exempta ordinum diversorum, quæ propter defectum Prælatorum, & rectorum eorundem monasteriorum, Prioratuum, & locorum, qui ad pecunias cumulandas, & captandas intendebant, in ruinam tendere dignoscebantur ac in eis divinus cultus non colebatur, sicut debebat, nec ubi, licet amplas, & annuas facultates haberent, tenebantur monachi Sacerdotes, vel ministri in numero competenti.*

Cupiens ergo Urbanus in rectum tramitem hos ordines reducere, & malis in iis existentibus mederi, supradictis mandat, ut omnes vel duo, aut unus eorum ad eadem monasteria, prioratus, & loca pia accedentes personaliter *de prædictis se diligenter informent, ac omnia, quæ ibidem correctionis, & reformationis officio indigere noverint, corrigere, & reformare curent.*

Contradictores censuris Ecclesiasticis coerceant. N. O.

Reformationem factam in scriptis redactam vel Pontifici, vel Episcopo Tusculano fideliter mittere studeant.

D. Avenione VI. Cal. Nov. P. a. II. a. D. 1364.

Delegati pro suis expensis, & pro ministris a monasteriis certam pecuniam accipere possint.

URBANUS V. S. Thomæ, &c. XVII. Ib. p. 138.

Inc. *Cum vos, &c.*

QUia *secundum Apostolum justum est ut qui spiritualia seminant, opportuna temporalia metant*, dat Pontifex prædictis visitationibus *pro singulis diebus, quibus hujusmodi visitationi, & reformationi institerint*, Abbatibus exigendi *pro quolibet duos, Priori unum & dimidium florenos auri boni ponderis pro suis, & aliarum personarum, quas secum ducent, expensis, & salario Notarii.*

Contradictores, rebelles cujuscunque status, & conditionis per censuram compellant ad solvendum. N. O.

D. Avenione, &c.

Delegantur qui monasteria utriusque sexus visitent.

GREGORIUS XI. Episcopo Concordiensi, Abbati S. Georgii, & Octobono de Ceneta Decano Ecclesiæ S. Mariæ de Civitate Austriæ. XVIII. Ex decr. p. 3. p. post. p. 387.

Inc. *Ad Ecclesiarum, &c.*

IN civitatibus, & diœcesibus Aquilejensi, & Gradensi audierat Pontifex multas Ecclesias Cathedrales, & Collegiatas, & fere omnia virorum, mulierumque monasteria, & Prioratus, ut hospitalia, & alia loca pia regularia visitatione, & reformatione indigere.

Ne igitur permittat mala serpere latius in eorundem monasteriorum, Ecclesiarumque detrimentum, & in gravem populorum offensionem, deputat prædictos prælatos ut simul omnes, vel duo, vel unus saltem eas provincias lustrent, prædicta loca visitent, corrigant, ac reforment tam in capitibus, quam in membris.

Opportunas dat illis facultates puniendi, coercendi, expediendi censuras Ecclesiasticas, immutandi, interpretandi, statuendi. N. O.

Vult, ut si quos invenerint casus dubios, & graviores eos Cardinali t. S. Sabinæ referant, qui certiorem de iis Pontificem faciet, qui statuet quid sit agendum.

D. Aven. XV. Cal. Janu. P. a. I. a. D. 1370.

Deputantur visitatores monasteriorum utriusque sexus in diœcesibus Castellana, Torcellana, & Clugiensi.

BONIFACIUS IX. Abbati S. Georgii, & Priori S. Salvatoris de Ven. XIX. In suppl. p. 153.

Inc. *Ad statum, &c.*

ANtonius Venerio Dux, & Dominium significarunt Pontifici, monasteria tam virorum quam mulierum, exempta, & non exempta fere omnia, pia loca & prioratus in Diœcesibus Castellana, Torcellana, & Clugiensi, quæ in temporalibus per Ducem, & dominium gubernantur, tam in capitibus quam in membris, quam etiam in ædificiis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus visitatione, correctione, reformatione, & reparatione indigere; hæc committenda esse duobus prælatis idoneis, rerum monasticarum peritis, qui una cum duobus nobilibus ea monasteria, & prioratus, & loca pia visitent.

Bonifacius ergo prædictos prælatos deputat, qui simul cum duobus nobilibus proyectæ ætatis, & bonæ famæ omnia loca exempta, & non exempta, virorum Monialiumque visitent.

Exem-

Exemptas tamen vult ab hac visitatione domos ordinum mendicantium.

Vult ut in omnibus se gerant cum consilio prædictorum nobilium, removeant monachos, statuta condant, redditus huic monasterio imminuant, illi addant ejusdem ordinis, corrigant, prælatos constituant, amoveant, &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Jul. P. a. VI. a. D. 1395.

Regulæ præscribuntur pro Monialium cura.

XX. D. 16. p. post. p. 236. EUGENIUS IV. Episcopo Castellano, Abbati S. Nicolai de litore, & Plebano S. Barnabæ de Ven.

Inc. *Pro reformatione, &c.*

JAm alia statuerat Eugenius pero Monialium regimine, & cura;

Litteris præsentibus prædictis Prælatis mandat, ut studeant,

Quod Gastaldiones, seu factores dictarum Monialium operarii, & personæ alicujus exercitii opportuno tempore necessitatis duntaxat possint in dictis monasteriis intrare;

Ut honestæ mulieres viduæ, domicellæque in ipsis monasteriis habitare, & aliæ mulieres cum habitu tamen honesto in eisdem intrare, & conversari possint causa visitationis;

Aliæ quidem personæ honestæ conversationis, & vitæ visitare possint in parlatoriis ipsas moniales, sicut antea consueverunt.

Capellanos, quos jusserat Eugenius esse annorum sexaginta, nunc declarat esse debere annorum quinquaginta, vel circa, *dummodo sint honestæ, atque probatæ vitæ.*

Tempore pestis possint Moniales in alia monasteria se transferre, & peste durante in iis habitare, *obtenta tamen ab Episcopo, & superioribus licentia; dummodo in totum monasterium non deserant; sed cessante peste ad ipsa revertantur.*

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1433.

Rescribit Leo Patriarchæ ad id quod petierat.

XXI. D. 9. p. 36. LEO X. Patriarchæ Venet. Antonio Contareno.

Inc. *Legimus litteras, &c.*

AGgressus Antonius Contarenus Patriarcha monasteriorum reformationem, repererat, grave esse obstaculum huic reformationi nimiam S. Sedis indulgentiam, quæ facultates dederat Monialibus e monasteriis exeundi.

Quare Pontifici id scripsit, eumque rogavit, ut has licentias revocaret.

Pontifex eum laudat de hac cura, eum hortatur ad reformationem prosequendam, & ad illum mittit Bullam harum licentiarum revocatoriam.

D. R. apud S. Petrum Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1515.

Revocatur licentia data Monialibus e monasteriis egrediendi.

XXII. Ibid. LEO X. ad p. r. m.

Inc. *Non sine, &c.*

AIt Pontifex, se magno animi dolore petcepisse, quasdam Moniales licentia exeundi e suis monasteriis, & eundi in domos suorum parentum, vel aliorum licentia impetrata, seu potius extorta *abuti, & quandoque habitu laicali, vel aliter per civitatem vagari in opprobrium religionis, animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum.*

Quibus licentiis obtentis per suggestionem Monialibus falsa pro veris exponentibus ut medeatur Leo, eas omnes revocat cuicumque Moniali cujuscunque monasterii datas, & dandas, *si in illis expressa mentio, quod de licentia suorum superiorum exire possint, facta non sit, aut fiat.*

In virtute sanctæ obedientiæ mandat Patriarchæ, ut Moniales vi harum concessionum egressas ad monaste-

ria sua redire per censuras Ecclesiasticas, & per brachium etiam sæculare invocatum redire compellat.

Inhibet judicibus his licentiis quidquam deferre. N. O.

Datum Romæ, &c.

Laudatur Patri Contarenus ob reformatum monasterium S. Annæ, aliaque monasteria reformanda illi committuntur.

LEO X. Patriarchæ Venet. XXIII. D. 13. p. post. p. 185.

Inc. *Exposcit debitum, &c.*

EXposuit Pontifici Patriarcha, quomodo monasterium S. Annæ reformarit, nempe separavit moniales observantes a Conventualibus, & utrisque assignavit redditus suos, ita tamen, ut si aliqua conventualis moreretur, ejus portio daretur Conventualibus; jussit etiam ut si qua conventualis transire vellet ad observantes, ab his reciperetur, secumque suam dotem, partemque redditurum afferret; demum inhibuit ne puellæ possent recipi ad habitum a Conventualibus, sed a solis observantibus reciperentur.

Addidit etiam Patriarcha, alia monasteria sibi esse reformanda, quorum Moniales, *norma, & religionis jugo semotis, ad vetita proiliebant*; & facile ea posse reformari, si sibi daretur licentia etiam e monasteriis suæ jurisdictioni non subjectis moniales extrahendi, & in alia etiam exempta eas transferendi etiamsi moniales extractæ essent alterius ordinis ab eo, qui est in monasteriis, in quæ sint transferendæ, & monasteria uniendi.

Sed obstare sibi, scripsit, moniales monasterii de Virginibus, quæ sunt sub Ducis protectione, quæ a Nuncio Ap. Venetiis impetrarant litteras, quibus interdicebatur, ne ille in illud monasterium reformandum se intromitteret; etiam Moniales S. Zachariæ *ad certum Cancellariæ Palatii Apostolici auditorem confugere*, ne earum reformationem aggrederetur.

Et Dux, & Dominium, & Patriarcha petierunt a Pontifice ut ab eodem Patriarcha acta hactenus confirmaret, & facultatem illi concederet transferendi moniales, separandi, uniendi monasteria, &c.

Igitur, quæ Contarenus egerat, Leo confirmat, recursus factos contra Patriarcham ad se advocat, & monasteria exempta quoad reformationem illi subjicit omnino.

Per hanc tamen subjectionem monasterii S. Mariæ de Virginibus nihil immutatum vult; juribus quibusvis in illud Duci quomodolibet pertinentibus.

Vult Leo, ut per introductionem Monialium alterius ordinis in iis monasteriis, in quæ transferentur, vigeat ordo ille, qui ab initio fuit, neque conventuales Moniales accipiant reformationem alterius ordinis, sed sui.

Moniales non habeant cubiculum separatum, sed dormiant in eodem dormitorio, nihil habeant proprii, sed omnia in communi, *nulla in monasteriis habeat ancillam, sed conversam, quæ in communi vivat, & ferviat*, nullaque conversa recipiatur *nisi de scitu & licentia Patriarchæ pro tempore existentis*, ut de ejus fama, & moribus possit inquirere;

Nec cum aliquibus nisi cum parentibus, aut consanguineis suis, & hoc in primo gradu tantum, ac omnibus mulieribus ad feriatam, sive gratas tantum, & non aliter loqui Moniales possint; *nullique monasteria ipsa conventualia sub excommunicationis latæ sententiæ pœna ingredi possint.*

Facultatem dat Contareno rebelles, & contradictores per censuras compescendi. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum XIV. Cal. Aug. P. a. VII. a. D. 1519.

Jubetur rursus Patriarcha alia monasteria, sicut reformarat illud S. Annæ, reformare.

LEO X. Patriarchæ Venet. XXIV. D. 6. p. 272.

Inc. *Cum sicut, &c.*

REpetit Leo quæ dixerat in præcedente proxime constitutione;

Sed Moniales S. Zachariæ *asserentes Patriarcham bona monasterii sequestrasse, seu sequestrari mandasse & de usurpatione bonorum, aliisque gravaminibus eis for-*

ſan illatis, & inferri comminatis intendebant cauſas coram Jacobo Simonetta Pontificis Capellano contra Patriarcham movere, timentes ne ſuum quoque Monaſterium reformaretur, ſicut reformata fuerant nonnulla alia.

Pontifex volens Ducis, & Dominii reformationem expoſcentium precibus annuere, commiſſionem factam præfato Simonettæ motu proprio adimit, ac revocat, & *cauſam illi commiſſam pro omnibus, & ſingulis ſuis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis ad ſe advocat*, & lites hujuſmodi prorſus extinctas vult, & Monialibus Conventualibus omnium Monaſteriorum ſilentium imponit, & auditoribus ſuis mandat, ne in hujuſmodi cauſis ulterius procedant, niſi commiſſiones ſignatas manu ipſius Pontificis viderint.

Jubet Patriarcham omnia monaſteria ad inſtar illius S. Annæ reformare,

Dataſque facultates illi confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XII. Oct. P. a. VII. a. D. 1519.

Laudati ejuſdem Patriarchæ acta confirmantur.

XXV. D. 9. p. 30. LEO X. Patriarchæ Venetiarum.

Inc. *Cum nos, &c.*

MUlta magno cum religionis zelo, & pietatis laude decreverat Contarenus *circa inſtallationem coadjutricum Abbatiſſarum de obſervantia, circa juriſdictionem, & adminiſtrationem Monaſteriorum, & nonnulla alia, quæ commodum ædificationem, & obſervationem dictæ reformationis concernebant, quæ ſumme* Pontifici placuerunt intellecta.

Verum acceperat etiam, *nonnullos, a quorum cordibus timor Dei abeſt, inſurreviſſe, qui auctore zizaniarum ſatore totis viribus tam piumopus impediebant*; Leo motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia, & ſingula per Patriarcham circa reformationem acta confirmat; & ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & maledictionis æternæ pœnis incurrendis a quibuſcumque perſonis quacumque dignitate fulgeant, hanc reformationem impediri vetat, quocumque modo, occulte, vel palam illa impediatur.

Moniales nonnullæ conventuales, quia, etiam Abbatiſſæ, vagabantur extra clauſtra per urbem, in virtute ſanctæ obedientiæ Patriarchæ mandat, ut etiamſi de licentia ſuorum ſuperiorum illæ exierint ad clauſtra eas reducat, corrigat, & puniat, invocato etiam brachio ſæculari; per cenſuras, & etiam pœnis pecuniariis monialibus auxilium præſtantes in hoc compeſcat

Jubet ne in iis monaſteriis, in quæ reformatio introducta eſt, eligantur in Abbatiſſas Conventuales, ſed tantum obſervantes: & ſi qua Abbatiæ confirmationem accepit, & impetravit quæ ſit Conventualis, ea confirmatio nulla ſit, niſi litteræ manu Pontificis ſint ſubſcriptæ.

Eum demum hortatur, ut naviter, & ſollicite hoc opus urgeat, ſolumque Dei honorem animarumque ſalutem præ oculis habeat. N. O.

Quia vero Moniales Monaſteriorum Ord. S. Claræ rogarunt Pontificem, ut, quoniam jam ſatis reformatæ a Fratribus MM. de Obſervantia ſunt, ſub quorum cura vivunt, eximantur a correctione, & viſitatione Patriarchæ,

Pontifex ergo mandat Patriarchæ ut ſi quid contra eas habet, Cardinali protectori ordinis omnia referat.

D. Romæ apud S. Petrum die XXIV. Sept. P. a. IX. a. D. 1521.

Continuatio reformationis Monaſteriorum Monialium jubetur.

XXVI. Ib. p. 174. PAULUS III. Hieronymo Barbadico Primicerio S. Marci.

Inc. *Meditatio cordis, &c.*

ANdreas Gritti Dux, & Dominium ſignificarunt Pontifici ad preces Ducis Lauretani, & Dominii Leonem X. commiſiſſe Patriarchæ tunc exiſtenti reformationem Monaſteriorum Monialium, eique dediſſe ampliſſimas facultates (quas jam ſupra expoſuimus), & reformationem maxime ex parte fuiſſe factam, Leonemque approbaſſe quidquid Patriarcha egerat; ſupereſſe adhuc pauca perficienda, ut ea poſſet dici numeris omnibus abſoluta

Rogarunt ergo Pontificem, ut juberet eam continuari.

Quare Pontifex, quoſdam deputat, e quibus ſolus Primicerius nominatur, qui ſecundum ea, quæ egerat Antonius Contarenus Patriarcha, reformationem exſequatur, iiſque dat eaſdem facultates datas a Leone. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum die VII. Jul. P. a. I. a. D. 1535.

Indulgentia conceditur Monialibus Diœceſum Venetæ, Torcellanæ, & Clugienſis, quæ datur in die Aſcenſionis viſitantibus Eccleſiam Sancti Marci.

EUGENIUS IV. ad p. r. m. XXVII. D. 16. p. par. p. 255.

Inc. *Sacræ Religionis, &c.*

SUpplicarunt Moniales Monaſteriorum prædictarum diœceſum Pontifici, ut quoniam ſub clauſura vivebant, neque perſonaliter in die Aſcenſionis Domini viſitare poterant Eccleſiam S. Marci, eas indulgentias conſequi poſſent, quas conſequerentur, ſi eam viſitarent.

Inclinatus his precibus Eugenius hoc iis elargitur; vultque ut indulgentias, quas lucrantur qui viſitant eo die illam Eccleſiam, ſive perpetuæ ſint, ſive ad tempus, etiam prædictæ Moniales conſequantur, modo vere pœniteat eas ſuorum commiſſorum, & corde ſint contritæ, & Eccleſias ſuorum Monaſteriorum viſitent.

Hæc autem conceſſio omnibus Monialibus, quæ futuris temporibus in iis Monaſteriis vivent, perpetuis futuris temporibus datur; corde tamen eam Eccleſiam viſitare cupiant.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1433.

Monaſteria omnia Monialium Ordinis S. Claræ eximuntur a reformatione Patriarchæ,

LEO X. Cardinali Grimano Ord. FF. MM. Protectori. XXVIII. D. 12. p. 319.

Inc. *Cum Miniſter, &c.*

DEſiderarunt Miniſter, & Patres Provinciæ S. Antonii regularis obſervantiæ, ut quoniam jam Monaſteria Monialium Clariſſarum ſuæ commiſſa curæ ſatis reformata per ipſos erant, ut Patriarcha *in nihilo illa alteraret, nec quod de illis ipſe in aliquo ſe intromittere debeat, etiam ſub prætextu reformationis.*

Jam Leo per alias litteras eidem Patriarchæ mandarat, quatenus omnia, & prædicta, quæ Fratres egerant pro reformatione Clariſſarum obſervari Pontificia auctoritate faceret;

Per litteras has facultatem eidem Cardinali dat revocandi, & retractandi, prout ejus prudentiæ videbitur, ſi quid Patriarcha in præfata monaſteria prætextu reformationis fecerit. N. O.

D. Romæ die VI. Oct. P. a. IX. a. D. 1521.

Hæ Moniales viſitentur & reformentur a Miniſtro Provinciæ Sancti Antonii Ord. FF. MM. Obſervant.

PAULUS III. Miniſtro Provinciali provinciæ S. Antonii Ord. MM. de Obſerv. nuncupatorum. XXIX. D. 9. p. 176.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

MAndarat Paulus Patriarchæ, & Primicerio, ut reformationem Monaſteriorum Monialium urgerent.

Multi aſſerebant, etiam monaſteria Ordinis S. Franciſci contineri in hoc mandato; quare non modicum Abbatiſſæ, & Moniales trepidabant.

Miniſter ergo Generalis ordinis ſupplicavit Pontifici, ut ab hoc metu Moniales liberaret; præcipue cum ſemper hoc in more poſitum fuerit, ut monaſteria ordinis S. Claræ in provincia S. Antonii exiſtentia reformarentur, & viſitarentur a Provinciali Miniſtro ejuſdem Provinciæ.

Ergo Paulus decernit, *quod ſi ita eſt, & monaſteria de obſervantia prædicta, & eorum perſonæ reformatione indigeant, id per Fratres, ut conſuevit, fiat.*

Diſtrictiuſque inhibet Patriarchæ, & Primicerio, ne Pontificiarum litterarum prædictarum vigore contra Abbatiſſas, Moniales, ſeu ſorores de Obſervantia quicquam attentent, irritumque decernit quidquid agent. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XXVII. Nov. P. a. II. a. D. 1535.

Monaſteria, etiam Ordin. Sanctæ Claræ Venetiis eximuntur ab juriſdictione Superiorum Regularium.

XXX. Ib. p. 177. PAULUS III. Joanni (*de la caſa*) &c. Beneventano Nuntio Venetiis.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

DUx Franciſcus Donato, & Conſilium Decemvirale exponi fecerunt Pontifici *omnium fere quorumcumque ordinum, & mendicantium monaſteria, & domus Monialium Venetiis a cura, & ſuperioritate Fratrum ſuorum ordinum eſſe exempta, & per eccleſiaſticas perſonas ſæculares ſalubriter regi, gubernari, cultumque divinum in illis in dies amplificari, in altiſſimo famulantium, ac aliorum Chriſti fidelium conſolationem;* ſi etiam alia monaſteria ordinis S. Claræ ſubtracta a cura Fratrum MM. eodem modo regerentur ab Eccleſiaſticis ſæcularibus brevi tempore in iis eadem diſciplina idem virtutum amor vigeret in illis.

Rogarunt ergo Pontificem, ut ita juberet.

Pontifex deputat prædictum Nuntium, qui eximat ab iis Fratribus monaſteria Clariſſarum; & tertii Ord. S. Franciſci Moniales de Sepulcro, & illas regat, & gubernet;

Datque ideo illi facultates neceſſarias, contradictores compeſcendi, &c. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum die XXIX. Julii P. a. XII. a. D. 1546.

Monaſteria, quæ erant ſub Regularibus ſubjiciuntur Patriarchæ.

XXXI. Ib. p. 178. CLEMENS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Paſtoralis noſtri, &c.*

EX *rationabilibus cauſis animum ſuum moventibus motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione, & etiam de conſilio Cardinalium ad examinanda Regularium negotia præpoſitorum* monaſteria Monialium S. Claræ, S. Crucis, S. Sepulcri, S. Mariæ Majoris, ac B. Mariæ de Miraculis civitatis Venetiarum, quæ ſub cura Fratrum MM. de Obſervantia erant, ab eorum regimine, gubernio, & juriſdictione eximit, & juriſdictioni Patriarchæ pro tempore exiſtentis immediate ſubjicit.

Patriarcha igitur quandocumque illi videbitur, vel per ſe, vel per idoneos Sacerdotes ab ipſo eligendos viſitare poſſit Abbatiſſas, Moniales, Monaſteria, corrigere, mutare, & facere quæ ad curam, & adminiſtrationem monaſteriorum ſpectant

Vetat Fratres has litteras de obreptionis, & ſubreptionis vitio accuſare, quod vetat quibuſcumque aliis; vultque has litteras perpetuo eſſe valituras.

Sic vult omnes judices judicare, irritumque decernit quidquid aliter judicatum fuerit

Præterea in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis ſuæ, & excommunicationis latæ ſententiæ pœna Fratribus, & Fratrum ſuperioribus mandat, ne ulterius in adminiſtratione, cura vel temporali, vel ſpirituali eorum monaſteriorum ſe immiſceant.

Monialibus jubet, obedientiam, & reverentiam Patriarchæ, vel ab eo electis in viſitatores, correctores, confeſſores præſtent *prompte, & efficaciter.*

Epiſcopus Paduanum, & Brixienſem, & Nuntium Apoſtolicum exſequutores deputat, ut vel ipſi, vel duo, vel unus per ſe, vel per alios hæc obſervari faciant, etiam has litteras publicando, cenſuras jaciendo, invocando, ſi opus fuerit, brachium ſæculare, appellatione remota. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XVIII. Feb. P. a. III. a. D. 1594.

DE ECCLESIIS MINORIBUS.

DE ECCLESIA S. BARTHOLOMÆI.

Unio Eccleſiæ S. Bartholomæi Eccleſiæ S. Salvatoris Canonicorum Regul. facta per Epiſcopum Caſtellanum reſcinditur.

INNOCENTIUS III. Gradenſi Patriarcha. I. Ex Corn. de Eccl. Venetis D. 1. p. 326.

Inc. *Cum dilecti, &c.*

QUæſtio erat inter Eccleſias S. Salvatoris, & S. Bartholomæi, quæ fuit ad S. Sedem devoluta; quam audiendam Pontifex commiſit Cardinali Presbyt. titul. S. Cæciliæ. Prior Eccleſiæ S. Salvatoris ajebat, Pontifices Lucium, Urbanum, Gregorium, & Clementem Eccleſiam S. Bartholomæi per Epiſcopum Caſtellanum Eccleſiæ S. Salvatoris uniri, & ſubjici juſſiſſe. Quod cum tergiverſaretur Epiſcopus Caſtellanus facere, id negotii dederat Cæleſtinus Pp. Epiſcopis Eſculano, & Civitatis Novæ. Quod videns Epiſcopus Caſtellanus ſtatim unionem fecit.

Contra vero Syndicus Eccleſiæ S. Bartholomæi ajebat, Lucium Papam dediſſe in hac cauſa judices delegatos, qui pacem amicabilem fecerunt, *quæ fuit ab utraque parte præſtito juramento recepta, & redacta in publicum inſtrumentum, nec non, & longo tempore obſervata*; aſſerebat, omnes litteras Pontificias *per ſubreptionem a S. Sede fuiſſe impetratas*; Epiſcopum Caſtellanum in hac unione ſine cauſæ cognitione proceſſiſſe.

Tum Prior confeſſus fuit, compoſitionem ſub Lucio factam fuiſſe utrinque receptam; & ſine quæſtione ſervatam.

Cardinalis omnia hæc ad Pontificem retulit, qui cum vidiſſet, eas litteras Pontificias *per ſuppreſſionem veritatis fuiſſe obtentas*, ac proinde unionem factam revocat quippe factam *per litteras ab Apoſtolica ſede ſubreptas, cum mendax precator carere debeat impetratis.*

Innocentius igitur mandat Gradenſi Patriarchæ, ut unionem diſſolvat, compoſitionem jam factam ſervari faciat; inobedientes *per Eccleſiaſticam diſtrictionem compeſcens.*

D. Romæ apud S. Petrum XIV. Calend. Jul. a. D. 1199.

Epiſcopus Equilinus judex deputatur cauſæ inter Patriarcham Gradenſem, & Epiſcopum Caſtellanum de decimis Eccleſiæ S. Bartholomæi.

INNOCENTIUS IV. Marco Epiſcopo Equilino Venetiis commoranti. II. Ib. p. 318.

Inc. *Dudum cauſam, &c.*

LIs ad S. Sedem appellata fuerat, *non obſtante quod cauſa ipſa non eſſet ad Romanam curiam legitime devoluta*, ab Epiſcopo Caſtellano, *ſuper eo quod perceptionem decimarum omnium bonorum mobilium decedentium Parochianorum Eccleſiæ S. Bartholomæi de Venetiis ſuæ Caſtellanæ diœceſis ad Epiſcopum Caſtellanum, qui eſt pro tempore, & ejus menſam Epiſcopalem Caſtellanam de antiqua, & approbata conſuetudine pertinere, & tam ipſum Nicolaum* (is tunc erat Epiſcopus) *& prædeceſſores ſuos, & ipſius menſæ nomine fuiſſe in pacifica poſſeſſione, vel quaſi percipiendi hujuſmodi decimas a tempore, cujus contrarii memoria non extitit*, aſſerebat.

Contra vero reſpondebat Patriarcha, Eccleſiam illam Patriarchatui eſſe unitam canonice, ſe proinde canonice decimas percipere.

Jam Procurator Epiſcopi citaverat bis Romam Patriarcham, qui cum non comparuiſſet, in contumaciam incidit.

„ Videre in hac Bulla eſt ambages forenſes, quæ a „ foro laico jam plures numero, & implicatiores migrarant in forum eccleſiaſticum. „

Innocentius delegat Epiſcopum Equilinum, qui commorabatur Venetiis, ad quem mittit Litigantium chartas, ut litem dijudicet.

Illi facultatem dat cogendi etiam per cenſuras teſtes, qui veritatem dicere nollent.

D. Avenione XII. Cal. Mart. P. a. VII. a. D. 1359.

Eccle-

Ecclesia hæc eximitur ab jurisdictione Patriarchæ Gradensis, subjicitur que Sanctæ Sedi, facultas que datur plebi Plebanum eligendi.

III. Lb. p. 344. BONIFACIUS IX. ad p. r. m.

Inc. *Sinceræ dilectionis, &c.*

PArochiani Ecclesiæ S. Bartholomæi significarunt Pontifici, *cum olim ipsi dictam Ecclesiam, quæ mensæ Patriarchali unita, annexa, & incorporata existit, & quæ reparatione indigebat, non modicum sumptuose reparare cœpissent, ipsi videntes negligentias, quæ plerumque per perpetuos beneficiatos in Ecclesia ipsa circa animarum curam committuntur, ab hujusmodi reparatione penitus cessaverunt in divini cultus diminutionem, & scandalum plurimorum.*

Quare postularunt, ut *super hoc de opportuno remedio Pontifex provideret.*

Pontifex ergo *motu proprio, & ex certa scientia, non ad ullius instantiam*, vult vel *dimittente*, vel decedente vicario, vel vicaria ipsa quocumque modo vacante, Parochianos *libere, & licite idoneum presbyterum, de quo eis pro tempore videbitur, in perpetuum Vicarium dictæ Ecclesiæ Romanis Pontificibus præsentandum, & per eos ad vicariam hujusmodi instituendum eligere posse.*

Et vicariam, & beneficia, vicarium, & beneficiatos, bona præsentia, futuraque Ecclesiæ ab omni jurisdictione, visitatione, correctione, & dominio, & potestate Patriarchæ eximit.

Eaque, & beneficiatos perpetuo S. Sedi subjicit, ita ut in ea, & in eos ratione contractus vel delicti ubicumque ille ineatur, hoc fiat, Patriarcha nullo modo se immiscere possit.

Irritat omnes processus, omnes censuras, quæ a quocumque contra eos beneficiatos pronunciabuntur.

Vicarius potlit, debeatque Ecclesiæ fructus percipere, eosque, ut moris est dividere inter ipsos beneficiatos.

Non ideo tamen præjudicium ullum afferri mensæ Patriarchali vult super bonis, quæ ex ea Vicaria percipit.

In signum hujus exemptionis singulis annis die festo SS. Petri, & Pauli offeret Ecclesia duas libras ceræ (*in Bulla etsi forsan* pag. 347. legitur *croci*) Romanis Pontificibus. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Calend. Mart. P. a. I. a. D. 1401.

Revocantur superiores proxime litteræ, daturque facultas Patriarchæ instituendi, & destituendi Vicarium.

IV. Ibi. 1345. BONIFACIUS IX. ad f. r. m.

Inc. *Justis, & honestis, &c.*

AD *importunam instantiam Joannis de Basilio de hac vicaria* mandaverat Bonifacius, eidem Joanni provideri, *qui se pro perpetuo Vicario ejusdem Ecclesiæ gerebat, illique concesserat, quod ab eadem vicaria a quoquam absque rationabili causa, & Apostolicæ sedis licentia speciali revocari nequiret, seu etiam amoveri.*

Significavit Patriarcha Bonifacio id in grave præjudicium Patriarchalis mensæ cadere, & suæ Ecclesiæ jura imminui; Semper enim consuevisse Patriarchas Gradenses eos Vicarios instituere, & destituere;

Idque etiam in plebis salutem, & Dei cultum cadere: Vicarii enim ne removeantur, sedulo munia sua adimplere.

Pontifex ergo revocat litteras suas, facultatemque eligendi, & removendi Vicarium Patriarchæ restituit; revocatque etiam litteras Vicario Basilio datas.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Sept. P. a. XIII. a. D. 1402.

Ad preces parochianorum jurisdictioni Ecclesiæ Gradensis rursus hæc Ecclesia subjicitur.

BONIFACIUS IX. ad f. r. m. V. Ib. p. 347

Inc. *Etsi forsan, &c.*

NArrat Pontifex quas constitutiones ediderit ad instantiam Parochianorum, & Ecclesiam hanc exemerat ab jurisdictione Gradensis Patriarchæ; (Bulla *sinceræ devotionis*).

Sed cum exposuissent Parochiani Bonifacio, hanc suæ Ecclesiæ exemptionem in gravamen mensæ Patriarchalis cadere, & scandala, litesque oriri posse inter Patriarcham, & Vicarium, litteras suas revocat, & pristinam jurisdictionem in eam Ecclesiam, in Vicarium, in beneficiatos Patriarchæ restituit. N. O.

Nulli ergo &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Dec. P. a. XIII. a. D. 1402.

Confirmatio sententiæ Patriarchæ in Joannem Basilio Vicarium hujus Ecclesiæ.

BONIFACIUS IX. ad p. r. m. VI. Ib. p. 349

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

JOannes Basilio Vicarius hujus Ecclesiæ sui Patriarchæ licentia non impetrata *per nonnulla tempora* a sua Ecclesia se *absentavit*: Patriarcha *per edictum in eadem Ecclesia publicatum* eum *citari fecit, & mandavit, ut* sub pœna privationis ejusdem vicariæ *intra certum peremptorium terminum rediret.* Terminus præteriit, neque rediit. Interim Patriarcha Franciscum Novellum in Vicarium elegit.

Joannes qui tempore privationis erat in alma curia *pro prosequutione certæ causæ*, ajebat, non potuisse se a vicaria amoveri; nam si discessisset Roma, causa sua grave experta fuisset detrimentum, litemque movit Francisco *de possessorio.*

Patriarcha supplicavit Pontifici, ut sententiam privationis Joannis, & electionem Francisci pro bono pacis, & ad tollenda scandala confirmaret, suppleretque defectus, qui esse potuissent in privatione, & electione.

Hoc per has litteras præstat Bonifacius; Joannis privationem, & electionem Francisci ratas habet.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Dec. P. a. XV. a. D. 1404.

Jubentur Patriarcha, & Archidiaconus Venetiarum examinare, & dare licentiam Vicario S. Bartholomæi dandi in Emphiteusim domum quamdam dirutam de jure ejusdem Ecclesiæ S. Bartholomæi.

GREGORIUS XIV. Patriarchæ Venetiarum, & Archidiacono, VII. Ib. p. 355

Inc. *Rationi congruit, &c.*

ECclesia hæc domos habebat Venetiis, quarum reditus erant ducatorum nonaginta septem annuatim. Incensæ fuerunt nudumque solum permansit Ecclesia, cum præ inopia non posset eas reficere; quod cum esset contiguum domui cujusdam Thomæ Tascæ Veneti, illud in emphyteusim accipere sub annuo censu sexaginta ducatorum Venetorum ab Ecclesia postulavit, his conditionibus, ut intra triennium teneretur Tasca *in eodem situ duo millia scuta impendere*, & si per biennium vel ille, vel ejus heredes non solverent eum canonem, Ecclesiæ essent fabricatæ a Tasca domus.

Desiderius Plebanus Sancti Bartholomæi supplicavit Sixto V. ut hunc contractum ratum haberet.

Sixtus morte præventus litteras dare non potuit.

Eas dat Gregorius; qui jubet prædictos Patriarcham, & Archidiaconum examinare, utrum expositia a Desiderio vera sint; verisque repertis, contractum, qui casurus est in utilitatem Ecclesiæ, confirment.

Bullam Pauli II. ad eos mittit, in qua præscribit, qua diligentia uti debeant ii, qui eliguntur, ut alienationes

tiones bonorum, Ecclesiasticorum examinent, confirmentque. N. O.

V. Bullam VI. *Cum in omnibus* in artic. *Generalia ad Ecclesias.*

Dat. Romæ apud S. Petrum VI. Id. Dec. P. a. I. a. D. 1590.

DE ECCLESIA S. PANTALEONIS.

Donatio Angeli Semiteculo Plebani S. Pantaleonis Venetiis facta eidem Ecclesiæ confirmatur.

VIII. p. 1. p. 363. INNOCENTIUS IV. Clericis Ecclesiæ S. Pantaleonis de Venetiis,

Inc. *Exhibita nobis, &c.*

QUasdam domos ære proprio sibi comparaverat Angelus Semiteculo Plebanus S. Pantaleonis.

Cum assensu Episcopi sui Castellani proventus earum domorum, & possessionum legavit Ecclesiæ pro remedio animæ suæ, ita ut tertia redituum pars sit Plebanorum ejusdem Ecclesiæ; aliam tertiam partem præsentes, & residentes tantum Sacerdotes, quos vult esse quatuor, *excepto Plebano, & non plures cum aliis Clericis ipsius Ecclesiæ præsentibus, & residentibus tantum habeant, & percipiant, & dividantur redditus ipsius tertiæ partis inter eos secundum quantitatem, & eum modum, quo consuevit observari inter presbyteros, & Clericos in Venetiis in decimis dividendis.*

Tertia pars sit ipsius Ecclesiæ, & pauperum contratæ ipsius, quæ æqualiter inter pauperes, & Ecclesiam dividatur. Quod si Sacerdos vel Clericus aliquis de licentia Plebani exierit de Ecclesia, & exiterit extra ultra medium annum, pars, quæ ad illum contingeret, deveniat in utilitatem ipsius Ecclesiæ Fabricæ, & donorum; rediens habeat suam partem integram.

Clerici infirmi, senes habeant partes suas; & singulis Sacerdotibus annuatim *per ordinem secundum ætatem temporis, & non ordinis incipiendo a majori in ætate cura colligendi redditus, & pensiones dictarum possessionum a Plebano, & Fratribus committatur.*

Ejusdem Ecclesiæ Clerici petierunt hujus donationis a Pontifice confirmationem.

Qui eam illis elargitur.

Nulli ergo, &c.

D. Mediolani XII. Cal. Aug. P. a. IX. a. D. 1251.

Abbas SS. Ilarii, & Benedicti Castellanæ Diœcesis deputatur Conservator.

X. Ib. p. 371. INNOCENTIUS IV. Abbati SS. Ilarii, & Benedicti &c.

Inc. *Exhibita nobis, &c.*

NArrat Pontifex prædicto Abbati donationem a Plebano Semiteculo factam Ecclesiæ S. Pantaleonis; Sequæ illam confirmasse.

Eum deputat, *ne permittat ipsos* (Clericos) *contra confirmationi Apostolicæ tenorem super his ab aliquibus molestari; molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione posthabita, compescat.*

D. Mediolani XII. Cal. Aug. P. a. IX. a. D. 1251.

DE ECCLESIA S. GASSIANI.

Ecclesia S. Cassiani Venetiarum in protectionem S. Sedis recipitur.

X. Ib. p. 399. CLEMENS III. Dominico Pino, ejusque procuratoribus, & ejus successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Inc. *Pie postulatio, &c.*

PLebanus, & Clerici Ecclesiæ S. Cassiani petierunt a Pontifice confirmationem suorum bonorum, sicut obtinuerant ab Urbano III. & a Gregorio VIII.

I. Ergo Clemens eam Ecclesiam sub protectionem S. Petri recipit,

II. Bona quæ possidet donatione regum, largitione principum, oblatione fidelium, locum ipsum, in quo Ecclesia sita est, cum callibus, domibus, pertinentiis confirmat.

III. Quartam partem decimarum, quæ ad Clericos spectat, & quæ illi legavit Patriarcha Gradensis, eidem confirmat.

IV. Vetat, quemlibet eam perturbare, possessiones ejus auferre &c.

Si qua igitur, &c.

Quatuordecim Cardinales se subscribunt.

D. Laterani per manum Moysi S. R. E. Subdiaconi Vicem-agentis Cancellar. V. Idus Junii Indict. VI. Incarn. Dominicæ anno MCLXXXVIII. Pontificatus D. Clementis Pp. III. Anno primo.

DE ECCLESIA S. SILVESTRI.

Detentores bonorum Ecclesiæ S. Silvestri Venetiarum cogantur ad restitutionem.

INNOCENTIUS VIII. Episcopo Spalatensi, & Plebano S. Paterniani. XI. ex cod. & Corn. D. 4. p. 148.

Inc. *Dilecti filii, &c.*

ALoysius Bagatti Plebanus Ecclesiæ S. Silvestri cum sciret bona dictæ Ecclesiæ quædam alienata esse illicite, quædam distracta, supplicavit Pontifici, ut detentores cogeret ad ea restituenda.

Ergo Innocentius præfatis Episcopo, & Plebano mandat, ut hæc bona ad *jus & proprietatem ejusdem plebanatus revocare curent.*

Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione posthabita compescant,

Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellant veritatis testimonium perhibere.

Quod si non ambo his exequendis potuerint interesse, alter eorum nihilominus exequatur.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Cal. Junii P. a. VII. a. D. 1491.

DE ECCLESIA S. APOLLINARIS VENETIARUM.

Patriarchatus Gradensis Archidiacono datur Plebanatus S. Apollinaris.

INNOCENTIUS III. Abbati S. Felicis, & Archipresbytero Capitis Aggeris Torcellanæ, & Clugiensis Diœcesium, XII. Ib. p. 1572

Inc. *Significavit, &c.*

„ CUm tanto tempore Plebanatus S. Apollinaris rectore vacasset, ut secundum Lateranensis Concilii statuta, ejus provisio jam esset ad Apostolicam „ Sedem devolutus, Sicardus Casalenus Episcopus Cremonensis (Ital. Sacr. t. IV. col. 605.) qui ea tempestate Venetiis Pontificii Legati munere fungebatur, attendens redditus Archidiaconatus Gradensis „ penitus esse nullos, plebanatum vacantem ipli Archidiacono de Apostolicæ Legationis auctoritate concessit,

„ Archidiaconus, ut Legati largitio firmior evaderet, „ Innocentium P. dato supplici libello humiliter exoravit, ut concessionem eandem Apostolico dignare„ tur muniminè roborare.

„ Supplicis vota excepit Pontifex, datisque litteris „ prædictis viris, mandavit per Apostolica scripta, *ut inquisita penitus, & cognita veritate*, si redditus Ar„ chidiaconatus ejusdem adeo *tenues invenirent, & exiles, quod non posset de ipsis dictus Archidiaconus congrue sustentari*, plebanatum prædictum, sicut ju„ stum fuerit, confirmarent, & ipsum Archidiaconum „ facerent pacifica ejusdem possessione gaudere. (*Cornelius ib. p. 151. & seq.*)

D. Laterani IV. Non. Jan. P. a. XV. a. D. 1212.

Redditus hujus Ecclesiæ dividantur inter Plebanum, & Titulatos.

EUGENIUS IV. Laurentio Episcopo Castellano. XIII. Ib. p. 1683

Inc. *Ad ea, &c.*

SIgnificavit M. Placentinus hujus Ecclesiæ Plebanus Eugenio *fructus nonnullorum sine cura beneficiorum perpe-*

tuo-

suorum dictæ plebis adeo esse exiles, quod Clerici perpetuo inibi beneficiati beneficia hujusmodi pro tempore obtinentes ex eis commode sustentari, ac proinde in dicta Ecclesia deservire nequeant, ut deceret pro divini cultus augmento, quod tertia pars fructuum Plebanatus dictæ Ecclesiæ quam obtinet, ab illo segregetur, & dictis beneficiis æquis portionibus concedatur, & perpetuo assignetur, & applicetur. Redditus plebanatus erant Florenorum auri centum, & septuaginta: beneficiorum singulorum decem.

Pontifex *de præmissis certam notitiam non habens*, mandat Laurentio Justiniano Episcopo, ut veritatem inquirat, qua inventa, segregationem applicationemque faciat juxta petita Plebani. N. O.

D. Bononiæ Cal. Jul. P. a. VI. a. D. 1435.

DE ECCLESIA S. JOANNIS ELEEMOSYNARII.

Unio Ecclesiæ hujus Collegio pauperum Clericorum facta dissolvitur, ejusque Plebanus Aloysius Zoja confirmatur.

XIV. lib p. 191. INNOCENTIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

EUgenius P. IV. *ex certis tunc expressis causis in Ecclesia Castellana postea in Patriarchalem erecta sex perpetua officia, quæ Subdiaconatus nuncuparentur in totidem personis Ecclesiasticis ad illa idoneis, necnon unum collegium duodecim puerorum Clericorum, ac pro eis totidem loca, nec non unum in grammatica, & alium in cantu Magistros in præfata Ecclesia motu proprio perpetuo instituerat, atque pro dote, & sustentatione Clericorum, & Magistrorum Plebanatum Ecclesiæ hujus dicto Collegio perpetuo univit.*

Hæc omnia confirmavit subsequutus Pontifex Callixtus III.

Sed Dux Augustinus Barbadicus cum significasset Pontifici propter eam annexionem, cultum, qui a frequentissimo populo illi habebatur, reliquiæ Sanctissimæ Crucis ligni imminui, eamque in loco obscuro jacere; præterea animarum curam esse neglectam,

Pontifex hæc omnia mala reparare satagens incorporationem factam dissolvit, rursusque hanc Ecclesiam in parochialem erigit cum omnibus proventibus, juribus, terminis, sicut habebat ante unionem.

Quia vero Aloysius Zoja qui erat Plebanus, ante annexionem factus fuerat Archidiaconus Ecclesiæ Nonensis, cujus dignitatis redditus erant exigui, ad pristinum plebanatum restituitur, modo velit illum adire, & non potius Archidiaconatum retinere.

Etiam permittit illi ut possit habere aliud beneficium, quod residentiam personalem non requirat.

De dignitatibus ipsius plebis, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem gratiæ dispensat Pontifex.

Vult ut Archiepiscopus Nicosiensis, Plebanique S. Mariæ Formosæ, & S. Geminiani dissolutionem faciant, solitumque juramentum a Plebano Zoja accipiant,

Implerique faciant onera, quæ Plebanatui, & Archidiaconatui incumbunt. N. O.

Nulli ergo &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Maji P. a. IV. a. D. 1488.

Statuta pro electione, & institutione Titulatorum hujus Ecclesiæ, quæ fit particeps privilegiorum Ecclesiæ S. Marci.

XV. lb. p. 197. ALEXANDER VI. Patriarchæ Constantinopolitano, & Episcopo Calamonensi, & Plebano S. Mariæ de Jubenico Venetiarum.

Inc. *Ex injuncto, &c.*

QUia Ecclesia hæc est in loco urbis frequentissimo, quo Mercatores omnes conveniunt, Dux, de cujus jure patronatus est, plebanus, titulati, & procuratores rogarunt Pontificem, ut quædam ad ejus *bonum regimen, & felicem gubernationem faceret, & ordinaret.*

I. Quare vult, ut *præsentatio ad beneficia* dictæ Ecclesiæ *personarum idonearum (prout antiquis temporibus ad Ducem pertinebat) ad Plebanum, & alios Beneficiatos ac Procuratores dictæ Ecclesiæ, ac Ducem pro tempore existentem, vel unum ex officialibus rationum novarum, quem ipse Dux pro tempore duxerit eligendum;*

II. *Institutio vero personarum sic præsentatarum ad Primicerium Ecclesiæ S. Marci, vel ejus Vicarium in spiritualibus generalem pro tempore existentes pertineat.*

III. *Ut numerus beneficiorum minui, & augeri non possit, nisi fructus dictæ Ecclesiæ adeo excrescerent, quod decenter sine aliorum præjudicio dictus numerus posset augeri.*

IV. Ut non viginti quatuor ducatos, ut antea, habeant Beneficiati, qui in mortuorum locum succedent, sed singuli habeant triginta & partem proventuum ex constitutione dictæ Ecclesiæ singulis annis percipiant, & habeant domum pro habitatione sua;

V. Plebanus *autem habeat ducatos centum, & portionem incertorum proventuum juxta assignationem sibi factam nuper per præfatum Ducem.*

VI. *Ut ipsi Beneficiati in dicta Ecclesia personaliter, & non per substitutum residere teneantur; qui absque legitimo impedimento si defecerint, aut a Civitate prædicta sine ejusdem Plebani licentia se absentaverint, & moniti non redierint, beneficiis per eos inibi obtentis privari possint; Plebanusque licentiam revocare possit; nec prætextu cujuscumque privilegii, exemptionis vel indulti generalis vel specialis sub quavis verborum forma a Sede prædicta pro tempore obtenti valeant se tueri, nisi dictorum Patronorum, beneficiatorum, & Procuratorum expressus ad id accesserit assensus,*

VII. Ter in anno Beneficiati vere, æstate, autumno recreationis causa *per dies octo continuos licentia a Plebano petita, licet non obtenta, se absentare possint, dummodo propterea Ecclesia in divinis detrimentum non patiatur,* & si iis diebus lapsis redire distulerint, possint beneficio privari,

VIII. Singulis diebus debeant in eadem Ecclesia celebrare, *nisi de licentia, & consensu Plebani, vel forte aliqua manifesta, & legitima causa per ipsum Plebanum cognoscenda excusentur;*

IX. Choro tamen *intersint cum superpelliceis sub pœna privationis fructuum quorumcunque iis debitorum præsentibus, & interessentibus applicandorum.*

X. Perseverantes non celebrare in dicta Ecclesia absque licentia Plebani, & moniti, possint privari beneficiis, aliique institui,

XI. Quilibet senio confectus deservire non valens personaliter *portionem suam cum ea integritate percipiat ac si deserviret.*

XII. Ad Mansionarias, & Capellanias, quæ sint amoviles si haberi possint presbyteri sæculares, nullus Regularis cujusvis ordinis admittatur.

XIII. Ut Devotio in hac Ecclesia servetur, Plebanus & Beneficiati *ad instar Plebani Ecclesiæ S. Marci, vel beneficiatorum in illa habeantur.*

XIV. In Vigilia Pentecostes, Feria quinta Majoris, & Sabbato Sancto, ac aliis diebus statutis ad Ecclesiam Patriarchalem accedere non teneantur, prout etiam Beneficiati in Ecclesia S. Marci non tenentur.

XV. Omnibus indultis, privilegiis, concessionibus Ecclesiæ S. Marci, & Beneficiatorum in ea circa celebrationem divinorum officiorum, & Missarum nocte Vigiliæ Nativitatis Domini perfruantur.

XVI. Mandat præfatis viris Patriarchæ Constantinopolitano &c. ut hæc statuta servari faciant, contradictoresque per censuras Ecclesiasticas compescant. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Non. Maji P. a. I. a. D. 1493.

Cujus consensus in electione titulatorum & in condendis statutis requiratur.

ALEXANDER VI. Episcopo Calamonensi, & Plebano S. Mariæ de Jubenico Venetiarum. XVI. ex Corn. in suppl. p. 233.

Inc. *Dudum ad supplicationem, &c.*

ITa supplicantibus Duce, Plebano, Titulatis, & Procuratoribus hujus Ecclesiæ dederat litteras in mandatis Pontifex, *ut duo, vel unus ex iis* (Episcopo nempe, & Plebano) auctoritate Pontificia statuta nonnulla condere possent in dicta Ecclesia.

Nomine Ducis, Plebani, Beneficiatorum, & Procuratorum expositum Pontifici fuit, a quibusdam dubitari

tari, quorum consensus in prædictis agendis, & ordinandis requiri debeat.

Respondet Pontifex, quoniam Ecclesia gaudet privilegiis Ecclesiæ S. Marci, & instar ejus regitur, consensum nullius alterius requiri, quam Primicerii Ecclesiæ S. Marci. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIV. Oct. P. a. II. a. D. 1493.

Electio facta a Duce in Plebanum hujus Ecclesiæ confirmatur.

XVII. lb. p. 200. JULIUS II. Plebano S. Bassi Venetiarum.

Inc. *Dignum arbitramur, &c.*

LEonardus Lauretanus Dux *verus & unicus Plebaniæ* hujus Ecclesiæ *Patronus existens in pacifica possessione vel quasi juris patronatus hujusmodi* in locum demortui Aloysii Zoja elegerat in Plebanum Christophorum Persicinum Rectorem Parochialis Ecclesiæ S. Luciæ de Prata Concordiensis Diœcesis; eumque præsentaverat Primicerio S. Marci instituendum;

Mandat Julius, approbata electione, præfato Plebano S. Bassi ut ab illo juramentum dari solitum accipiat.

Ipsum Persicinum absolvit a censuris, eique permittit retinere aliud unum tantum beneficium non curatum, vel posse accipere.

Vult etiam, ipsum Christophorum juramentum præstare *de observandis statutis, & consuetudinibus* dictæ Ecclesiæ S. Joannis.

Permittit eidem Christophoro quoad vixerit, si velit, libere, & licite retinere Ecclesiam S. Luciæ *de specialis dono gratiæ*, modo onera dictæ Ecclesiæ impleantur.

Quidquid contra has litteras fiet, irritat Julius.

D. Romæ apud S. Petrum III. Non. Nov. P. a. II. a. D. 1505.

Electionem Titulatorum hujus Ecclesiæ ad Ducem pertinere decernitur.

XVIII. lb. p. 294. PAULUS III. Nuncio Apost. Venetiis Joanni de la Casa.

Inc. *Cum sicut, &c.*

COntra id quod statuerat Alexander VI. cujus Bullæ tenor refertur (v. s. *Ex injuncto*) Plebanus & Beneficiati hujus Ecclesiæ Beneficiatorum electionem facere non vocatis prædictis Duce, procuratoribusque, *& absque eorum consensu inter alia statuerunt in moderni, & pro tempore existentis Ducis, & Dominii, quorum interest, præjudicium non modicum.*

Quare Dux hoc Pontifici significavit, (erat autem Franciscus Donatus).

Paulus ergo decernit, ut tollatur illud statutum Plebani, & Beneficiatorum, & ut *modernus, & pro tempore existens Dux solus, prout faciebat, personas idoneas ad dicta beneficia illorum vacatione pro tempore occurrente præsentare libere, & licite possit.*

Executorem hujus constitutionis deputat Nuntium A. qui possit per censuras Ecclesiasticas, & per brachium sæculare invocatum contradictores coercere. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVI. Oct. P. a. XII. a. D. 1546.

DE ECCLESIA S. JACOBI MAJORIS DE RIVOALTO.

Missa una ante auroram, & Missa una in Sabbato sancto celebrari possit in hac Ecclesia.

XIX. lb. p. 215. LEO X. Natali Rhegia ejusdem Ecclesiæ Plebano.

Inc. *Multa ad nos, &c.*

MUlta de hac Ecclesia, ait Leo, memorabilia narrantur, *quæ in ea miseratio Divina operatur.* Nam Ecclesiam ipsam *miraculose, & quodammodo divinitus constructam esse perhibetur;* cum ignis omnia circum devastasset, *tamen miraculo divina protegente gratia* illa non fuit absumpta.

Jam Julius II. permiserat, ut Sabbato sancto in ea Missa una celebraretur, quam concessionem Leo confirmat.

Sed cum audiisset, eam Ecclesiam esse in loco urbis celeberrimo, & ad eam concurrere Mercatores, & opifices ante lucem, ut postea operis suis vacent, in eorum solatium permittit, Missam unam ante auroram celebrari posse; ita tamen ne *horam unam ante* auroram excedat.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIV. Dec. P. a. VIII. a. D. 1520.

DE ECCLESIA S. JULIANI MARTYRIS.

Jacobus dictus Græcus de Majurbio eligitur Plebanus hujus Ecclesiæ.

CLEMENS VI. Plebano S. Mariæ de Muriano Torcellanæ diœcesis & Azorio de Manzis de Regio Canonico Patavino, XX. Ex cod. Corn. D. 5. p. 312.

Inc. *Laudabilia dilecti, &c.*

FRanciscus Quirinus hujus Ecclesiæ Plebanus electus fuerat a Clemente Episcopus Justinopolitanus, idem Clemens, ut merita Jacobi dicti Græci de Majurbio Beneficiati in Ecclesia SS. Apostolorum Venetiis præmio afficeret, reservat sibi plebanatum hujus Ecclesiæ conferendum ipsi Jacobo.

Proinde Castellano Episcopo, & Capitulo ipsius Ecclesiæ, & illi, vel illis, ad quos spectat electio ad hunc plebanatum, mandat, ne ad illum quemquam promoveant. Irritam enim futuram esse electionem iis declarat. N. O.

Si dictus Jacobus non sit præsens, ut possit juramentum de observandis consuetudinibus Ecclesiæ præstare, id faciat per Procuratorem, & si habet in Ecclesia SS. Apostolorum beneficium perpetuum personale, illud dimittat, & Plebanatum accipiat. Quare cum vacare contigerit, eum Plebanatum vult Pontifex prædictos Patriarcham, & Canonicum eidem Jacobo cum omnibus juribus, proventibus, pertinentiis conferre, & assignare inducentes eum vel ejus Procuratorem in corporalem possessionem ejusdem Beneficii. N. O.

D. ... IX. Cal. Majj. P. a. VII. a. D. 1349.

Erectio hujus Ecclesiæ in Collegiatam.

INNOCENTIUS VII. Episcopo Castellano. XXI. lb. p. 346.

Inc. *Justis, & honestis, &c.*

DUx Venetiarum Michael Steno, & universi Parochiani hujus Ecclesiæ significarunt Pontifici, *se pro majore Dei cultu in Ecclesia prædicta desiderare plures Sacerdotes, per quos divina officia pro tempore celebrentur in eadem; quodque illis de fructibus, qui ad hoc sufficiunt, licet ultra trecentos ducatos auri non valeant annuatim, possit competenter provideri, reservata nihilominus ex eis congrua portione pro Plebano.*

Pontifex, *qui de præmissis certam notitiam non habebat*, Episcopo *mandat, quatenus, si illi constiterit, quod præfati fructus competenter sufficiant, numerum quatuor presbyterorum eorundem, qui etiam pro tempore missas, & alia divina officia celebrare ac Domino deservire teneantur, instituat:*

Et pro instituto ex omnibus hujusmodi fructibus ipsius Ecclesiæ duas æquales portiones constituere, seu deputare procuret; quarum unam Rector ipsius Ecclesiæ pro tempore pro se, de quibus Episcopalia jura solvere, nec non alia incumbentia sibi onera supportare sit adstrictus, & reliquam dicti quatuor presbyteri percipiant inter eos æquis portionibus dividendam.

Itaque vel moriente, vel dimittente plebanatum præsente Rectore, Episcopus hanc fructuum Ecclesiæ divisionem faciat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Junii P. a. I. a. D. 1405.

DE ECCLESIA S. BASSI.

Ecclesia S. Bassi parochialis separatur a mensa Episcopali Civitatis Novæ, & instituitur, ut primitus erat.

XXII. Ex eodem D. 7. p. 329. MARTINUS V. Abbati S. Gregorii de Venetiis.

Inc. *Apostolicæ Sedis*, &c.

THomas Mocenigo Dux, & communitas Venetiarum exposuere Martino, Ecclesiam Parochialem S. Bassi, quæ regebatur a Plebano, & a Presbyteris idoneis unitam fuisse Civitatis Novæ mensæ Episcopali *rationabilibus causis ad hoc minime precedentibus*; plura damna ex hac incorporatione in eandem Ecclesiam, & in Parochianos redundare, & plebanum, & presbyteros plurimum pati, qui possent congrue se substentare ejus redditibus, *qui ad summam ducentorum, & octoginta ducatorum auri de Camera annuatim ascendunt*.

Præterea exposuerunt, cum Ecclesia sit in platea S. Marci, *non modicum scandalum* ex hac incorporatione enasci; modicum populi ad eam esse concursum.

Supplicarunt ergo Pontifici, ut unionem hanc solveret, & eam in pristinum statum restitueret.

Pontifex, qui harum rerum notitiam non habebat, mandat præfato Abbati S. Gregorii, ut examinet, utrum exposita vera sint. Quæ si vera reperierit, auctoritate Pontificia unionem rescindat, & in pristinum statum S. Bassi Ecclesiam reducat.

Eique præficiat Antonium Bartholomæi Clericum Venetum *cum omnibus juribus, pertinentiis*, &c. modo sit idoneus.

Contradictores pœnis Ecclesiasticis coerceat. N. O.

Si Antonius prædictus sit idoneus, irritum decernit Pontifex quidquid aliter contra hanc constitutionem fiet.

D. Bernæ Lausanensis Diœcesis III. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1418.

DE ECGLESIA S. FANTINI.

Instituitur Plebanus Ecclesiæ S. Fantini Marcus Marinus Titulatus ejusdem Ecclesiæ ac etiam Ecclesiæ S. Hieremiæ.

XXIII. In suppl. p. 4. p. SIXTUS IV. Plebano Ecclesiæ S. Angeli Venetiar.

Inc. *Dignum arbitramur*, &c.

JAm sibi omnes dignitates in Collegiatis Ecclesiis principales tunc vacantes & in antea vacaturas Collationi, & dispositioni suæ reservaverat Sixtus, *declaraveratque irritum*, & *inane*, *si secus super his a quocumque actum fuisset*. Plebanatus porro Ecclesiæ S. Fantini Venetiarum cum sit principalis dignitas & vacarit, per prædictam reservationem conferendus erat a Sixto.

Horum intuitu ergo Marcum Marinum Clericum titulatum Ecclesiæ S. Fantini *morum honestate, aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum*, absolutum prius a censuris Ecclesiasticis ad horum effectum duntaxat obtinendum eligit in Plebanum ejusdem Ecclesiæ,

Sed tamen mandat prædicto Plebano S. Angeli, ut non assumatur ad ipsum plebanatum, cui cura animarum imminet, & cujus redditus decem florenorum auri de camera valorem annuum non excedunt, nisi prius *per diligentem examinationem ad hoc idoneum repererit, super ejus conscientiam onerat Pontifex*.

Cæterum quocunque modo vacet plebanatus, cum semper existat ad dispositionem S. Sedis, illum conferat Plebanus, & assignet eidem Marco, eumque vel per se, vel per alium in corporalem possessionem inducat, accepto prius a Marco solito fidelitatis juramento; & de cetero ipsius plebanatus fructus, redditus, proventus ipse Marcus percipiat.

Non vult tamen Pontifex per hoc *ullum ei quoad assecutionem aliorum beneficiorum, & dignitatum præjudicium afferri*.

Postquam vero prædictus Marcus vel per se, vel per Procuratorem suum possessionem corporalem plebanatus ceperit, vult Pontifex ut dimittat utraque beneficia perpetua ecclesiastica, titulos presbyterales dicta, quorum unum valorem annuum septem florenorum auri, alterum viginti quatuor iecundum communem estimationem non excedunt, & tunc vacare intelligantur, sicut facere promisit,

Domum autem ad beneficium in Ecclesia S. Hieremiæ spectantem Petro Baguacavallo Clerico Aquilejensi familiari suo pro suis quoad vixerit usu, & habitatione cedere, & remanere, ita tamen quod cedente, vel decedente dicto Petro domus ipsa ad ipsum beneficium in statum pristinum revertatur.

Contra quæ omnia irritum, & inane decernit quidquid actum fuerit.

D. Romæ apud S. Petrum XV. Cal. Aug. P. a. I. as D. 1472.

Antonius Viviani in Titulo presbyterali in eadem Ecclesia instituitur.

SIXTUS IV. Plebano S. Angeli Venetiarum. XXIV. Ib. p. 431.

Inc. *Laudabilia dilecti*, &c.

ASsumpto Marino Titulato presbyterali ad Plebanatum hujus Ecclesiæ, vacabat idem titulus.

Eum igitur confert Antonio Viviani Clerico Veneto, cujus erant *puerilitatis laudabilia indicia, ex quibus verisimiliter colligitur, quod se in verum producere debet virtuosum; existebat in XXIII. ætatis suæ anno*.

Absolvit Antonium a censuris Pontifex;

Tum mandat præfato Plebano, ut videat, an eam ætatem habeat Antonius, an fructus beneficii sit septem florenorum auri, & illum de beneficio investiat.

Inhibet Patriarchæ, Clericis Ecclesiæ, omnibus demum, ad quos posset spectare ejus beneficii collatio, illud conferre, cum sit reservata ejus provisio S. Sedi.

Nihil nocere vult eidem Antonio ætatis defectum, N. O.

D. Romæ apud S. Petrum XV. Cal. Aug. P. a. I. a. D. 1472.

DE ECGLESIA S. SEVERI.

Parochiani Ecclesiæ S. Severi parochialia jura solvere jubentur.

URBANUS III. Castellano Episcopo, & Plebano S. Bartholomæi. XXV. D. 13. p. post. p. 145.

Inc. *Significavit nobis*, &c.

QUidam incolæ domorum existentium intra confinia hujus paræciæ, *quæ est capella Abbatissæ* monasterii S. Laurentii, jura parochialia solvere detrectabant.

Id Abbatissa significavit Pontifici,

Qui volens suum cuique reddi, mandat prædictis Episcopo, & Plebano, *quatenus inquisita plenius veritate, si rem ita per se habere constiterit cogant habitatores domorum illarum, ut præscriptam capellam pro audiendis quotidianis officiis adeant, & eis tam in obsequiis mortuorum, quam in aliis reverentiam debitam exhibeant, & parochialia jura persolvant*,

Contradictores censuris compescant,

Verum si aliquid super hoc emerserit quæstionis, id ab illis diligenter audiri vult Pontifex, & sine appellationis diffugio, mediante justitia terminari.

D. Veronæ XXI. Cal. Nov. a. D. 1185.

Jubetur Cenetensis Episcopus molestantes Ecclesiam S. Severi reprimere.

INNOCENTIUS III. Cenetensi Episcopo. XXVI. Ib. p. 163.

Inc. *Ex parte*, &c.

MOniales S. Laurentii significaverant Pontifici, se per annos quadraginta Ecclesiam Sancti Severi attinentem ad monasterium suum possedisse pacifice, & quiete; quosdam vicinos tamen ejusdem Ecclesiæ velle eam illis adimere, Quare orarunt Pontificem, ut provideret.

Innocentius Cenetensem Episcopum deputat, *quatenus convocatis convocandis, si sic rem se habere constiterit, molestatores vicinos ab indebita molestatione per censuram Ecclesiasticam compescat appellatione remota*,

D. Romæ apud S. Petrum P. a. I. a. D. 1197.

Sententia Cenetensis Episcopi confirmatur.

XXVII. Ib. p. 164. INNOCENTIUS III. Dilectis filiabus, &c.

Inc. *Cum a nobis*, &c.

EPiscopus Cenetensis vocatis vocandis, auditisque hinc inde rationibus, vetuerat a vicinis hanc Ecclesiam perturbari.

Hujus sententiæ confirmationem a Pontifice petit Abbatissa.

Qui, *quoniam rationabiliter lata est, nec legitima appellatione suspensa*, eam confirmat, seryarique mandat.

Nulli ergo, &c. *Si quis*, &c.

D. Laterani Id. Jul. P. a. II. a. D. 1198.

Bona Monasterii S. Laurentii, & nominatim Ecclesia S. Severi recipitur in protectionem S. Sed.

XXVIII. Ibid. INNOCENTIUS III. Dilectis filiabus, &c.

Inc. *Cum a nobis*, &c.

PRecibus Monialium inclinatus Innocentius Monialia, Monasterium, bona quæ possidet Monasterium tam Ecclesiastica, quam mundana, aut quæ *justis modis* possessurum est, *recipit sub B. Petri, suaque protectione*,

Specialiter autem Ecclesiam S. Severi de Venetiis cum pertinentiis suis.

Nulli ergo &c. *Si quis*, &c.

D. Viterbii III. Cal. Julii P. a. XVII. a. 1214.

Prior S. Mariæ de Caritate Venet. deputatur executor Episcopi Cenetensis sententia.

XXIX. Ib. p. 146. INNOCENTIUS III. Priori, &c.

Inc. *Dilectæ in Christo*, &c.

QUerimoniam suam destinarant ad Pontificem Moniales, se non obstante Cenetensis Episcopi sententiæ molestari in possessione Ecclesiæ S. Severi a vicinis, licet eadem sententia a Pontifice fuisset confirmata.

Illi enim ascitis sibi quibusdam ipsius Ecclesiæ Clericis, quos Abbatissa instituerat in eadem, quendam Plebanum in ipsa intrudere maluerunt, ac si ad eos electio pertineret.

Ne igitur per interrogationem inutilem prosecutio justitiæ retardetur, mandat Innocentius prædicto Priori, *quatenus illos ad observantiam ipsius sententiæ, sicut est justa, per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellat*;

Vel partibus convocatis audiat causam, & si de partium voluntate fuerit, decidat;

Vel sufficienter instructam ad S. Sedem eam remittat præfigens partibus terminum competentem, quo Pontificis se conspectui repræsentent justam, auctore Domino, sententiam recepturæ.

D. Later. XV. Cal. Febr. P. a. XVIII. a. D. 1215.

Episcopus Mothonensis sententiam Episcopi Cenetensis exequi jubetur.

XXX. Ib. p. 169. MARTINUS V. Martino Episcopo Mothonensi.

Inc. *Humilibus supplicum*, &c.

NArrat Pontifex Episcopo Martino, quæ acta fuerunt circa Ecclesiam S. Severi sub Innocentio III.

Quomodo ad instantiam Monialium ille delegarit Episcopum Cenetensem ad compescendos molestantes vicinos,

Et quomodo ille Episcopus sententiam pro Monialibus tulerit, confirmatam postea ab eodem Innocentio.

Sed cum rursus vicini res novas molirentur, confugerunt Moniales ad Pontificem,

Qui Martino mandat, *ut si illi de dicta sententia legitime constiterit, illam sicut juste prolatam, & quæcumque inde sequuta auctoritate Apostolica approbet, & confirmet, supplendo omnes defectus, si qui forsitan in processu intervenerint, faciatque sententiam ipsam, prout justum fuerit eadem auctoritate appellatione remota firmiter observari*.

Const. Pontificiarum, Tom. II.

D. Genezani Prænest. Diœc. III. Id. Jul. P. a. XI. a. D. 1428.

Deputantur Delegati ad cognoscendam controversiam inter Moniales, & Parochianos S. Severi.

HONORIUS III. Patriarchæ, & Archidiacono Gradensibus, & Ruffo Canonico S. Marci Venet. XXXI. Ib. p. 147.

Inc. *Cum causam*, &c.

LIs enata erat inter Moniales ex una parte, & Parochianos S. Severi ex alia super Ecclesia S. Severi. Pontifex eam delegarat audiendam Episcopo Equilino, qui eam remisit S. Sedi, utriusque partis procuratoribus Romam missis. Eam Pontifex Capellano suo dijudicandam demandavit; sed quia erat *minus sufficienter instructa*, eam decidere non potuit.

Pontifex ergo præfatis viris mandat, *ut causam audiant, & si de partium voluntate processerit infra duos menses post receptionem harum fine canonico eam terminent*; & latam sententiam observari faciant;

Alioquin eandem ad Curiam *remittant sufficienter instructam*, præfigentes partibus terminum competentem, ut se repræsentent.

Quod si non omnes huic causæ interesse possunt, interfit saltem Patriarcha cum altero.

D. Later. XII. Cal. Feb. P. a. I. a. D. 1217.

Confirmatur lata pro Monialibus sententia.

GREGORIUS IX. Dilectis filiabus. XXXII. Ibid.

Inc. *Cum a nobis*, &c.

MArcus Nicolai Episcopus Castellanus a Pontifice delegatus sententiam contra Parochianos hujus Ecclesiæ pro Monialibus definitivam tulerat (lis vertebat super hac Ecclesia.)

Petierunt Moniales, ut eam sententiam confirmaret Honorius.

Eam præsentis scripti patrocinio communit.

Nulli ergo, &c. *Si quis*, &c.

D. Perusii VI. Cal. Febr. P. a. VIII. a. D. 1235.

Sententia Vicarii Capitularis Castellani contra Presbyteros S. Severi confirmatur.

BONIFACIUS IX. ad p. r. m. XXXIII. Ib. p. 148.

Inc. *Sacræ religionis*, &c.

I. ECclesia S. Severi (ita exposuerunt Moniales Pontifici) monasterio S. Laurentii cum esset canonice unita, & pleno jure subjecta, hujus subjectionis ratione Clerici ejusdem Ecclesiæ antequam ad beneficia ejusdem Ecclesiæ perpetua instituerentur, Abbatissæ, ejus solo arbitrio vel admittendi, vel repellendi, consueverunt; & debuerunt præsentari;

II. *Constitutio, & amotio procuratoris dictæ Ecclesiæ ad Abbatissam pertinuit*;

III. *Idem procurator de exactis per eum nomine Ecclesiæ Abbatissæ rationem reddere tenetur, & inconsulta Abbatissa nihil expendere potest*,

IV. *Clerici pro tempore perpetui beneficiati in dicta Ecclesia ad requisitionem Abbatissæ, & conventus in Ecclesia S. Laurentii Missam, ac divina officia celebrare, & Monialibus Sacramenta administrare tenentur, idque fuit observatum a tempore, cujus memoria non extitit*.

Sed presbyteri quinque, qui se gerebant pro Clericis perpetuis beneficiatis in dicta Ecclesia S. Severi falso asserebant præmissa esse vera.

Quare Moniales confugerunt ad Vicarium Capitularem Castellanum, *qui legitime, & juris servato ordine definitivam pro Monialibus contra Clericos sententiam pronuntiavit*.

Ad instantiam ergo Monialium Bonifacius Vicarii sententiam confirmat. (Instrumentum sententiæ apponitur.)

Nulli ergo, &c. *Si quis*, &c.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Cal. Julii P. a. VI. a. D. 1393.

Ib.p.143. „ Beneficiati veniam poſtulantes ab Abbatiſſa S. Lau-
„ rentii confirmarunt ſententiam Epiſcopi Caſtellani
„ latam contra ipſos an. 1391. „

Si Epiſcopus Caſtellanus Capellanos nominatos ab Abbatiſſa inſtituere diſtulerit, præſententur Patriarchæ Gradenſi, vel ejus Vicario.

XXXIV. Ib.p.154. BONIFACIUS IX. ad p. r. m.

Inc. *Juſtis, & honeſtis, &c.*

SOlebat Abbatiſſa, quoties vacabat Eccleſia S. Severi, & ejus beneficia, perſonas idoneas eligere, & præſentare Epiſcopo Caſtellano loci ordinario, ut eas inſtitueret, & etiam promovendos ad ordines clericos ejuſdem Eccleſiæ præſentabat; tenebaturque Ordinarius eas inſtituere, & hos admittere *ſine aliqua contradictione*.

Interdum tamen Ordinarius has perſonas idoneas ſic præſentatas inſtituere, & iis ordines conferre recuſabat *indebite, & injuſte, propter quæ Abbatiſſa, & conventus opprimebantur plurimum, & gravabantur*. Confugerunt ergo ad Pontificem orantes enixe, ut proviſeret.

Decernit ergo Pontifex, ut ſi Epiſcopus Caſtellanus, *canonico impedimento ceſſante, cum debita reverentia requiſitus perſonas præſentatas* inſtituere, vel ordinare, *diſtulerit*, Patriarcha Gradenſis eas inſtituat *ea vice*, & idem Patriarcha Gradenſis, vel alius Antiſtes communionem cum S. Sede habens eas ordinet eligendus ab Abbatiſſa.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Cal. Jul. P. a. VI. a. D. 1395.

Beneficiati hujus Eccleſiæ eximuntur ab juriſdictione Epiſcopi Caſtellani, & immediate ſubduntur S. Sedi, & inſtituentur poſthac per Patriarcham Gradenſem.

XXXV. Ib.p.155. BONIFACIUS IX. Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Clericis in Curata, & Collegiata Eccleſia Sancti Severi.

Inc. *Exigit veſtræ, &c.*

I. OMnes Clericos hujuſce Eccleſiæ eximit Pontifex ab juriſdictione Epiſcopi Caſtellani, eoſque ſuſcipit in protectionem S. Sedis, cui immediate ſubjaceant, ſalvo tamen jure, quod Monaſterio, & Abbatiſſæ S. Laurentii in eos, & in illam Eccleſiam competit;

II. Et quia pro inſtitutione beneficiatorum nimis grave eſſet ad S. Sedem habere recurſum quia beneficia in dicta Eccleſia ſunt admodum exilia, *vult, & de uberioris dono gratiæ concedit*, ut Patriarcha Gradenſis, vel ejus Vicarius in ſpiritualibus, vel alius ab eo ad hoc deputatus, *cum ipſa beneficia ſint electiva*, electiones a clericis factas, & præſentatas Abbatiſſæ, & electos præſentatoſque confirmet, & litteras dimiſſoriales pro ordinibus accipiendis det.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XII. Cal. Oct. P. a. X. a. D. 1399.

Capellani, & Beneficiati hujus Eccleſiæ ab Abbatiſſa admiſſi ſint eo ipſo auctoritate Apoſtolica inſtituti.

XXXVI. Ib.p.157. BONIFACIUS IX. ad p. r. m.

Inc. *Ad nos, &c.*

T*Alis conſuetudo in hac Eccleſia obſervabatur, quod quotieſcumque aliquod beneficium in ea vacare contingebat, dilecti Capitulum ipſius Eccleſiæ idoneam perſonam ad beneficium ejuſmodi eligerent, & electum Abbatiſſæ præſentarent, idemque electus per Abbatiſſam admiſſus Epiſcopo Caſtellano præſentaretur, qui eum inſtitueret, ac ſi ipſe recuſaret*, a Patriarcha Gradenſi inſtitueretur.

Sed cum hujuſmodi inſtitutio aliquando retardaretur *in ejuſdem Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum in ea Altiſſimo famulantium incommodum, & gravamen*, Abbatiſſa, & Conventus ſupplicarunt Pontifici, ut conſuleret.

Statuit igitur, & ordinat, quod de cetero perpetuis futuris temporibus quotieſcumque aliquam perſonam ad quodcumque beneficium dictæ Eccleſiæ per hujuſmodi capitulum electum eidem Abbatiſſæ præſentari, & per ipſam admitti contigerit, hujuſmodi perſona ad beneficium hujuſmodi ſit eo ipſo auctoritate Apoſtolica inſtituta, & per Epiſcopum, vel Patriarcham prædictos ſe inſtitui facere minime teneatur.

Inhibet ergo Epiſcopo, & Patriarchæ diſtrictius ne contra harum tenorem quicquam moliantur, irritum, & inane declarans quidquid attentaverint.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum VI. Cal. Junii P. a. XII. a. D. 1401.

Mandatur Epiſcopo Mothonenſi, ut jura Monaſterii S. Laurentii in hanc Eccleſiam auctoritate A. confirmet.

MARTINUS V. Epiſcopo Mothonenſi. XXXVII. Ib.p.169.

Inc. *Sinceræ devotionis, &c.*

NE prædicti in proxime præcedenti conſtitutione periret memoria, moniales ſupplicarunt Martino, ut eam confirmaret.

Pontifex præfato Epiſcopo committit, *quatenus vocatis quorum interfit, ſi ita eſſe invenerit, conſuetudinem præfatam, prout rite proceſſiſſe conſpexere, auctoritate Pontificia approbet pariter, & confirmet.*

D. Romæ apud SS. Apoſtolos XIV. Cal. Julii P. a. XII. a. D. 1429.

Jura, & privilegia Monaſterii S. Laurentii ſuper hanc Eccleſiam confirmantur.

PIUS IV. Dilectis Filiabus, &c. XXXVIII. Ibid.

Inc. *Quia libenter, &c.*

OMnia jura, quibus per tot ſæcula fruebatur hoc Monaſterium ſuper Eccleſiam Parochialem S. Severi, jam ſuperius n. XXXIX. recenſita, quæ Pontificum privilegiis, & ſententiis Epiſcoporum Cenetenſis, & Mothonenſis innituntur, & præcipue privilegium n. XLII. expoſitum petierunt Moniales ſibi confirmari a Pontifice.

Pontifex illa omnia confirmat.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Julii P. a. II. a. D. 1561.

DE ECCLESIA S. PATERNIANI.

Deputatur Delegatus, qui decernat de numero Presbyterorum in hac Eccleſia.

MARTINUS V. Plebano S. Pantaleonis Venetiarum. XXXIX. Dec. 15. p. 269.

Inc. *Querelam dilectorum, &c.*

FRanciſcus Epiſcopus Caſtellanus volebat in hac Eccleſia augere presbyterorum numerum. Adverſabantur Plebanus, & Capitulum, quod redditus ipſius Eccleſiæ erant imminuti, ut vix ſufficerent iis Presbyteris, qui illi inſerviebant.

Cum contra tenderet Epiſcopus, Plebanus, & Presbyteri confugerunt ad Pontificem, ne vellet *hoc præjudicium non modicum*, atque damnum Plebani, & Capituli.

Martinus ergo deputat præfatum Plebanum S. Pantaleonis, qui vocet vocandos, & *auditis hujuſmodi propoſitis, quod factum fuerit, appellatione remota decernat, faciens quod decreverit ab Epiſcopo auctoritate Apoſtolica, & ab aliis vero prædictis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari.*

D. Romæ apud SS. Apoſtolos V. Id. Dec. P. a. XIII. a. D. 1428.

DE

DE EGGLESIA S. LUGÆ.

Deputatio Delegatorum in cauſa Plebani cum Diacono hujus Eccleſiæ.

XL. Ib.p.155. INNOCENTIUS III. Archipresbytero, & Magiſtro V. Canonico Paduano.

Inc. *Ad audientiam, &c.*

COram Caſtellano Epiſcopo lis erat inter Plebanum ex una parte, & Diaconum ex alia. Diaconus per triennium ab hac Eccleſia abfuerat, contuleratque ſeſe ad aliam Eccleſiam Parochialem; *Plebanus interim* in clericis, & aliis providit Eccleſiæ memoratæ. Diaconus locum ſuum repetebat, repugnabat Plebanus.

Qui quia credebat ſe ab eodem Epiſcopo gravari, ad Pontificis per procuratorem appellavit audientiam.

Deputat præfatos viros Innocentius, qui rem cognoſcant, & quod juſtum fuerit, decernant, per cenſuram Eccleſiaſticam quod ſtatuerint, obſervari facientes.

D. Laterani V. Cal. Jan. P. a. I. a. D. 1197.

DE EGGLESIA S. BENEDICTI.

Eximitur hæc Eccleſia a ſubjectione Monaſterii S. Spiritus, & in ea Plebanatus, & Tituli inſtituuntur.

XLI. Ib.p.185. EUGENIUS IV. Laurentio Epiſcopo Caſtellano.

Inc. *Romanæ Eccleſiæ, &c.*

PArochiani Parochialis Eccleſiæ S. Benedicti expoſuerunt Pontifici, eam Eccleſiam antiquitus fuiſſe de jure patronatus laicorum eoſque donaſſe hujuſmodi jus Monaſterio S. Trinitatis de Brundulo Ordinis Ciſtercienſis, cui monaſterio erat etiam *unitum monaſterium S. Spiritus de Venetiis ord. S. Auguſtini per Priorem ſolitum gubernari*. Monaſterio de Brundulo *guerris* (Januenſe intelligitur) *cauſantibus deſtructo, Prior, & Conventus S. Spiritus* hanc S. Benedicti *Eccleſiam in ſuos uſus obtinentes pro* illius bono, felicique regimine per ſæculares presbyteros ſemper gubernarunt. Sed quia ejuſdem Eccleſiæ redditus cum præcipue eſſent in domorum penſionibus, quæ interdum numquam a conductoribus perſolvebantur, presbyteri Eccleſiam relinquebant in maximum Parochianorum detrimentum: ſatius ergo multo, addebant, animarum ſaluti, divinoque ſervitio conſuli poſſe, ſi, ut ſunt fere omnes Venetæ Eccleſiæ Parochiales, unus Rector, ſeu Plebanus, unus Presbyter, Diaconus unus, unuſque Subdiaconus eligerentur cum aliquot Clericis; ſperari poſſe Priorem, conventumque S. Spiritus, qui utpote religioſi unum Dei cultum, animarumque ſalutem præ oculis habere debent, & orationi quiete vacare ceſſionem eſſe libenter facturos. Orarunt ergo Pontificem, ut expoſitis annueret.

Igitur Eugenius Laurentio Juſtiniano mandat, ut Priori conventuique vocatis hæc dicat, & ſi quidem reſignationem facere voluerint in ejus manibus, Apoſtolica auctoritate eam recipiat, & admittat, *eaque recepta, & admiſſa, dummodo etiam illorum, quorum intereſt expreſſus accedat aſſenſus*, Eccleſiam prædictam cum omnibus ſuis bonis, & juribus a præfato monaſterio ſeparet, & ab ejuſdem juriſdictione ſubducat.

Tum eam erigat in Eccleſiam parochialem ſæcularem, cum Plebano, Presbytero, Diacono, & Subdiacono cum aliquibus Clericis *juxta exigentiam facultatum ipſius Eccleſiæ ad inſtar Eccleſiarum Parochialium Venetiarum*. N. O.

D. Bononiæ Cal. Jan. P. a. VI. a. D. 1436.

Confirmatur ſententia lata in lite ſuper decimarum portione inter quoſdam Plebanos hinc, & Epiſcopum Caſtell. inde.

XLII. D.3.p.305. CLEMENS III. Sacerdotibus, & Clericis S. Mariæ Matris Domini, &c.

Inc. *Æquum eſt, &c.*

LIs enata erat inter Epiſcopum Caſtellanum ex hac parte, & quoſdam Plebanos, & Sacerdotes S. Mariæ Matris Domini, S. Hieremiæ, S. Gervaſii, S. Hermagoræ, S. Sophiæ, S. Canciani, S. Lucæ, S. Simeonis Prophetæ, Sancti . . . S. Pauli, & S. Margaritæ ex alia *ſuper quibuſdam partibus* decimarum.

I. Petebant Plebani, *quod Dominus Epiſcopus dimitteret Plebanos, & Sacerdotes prædictarum Eccleſiarum quartam partem decimarum Clericis debitam habere integram, ita tamen, quod Clerici uniuſcujuſque Eccleſiæ habeant præcipue, & inter ſe dividant quartam illam, quæ provenerit ex decimis parochianorum;*

II. *Etiam, ut idem Epiſcopus integre dimitteret eis quartam debitam pauperibus, & quartam debitam fabricis Eccleſiarum.*

Procurator vero Epiſcopi dicebat.

1. *Quod quartam Clericis debitam integram habere non debebant; immo inter omnes Clericos juxta diſpoſitionem Epiſcopi, ſicuti conſuetum fuerat, diſtribui debebat;*

2. *Quartam partem pauperibus debitam tum ex conſenſu Clericorum, tum quia præcipue ad ipſum cura pauperum reſpicit, de jure retinere poterat;*

3. *Porro quartam quartæ fabricis debitæ pro reſtauratione Matricis Eccleſiæ juſte detinebat.*

Quia cauſa hæc appellata fuerat ad Pontificem, Urbanus III. Gerardum Epiſcopum Paduanum, & Vitalianum Canonicum Paduanum, & Archidiaconum eam decidere juſſerat, ſolitis facultatibus iis datis.

Illi ſententiam pro Plebanis tulerunt contra Marcum Epiſcopum.

Plebanus ergo, & Sacerdotes Eccleſiæ S. Mariæ Matris Domini hujus ſententiæ petierunt a Pontifice confirmationem.

Eam igitur confirmat Clemens; eodemque tempore eidem Eccleſiæ S. Mariæ M. D. bona quæ poſſidet, & juſte poterit adipiſci, confirmat; omnia illi illibata, & integra permaneant, *ſalva ſedis Apoſtolicæ auctoritate, & Diœceſani Epiſcopi canonica juſtitia.*

Si qua igitur, &c.

Cardinales tredecim ſe ſubſcribunt.

Datum Laterani per manum Moyſi S. R. E. Subdiac. vicem agentis Cancellarii V. Idus Junii Indictione VI. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXXVIII. Pontificatus vero Domini Clementis Pp. III. Anno primo.

Electio ſepulturæ conceditur.

MARTINUS V. Nobili Viro Alexandro Georgio. XLIII. D.3.p.240

Inc. *Sinceræ devotionis, &c.*

ALexandro prædicto, & ſingulis ejus familiæ concedit Martinus licentiam eligendi ſibi *juxta ſuæ conſcientiæ deſiderium Eccleſiaſticam ſepulturam in aliqua Eccleſiarum in civitate Venetiarum exiſtentium.*

Jura tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. VII. Cal. Nov. P. a. VII. a. D. 1425.

Nova data privilegia Mendicantibus ne noceant juribus Eccleſiarum Venetarum in funeribus.

SIXTUS IV. Patriarchæ Venetiarum. XLIV. D.16. poſt. p. 275.

Inc. *Ex fide, &c.*

PLurima privilegia conceſſerat Sixtus ordinibus Mendicantibus, quæ continentur in Bullis, quæ ab ejus primis verbis appellantur *Mare Magnum*, & *Aurea*.

Sed cum accepiſſet, Clericos Venetos vivere ex portionibus Canonicis, & funeralibus, ne his imminutis ob privilegia Mendicantibus conceſſa cogerentur divinum ſervitium relinquere, & Parochiales Eccleſiæ ad inopiam redigerentur, mandat Maphæo Gerardo Patriarchæ,

Ut videat, ne hæc nova data Ordinibus Mendicantibus privilegia obſint antiquis conſuetudinibus in Eccleſiis Venetis quoad funera ſemper ſervatis;

Ut ſedulo curet etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, per invocationem brachii ſæcularis, ne quiſquam eas violet. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVIII. Mart. P. a. V. a. D. 1476.

Lega-

Legatus Apoſtolicus pro tempore, & Primicerius S. Marci abſente Patriarcha jura Eccleſiarum Parochialium Venetarum tueantur.

XLV. Lib. p. 321. PAULUS III. Patriarchæ Venet. Nuntio Apoſt., & Primicerio.

Inc. *Dudum felicis, &c.*

RElato quid decreverit Sixtus de funeralibus in favorem Eccleſiarum Venetarum (*& eſt conſtitutio proxime ſuperior*) ait Paulus etiam Leonem confirmaſſe, quod Sixtus ſtatuerat.

Immo Leo, *Sacro tunc approbante Concilio ad conſervandam pacem, & tranquillitatem ſtatus univerſalis Eccleſiæ ſuper confeſſionibus, & abſolutionibus Chriſtifidelium, ac Euchariſtiæ, aliorumque ſacramentorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationibus per quoſcumque religioſos in præjudicium juriſdictionis prælatorum ſæcularium, ac rectorum parochialium Eccleſiarum aliorumque curatorum non audiendis, neque impendendis decretum ediderat.*

Quidam tamen clauſtrales Religioſi quorumdam indultorum a S. Sede obtentorum prætextu non acquieſcebant Lateranenſis Concilii decreto; & volebant confeſſiones laicorum audire, eos abſolvere; iis ægrotantibus ſacramenta miniſtrare, & eos hortabantur, ut vellent ſuis ordinibus legata relinquere, facere eleemoſynas, & in Eccleſiis eorum ordinum ſepeliri. Quæ omnia in detrimentum omnium quidem parochialium Eccleſiarum redundabant, ſed in gravius Eccleſiarum Venetarum, quæ cum exiguos redditus habeant, ſi hæc emolumenta quæ proveniunt e funeribus, ex eleemoſynis, oblationibuſque, iis deſint, ad inopiam rediguntur oportet, deſtituanturque miniſtris, & clericis.

Quare Leo præterquam approbarat Sixti Bullam, aliam ediderat, qua Mendicantibus ea peragere vetabat, quæ poſſent in Eccleſiarum Venetarum damnum cadere. Bullam præventus morte Leo edere non potuit; ſucceſſor Hadrianus VI. Patriarchæ mandavit, *ne Plebani* qui ad Leonem confugerant pro ſuarum Eccleſiarum tuendis juribus, *& curati præfati Leonis decretis, commiſſionis, & mandati fruſtrarentur, quatenus litteras Sixti, & Leonis mandatum in civitate, & in diœceſibus Venetq, & Torcellana ſolemniter publicando illas, & illa, ac contenta in eis inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari curaret*, neque cujuſvis privilegii, indultique Apoſtolici ea violari ſineret, rebelles, inobedientes, contradictores clauſtrales per cenſuras Eccleſiaſticas, & alias pœnas in decreto expreſſas compeſceret, invocato etiam brachio ſæculari, ſi opus fuiſſet contra eoſdem.

Quia tamen interdum accidit, ut hæc jura Venetarum Eccleſiarum violentur, cum caſu Venetiis Patriarcha abeſt, Plebani confugerunt ad Paulum, ut aliquem ſubſtitueret, qui earum Eccleſiarum jura tutaretur in Patriarchæ abſentia.

Paulus ergo deputat exſecutores Sixti, Leonis, & Hadriani Bullarum Nuntium Apoſtolicum pro tempore Venetiis commorantem, & Primicerium Eccleſiæ Sancti Marci, ut ambo ſimul jura harum Eccleſiarum defendant, & ſi alter abſit, unus tantum poſſit, & debeat ea tutari.

Iis dat facultates, quas Patriarchæ dederat Leo, & confirmarat Hadrianus.

D. Civitatis Caſtellanæ III. Cal. Mar. P. a. IX. a. D. 1542.

„ In Synodo Diœceſana Veneta habita a S. Laurentio Juſtiniano cap. III. ſtatuitur *quod honeſte conveniri poteſt cum laicis pro ſepulturis.*

„ Id ipſum confirmatum eſt in Synodo Diœceſana celebrata a Patriarcha Andrea Bondumerio: *Conſtitutio pro Clericis, ut petere poſſint eleemoſynas pro ſepulturis defunctorum.* c. V. „

Laudatur opus Flaminii Cornelii Senatoris Veneti de Eccleſiis Venetis, probaturque non decere, viros laicos hujuſmodi argumenta pertractare.

BENEDICTUS XIV. N. V. Senatori Flaminio Cornelio, XLVI. In tomo indicum. p. 263.

Inc. *Acceptiſſimum munus, &c.*

HIſtoriam Eccleſiarum Venetarum decem, & tribus tomis contentam, & Eccleſiarum Torcellanarum tomis tribus conſtantem a ſe conflatam miſerat ad Benedictum Senator ampliſſimus Flaminius Cornelius.

Se ejus lectione ſummopere delectatum fuiſſe, reſcribit Cornelio Benedictus, & maxime ejus pietatem, ſacramque eruditionem probaſſe; velleque, ut ejus exemplo, & Pontificia commendatione ad hæc ſacra erudita ſtudia alii etiam excitarentur. Nam plurima antiquitatis monumenta, *quæ neglecta obſoleſcebant*, viſa Pontifici *inſignia, ac præclara e ſelectioribus tabulariis eruta* Cornelius publici juris fecit.

Singulare ſemper, & tamquam proprium inclytæ illius patriæ decus fuit Chriſtianæ pietatis, ac religionis ſtudium. Ipſa Cornelii opera ſunt argumenta, in quibus plurima ſunt, quæ mirum quantum eruditioni augendæ inſervire, & pietatem fovere poſſunt. Certe Benedictus teſtatur, ſe ex ejus operibus multa didiciſſe, quæ ſi ſciviſſet antea, uberius Rempubl. Venetam laudaviſſet, cum Græcum ſchiſmaticum Epiſcopum e ſuis ditionibus ejecit, ne ſuis ſententiis Catholicum gregem inficeret. Namque Cornelius t. XII. ſuæ hiſtoriæ plura monumenta profert, quibus qua vigilantia, *quibus acerrimis aditis*, ſapientiſſimiſque *decretis, ne inter Græcos S. Georgii Sacerdotes ulli ſchiſmatico locus eſſet*, Veneta Reſpublica ſemper curavit, invicte demonſtratur.

Utilitate igitur eaque inſigni opus hoc commendatur.

Et hoc onus ſuſcipiendo, ſubſtinendoque imitatus eſt Cornelius ſummos doctiſſimos viros, qui ſimilibus in ſtudiis ſunt verſati. De Venetis nihil dicit Pontifex, de exteris loquitur; Marcus Antonius Guarinus *Ferrariæ urbis, cujus erat civis, totiuſque Ferrarienſis diœceſeos Eccleſiaſticam hiſtoriam ſcripſit, eamque anno 1621. vulgavit*; Joannes Baptiſta Biancolinius ætate noſtra pluribus voluminibus contentum opus illud edidit *Notizie Storiche della Chieſa di Verona* inſcriptum. Quot eruditi viri de Eccleſiis urbis Romæ ſcripſerunt. Panvinius, Severanius, Cardinalis Raſponius, Paulus de Angelis, aliique plurimi, quorum partim omnes Eccleſias illuſtrarunt, partim ſolas Baſilicas, partim Eccleſias titulorum Cardinalitiorum.

Quidam tamen putant de hujuſmodi argumentis ſcribere laicum hominem minime decere; id ad Eccleſiaſticas perſonas ſpectare. At modo ingenio, criterio, eruditione, doctrinaque ſcriptores præſtent, cur & laici ſcribere de his rebus non poſſunt?

Ne veteres Juſtinus Philoſophus, Athenagoras Athenienſis, Arnobius Africanus, Didymus Alexandrinus, Lactantius Firmianus, Proſper Aquitanus, Severinus Boethius, Caſſiodorus, Evagrius Epiphanienſis aliique bene multi omnes laici, & ſcriptores rerum Eccleſiaſticarum commemorantur, e recentioribus Maria Florentinius Lucenſis Medicus profeſſione *in Martyrologium Romanum adnotationes valde probandas conſcripſit*; Philippus Bonarrotius Florentinus opus edidit *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro ornati di figure trovati ne' Cimiterj di Roma.*

Jam hujuſmodi ſcripta *ad juris Canonici tractationem pertinere nemo ſane negavit.* In tractatibus autem juris Canonici plurimi Laici verſati ſumma cum laude fuerunt; quorum non paucos recenſet Benedictus. Carolus Sigonius eloquentiam Bononiæ profeſſus eruditiſſimis commentationibus Eccleſiaſticam Severi Sulpicii hiſtoriam illuſtravit, & Bononienſium Epiſcoporum ſeriem contexuit, Paulus Maſinius quidquid ad Bononiæ viros Sanctos, Epiſcopos, cœnobia pertinet in prægrande volumen ſuum *Bononiæ perluſtratæ* congeſſit; Valerius Zanius Comes multa de Sanctis Bononienſibus viris ſcripta edidit, quibus ſe multum fuiſſe adjutos Bollandiani collectores teſtantur.

Venit nunc Benedictus ad recenſendos aliquot Venetos, qui laici de rebus ſacris ſcripſerunt; Carolus Capellus Senator commentarium Paulo III. nuncupatum edi-

didit *De obſervanda ſecundum Deum, & ſecundum Deum colenda Eccleſiaſtica majeſtate, & SS. Apoſtolorum conſtitutionibus, & decretis.*

Cum Legatus apud Ferdinandum Imperatorem eſſet, unum & alterum *de juſta Dei contra nos indignatione* commentarium conſcripſit, quod traditur a N. V. Marco Fuſcareno S. Marci Procuratore, poſtea Duce in egregio opere *Della Letteratura Veneta* p. 362. Mutius Juſtinopolitanus Eccleſiaſtica ſcripſit opera, illa præſertim adverſus Paulum Vergetium *Catholicæ Religionis perfugam, ac proditorem Epiſcoporum*; in Chronico Andreæ Danduli Ducis multarum Eccleſiarum inſtitutiones reperiuntur, multorum cœnobiorum inſtitutiones, acquiſitiones multorum corporum Sanctorum referuntur: Bernardus Juſtinianus eques, & D. Marci Procurator vitam, & geſta Patrui ſui Laurentii Juſtiniani primi Venetiarum Patri. conſcripſit; Laurus Quirinus, Paulus Maurocenus *de Judæorum perfidia* ſcripſerunt, vitas Sanctorum proſequuti ſunt Leonardus Juſtinianus, Ludovicus Fuſcarenus, Franciſcus Diedus, Andreas Maurocenus, Jo. Franciſcus Lauredanus, Nicolaus Segundinus. Qui plures ſcire vult, legat opus P. Joannis Auguſtini Ord. MM. de Obſ. in libro *Notizie Iſtorico-Critiche intorno la vita, e le opere degli Scrittori Veneziani*. Tum fuſe laudes Apoſtoli Zeni, & Marchionis Scipionis Maffeji proſequitur Pontifex; ille cum Joanne Baptiſta Leonarducio Presbytero Venetorum Epiſcoporum, & Patriarcharum, imo etiam Primiceriorum, & ſingulorum omnium Patriarcharum, Plebanorum ſeriem digeſſit, in ſua *Verona illuſtrata* Veronenſium Epiſcoporum hiſtoriam complexus eſt.

Qui negant fas eſſe laico tractare argumenta ſacra, nituntur capite *quicunque, de Hæreticis in ſexto:* canonis verba ſunt; *inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publice, vel privatim de Fide Catholica diſputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Quem canonem explicat Benedictus ſequutus Penium *in adnot. ad Inquiſitorum directorium part. I. qu. 10. Comment. 25. §. verum ut hæc apertius.* Ibi vetatur indoctis diſputare cum hæreticis de rebus fidei; quæ diſputationes fiunt voce, & ſcriptis. Sed opus Cornelii non eſt diſputatio; collegit antiqua monumenta, *quibus & Catholicorum pietatem auget, & litterarum hominum pietati ſervit.*

Se igitur conſoletur Cornelius, Deoque gratias agat, quod opus ſuum ad optatum finem perduxit. Pontifex certe in ſuo opere *de Synodo* Venetiis iterum edendo aliquanto auctiore L. VI. c. 8. commemorabit honorifice hoc opus Cornelii. Quod quidem Pontificis judicium Veneti Cleri Congregatio dum nuniſma Cornelio *tanquam optime de ſe, atque inſigniter merito* cudi fecit, confirmat, confirmant Bollandiani Patres non in uno ingentis ſui operis loco.

Reliqua opera hujuſmodi in lucem edita a Cornelio, inter quæ eſt Diſſertatio noviſſima *de cultu S. Simeonis pueri Tridentini Martyris apud Venetos notis illuſtrata*, quam ſumma cum voluptate Pontifex legit, in qua auctoris doctrina, eruditioque egregia emicat, non dubitat Benedictus, quin magni ab omnibus juſtis rerum æſtimatoribus ſint facienda.

Eum demum hortatur, ut hujus generis argumenta in ſuæ inclytæ patriæ decus, in ſui nominis famam, in Litterariæ Reip. ornamentum, in Chriſtiani populi utilitatem pertractare pergat; illique peramanter Apoſtolicam impartitur benedictionem.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXII. Dec. P. a. XIV. a. D. 1753.

„ Placuit hoc Benedicti Breve addere, cum quia dignum eſt Pontifice tanto, eſt mire eruditum, tum quia miſſum eſt ad Virum de Veneta Eccleſia, ad quam bullas omnes attinentes, quas quidem reperire potuit congeſſit adeo benemeritum.

DE REPUBLICA JANUENSI.

Hortatio ad Regem Hieroſolymitanum, ut navem Januenſibus reſtituat, eoſque in poſſeſſione Vicecomitatus Acaronis relinquat.

I. ex Lunig. t. 2. p. 2084. HADRIANUS IV. Hieroſolymitanorum Regi illuſtri.

Inc. *Ad hoc. &c.*

QUeſti apud Pontificem Januenſes fuerant, *homines* Regis *pecuniam, & navem, in qua ipſa pecunia ferebatur eis, nulli rationabili cauſa interveniente per violentiam abſtuliſſe, & uſque in præſens detinere præſumere.*

Si Rex attendiſſet, quæ incommoda hinc oriri poſſint, quæ damna, *cum Januenſis civitas, gloriosa, & inclita in remotis mundi partibus potentiſſima habeatur*, id nec juſſiſſet, vel non permiſiſſet, nec opus eſſet Pontificia admonitione, ut illa reſtituere faceret.

Eum ergo Hadrianus admonet, & per præſentia ſcripta mandat, ut ablata reſtituat, ne det jurgandi materiam.

Si enim aliter faciet, *non poterit quominus in ejus terram pro ipſius detentione rapinæ gravius vindicet.*

Etiam Regi mandat, *ut Vice-Comitatum Acaronis, & alia jura, quæ ad Januenſium jus ſpectare noſcuntur, eos de cætero pacifice poſſidere, & ſine ulla inquietatione permittat.*

A. 1154.

Excommunicantur Januenſes, quod diripuerint munera a Balduino miſſa ad Pontificem.

II. ex Rayn. ad ann. 1204. §. 23. INNOCENTIUS III. Archiepiſcopo Januenſi.

Inc. *Cum Cariſſimus, &c.*

EXpugnata a Latinis Conſtantinopoli, Imperator electus Balduinus miſerat ad Pontificem præclara munera per Barrochium domorum Templi in Lombardia Magiſtrum,

Cavunculum unum emptum milla marchis argenti, annulum pretioſum, ſmaragdum quinque, palliumque peroptimum ad altaris ornatum duas iconas unam habentem tres marchas auri, & aliam decem marchas argenti cum ligno vivificæ Crucis, & multis lapidibus pretioſis, duas cruces aureas, & inter topazios, ſmaragdos, & rubinos pene ducentos unam cryſtallinam ampullam, & duos ſcyphos argenteos, unam ſcutellam deſuper deauratam, duas capſellas, & unam ampullam argenteas, & inſuper quinquaginta marchas argenti.

Bellamutus, & VV.... Januenſes cum ſeptem Galeis in portu Mothone prædicta omnia munera abſtulerunt; licetque clamaret Barrochius eam injuriam gravitſime laturos Imperatorem, & Pontificem eſſe, & pœnas de illa ſumpturos, tamen ab indigno facinore non deſtiterunt.

Archiepiſcopo ergo prædicto mandat Innocentius, ut cogat per cenſuras prædones ablata reſtituere,

Eique huic conſequendæ reſtitutioni aptas dat facultates.

D. Romæ apud S. Petrum II. Non. Nov. P. a. VII. a. D. 1204.

Confirmantur exemptiones a datiis Populo Januenſi.

ALEXANDER IV. Poteſtati, & populo Januenſi. III. B. R. t. 3. p. 1. p. 350. C. C.

Inc. *Eccleſiam Dei, &c.*

MEritis Januenſis populi in Romanam Eccleſiam, quam in tranſmarinis partibus tutatus ſemper fuerat, expoſitis, *innumeriſque ejus expenſis, & grandi ſtudio*, Innocentius volverat,

Ut eſſet immunis in regno Siciliæ, in Ducatu Spoletano, in Marchia Anconitana, Patrimonio S. Petri, & in omnibus terris S. Sedis *a datiis exactionibus, collectis, & pedagiis.*

Hanc exemptionem confirmat Alexander.

Nulli ergo &c. Si quis &c.

D. Neapoli VI. Id. Jan. P. a. I. a. D. 1255.

De juramento Januensium de non præstando auxilio Friderico.

IV. ex Lunig. t. 4. p. 1931. BONIFACIUS VIII. Porchetto Spinulæ Ord. FF. Minorum Ecclesiæ Januensis administratori,

Inc. *Gaudemus de illorum, &c.*

MAxime lætatus fuit Bonifacius, cum audivit, Januenses juraſſe, ſe auxilium non eſſe præſtituros Friderico contra Carolum Siciliæ Regem.

Sed non potuit non indignari *de præcipitatione mirabili Poteſtatis, Abbatis Antianorum, Conſilii, & Communis Januenſium*, qui hujuſmodi juramenta impedire moliti ſunt; *& quod deteſtabilius eſt*, voluerunt eos, qui juramenta præſtiterunt arcere a divinis; ſed arcuerunt ab omnibus officiis communis.

Quare maluiſſet Pontifex ut Porchettus ſicut incœperat recipere juramentum, ita perrexiſſet, Deus enim cauſæ ſuæ defenſores protegit.

D. Later. VII. Cal. Sept. P. a. a. D. 1301.

Interdicitur Januenſibus merces, & arma ad infideles ferre.

V. ex Rayn. ad ann. 1317. §. 36. JOANNES XXII. Gubernatoribus, & Communi Januenſi.

Inc. *Ad noſtrum, &c.*

„ JAnuenſes nonnulli avaritiæ furiis perciti invidentes commercio aliorum populorum, licet jam cum „ ſuſcepta fuiſſet prima Sacra expeditio in Terram „ Sanctam edixiſſet Pontifex, ne commercia cum infidelibus fierent, multoque minus ad eos deferrentur arma, ferrum, lignamina, cæ demum res, quibus poſſent ſe defendere, & Chriſtianos lædere, tamen commercia cum illis exercere, & ad eos arma ferre non „ deſiſtebant.

Imo *cum perfido Soldano Babyloniæ familiaritatem domeſticam contraxerant.*

Et nunc mulieres, nunc pueros Chriſtianos rapiebant, quos exponebant Saracenis ipſis ad abutendum.

Et inſuper ad clarius ſuæ perverſitatis indicium in vexillis ſuis ſigna ferebant nefandiſſimi Machometi.

Hæc cum tantum in dedecus Chriſtiani nominis, & in graviſſimum detrimentum totius rei Chriſtianæ, & negotii Terræ Sanctæ jacturam, damnumque ingens aliorum populorum redundarent; peragi pati pro ſuo munere Pontifex nequit.

Eos ergo monet, ut meminerint, ſe Chriſtianos eſſe, nihil divitias valere acquiſitas per has artes, imo nocere animæ, ſe non poſſe, ait, facere quin in eos arma ſpiritualia moveat, niſi paruerint.

D. Aven. III. Non. Mar. P. a. II. a. D. 1317.

Hortatio ad Januenſes, ut pacem cum Venetis faciant.

VI. Ib. p. 1950. INNOCENTIUS VI. Joanni de Valente Gubernatori, & Communi Januenſi.

Inc. *Verebamur, &c.*

JAm, ait ſe prævidiſſe animo Pontifex, quæ erant eventura in diſcordia Petri Aragonum Regis, & Ducis, & Communis Venetiarum, & Januenſium. Dolet Pontifex, multos in prælio occidiſſe, ſed magis deflet animarum interitum.

Commiſſa fuerat pugna, quæ minus æqua Januenſibus fuerat. Multos abſorbuerat mare, multos abſumpſerant gladii.

Januenſes, ut decet viros fortes, hanc jacturam a Deo accipient, ſed tamen prudentis eſt, hujuſmodi pericula vitare; præponant pacem bello, ineant amicitiam cum hoſtibus, ſibique perſuadeant, pacem eſſe bello potiorem.

D. apud Villam novam. Aveni. Diœc. III. Cal. Oct. P. a. a. D. 1353.

Roſa aurea mittitur ad Ducem Januæ.

NICOLAUS V. Ludovico de Campo Fregoſo Januenſium Duci. VII. Ib. p. 2023.

Inc. *Conſueverunt &c.*

UT *gratitudo Pontificis oſtendatur* erga benemeritos, & alii excitentur ad eos imitandos, roſam auream, quæ in Dominica *Lætare* quadrageſimæ benedicitur a Pontifice, etiam abſentibus interdum Pontifices miſerunt.

Conſiderans ergo Nicolaus ſingularem in R. Eccleſiam Ludovici pietatem, certeque ſciens, eum ſemper R. Eccleſiam propugnaturum, illi auream Roſam mittit.

Excipiat igitur munus, quod licet pretio haud maxime ponderandum ſit, dignitate tamen, & æſtimatione multo pretioſiore antecellit.

D. Romæ Cal. Jan. P. a. III. a. D. 1459.

„ Si reperta fuiſſet hæc Bulla ante impreſſionem fo„ liorum, in quibus agitur de Roſa aurea, ibi repoſita „ fuiſſet,

Oratur populus, Cleruſque Januenſi, ut Caffæ periclitanti auxilietur.

NICOLAUS V. Nobilibus viris protectoribus Compararum S. Georgii Civitatis Januæ. VIII. ex Rayn. ad ann. 1455. §. 9.

Inc. *Cum a fide, &c.*

AMultis viris fide dignis factus fuerat certior Nicolaus, Turcas ac Tartaros conſilium vere proxime venturo iniiſſe *præclaram, potentiſſimamque urbem Caffam & alia loca dominio Januenſi ſubdita invadendi*; proinde Januenſes nihil non omittere eorum, quæ ad earum terrarum defenſionem pertinebant.

Sciens Nicolaus expenſas ſummas quas illi faciebant, & quas facere præterea debebant, iiſque compatiens, ut majores ſumptus alacriuſque facere poſſent,

Omnes utriuſque ſexus, etiam in religione, & Sacerdotio conſtitutos hortatur ut quicunque poſſunt, perſonaliter ad illa loca ſe conferant ea tuituri; qui vero perſonaliter illuc accedere nequeunt, auxilium larga manu, promptoque animo in pecunia ferant.

Opus hoc erit Deo gratiſſimum; namque in cauſa erunt, cur Chriſtiana Religio in iis terris vigeat ſuſtollenda, ſi Turca iis potiatur; & æterno præmio Deus illud afficiet.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Non. Jan. P. a. VIII. a. D. 1455.

„ Etiam Callixtus excitavit Januenſis diœceſis in„ colas, & Lunenſes, Terdonenſes, Aquenſes, & A„ ſtenſes cives ad ferendam opem Januenſibus. Bulla „ affertur a Rayn. ib. §. 32. ejus litteræ ſunt Nicolai „ litterarum ſimiles, proinde prætermittuntur.

Archiepiſcopo Januenſi dignitas Ducalis collata confirmatur.

PIUS II. Paulo Archiepiſcopo, & Duci Januæ. IX. Ib. p. 2049.

Inc. *Ducatum Patriæ, &c.*

ANno ſuperiore jam fuerat hic idem Archiepiſcopus ad Ducatum evectus, *ſed non tam cito in magiſtratum inivit quam deponere coactus fuit. Certe Pontifici eodem fere tempore & ejus aſſumptio, & ejus depoſitio nuntiata fuit.*

Quare miratur Pontifex, qui potuerit eligi, qui *potuerit ejus civitatis temporale regimen accipere, quæ novitate ſuper omnes Italos gaudent ſemper nutat, ſemper in motu eſt, nec ullum diu rectorem, ducemque patitur, ut expertus* ipſe Archiepiſcopus fuerat.

Difficile videtur Pio ſuſtinere ſimul perſonam Archiepiſcopi, & Ducis.

Præterea magna cauſa fuerit oportet, quæ Januenſes moverit ad eum eligendum in Ducem. Fortaſſe pertæſi laici regiminis experiri volunt regimen Eccleſiaſticum. Hinc tanto difficilior redditur ea provincia. Quæ enim laicum decent, dedecent Epiſcopum, & gravia in Epiſcopo ſunt crimina, quæ ſunt levia in laico.

Videat Archiepiſcopus, ne dignitatem acceperit ad explendam privatam libidinem.

Cæte-

Cæterum *conſiderans rite, & ſecundum leges Civitatis principatum eſſe ad illum delatum, & ut pollicebatur, utiliter populo præfuturum illum, ſicut rogatus fuerat, & ei, & ejus civibus, & univerſæ Reip. Chriſtianæ in nomine Sanctæ Trinitatis benedicit* Pius.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Cal. Febr. P. a. V. a. D. 1463.

Pro Januenſibus ad Proregem Neapolitanum.

X. Ib. p. 2051. LEO X. Raymundo Cardonæ Proregi Neapolitano,

Inc. *Ex Litterarum, &c.*

OCtaviani Januenſium Ducis litteras ad ſe miſſas, in quibus ſtatus Reip. deſcribebatur, ad Proregem Leo mittit, ut ex eis colligat audaciam eorum, qui perturbare eum armis, collectiſque exercitibus omnia permiſcere aggrediuntur.

Tum monet Proregem haud decere, cum omnia quieta in Italia ſint, eam Remp. perturbari; multo vero minus decere illius ſtatum labefactari, quæ ſub protectione S. Sedis, & Ferdinandi Aragonum regis vivit; non decere, eum, qui florentiſſimum exercitum habet, permittere, ut ejus Reip. interrumpatur quies.

Vix ac ſcivit Leo armari exercitum, ut dicebatur, pro tuenda Januæ libertate, qua litteris, qua Nuntiis monere non deſtitit, ne urbis Pontificiæ tutelæ commiſſæ ſtatum innovare vellent; miſit etiam triremes ad tutandam urbem; indixit, eam ſub tutela Regis Aragoniæ eſſe.

Sed cum nolint adverſarii ab incœpto deſiſtere, agitur de dignitate Pontificis, agitur de dignitate Regis, niſi arma capiantur, ejuſque Reip. propugnatio ſuſcipitur.

Proregem ergo hortatur Leo, ut exercitum moveat, ut claſſem mittat, eamque ab imminenti periculo ſubtrahat. *Quod illi, nominique ejus magnum ſane ſplendorem, magnam auctoritatem afferet.*

D. Romæ apud S. Petrum VII. Cal. Dec. P. a. I. a. D. 1513.

Ad preces Januenſium Corſis remittuntur decimæ.

XI. Ib. p. 2055. PIUS V. Duci, & Gubernatoribus Reip. Januenſis.

Inc. *Sicuti antea, &c.*

GRave Januenſes, diuturnumque ſuſtinuerant bellum contra Corſos, qui defecerant a Rep. ſed impunitas iis promiſſa, conditiones utiles iis propoſitæ eos flexerunt.

Scripſit autem Dux Pontifici, ut vellet eiſdem Corſis remittere decimas, quas per annos belli dare Epiſcopis intermiſerant; hoc quoque eos moturum ad pacem.

Reſcribit Pius, ſe doluiſſe magnopere, cum audiebat, res Januenſium proſpere ſuccedere; ſe lætari eas nunc felices eſſe; ſe libentiſſime votis Reip. annuere, & abſolvere a debitis Epiſcopis, & Clero decimis per eos annos Corſos. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIV. Nov. P. a. II. a. D. 1567.

Confirmatio privilegii, ne Januenſes poſſint extra ſuam urbem extrahi ad lites agendas.

XII. B. R. t. 5. p. 1. p. 168. C. C. SIXTUS V. Nobili Viro Duci, & Gubernatoribus.

Inc. *Præſtantiſſima Pietas, &c.*

QUidam Pontifices, qui recenſentur a Sixto, dederant Januenſibus privilegium, ne ad peragendas lites poſſent extrahi inviti extra urbem ſuam.

Alii Pontifices alia privilegia dederunt.

Cum multi Conſervatores, & delegati contra hæc privilegia facerent, præcipue contra primum, Dux, & Gubernatores ſupplicarunt Sixto, ut ea confirmaret.

Illa igitur Sixtus confirmat, & innovat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die VI. Dec. P. a. I. a. D. 1585.

Chriſtiani capti in navibus Turcicis traduntur Archiepiſcopo Januenſi.

SIXTUS V. Duci, & Gubernatoribus Reip. Januenſis. XIII. B. R. t. 5. p. 1. p. 205. C. C.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

CUm contingeret interdum, ut Capitanei triremium hujus Reip. potirentur navibus Turcicis, nonnulli Chriſtiani ibi reperti, qui abnegaverant Chriſtianam fidem, volebant Judici Eccleſiaſtico, ſeu Inquiſitori tradi; quod cadebat in damnum Reip. quæ privabatur remigibus.

Supplicavit Gubernium Sixto, ut provideret;

Qui decernit, hos Chriſtianos ſic captos non alii tradendos, quam Archiepiſcopo Januenſi, & niſi cum naves ad Januæ portum appulerint. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXI. Sept. P. a. IV. a. D. 1588.

Datur Facultas Epiſcopo Naulenſi Ducem, & Gubernatores abſolvendi ob glebas ſublatas a terris Epiſcoporum Saonenſis, & Naulenſis ſine licentia S. Sedis.

URBANUS VIII. Epiſcopo Naulenſi. XIV. B. R. t. 6. p. 1. p. 166. C. C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

IN præſentibus belli motibus Dux, & Gubernatores Reip. ut fortalitium S. Laurentii, & ſitum S. Stephani in vado munirent, uſi ſunt abſque licentia S. Sedis glebis ablatis ex bonis pertinentibus partim ad menſam Epiſcopalem Saonenſem, partim ad Naulenſem.

Cum advertiſſent, ſe incurriſſe cenſuras, veniam orarunt.

Pontifex præfato Epiſcopo mandat, ut eos a cenſuris abſolvat.

Pretium autem, quod dabunt in refectionem dati damni vult ab Epiſcopo, ſimul cum Senioribus Canonicis inveſtiri in utilitatem earum menſarum.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIV. Mar. P. a. VI. a. D. 1629.

Facultas Ordinariis Status Januenſis inquirendi contra conſpiratores in Rempublicam datur.

URBANUS VIII. Archiepiſcopo Januenſi. XV. Ib. p. 2184 C. C.

Inc. *Exooni nobis, &c.*

MAlo animo multi machinati erant contra quietem Reip. ex ordinibus omnibus civium.

Multi Eccleſiaſtici participes erant hujus conſpirationis, ſed nolebant quicquam proferre metu irregularitatis.

Oratus Pontifex a Gubernio, ut provideret, mandat, Archiepiſcopo Januenſi, aliiſque ejuſdem ditionis Epiſcopis, ut ipſi ab Eccleſiaſticis hoc inquirant ſub cenſurarum pœnis iis infligendis, niſi teſtentur, quod ſciunt,

Eccleſiaſticos autem liberat ab incurſu in irregularitatem, ſi ex eorum depoſitione aliquis morte afficiatur. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die V. Mar. P. a. IX. a D. 1632.

Mandatur Archiepiſcopo Mediolanenſi, ut procedat contra expulſores Inquiſitoris Januæ.

CLEMENS IX. Alphonſo Card. Littæ Archiep. Mediol. XVI. B. R. t. 6. p. 6. p. 350. C. C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

ARmata manu ejectus fuerat ab urbe, & Statu Januenſi Inquiſitor ex ordine Prædicatorum cum gravi totius populi ſcandalo, ut nimis auſterus.

Quam injuriam ut puniat Clemens, mandat prædicto Archiepiſcopo, ut inquirat auctores, conſiliarios, complices hujus expulſionis, & in eos juxta Canonum ſanctiones procedat.

Datque illi ad hoc opportunas facultates citandi, vocandi teſtes, cogendi &c. N. O.

D. R. apud S. M. Maj. Die XIX. Jul. P. a. III. a. D. 1669.

Irritatio conventionis factæ inter Gubernium, & Archiepiscopum de situ Sedis Archiepiscopalis.

XVII. B.M.p.5. vel t.11. p. 46. B.R. t.7. p. 182. C. C. CLEMENS X. ad p. r. m.

Inc. *Cum ex Apostolicæ, &c.*

AB immemorabili Sedes Archiepiscopalis in Ecclesia Metropolitana Januensi erat a cornu Evangelii, Sedesque Ducalis a cornu Epistolæ, & infra Sedem Archiepiscopalem.

Cardinalis Durazzo dimiserat Archiepiscopatum, aliusque sussectus fuerat; Dux & Gubernatores Sedem Archiepiscopalem removerunt de loco suo, & in cornu Epistolæ eam collocarunt.

Res deducta fuit ad Alexandrum VII. & Clementem IX. qui paternis adhortationibus conati sunt permovere gubernium, ne res innovaret. Interim transactio quædam inita fuit gubernium inter, & Archiepiscopum.

Clemens X. tentatis prius artibus omnibus, paternis, ut Ducem induceret ad restituendas res in pristinum statum, nihilque cum obtinuisset, irritat, & cassat hanc concordiam initam, & jubet Archiepiscopo in virtute strictæ obedientiæ, ut infra triduum ab acceptatione harum litterarum removeat Sedem suam cum baldachino, & in loco solito reponat;

Neque hanc constitutionem ullo unquam tempore vult infringi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Non. Sept. P. a. III. a. D. 1672.

Revocatio cujusdam Ducalis edicti de F. Granello jubetur.

XVIII. B.M.c.8. p. 110. B.R.t.10. p. 1. p. 318.C.C. CLEMENS XI. ad p. r. m.

Inc. *Cum sicut, &c.*

THomas Granellus ex ordine FF. MM. de Observantia S. Francisci sub excommunicationis pœnam jussus fuerat a Clemente discedere Janua, & conferre se Bononiam in Conventum SS. Annunciationis sui Ordinis.

Causa non adducitur a Pontifice; *adducitur tamen ab Ottierio in sua Historia L. XVII. p. 467. §. II. Edit. Venetæ t. 3. Arguebatur Granellus dedisse aditum Brachio sæculari, ut comprehenderet quendam Nicolaum Antonium Boninum falsificatorem litterarum, qui confugerat in Conventum ejus ordinis; fuerat in Ecclesia ordinis captus; ac proinde violata fuerat Ecclesiastica immunitas, cujus erat acerrimus vindex Clemens. Pontifex commiserat Archiepiscopo Januæ, ut Granellum suspenderet a divinis, qui noluit parere latæ suspensioni, declaratusque fuerat interim a Gubernio Theologus.*

Gubernium schedulas excommunicationis jussu Pontificis a Cardinali Archiepiscopo Fisco affixas valvis Ecclesiæ nullas declaravit, quia a nullo publico scriba fuerant exaratæ, & subscriptæ, & quia erant contrariæ legibus communibus, & municipalibus.

Clemens id utpote in contemptum juris Ecclesiastici factum, declarat revocandum esse Ducale edictum, quippe quod latum de pœnis Ecclesiasticis, quæ cognitio ad laicalem potestatem non spectat.

Declaratque validam excommunicationem in Granellum, quia evulgatam suo jussu, & eum ut publicum excommunicatum vitandum. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Dec. P. a. XII. a. D. 1712.

Monitorium in F. Granellum.

XIX. Jb. p. 360. NICOLAUS Card. Spinula R. Curiæ Judex Ordinarius. *Monitorium.*

Inc. *Universis, & singulis, &c.*

EXpositis summatim dictis in proxima præcedenti constitutione, narrat Cardinalis, F. Granellum temere se pro non excommunicato gerentem conversari, confabulari, agere cum quibuscumque.

Ad retundendam ergo *eam contumaciam* jubet Cardinalis, singulis dominicis, aliisque diebus festis cum sonitu Campanæ post Missarum solemnia solemniter Granellum excommunicari, admonerique fideles, ne cum illo colloquantur quovis quæsito colore sub censurarum pœnis.

Publicatum hoc monitorium fuit Bononiæ, & Ferrariæ.

D. Romæ Ind. VIII. Die XXXI. Dec. a. D. 1716.

Tactus Granellus, licet in palatio Ducali jussu gubernii degeret, adesset que præsidium, ne effugeret, affugit, Romamque se contulit, & ad Pontificem confugit, a quo humaniter exceptus jussus fuit in conventum S. Bartholomæi se recipere, unde postea licentiam obtinuit Januam repetendi.

Deputatio visitationis Ecclesiarum Insulæ Corsicæ.

XX. In folio separato. CLEMENS XIII. Cæsari Crescentio Episc. Signino.

Inc. *Inter cæteras, &c.*

NOta jam sunt bella Januenses inter, & Corsos. Præter diuturnitatem adeo acerba sunt, ut non solum Laici, sed Episcopi etiam faventes Januensibus a Corsis ab illa insula fuerint expulsi.

Ecclesiæ Alarienses, Marianenses, Accienses, & Nebienses jamdiu pastoribus suis spoliatæ jacebant in luctu, & solitudine. Licentia militaris jam disciplinam corruperat in quocunque hominum genere, nec erat qui eam collapsam restitueret.

Motus Clemens miseriis his earum Ecclesiarum deputavit Visitatorem Apostolicum earum Diœcesum Cæsarem Crescentium de Angelis Episcopum Signinum spectatæ virtutis, & Episcopalis vigilantiæ.

Facultates annexas huic muneri illi tribuit Clemens, Liberat eum a censuris inflictis Episcopis non residentibus in suis Ecclesiis;

Etiam jurisdictionem illi dat in Regulares Mendicantes, & non mendicantes, & *in iis, quæ concernunt sacramenta, & quæ circa regularem disciplinam versantur.* N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVIII. Sept. P. a. II. a. D. 1759.

Irritatio Laicalis edicti contra Visitatorem.

XXI. In folio separato. CLEMENS XIII. ad f. r. m.

Inc. *In Apostolica, &c.*

VIx ac Gubernatores Reipublicæ sciverunt a Clemente destinatum Visitatorem Apostolicum in Corsicam, promulgarunt edictum, quo pollicitabantur sex millia scuta monetæ Romanæ capientibus prædictum Visitatorem, eumque tradentibus alicui Gubernatori alicujus terræ Dominii Januensis conducendum decenter Januam.

Mandant quibuscunque sub gravissimis pœnis ad arbitrium, ne visitatori pareant,

Volunt edictum publicari, ne ignorantia adducatur in excusationem.

Ut factus fuit de hoc edicto certior Clemens, statim illud irritat, & annullat, & cassat omnia acta, & agenda vi ejus edicti;

Mandatque incolis earum Ecclesiarum, ut, non obstante hoc edicto Gubernii, & quibuscumque aliis forsitan publicandis Visitatori pareant. N. O.

Cumque Januæ publicari præsentes litteræ non possint, vult, locis solitis affigi Romæ.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XV. Maji P. a. II. a. D. 1760.

DE SAVONA URBE.

Respondet suorum Concivium litteris Sixtus.

XXII. ex Ughel. to. 4. p. 741. SIXTUS IV. Savonensibus &c.

Inc. *Accepimus binas, &c.*

DUas Epistolas miserant Savonenses ad Pontificem Sixtum ut Concivem suum e familia *della Rovere*, in quarum altera illi gratias agebant de lumine ad opus Navalium illis a Pontifice dono dato, in alteris de indulgentia, quam Julianus *della Rovere* Nepos Sixti, qui fuit Julius II. S. P. revisens Patriam suam dederat Ecclesiam illius urbis visitantibus, & manus auxiliatrices porrigentibus gratias itidem agebant, sicut agebant etiam gratias de alumine ab eo dato.

Respondet Sixtus, sibi gratum fuisse Nepotem suum eam indulgentiam concessisse, quam approbat, & confirmat.

De lumine, & alumine, scribit se nolle gratias ab iis accipere; quidquid egit se egisse animo filiali in patriam suam,

Iis permittit pecunias ex indulgentia illa collectas disponere prout iis videbitur.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVIII. April. P. a. V. a. D. 1475.

„ Duos Pontifices hæc urbs habuit ex eadem fami-
„ lia della Rovere, Sixtum IV. & Julium II.
„ Ex munere Imperiali Episcopus habebat etiam re-
„ gimen politicum hujus urbis.

DE ECCLESIA JANUENSI.

Erectio Ecclesiæ Januensis in Metropolitanam.

I. B.M.p.1. vel t. 9. p. 16. B.R. t.2. p. 210. C.C. INNOCENTIUS II. Syro Archiepiscopo Januensi.

Inc. *Justus Dominus, &c.*

I. ECclesiam Januensem erigit Innocentius in metropolitanam, eique subdit tres Episcopatus in Corsica, *Moranensem*, Nebulensem, & tertium, quem erigit de novo, Vobzensem, & ad Archiepiscopum Syrum pallium mittit;

II. Consecrationem Januensis Archiepiscopi, sicut & Pisani, reservat soli Romano Pontifici.

III. Quod si Archiepiscopus Pisanus fuerit consecratus a suffraganeis, etiam Januensis a suffraganeis consecretur;

IV. Dies, quibus pallio uti possit, præscribit.

V. Abbatiam de Tyro *ad meliorationem, salva auctoritate Romanæ Ecclesiæ illi* committit.

VI. *Si quæ igitur persona*, &c.

Cardinales quindecim se subscribunt.

Datum Grosetti per manum Aymerici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarii 14. Cal. Aprilis Indict. II. Incarnationis Dominicæ anno 1133. Pontif. vero D. Innocentii PP. secundi anno quarto.

„ Ideo autem Innocentius Januensem Ecclesiam a Pi-
„ sana separavit, quia bella acerrima ob commercium
„ erant inter eas Republicas.

Confirmantur bona hujus Ecclesiæ.

II. Ex Ugh. t. 4. p. 365. EUGENIUS III. Syro Januensi Archiepiscopo.

Inc. *Ex commisso, &c.*

SUscipit Eugenius ita rogatus ab Archiepiscopo Ecclesiam hanc in protectionem S. Sedis,

Ejusdem bona confirmat, *redditus videlicet de mari, & decimas, quæ ab hominibus civitatis, & totius Episcopatus Januensis . . . de illis scilicet hominibus, qui a portu Pisano in orientem, & a portu Monachi in occidentem, seu in terram Saracenorum, vel Christianorum extra prænominata loca maritimas negotiationes exercent*; castrum S. Romuli, castrum Molacianense, curtes Bazali, de Vico Molatio, de Bavoli, de Nervi, castrum medolici cum curtibus S. Petri de Arena, S. Vincentii, S. Michaelis in Lavania, &c.

Nulli ergo, &c.

Salva Apostolicæ Sedis auctoritate, &c.

Si qua igitur.

Desunt omnes temporis notæ.

Electus fuit an. 1145. sedit per an. 8.

Confirmatio, & augumentum privilegiorum.

III. B.R. t.2. p. 373. C. C. ALEXANDER III. Archiepiscopo Syro.

Inc. *Superna, & ineffabilis, &c.*

INclytam Januensem *civitatem*, quæ magnifice Alexandrum excepit, Pontifex his privilegiis decorat,

I. Ratum habet Archiepiscopatum collatum ejus urbis Ecclesiæ,

II. Hos Episcopatus ei subdit, *Marianensem, Nebiensem, S. Petri de Acci* in Corsica, *Bobiensem, & illum de Brumiate*;

III. Vult, ut Archiepiscopus a suis suffraganeis consecretur;

IV. Præter Pallii usum legationem transmarinam Archiepiscopis ejus urbis perpetuo demandat,

V. Monasterium in insula Gallinaria eximit ab Episcopatu Lucensi, & huic subdit;

VI. Ita illi subdit Episcopatum Albigaunensem;

VII. Crucis ante se gestationem,

VIII. Usum Pallii,

IX. Et Abbatiam de Tyro concedit.

X. *Nulli ergo, &c. Si quis, &c.*

Datum Laterani per manum . . . V. Id. April. Indict. IX. Incarn. Dom. MCLXI. Pontif. vero D. Alexandri PP. III. an. II.

Monasterium in insula Gallinaria datur Archiepiscopis Januen.

IV. Ex Ugh. t. 4. p. 871. ALEXANDER III. Ugoni Arch. &c.

Inc. *Nulli ampliùs, &c.*

MUlta impulerunt Pontificem, ut aliquod grati animi argumentum Archiepiscopo daret, sed præcipue merita antecessoris Archiepiscopi Syri, & ipsius Ugonis in Ap. Sedem devotio.

Ergo monasterium in insula Gallinaria, *quod nulli fuit hactenus nisi Pontifici Romano subditum ad regendum, disponendum, & gubernandum concedit* Ugoni, ejusque successoribus,

Statuitque ut ibi & correctionem habeat, & jus Pontificale libere, & sine ullius contradictione exercere possit.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Beneventi V. Cal. Sept. desunt reliquæ temporis notæ.

Confirmatio privilegiorum.

V. Ib. p. 274. GREGORIUS VIII. Ugoni, &c.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

NIhil aliud continet hoc Gregorii diploma, nisi susceptionem hujus Ecclesiæ in protectionem S. Sedis,

Et confirmationem bonorum, inter quæ recenset monasterium in insula Gallinaria recens Archiepiscopo datum.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Datum Pisis per manum Moysi Lateranensis vicem agentis Cancellarii 3. Idus Decembris Ind. 6. Incarn. Dom. an. 1187. Pontificatus vero D. Gregorii Papæ VIII. an. I.

Confirmatio, & concessio aliorum privilegiorum.

VI. B. R. t.1. p. 1. p. 384. C. C. HONORIUS III. Ottoni Archiepiscopo.

Inc. *Superna, & ineffabilis, &c.*

OB merita Januensis civitatis in Romanam Sedem Honorius

I. Archiepiscopo confirmat Archiepiscopalem dignitatem,

II. Ei subdit tres Episcopatus supradictos in Corsica,

III. Monasterii in insula Gallinaria subjectionem ei confirmat,

III. Ecclesias etiam in Castro, & suburbio portus Veneris exemptas ab Episcopo Lunensi, ei subdit,

V. Illi confirmat legationem transmarinam;

VI. Usum *equi albi cum nacho albo*, crucis gestationis ante se per suam provinciam eidem confirmat.

VII. Civitati autem Januensi dat medietatem insulæ Corsicæ, pro qua juret fidelitatem, & solvat quotannis S. Sedi unam libram auri.

VIII. Pallii usum Archiepiscopo confirmat.

IX. *Nulli ergo, &c. Si quis, &c.*

Datum Laterani per manum Raynerii S. R. E. Vicecancell. VIII. Cal. Maji Indict. VI. Incarn. Dom. anno MCCXVII. Pontif. vero D. Honorii PP. III. a. I.

DE CAPITULO JANUENSI.

Confirmantur donationes huic Eccleſiæ factæ.

I. B.R. t. 2. p. 122. C. C. CALLIXTUS II. Præpoſito, & Canonicis Eccleſiæ Januenſis.

Inc. *Bonis ſæcularium, &c.*

MArianus Calaritanus Judex *tam animæ ſuæ remedio, quam pro ſui reſtitutione honoris* bona multa huic Eccleſiæ donavit.

I. Has donationes confirmat Callixtus,

II. Etiam confirmat donationem Eccleſiæ Arſiminæ *cum aliis ſuis Eccleſiis, & cæteris ad eam pertinentibus*, quæ Romanæ Eccleſiæ fuerat oblata a Guillelmo Calaritano Archiepiſcopo.

III. Præterea confirmat omnia ejus qualiacumque bona ubicumque poſita.

IV. *Nulli ergo, &c. Si quis, &c.*

Datum Laterani per manum Chryſogoni S. R. E. Diac. Card. ac Bibliothecarii Non. Januarii Indict. XIV. Incarn. Dom. anno MCXXI. Pontificatus autem D. Callixti II. Papæ a. II.

Confirmantur bona hujus Eccleſiæ.

II. Ex Ughell. Ital. t. 4. p. 864. EUGENIUS III. Guilberto Præpoſito, & cæteris Januenſis Eccleſiæ Canonicis.

Inc. *Officii noſtri, &c.*

PRecibus Canonicorum Eccleſiæ metropolitanæ S. Laurentio dicatæ inclinatus Eugenius,

I. Eam recipit in protectionem ſuam, & in tutelam B. Petri,

II. Omnia ejus bona confirmat, inter quæ ſex Eccleſias numerat, *& decimas, quas poſſidet in tota Januenſi diœceſi, & tres partes totius territorii, quod dicunt S. Romulus,*

II. *Inſulam in Ibero flumine poſitam juxta civitatem Tortuoſam a Raymundo Comite Barchinonenſi* Eccleſiæ huic datam.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Laterani per manum Boſſonis S. R. E. Scriptoris XVIII. Cal. Maji Indictione XIII. Incarn. Domin. anno MCL. Pontificatus vero D. Eugenii III. Papæ anno 5.

Confirmantur antiqua, danturque Capitulo nova Privilegia.

III. Ib.p.879. COELESTINUS III. Præpoſito, &c.

Inc. *Effectum juxta, &c.*

COnfirmat Cœleſtinus his Canonicis bona, ſicut fecit Eugenius III. Tum hæc privilegia de novo addit; ſcilicet

I. Confirmat *honeſtas, & rationabiles conſuetudines, quas in oblationibus vivorum, & in candelis, aliiſque oblationibus defunctorum, ad quorum exequias invitentur, hactenus habuerunt;*

II. Privilegio Lucii Papæ adhærens, Canonicis permittit, *ut miſſam pro defunctis ſequenti die poſt eorum tumulationem in Eccleſia, in qua ſepulti fuerint, celebrare poſſint, quando videlicet in exequiis ipſis aliquo impedimento detenti non celebrarunt,*

III. Poſſint Canonici præſente Archiepiſcopo, ſi ipſo celebrare non poterit, celebrare,

IV. Archiepiſcopus in nullum Canonicum poſſit ſententiam excommunicationis ferre ſine aliorum canonicorum conſilio, & ſi aliter eam tulerit, minime teneat,

V. Canonici poſſint recipere quos volent, & quot Clericos ad Eccleſiæ ſervitium.

VI. Capitulum punire poſſit Canonicum, *qui ſe in utilitatibus Eccleſiæ pertractandis a communitate capituli nequiter ſegregaverit.*

VII. Confirmat ſententiam pro Canonicis latam circa Eccleſiam S. Bartholomæi, & ſuper legato Guillelmi Gatæ,

VIII. Etiam compoſitionem inter Eccleſiam hanc, & Abbatem S. Syri factam de loco benedictionis; & forma obedientiæ;

IX. Etiam ſententiam latam ab Abbate S. Andreæ de Sexto inter Canonicos, & Fratrem Juſtum. (Quænam eſſet hæc contentio, non docet Pontifex.)

X. Præpoſitus poſſit excommunicare de conſilio Archiepiſcopi ſubtrahentes decimas huic Eccleſiæ debitas, vel ejus res auferentes;

XI. Interdicti tempore, Canonici poſſint divina peragere, januis clauſis, campanis non pulſatis;

XII. Nemo *ſine manifeſta, & rationabili cauſa* poſſit cenſuras jacere in Canonicos, & hanc Eccleſiam.

XIII. Nemo audeat perturbare bona, res, jura, perſonas hujus Eccleſiæ; ſed ſerventur integra, *ſalva ſedis Apoſtolicæ auctoritate, & diœceſani Epiſcopi Canonica juſtitia, & Januenſis Archiepiſcopi debita reverentia.*

Si qua igitur, &c. Cunctis autem, &c.

Datum Laterani per manum Ægidii S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis IX. Cal. Maji Indictione XI. Incarnationis Dom. an. M. C. XCIII. Pontificis vero D. Cœleſtini Papæ Tertii anno 3.

Archiepiſcopus Tyrenſis monetur, ut liberam ſepulturam permittat in Eccleſia Canonicorum Januenſium Tyri.

IV. Ib.p.884. INNOCENTIUS III. Archiepiſcopo Tyrenſi, & Capitulo.

Inc. *Dilecti filii, &c.*

QUeſti fuerunt Canonici Januenſes, nolle Archiepiſcopum, & Canonicos Tyrenſes mortuos ſepeliri in Eccleſia S. Laurentii, quam hi Canonici Tyri habebant; neque ibidem percipere Eccleſiaſtica ſacramenta, quod in grave incommodum, & præjudicium eorum mercatorum, & Eccleſiæ ejuſdem redundabat.

Iis ergo Archiepiſcopo, & Canonicis ſcribit Innocentius, ut liberam facultatem iis parochianis relinquant & ſepulturæ, & ſuſceptionis ſacramentorum in Eccleſia S. Laurentii de jure horum Canonicorum.

Tum monet Archiepiſcopum, ut potius operam navet muneribus præcipuis Epiſcopatus, de quibus redditurus eſt Deo rationem.

D. Later. X. Cal. Febr. P. a. XV. a. D.

Capitulo Januenſi Accone dentur gratis Olea ſancta.

V. Ibid. INNOCENTIUS III. Patriarchæ Hieroſolymitano.

Inc. *Cum in Carthaginenſi, &c.*

NOlebat gratis mittere ad Capitulum Acconenſe ſub titulo S. Laurentii, quæ Eccleſia erat Eccleſiæ Cathedralis Januenſis, ſacra Olea gratis Patriarcha Hieroſolymitanus.

Id Januenſes Canonici detulerunt Innocentio.

Qui graviter Patriarcham reprehendit, cum contra decreta Concilii Carthaginenſis agat, quod vetat fieri venalitatem de ſacro chriſmate,

Illiique præcipit, ut illi capitulo ſacra Olea gratis det.

D. Later. III. Id. Janu. P. a. XVI.

Facultas datur Canonicis inſtituendi ſex Manſionarias.

VI. Ib.p.885. GREGORIUS IX. Præpoſito, &c.

Inc. *Eccleſiarum utilitati, &c.*

PRæbendas decem & ſeptem erant in hac Eccleſia.

Proinde erant ſexdecim Canonici, & Præpoſitus.

Ut decentius Deo inſerviretur, putarunt Canonici præſtare, ſi duæ præbendæ primo vacaturæ inſervirent erectioni ſex manſionariarum, ita ut Canonici eſſent quatuordecim.

Supplicarunt Pontifici, ut id approbaret,

Qui eis hanc dat facultatem.

Vetat iis tamen imminuere Canonicorum numerum, ſed potius augeri eum vult, ſi facultates capituli augebuntur.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Later. XI. Cal. Maji P. a. VII. a. 1233.

DE

DE REPUBLICA LUCANA.

Abſolvuntur Lucani ob violatam juriſdictionem Eccleſiaſticam.

I. B.R. t. 3. p. 1. p. 223. C. C. HONORIUS III. Epiſcopo, Priori S. Fridiani, & Magiſtro Petro Canonico Lucanis.

Inc. *Læſa olim, &c.*

OB graviter læſam Eccleſiaſticam libertatem pœnis Eccleſiaſticis multaverat Lucanos Honorius. Tandem reſipiſcentes, per Epiſcopum veniam a Pontifice petierunt, qui jubet, abſolvi excommunicatos, & tolli interdictum, his tamen conditionibus;

I. Ut leges in Clericos, & Eccleſiaſticam libertatem contra Canonicas, & Imperiales ſanctiones latas removeant,

II. Ut caſtra, loca, villas, poſſeſſiones Eccleſiarum *ab omni datione, turpi onere, publica functione, exactione, angaria, perangaria* eximant;

III. Ut non invadant bona Eccleſiaſtica, ſed potius ab invaſoribus ea defendant,

IV. Ablata bona Eccleſiis, & Clericis populus, & poteſtas reſtituant.

V. Violatores ſacrorum locorum, & præcipue altaris S. Crucis, eorum conſiliarios, ſpoliatores Clericorum mittant Romam cum Epiſcopi litteris.

D. Later. Non. Novemb. P. a. VII. a. D. 1222.

Admonitio ad Lucanos ut relinquant Grafagnani terram.

II. Ib.p.261. C. C. GREGORIUS IX. Archiepiſcopo Piſano.

Inc. *Veremur, ne cives, &c.*

CIves Lucani occupaverant terram Grafagnani *ſedis Apoſtolicæ Patrimonium.*

Eos admonuit Pontifex, ut deſiſterent; nolentes illos parere excommunicavit.

Crederes, eos reſipuiſſe; at corruerunt in pejora, Eccleſias enim diruerunt, ſaxa aſportarunt, ſus deque miſcuerunt omnia.

Pontifex ad hæc audita minatur, Epiſcopalem ſedem ſe ab eorum urbe ablaturum, ſe privaturum eos Canonicatibus.

Tempus etiam præſcribit, uſque ad feſtum B. Mariæ in cœlos aſſumptæ, intra quod pœnitentiam agere debeant; quo tranſacto, ſententiam exequetur, ſubjiciens etiam interdicto urbem, ſolum pœnitentiam infirmis, & baptiſma parvulis dari permittens.

Jubetur Piſanus Archiepiſcopus hæc publicare, & injungere populis adjacentibus, poſt prædictum tempus, ſi eos non pœnituerit, nullum cum illis habere commercium.

D. Later. V. Non. Julii P. a. IV. a. D. 1230.

Abſolutio data Lucanis.

III. Ib.p.290. C. C. GREGORIUS IX. Electo Lucano.

Inc. *Redemptor noſter, &c.*

REſipiſcenti Lucanæ civitati, veniamque a Pontifice poſcenti reſtituitur Epiſcopatus, reſtituuntur Canonici, & interdictum ſuſtollitur;

Declaratque Gregorius, nullum præjudicium ex iis, quæ fecit interea Piſanus Archiepiſcopus in ea Diœceſi, eidem ſuboriri debere.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Interamnæ II. Id. Dec. Pontif. a. X. a. D. 1236.

Laudantur Lucenſes, quod providerint, ne mercatores hæreſi inficiantur.

IV. Ex Rayn. ad an. 1502. §. 18. PIUS IV. Antianis, & vexillifero Populi communis Lucenſis.

Inc. *Legimus pia, &c.*

MUlti mercatores Lucenſes Lugduni negotiabantur, ibi, & in regionibus propinquis hæreſis Calvinitica graſſabatur.

Præterea cum ſcirent magiſtratus Lucenſes quoſdam homines etiam in Italia eſſe qui male de religione ſentiebant,

Et ad mercatores ſcripſerunt, ne cum hæreticis amicitiam facerent, ne eorum concionibus intereſſent, ne iis adhærerent, ne demum a Catholica fide deflecterent; idque ſub graviſſimarum pœnarum interminatione, ſi non parerent;

Etiam decreta ediderunt contra eos Lucenſes, qui hæreticas ſententias ſequerentur.

Se legiſſe & decreta, & Epiſtolas, ait Pius.

De hac igitur cura Catholicam fidem conſervandi Lucanos magiſtratus ſummopere laudat.

Eos etiam hortatur, ut ea decreta obſervari faciant,

Demum monet ſucceſſores in magiſtratus, ut anteceſſorum diligentiam imitentur.

D. Romæ apud S. Petrum Die XX. Janu. P. a. III. a. D. 1563.

Irritantur quædam decreta ab Antianis facta.

V. B.R. t. 3. p. 3. p. 240. C. C. PAULUS V. Vexillifero, & Antianis Lucanæ Reip.

Inc. *Jamdudum accepimus, &c.*

MUlta decreverant Vexillifer, & Antiani hujus Reip. Eccleſiaſticam poteſtatem lædentia, v. g. delationes de hæreticis faciendas eſſe magiſtratui ab ipſis deputato; propoſuerant Catalogum librorum prohibitorum, accuſati apud Inquiſitionem comparentes ante quendam magiſtratum inſtitutum ad hoc erant abſoluti.

Quæ omnia decreta irritat Paulus ut facta a perſonis auctoritatem non habentibus,

Eoſque hortatur, ne in poſterum decreta ſimilia edant. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XII. Oct. P. a. II. a. D. 1606.

Vetat Epiſcopus Lucanus, quicquam horum decretorum obſervari.

VI. B.R. t. 3. p. 1. p. 241. C. C. PAULUS V. Epiſcopo Lucano.

Inc. *Cum, ſicut, &c.*

SIgnificat prædicto Epiſcopo Paulus ſupradicti Brevis tenorem,

Illumque monet, ne permittat contra illud quicquam attentari.

D. Romæ apud S. Marcum Die XII. Oct. P. a. II. a. D. 1606.

Abſolvuntur Antiani ob exactam ab Eccleſiaſticis Gabellam ultra tempus a S. Sede præfixum.

VII. B. R. t. 5. p. 5. p. 420. C. C. URBANUS VIII. Epiſcopo Lucano.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

UT Antiani Reip. obviam irent fraudibus, quæ ſolebant fieri in ſolvendis gabellis nomine Eccleſiaſticorum, convenerunt cum utroque Clero, ut ipſe quoque ſolveret, & deinde, ut reſtitutio certis anni temporibus ei fieret. Idque Pontifex approbavit, præſcripto temporis ſpatio, quo id liceret.

Antiani & auxerunt gabellas, & prætergreſſi ſunt datum tempus.

Cum autem advertiſſent, ſe in cenſuras incurriſſe, ſupplicarunt Urbano, ut abſolverentur.

Mandat Urbanus Lucano Epiſcopo, ut eos abſolvat, ita tamen ut reſtituant Clero augmentum exactarum gabellarum. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Junii P. a. III. a. D. 1626.

Facul-

Facultas datur Antianis conveniendi cum Clero super Gabellis.

VIII. lb. p. 321. C. C. URBANUS Episcopo Lucano.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

ABsolutione impetrata, rogarunt iidem Antiani Urbanum, ut liceret sibi convenire cum Clero super solutione Gabellarum.

Urbanus negotium dat Episcopo, ut hanc facultatem Clero concedat, prius tamen diligente perquisitione ab Episcopo facta, an per hanc conventionem quicquam Ecclesiastica immunitas lædatur.

Quod si accidat, facultatem ei ne det.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Jul. P. a. III. a. D. 1626.

Jubetur Episcopus Civitatis Castelli inquirere in Lucanam Remp. ob acta contra immunitatem Ecclesiasticam.

IX. B R. t. 6. p. 2. p. 213. C. C. URBANUS VIII. Episcopo Civitatis Castelli.

Inc. *Cum, sicut, &c.*

VExillifer justitiæ, & Antiani Reip. hujus *aliqua fecerunt, seu per suos ministros fieri jusserunt in spretum Cardinalitiæ, & Episcopalis dignitatis* Cardinalis Franciotti cum bonorum scandalo, contra sacros Canones, & libertatem Ecclesiasticam.

Perquisitionem horum omnium demandat Urbanus Episcopo prædicto, qui conferat sese prope ditionem, sed extra, Reipublicæ, ibique *omnes, & singulas causas in derogationem Ecclesiasticæ libertatis cognoscat, decidat*, & sine strepitu extrajudicialiter in culpabiles censuras præscriptas a Canonibus sacris jaciat.

Quod si quis eorum has censuras contemnat, ad alia graviora Episcopus procedat;

Facultatemque habeat cogendi testes Clericos, laicos ad denuntianda testimonia.

mnibus demum præcipit, ut Episcopo pareant. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Sept. P. a. XVII. a. D. 1639.

Aliæ facultates dantur eidem Episcopo.

X. lb. p. 215. C. C. URBANUS VIII. Eidem Episcopo, &c.

Inc. *Cum, sicut, &c.*

HAs quoque facultates dat Urbanus Episcopo, ut Antianos, & Vexilliferum vel conjunctim, vel separatim citet, moneat per affixionem citationis, & admonitionis ad valvas, ut se præsentent coram Auditore Romæ, præcipiatque, ne inde recedant, nisi emanata ab eodem Auditore sententia. N. O.

D. eadem Die &c.

Aliæ facultates dantur eidem.

XI. lb. p. 217. C. C. URBANUS VIII. Eidem.

Inc. *Nuper a nobis, &c.*

POssit ulterius Episcopus idem in repertos reos *etiam ex inquisitione, & officio procedere, & conflito summarie de eorum crimine, sine strepitu* in omnes vel conjunctim, vel separatim aut ipse sententiam pronunciare, aut ad almam Curiam remittere. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXX. Sept. P. a. XVII. a. D. 1639.

Franciscus Castagnaccius deputatur Procurator Fiscalis in hoc negotio.

XII. lb. p. 210. C. C. URBANUS VIII. Francisco Castagnaccio. I. V. D.

Inc. *Cum nobis, &c.*

SIgnificatis Castagnaccio prædicto deputatione, & facultatibus Episcopi Civitatis Castelli contra Lucanam Rempublicam datis,

Procuratorem Fiscalem hujus, vel harum causarum deputat Urbanus præfatum Castagnaccium, qui apud Episcopum permaneat, vel eat, quo ab illo mittetur nomine procuratoris Fisci. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Oct. P. a. XVII. a. D. 1639.

Facultas datur Episcopo interdicendi Reipublicam.

XIII. lb. p. 191. C. C. URBANUS VIII. Eidem Episcopo.

Inc. *Nuper emanarunt, &c.*

VExillifer, & Antiani audientes appropinquare Episcopum prædictum, non solum non benigne, & honorifice eum exceperunt, sed etiam milite armato vias obsideri jusserunt, *ne posset ulterius pervadere, ac iter suum prosequi* in detrimentum Ecclesiasticæ libertatis.

Illi ergo dat facultatem Urbanus eos excommunicandi, & urbem interdicto Ecclesiastico subjiciendi, omniaque Reip. loca, oppida & castra. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Febr. P. a. XVII. a. D. 1640.

Facultas datur Reipublicæ proponendi Pontifici tres, ex quibus unus eligatur ab eo in Archiepiscopum urbis Lucanæ.

XIV. B. M. t. 19. p. 106. BENEDICTUS XIV. Nobilibus viris Antianis, & & Vexilliferq.

Inc. *Romanum Pontificem, &c.*

QUia interdum Archiepiscopi minus grati Gubernio Ecclesiæ Lucanæ præficiebantur, contentionesque insurgebant inter eos, & Gubernatores, decem millia nummorum aureorum contulerunt Lucani in tot loca montium Cameralium non *vacabilium*, quorum redditus unirentur mensæ Episcopali, rogaruntque Pontificem per Philippum Bonamicum ei carum ob eximiam doctrinam, ut permitteret Antianis, & Vexillifero nominationem trium personarum, ex quibus Pontifices eligerent unum in Archiepiscopum.

Licet hæc summa non esset tanta, ut posset Reip. conferre titulum jurispatronatus, tamen harum rixarum semina de medio tollere cupiens Benedictus volensque Lucanorum in S. Sedem compensare merita, unit Archiepiscopali mensæ jam antea divisam prædictam summam, privilegiumque dat nobilibus tres proponendi Pontifici, ex quibus unus in Archiepiscopum ab eo eligatur.

Eos monet, ut in nominatione horum trium Ecclesiasticorum ante oculos habeant decreta Concilii Tridentini jubentis requirenda in promovendis ad Episcopatum.

Quod privilegium sit perpetuum. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. VII. Cal. Junii P. a. XIV. a. D. 1754.

DE

DE ECCLESIA LUCANA.

Vitium simoniæ reprehenditur in Lucano Clero.

ALEXANDER II. Lucensis Ecclesiæ Clero, & Populo.

I. Ughel. to. 5. p. 805. Inc. *Cum divina, &c.*

ALexander II. fuit hujus Ecclesiæ antistes; noverat morem pessimum hujusce cleri, ut nemo admitteretur ad aliquod beneficium, nisi nummos dedisset; ita ut nulla haberetur ratio probitatis, & doctrinæ, sed tantummodo pecuniæ.

Prolixa hæc constitutio eo tendit, ut ostendatur quam grave malum simonia sit, quam graviter a Deo sit punienda; quod probat exemplis, & auctoritatibus a Sacris litteris petitis.

Ego Alexander solius Dei misericordia S. R. & Apostolicæ Ecclesiæ præsul, & Lucensis Episcopus, in hoc Decreto ad confirmandum.

Alienatio bonorum hujus Ecclesiæ vetatur.

II. lb. p. 312. ALEXANDER II. Clero, & Populo, &c.

Inc. *Quamvis circa, &c.*

EAdem simonia in causa fuit, cur prædecessores Episcopi, & Capitulum alienarint bono multa hujus Ecclesiæ, dederint in perpetuas emphytheuses, & investituras fecerint.

Vetat, has alienationes de cætero fieri Alexander, nisi forte necessitas cogat aliqua eorum oppignorare; oppignorenturque ad tempus.

Ne autem prætendatur aliqua ignorantia, hæc bona percenset.

Episcopus aliquod bonum alienans sit excommunicatus, suspensusque ab officio usque dum integram satisfactionem dederit.

Ut vero omnia, quæ superius comprehensa sunt firma, & illibata Deo auctore serventur, hanc decreti paginam manus nostræ subscriptione, & sigilli nostri impressione firmari præcepimus.

Ego Alexander solius, &c. ut supra.

Pallii usus datur Episcopo Lucano.

III. lb. p. 319. CALLIXTUS II. Benedicto Lucano Ep.

Inc. *Et caritatis, &c.*

BEnedictus simul cum Clero, & Populo supplicavit Pontifici, ut facultatem utendi pallio datam ab Alexandro II. & a Paschali II. confirmatam Episcopis Lucanis sibi quoque daret.

Anquit his precibus Callixtus, palliumque ad illum mittit,

Exponit, quibus diebus, & quibus in muneribus illo uti debeat,

Et quid significet.

Quæ jam omnia alibi dicta sunt.

D. a. 1120.

Privilegiorum Ecclesiæ Lucanæ confirmatio, decretaque.

IV. B R. t. 2. p. 158. C. C. GELASIUS II. Clero Lucanæ Ecclesiæ.

Inc. *Charitatis bonum, &c.*

I. COnfirmat Gelasius maternitatem Ecclesiæ Lucanæ, declarans, ad eam pertinere unctiones infirmorum, participationem funerum, &c.

II. Collocationes Clericorum in aliena Ecclesia infra urbem, vel extra sine consensu Episcopi, & Priorum dictæ Ecclesiæ fieri vetat;

III. Clerici aliarum Ecclesiarum in urbe, & suburbiis in festivitatibus, Litaniis, processionibus veniant ad matricem;

IV. In feria quinta majoris hebdomadæ nulla Ecclesia sonet campanam, nisi post sonitum a matrice datum, neque Cereum benedicat in Sabbato Sancto; veniantque Clerici aliarum Ecclesiarum eo die ad matricem pro benedictione cerei,

V. Nulla Ecclesia celebret in festo S. Martini, S. Reguli, feria II. Paschæ, in processionibus Quadragesimæ, *donec stationis in matrice non solvantur conventus,*

VI. Non liceat Episcopo Canonicum matricis privare officio sine Canonico judicio.

VII. *Si qua igitur, &c.*

Datum Pisis per manum Chrysogoni S. R. E. Diac. Card. Id. Sept. Ind. XII. an. Dom. Incar. MCXVIII. Pontificatus autem Gelasii II. Papæ a. I.

Restituitur Canonicis usus Mithræ, & confirmatur Episcopo usus gestationis Crucis, & pallii.

V. lb. p. 321. GREGORIUS IX. Guercio electo Lucano.

Inc. *Redemptor noster, &c.*

OB patrata crimina a populo (vide supra) Mithræ usum vetuerat Canonicis Gregorius, & Episcopo gestationem Crucis, & pallii.

Cum cives pœnituissent criminum, accedentibus precibus Episcopi,

Gregorius imitatus Christum, qui non vult mortem peccatoris, sed ut vivat, & illis usum Mithræ, & huic usum pallii, & gestationem Crucis restituit, confirmatque.

D. Interamne II. Id. Nov. P. a. X. a. D. 1237.

DE CANONICIS LUGANIS.

Confirmantur bona huic Capitulo.

VI. Ughel. to. 5. p. 805. LEO IX. Canonicis principalis, ac majoris Ecclesiæ in Civitate Luca Deo, ac S. Martino Confessori regularem vitam inibi ducendo, & castitatem servando famulaturis.

Inc. *Cum ad bona, &c.*

JOannes Episcopus Lucensis omnia capitula suæ diœcesis redegerat ad vitam canonicam Regularem.

Leo igitur omnia bona hujus capituli confirmat, quæ canonici *ad communem usum regulariter vivendi habent, & habituri sunt.*

Non vult *presbyteros uxoratos* in eam Ecclesiam admitti, *sed castos, sed mundos*, & bona quæ illi possident vult redigi in usum communem.

Eos hortatur ad eam vitam sequendam, quam Episcopus induxit.

Datum 4. Idus Martii per manus Federici Cancell. Vice Domini Herimanni S. Apost. Sedis Archicancell. & Colonien. Archiep. anno D. Leonis IX. Papæ III. Ind. IV. a. 1051.

Decreta circa præbendas Canonicales.

VII. B. R. t. 2. p. 13. C. C. ALEXANDER II. Ecclesiæ Lucensis Canonicis.

Inc. *Quamvis ecclesiasticæ, &c.*

QUæ, quantaque essent inordinata, & quam multa agerentur contra sacros Canones in hac Ecclesia exponit Pontifex, præcipue circa Canonicales præbendas, ita ut multi haberent præbendas Sacerdotales, & Diaconales constituti tantum in minoribus.

I. Ergo Alexander statuit, ut, quoniam sunt ibi triginta præbendæ, duodecim sint presbyterales, quæ non dentur nisi Sacerdotibus, septem Diaconales, & præbendati sint Diaconi, septem Subdiaconales dandæ Subdiaconis; reliquæ dentur inservientibus choro.

II. In locum alicujus mortui Canonici non substituatur nisi dignus, neque pro hac electione pretium ullum, aut merces requiratur

III. Quolibet die cantetur Missa cum Diacono, & Subdiacono post Tertiam, & quotidie persolvantur horæ Canonicæ, sicut Matricis Ecclesiæ fert mos.

IV. Ve-

IV. Vetat pluralitatem beneficiorum : plures enim Clerici inserviebant duabus, tribus, & etiam pluribus Ecclesiis.

V. Solitæ pœnæ in non obedientes.

Se subscribit decreto Pontifex. a. 1673.

Interdicuntur Canonici hujus Ecclesiæ propter Simoniæ labem.

VIII. B.R. t.1. p.45.C.C. GREGORIUS VII. Canonicis Ecclesiæ Lucanæ S. Martini.

Inc. *Meminisse debetis, &c.*

LIcet Alexander Pp. II. severissimis sub pœnis interdixisset Simoniam hujus Ecclesiæ Canonicis, ii tamen obstinati in hoc vitio beneficia plus offerentibus vendebant.

Eos ergo arcet Gregorius ab ingressu Majoris Ecclesiæ, eosque vetat *easdem canonicas, vel præbendas ulterius retinere usque ad condignam satisfactionem.*

D. Florentiæ III. Id. Apr. Ind. XV. a. D. 1077.

Confirmatio statutorum servandorum a Capitulo, & Capellanis Ecclesiæ Lucanæ.

IX. B.R. t.5. p.1.p.205. C. C. SIXTUS V. ad p. r. m.

Inc. *Ad ea, &c.*

AUdiens Gregorius XIII. inter Episcopum Lucanum, & Canonicos super jurisdictione, & exemptionibus lites, ut iis finis imponeretur, eas decidendas demandarat Cardinalibus Albano, & Massæo.

Qui deciderunt in criminibus atrocioribus ut cognosceret Episcopus, & interior sacrista; in reliquis culpis Episcopus, & Capitulum; si excessus essent contra aliquem Canonicum: crimina Capellanorum, & Ministrorum circa cultum divinum solum Capitulum cognoscat.

Ab hoc laudo appellarunt Capellani. Sixtus ergo addidit tertium Cardinalem: Capellani appellarunt rursus; adjunctusque fuit Cardinalis alius.

Hi decreverunt, interiorem Sacristam, & Episcopum, vel ejus Vicarium posse corrigere Capellanos in iis quæ spectant ad divinum cultum;

Jusserunt, ut fieret nova tabella de consilio Capituli, & Episcopi, in qua exponeretur servitium ordinarium, & extraordinarium præstandum Ecclesiæ;

Hæc decreta confirmat Sixtus, litesque hinc enascituras ad se avocat. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum die XXII. Oct. P. a. IV. a. D. 1588.

Facultas data Episcopo, & Capitulo puniendi Capellanos, ni pareant.

X. B.R. t.5. p.1.p.457. C. C. CLEMENS VIII. Episcopo, & Capitulo Lucano.

Inc. *Nuper a nobis, &c.*

EDiderat constitutionem Clemens, qua jubebat Capellanos hujus Ecclesiæ operam dare divino servitio; Episcopus autem post accessum suum ad Episcopatum simul cum Capitulo modum, quo *per turnos* ii Capellani inservirent Ecclesiæ, proposuit.

Appellarunt Capellani.

Clemens, ut eos reprimat, dat facultatem Episcopo, & Capitulo eos coercendi, & puniendi per subtractionem quotidianarum distributionum, & fructuum Capellaniarum. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Junii P. a. XI. a. D. 1602.

Ecclesiastici in ditione Lucana jubentur solvere pro excavatione fossæ.

INNOCENTIUS X. Archiepiscopo Lucano, XI. B.R. t.6. p.3.p.130. C. C.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

AD derivandam aquam Lacus in Flumen Arnum, Autiani, & Vexillifer contributionem quamdam imposuerant; excavanda enim erat magna fossa, quæ ingentes expensas requirebat.

Supplicaverunt itaque Pontifici, ut permitteret, etiam Clerum pro rata portione solvere; quoniam, & in utilitatem eorum opus redundabat.

Pontifex mandat Archiepiscopo, ut clerum ad eam solvendam cogat. N. O.

D. Tusculi Cal. Junii P. a. I. a. D. 1652.

Confirmatio cessionis quorumdam jurium facta a Canonicis Reipublicæ.

ALEXANDER VII. ad f. r. m. XII. B.R. t.6. p.6.p.116. C. C.

Inc. *Redemptoris nostri, &c.*

UT sedarentur nonnullæ controversiæ inter Capitulum ex una parte, & Rempublicam ex alia super jurisdictione *in quibusdam locis, finibus, terris, sylvis, & marinis*, Canonici cessérunt Reip. jurisdictionem civilem, criminalem, & mixtam, juraque meri, & mixti imperii tam utilia, quam directa super iisdem locis.

Conventio facta fuit die 23. Mar. a. 1666.

Ut hæc cessio semper maneat firma, petita fuit Apostolica confirmatio, quam Alexander apponit. N. O.

D. in Arce Gandulphi Die II. Maji P. a. XII. a. D. 1666.

Confirmatio indulti Canonicorum gestandi Mithram, elargitioque aliorum.

BENEDICTUS XIII. ad p. r. m. XIII. B.M p.7. vel t.13. p. 209. B.R.t.12. p.74.C.C.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

USum Mithræ *ad instar* Cardinalium Canonicis hujus Cathedralis indultum ab Julio III., confirmatumque ab aliis Pontificibus confirmat etiam Benedictus.

Tum jubet, eos gaudere omnibus insignis, & privilegiis, quibus utuntur Abbates usum Mithræ, & baculi habentes.

Executor hujus constitutionis delegatur Episcopus Lucanus. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XV. Cal. Mar. P. a. II. a. D. 1726.

Episcopatus Lucanus erigitur in Archiepiscopatum.

BENEDICTUS XIII. ad p. r. m. XIV. B.M. p.7. vel t.13. p. 247. B.R.t.12. p. 128. C. C.

Inc. *Inscrutabili divinæ, &c.*

EXpositis laudibus Urbis Lucanæ, inter quas non exigua est illa, quod ibi Comitissa Methildes adeo de Romana Sede merita orta fuerit, attentis precibus Confalonerii, & optimatum ejus Reip.;

Benedictus eam Ecclesiam erigit in Archiepiscopalem;

Archiepiscopo dat usum pallii, Crucis gestationis ante se aliaque privilegia dignitati ejusmodi convenientia. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. III. Id. Sept. P. a. III. a. D. 1726.

DE

DE REPUBLICA RAGUSINA.

Possit Archiepiscopus Ragusinus medietatem Legatorum insumere in reparatione Ecclesiarum.

I. B.R. t.6. p.2.p.268. C. C. URBANUS VIII. Archiepiscopo Ragusino.

Inc. *Cum sicut, &c.*

PEr *decem mensium spatium* Urbs Ragusina fuerat terræmotibus ita vexata, ut non solum ædificia, sed & monasteria, & templa fuerint admodum passa, sed etiam mœnia.

Ad illa, & hæc reparanda concedit Urbanus Archiepiscopo, ut medietatem piorum Legatorum convertere possit;

Idque concedit, quia ita a civibus rogatus, qui se nimis Turcarum excursionibus expositos videbant. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XXVI. Jan. P. a. D. 1641.

Renovatio gratiæ Ragusinæ Reipubl. factæ ab Urbano VIII.

II. B.R. t.6. p.3.p.41. C. C. INNOCENTIUS X. Archiepiscopo Ragusino.

Inc. *Alias pro parte, &c.*

SUpplicanti Reip. Ragusinæ, nondum reparatis damnis a terræmotu illatis, ut liceret sibi insumere medietatem legatorum, quod concesserat Urbanus, Innocentius permittit hanc licentiam. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXXI. Junii P. a. I. a. D. 1645.

Facultas insumendi sex millia scuta in provisiones bellicas assignata ad alios usus datur Reip. huic.

III. Ib. p. 86. C. C. INNOCENTIUS X. ad p. r. m.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

REspublica Ragusina præmunire se volens contra Turcas significavit Innocentio, habere se ad sex millia scuta annua legata ad nubendas virgines, ad erogandas eleemosynas, aliaque pia opera facienda, supplicavit tamen, ut permitteret, eorum medietatem a se insumi posse ad emendas provisiones bellicas, ut posset resistere Turcis.

Id illi permittit Innocentius. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XVI. Maji P. a. II. a. D. 1646.

Conceditur facultas Reip. insumendi medietatem horum numorum in manutentionem præsidii.

INNOCENTIUS X. Archiepiscopo Ragusino. IV. Ib.p.100. C. C.

Inc. *Alias pro parte, &c.*

OB motus in urbe Neapoli, ubi erant pro medietate nummi legati præfati ad pias causas, non potuit Respublica inde eos accipere.

Rogavit ergo Pontificem, ut permitteret, alteram medietatem Ragusii existentem posse a Rep. insumi ad manutentionem præsidii.

Quod permittit Innocentius. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIX. Nov. P. a. VI. a. D. 1649.

Facultas vendendi capitalia Neapoli existentia, & construendi domos Ragusii.

CLEMENS IX. Archiepiscopo Ragusino. V. B.R. t.6. p.6. C. C.

Inc. *Exponis nobis, &c.*

VIdentes Gubernatores locorum Piorum Ragusii, redditus capitalium quotidie magis imminui Neapoli, considerantesque, si inde extraherentur, vel venderentur, posse Ragusii construi domos, quarum locationes utiliores essent iis locis, supplicarunt Pontifici, ut liceret ea vendere, vel extrahere.

Curam videndi an hoc sit verum, & facultatem capitalia vendendi dat Clemens præfato Archiepiscopo. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die V. Febr. P. a. II. a. D. 1669.

Jubilæi concessio Reip. Ragusinæ.

CLEMENS IX. ad f. r. m. VI. Ib.p.337. C. C.

Inc. *Ex injuncti, &c.*

MAgistratus Reipublicæ supplicavit Clementi, ut dignaretur concedere subditis Dominii Jubilæum.

Inclinatus Clemens ejus precibus illud concedit per dies quindecim obtinendum per solita pia facta opera. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die VI. Maji P. a. II. a. D. 1669.

DE DUCIBUS ESTENSIBUS,
VEL DE DUCATU MUTINENSI.

Azo Marchio Estensis suscipitur in protectionem Pontificis, & B. Petri.

INNOCENTIUS III. Nobili Viro Azoni, &c.

I. Ext.unig. t.1.p.1571. Inc. *In perpetuam, &c.*

MAgnam sibi laudem compararat Azo ex infectatione hostium Ecclesiæ, quibus viriliter resistebat.

Hinc ejus postulationibus grato concurrens affectu Innocentius eum, ejus castra, villas, & omnia loca, quæ possidebat olim, quæ possidet, & quæ justis modis possessurus est in tutelam S. Petri, & suam Pontifex accipit, & *præsentis scripti patrocinio communit.*

Revocat omnia bona, statuta, pœnas, de ejus bonis a Principe . . . jam excommunicato factas.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Anagniæ VII. Id. Oct. P. a. I. a. D. 1198.

Azo Estensis Marchio investitur de Marchia Anconitana.

HONORIUS III. Nobili Viro Azoni Anconitano, & Marchioni Estensi. II. B.R. t.3. P.1.p.187. C. C.

Inc. *Sinceritas devotionis, &c.*

IN compensationem obsequii erga S. Sedem præstiti ab Azone, & in stimulum majoris impendendi, concedit illi Honorius in Feudum rectum Marchiam Anconitanam, in qua sunt Urbes Ancona, Asculum, Humana, Firmum, Camerinum, Auximum, Hesis, Senogallia, Fanum, Pisaurum, Callis, Forum Sempronii cum suis confinibus.

Marchio quotannis solvet pro Feudo S. Ecclesiæ censum librarum centum, & quandocumque vocatus fuerit, per mensem unum milites centum in auxilium sanctæ Sedis mittet, *tempore veniendi, & redendi non computato.*

Mandat Marchioni, ut cum primum venerit ad Pontificis præsentiam ligium homagium faciatis, & juramentum fidelitatis præstet.

Nulli ergo, &c.

Additur formula inveſtitionis factæ Ottoni Ramberto Procuratori Marchionis Azonis, ſicut inveſtiti fuerant antea Pater, & Frater Azonis.

A. P. I. a. D. 1217.

Azzo VII. inveſtitur de Marchia Guarnerii.

III. HONORIUS III.
Ex Lunig. t. 1. p. 857.

Inc. *In nomine, &c.*

DE conſenſu, & conſilio ſuorum fratrum *per vexillum B. Petri* ſe inveſtiviſſe *Oddonem Ramberti de tota Marchia Guarnerii nomine, & vice Marchionis Azzonis Eſtenſis recipientem pro eo procuratorio nomine, ſicut inveſtiti fuerant Pater, & Frater dicti Azzonis per Eccleſiam Romanam cum omnibus rationibus, libertatibus, & juribus ait P.*

I. *De ſpiritualibus* idem Oddo *ab eadem Marchia perceptis debeat reſpondere Domino Papæ, & Eccleſiæ Romanæ;*

II. *De omnibus vero temporalibus fructibus debeat reſpondere dicto Marchioni, & Matri ſuæ;*

III. *Dictam Marchiam tenebit, & ſalvabit ad voluntatem dicti Marchionis, & Matris ſuæ pro Eccleſia Romana;*

IV. *Et cum dictus Marchio ad majorem acceſſerit ætatem, ipſe in propria perſona debeat viſitare curiam Romanam, & jurare fidelitatem Domino Papæ, & Eccleſiæ Romanæ pro dicta Marchia.*

Quæ omnia attendere, & obſervare dictus Oddo tacto libro corporaliter juravit.

Ponuntur nomina teſtium.

Die XIV. Apr. P. a. I. a. D. 1217.

Salinguerra de Ferraria inveſtitur quibuſdam bonis Comitiſſæ Mathildis.

IV. HONORIUS III. Salinguerræ de Ferraria.
Ib. p. 184. C. C.

Inc. *Conſuevit providentia, &c.*

PEr vexillum B. Petri Honorius concedit in Feudum nobili viro Salinguerræ de Ferraria *illas terras de Podere Comitiſſæ Mathildis*, quibus prædeceſſor Innocentius illum inveſtiverat.

Hæc loca ſunt in Epiſcopatibus Bononienſi, Mutinenſi, Regienſi, Parmenſi.

Quadraginta marchas argenti quotannis ſolvet S. Sedi in feſto omnium Sanctorum.

Serviet Salinguerra in Lombardia, & Romania cum centum militibus; in valle Spoletana, vel Marchia cum quinquaginta.

Ab urbe, & infra verſus maritimam per Campaniam ſingulis annis, cum erit requiſitus per menſem integrum cum militibus viginti.

Nulli ergo &c. Si quis, &c.

Dat. Lateran. *per manum Raynerii* S. R. E. Vice-Canc. XV. Cal. Maji Ind. V. Incar. Dom. MCCXVII. Pontif. vero Dom. Honorii Pp. III. a. I.

Commiſſio ne quiſquam occupet de bonis Comitiſſæ Mathildis niſi diſpoſuerit S. Sedes.

V. HONORIUS III. Alatrino Subdiacono, & Capellano noſtro.
B. R. t. 3. p. 1 p. 216. C. C.

Inc. *Per tuas, &c.*

IMperator Fridericus Siciliæ rex juſſit Metenſi Epiſcopo Imperialis aulæ Cancellario, ut Alatrino Subdiacono, & Capellano Pontificis reſignare faceret terras Cl. m. Comitiſſæ Mathildis.

Mandat itaque Honorius eidem Alatrino, ut eorum poſſeſſionem capiat, & illa committat fidelibus S. Sedi, donec aliter ipſe Pontifex diſpoſuerit.

D. apud Urbem Veterem II. Id. Junii P. a. IV. a. D. 1220.

Apponitur fragmentum recuperationis eorum honorum.

HONORIUS III. VI.
Ib. C. C.

Inc. *Ne rerum, &c.*

NArrat Honorius, quomodo Comitiſſæ Mathildis bona paulatim pervenerint ad S. Sedem, alia per mortem poſſeſſorum, alia per renunciationem, per commutationem alia; erant enim diviſa inter multos.

Nomine hereditatis hujus veniebant Ducatus Spoletanus, Radicofanum, Aquapendens, & Marchia Anconitana, qua inveſtitus fuerat Azzo Eſtenſis, præſente Imperatore.

D. apud Urbem Veterem V. Id. Jul. P. a. IV. a. D. 1220.

Comes de Mangono inveſtitur de quibuſdam bonis Comitiſſæ Mathildis.

HONORIUS III. Nobili Viro Alberto Comiti de Mangono. VII.
Ib. p. 219. C. C.

Inc. *Ad communem, &c.*

INveſtit Honorius de quibuſdam bonis Comitiſſæ Mathildis Comitem de Mangono, ea ſunt Valleſe, Rocca, Gonfienti, & alia in Feudum concedendum legitimis heredibus.

In recognitionem Feudi Comes, & ſucceſſores ſolvat quotannis *unum Aſtorem, & duos bracos*, & per octo dies ſemel in anno veniet *in ſervitio, ſeu exercitu Eccleſiæ cum quatuor militibus.*

D. Later. Non. Dec. P. a. V. a. D. 1220.

Datur inveſtitura quorumdam bonorum Azzoni de Fragnano.

HONORIUS III. Nobili Viro Azzoni de Fragnano. VIII.
Ib. p. 238. C. C.

Inc. *Ad communem, &c.*

SUb eadem penſione, ſub iiſdem conditionibus, quibus Comes de Mangono, inveſtitus de quibuſdam bonis ejuſdem Comitiſſæ Azzo de Fragnano.

D. Later. Non. Dec. P. a. V. a. D. 1220.

Comes Bertholdus inveſtitur de terra Partuſelli.

HONORIUS III. Comiti Bertholdo. IX.
Ib. p. 235. C. C.

Inc. *Cum terram, &c.*

TErram Partuſelli Comes Bertholdus recognoſcere volens a S. Sede promiſit Legato Apoſtolico, ſe, & heredes ſuos ſoluturos S. Sedi duas marcas argenti quotannis.

Pontifex conditionem acceptat, & eum, & heredes inveſtit de eadem terra.

Nulli ergo &c. Si quis, &c.

D. Later. X. Cal. Oct. a. VI. a. D. 1221.

Pax inter Marchiones Eſtenſes, & populum Bononienſem conſtituitur.

BONIFACIUS VIII. X.
ExLunig. t. 3. p. 1912.

Inc. *Dudum inter, &c.*

LIs erat enata inter Marchiones Eſtenſes ex una parte, & Bononienſes ex alia *occaſione confinium, & caſtrorum Bazzani, & Savignani Mutinenſis diœceſis, quæ ad commune Mutinæ pertinere dicebantur, ſed per commune Bononienſe detinebantur.* Jam utrinque ad arma fuerat decurſum. Cum utraque pars promiſit ſe ſtare ſententiæ Pontificis electi in arbitrum, & arbitratorem.

Ergo Bonifacius pronunciat, definit, & ſententiat, caſtra ipſa cum muris, ædificiis, poſſeſſionibus agri &c. *ad plenum jus, & proprietatem uſum atque dominium* populi Bononienſis pertinere.

Vult autem commune Bononienſe dare *competens excam-*

excambium, & recompenſationem congruam in pecunia vel bonis, & rebus ſtabilibus communi Mutinenſi.

Cives Ferrariæ, Mutinæ, & Regii, qui occaſione bellorum, vel alia fuerant expulſi inde non adierunt teſtamenta, res ſuas amiſerunt, poſſint venire in urbes ſuas, adire hereditates, recuperare bona ſua. Si vero ratione delictorum fuerunt ejecti, vel alia ex cauſa, præterquam belli, exulent.

Omnia alia loca, quæ recenſentur, ſpectantia ante bella ad Mutinenſe commune, & in bello occupata a Bononienſi, reſtituantur Mutinenſi; *in ipſis tamen caſtris, rocchis, & villis, & domibus, atque locis jure cujuſlibet ſemper ſalvo.*

Liberam autem facultatem reſervat ſibi Pontifex alia ſtatuendi, definiendique, cum occaſio tulerit pro pace validius firmanda.

Die XXIV. Dec. an. D. 1299.

Nicolaus Eſtenſis monetur, ne cum Nanne de Gozadinis fœdus ineat.

XI. BONIFACIUS VIII. Nicolao Marchioni Eſtenſi in
Ib. p. 1918. Civitate Ferrarienſi pro R. E. in temporalibus Vicario Generali.

Inc. *Novit tua, &c.*

NOverat *Marchio, noverat jam tandem Italia, qualiter iniquitatis alumnus, patriæ proditor, famæ prodigus, ac ſalutis propriæ immemor infamis Nannes de Gozadinis de civitate Bononienſi Eccleſiæ R. ejus dominæ, & magiſtræ enutritus præſidiis* occupaſſet caſtra Centi, & Plebis comitatus Bononienſis, *conſpirationes truculentiſſimas, homicidia & alia nefanda patraſſet crimina*, & ad rebellionem in R. Eccleſiam Bononiam, aliaſque urbes excitaſſet.

Fruſtra Legatus eum monuerat, *ut abſtineret a talibus*; namque pejora in dies patravit, & patrat.

Quare monet Bonifacius prædictum Marchionem, ut ſi a Nanne rogatus fuerit, ut illi auxilium det, ne det; imo ſi aliquo juramento eſt illi obſtrictus, eum ſolvat;

Eum monet, eum titulo Vicariatus Ferrarienſis, & ex vi juramenti fidelitatis R. Eccleſiæ præſtiti eidem Eccleſiæ eſſe obſtrictum; juraſſe enim ſe fore inimicum Eccleſiæ inimicorum.

Pœnam, ni id faciat, excommunicationis, privationis Vicariatus &c. illi denuntiat.

D. R. apud S. Petrum VIII. Id. Febr. P. a. XV. a. D. 1304.

Judiciaria ſententia in Marchiones Eſtenſes.

XII. JOANNES XXII. ad p. r. m.
x Rayn. ad ann. 1324. §. 19.

Inc. *Jam diu, &c.*

EXcommunicati jam fuerant Marchiones Eſtenſes Raynaldus, Opizo, Bertholdus, & Nicolaus quod fœdus cum Ludovico Bavaro, & cum Vicecomite fecerant, juramentumque fidelitatis Ludovico dederant, & Ferrariam cum ſuo diſtrictu ab Eccleſia alienarant; incluſaque eſt eorum damnatio in excommunicatione Bavari, & Vicecomitis.

Cum illi perſeverarent in alienandis urbibus ab Eccleſia, & multa mala patraſſent ſcelera contra Eccleſiam, expugnatis Adria, & Comaclo eos iterum excommunicat; declaratque privatos honoribus, dignitatibus &c.

Excommunicat eorum fautores &c.

Liberat populos ab juramento fidelitatis &c.

D. Aven. IV. Non. Maji P. a. VIII. a. D. 1324.

Tum quibuſdam prælatis mandavit, ut facrum bellum in eos prædicarent cum ſolitis indulgentiis &c.

Prædicti Marchiones abſolvuntur.

XIII. JOANNES XXII. ad p. r. m.
Ad ann. 1328. §. 54.

Inc *Venerabilis Frater, &c.*

TAmquam in hæreticos inquiſitum fuerat in hos Marchiones ab Epiſcopo Ferrarienſi, & ab Inquiſitore. Multa enim dixerant, quæ hæreſim ſapiebant.

Tacti fuere corde a Deo, horruerintque ſua crimina, ſuarum animarum cernentes periculum. Quare pœnitentia ducti miſerunt ad Pontificem oratores.

Hi venerunt geſtantes laqueum collo appenſum, provolutique ad Pontificis pedes orarunt veniam, ſupplicarantque Cardinalibus, ut apud Pontificem pro Marchionibus intercederent; procuratorio nomine declararunt, urbem Ferrariam cum ſuo diſtrictu ad jus, & proprietatem B. Petri pertinere; majorum Eſtenſium merita in Eccleſiam expoſuere.

Promiſerunt, Marchiones recuperaturos Ferrariam a Salinguerra Bavari Vicario,

Confeſſi ſunt, ſe credere quidquid S. Eccleſia docet credendum.

Pontifex motus clementia dat facultatem Bertrando A. S. L. eos, & eorum familiares ſolvendi a cenſuris, reſtituendi in priſtinas dignitates &c.

D. Aven. Non. Dec. P. a. XIII. a. D. 1328.

Marchiones Eſtenſes inveſtiuntur Vicariatu urbis, & agri Ferrarienſis.

JOANNES XXII. Bertrando Epiſcopo Oſtienſi A. Sedis Legato. XIV.
ex Lunig. t. 3. p. 1391.

Inc. *Conſiderantes, &c.*

RAtionem habens Joannes progenitorum Raynaldi, Opizonis, & Nicolai Fratrum Marchionum Eſtenſium in R. Eccleſiam devotionis, ut eos Fratres ad Eccleſiam, a qua quorundam perverſo conſilio defecerant revocaret, arctiuſque cum eadem Eccleſia uniret;

De conſilio Fratrum eos ordinat Vicarios civitatis, & diſtrictus Ferrarienſis *ad decennium ſub forma, quæ ſequitur;*

I. Ipſi, & eorum quilibet habeant ſolidam omnimodam juriſdictionem temporalem cum mero, & mixto Imperio per annos decem, quam poſſint exercere per ſe, vel per alios: habeant facultatem puniendi, deſtituendi officiales, poteſtates, miniſtros &c. decidendi lites & civiles & criminales, approbandi, & improbandi contractus, imponendi gabellas, & eas exigendi omniaque faciendi, quæ ad dictæ urbis, & diſtrictus bonum regimen pertinent; *alienatione tamen bonorum dominii ejuſdem, & Eccleſiæ eiſdem interdicta;* ſicut ſtatuerat Clemens V. in inveſtitionis bulla.

II. Quolibet anno hujus decennii ſolvent *decem millia florenorum boni, & puri auri, & legalis ponderis,* medietatem in feſto Nativitatis Domini, aliam in Feſto BB. Petri, & Pauli *in Romana Curia, ubicunque fuerit, periculis, & expenſis ſuis abſque alia diminutione.*

Mandat igitur Pontifex prædicto Legato, ut hanc inveſtitionem det, & eos in realem poſſeſſionem Ducatus immittat.

D. Aven. II. Cal. Julii P. a. XIII. a. D. 1331.

Conditiones, quibus Aldobrandinus Marchio Eſtenſis fit Vicarius Bononiæ.

INNOCENTIUS VI. Ægidio Epiſcopo Sabinenſi Ap. Sedis Legato. XV.
Ib. p. 1598.

Inc. *Sedis Apoſtolicæ, &c.*

CArdinalis Ægidius Columna (ille qui pro regimine Marchiæ conſtitutiones fecit, quæ dicuntur Ægidianæ approbatæ ab hoc eodem Innocentio. v. t. I. *de Provincia Marchiæ*) Pontifici ſignificarat, Bononiam, ejuſque diſtrictum multo melius regi poſſe, ſi ejus Vicariatus *uſque ad annos quatuor* demandaretur Aldobrandino Marchioni Eſtenſi, de cujus prudentia, & probitate & Religionis zelo nemo dubitare poterat.

I. Addebat idem Ægidius has conditiones apponi poſſe;

Juret Marchio in manibus ejuſdem Ægidii, ſe recturum fideliter urbem, & diſtrictum;

II. Se finito quadriennio dimiſſurum eſſe Vicariatum in manu Pontificis, vel Sede vacante, Sacri Collegii;

IV. Se daturum ſingulis annis cenſus nomine S. Sedi *viginti quatuor millia florenorum boni, ac puri auri, ponderis, ac cugni Florentinenſis in Romana Curia, ubicunque fuerit, medietatem in feſto BB. Petri, & Pauli, aliam in Nativitatis Domini feſtivitatibus,* quæ niſi ſolvet eo tempore, ſit excommunicatus;

IV. Se defenſurum ſtatum Eccleſiæ, *ſive Bernabos de Vicecomitibus Miles Mediolanenſis, vel alia quælibet perſona* cum labefactare nitatur; ſe reducturum ad obedientiam aliquam Civitatem Eccleſiæ, quæ ab illa deficeret; ac proinde ſe habiturum *trecentos ſtipendiarios bonos ſufficientes, & bene munitos equites viros ſuis ſtipendiis;*

V. Se curaturum reducere ad obedientiam Eccleſiæ dicti comitatus caſtra & fortalitia occupata ab eodem Bernabove, quæ recuperata tenebit, & reget ille nomine Eccleſiæ;

VI. In obſidem ſe daturum Opizonem filium ſuum cuſtodiendum ab eodem Cardinali Ægidio, ſi Opizo moriatur, ſe daturum aliquem e ſuis Fratribus,

VII. Se curaturum, ut *civitas Florentina caveat pro eo de omnibus, & ſingulis ſupradictis adimplendis, & per eum plenarie efficaciter obſervandis; quæ ſi pro eo ſtare nollet*, nihilominus inveſtiatur Vicariatu,

Mandat Innocentius Ægidio, ut juramenti, & conventionum duo inſtrumenta confici faciat, quarum unum ipſe retineat, alterum ad S. Sedem mittat.

Apponitur juramenti a Marchione præſtandi formula.

D. Aven. III. Id. Mar. P. a. IX. a. D. 1362.

Marchiones Eſtenſes ſiunt Vicarii Ferrariæ.

XVI. lib.p.1602. URBANUS VI. Nicolao, Hugoni, & Alberto Marchionibus, &c.

Inc. *Dum ad veſtræ, &c.*

HÆc conſtitutio eſt eadem, ac conſtitutio Joannis XXII. *Conſiderantes* v. ſupra.

Urbanus addit, eos præſtare debere juramentum fidelitatis cum omnibus capitulis infra primos quatuor menſes, ſi per procuratorem inveſtitionem accipient;

Et eos ad annos ſex inveſtit.

D. VI. Id. Oct. a. D. 1356.

Inveſtitur Albertus Vicariatu Ferrariæ.

XVII. lib.p.1616. BONIFACIUS IX. Alberto Marchioni Eſtenſi.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

HÆc quoque Bulla convenit cum Bulla Joannis.

Quod ſi interea moriatur Albertus, jubet Pontifex ut inveſtiantur ejus filii uſque complementum decennii, niſi foret elapſum.

Ille propriis expenſis ſingulis annis per tres menſes centum ſtipendiarios habeat, ſicut promiſerant ejus majores Gregorio XI. *infra ſpatium ſeptuaginta milliariorum computandorum a Ferrarienſi civitate, quos in auxilium Eccleſiæ requiſitus mittet.*

Apponitur procuratorium Marchionis, & procuratoris juramentum.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum IX. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1390.

Hercules I. Mutinæ Dux deputatur Ferrariæ Vicarius.

XVIII. lib p. 1648. SIXTUS IV. Herculi &c.

Inc. *Inter multiplices, &c.*

COnvenit hæc Sixti conſtitutio cum præcedentibus. Occurrunt hæc verba notanda *poſt mortem tuam filios, & nepotes tuos legitimos, & naturales uſque in tertiam generationem Vicarios in temporalibus generales facimus, conſtituimus &c.* & dignitate ducali voluit eum præfulgere.

Eſt juramentum fidelitatis præſtitum.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XIII. Cal. Sept. P. a. I. a. D. 1472.

Hercules I. Mutinæ Dux titulo Ducis Ferrarienſis cum honoribus &c. inſignitur.

XIX. lib.p.1655. ALEXANDER VI. ad f. r. m.

Inc. *Ex ſupernæ, &c.*

REpetit Alexander quæ decreverat Sixtus IV. nempe inveſtiviſſe Vicariatu Ferrariæ Herculem, & eum inſigniviſſe ducali dignitate quoad viveret ipſe, & Borſum, & voluit, ut Dux Ferrariæ nominaretur;

Voluit etiam, ut quinque miſſia florenorum ſolveret pro Ferraria, & mille pro aliis caſtris ejuſdem diſtrictus annis ſingulis daret in feſto BB. AA. Petri, & Pauli.

Interea temporis præfatus Hercules ornamenta facta Ferrariæ a ſuis majoribus ipſe auxit aliis ornamentis; loca non pauca in territorio conſtruxit, caſtra, & fortalitia erexit maximis cum impenſis, ſumma cum cura.

Compenſare ergo Alexander volens Herculis tot impenſas, tot ejus merita, ſperans Herculem Ducem, ejuſque filios, & nepotes in S. Sedem futuros procliviores, confirmat quæ egerant ſuperiores Pontifices, & has inſuper gratias addixit de conſilio, & auctoritate Cardinalium;

Ergo Herculem, ejus filios, poſteroſque perpetuis futuris temporibus vult eſſe Duces, & gaudere omnibus inſigniis, honoribus, titulisque ducalibus;

Vult ducalem dignitatem tranſire ab Hercule in Alphonſum primogenitum, cujus linea ſi deficiat, tranſire ad ſecundi geniti lineam, hac finita, ad lineam tertii.

Decernit præterea, ut deſcendentes maſculi ex Alphonſo, & ejus uxore Lucretia Borgia Duciſſa Biſſelli nepte Alexandri quoad vivent ſolvant centum florenos pro cenſu Ducatus; ſi aliæ lineæ ſuccedant ſolvant mille.

Mandatque Camerario Cameræ A. nihil aliud ab iis Ducibus ut exigat.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XV. Cal. Oct. P. a. X. a. D. 1501.

Cardinales viginti tres apponunt ſua diplomati nomina.

Excommunicationis ſententia in Alphonſum Eſtenſem extenditur ad ejus fautores, aſſeclas &c.

XX. ex Lunig. t. 1. p. 1924. JULIUS II. ad f. r. m.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

ADhæſerat Alphonſus Ferrariæ Dux partibus Regis Galliæ Ludovici XII. contra Pontificem Julium.

Pontifex igitur excommunicavit Alphonſum, declaravit, eum eſſe ſpoliatum Ducatu Ferrariæ, omnibus ejus titulis, honoribus, juribus, liberavitque populos a fidelitatis juramento, & Ferrariam cum ejus diſtrictu eſſe devolutam ad Romanam Eccleſiam.

Ducibus, Baronibus, Officialibus, militibus ſignificavit, ne partibus Alphonſi fayerent ſub iiſdem pœnis.

Carolus de Amboiſia Gubernator Mediolanenſis Ducatus nomine Regis Galliæ aliique Alphonſo adhærebant, auxiliumque ei præſtabant.

In hos ergo ſententiam excommunicationis latam jam contra Alphonſum Julius jacit: Eos privat honoribus &c. liberat ſubditos &c. ſupponit interdicto loca, ad quæ proficiſcentur, & eos accipient; vult in omnibus Eccleſiis more ſolito eos denunciari excommunicatos &c. N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Bononiæ prid. Id. Oct. P. a. VII. a. D. 1510.

Abſolvitur Hercules ab excommunicatione, & inveſtitur Ducatu.

XXI. ex Lunig. t. 3. p. 1679. PAULUS III. Herculi Eſtenſi Ferrariæ Duci.

Inc. *Probatæ devotionis, &c.*

REpetitis ſummatim, quæ decreverunt Romani Pontifices & Sixtus IV. & Alexander VI. de inveſtitione Domus Eſtenſis Ducatus Ferrariæ, titulique Ducalis Borſo, Herculi, & Alphonſo dati, iiſque omnibus confirmatis,

Habita ratione devotionis, quam erga S. Sedem majores Herculis, & Hercules ipſe habuerunt, & habet, eum a cenſuris, quibus innodatus fuerat abſolvit Paulus; tollit etiam interdictum, cui fuerat Ducatus Ferrariæ ſuppoſitus, & ſimul ejus adhærentes, fautores, conſiliariosque abſolvit;

Jam Alphonſum Patrem Herculis excommunicatum ab Julio II. Leo X. abſolverat, motus præcipue Alphonſi ſtudio in conſervandis juribus S. Sedis, & in recuperatione Bononiæ; eumdemque Alphonſum in omnia jura, & dominia reſtituit, tanquam ſi Julii litteræ non emanaſſent.

Mortuo Leone, ſuffectoque Hadriano, & Hadriano Clemente VII. Regium, & nonnulla alia quæ a copiis Pontificiis tenebantur, ejectis iis copiis, recuperavit Hercules. Paulus ſubrogatus Clementi volens rixas tollere, ſtatim ac vidit Herculem mittere oratores ſuos, qui juramentum ejus nomine præſtarent fidelitatis, volenſque devotionem tantam compenſare, & abſolvit præfatum Herculem, & in ſua dominia, & jura remiſit.

Approbat & confirmat modum ſucceſſionis ſtatutum ab Alexandro, & omnes gratias, indulta, & privilegia ejus familiæ conceſſa rata habet. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum IX. Cal. Febr. P. a. V. a. D. 1538.

Cardinales decem & novem ſe ſubſcribunt.

Annullantur acta a Duce Mutinenſi in Caſtro S. Cæſarei.

XXII. B.R.t.6. p. 3. p. 793.C.C. INNOCENTIUS X. ad f. r. m.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

NOnnulla acta juriſdictionalia egerat Franciſcus Mutinæ Dux, vel ejus Miniſtri in Caſtro S. Cæſarei, ejuſque territorio in confinibus comitatus Bononienſis, & Ducatus Mutinenſis, *in quo juriſdictio, merumque, & mixtum imperium ad S. Sedem ſpectat.*

Innocentius igitur hæc omnia reſcindit, & irritat, & haberi vult tanquam non acta, utpote quæ geſta ab non habente juriſdictionem.

Incolis ejus caſtri mandat, ne prædicta mandata Ducis exequantur ſub excommunicationis pœna. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIV. Mar. P. a. X. a. D. 1654.

Juſpatronatus perpetuum datur huic familiæ præſentandi ad præpoſituram ſæcularem Abbatiæ de Pomposa, & ad plebaniam de Bondeno, & ex fructibus diſmembratis beneficium ſimplex inſtituendi.

XXIII. B.R t.6. p. 6. p. 89. C.C. ALEXANDER VII. ad p. r. m.

Inc. *Laudabilia infantilis, &c.*

FRanciſco Mutinenſi, ejuſque legitimis ſucceſſoribus dat Alexander juspatronatus præſentandi perſonas idoneas ad præpoſituram Sæcularem in Abbatia Monaſterii de Pompoſa Ord. S. Benedicti, & ad Archipresbyteratum, ſeu Plebaniam S. Mariæ de Bondeno Ferrarienſis Diœceſis, & ad *beneficium ſimplex perpetuum ex fructibus ab illa diſmembratis erectum*, vacent hæc beneficia quocunque tempore, quacunque ex cauſa, in Curia, & extra.

Decernit, & declarat, *juſpatronatus hoc, & præſentandi hujuſmodi laicorum nobilium, & principum, ac in omnibus, & per omnia ad inſtar regum vere exiſtere, dilisque Franciſco Duci, & aliis futuris patronis non ex privilegio, ſed ex vera primæva, reali, actuali, plena integra, omnimoda fundatione, erectione, dotatione laicali ex bonis mere laicalibus, & patrimonialibus competere & ad illos pertinere; nec non juris patronatus, & præſentandi laicorum nobilium, & illuſtrium ac principum, & ad inſtar regum effectum, vim, naturam, ſubſtantiam, & eſſentiam, ac qualitatem, validitatem, & roboris firmitatem obtinere.* N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Maji P. a. X. a. D. 1664.

Queritur Pontifex, quod bonis Eccleſiaſticis tributa impoſuerit Dux, & quod quoſdam parvos conventus ſuppreſſerit S. Sede inconſulta.

XXIV. *In ſolio ſeparato.* CLEMENS XIII. Franciſco Eſtenſi &c.

Inc. *Jamdiu filius, &c.*

JAm mandarat Clemens Cardinali Albano, ut quereretur cum Duce de edicto, quod ille fecerat die ſeptimo Junii, vulgaveratque menſe Julio, ſperaveratque fore ut hujuſmodi querelæ aliquid efficerent.

Duo ſiquidem articuli ſunt in illo edicto, quibus remedium aliquod afferri a Duce ſperabat Clemens. Illud enim edictum mala fama per Europam univerſam Pontificem onerat; quali vero oratus ſæpe nomine Ducis non poſſe laicos omnia onera ſtatus ſufferre, & neceſſario etiam Clericis hæc onera eſſe perferenda, noluerit Duci licentiam dare hujuſmodi tributa ab Eccleſiaſticis exigendi; ac proinde Dux ipſe ſine S. Sedis licentia tributa Clero impoſuit; injurioſum etiam Eccleſiæ eſt edictum, quæ ſola habet facultatem de rebus Deo ſacratis cognoſcendi.

Cum ergo inibi Clemens erat, ut dolorem ſuum mitigaret Ducis æquitate, & religione conſiderata, ejuſdem litteræ afferuntur, quibus non ſolum locum ullum agendi relinquit, ſed etiam a Pontifice poſtulat, ut litteræ in forma Brevis mittantur, quibus confirmentur ea quæ Dux decreverat; quod idem eſt ac ſi vellet, per auctoritatem Pontificiam Eccleſiæ poteſtatem ſeryam fieri.

Etiam dolorem maximum percepit Pontifex, cum audivit novo, inauditoque exemplo, Ducem quoſdam conventus in ſuis ditionibus ſuppreſſiſſe, qui jamdiu legitime ibidem fundati fuerant, expulſos inde Regulares, bonis omnibus ſpoliatos, nulla eorum jurium ratione habita, quæ ad illos ſpectabant in illa bona vi Legum Eccleſiaſticarum, civiliumque, & ea bona in uſibus omnino aliis ab iis præſcriptis a fundatoribus fuiſſe inſumpta.

Quæ omnia ægerrime conſiderans Clemens, non ſe cohibere potuit, quin ad Ducem ſcriberet non ſolum ut ægritudinem animi ſuam illi ſignificaret, ſed etiam ut illum admoneret, in quæ mala eum impulerint ejus Conſiliarii corruptiſſimis horum temporum doctrinis abrepti; cujus periculi adſpectum clare videbit, ſi ſuorum illuſtrium majorum, quos hactenus eſt ſequutus, exempla reſpiciet. Ipſi enim recte incedentes digni fuerunt habiti, quibus S. Sedes aliquid ſemper concederet.

E ſui miniſterii officio Sanctuarii jura ſarta tecta ſervare Clemens debet. Prudens Eccleſiæ regimen non permittit, Pontificem erga fideles eadem vi vocis uti, ſed tamen Leges Eccleſiaſticæ ſemper apud quoſcunque eandem vim habent.

Quare rogat Ducem, ut videat, quo in periculo ſit ejus ſalus, ut ſtatim retrahat pedem, datamque offenſionem tollat.

Illi teſtatur, ſe numquam recuſaturum eſſe facere, quod conveniens decenſque in hoc genere erit & quoad illa, quæ ſpectant ad res ſpirituales, & quoad illa, quæ ad temporarias pertinent.

Illique Apoſtolicam dat benedictionem.

Datum Romæ Die XXIV. Septemb. P. a. XI. a. D. 1768.

„ His Pontificis litteris reſpondit die XXVI. Novembris Dux in hanc ſententiam: multa eveniſſe, „ ait, & præcipue abſentiam a ſuæ reſidentiæ loco, „ quæ effecerunt, ut ſtatim Pontificis Brevi non reſ„ ponderit.

„ Se ſummo obſequio, ſummaque veneratione viſi„ bile Eccleſiæ caput proſequi, illi gratias agere, quia „ fatetur, ſe non eſſe ſuis majoribus inferiorem, cum „ tanto in cultu Catholicam Religionem, Eccleſiamque „ habeat.

„ Sperat, fore ut numquam ab hoc cultu diſcedat, „ etiam confidit Pontificem id aperte eſſe perſpectu„ rum in iis decretis omnibus, quæ edidit, quoties „ Pontifex æquitate illa velit ea inſpicere, quæ eſt „ unum e pulcherrimis ornamentis, quibus ornatur.

„ Imo ex ipſis Pontificis verbis colligit, Pontificem „ perſpecturum eſſe, ſe nihil jura Eccleſiæ læſiſſe, ſe „ duobus ſacris muneribus a Deo ſibi impoſitis ſatisfe„ ciſſe, ſupremæ poteſtatis, & juſtitiæ adminiſtrandæ; „ Hinc quovis dolore depoſito Pontificem daturum eſſe „ ſibi benedictionem Apoſtolicam confidit.

„ Menſe Martio ann. 1770. Mutinæ Dux Franci„ ſcus decretum edidit ad manus mortuas ſpectans.

DE URBE MUTINA.

Commune Mutinenſe inveſtitur caſtris Carpi, & montis Beronzoni.

I. B.R.t.3. p. 1. p. 247.C.C. GREGORIUS IX. Poteſtati, & Populo Mutinenſi.

Inc. *Sedis Apoſtolicæ, &c.*

CAſtra Carpi, & Montis Beronzoni concedit in Feudum Gregorius populo Mutinenſi, ſicut conceſſerat

rat prædecessor Honorius. Hæc quoque loca erant Comitissæ Methildis.

I. Censum populus solvet sexaginta librarum singulis annis S. Sedi.

II. Guerram, & pacem populus faciet ad placitum S. Sedis.

III. Et ejusdem Legatos honorifice accipiet.

IV. Non obligabit dominos illorum locorum ad construendas ibidem domos.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Later. Id. Maji P. a. I. a. D. 1227.

Hortatio ad Mutinensem populum, ut præstet fidelitatem Imperatori.

II. ex Lunig. t. 1. p. 1663. JULIUS II. Conservatoribus, & Communitati Civitatis Mutinæ.

Inc. *Inclitam illam, &c.*

CUm Julius excommunicavit Alphonsum occupavit Mutinam;

Sed eam volens *ab omnibus detrimentis hostium* (Gallorum) *ac militum Ecclesiæ incommodis præservare, decrevit Civitatem ipsam Cæsareæ Majestati, cujus ditionis est, reddere, ut sub ejus nomine, umbra, & protectione omnia belli incommoda vitet.*

Quam ergo fidelitatem jurarant Pontifici, hortatur Conservatores, & populum ut dent Cæsari;

Quod juramentum servandum ab illis erit *usque ad confectum, & terminatum bellum Ferrariense.*

Dat, Mirandolæ Reginæ Diœc. Die XXIX. Jan. a. D. 1511.

DE EPISCOPATU MUTINENSI.

Circumscriptio limitum Episcopatus Mutinensis. confirmatioque bonorum, & privilegiorum.

CALLIXTUS II. Dodoni Episcopo. I. B.R.t.1. p. 191. C.C.

Inc. *Sicut injusta, &c.*

TErminos Episcopatus Mutinensis quoquoversus circumscribit Callixtus,

Et omnes plebes, Ecclesias, Capellas intra hos terminos subjicit Episcopo;

Bonaque hujus Ecclesiæ confirmat,

Quæ declarat libera, & exempta.

Renovat Urbani II. decretum, scilicet ut Presbyteri electi a Monachis in suis Ecclesiis animarum Curam habentibus, curam earum exercere non possint, nisi fuerint ab Episcopo approbati.

Si qua igitur, &c.

Subscriptio Pontificis,

A. 1125.

DE PISANA OLIM REPUBLICA.

Confirmatio exemptionum datarum Civibus Pisanis.

I. B.R.t.3. p. 1. p. 49. C.C. COELESTINUS III. Pisanis Civibus &c.

Inc. *Vestra devotio, &c.*

NObilis vir Gottifredus quondam Hierosolymarum rex cum Sibilla uxore sua Pisanis Civibus, *considerato multiplici studio eorum in regnum suum*, multas dedit exemptiones, multaque privilegia.

Multas exemptiones dedit eis Ricardus Anglorum Rex,

Multas C. quondam Marchio Montisferrati ejus filius;

Has omnes exemptiones (quæ, non docet Pontifex, quales fuerint) hæc omnia privilegia illis confirmat Cœlestinus.

Nulli ergo &c. Si quis, &c.

D. Later. VI. Id. Apr. P. a. II. a. D. 1192.

Hortatio ad Pisanos ut Legatis S. Sedis pareant.

II. ex Lunig. t. 1. p. 1481. CLEMENS III. Consulibus, & populo Pisano.

Inc. *Pro sedandis &c.*

BEllum erat inter Pisanos hinc, & Januenses inde. Commotus Clemens earum Rerumpp. detrimentis Legatos S. Sedis statuit Pisas mittere componendæ pacis ergo.

Quare Pisanos monet, ut iis, quæ Legati decreverint *ex parte Pontificis, se subjiciant, sub debito juramenti, quod super hoc Clementi præstiterant.*

Illi significat, *se hoc idem Januensibus sub simili districtione dedisse in mandatis.*

D. Later. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1188.

Confirmatur pax facta a Legatis.

III. Ibid. CLEMENS III. Consulibus &c.

Inc. *Inutiliter inter, &c.*

MIlle cives de suis Pisani elegerant, *ut unum hominem in animam totius populi juramenoo firmarent, ut facerent pacem.* ita egerant & Januenses. Has ergo conditiones Pisanis Legati propositerunt:

1. Mercandi, *imo fœnerandi detestabile genus, quoad domnicalia, quod Pisani, & Januenses consueverant nomine palliare in Sardinia penitus irritatur;* inhibenturque eos contractus posthac facere;

II. Ne Pisani impediant, quominus Januenses universa pignora, & possessiones, quas in Sardinia habent, *& præcipue pignora Balliolum quondam regis Arboreæ quiete* & pacifice teneant. Idem præcipitur Januensibus;

III. Ne Pisani impediant judices in Sardinia, quominus cum Januenses ad eos confugiunt contra Pisanos, justitiam faciant; idem mandatur Januensibus;

IV. Ne Pisani impediant Januenses ire per pelagus; neque Januenses Pisanos;

V. Ne Pisani impediant Januenses quominus in terris Pisanorum negotientur. Idem præscribitur Januensibus; *salvis decretis ab utraque civitate absque malitia factis;*

VI. Liberum utrique nationi sit *si se senserit aggravatam deferre suas querelas arbitro.*

VII. Sententias, quas judices utriusque partis promulgabunt intra quadraginta dies a tempore latæ sententiæ observari faciant.

VIII. Utriusque nationis electi judices promittant, se has conditiones effecturos ut sua natio observet.

IX. Hæc pacta ut firmius serventur, majores consules Civitatis & tercenti viri Januenses eligendi a Pisanis, & tercenti Pisani ab Januensibus jurent singulis annis populum suum esse illa servaturum.

X. Consules, vel rectores in alterutra Civitate hæc juramenta accipiant.

XI. Si aliquid fiat contra hæc pacta, Archiepiscopi utriusque nationis, & duo jurisperiti eligendi a Prælatis rem decidant.

XII. *Consules* harum nationum, *qui ad diversas provincias destinantur jurent quod de querimoniis, quæ ad eos deferrentur bona fide justitiam facient.*

Hæc sententia jussu Pontificis *lecta, & recitata fuit in Luccana civitate* præsentibus testibus, quorum recusentur nomina.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Præter Pontificem hæc pacta signarunt Cardinales tresdecim.

Datum Laterani per manum Moysi S. Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi Vicem-agentis Cancellarii secundo Idus Decemb. ann. MCLXXXVIII. Pontificatus vero Clementis Papæ tertii Anno primo.

Monen-

Monentur Pisani ut desistant favere Othoni Imperatori.

IV. Ex Rayn. ad ann. 1210. §. 8. INNOCENTIUS III. Communi Pisanorum, &c.

Inc. *Ex iis, &c.*

MAgna voluptate, ait Innocentius, se præcepisse, Pisanos non esse immemores beneficiorum a S. Sede acceptorum, nec velle de Sardiniæ possessione Ecclesiam turbare ne innodentur excommunicatione.

Quod si hæc illis mens est, ut velint Ecclesiæ parere, ne faveant Imperatori Othoni jam excommunicato aggredienti ditiones Ecclesiæ, & invadenti regnum Siciliæ.

D. Later. IX. Cal. Ian. P. a. XIII. a. D. 1210.

Conditiones propositæ a Pontifice ad sedandas discordias inter Pisanos & Januenses.

V. Ib. p. 193. §. 6. HONORIUS III. Populis Pisano, & Januensi.

Inc. *Miserator, & misericors, &c.*

NUnciis Pisanis, & Januensibus ad se Romam accitis, Pontifex sedaturus discordias inter hos populos enatas, jubet, ut renuncient nomine S. Sedis utrique populo suo respective,

Ut infra mensem Castrum Bonifacii consignent Ecclesiæ, tenendum in custodia ab eadem Ecclelia ad beneplacitum S. Sedis,

II. Ut mari, & terra uterque populus faciat pacem eamque servet;

III. Ut Pisani nobili viro judici Turritano, & filio ejus veram pacem dent, neque eorum bona perturbent,

IV. Ut ab adventu Nunciorum eligant viros probos duos ex utraque parte infra triduum, qui *infra dies quadraginta de manifestis, intra sexaginta de dubiis querelis sententiam pronuncient;*

V. Vult *salvum Januensibus jus pignoris, quod in judicatu Arboreæ habent.*

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Dat. Later. Cal. Dec. P. a. II. a. D. 1217.

Ad Mediolanenses ut extorqueant a Pisanorum manibus Sardiniam.

VI. Ib. p. 210. §. 6. HONORIUS III. Christifidelibus per provinciam Mediolanensem constitutis.

Inc. *Cum Ecclesiarum, &c.*

INvaserant Pisani Sardiniam insulam, & prope dimidia jam potiti fuerant.

Cum insula spectaret ad S. Sedem, injungit Mediolanensibus Honorius, ut arma sumant, seque judici Turritano associent *in remissionem suorum peccatorum*, & eam a Pisanorum manibus extorqueant, defendantque strenue B. Petri jura contra eos.

Quartam partem de injunctis pœnitentiis relaxat arma sumentibus.

D. Later. IV. Id. Nov. P. a. III. a. D. 1218.

Cardinalis legatus cogat Pisanos stare juramento & examinet electionem Archiepiscopi.

VII. Ex Rayn. ad ann. 1217. §. 86. HONORIUS III. Ostiensi Episcopo S. A. Legato.

Inc. *Cum potestas, &c.*

JUraverant Pisani se dimissuros insulam Sardiniæ S. Sedi, ad quam spectabat.

Cum differrent id facere scribit legato suo, ut eos ad id cogat,

Cogatque eos diruere arcem, quam ibidem ædificarant, ut insulanos volentes redire ad dominum Ecclesiæ continerent.

Capitulum elegerat Archiepiscopum; hujus electionis examinandæ provinciam eidem legato demandat, *quam si jure celebratam reperiet auctoritate Apostolica confirmet; sin vero minus canonice factam rescindat, collegiumque Canonicorum, repudiata cujuscunque appellationis mora, alium eligere jubeat.*

D. Later. IV. Id. Febr. P. a. I. a. D. 1217.

Ab interdicto, & excommunicatione absolvuntur Pisani.

ALEXANDER IV. F. Mansueto de ordine Minorum Pœnitentiario. VIII. Ex Lun. t. 3. p. 1497.

Inc. *Clemens semper, &c.*

FUerant excommunicati, & interdicti Pisani, quia Ecclesiæ jura violaverant, quia legatos S. Sedis injuriis affecerant, quia adhæserant Ecclesiæ hostibus.

Ad cor reversi ad Pontificem confugerunt patratorum criminum veniam precantes, promittentesque se jura Ecclesiarum servaturos, se excepturos, & veneraturos legatos, inquisituroque eorum bona, & restituturos, se semper propugnaturos Ecclesiam;

Polliciti præterea sunt, se in sua civitate erecturos hospitale, pro cujus constructione, & dotatione intra quinquennium expendent decem millia librarum Pisanarum parvarum, ab Episcopi jurisdictione futurum prorsus exemptum.

Pontifex imitatus Christum, qui non vult mortem peccatorum, mandat præfato Pœnitentiario, ut Pisanis injungat, ut jurent de observandis prædictis capitulis, & in suis capitularibus notent, quæ Potestates in principio sui regiminis, & populus se observaturos esse jurabunt, & eos absolvat a censuris.

Etiam eos liberet a pœnis; omniaque privilegia illis restituat.

Contradictoresque censuris compescat.

D. Later. Cal. Apr. P. a. III. a. D. 1257.

Adhortatio ad eosdem ut in Palæstina cum Januensibus amicitiam colant.

ALEXANDER IV. Potestati Capitaneo, Consilio, & populo Pisano. IX. Ibid. p. 1500.

Inc. *Sicut olim, &c.*

REgnum Hierosolymitanum multis attritum, & concussum angustiis, & pressuris ad nihilum cito redigendum esse videbatur.

Quare Pontifex duxit eo mittere ad Pisanos Messanensem Episcopum; & Pisani ad Pontificem miserant oratores cum juramento se non discessuros: a laudo, & a sententia Pontificis *super omnibus, ex quibus dissensionis, & guerræ inter eos, & Januenses exorta fuerat materia.*

Pontifex qui omnes nationes paterno complectitur affectu, iisdem Pisanis mandat, ut pacem firmam cum Januensibus ineant, permittantque eos ad suas terras tuto accedere, in iis tuto morari, inde tuto abire. Id notum faciant suis Admiratibus, Capitaneis, Consulibus.

Coram legato Sedis Ap. in civitate Acaronensi Pisani compareant, illique omnia explicent.

Mandat iis etiam, *ut nullum solitum armamentum seu navalem exercitum galearum & navium ultra mare mittant.*

Iis commendat litteras quas mittit Venetis, & Januensibus, ut eas illis tradant.

D. Viterbii II. Non. Jul. P. a. IV. a. D. 1258.

Pisani absolvuntur a censuris quod adhæserint Conradino.

GREGORIUS X. ad p. r. m. X. B.R. t.3. p. 1. p. 7. C. C.

Inc. *Sicut magni, &c.*

QUia pertinaciter Conradino Friderici Imperatoris nepoti adhæserant, fuerant excommunicati, & Archiepiscopali dignitate privitati Pisani a Clemente IV. *Post tantorum excessuum culpam magnæ humiliationis prætendentes indicia* recipit illos Gregorius in Ecclesiæ gremium, illosque a censuris absolvit, ablatamque dignitatem iis restituit.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Florentiæ XII. Cal. Julii P. a. II. a. D. 1273.

Pisa-

Pisani auxilium præstent Jacobo Aragoniæ Regi possessionem Insularum Sardiniæ, & Corsicæ capturo.

XI. Ex Lunig. t. 4. p. 1385. BONIFACIUS VIII. Potestati, Capitaneo, &c.

Inc. *Tanquam discretionis, &c.*

LAudat Bonifacius Pisanos, quod in omnibus negotiis semper Ecclesiam R. præ oculis habuerint.

Tum iis significat, se nuper investiviſſe de insulis Sardiniæ, & Corsicæ Jacobum Aragoniæ regem, ejusque successores.

Cum igitur Rex magna armata manu earum possessionem capere intendat ad honorem Ecclesiæ, Pontificisque decus, ut postea negotium Terræ S. expeditius exequi possit, cum videat Pontifex auxilia Pisanorum in capienda prædicta possessione multum Regi esse profutura, ne diutius negotium ejus Terræ differatur,

Eos rogat, & monet, *ut velint eidem Regi ad id suum auxilium, consilium, & favorem liberaliter, & efficaciter impertiri a contrario penitus abstinentes.* Sic præmium a Deo, & gratiam a Sede A. consequentur.

D. Later. XII. Cal. Maji. P. a. IX. a. D. 1386.

DE ECCLESIA PISANA.

Episcopi Pisani constituuntur Vicarii AA. per insulam Corsicam.

I. B.R. t. 1. p. 5. C. C. GREGORIUS VII. Landulpho Episcopo Pisano.

Inc. *Supernæ miserationis, &c.*

COnfirmat Pontifex Landulpho Episcopatum Ecclesiæ Pisanæ cum omnibus bonis, & præcipue donatis eidem Ecclesiæ a Mathilde pro remedio animæ matris suæ ibidem sepultæ.

II. Eum, & successores Vicarios AA. per insulam Corsicam constituit, ut *Episcopos, Clericos, populum insulæ doceant;*

III. Et quia ejus insulæ dominium, quod erat antea S. Sedis, subtractum a quibusdam invasoribus injuste fuit, eum excitat Pontifex ad eos expellendos, & medietatem reddituum Corsicæ Episcopo renunciat, & duobus ejus successoribus quartam tantum partem ad supplendas impensas ad recuperationem insulæ faciendas;

IV. Arces, & loca munita insulæ sibi, & S. Sedi reservat Gregorius, custodibus tamen arcium justis parere Pisano Episcopo.

V. Addit demum, *ut in agendis placitis Nuncius Apostolicus semper interſit.*

Actum Romæ II. Cal. Dec. Indict. II. a. 1078.

Ecclesiæ Pisanæ subjiciatur Corsica.

II. Ect. Chelo. t. 3. p. 369. URBANUS II. Daiberto Pisanorum Episcopo.

Inc. *Cum omnes, &c.*

SEcundum statuta legalia omnes insulæ habebantur juris publici; *at constat eas Religiosi Imperatoris Constantini liberalitate, ac privilegio in B. Petri, vicariorumque ejus jus proprium esse collatas.*

Sed intercidentibus divina dispositione judiciorum calamitatibus, Ecclesia Romana in quibusdam passa est jacturam. Cæterum & Canonicis, & legalibus institutis Romanæ dignitatis proprietas non prolixitate temporum, non divisione regnorum ulla diuturnitate possessionis excluditur. Licet ergo Ecclesia *annis plurimis Corsicæ possessione caruerit*, tamen Gregorii VII. tempore in eiusdem jus rediit.

Quia vero *obsequii Pisanorum glorioſa nobilitas Romanam sibi fecit obnoxiam Ecclesiam* insulam eam vice Pontificum *de consilio Clericorum, & Cardinalium Ecclesiæ Pisanæ* Urbanus committit; *ut quandiu eadem Pisana civitas Episcopum non invasione tyrannica, sed electione Canonica per R. Pontificis manus acceperit* apostolicis vicibus in ea perfruatur; ea conditione ut per annos singulos Lucanæ monetæ 50. libras Lateranensi Palatio persolvat.

Confirmatio possessionis Corsicæ, & missio Pallii ad Episcopum.

III. B.R. t. 1. p. 71. C. C. URBANUS II. Daiberto Pisanorum Episcopo.

Inc. *Cum universis, &c.*

I. EPiscopi, populique Pisani in Romanam Ecclesiam collaudatis meritis, Corsica insula iterum subjicitur Episcopo, ut in eam Episcopus Christianam disseminet doctrinam, Episcoposque consecret:

II. Ad eum Pallium mittit, cujus usum concedit.

Datum Anagniæ per manum Joannis sacræ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis V. Calend. Maji Indict. XV. anno Dominicæ Incarnationis MXCII. Pontificatus vero Domini Urbani Papæ II. Anno V.

Revocatio facultatis Episcoporum Pisanorum consecrandi Episcopos Corsicæ.

IV. Ib. p. 311. C. C. CALLIXTUS II. Episcopis per insulam Corsicæ constitutis.

Inc. *Nec facilitati, &c.*

I. URbanus II. gravissimis distractus negotiis subjecit Archiepiscopo Pisano consecrandos Episcopos Corsicæ;

II. Sed cum hanc jurisdictionem Januensis Archiepiscopus sibi vindicare vellet, & ortæ hinc essent graves controversiæ, consecrationem eorum Episcoporum ad se revocavit;

III. Idem egit Paschalis II.

IV. Gelasius tamen II. adeo a Pisanis fuit coactus, ut Urbani privilegium rursus Pisano Archiepiscopo confirmarit;

V. Idem privilegium Pisanis Archiepiscopis confirmavit Calixtus,

VI. Sed cum hinc *inter Pisanos, & Januenſes creverit discordia, ut depradationes, & bella, & multa sanguinis effusio facta sit*, actum est in synodo Romana, accedente Episcoporum Corsicanorum postulatione, consideratoque detrimento, quod Ecclesia patiebatur, de revocando hoc privilegio. Quod revera synodus revocavit.

VII. Revocationem confirmat Callixtus,

VIII. Et Romanæ Sedi solum subjectos Corsicæ Episcopos vult.

IX. *Si qua igitur, &c.*

Datum Laterani per manum Chrysogoni S. R. E. Diac. Card. ac Biblioth. III. Non. Janu. Indict. XIV. Incarn. Dom. an. MCXXI. Pontificatus autem D. Callixti II. anno II.

De actis in synodo Romana certiores facit Episcopos Corsicæ Callixtus.

V. Ib. p. 186. C. C. CALIXTUS II. Episcopis Corsicæ.

Inc. *Quot mutationes, &c.*

I. QUid actum sit de jurisdictione Archiepiscopi Pisani in Episcopos Corsicæ in Synodo Romana narrat Episcopis iisdem Callixtus (expositum est superiori Bulla)

II. Quod Callixtus confirmat,

III. Reservatque sibi, & successoribus consecrationem eorum,

IV. Silentiumque imponit de hac re Pisanis Archiepiscopis.

Si qua igitur, &c.

Datum Laterani per manum Guidonis Romanæ Curiæ Camerarii VIII. Id. Apr. Indict. I. Incarn. Dom. anno MCXXIII. Pontificatus autem D. *Callixti II.* PP. anno V.

Jurisdictio in insulam Corsicæ restituitur Archiepiscopis Pisanis.

VI. Ib. p. 198. C. C. HONORIUS II. Rogerio Pisano Archiepiscopo.

Inc. *Ad hoc, &c.*

NArrat Honorius cur fuerit Pisanis Archiepiscopis concessa jurisdictio in Episcopos Insulæ Corsicæ (*ut eos doceant*) cur fuerit revocata (*ut removerentur bella*).

Jam

Jam Episcopi Corsicæ, qui Romam venerant consecrandi, in Pisanos Episcopos amore ferebantur; venerunt etiam Romam Consules Pisani, & Januenses, illi postulantes, ut sine sua culpa ablatus honor restitueretur, orantes hi, ut suo Episcopo potius daretur.

Pontifex misit ad utramque Remp. legatos, qui suaderent, ut arma ponerent, & pollicerentur, se executuros sententiam Pontificis. Quod legati obtinuerunt.

Pontifex, coacto Concilio, auditisque sententiis eorum Patrum, concilio intervenientium, asserentium, æquum esse, Pisanis præsulibus restitui in Corsicam Metropoliticum jus, hoc facit Honorius; & Rogerium, & successores Metropolitas Corsicæ decernit futuros, & ad eos spectare Episcoporum Corsicæ consecrationem.

Data occasione confirmat omnia privilegia, & bona ejusdem Pisanæ Ecclesiæ.

Et mittit ad Rogerium Pallium ferendum diebus festis, qui præscribuntur.

Si quis igitur, &c.

Datum Laterani per manum Aymerici S. R. E. Diaconi Card. & Cancellarii XII. Cal. Augusti, Indict. IV. Incarn. Dom. an. MCXXVI. Pontificatus autem D. Honorii PP. II. anno II.

Cardinales, Clericique triginta sex se subscribunt.

Confirmatio privilegiorum hujus Ecclesiæ.

VII. Ib. p. 220. C. C. INNOCENTIUS II. Uberto Archiepiscopo.

Inc. *Pisanorum Ecclesia, &c.*

I. JUra omnia hujus Ecclesiæ rata habet Innocentius,

II. Omnia etiam ejus bona confirmat,

III. Quæ fuse enumerat.

IV. *Nulli ergo, &c. Si quis, &c.*

Datum apud Campilium per manum Aymerici S. R. E. Diac. Card. III. Non. Martii Indict. XV. Incarnationis Dom. anno MCXXXIII. Pontificatus vero D. Innoc. Papæ II. anno IX.

Multis suspecta est hæc Bulla, cum annus Christi 1133. habeat indictionem XII. & annus IV. Pontificatus Innocentii in eam cadat.

Elargitio aliorum privilegiorum huic Ecclesiæ.

VIII. B.R. t. 3. p. 1. p. 67. C. C. INNOCENTIUS III. Ubaldo Archiepiscopo.

Inc. *Si tua, &c.*

I. JUs Archiepiscopis hujus Ecclesiæ concessum confirmatumque a Pontificibus super Ecclesias Corsicæ confirmat Innocentius;

II. Et ob merita Ubaldi eum decorat majoribus privilegiis, Primatum enim ei concedit super Ecclesias Calaritanam, & Arbonensem,

III. Confirmat primatum ei super Ecclesiam Turritanam,

IV. Legationem demum Sardiniæ,

V. In processionibus dat ei facultatem utendi *equo albo cum nacho*; & gestandi crucem ante se per provincias sibi subjectas, *& per illud spatium Vulterani Episcopatus*, per quod de Pisana transitur ad Ecclesiam Populensem;

VI. Confirmat demum illi usum pallii.

VII. *Nulli ergo, &c. Si quis, &c.*

Cardinales novem diploma confirmant.

Datum Laterani per manum Raynaldi D. Papæ notarii Cancellarii vicem agentis Indict. prima Incarnationis Dominicæ anno 1198. Pontific. nostri anno 1.

Ecclesia Pisanorum Constantinopoli cum suis bonis recipitur in protectionem Pontificum, & B. Petri.

IX. Ex Lunig. t. 3. p. 1575. HONORIUS III. Priori Ecclesiæ Pisanorum Const.

Inc. *Sacrosancta, &c.*

JOannes Card. tit. S. Praxedis S. Sedis legatus Constantinopoli confirmarat Ecclesiæ B. Petro dicatæ, quam in eadem urbe natio Pisana habebat jura.

Prior supplicavit Pontifici ut legati declarationem Apostolica auctoritate roboraret.

Honorius Ecclesiam suscipit in suam, & B. Petri tutelam,

Et omnia ejus bona, jura, possessiones quas habet, & habitura illa est confirmat.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Signiæ Id. Julii P. a. VI. a. D. 1222.

DE CANONICIS PISANIS.

Privilegia Cathedralis Ecclesiæ Pisanæ.

I. B.R. t. 1. p. 340. C. C. JOANNES XIX. Pisanis Canonicis.

Inc. *Nostro quidem, &c.*

PEr Joannem Diaconum hoc privilegium Canonici Cathedralis Ecclesiæ Pisanæ obtinuerunt;

I. Bonorum suorum, decimarum, vinearum, & prædiorum confirmationem;

II. Confirmationem etiam Prædii Pediani;

III. Censuras contra molestantes in his juribus, & bonis Canonicos,

IV. Confirmationem *placiti, quod peregerunt* prædicti Canonici *cum Archipresbytero, ut nulla persona audeat requirere, vel recapitare.*

V. Censuras *in requirentes, vel recapitantes*;

Adduntur Canonicorum nomina.

Datum, & scriptum per manus Cancellarii sacri Lateranensis Palatii in mense majo Indict. 5. an. 1032.

Confirmatio.

II. Ib. p. 194. C. C. VICTOR II. Canonicis Pisanæ Ecclesiæ.

Inc. *Justis, & rationabilibus.*

I. ET Capitulum, & bona ad Capitulum spectantia recipit Victor in protectionem S. Sedis,

II. Confirmat omnia bona capituli ejusdem,

III. Quare vult esse a cujuscumque jurisdictione exempta;

IV. Anathema in non observantes hæc. a. 1057.

Alia confirmatio.

III. B. R. t. 1. p. 2. C. C. ALEXANDER II. Gerardo Canonico.

Inc. *Ad Apostolicæ, &c.*

I. ITa petente Gerardo, quidquid est Ecclesiæ Cathedralis Pisanæ S. Mariæ, quidquid erit, confirmat, Alexander;

II. Et illud vult esse exemptum ab Ecclesiastica, & Laicali quacumque potestate;

IV. Sub interminatione censurarum, &c.

D. Lucæ per manus Mainardi Sanctæ Ecclesiæ Sylvæ Candidæ Cardinalis, Apostolicæ Sedis Bibliothecarii, anno Dominicæ Incarnationis MLXIII. Indict. I.

Uberior confirmatio.

IV. Ib. p. 134. C. C. ANASTASIUS IV. Leoni Archipresbytero, cæterisque Canonicis.

Inc. *Pia postulatio, &c.*

I. COnfirmat privilegia horum Canonicorum Anastasius,

II. Eorumque bona, inter quæ Monasterium S. Michaelis de Plajano in Sardinia cum Ecclesiis;

III. Consuetudines etiam veteres confirmat, unctiones infirmorum, decimas bladi, justionis, &c.

IV. Jubet, ut nullus Canonicus ordinetur nisi cum consensu omnium Canonicorum,

V. Ut benedictiones *olivarum*, cereorum fiant tantum in Ecclesia majori (Ecclesiis monachorum exceptis)

VI. In Sabbato Sancto nulla Ecclesia campanas pulset, nisi pulsatæ fuerint campanæ hujus Ecclesiæ;

VII. Bona defunctorum Canonicorum cadant in communem utilitatem,

VIII. Partem quartam funerum illa habeat,

IX. Collationes Canonicatuum fiant ab Episcopo cum Canonicis;

X. Retam habet divisionem Sylvæ de Tumulo factam ab Archiepiscopo Villano ex mandato Eugenii III.

XI. *Nulli ergo, &c. Si quis, &c.*

D. Later. per manum Rolandi S. R. E. Presb. Card. & Cancell. VI. Id. Sept. Indict. I. Dom. Incarn. an. MCLIII. Pontif. vero Anastasii PP. IV. an. I.

Canonici Pisani habeant facultatem promulgandi sententias in detentores bonorum Ecclesiæ suæ.

V. Ex Ugh. t. 3. p. 308. HADRIANUS IV. Archipresbyt. & Canonicis, &c.

Inc. *Etsi commissum, &c.*

QUidam Parochiani Pisani Archiepiscopatus mensæ Capitularis bona occupaverant, & ea detinebant.

Ne hujusmodi damnum illa patiatur Ecclesia, decernit Hadrianus,

Ut si ter requisitus Archiepiscopus noluerit sententiam proferre in detentores, possint eam proferre Archipresbyter, & Canonici; quæ *teneatur usque ad condignam satisfactionem.*

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Febr. a. D. 1155.

Quidam artifices commendantur his Canonicis.

VI. Ibid. HADRIANUS IV. Archipresbytero, &c.

Inc. *Quos ampliori, &c.*

MOtus Canonicorum devotione Hadrianus animum sumit iis commendandi quosdam artifices eo missos *pro incidendis lapidibus, & columellis.*

Volebat siquidem fieri clausturum Canonicorum Ecclesiæ S. Rufi, quod eorum Pisanorum Canonicorum *auxilio vellet operis executionem perficere.*

D. Beneventi XII. Cal. Maji. 1155.

Canonici promoveant ad beneficia suæ Ecclesiæ dignos.

VII. Ib. 401. ALEXANDER III. Canonicis Pisanis, &c.

Inc. *Quam celebris, &c.*

NOn structura magnifica, non pretiosa mobilia celebrem efficiunt Ecclesiam Pisanam, sed honestas morum, prudentia, & scientia Canonicorum

Quare eo magis solliciti esse debent, ne hanc nominis celebritatem amittant, quo est illustrior.

Eam autem servabunt, si semper probos, doctos, piosque Clericos ad beneficia ejusdem Ecclesiæ assument, ad quod eos hortatur Pontifex.

an. 1161.

Canonicis commendatur Albertus Plebanus de Campilio.

VIII. Ib. 413. INNOCENTIUS IV. Archipresbytero, &c.

Inc. *Benignitatem Apostolicæ, &c.*

ALbertus Plebanus de Campilio eo quod adversabatur Friderico, tantum Fridericus effecit, ut in exilium pelleretur.

Ejus infelicitatem ægre ferens Innocentius ut aliquo modo eum sublevet, *universitatem*, scribit Canonicis, *vestram rogamus, & hortamur attente per Apostolicæ vobis scripta mandantes, quatenus eundem pro Apostolicæ Sedis, & nostra reverentia in fratrem, & Canonicum admittatis, & de præbenda, quam cito se facultas obtulerit, liberaliter provideatis eidem.* N. O.

D. Lugduni Id. Maji P. a. IV. a. D. 1247.

Privilegium gestandi rocchettum, & mozzetam datur his Canonicis.

IX. Ib. p. 483. PIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Ad ea, &c.*

JAm Canonici hujus Ecclesiæ cappa rubea utebantur, ad instar Cardinalium, sine rocchetto tamen lineo, idque ex immemorabili; & interdum utebantur cotta.

Cardinalis Joannes Medices hujus Ecclesiæ administrator exposuit Pontifici longe decentius futurum, & majori ornamento Ecclesiæ huic, si Canonici pro cota deferrent Mozzettam, & subtus cappam Rocchettum.

Supplicavit igitur Pontifici, ut vellet hanc facultatem Canonicis dare. Pius inclinatus precibus Cardinalis, & multo magis motus decore hujus Ecclesiæ statuit, ut quotiescunque Canonici solent deferre cappam, subtus eam Rocchettum habeant, & quo tempore solebant gestare cottam habeant mozzettam. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XII. Cal. Febr. P. a. I. a. D. 1560.

Extensio ad decennium subsidii solvendi ab Ecclesiasticis in districtu Pisano.

X. B. R. t. 6. p. 2. p. 171. C. C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Alias felicis, &c.*

FErdinandus Magnus Hetruriæ Dux obtinuerat a Pontifice, ut Clerus uterque in districtu Pisano solveret ad decennium pro reparatione aggerum fluminis Ani.

Sed cum opus longum esset, requireretque immensæ pecuniæ vim, illi permittit Urbanus, ut ad aliud decennium ab eodem Clero colligere pecuniam possit insumendam in hoc opere. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVIII. Janu. P. a. XVI. a. D. 1639.

DE SENENSI OLIM REPUBLICA.

Confirmatur concordia de terminis inter Senenses & Florentinos.

I. Ex Lun. t. 2. p. 2. p. 247. ALEXANDER III. Consulibus, & populo Senensi.

Inc. *Ex tenore, &c.*

COncordiam tandem aliquando post diutinas discordias super limitibus fecerant Senenses, & Florentini. Namque Florentini *resignaverant Senensibus quidquid infra terminos Senensis Episcopatus continetur, & resignationem suam juramentis, & instrumentis publicis roborarunt.*

Ne in posterum alia enascerentur jurgia Senenses supplicarunt Alexandro ut hanc resignationem confirmaret. Terminos recenset Alexander.

Eam ergo confirmat, & scripto suo communit.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Later. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1173.

Objurgantur Senenses, quod Florentinis bellum intulerint.

II. Ex Lun. t. 3. p. 592. EUGENIUS IV. Communi Senensi.

Inc. *Litteræ vestræ, &c.*

SCripserant Senenses Pontifici litteras querelarum plenas, quibus maxime permotus Eugenius fuit, illisque respondet.

Querebantur animum Pontificis esse suæ Reip. aversum.

Pontifex respondit, se quidem acrius eos coarguisse, quod videbat eos contra jus, fasque bellum in Florentinos parare; orasse se eorum Legatos in curia, increpuisse etiam; se, cum nil proficere videret, misisse ad illos Cardinalem Legatum, qui eos hortaretur, ne pacem Italiæ perturbarent; sed illos vix admissum in urbem eum dimisisse, quin persuaderi vellent; id se videntem indoluisse eorum vices, qui in tam apertum periculum se immittebant; hoc non esse animi infensi.

Querebantur Senenses, Pontificem dimisisse e suis stipendiis Michelettum de Attendulis Capitaneum, & eum concessisse Florentinis.

Negat utrumque Eugenius. Nam rumor hic est falsus; idem militabat sub aliis stipendiis, cum commune Florentinum videns sibi a Senensibus indictum bellum conduxit. Æque etiam falsum est, quod Senenses dicebant, misisse arma contra illos eorum vicinis. Non ejus est animi Pontifex, ut velit Christianum sanguinem fundi. Neque vero id facere poterat. Vix enim assumptus ad Pontificatum fuit acerrimum bellum sustinendum fuit sibi, exhauriendique thesauri.

Sed in fine se corrigebant Senenses, dicebantque, hæc a se non credi. Quibus respondet Pontifex, hoc natura comparatum esse ut qualis quisque in alium est, credat alium eodem animo esse.

Prætermittit narrare Pontifex, Senenses simul cum Januensibus furatos fuisse Pontificis galeram missam ad tutandam oram maritimam Ecclesiæ, & alias naves onerarias onustas frumento e mediis Tyberis faucibus arripuisse. Et audent de mala fide accusare Senenses Pontificem talia aggressi?

D. Romæ apud S. Petrum Die IX. Junii P. a. I. a. D. 1431.

DE EGGLESIA SENENSI.

Datur facultas Episcopo Senensi construendi Ecclesiam in monte Bonitii.

I. B. M. t. 2. p. 3. 50. C. C. HADRIANUS IV. Raynerio Episcopo.

Inc. *Cum ex injuncto, &c.*

I. ANnuit Hadrianus precibus Raynerii Senensis Episcopi orantis, ut liceret sibi in fundo montis Bonizi, quem Comes Guido S. Petro obtulerat, Ecclesiam construere, consecrare, & clericos in illa ponere.

II. Decernitque, ut is locus subjaceat semper hujus sedis Episcopis;

III. Qui in indicium hujus concessionis solvent Sanctæ Sedi annis singulis Bizantium unum.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Datum apud Civitatem Veterem per manum Rolandi S. R. E. Presb. Card. & Cancell. XII. Cal. Aug. Indict. III. Incarn. Dom. anno MCLV. Pontif. vero D. Hadriani Pp. IV. anno I.

Confirmatio hujus erectionis.

II. Ib. p. 444. C. C. ALEXANDER III. Gunteramo Electo Episcopo Senensi.

Inc. *Communi, & speciali, &c.*

I. COnfirmat Alexander montem Bonizum, & Ecclesiam in eo constructam Episcopo Senensi, ejusque successoribus, licet Hadrianus *levi, & vano errore ductus* concessionem datam Episcopo Senensi postea retractasset, & Montem, & Ecclesiam dedisset Episcopo Florentino. Et sane mons hic est in Florentina Diœcesi. Tamen Alexander decernit, ut quicumque de Senensi Diœcesi eo iverit subjaceat Senensi Episcopo.

II. Confirmat etiam censum annuum Bizantii S. Sedi persolvendum.

III. *Nulli ergo, &c. Si quis, &c.*

D. Anagniæ per manum Gratiani S. R. E. Subdiac. & Notar. X. Calend. Junii Indict. IX. Incarn. Dom. ann. MCLXXVI. Pontif. vero D. Alexandri Pp. III. an. XVII.

Possessio montis Bonitii confirmatur Episcopis Senensibus.

III. Ex Ugh. t. 3. p. 548. CLEMENS III. Gunteramo Senensi Episc. ejusque successoribus.

Inc. *Communi, & speciali, &c.*

REpetit Clemens Alexandri constitutionem iisdem verbis.

Si qua igitur, &c. Cunctis autem, &c.

D. apud S. Quiricum per manum Moysi Lateranensis Canonici vicem agentis Cancellarii 5. Cal. Febr. Ind. 6. Incarn. Dom. an. 1187. Pontif. vero D. Clementis Papæ III. anno I.

Privilegia hujus Ecclesiæ.

IV. B. R. t. 3. p. 136. C. C. INNOCENTIUS III. Bono Episcopo.

Inc. *In eminenti, &c.*

I. REceptæ in tutelam Pontificiam, & S. Petri Ecclesiæ hujus

II. Confirmat bona Innocentius, quæ fuse numerat.

III. *Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.*

D. Laterani per manum Joannis S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. S. R. E. Cancell. III. Non. Febr. Indict. XIII. Incarn. Dom. an. MCCIX. Pontif. vero Innocentii Pp. III. an. XII.

Erigitur hæc Ecclesia in Archiepiscopalem.

V. B. M. t. 1. p. 368. B. R. t. 3. t. 3. p. 95. C. C. PIUS II. ad p. r. m.

Inc. *Triumphans Pastor, &c.*

SEnensem Ecclesiam Episcopalem Pius II. Senensis e nobilissima gente Piccolominea erigit in Archiepiscopalem;

Illique subjicit Ecclesias 1. Suanensem, 2. Clusinam, 3. Grossetanam, & 4. Massanensem subtractas ab Ecclesiis Ravennatensi, & Pisana, quibus antea suberant.

Dat autem huic Ecclesiæ omnia jura Ecclesiarum metropolitanarum, omniaque archiepiscopalia Archiepiscopo, ejusque successoribus.

Dat illi facultatem gestandi pallium in signum plenitudinis potestatis. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Senis IX. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1459.

Archiepiscopalem domum permittitur destrui.

VI. B. R. t. 6. p. 4. Pa. 268. C. C. ALEXANDER VII. ad f. r. m.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

RUina Archiepiscopalis domus Senensis adhærentis majori Ecclesiæ nullo modo vitari poterat: Collabebatur ex antiquitate undique.

Rector ergo, & Sapientes operæ Metropolitanæ Ecclesiæ de assensu Archiepiscopi, qui paternam incolebat domum, statuerunt eam diruere cum illa Ecclesiæ parte, quæ erat domui contigua, & marmoribus eam ornare, & novum Episcopum construere.

Petitur proinde, & obtinetur Pontificius assensus. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die III. Dec. P. a. IV. a. D. 1658.

DE CANONICIS SENENSIBUS.

Statuta edita a Legato Pontificio pro capitulo Senensi confirmantur.

I. Ex Ugh. t. 3. p. 558. ALEXANDER IV. Capitulo Senensi.

Inc. *Quæ de mandato, &c.*

OCtavianus Diaconus Cardinalis Ubaldinus quædam decreta edidit *ad decorem*, & utilitatem hujus Capituli. Eorum summa est hæc:

I. Sicut in eodem refectorio Canonici edunt, ita in communi dormitorio dormiant.

II. Processiones per clausturam, & circa Ecclesiam statutis temporibus faciant, serventque ordinem suum canonici officii; & si hæc ex tractu temporis forsan fuerint oblivione deleta, ad ipsum ordinem habeatur recursus;

III. Si qua tamen in ordine sunt impossibilia in cantando, mutent, ut expedire videbitur,

IV. Jejunium arbitrio canonicorum committitur moderandum.

V. Singuli canonici habeant clericos idoneos in choro, qui possint divinis officiis interesse;

VI. Ut singuli sciant quid legere debeant, vel cantare, in capitulo habeatur tabula, *quæ alias matricularia dicitur, in qua per Capellanos, vel Sacristas singulorum nomina in choro psallentium conscribantur, &*

per eosdem Capellanos, vel Sacristas singulis quid cantare debeant, vel legere cum reverentia offeratur.

VII. In altari B. Virginis nullus nisi sit Episcopus, vel Canonicus Ecclesiæ missam cantet.

VIII. Habeant sessionem Canonici in choro secundum ordinem suæ receptionis, exceptis illis, qui habent in eadem Ecclesia personatus, quibus loca digniora sunt danda;

IX. Habitus sit uniformis hyeme, & æstate. Sit cappa aperta de saja, & cocca, vel camiscia superanea æstivo tempore; *hiemali infra Ecclesiam, & claustrum pellibus non discoopertis, vel mantellum cum cocca, vel camiscia superanea assiblata.*

X. Nulla semina, vel consanguinea, vel affinis recipiatur intra portam claustri, non jaceat, non manducet ibi;

XI. Unus famulus inserviat refectorio, ne clamor multorum impediat lectionem;

XII. Nemo eo admittatur, neque clericus extraneus, aut laicus, nisi forsan fuerit Canonicus Cathedralis, seu alia sublimis persona

XIII. Beneficia inter Canonicos dividantur, h. e. distributiones, interessentibus toti officio diebus feriatis assignantur sex denarii, decem & octo in præcipuis solemnitatibus, duodecim diebus dominicis, & festis novem lectionum, & in quadragesima,

XIV. Præbendam frumenti dari solitam in festo Assumptionis ut quis accipiat, per annum in claustro debet facere personalem residentiam.

XV. Famuli Canonicorum egredientium e claustro si sint laici, per octo dies possint stare in claustro, tum abeant, si sint clerici, & possint Ecclesiæ servire usque ad regressum dominorum suorum, dummodo ultra duos menses extra capitulum non morentur, expensis ejusdem familiæ sint contenti.

XVI. Excipiantur tamen infirmi, quibus decens est aliquod majus temporis spatium dari;

XVII. Excipiantur etiam peregrini Canonici ituri ad S. Sepulcrum, vel ad S. Angelum (*in Gargano in regno Neapolitano*), seu ad S. Petrum (ad limina), aut ad S. Marcum (Venetias) vel ad S. Jacobum Compostellam;

XVIII. Excipiantur inservientes Pontifici, vel Cardinalibus.

XIX. Quæ ad omnes, & singulos Canonicos spectant, agantur tantummodo in capitulo omnibus præsentibus.

XX. Liceat Canonicis in Canonicum *elatum superbia, sive pro manifestis injuriis capituli* secundo, tertioque frustra correctum, sententiam excommunicationis jacere

XXI. *Per librum, & stolam jurent* singuli Canonici, se hæc omnia statuta integre servaturos.

Datum Laterani 15. Cal. Aprilis, Pontific. D. Alexandri Papæ IV. anno 3.

Hæc omnia auctoritate Apostolica Alexander probat, & confirmat, eorumque observantiam jubet.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Later. V. Cal. Apr. P. a. III. a. D. 1257.

Provisiones aliæ pro hac Ecclesia factæ confirmantur.

II. Ib. p. 577. PIUS II. ad p. r. m.

Inc. *Inter cætera, &c.*

UT dissensiones tollerentur, ut quædam malæ consuetudines corrigerentur, ut omnia disponerentur in hac Ecclesia erecta in Archiepiscopalem, capitulique præbendæ regerentur, misera: Senas Pius Agapitum Cincii de Rusticis Canonicum Basilicæ S. Petri de urbe Referendarium, & causarum Sacri Palatii Auditorem virum prudentem.

Is simul cum Episcopo quinquaginta sex novas constitutiones, & ordinationes fecit (non apponuntur; apponitur tantum principium, & finis).

Pontifex cum eas examinasset, optimasque reperisset eas confirmat,

Et eas observari præcipit,

Irritumque declarat quidquid contra illas actum fuerit.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Senis XI. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1459.

DE FLORENTINA QUONDAM REPUBLICA, NUNC MAGNO HETRURIÆ DUCATU.

Ad Florentinos de concordia, & pace.

I. Ex Lunig. p. 2459. INNOCENTIUS IV. Potestati, Consilio, & Communi Florentinorum.

Inc. *Inter omnia, &c.*

COnsiderans, vidensque simul Innocentius inde, ubi discordiæ sæviunt, pietatem exulare, semper nervis omnibus contendit, ut eas tolleret, & hanc firmaret,

Sane cum *de Gallicanis partibus rediens* in Italiam vidit *provinciam Thusciæ in se ipsa partibus fluctuare*, in ipsa effrenem ferri, & debacchari licentiam, non potuit quin id ægerrimo animo ferret, proponeretque sibi nullis laboribus, curisque parcere ut pacem induceret, quæ una potest tot malis mederi.

Sed ita mortalium fortasse exigentibus criminibus, divino judicio secus disponente, labores omnes, sudoresque Pontificis cesserunt irriti. Namque partes adversæ paci cædes, incendiaque, & rapinas tantum amant.

Quot autem mala repulsam factam Pontifici pacem statuere satagenti sequuta fuerint, refugit animus præ horrore repetere.

Quam vellet Pontifex ipse sese inter pugnantes partes immittere, & e pugnantium manibus extorquere gladios. Sed cum non possit, mittit ad eos Legatos duos Albanensem Episcopum, & Guillelmum tit. S. Eustachii Card. Diac. tamquam Angelos pacis.

Florentinos ergo hortatur, ut eos audiant, iis pareant, eosque monet, se Legatis facultatem dedisse censuras ferendi in contradictores; quas quidem sententias se ratas habiturum testatur,

D. Perusii VII. Cal. Sept. P. a. X. a. D. 1250.

„ Cives Florentini partim erant Gulephi, Gibellini „ partim. „

Citantur quidam Florentini, Lucanique ante Pontificem.

II. Ex Lunig. t. 3. p. 1514. BENEDICTUS XI. ad p. r. m.

Inc. *Rex pacificus, &c.*

QUantum pax Deo cara sit plurima sacrarum Scripturarum loca testantur; ipsique principes gravissimis pœnis punientes eos, qui illam perturbant, rebellionesque excitant; quanto in amore habenda sit, aperte ostendunt, etiam quantum utilitatis populis pax afferat, quantumque detrimenti discordia, experientia docet.

Ut Florentia in pace vivens florebat, ut nunc dissidiis agitata est misera; quibus quidem miseriis motus Benedictus miserat ad Florentinos Nicolaum Ostiensem, & Velitrensem Episcopum, ut pacem stabiliret.

Quæ jam facta fuisset, nisi quidam mali homines rixarum amantes eam perturbassent malis artibus; hi erant nonnulli Florentini, quidam Pratenses, a Lucanis instigati. His tamen non obstantibus fuisset pax inita. Nam Legatus elegerat *duodecim Florentinos extrinsecos, & duodecim intrinsecos* ad eam firmandam.

Sed quidam Nobiles per urbem excurrentes eam cædibus, & incendiis repulerunt. Quæ Legatus videns, scienſque

scienſque Lucanos insidias struere, ut comprehenderetur, & periret urbe exiit; Lucanis interea agrum Florentinum percurrentibus, oppleatibusque omnia strage, & incendiis.

Quæ omnia sicut in excidium urbium, in damnum ingens civium, in contemptum S. Sedis Legatum, imo Ecclesiæ ipsius facta sunt, ita æquum est Pontificem eos auctores punire, qui talia suggesserunt, feceruntque.

Ergo *Civitatum Florentiæ, & Lucæ communia*, & nominatim quosdam Nobiles Florentinos, Lucanosque, quos recenset, illa ut compareant per procuratores suos, hos, ut personaliter, citat infra octavam BB. Petri, & Pauli proxime venturam Benedictus, Nisi compareant minatur se processurum gravius.

Actum Perusii XI. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1304.

Florentini excitantur ad constantiam.

III. Ib. p. 1519. JOANNES XXII. Potestati, Vexillifero, &c.

Inc. *In discrimine, &c.*

COnstantiam Florentinorum laudat Joannes, qui neque in prosperis superbiebant, neque deprimebantur adversis;

Tum iis significat victoriam Mediolanensis Ducis (*Matthæi*) relatam ex exercitu Ecclesiæ, quicum unitus erat exercitus Florentinorum.

Non dubitat tamen Pontifex, quin constantes in fœdere permansuri sint, præcipue cum jam experientia docti sint felicitates malorum hominum breves esse, & Deum solere extollere malos per aliquod tempus, ut eos gravius præcipitet, ut hostes suæ Ecclesiæ præcipitabit,

Eos demum hortatur, ut copias augeant, ut patriæ libertatem præ oculis habeant, ut Deo confidant.

D. Avin. Cal. Apr. P. a. VIII. a. D. 1324.

Gratulatio, quod Florentini prælio vicerint Scaligeros.

IV. Ib. p. 1520. BENEDICTUS XII. Prioribus artium, Vexillifero, &c.

Inc. *Licet hostiles, &c.*

SIgnificaverant Benedicto Florentini victoriam a se relatam de Scaligeris Veronæ Dominis. Ii erant Albertus, & Martinus.

Respondet Benedictus, se quidem hostiles incursus abhorrere, in quibus fidelium animæ periclitantur; non posse tamen non lætari cum videat tam insigniter Dei dexteram super impios exaltatam.

Eos tamen, ne efferantur superbia, sed acceptam victoriam Deo referant, a quo alias, majoresque obtinebunt, si qua incœperunt devotione Ecclesiam prosequantur hortatur.

D. Avin. III. Cal. Oct. P. a. II. a. D. 1336.

Objurgantur Florentini quod minus sincere cum Pontifice agant.

V. Ib. p. 1560. GREGORIUS XI. Prioribus artium, &c.

Inc. *Duas litteras, &c.*

DUas litteras scripserant Gregorio Florentini, ut eum a suspicione de eorum fide removerent.

Respondet Gregorius, se eorum litteras accepisse; tum iis reddit rationem, quare de illorum fide suspicetur,

Quia cum hostibus apertis Ecclesiæ, & perturbatoribus Thusciæ tractatus occultos fecerunt,

Quia rogati ut secundum fœderis pacta auxilia Ecclesiæ mitterent, non miserunt, & *in bellorum discrimine Ecclesiam solam reliquerunt.*

Tum iis memorat beneficia accepta ab Ecclesia, quæ oppressa bellis semper Florentinis est opitulata, eos semper Imperatori Carolo (IV.) commendavit;

Quia miserunt (*ut occultius ageretur*) *aliquas personas singulares Mediolanum*, quæ inirent tractatum cum iis hostibus Ecclesiæ.

Tum purgat se a suspicione, quam quidam ex iis habebant, nempe velle Ecclesiam R. occupare urbes Thusciæ. Id adeo falsum est, inquit Gregorius, ut reliquerit etiam Lucam sibi oblatam ab Imperatore Carolo cum illam possidebat, noluerit alias, quas illi dare idem volebat, imo castra Imperii, quæ Perusini tenebant, ipsa dimisit.

Cæterum si Principes longinqui Ecclesiam habere amicam desiderant, quia ex ea commoda tum spiritualia, tum temporalia reportant, multo magis colere Florentini finitimi debent.

D. Avin. Id. Apr. P. a. V. a. D. 1375.

In eosdem Florentinos S. Sedi inobedientes.

VI. Ex Lunig. t. 1. p. 1087. GREGORIUS XI. ad p. r. m.

Inc. *In omnem, &c.*

NOta orbi toti, ne dum Italiæ, inquit Gregorius, esse crimina patrata a Florentinis contra Ecclesiam, a qua summa acceperunt beneficia, & *contra alias Ecclesias, & personas Ecclesiasticas etiam Cardinalatu, & pontificalibus dignitatibus præditas; & in devotos, ac fideles, & subditos* Sanctæ Ecclesiæ Romanæ.

Quædam ex his criminibus recenset Gregorius; modum Florentini præscripserant Inquisitori procedendi; numerum Inquisitionis familiarium statuerunt, quibus unis liceret arma deferre; quas leges contra Inquisitionem, omnes officiales in initio sui magistratus se observaturos esse jurabant; perfregerunt Inquisitionis carcerem, & Inquisitorem expulerunt.

Decreverunt, & ordinarunt, quod auctoritate litterarum Apostolicarum possessionem alicujus beneficii Ecclesiastici in civitate, & territorio, & districtu constituti nullus recipere auderet, nisi prius litteræ ipsæ prioribus, & vexillifero civitatis præsentarentur, & licentiam obtineret ab iisdem; subjecerant Clericos judicibus laicis.

Monachum quemdam curru per Florentiam ductum, & *tenaculis igneis* ejus carnibus avulsis, projectisque canibus ubi fures suspenduntur vivum sepeliri fecerant, licet clamaret, se esse innocentem.

In urbibus, & provinciis Romanæ sedis plures rebelliones excitarant, adjuverantque Gubernatores urbium, ut se in earum dominos erigerent contra Ecclesiam, ad quam illæ spectabant.

Milites ad rebelles miserant, & edixerant, ut quicumque esset rebellis S. Ecclesiæ conferetur civis Florentinus; signumque extulerant, in quo erat scriptum *Libertas*, & ad illud rebelles Ecclesiæ invitabant. Duces hujusce rebellionis elegerant octo, quorum recensentur nomina.

Octo etiam, quos dicebant *Sanctos* deputarunt, qui gravamina bonis, & personis Ecclesiasticis imponerent, & exigerent. Coegerant confessarium quemdam cujusdam pœnitentis peccata revelare, & hunc suspenderunt.

Nuncium Apostolicum ad eos missum injuriis affecerant, retinuerantque in carcere. Persequuti sunt Cardinalem Pontificis Vicarium, & Episcopum Bononiensem, & eos Perusii obsederunt.

Jam juxta canonicas sanctiones ter admonuerat Gregorius eos, ut desisterent ab incœptis, & ad cor rediret. Cum obstinati in proposito perseverassent, eos Pontifex excommunicaverat.

Sed cum nondum frangerentur Florentini, iis per præsentes litteras denuntiat, nisi respuerint, se contra illos Imperatorum, Regum, & Principum imploraturum esse auxilium, effecturumque, *ut pœnales eorum fletus cedant perpetuo ipsorum posteris ad terrorem.*

Dat. & actum Avin. in Palatio Apostolico II. Cal. Apr. an. VI. a. D. 1376.

Publicatur Florentinorum excommunicatio.

VII. B. M. p. 3. vel t. 9. p. 297. GREGORIUS XI. ad p. r. m.

Inc. *Excessus gravissimos, &c.*

CUm supra relata crimina patrassent Florentini, neque voluissent admoniti, excommunicatique respiscere,

Gregorius eos solemniter excommunicatos denuntiat, & processus mittit ad Reges, ad Principes; & Resp. (quoniam Florentini utpote qui negotiabantur, ubique erant) ut hanc sententiam excommunicationis publicari

cari faciant, ut nemo cum iis converſetur, negotietur-que.

D. Avin. XV. Cal. Junii P. a VI. a. D. 1376.

Rogantur Florentini ut liberum conductum dent Imperatori Friderico Romam eunti.

VIII. ExLunig. t. 1. p. 1132. PAULUS II. Communi, &c.

Inc. *Scripſit ad nos, &c.*

SCripſerat Fridericus III. Romanorum Imperator ſe *ex voto Romam propediem accedere cupere*. Ut autem tutius accederet volebat habere ſalvum conductum per terras Reipubl. Florentinæ, rogaveratque Pontificem, ut illum ab iis impetraret.

Eos ergo hortatur Paulus, ut eum concedant ſcientes ſe gratiam ab Imperatore inituros, & ſibi rem gratiſſimam facturos.

D. Romæ die XX. Jan. a. 1466.

Ducatus Hetruriæ erigitur in Magnum Ducatum.

IX. B.M.t.2. p. 307. B.R. t.4. p. 3. p. 74. C.C. PIUS V. ad p. r. m,

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

JAm Carolus V. Imperator inveſtiverat familiam de Medicis Ducatu Florentiæ, & diſtrictu Piſano, & Philippus II. Hiſpaniarum Rex urbe, & agro Senarum, dederatque titulum Ducum poſſeſſoribus.

Pius, nobilitate hujus Ducatus expoſita, domus Medicæ antiquitate, opulentia, & meritis (*in litteras præcipue maximis*) recenſitis, & præſertim Coſimi Ducis obedientia, & reverentia in Romanam ſedem magnificis verbis decantatis, declaratoque, eumdem Ducem neminem ſuperiorem cognoſcere (*quod multi ſcriptores, Germani præcipue Henningius, & Maſcovius, negant, ajentes, Imperatorem eſſe ſupremum Dominum*) inſtitutorem eum fuiſſe nobiliſſimæ militiæ S. Stephani, & magna opera patraſſe, fundaſſe Eccleſias, inſtituiſſe collegia, univerſitates erexiſſe, eum, & legitimos ejus ſucceſſores Magnos Duces Hetruriæ declarat, & Ducatum in Magni Ducatus titulum evehit;

Ita ut ille, & ſucceſſores uti poſſint titulis, & præeminentiis omnibus huic titulo annexis in aula Vaticana, & ubique terrarum.

Regali corona eos uti, & in inſigniis gentilitiis eam geſtare permittit, ſalva tamen juriſdictione S. R. E., & Imperatoris, aliorumque regum. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Sept. P. a. V. a. D. 1569.

„ Id fecit Pius, ut tolleret controverſiam, quæ erat „ inter Coſimum, & Alphonſum II. Ferrariæ Ducem, „ de Primatu. Thuanus Libr. 46. §. 16. tom. 2. „ pag. 121. „

Rex Poloniæ, qui dicitur Magnus Dux Lithuaniæ, & Imperator ſeſe oppoſuerunt huic titulo.

„ *Extincta Familia Medicea, inveſtita fuit domus „ Lotharingiæ hoc Ducatu, quæ renuntiavit Regi Gal-„ liæ Lotharingiam. Imperator Franciſcus eum dedit „ Filio ſuo ſecundo Auſtriaco.* „

Deputatio Delegati Apoſtolici ad confinia Status Eccleſiaſtici, & Magni Ducatus Hetruriæ finienda.

X. B.R. t.5. p.2. p.99. C. C. CLEMENS VIII. Pompejo Arrigonio Cauſarum Palatii Apoſt. Auditori.

Inc. *Cum in diverſis, &c.*

EX parte finitimus eſt Magnus Ducatus Hetruriæ ditioni Eccleſiæ;

Ut confinia vera ponantur, ſciantque ſubditi ad quem dominum debeant confugere, deputat Clemens Auditorem prædictum, *ut ſine proceſſu, ſola veritate facti inſpecta, manu regia ea decidat, terminet, atque componat, & ſuper his omnibus neceſſaria, & opportuna agat.* N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die V. Sept. P. a. III. a. D. 1594.

Tranſactionis inter Pontificem, & Magnum Ducem ſuper confiniis, & aquis Urbis confirmatio.

PAULUS V. ad p. r. m.

Inc. *Decet Romanum, &c.* XI. B.R. t.5. p.5.p.286. C. C.

UT tandem finis imponeretur controverſiis ſuper confiniis, & aquis Urbis Civitatis Plebis, & Cluſii inter Pontificem, & Magnum Ducem, deputati utrinque fuere commiſſarii, qui confinia ponerent, & aquas diſcernerent.

Pontifex conventionem ratam habet. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXIX. Oct. P. a. III. a. D. 1607.

Concordia inter terras Monterchii, & Ciſternæ Status Eccleſiaſtici, & Magni Ducis reſpective.

PAULUS V. ad p. r. m.

Inc. *Ex injuncto, &c.* XII. B.R. t.5. p.4.p.141. C. C.

SUper Cluſa in flumine Cerſonis in Statu Eccleſiaſtico conventiones initæ ſunt inter univerſitates terrarum Ciſternæ, & Monterchii reſpective Status Eccleſiaſtici, & Magni Ducatus a commiſſariis electis ab utraque parte. Tam parvi momenti rem innuiſſe erit ſatis, ſuperque.

Conventionem Paulus ratam habet. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XXVI. Febr. P. a. IX. a. D. 1614.

DE ECCLESIA FLORENTINA.

Epiſcopus Florentinus abſolvitur a conficto Simoniæ crimine.

PASCHALIS II. Clero, & populo Florentino. I. B.R. t.1. p. 115. C. C.

Inc. *Jamdudum apud nos, &c.*

ARchidiaconus Eccleſiæ Florentinæ, Priores Eccleſiarum S. Laurentii, & S. Stephani, & S. Petri de Scaradio *Epiſcopum* Florentinum *in populo criminabantur Simoniacæ pravitatis.*

Paſchalis utramque partem ad ſe advocavit.

Venit ſtatim Epiſcopus; accuſatores non venere. Vocati iterum ſolus Archidiaconus, & Prior S. Laurentii venerunt.

Auditis partibus accuſatores tanquam falſos *canonica pœna*, hoc eſt depoſitione a dignitatibus multat Pontifex, Epiſcopumque inſontem repertum abſolvit.

Remittit igitur illum in ſuam diœceſim, jubetque Clero, & populo, ut illi pareant,

Utrique pœnas minitans, ſi Epiſcopum perturbarint.

D. Later. V. Non. Mar. Indict. IX. a. 1101.

Electio Archiepiſcopi ſignificatur Vicedominis Epiſcopatus.

GREGORIUS IX. Vicedominis Florentini Epiſcopatus. II. ExUghel. to t. 3. p. 108.

Inc. *Noverit devotio, &c.*

NOverit *devotio veſtra, quod nos dilectum filium Magiſtrum Ardinghum Canonicum Papienſem Eccleſiæ Florentinæ providimus in paſtorem.*

Quocirca devotioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus res, & negotia ipſius Eccleſiæ, & illa maxime, quæ ad Florentinum Epiſcopatum pertinent, ſollicite, ac fideliter, ſicut hactenus, procuretis; ita quod vobis eum favorabilem reddere, ac promereri benedictionem noſtram merito valeatis.

D. Later. Non. Junii P. a. IV. a. D. 1230.

Datur

Datur facultas Archiepiſcopo eligendi ſibi procuratorem ſine licentia Capituli.

III. Ib.p.153. GREGORIUS IX. Archiepiſcopo Ardingho.

Inc. *Significaſti nobis, &c.*

PRædeceſſores Ardinghi ſemper ſine conſenſu capituli elegerant ſibi procuratores, præcipue cum bona Epiſcopatus ſint diviſa a menſa Capitulari.

Suum procuratorem pro cauſis ſui Epiſcopatus elegerat ſibi Ardinghus, quem procuratorem Canonici recipere noluerunt cauſantes, fuiſſe illum ab Archiepiſcopo ſine Capituli conſenſu electum.

Confugit Ardinghus ad Pontificem eum orans ut proviſeret.

Qui per præſentes illi *indulget, ut in cauſis ſuis libere conſtituere valeat procuratores, & Syndicos, pro ut hactenus fieri conſuevit.*

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Anagniæ VI. Cal. Nov. P. a. VII. a. D. 1233.

Confirmantur privilegia data Archiepiſcopis Florentinis ab Imperatore Carolo IV.

IV. ex Lunig. t. 1. p. 2419. &c. LEO X. ad p. r. m.

Inc. *Regiminis univerſalis, &c.*

MUlta privilegia dederat Imperator Carolus IV. Petro Florentino Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus, dum Legationis officio apud illum fungebatur.

Eos declaravit Imperii principes cum facultate utendi privilegiis & honoribus principum Imperialium, audiendi, decidendique lites civiles, & criminales inter quoſcunque vertentes, & appellationes in tota Thuſcia, delegandi judices, conſtituendi tabelliones, & Notarios publicos, eligendi tutores, & curatores, & *mundualdos*, legitimandi ſpurios, nothos, anſeres, creandi plebejos nobiles, & milites, & promovendi ad doctoratum;

Licet autem hæc privilegia nunquam fuiſſent in dubium revocata, tamen ne ullo unquam tempore poſthac in dubium illa, aut aliquod eorum revocarentur, Julius de Medicis (qui fuit Clemens VII.) Cardinalis, & Archiepiſcopus Florentinus ſupplicavit Pontifici, ut ea confirmaret.

Leo ſingula, ut moris eſt, repetita hæc privilegia confirmat, pœnas minitans violatoribus &c. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Florentiæ prid. Cal. Febr. P. a. III. a. D. 1515.

DE CANONICIS FLORENTINIS.

Privilegia dantur Canonicis hujus Eccleſiæ.

I. B.R.t.1. p. 143. C. C. BENEDICTUS IX. Rolando Florentinæ Eccleſiæ Præpoſito.

Inc. *Si juſtis, &c.*

I. CAnonicos Cathedralis Florentinæ Eccleſiæ recipit Benedictus in ſuam, & B. Petri protectionem;

II. Confirmat omnia bona iis data ab Arbore hujus Eccleſiæ Antiſtite, quæ bona percenſet;

III. Cenſuras jacit in violatores hujus privilegii.

Ann. 1034.

Eccleſia S. Donnini Capituli ſit juris.

II. Ib.p.354. C. C. GREGORIUS VI. Rolando &c.

Inc. *Oportet bene, &c.*

JUris S. R. Eccleſiæ erat Eccleſia S. Donnini juxta Fluvium Arnum in Comitatu Florentino;

Rolandus Præpoſitus Florentinæ Cathedralis ſupplicavit Pontifici, ut eam unîret Capitulo;

Rationem habens Pontifex laborum pro A. Sede ab eodem Rolando latorum,

I. Eam Canonicis concedit cum ſuis pertinentiis, & redditibus,

II. Ita *tamen ut ſingulis annis penſionem exinde Sacro Palatio inferant ſolidum auri unum,*

III. Qui hæc violare auſus fuerit *ſubjaceat anathemati, & etiam perſolvat damnum trium librarum auri, cujus dimidium inferatur Lateranenſi palatio, reliquum vero Canonicæ debeatur.*

Scripta per manus Joannis Scriniarii, & Notarii noſtri Lateranenſis Palatii.

Bene valete.

Datum XII. Calendas Martii per manus Petri Diaconi Bibliothecarii, & Cancellarii Apoſtolicæ Sedis anno Pontificatus D. Gregorii Papæ ſexti primo. Indictione XIV. a. 1045.

Privilegiorum confirmatio.

III. B.R. t.1. p. 1. p. 72. C. C. GREGORIUS VII. Præpoſito, & Canonicis Eccleſiæ Florentinæ.

Inc. *Si juſtis, &c.*

I. PRivilegia, juraque conceſſa a ſuperioribus Pontificibus huic Eccleſiæ confirmat Gregorius;

II. Illa, illiuſque Canonici recipiuntur in protectionem S. Sedis;

III. Etiam bona donata eidem Eccleſiæ a Gerardo Epiſcopo, poſtea Nicolao II. Pontifice, & ab aliis confirmat;

IV. Numerat hæc bona;

V. Quæ vetat a Canonicis alienari;

VI. Privat dignitate quicunque auſus fuerit hæc privilegia infringere, & ſolitas ulterius addit pœnas.

Datum Florentiæ V. Cal. Januarii per manus Petri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyteri Cardinalis, & Bibliothecarii anno IV. Pontificatus Domini Gregorii VII. Papæ. Anno videlicet Dominicæ Incarnat. MLXXVII. Indict. XIV.

Nova confirmatio.

IV. B.M.p.8, vel t.14. p. 110. B.R.t.134 p. 157. C.C. CLEMENS XII. ad p. r. m.

Inc. *Apoſtolatus officium, &c.*

OMnia privilegia Eccleſiæ hujus Canonicis conceſſa a Leone X. inter quos ille fuerat Canonicus, & præbendatus, Clemens confirmat.

Bulla Leonis integra affertur.

Privilegia erant

I. Ut Canonici eſſent, & cenſerentur Sedis Apoſtolicæ Notarii,

II. Ut Rocchettum, & Cappam geſtarent,

III. Ut dignitates, & Canonici gauderent omnibus indultis, quibus gaudent Protonotarii Apoſtolici *ſine præjudicio participantium;*

IV. Ut Archidiaconus, & Capitulum hujus Metropolitanæ poſſent creare Notarios, tabelliones publicos, judices ordinarios, legitimare, celebrare per horam unam ante diluculum, & ſemihoram poſt meridiem. a. 1516.

Non intendit tamen per hanc Conſtitutionem Clemens introducere jus patronatus in eandem Eccleſiam, & præjudicium reſervationibus Sedis A. afferre. N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die II. Jan. P. a. I. a. D. 1731.

Reſervantur proviſiones de Eccleſiis Sedi A.

V. ex Ughello t. 3. p. 141. JOANNES XXII. ad f. r. m.

Inc. *In Apoſtolicæ, &c.*

BUlla ſua proviſiones Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum &c. ſibi reſervarat Joannes.

Mortuo Antonio Epiſcopo Florentino Capitulum non obſtante Pontificia reſervatione elegit Guillelmum Freſcobaldum in Archiepiſcopum, tum Fridericum de Bardis.

Pontifex videns reſervationem ſuam contemni, mittit ad Capitulum hanc Bullam, qua declarat ſibi eſſe reſervatas proviſiones.

Nolebat cedere Capitulum, & per duos annos Florentina Eccleſia vacavit.

Datum Avenione III. Cal. Aug. P. a. VI. a. D. 1321.

„ Tan-

„ Tandem cessit Capitulum ad preces Reipub. quæ „ petiit a Pontifice Francisc. de Sylvestris Episco„ pum Senogallien. tunc Ariminen. Juris U. „ doctorem eximium.

Clerici solvunt pro constructione mœnium urbis Florentiæ.

VI. ex Ughello t. 2. p. 141. JOANNES XXII. Pistorien., & Volaterranen. Episcopis, & Priori FF. Prædic. Florentiæ.

Inc. *Ex parte, &c.*

Civitas Florentiæ murorum carebat ambitu in aliqua sui parte, propter quod suorum patebat periculose nimium aggressionibus æmulorum. Statuit ergo Resp. Urbem muris totam cingere. Sed cum vis ingens nummorum requireretur, supplicavit Pontifici, ut juberet etiam Clerum utrumque solvere pecuniam in hoc opus,

Joannes considerans, *quantum Ecclesiam*, Clerumque dictæ Civitatis, & Diœcesis Florentinæ salus ejusdem civitatis contingat, mandat prædictis Episcopis, & Priori,

Ut de moderato subsidio *tam ipsos Canonicos, & Vicarium juxta mensæ Episcopalis ejus Ecclesiæ tunc vacantis facultates in contributione hujusmodi subvenire faciant, quam partes exemptas, & non exemptas.*

Si recuset Vicarius, Canonici, Clerusque, iis dat facultatem eos censuris cogendi. N. O.

D. Avenione VII. Id. Mar. P. a. VII, a. D. 1322.

Subsidium M. Duci ad decennium prorogatur.

VII. B.R.t.5. p. 1. p. 171, C.C. INNOCENTIUS X. ad p. r. m.

Inc. *Alias felicis, &c.*

AD efficiendos aggeres Arni in districtu Florentino obtinuerat M. Dux Ferdinandus a Pontifice facultatem subsidium ab utroque Clero ejusdem districtus exigendi.

Nondum erant perfecti: Erant enim magni laboris, magnique requirebantur sumptus.

Eadem ergo facultas ad aliud decennium illi datur ab Innocentio. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die X. Oct. P. a. V. a. D. 1648.

Mandatur Nuncio A. Florentiæ, ut subsidium pro aggeribus colligi faciat.

VIII. B.R.t.6. p. 6. p. 106. C.C. CLEMENS IX. Nuncio A. Florentiæ.

Inc. *In supremo, &c.*

EAndem solutionem præstandam ab utroque Clero Senensis districtus, & etiam ab Equitibus Hierosolymitanis pro rata suorum beneficiorum, & commendarum jubet Pontifex Nuntio suo Florentiæ ut exigi faciat.

Collata pecunia erit insumenda in aggeribus Arni reficiendis. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XI. Junii P. a. I. a. D. 1668.

DE DUCATU MANTUANO.

De interfectoribus Mantuani Episcopi.

1. ex Ughello t. 1. p. 865. GREGORIUS IX. Potestati, Consilio, & Populo Mantuano &c.

Inc. *Rem his, &c.*

GUidonus e gente Corregia Mantuanus Episcopus impavide pastorale suum munus exercens a quibusdam viris nefandissimis, *qui Advocati dicuntur*, & ab aliis fautoribus pravitatis hæreticæ in die primo Rogationum cum ingressus fuisset in Capitulum Monachorum Monasterii S. Andreæ Mantuæ pro reformatione ipsius Monasterii tunc vacantis miserrime fuit interfectus.

Primo ejus faciem gladiis petierunt, postmodum ejus manus ipsius Domino conservatas cum [illegible] Crucis brachia collocasset, despecta Crucifixi [illegible] impie amputantes ipsum quadriginta, ac plures [illegible] gis impositis, confoderunt,

Universa civitas ad spectaculum tam tristis occurrit, & in interfectores insurrexit; sed Potestas negligens in vindicando sanguine effuso fuit, ita ut ex hac negligentia effugium patuerit delinquentibus.

Pontifex tamen, qui non potest hoc scelus permittere abire impune, tam Advocatos, quam alios, qui opere consilio, adhortamentis hoc facinus promoverunt excommunicat, interdicto supponit loca, ad quæ vel illi, vel aliquis eorum advenerit, & omnes, & singulos de Advocatorum progenie huic sententiæ subjicit.

Ab excommunicatione absolvi non possint, nisi per Romanum Pontificem, & si in mortis articulo fuerint absoluti, careant tamen Ecclesiastica sepultura, & sanitati restituti pedibus dum vixerint loca sancta circumeant implentes pœnitentiam cum gemitu, & dolore; quod nisi fecerint relabantur in pristinam excommunicationis sententiam ipso facto.

Tum extollit Mantuanos, quod tam atrox facinus perhorruerint, eosque hortatur ut ab urbe, districtuque Mantuano exilium indicant Advocatis, & ab his recta linea descendentibus, fautoribus, auctoribus, consiliariis, publicent eorum bona, & ita de iis disponant, ut ad ipsos, vel eorum heredes nulla pars pervenire unquam possit;

Nullum rectorem, potestatem, Consulem admittant, nisi juret, se hoc servaturum esse.

Si hæc contemnent Mantuani, minatur Pontifex, se spoliaturum eorum urbem dignitate Episcopali, & divisurum eam diœcesim finitimis Episcopis.

D. Perusii Non. Junii P. a. IX. a. D. 1236.

Efficiat Episcopus Mutinensis, ut Mantuani revocent statuta contra Inquisitionem.

ALEXANDER IV. Episcopo Mutinensi. II. B.M. t.1. p. 112. B.R.t 1. P. 1. p. 383. C.C.

Inc. *Implacida relatio, &c.*

MAntuana Communitas non solum contra Pontificis statuta noluit opem ferre Fratribus Inquisitoribus, sed etiam decreta edidit, per quæ negotium Inquisitionis impediebatur.

Mutinensi Episcopo ergo mandat Alexander, *ut associatis sibi quibusdam bonis viris hæc statuta inquirat, & inveniat*, inducatque idem commune ad ea moderanda.

Quod si ea moderari noluerit, per excommunicationem illud impellat ad id, appellatione postposita.

D. Viterbii XV. Cal. Jan. P. a. III. a. D. 1257.

Rogatur Dux, ut necessaria habendo Mantuæ consilio præparet.

PAULUS III. Mantuæ Duci. III. ex Rayn. ad ann. 1537. §. 44.

Inc. *Superiore anno, &c.*

SCribit Paulus Duci, se indixisse œcumenicum Concilium Mantuæ celebrandum, cujus initium erit die XXIII. Maji proxime venturi, eamque urbem approbasse principes omnes.

Quamvis autem pro certo sciat, Ducem ratione sui decoris habita facturum fuisse omnia huic tam celebri cœtui necessaria, quin admoneretur, tamen duxit illum admonere.

Sciat plurimos eo conventuros esse, Pontificem ipsum, Cardinales, reges, principesque, vel saltem eorum oratores, & fere omnes Christiani orbis Episcopos.

Ideo autem Mantuam elegit, quia est urbs commoda, ampla, rebus omnibus victui necessariis abundans,

Tum quia cum Ducem ob ejus virtutem amet plurimum, plurimique ejus fratrem Cardinalem faciat, voluit & illi, & huic decus hoc impartiri eorum eligendo urbem, in qua Concilium haberetur.

D. Romæ apud S. Petrum Die XV. Febr. P. a. III, a. D. 1537.

Episcopo Ferraviensi mandatur, ut procedat contra expulsores Inquisitoris ab Urbe, & Ducatu Mantuæ.

IV. B.R.t.6. p. 6. p. 159. C.C. ALEXANDER VII. Joanni Stephano Donghio Card. Episc. Ferr.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

ARomualdo Vailaldo cum quibusdam aliis fautoribus expulsus armata manu fuerat ab Urbe, & Ducatu Mantuano Hyacinthus Maria Granara ibidem Inquisitor, quia summa cum integritate munus suum exercebat;

Hinc confugit ad Pontificem orans ut restitueretur in pristinum gradum, reique expulsionis punirentur.

Alexander committit prædicto Episcopo, ut complices Vailaldi inquirat, & in illum, atque in hos per censuras procedat,

Curetque, ut ad suum officium Inquisitor honorifice redeat.

Proinde Episcopo dat opportunas ad id facultates, testes citandi, monitoria edendi &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXI. Apr. P. a. XII. a. D. 1666.

DE EPISCOPATU MANTUANO.

Privilegium Mantuani Episcopi quoad causas.

I. ex Ughello t. 1. p. 871. CLEMENS VII. ad p. r. m.

Inc. *Sane dilectus, &c.*

SIgismundus Gonzaga Cardinalis perpetuus administrator hujus Ecclesiæ exposuit Pontifici, *propter appellationes, & reclamationes, ac reductionum petitiones, quæ a sententiis definitivis, interlocutoriis, vel mixtis, aut arbitramentis, seu laudis Vicarii in spiritualibus, & temporalibus Episcopi Mantuani, sub alterius judicio arbitri, vel arbitratoris, seu locumtenentis, seu locumtenentium suorum ad Sedem Apostolicam, vel ejus legatum, seu alium superiorem ita* gravari expensis hujus Ducatus subditos, ut multi potius lite cadere velint, quam tot sumptus facere.

Quare supplicavit Pontifici, ut huic malo mederetur.

Ergo Clemens *tenore præsentium statuit, concedit, & ordinat, quod si in futurum contigerit a dictis Vicario, locumtenentibus, judicibus qui modo sunt, & pro tempore erunt, arbitris, vel arbitrantibus in omnibus, & singulis causis tam spiritualibus, quam temporalibus, beneficialibus, vel mixtis, feudalibus, vel emphyteuticis, vel aliis etiam civilibus, vel criminalibus, quibuscunque, etiam ipsius Ecclesiæ Mantuanæ, & quarumcunque Ecclesiarum etiam in civitate Mantuana, vel ejus diœcesi existentium, vel aliarum quarumcunque personarum, quomodocunque, vel qualitercunque eas, vel quaslibet earum tangentibus, vel pertinentibus appellari, reclamari, vel reduci peti, etiamsi causæ fuerint mere spirituales, vel spiritualitati annexæ, seu beneficiales &c. committi possint, & debeant uni vel pluribus ex Collegio de confidentibus partium, qui sint Clerici.*

Si vero fuerint causæ profanæ mere civiles, vel mixtæ, vel criminales, committi possint uni, vel pluribus ex dicto Collegio etiam laico, vel laicis.

Et si contingat iterum appellari, vel reclamari a delegatis, secundo committi possint eædem causæ uni, vel pluribus ex dicto collegio secundum distinctionem prædictam, & sic successive quousque causæ ipsæ finem debitum sortitæ fuerint;

Qui judices, vel sic delegati procedere possint, & valeant simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura judicii;

Salarium quoque ipsis delegatis taxetur secundum formam statutam Mantuæ, quam in hac parte Clemens approbat.

Atque hoc perpetuis futuris temporibus observari præcipit. N. O.

Nulli ergo &c., Si quis ergo &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXX. Jan. P. a. I. a. D. 1524.

Mandatur Capitulo Mantuano, ut eligat Episcopum.

II. Ib. p. 866. GREGORIUS IX. Capitulo &c.

Inc. *Non fuit, &c.*

MOrtuo Episcopo, Gregorius monet Canonicos, *Quatenus cum consilio requisito, & obtento Ven. Fr. Parmensis, & Regini Episcoporum de tali persona provideant per electionem Canonicam eidem Ecclesiæ in pastorem, qui tanto congruat oneri, & honori.*

D. Perusii V. Id. Junii P. a. IX. a. D. 1236.

Provisio Episcopi facta ab Episcopo Portuensi confirmatur.

III. Ib. p. 867. INNOCENTIUS III. Episcopo Mantuano &c.

Inc. *Licet continuata, &c.*

AD electionem Episcopi non processerant Archipresbyter, & Capitulum infra terminum iis præfixum a Pontifice.

Commisit ergo Episcopo Portuensi, ut provideret.

Is providit de Præposito Parmensi ex Comitibus Casaloldis S. Marci Mantuano Canonico.

Hanc provisionem confirmat Innocentius &c.

D. Perusii II. Cal. Junii P. a. IX. a. D. 1252.

Ecclesiastici Ducatus solvant pro restaurandis urbis mœnibus.

IV. B.R.t.6. p. 1. p. 318. C.C. URBANUS VIII. Episcopo Mantuano.

Inc. *Exponi nobis, &c.*

MUltum in obsidione Mantuæ mœnia passa fuerunt, & *sustentamentum aquarum ad clusam terræ Governoli* jam ruebat, & molendina erant eversa; ad quæ omnia reparanda grandi pecuniæ vi opus erat; jamque Dux ideo quædam tributa imposuerat;

Quæ ut solverent etiam utriusque Cleri Ecclesiastici, rogavit Pontificem, ut decerneret.

Urbanus mandat ejus Civitatis Episcopo, ut vocato ad se utroque Clero, examinataque operis necessitate solvere sextam partem ratæ Ecclesiasticos cogat.

Eamque per personam Ecclesiasticam colligi faciat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XV. Junii P. a. IX. a. D. 1631.

DE DUCATU MONTISFERRATI.

Excitatur Marchio Montisferrati ad defensionem Ecclesiæ contra Matthæum de Vicecomitibus.

I. ex Lunig. t. 3. p. 1770. JOANNES XXII. Theodoro Montisferrati Marchioni.

Inc. *Quia prælati, &c.*

GRavia, multaque crimina Matthæi de Vicecomitibus Mediolani Domini narrat Joannes præfato Theodoro. (Ea vide in c. de Ducatu Mediolanensi n. 1. *Dudum ad nostri*, &c.

Ne ulterius pergat Matthæus in Deum, in Ecclesiam, in Clericos, in laicos multiplicare suas iniquitates, ut tandem ejus obstinatus frangatur animus, quoniam jam excommunicatus erat, & bonis declaratus spoliatus;

Hortatur Joannes Theodorum, ut defensionem Catholicæ Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ libertatis suscipiat contra eundem, *quoniam ei in instanti ex opportunitate suffragia non deerunt, nec suæ potentiæ manum ab Ecclesiæ auxilio continebit.*

D. Avenione II. Non. Febr. P. a. VI. a. D. 1322.

Nunc Ducatus hic Regi Sardiniæ subest.

DE DUCATU MEDIOLANENSI.

Sententia excommunicationis lata in Matthæum de Vice-Comitibus Dominum Mediolani, ejusque familiares.

I. ex Lunig. t. 3. p. 411. JOANNES XXII. ad p. r. m.

Inc. *Dudum ad nostri, &c.*

MAtthæus de Vicecomitibus, ut acceperat a publica fama Joannes, *de diversis mundi partibus ad Sedem Apostolicam venientes capiebat, & etiam eos detinebat eos bonis omnibus spoliando, ac litteras clausas, quæ Pontifici per nonnullos Ecclesiæ Romanæ devotos filios, & fideles de diversis partibus mittebantur, per se, officiales, & ministros suos aperire, & lacerare, & alias pro suo libito contrectare, & inspiciendos diversis exponere ausu damnabili præsumebat.*

Etiam Ecclesiis, Monasteriis, locis piis, Ecclesiasticis sæcularibus, & regularibus civitatis, & districtus talias plurimum onerosas imponebat; easque tam violenter exigebat, ut quasdam personas spoliaret, prorsus, quasdam in carcerem detruderet, quasdam per varios cruciatus corporis vexare: etiam Matthæi filii sævitiam Patris, ejusque contemptum Catholicæ Fidei imitabantur.

Nolebat Fratres Prædicatores, Minores, & Eremitas S. Augustini congregare Capitula, facere visitationes conventuum; intrudebat per vim in Monasteria virorum, & feminarum improbos homines, & puellas a se corruptas.

Episcopum Vercellensem obsedit, captumque in carcerem detrusit, qui tamen fuga ab ejus furore se eripuit.

Monachos, & Sacerdotes sæculares in carcere detinuit; interdictum, cui erat Mediolanum suppositum, violavit. Hanc eandem tyrannidem exercuerunt ejus filii Marcus in Terdonensi Civitate, Galeatius in Placentina;

Galeatius Episcopum Placentinum bonis omnibus spoliavit; Clerum ejus urbis talliis, & angariis vexavit, bona; quæ cives quidam Placentini in Monasteriis Fratrum posuerant, rapuit; voluit, quosdam Clericos suæ factionis publice in Ecclesiis prædicare, excommunicationes non valere.

Vetuerat etiam Legatis AA. ingressum in urbem Mediolanum, & alia loca ejus agri; a devotione Ecclesiæ multos avertit, in Lombardia discordias, rixas disseminavit, Episcopi non poterant corrigere Clerum, eo impediente, unde nil mirum, si hæreses, & schismata erumpant,

Matthæi avus, & avia, de hæretica pravitate fuerant suspecti, quædam Matthæi affinis ajebat Spiritum Sanctum esse incarnatum, idem sentiebat alia ejus mulier; quæ tandem ab Inquisitoribus fidei damnatæ fuerunt crematæ.

Quæ horribilia cum pro suo munere impunita non posset relinquere Joannes mandavit Archiep. Mediolanensi, & Inquisitoribus Fidei in provincia superioris Lombardiæ, ut inquirerent in Matthæum, Galeatium, Marcum, & alios ejus filios, in Marchum, Luchinum, Joannem, & Stephanum natos ejusdem Matthæi; quos Archiepiscopus & Inquisitores hæreticos convictos detexerunt; proinde eorum bona confiscarunt.

Sed Matthæus in sua nequitia mortuus est. Galeatius & alii Fratres, obstinati in hæresi perdurabant. In eos ergo excitat Pontifex omnes, ut in illos eorumque familiares, & adhærentes procedant; & procedentibus vere pœnitentibus dat omnium delictorum indulgentiam; quæ consuevit concedi proficiscentibus in auxilium Terræ S.

D. Avenione X. Cal. Apr. P. a. VIII. a. D. 1324.

Laudatur Azo de Vicecomitibus Rector Mediolani, quod ad Ecclesiam redierit.

II. Ib. p. 222. JOANNES XXII. Azoni de Vice-Comitibus &c.

Inc. *Profecto nisi, &c.*

ASpiritu S. processisse, ait, Joannes, bonam mentem, quam concepit Azo ad Ecclesiam redeundi; via certe, cui insistebat ad mortem eum deduxisset.

Sperat Pontifex, eum perstiturum semper in sana mente; in qua perstabit, si recogitare velit, in quo statu erat, & in quem transierit.

Habeat præ oculis successus, quos habuerunt Ludovici Bavari fautores, asseclæque.

Bajuli harum litterarum ad illum vivæ vocis oraculo aliqua illi referre poterunt de iis rebus, quas debet primo facere.

Gratia Dei ad ea, quæ sibi sunt placita, in his, & aliis dirigat ejus mentem. Amen.

D. Aven. VI. Id. Nov. P. a. XIV. a. D. 1329.

Vicarii S. Sedis deputantur in Ducatu Mediolanensi Joannes Episcopus Novariensis, & Luchinus de Vicecomitibus.

BENEDICTUS XII. Joanni &c. Luchino &c. Vicariis. III. ex Lunig. t. 3. p. 411.

Inc. *Romana Ecclesia, &c.*

VAcare censebatur Romanum Imperium, quia Ludovicus Bavarus jam Imperator fuerat ab Joanne XXII. & ab hoc Benedicto excommunicatus, populique ab juramento fidelitatis illi præstando soluti.

Ergo Joannes Episcopus Novariensis & Luchinus de Vicecomitibus Nobiles Mediolanenses, quoniam in vacatione imperii provisio Vicariorum ad S. Sedem spectare dicebatur, miserant Procuratores ad Pontificem, orantes ut Vicarii Mediolani, ejusque territorii crearentur. Ad quam dignitatem impetrandam hæc pollicita sunt, ut est in Bulla, procuratores eorum nomine;

I. In omnibus *se disposituros esse totaliter* Pontificis, & S. Sedis mandatis, & conformaturos semetipsos, Civitates, terras, loca suæ jurisdictionis beneplacitis Pontificis, & S. Sedis;

II. Se non imposituros Ecclesiasticis personis, bonisque datia, gabellas, pedagia, & alia onera, nec præstituros auxilium ea imponentibus, & si qua imposita sunt, se ea revocaturos,

III. Se non impedituros judices Ecclesiasticos, quominus contra imponentes, & exigentes ea procedant;

IV. Se futuros obedientes Pontificibus Romanis, sicut veros Catholicos;

V. Se non credere spectare ad Imperatorem deponere Papam, vel facere;

VI. Se expulsuros esse ab urbibus suæ jurisdictionis hæreticos,

VII. Se non adjuturos Ludovicum Bavarum, & ejus fautores neque opibus, neque consilio, neque milite;

VIII. Se non recepturos in suas urbes neque Ludovicum, neque ejus assecla, milites &c.

IX. Se *curialiter* recepturos esse Legatos, Nuntiosque missos a Pontifice, eos defensuros &c.

X. Se effecturos, ut personæ, vel Ecclesiæ spoliatæ rebus suis, eas recuperent, & earum pacifica possessio ne fruantur;

XI. Se permissuros, ut Ecclesiæ, & Ecclesiastici in suo districtu gaudeant suis juribus, redditibus, &c. & animadversuros in eos, qui illas, & hos in iis vexabunt;

XII. Urbes, quæ spectant ad Ecclesiam, non esse se injuriis affecturos, neque passuros, ut ab illa distrahantur, sed curaturos, ut distractæ uniantur rursus illi; se non daturos auxilium prædatoribus earum, sed potius eos impedituros.

Considerans ergo Pontifex quantum emolumenti sit perceptura Ecclesia, quam quieti sint futuri hujus comitatus incolæ sub hujusmodi Vicariis, eos *quoad vixerint, Imperii vacatione durante*, eos Vicarios creat, hac conditione ut S. Romanæ Ecclesiæ fidelitatis juramentum præstent;

Iis dat facultatem contradictores compescendi;

Deinde narrat Pontifex eorum procuratorum unum juravisse super Sancta Dei Evangelia, eos nunquam esse adhæsuros Ludovico Bavaro; sed Imperatori illi, qui de placito Pontificis eligetur; & servaturos esse omnia, quæ promissa sunt, quæ repetuntur.

Mittit ad illos formulam juramenti ab iis præstandi; quod præstiterunt, ut Notarius fidem fecit.

D. Aven. Die XXVIIJ. Octob. a. D. 1339.

Solu-

Solatur Pontifex Vice-comites de morte Patrui, eosque hortatur, ut pacem cum Imp. Carolo IV. ineant.

IV. Ib. p. 218. INNOCENTIUS VI. Matthæo, Bernabovi, & Galeatio de Vice-comitibus militibus Mediolanensibus.

Inc. *Bonæ memoriæ, &c.*

MOrtem Patrui sui Joannis Archiepiscopi Mediolanensis significarant prædicti Fratres Pontifici;

Quam ægerrime se audivisse respondit, eo quod *dum viveret habuit cariorem*. Sed cum esset plenus dierum, nihil aliud expectandum erat, nisi ut decretum omnibus hominibus statutum subiret. Lætandum tamen est, in æternam quietem eum hujus occiduæ vitæ miseriis commutasse, in qua suarum virtutum præmio fruitur.

Amori ergo, quo prosequebatur Patruum, prosequetur Nepotes, quos monere non desistet, ut timorem Dei habeant, ut se ament, ut bella fugiant; cum concordia res crescant, discordia labantur, Deum honorent, ejus sponsam Ecclesiam venerentur, ejus ministros Sacerdotes revereantur. Ita agentes a Deo benedicentur.

Et quoniam audiverat, Carolum Imperatorem venturum in Italiam esse, *ut ad refarciendas lacerata partes imperii studium impendat*, eos hortatur; *ut cum eo tractatum aliquem inchoent, quo interveniente eorum status sit firmior.*

Ob merita eorum Patrui in se, iis offert Innocentius *interpositionem*, & *assistentiam suam*.

Iis significat providisse se de Roberto in Archiepiscopum Mediolanensem *consideratione ejus meritorum, intuitu defuncti Archiepiscopi, & eorum*.

D. Aven. V. Id. Nov. P. a. II. a. D. 1353.

Sententiæ excommunicationis lata in Bernabovem, & Galeatium de Vice-comitibus Dominos Mediolani publicatio.

V. ex Lunig. t. 3. p. 411. GREGORIUS XI. Patriarchis, Primatibus &c.

Inc. *Hodie adversus, &c.*

EXcommunicarat Gregorius præfatos Duces fratres, apponitque Bullam excommunicationis, quia *Filius perditionis Bernabos*, qui non debet dici Nobilis, *cum per execrabilem, & ferinam suam sævitiam a nobilitate degenerare probetur* pacem rupit cum Nicolao, & Alberto Marchionibus Estensibus, &c.

Quia agrum Ferrariæ, qui est subjectus S. Ecclesiæ, invasit,

Quia devastavit agrum Bononiensem, qui itidem subest Ecclesiæ.

Quia jam processum contra illum fecerat Joannes XXII.

Per has ergo litteras Gregorius vult omnes Patriarchas, Primates &c. notum facere populis suis hujusmodi excommunicationem iisque injungant, cujuscunque dignitatis sint, ne ad præfatos fratres ferant *frumentum, sal, granum*, neque quicquam, quod illis utile esse possit sub excommunicationis pœna.

Interdicto supponant eas civitates, oppida, terras, loca, quæ illos receperint,

Excommunicent eorum fautores, consiliarios, adhærentes &c.

Pontifex excommunicat eorum milites, quos ab juramento absolvit fidelitatis, sicut etiam eorum subditos;

Mandat demum præfatis Præsulibus, ut per aliquem Fratrem e Mendicantibus ordinibus hanc sententiam in Vicecomites publicari faciant.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. apud Villam Novam Avenio. Dicæc. Non. Cal. Oct. P. a. II. a. D. 1372.

Hortatio ad Ducem, ut mittat Romam Oratores pro pace.

VI. B.M. p. 3. vel t. 9. p. 269. NICOLAUS V. Francisco Sfortiæ Duci Mediolan.

Inc. *Licet desiderium.*

TEntaverat Nicolaus anno primo sui Pontificatus pacem componere inter principes turbantes Italiæ pacem armis, sed frustra.

Tentat iterum, mandatque Francisco Sfortiæ Mediolani Duci, ut Romam quàm citissime mittat Oratores suos, alios etiam principes esse missuros pro componenda pace.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Id. Jan. P. a. VI. a. D. 1452.

Citantur Romam Gubernator, & parlamentum Mediolani.

JULIUS II. ad p. r. m. VII. B.M.p.4. vel t. 10. p. 11.

Inc. *Inter graves, &c.*

CArolus de Amboisa dominus temporalis de Ciamonte, *seu de Calidomonte* in Ducatu Mediolanensi pro Ludovico Galliarum rege Gubernator fructus, & redditus Ecclesiarum quarumcunque, Monasteriorum &c. in eodem Ducatu existentium, *nescitur quo, nisi maligno ductus spiritu una cum consiliariis Parlamenti* Mediolanensis *in proprios usus convertit, & dissipare præsumpsit.*

Quare Julius prædictum Carolum, & Consiliarios Mediolanensis Parlamenti infra duodecim dies, quatuor pro quolibet termino ante se citat, & jubet, ut interim tollantur, & revocentur sequestra, & *arresta facta in personas Ecclesiasticas*, & percepti fructus, *vel eorum justa æstimatio reddantur.*

Alioquin elapsis his duodecim diebus, tam ipse Carolus, quam Consiliarii, adjutores, fautores, ministri excommunicationis majoris sententia excommunicentur.

Et *si post alios novem dies eos dies duodecim sequentes corde obdurato non recedant a suo facinore*, Civitates Mediolanensem, Parmensem, Cremonensem, Papiensem, & alias omnes, castra, oppida, villas in eodem Ducatu interdictas vult.

Et in urbibus finitimis Bononiensi, Mutinensi, Imolensi hæc constitutio, ut ad omnium, & *illorum aures notitia perveniat*, publicetur. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Bononiæ VII. Id. Oct. P. a. VII. a. D. 1510.

Hortatio ad Gubernatorem Mediolanensem, ut inducat Senatum, ne se ingerat in feudum Chignoli.

PAULUS V. Gubernatori Mediolani. VIII. B R. t. 5. p. 3. pi 156. C.C.

Inc. *Perlatum est, &c.*

MOrtuo Joanne Cusano, qui terram Chignoli in Feudum a S. Sede habebat, & Joanna ejus Soror, & alii prætendentes ad ejus successionem confugerant ad Senatum Mediolanensem.

Paulus orat Gubernatorem ejus Ducatus, ut admoneat Senatum, ne velit judicium ferre de Feudo, de quo decidere spectat ad S. Sedem, ad quam directe pertinet. N. O.

Dat. Romæ apud S. Marcum Die XVII. Septemb. P. a. I. a. D. 1603.

Eadem hortatio ad Senatum.

PAULUS V. Præsidenti, & Senatui Mediolanensi. IX. Ib. p. 157. C.C.

Inc. *Quod nuper, &c.*

IDem scribit Paulus Præsidenti, & Senatui Mediolanensi. N. O.

D. eodem die, & anno.

Commissio Episcopo Placentino, ut inhibeat Senatui cognitionem Feudi &c.

PAULUS V. Episcopo Placentino. X. Ib. C.C.

Inc. *Cum sicut, &c.*

EPiscopo Placentino committit Paulus, ut inhibeat Senatui Mediolanensi, & judicibus sæcularibus cognitionem, & definitionem litis super hoc feudo.

Datque illi facultatem censuris feriendi non parentes. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XVII. Sept. P. a. I. a. D. 1605.

Acta ab œconomo Mediolanensi in bonis suppressarum Congregationum irritantur.

XI. Ib. p. 335. C. C. CLEMENS IX. ad p. r. m.

Inc. *Cum nos*, &c.

HAs tres Congregationes extinxerat Clemens S. Georgii de Alga Venetiarum, Jesuatorum, Fratrum S. Hieronymi de Fæsulis, reservetatque dispositioni S. Sedis earum bonorum mobilium, & immobilium distributionem.

Sed œconomus in Ducatu Mediolanensi possessionem horum bonorum cepit, removit administratores jussu Pontificis ab Ordinariis deputatos, collectosque fructus ab iis abstulit.

Quæ omnia cum œconomus egerit contra ac jusserat Clemens, irritat, vultque, eum facessere inde, & electos ab ordinariis administratores vult restitui. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVII. Apr. P. a. II. a. D. 1669.

Decreta, actaque a sæculari potestate irritantur.

XII. B. M. p. 6. vel t. 12. p. 574. B. R. t. 10. p. 1. p. 214. C. C. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Alias cum*, &c.

A Sæculari potestate in Ducatu Mediolanensi duo edicta proposita fuerant an. 1708.

II. Ne pecunia ulla beneficiorum Ecclesiasticorum possessorum a quibuscumque morantibus Romæ Romam mitteretur; neque ob alias causas quascumque:

III. Et ut sequestrarentur fructus, & pensiones eorum Ecclesiasticorum, qui ab illo Ducatu abessent.

Josepho Cardinali Archinto Archiepiscopo Mediolanensi, Cardinali Morigia Archiepiscopo Papiensi, aliisque Ordinariis ejus Ducatus scripsit Clemens, ut commonerent violatores jurium Ecclesiasticorum, pœnasque spirituales denunciarent, nisi desisterent, & edicta revocarent, quod egregie ab illis Prælatis est præstitum.

Scripsit etiam Clemens ad Imperatorem Josephum; sed frustra, sequestrum enim servatum fuit.

Novæ propterea litteræ missæ fuerunt ad ordinarios illius Ducatus, qui nova edicta contra violatores immunitatis Ecclesiasticæ in lucem ediderunt.

Tandem sæcularis potestas resipiscens publicavit edictum, in quo pollicitabatur, se revocaturam omnia acta, quæ gesserat.

Pontifex M. P. omnia decreta, acta omnia ejus laicalis potestatis cassat, irritat, annullat censurasque denunciat, si talia posthac audebit.

Archiepiscopo Mediolanensi nihilominus permittit absolvere a censuris eos delinquentes, qui pœnitentiam agent, & retractabunt quæcumque fecerint. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die V. Oct. P. a. IX. a. D. 1709.

DE ECCLESIA MEDIOLANENSI.

Significatur omnibus excommunicatio Gothefredi.

I. B. R. t. 2. p. 27. C. C. GREGORIUS VII. Universis Christifidelibus in Longobardia commorantibus.

Inc. *Scire vos*, &c.

GOtefredus, *vivente Guidone dicto Archiepiscopo Mediolanensi*, Mediolanensem Ecclesiam invaserat.

Sancta Sedes id sciens concilium congregavit, expositaque violentia Gotefredi de unanimi fratrum consensu cum excommunicavit.

Hanc excommunicationem notam facit omnibus Gregorius, ut eum fugiant, neque cum illo communicent.

D. Romæ Cal. Jul. Indict. XI. a. 1073.

Citatur Romam Thedaldus electus a Rege in Archiepiscopum Mediolanensem.

II. Ib. p. 35. C. C. GREGORIUS VII. Episcopis suffraganeis Ecclesiæ Mediolanensis.

Inc. *Notum vobis*, &c.

JAm inter vivos erat Mediolanensis Archiepiscopus: *cum rex (Henricus) præter id quod litteris, & legatorum verbis Pontifici promiserat quemdam Thedaldum in eam Ecclesiam posuit.*

Excanduit ad hæc Gregorius; quia tamen rex suam amicitiam requisivit, ad limina vocavit Thedaldum, ut res ex æquo, & bono componeret ante synodum cogendam in quadragesima.

Interim sub pœna excommunicationis interdicit suffraganeis hujus Ecclesiæ, ne ipsum ordinent.

D. Romæ VI. Id. Oct. Indict. XIV. a. 1076.

Ducatus Mediolani Gubernatori significatur electio Caroli Borromæi in Archiepiscopum hujus Ecclesiæ.

III. Ex Rayn. ad ann. 1560. n. 92. PIUS IV. Ferdinando Duci Suessæ Regis Catholici in Ducatu Mediolanensi Locumtenenti.

Inc. *De Venerabilium*, &c.

„ CElebritas nominis, sanctitas viri, ejus in Eccle„ siam merita efficiunt, ut hujus Bullæ summa „ asseratur.

Significat Pius eidem Duci, se ut consuleret Ecclesiæ Mediolanensi, elegisse in illius pastorem Carolum Borromæum suum secundum carnem e sorore Nepotem jam creatum Cardinalem Diaconum de consilio fratrum.

Confidit Pius eum fore utilem illi Ecclesiæ (sicut utilissimus fuit).

Duci testatur, neminem esse Carolo devotiorem, obsequentioremque Philippo II. Regi Catholico.

Ducem orat, ut Caroli procuratorem in possessionem ejus Ecclesiæ, ejusque bonorum administrationem admittat.

D. Romæ apud S. Petrum Die X. Febr. P. a. I. a. D. 1560.

Carolus Card. Borromæus eligitur protector pagorum Helvetiorum Catholicorum apud S. Sed.

IV. Ib. p. 95. PIUS IV. Carolo SS. Viti, & Modesti Diacono Card. Borromæo.

Inc. *Cum dilecti*, &c.

PAgi septem Catholici Helvetici miserant oratorem gratulatum Pontifici de ejus electione, eumque rogarunt, ut protector suus apud S. Sed. esset Carolus.

Pius huic honesto eorum desiderio satisfacere volens, eum protectorem, quoad erit in humanis, apud S. Sedem deputat, ita ut eorum negotia pertractare libere possit, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die XII. Mart. P. a. I. a. D. 1560.

Declaratur Carolus Cardinalis Nepos.

V. Ib. p. 94. PIUS IV. Julio A. Sedis in regno Neapolitano Nuncio.

Inc. *Cum nos*, &c.

SIgnificat Pius prædicto Nuncio, se elegisse Card. præfatum Nepotem suum participem Pontificiarum curarum, & Ecclesiæ negotiorum,

Ad illum ergo Nuncius scribat qui referet.

Caroli litteris plenam, & indubiam fidem semper habeat.

D. Romæ apud S. Petrum Die XV. Mart. P. a. I. a. D. 1560.

Confirmatio taxarum in provincia Archiepiscopali Mediolanensi.

VI. B. R. t. 4. p. 3. p. 413. C. C. GREGORIUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Romanum decet*, &c.

CArdinalis S. Carolus Borromæus Mediolanensis Archiepiscopus *quasdam taxas in tota provincia sua observandas per judices in synodis Diœcesanis deputatos pro causis Commissariis, necnon per conservatores religiosorum imposuit.*

Tum supplicavit Pontifici, ut taxas has confirmaret, inhiberetque, plus requiri.

Gregorius utrumque per has litteras decernit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die IV. Junii P. a. IX. a. D. 1579.

Confirmatio Concordiæ inter forum Archiepiscopale, & Laicale Mediolani.

VII. B. R. t. 5. p. 4. p. 241. C. C. PAULUS V. Card. Friderico Borromæo Archiepiscopo Mediolanensi.

Inc. *Expositum nobis*, &c.

PRomotor Fiscalis Ecclesiæ Mediolanensis prætendebat, ex antiquissima consuetudine posse trahi ab Ecclesiasticis laicos ad forum Ecclesiasticum ex foro laicali, *quacunque ageretur actione*; & respectu bonorum Ecclesiasticorum, & respectu laicalium etiam privative quoad forum sæculare.

Fisci regii Procuratores id negabant.

Tandem quædam pacta fuerunt inita, ut discordiæ sedarentur, quibus pactis limites assignati fuerunt utrique potestati.

C. I. Quando Ecclesia, vel Clericus agit pro quibuscumque bonis Ecclesiasticis mobilibus, immobilibus, quovis titulo donationis, ultimæ voluntatis, liberum sit actori adire alterutrum forum;

C. II. *Circa actionem hypothecariam, extra materiam legatorum piorum relinquatur dispositioni juris communis;*

C. III. Excipiuntur causæ occasione novarum Bullarum Pontificiarum; eo casu confugiendum erit ad judicem ad quem de jure communi causa spectabit;

C. IV. Cum agitur de aliqua hereditate alicui monacho, vel moniali ab intestato delata, *agendum erit coram judice sæculari tantum tam in petitorio, quam in possessorio;*

C. V. Cum Clerici agent de consuetudine decimarum, primitiarum, obventionum aliarum agere possint ad utrumlibet forum;

C. VI. Si Clerici agant quoad bona patrimonialia, de consequenda quantitate pecuniæ fructuum &c. agant in foro Ecclesiastico.

C. VII. Si agant contra laicos pro bonis laicalibus, puta pro domo, fundo &c. agant in foro laico.

C. VIII. In quo foro causa incœperit finiatur,

C. IX. Per hanc concordiam non derogetur fisci juribus,

C. X. Quoad executionem in causis judicatis in foro Ecclesiastico, ea fieri possit per familiam armatam solitam Archiepiscopi;

C. XI. In actionibus personalibus contra laicos debitores Ecclesiarum potest fieri executio per militiam Archiepiscopi usque ad summam ducentorum aureorum,

C. XII. In causis criminalibus mixti fori judex Ecclesiasticus potest cogere reos, & exequi in eorum bonis usque ad prædictam summam;

C. XIII. Circa virgines sub alicujus Sanctæ, vel Sancti invocatione congregatas, correctio, & jurisdictio permittatur Archiepiscopo,

C. XIV. *Circa officium œconomicatus tollantur œconomi prout de iis constiterit;*

C. XV. Hæc concordia ineatur, quatenus approbetur a sua Sanctitate, & a regia majestate.

Paulus concordiam confirmat de consilio Cardinalium. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VII. Oct. P. a. XIII. a. D. 1617.

Locus Columnæ S. Laurentii Mediolani immunitate Ecclesiastica spoliatur.

VIII. B. R. t. 5. p. 3. p. 375. C. C. PAULUS V. ad p. r. m.

Inc. *Vices illius*, &c.

LOcus columnæ S. Laurentii dictus ab Ecclesia eadem distat ultra triginta passus; eo conveniebant quique mali homines, ut effugerent justitiæ ministros, cum locus esset immunis; ibique gravissima patrabantur scelera.

Pontifex eum locum ut purget ab his scelestis, immunitate illum privat, data ministris reos ibi capiendi licentia.

Cæterum alia loca prope Ecclesiam, plateam ante templum immunitate Ecclesiastica gaudere vult ut antea. N. O.

Harum litterarum vigor post menses duos a publicatione valere incipiat.

D. Romæ apud S. Petrum Prid. Cal. Nov. P. a. V. a D. 1609.

Ecclesiasticis Ducatus Mediolanensis imponitur subsidium 150m. scutorum.

IX. B. R. t. 5. p. 5. p. 213. C. C. URBANUS VIII. Episcopo Interamnensi;

Inc. *Ex illo*, &c.

QUasdam Urbes Novariam, Alexandriam, Cremonam, Laudum, Valentiam in Ducatu Mediolanensi munituras Philippus supplicavit Pontifici ut juberet, & Ecclesiasticos ad hoc opus solvere.

Pontifex mandat Interamnensi Episcopo, ut intra quinque annos colligat summam scutorum 150 mil. ad rationem 30 m. quovis anno,

Cui idcirco dat opportunas facultates.

Collectores debent esse Ecclesiastici, N. O.

Nihil tamen per has litteras innovare intendit Urbanus *super portione, quæ colonica dicitur.* N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die X. Maji P. a. I. a. D. 1624.

Subrogatio Episcopi Laudensis ad colligendam solutionem ab Ecclesiasticis hujus Ducatus.

X. B. R. t. 6. p. 3. p. 329. C. C. INNOCENTIUS X. Episcopo Laudensi.

Inc. *Alias emanarunt*, &c.

CUm vellet rex Philippus in Mediolanensi Ducatu quædam construere fortalitia, impetravit ab Urbano quamdam taxam ob id exigendam ab utroque Clero illius Ducatus, exactorque deputatus fuerat Episcopus Interamnensis. Integra affertur Bulla, & est superior proxima, de an. 1624.

Nondum tamen litteræ Urbani fortitæ effectum fuerant, & illa fortalitia fuerant erecta regiis impensis.

Supplicavit igitur Philippus, ut Innocentius ratas haberet prædecessoris litteras.

Pontifex eas confirmat, & exactorem hujus summæ deputat Laudensem Episcopum. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IX. Oct. P. a. IV. a. D. 1647.

DE URBE GREMONA.

Privilegia data Abbatibus, & Collegio judicum Gremonæ.

XI. B. R. t. 5. p. 1. p. 277. C. C. GREGORIUS XIV. Abbatibus, & Collegio judicum Cremonæ.

Inc. *Dum vestram*, &c.

SIngulos Abbates, & judices Collegii Cremonæ creat Gregorius Comites Lateranenses,

Eisque privilegia Comitum Lateranensium dat,

Cum facultate creandi notarios,

Statuta pro Collegio condendi,

Eligendi sibi in protectorem aliquem Cardinalem,

Admittendis doctoribus in collegium, quo die admittuntur confetiis, & communicatis indulgentia in plenariam concedit; & omnibus bis in anno diebus ab Episcopo deputandis.

Comessationes tamen eo die fieri vetat. N. O.

D. Romæ in Monte Quirinali Die XXII. Junii P. a. I. D. 1591.

DE URBE LAUDO.

Confirmantur bona huic civitati.

XII. Ex Ughel. t. 4. Ex 472. ALEXANDER III. Consulibus, & populo Laudensi.

Inc. *Cum civitas*, &c.

DE *loco, ubi constructa fuerat ab antiquo, ad locum alium fuit translata hæc civitas.*

Ne

Ne occasione hujus translationis quicquam ex iis, quæ cives Laudenses habebant, posset a se subtrahi, vel auferri a quocumque, supplicarunt Pontifici, ut provideret.

Innocentius Laudensium merita in Romanam Ecclesiam attendens *statum novæ civitatis cum omnibus bonis, & possessionibus civium, & cum omni territorio, quod intus, vel foris civitatem veterem contingebat, exactum habet, & firmum, illumque confirmat*; statuitque,

Ut Laudenses *possint liberos homines, qui fuerint de Crema, vel de locis aliis se ad illos transferentes sine contradictione capere, & receptos tenere, sicut inter eos, & rectores Lombardiæ rationabiliter noscitur esse statutum.*

D. Venetiis in Rivo alto XVII. Cal. Julii a. D. 1177.

DE DUCATU PARMENSI, ET PLACENTINO.

DE PLACENTINO.

Urbi Placentinæ præficitur Verzusius de Lando.

I. ex Lunig, t. 2. p. 1441. JOANNES XXII. Bertrando tit. S. Marcelli Presb. Card. A. S. Legato.

Inc. *Audita nuper, &c.*

MUltum Versusius de Lando laboraverat in recuperatione Placentiæ; de qua valde Joannes lætatur, & valde Versusium commendat.

Eidem ergo ut eundem præficiat, si duxerit expedire, mandat Joannes prædicto Cardinali legato.

D. Aven. X. Cal. Nov. P. a. VII. a. D. 1322.

De postulatis Franciſci Scoti civis Placentini.

II. Ibid. p. 1444. JOANNES XXII. Bertrando, &c.

Inc. *Expositi nobis, &c.*

MAnfredus de Lando civis Placentinus *fautor filiorum damnatæ memoriæ Matthæi de Viccomitibus castrum Zavatarelli* ad Franciscum Scotum Placentinum spectans *Bobiensis diœcesis per annos viginti detinebat occupatum, & in eo residebat, & proventus usque ad valorem trecentorum quinquaginta florenorum auri annuatim ex illo percipiebat.*

Ergo Franciscus Pontificem rogavit, *ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaretur.*

Mandat igitur Joannes prædicto Bertrando, ut partibus vocatis, & auditis testibus decidat, quod justum fuerit.

Testes cogat per censuras verum dicere, contradictoresque pœnis Ecclesiasticis compescat. N. O.

D. Aven. XV. Cal. Nov. P. a. X. a. D. 1325.

De Maxono Ferabove cive Placentino.

III. Ibid. p. 1445. JOANNES XXII. Bertrando, &c.

Inc. *Significavit, &c.*

MAxonus Ferabos civis Placentinus, jam excurrerant anni tres cum capta fuit a Versusio de Lando Placentia, murum urbis perforaverat *mortis periculo se exponens*; commune decrevit, *solemni super hoc deliberatione sequuta*, ut quingenti florenti auri darentur Maxono, sed nondum fuerant soluti.

Franciscus Scotus Ambaxiator Placentiæ supplicavit Pontifici, ut cum ejusdem Maxoni superfuissent duæ filiæ inopes, & innuptæ efficeret, ut iis prædicta summa daretur.

Committit ergo Joannes eidem Bertrando, ut de tota re inquirat, & jubeat, quod justum fuerit, cum facultatibus, &c. N. O.

D. Aven. XV. Cal. Jul. P. a. X. a. D. 1325.

De postulatis Franciſci Scoti.

IV. Ibid. p. 1446. JOANNES XXII. Bertrando, &c.

Inc. *Significavit, &c.*

ALbertus Pater Franciſci Scoti quo tempore fuit protector, & defensor Placentiæ (fuit autem per multos annos) in ejus defensionem dedit communi usque ad summam sexdecim millium florenorum auri, *de quorum mutuis apparet per publica instrumenta.*

Franciscus supplicavit Pontifici, ut de annuis redditibus, & proventibus dicti communis eidem Francisco de prædicta Florenorum summa pro quarta parte eum contingente, cum alii dicti Patris sibi fuerint coheredes satisfieri faceret.

Quare jubet, Bertrandum partibus auditis facere, quod jus suadet. N. O.

D. Aven. XV. Cal. Iul. P. a. X. a. D. 1325.

Audiat legatus postulata Franciſcæ Scoti, & decidat.

JOANNES XXII. Bertrando, &c. V. Ibid.

Inc. *Expositi nobis, &c.*

FRanciſca Scoti Filia Alberti vidua Gerardi Claponi capta fuit a gentibus Galeatii de Vicecomitibus una cum filio suo Antoniolo. Jam antea ejus Pater Albertus Scoti ab iisdem captus fuerat. Sed simul cum filio liberata fuit de manibus earum gentium; persequutionem Galeati effugiens se contulit ad Castrum Arquatum Placentinæ diœcesis eidem Galeatio contrarium, ut ibidem tuto viveret. Interea temporis fautores Galeatii Placentiæ ejus bona abstulerunt, domum diruerunt, nec volebant quicquam restituere.

Confugit ad Pontificem Franciſca, opem implorans.

Qui mandat eidem Bertrando, ut decernat quod justum fuerit. N. O.

D. Aven. VIII. Id. Oct. P. a. XI. a. D. 1326.

Electio Octoboni de Salimbenis civis Placentini in Potestariam Plani.

JOANNES XXII. Bertrando, &c. VI. Ibid. p. 1449.

Inc. *Sinceræ devotionis, &c.*

IN districtu Placentino est, & fuit ab antiquo quoddam officium, quod Potestaria Plani *dicitur, ad custodiam villarum ruralium & hominum provide & salubriter introductum consuetum singulis sex mensibus per aliquem nobilem de Placentia gubernari.*

Octobonus de Salimbenis supplicavit Pontifici, ut sibi illud officium daretur, præcipue cum *habens in medio earum villarum majorem partem suorum bonorum, & speciales amicos potest contra rebelles, & quoscumque damnificantes, & damnificare volentes* eas defendere.

Pontifex devotione Octoboni erga R. Ecclesiam attensa, attensis supradictis causis, *& aliis multis rationabilibus* mandat Bertrando; ut idem officium det Octobono *ad quinquennium, vel minus, si, & prout viderit expedire.*

D. Aven. VII. Id. Maji. P. a. XII. a. D. 1327.

De Naulo construendo, de muris reparandis, de facto Gobii, de distributione bonorum proscriptorum.

JOANNES XXII. Bertrando, &c. VII. Ibid.

Inc. *In nostra, &c.*

EXposuerant Pontifici Placentini Ambaxiatores, si compleretur Placentiæ Naulum, quod facere instituerat Bertrandus, futurum & honori, & commodo Ecclesiæ devotis, & securitati fidelibus, & hostibus, & rebellibus oppressionem manifestam;

Clerum obtulisse subsidium pro reparatione murorum

eum urbis, sed cum sit tenue, cogendam esse ad dandum majus.

Asserverunt, multipliciter expedire, quod circa factum Gobii vigilanter sedulo intendatur, supplicantes, ut mandare super hoc quod illi videretur expediens, curaret.

Etiam orarunt, ut Pontifex decerneret de bonis proscriptis Rebellium Ecclesiæ, haberetur que ratio eorum, qui plurima damna pro illa fuerant perpessi.

De his omnibus mandat Joannes Bertrando ut inquirat, & agat quod expedire crediderit.

Certiorem Pontificem faciat, quid de horum singulis egerit.

D. Aven. Id. Junii P. a. XII. a. D. 1327.

De fossata terræ Florentiolæ in districtu Plac. reparanda.

VIII. Ibid. p. 1451. JOANNES XXII. Bertrando, &c.

Inc. *Dilecti filii, &c.*

FOssata terræ Florentiolæ Placentinæ diœcesis quæ per ordinationem, & mandatum communis Placentiæ reparari, cum opus erat, consueverat hactenus, & mundari, reparatione, & mundatione necessario indigebat.

Commune ergo supplicavit Pontifici, ut compelleret omnes incolas eorum locorum, villarumque ad eam reparandam, mundandamque.

Id negotii demandat Joannes Bertrando, qui præficiat operi Jacobellum de Nicolais habitatorem dictæ terræ.

D. Aven. VI. Id. Janu. P. a. XVI. a. D. 1331.

Bertrandus desistat a tractatibus cum Manfredo de Lando.

IX. Ibid. JOANNES XXII. Bertrando, &c.

Inc. *Miramur admodum, &c.*

TRactatus quosdam *reintroductionis* in urbem Placentiam cum Manfredo de Lando incœperat Bertrandus.

Miratur Pontifex tam cito excidisse ex ejus mente quid egerint introducti Terdonam, quid introducti Bononiam, scelera, quæ in Ecclesiam, in cives suos Manfredus patrarit, & quæ contra eum sit machinatus.

Illi ergo consulit, ut tractatum omnem interrumpat.

Sed si de non inferendo damnum civitati civibus, fidelibus idoneas præstiterit cautiones, eidem concedere, sicut expedire videbitur, poterit, quod extra civitatem prædictam existens gaudere valeat bonis suis.

D. Aven. XVII. Cal. Febr. P. a. XVI. a. D. 1331.

De Borgognoni de Fontana civis Placentini postulatis.

X. Ibid. p. 1453. JOANNES XXII. Bertrando, &c.

Inc. *Illos libenter, &c.*

BOrgognonus de Fontana significavit Pontifici, se & suos pro sanctæ Sedis defensione multos labores pertulisse, multa fuisse detrimenta passos. Proinde illi supplicavit, ut sibi provideret *de aliquo redditu, vel proventu, vel pensione annua per eum quoad viveret percipienda, vel tenenda per eum*, ut Legato videbitur.

Hoc postulatum Borgognoni notum facit Bertrando Joannes, ut inquirat, ubi possit aliquid illi assignari, & rescribat.

D. Aven. II. Cal. Aug. P. a. XVI. a. D. 1331.

Ibid. *Mandatum civitatis Placentiæ syndicis suis, ut subsidiant urbem cum agro S. Sedi.*

„ NOn erit grave Lectori, si mandatum, quod „ commune Placentinum dedit syndicis suis subjiciendi urbem, & districtum imperio S. Sedis hic „ apponamus. In illa enim urbe erat rector missus a „ Pontifice, qui eam a Ducibus Mediolanensibus defenderet jam antea, eratque Placentia una ex iis „ urbibus Lombardiæ, quæ contra Gibellinos pro Pontifice, seu Guelphis stabant.

In palatio communis omnes cives erant congregati coram Archiepiscopo Mediolanensi, & Episcopo Placentino & aliis, *constituerunt que syndicos ad exequenda infrascripta, pro seipsis, & eorum successoribus scientes, & recognoscentes se fideles, & subditos S. R. Ecclesiæ, & sanctissimi in Christo Patris Joannis XXII. ipsam civitatem cum toto districtu suo declararunt esse, & esse debere suppositam, & immediate subjectam dominio, & regimini temporali dictæ S. R. E.*

I. Se perpetuo obtemperaturos mandatis ipsius Ecclesiæ, & succedentium Pontificum,

II. *Se recepturos, & generalites retenturos, habituros, & reputaturos in suum verum, & generalem rectorem illum, & illos, quem, & quos ipse Dominus Papa vel qui eidem successerit, vel commiserit, elegerit, seu miserit in rectorem*, & obtemperaturos eidem rectori, vel rectoribus.

III. Se nunquam discessuros *a potestate, & jurisdictione dicti Domini Papæ, & Romanæ Ecclesiæ, & succedentium in eadem*,

IV. Se orare Pontificem, ut urbem, districtum, homines, *bona recipiat, & retineat sub sua jurisdictione, & protectione, ita quod perpetuo temporaliter subesse non possint, vel debeant alteri, quam ipsi Domino Papæ, & Romanæ Ecclesiæ, & succedentibus in eadem; & ipsius legatis, vel aliis, quos ipse Papa, vel Ecclesia, vel succedentes suo nomine committeret supradicta;*

V. *Ipsius civitatis regimen committi non debeat alicui habenti in Lombardia alicujus civitatis dominium, vel regimen.*

VI. Jurabunt Syndici nomine communis, commune hæc omnia observaturum esse.

Apponuntur nomina civium, qui interfuerunt actis.

Gesta sunt hæc die Lunæ XXXI. Sept. a. 1331.

Progressi Avenionem Syndici urbem cum districtu subjecerunt nomine Placentini communis imperio S. Sedis. Die XXV. Nov. a. 1331. Ibid. p. 1465.

De institutione mercatus in Burgo novo.

JOANNES XXII. Bertrando, &c. XI. Ibid. p. 1469.

Inc. *Significavit, &c.*

IN Burgo novo districtus Placentini, antequam destrueretur a Galeatio de Vicecomitibus, solebant fieri mercatus *infra quoslibet quindecim dies cujuslibet mensis successive.*

Leonardus de Arcellis miles Placentinus ibidem habebat possessiones, & bona sua, locumque refecerat.

Supplicavit igitur Pontifici, ut liceret mercatum rursus ibidem instituere.

Id mandat Pontifex Bertrando, ut executioni demandari faciat in commodum eorum populorum.

D. Aven. VI. Id. Dec. P. a. XVI. a. D. 1331.

Litteræ recredentiales ad commune Plac. datæ ejus Syndicis.

JOANNES XXII. Communi civitati Placentiæ. XII. Ibid.

Inc. *Pridem ad nostram, &c.*

SIgnificat Pontifex communi, se recepisse ejus oratores; se non posse commendare satis ejus devotionem erga S. Sedem;

Se eos benigne audisse cum intuitu communis, tum eorum probitatis;

Se illos ad illud remittere cum instrumentis acceptationis urbis, & oratores ei dicturos, quo animo sit in illud: *certe illum reperiet, quantum cum Deo poterit propitium, & benignum.*

D. Aven. Id. Janu. P. a. XVI. a. D. 1332.

Civitati Plac. dantur privilegia.

JOANNES XXII. Communi civitatis Placentinæ. XIII. Ibid. p. 1470.

Inc. *Romana mater, &c.*

REpetit Joannes quæ mandata commune Placentinum dederit Syndicis suis, Jacobo de Strictis, & Oberto de Arcellis, cum se Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subjecit; quæ quidem mandata strictim superius attulimus.

I. Volens autem Pontifex argumentum sui in illud amoris dare dat illi facultatem *de assensu, & auctoritate præsidentis nunc* vel in futurum pro Romana Ecclesia mutandi, condendi statuta, provisionesque, auggendi gabellas, immjnuendi pro temporum, & negotiorum varietate;

II. Decernit, ut omnes causæ civiles *per judices, & alios officiales in eadem civitate auctoritate Pontificis, & ejusdem Ecclesiæ deputatos, & deputandos, sicut solitum fuit hactenus fieri, examinentur, & terminentur ibidem, ita quod per viam appellationis, vel supplicationis, aut alias extra civitatem ipsam extrahi, seu deduci nequeant.*

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Aven. VI. Id. Jan. P. a. XVI. a. D. 1332.

Præficiuntur duo Vicarii urbi, & districtui.

XIV. Ib.p.1471. JOANNES XXII. Magistris Raymundo Bernardi de S. Artemia Bononiensis, & Petro Marini Pergamensis Ecclesiarum Archidiaconis civitatis Placentiæ, ejusque comitatus, & districtus Vicariis.

Inc. *Cupientes, &c.*

CUpiens Joannes fovere Placentiæ, & agri Placentini quietem deputat prædictos Magistros in solidum Vicarios urbis, & districtus ad beneplacitum, & S. Sedis;

Quibus dat facultatem instituendi, destituendi officiales, & ministros, *prout cognoverint expedire*;

Iis dat jurisdictionem temporalem, & *insuper spiritualem in fulcimentum temporalis duntaxat in casibus necessariis.*

D. Aven. XIV. Calend. Sept. P. a. XVIII. a. D. 1333.

Hortatio ad civitatem, ut permaneat in fide, & pareat Capitaneo.

XV. Ib.p.1472. JOANNES XXII. Communi Plac.

Inc. *Constantia puræ, &c.*

PErseverantia est virtus illa, quæ coronatur a Domino.

Igitur ne cessent Placentini in ea fidelitate, quam Romanæ Ecclesiæ præstiterunt, permanere constantes.

Bertrandus Episcopus Ostiensis S. Sedis Legatus Capitaneum in illa urbe deputaverat Berengarium de Carisiaco Canonicum Ecclesiæ S. Pauli Narbonensis.

Illi ergo Placentini pareant, ita *ut æmulis, & hostibus, præsertim vigente præsentis temporis malitia, nullo modo patere valeat aditus ad eamdem.*

D. Aven. Die VI. Nov. P. a. XVIII. a. D. 1333.

Hortamentum, ne Commune Placentiæ recedat a fide.

XVI. Ib.p.1473. BENEDICTUS XII. Communi Plac.

Inc. *Non miremini, &c.*

DUrgat se Benedictus, si diutius retinet oratores communis. Tot enim, tantaque sunt negotia, quæ peragere debet, ut eos audire hactenus non potuerit.

Eos hortatur ad constantiam in fide erga Romanam Ecclesiam,

Ait, se scribere ad Azonem de Vicecomitibus, & ad Albertum, & Mastinum de la Scala, ne Placentinos perturbent.

Dat. apud Pontem Sorgiæ Aven. Diœc. VIII. Cal. Aug. P. a. I. a. D. 1334.

Pro Placentinis ad Azonem de Vicecomitibus.

XVII. Ib.p.1474. BENEDICTUS XII. N. V. Azoni, &c.

Inc. *Cum sicut, &c.*

ROgat Azonem Benedictus, quoniam *civitas Placentina cum suo districtu sub manu Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ gubernatur, & tenetur ad præsens, sicut etiam diutius sub dominio ejusdem Ecclesiæ fuisse noscitur gubernata,*

die urbem, aut partem aliquam ejus comitatus perturbet; perturbatio enim illius, & hujus fieri non potest, *Pontifice, & Ecclesia remanentibus inoffensis.*

D. ut supra.

Idem scripsit ad Fratres de la Scala Veronæ Dominos,

Mittitur Nuntius Sedis A. ad Placentinos.

GREGORIUS XI. Communi Plac. XVIII. Ib.p.1477.

Inc. *Antiquam devotionem, &c.*

GRatulatur Gregorius Placentinis, quod tyrannidis Vicecomitum jugum excusserint, lætius, liberiusque vivant. Experti duram eorum servitutem, quam dulce sit Ecclesiæ dominium sentire possunt.

Possunt etiam esse exemplo finitimis populis, quid sibi agendum sit, ut e miseriis, ærumnisque evadant;

Se ait eorum felicitati semper provisurum esse;

Se ideo mittere ad illos Ubertum Abbatem Monasterii S. Joannis Evangelistæ *eorum origine concivem, eorumque libertatis, & status prosperi zelatorem, de quo merito debent confidere, & sperare; cujus relatibus, consiliis, & persuasionibus utique fidelibus, & providis curent fidem plenariam adhibere.*

D. Aven. VII. Id. Dec. P. a. II. a. D. 1372.

In territorio Placentino constituitur Capitaneus.

GREGORIUS XI. Danieli de Canreto Priori Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani in Lombardia, Rectori provinciarum campaniæ, & maritimæ, ac Capitaneo totius territorii Plac. pro Pontifice, & R. Ecclesia. XIX. Ib.p.1478.

Inc. *Ex fideli, &c.*

PErspectam habens Gregorius fidem, prudentiam, integritatemque Danielis jam expertam in arduis, difficillimisque negotiis,

Eum Capitaneum Generalem in toto territorio Placentino, & circumvicinis partibus pro se, & Romana Ecclesia constituit, sub obedientia tamen Guillelmi tit. S. Angeli Diaconi Cardinal. in nonnullis Italiæ terris R. Ecclesiæ immediate subjectis pro Ecclesia in temporalibus Vicarii Generalis ad beneplacitum suum, & S. Sedis constituit.

Eum horratur, ut sedulo, & attente officium exerceat, ut Dei, & S. Sedis gratiam sibi promereatur.

D. Aven. VIII. Cal. Mart. P. a. IV. a. D. 1374.

Decernitur, novum compartitum agri, & districtus Placentini esse servandum.

PAULUS III. Priori, & Antianis civitatis nostræ Placentiæ. XX. *In folio separato.*

Inc. *Accepimus quod, &c.*

CIvibus Placentinis indulserat Leo X. (quod indultum approbarant subsequuti Pontifices) ut *nova descriptio de agro, & districtu civitatis Placentinæ, novum compartitum nuncupata* fieret; factamque confirmarat, jusseratque observari Paulus.

Tamen *nonnulli universitates, & particulares personæ bona in dictis agro, & districtu possidentes* juxta novum compartitum *onera solvere indebite* recusabant; *& causas super validitate dicti compartiti, & litterarum Pauli subreptione certis judicibus etiam forsan in Romana curia committi obtinuerunt.*

Pontifex, *ne compartiti effectus retardetur*, mandat, *compartitum prædictum juxta consuetudinem hactenus observatam factum juxta formam capitulorum observari, ac debitæ executioni demandari*, & a nemine impediri, vel retardari. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXVIII. P. a. I. a. D. 1535.

Confirmantur capitula Mercatorum Placentiæ.

URBANUS VIII. ad p. r. m. XXI. B.R. t.5. p.5.p.169. C. C.

Inc. *Ex injuncto, &c.*

NE destituerentur Nundinæ cambiorum Placentiæ cum magno incommodo, & totius Italiæ, & exteterarum nationum, Mediolanenses, Florentini, Veneti, & Bononienses mercatores capitula quædam fecerant (quæ non apponuntur in Bulla.)

Tum Placentini orarunt Pontificem, ut ad majus eorum robur ea confirmaret.

Per præsentes litteras id facit Urbanus. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum die XXIX. Nov. P. a. I. a. D. 1623.

DE PARMENSI.

Gratulatur Pontifex Parmensibus de concordia inter se facta.

XXII. Ex Lunig. t. 2. p. 1435. INNOCENTIUS IV. Potestati, Consilio, & Communi Parmensi.

Inc. *Impleverat eor, &c.*

DIvisus fuerat Parmensis Populus, & licet bona pars staret pro Pontificibus, aliquot tamen stabant pro Imperatore. Hinc rixæ, hinc strages, hinc devastationes agrorum. Tandem concordiam inierunt.

De hac gratulatur iis Pontifex; quam vix ac audivit incesserat lætitiis omnibus; cum vero litteras Parmensis Communis id testantis accepit, sese gaudium supereffudit.

Eos laudat, quod statuerint se Friderico Imperatori opponere, & urbem, & agrum suum ab illo tutari.

Sperat eos in hoc proposito perseveraturos.

Hæc constantia efficiet, ut Pontifex *illis reddatur in opportunitatibus promptior.*

Iis significat, se dedisse Parmensi Episcopo Vitali facultatem absolvendi Parmenses extrinsecos, si ad unitatem venirent.

D. Assisii XV. Cal. Junii P. a. X. a. D. 1252.

Excitantur Parmenses, ut se Ecclesiæ imperio subjiciant.

XXIII. Ib.p.1441. JOANNES XXII. Guillelmo, Rolando, & Andreasio de Rubeis Parmensibus.

Inc. *Noveritis nos, &c.*

ALias scripserat Joannes ad prædictos fratres de Rubeis, ut Fratrum de Vicecomitibus excusso jugo se, civitatemque Parmensem imperio Ecclesiæ submitterent.

Iique responderant, se non posse.

Nunc, cum jam Placentini Ecclesiæ se submisissent, ansam capit Joannes ex eorum exemplo defectionem a Vicecomitibus eis proponendi.

Placentinos laudat, quod vere sapuerint, quod opportuno tempore partes Ecclesiæ amplexando validissimum contra quoscunque hostes propugnaculum sibi paraverint.

Dent Parmenses hoc sui amoris in Ecclesiam argumentum &c.

D. Aven. III. Non. Nov. P. a. VII. a. D. 1322.

Ad Fratres de Corrigia, ut moveant Parmenses ad se Ecclesiæ submittendum.

XXIV. Ib.p.1442. JOANNES XXII. NN. VV. Simoni, Guidoni, & Azoni natis q. Giberti de Corrigia militis.

Inc. *Parmenses cives, &c.*

SIgnificat præfatis viris Pontifex, Parmenses e vestigiis suorum majorum aberrantes, licet videant se in lubrico pedes ponere, nolle in rectum tramitem redire.

Inanis autem illorum purgatio est, *se id non posse perficere.* Siquidem iisdem cum circumstantiis luctabantur Placentini, tamen a tyrannico jugo se subduxerunt.

Quare mandat iisdem Fratribus de Corrigia Pontifex, ut cum Parmæ rectoribus, cum magnatibus colloquantur, eosque moveant ad amplectendas Ecclesiæ partes, seque illi submittendum.

D. Aven. III. Non. Nov. P. a. VII. a. D. 1322.

De postulato quodam Parmensium.

JOANNES XXII. Bertrando, &c. XXV. Ib.p.1443.

Inc. *Dilecti filii, &c.*

MAnfredinus, & Thomas Pallavicini Ecclesiæ acerrimi adversarii damnati de hæresi fuerant, eorumque bona, *quæ habebant in Curiis Soraneæ, Parolæ, & Curiæ Redaldi Parmensis, & Cremonensis propterea fuerant Romanæ Ecclesiæ confiscata.*

Nobiles Viri Montinus, Hugolotus, Guido, Bonifacius, Antonius, & Raymundinus de Lupis cives Parmenses *pro eminenti briga ab indevotis Romanæ Ecclesiæ damna gravia incurrerant.*

Populus igitur, & Commune Parmense supplicarunt Pontifici, ut assignatione bonorum Pallavicinorum compensaret Fratrum de Lupis accepta damna.

Mandat Joannes Bertrando, ut de his inquirat, rescribatque.

D. Aven. IX. Cal. Febr. P. a. X. a. D. 1325.

Ad Episcopum Parm. quod Parmam Sanctæ Sedi subjecerit.

JOANNES XXII. Hugolino Episcopo Parmensi. XXVI. Ib.p.1447.

Inc. *Lætanter audivimus, &c.*

ADeo Hugolinus Episcopus suique Fratres Rolandus, & Marsilius de Rubeis effecerunt, ut *Parmensis civitas sub Pontificis speciali regimine sponte, & liberaliter se summiserit.*

Quamvis autem dum a fratribus Episcopi ea civitas regebatur dici poterat sub imperio S. Sedis, tamen nunc vere sub ejus ditione est;

Episcopum autem hortatur, ut curet, ut *eadem civitas erga Pontificem, & Romanam Ecclesiam in devotionis, & fidelitatis soliditate persistat.*

Eum etiam rogat ut Legato Bertrando consiliis, & auxiliis assistat, speque eum replet Joannes.

D. Aven. IX. Cal. Nov. P. a. XI. a. D. 1326.

Hortatio ad Parmenses, ut in fide permaneant.

JOANNES XXII. Regiminibus, Consilio, & Communi Parmentibus. XXVII. Ibid.

Inc. *Lætanter audivimus, &c.*

LAudat Joannes Parmenses, quod semper devotionem suam in S. Sedem ostendere studuerint; sed multo magis eos laudat, quod se ejus imperio subjiciendo evidentissimum argumentum suæ in eam venerationis dederint

Poterunt tamen hoc idem argumentum illustrare magis, si in data fide constantes permaneant.

Certe permanendo uberiores, ampliores que favores, gratiasque ab Ecclesia sibi promerebuntur.

Eos rogat, ut Cardinali Legato Bertrando consiliis, auxiliisque assistant.

D. Aven. IX. Cal. Nov. P. a. XI. a. D. 1326.

Grates aguntur Fratribus de Rubeis, quod effecerint, ut Parmenses se dederent Ecclesiæ.

JOANNES XXII. Rolando, & Marsilio de Rubeis familiaribus nostris. XXVIII. Ib.p.1448.

Inc. *Quamvis fidelitate, &c.*

QUamvis civitas Parmensis, dum a Rubeis regebatur merito censeri poterat Ecclesiæ subdita, tamen quod illi effecerint, ut se publice Ecclesiæ subjectam manifestaret; *cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendat eos Joannes.*

Tum eos rogat, ut eamdem civitatem constantem in fide erga Ecclesiam retinere annixe studeant.

D. ut supra.

De quodam monte in diſtrictu Parmenſi ab Azone de Corrigia deſiderato in Feudum.

XXIX. Pb.p.1473. BENEDICTUS XII. Epiſcopo Mantuano, Abbati Monaſterii S. Mariæ Vallis Serenæ, & Præpoſito Eccleſiæ S. Donini de Burgo.

Inc. *Significavit nobis, &c.*

IN *villa, quæ vocatur* Caſterignanum, *diœceſis Parmenſis mons eſt, qui non extenditur per ſummitatem in aliqua parte ſui per dimidiam baliſtratam, in quo Parmenſis Eccleſia non habet in ſolidum omnia, ſed in eo habere dicitur certa jura; & Azo de Corrigia juxta dictum montem, & in contratis, & locis circumſtantibus dicto monti habet magnas poſſeſſiones, & homines vaſſallos, & fideles ultra octingentos; & idem mons fere dignoſcitur aptus ad munitionem conſtruendam ad modum arcis;* nullam utilitatem ex eo Eccleſia Parmenſis percipiebat.

Azo pro tuitione, & defenſione dictorum vaſſallorum ſupplicavit Pontifici ut prædictum montem ſibi, & ſucceſſoribus ſuis daret in feudum perpetuum;

Benedictus mandat prædictis Prælatis, ut omnes, vel duo, vel unus de hoc inquirant, reſcribantque.

D. Aven. V. Id. Oct. P. a. V. a. D. 1338.

Allibratio honorum territorii Parmenſis reformata confirmatur, & ſervanda præcipitur.

XXX. In folio ſeparato. CLEMENS VII. Communitati civitatis noſtræ Parmenſis.

Inc. *Sedis Apoſtolicæ, &c.*

ALlibratio onerum ordinariorum, & extraordinariorum ſuper bonis territorii civitatis Parmenſis annos ſexaginta & octo, vel circa antequam is Ducatus ad S. Sedem deveniret, facta fuerat.

Plura bella inter eos annos Ducatus paſſus fuerat, quibus factum fuit, ut in eo territorio *plurima* innovata *extitiſſent*. Quare *onera prædicta cum imponebantur, propter bonorum dicti territorii ſubſequutas alienationes, & perſonarum deſcriptarum obitus, nullatenus, aut difficillime exigi poterant*. Parmenſis igitur Communitas facultatem ab Julio II. tum a Clemente VII. obtinuit allibrationem ipſam reformandi, nonnullaſque ordinationes, & ſtatuta edendi *incolarum*, & *habitatorum* ejuſdem Ducatus *utilitatem*, & dictorum onerum faciliorem exactionem concernentia.

Eadem Communitas, & allibrationis reformatæ, & ſtatutorum petiit a Clemente confirmationem.

Examinanda, & hæc, & illam dedit Clemens Cardinali Joanni de Salvianis Galliæ Ciſpadanæ Legato a Latere, quo ea eſſe *juſta, & honeſta, ac ſacris canonibus non contraria* referente, illam, & hæc Clemens confirmat, ſupplet defectus, jubet onera poſthac juxta editam allibrationem imponi, & exigi, neque his literis derogari umquam vult, niſi earum facta expreſſa mentione, & *ſignatura manu Pontificis ſignata*.

Sic ab omnibus judicibus juxta hanc conſtitutionem judicari mandat.

Idem Cardinalis Legatus, Vicelegatus, Gubernator, & alii Officiales Eccleſiaſtici civitatis, & territorii Parmenſis hujus conſtitutionis executores deputantur, ut *has litteras inviolabiliter obſervent, & obſervari faciant* per cenſuras &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XXVIII. Jul. P. a. X. a. D. 1533.

Aloyſius Farneſius, & ejus deſcendentes inveſtiuntur Ducatu Parmenſi, & Placentino.

XXXI. Ex Lunig. t. 2. p. 1489. PAULUS III. ad p. r. m.

Inc. *In ſupereminenti, &c.*

REvolverat mente Paulus, *quod civitates Placentiæ, & Parmæ Provinciæ Galliæ Ciſpadanæ a reliquo ſtatu, & dominio temporali S. R. Eccleſiæ disjunctæ, & ſeparatæ, ac exinde plurimis in dies periculis expoſitæ erant, maximiſque pro earum cuſtodia ſumptibus indigebant, & quod ſi aliquando ab aliquo occupatæ fuiſſent, quod non ſemel tentatum fuerat, præter earumdem civitatum amiſſionem S. Sedem bellis involvi, omnemque ejus ditionem in periculum conjici neceſſe erat.* Quibus incommodis mederi volens Paulus, habita cum fratribus matura deliberatione, *de eorum conſilio, & aſſenſu, ex præmiſſis, & certis aliis animum ſuum moventibus cauſis Card. Camerario vivæ vocis oraculo mandavit, ut receptis ab Octavio Farneſio urbis præfecto, & tunc Camerini Duce, Ducatus Camerinenſis, & a Petro Aloyſio Farneſio Caſtri Duce ejuſdem R. Eccleſiæ Confalonerio, & Capitaneo Generali, civitatis Nepeſinæ pro juribus eis in eadem civitate reſpective competentibus ceſſionibus, quas idem Petrus Aloyſius in favorem Sedis, & Eccleſiæ prædictarum, ſi civitates ejuſmodi ſibi in feudum concederentur offerebat, civitates prædictas eidem Petro Aloyſio Duci in feudum concederet.*

Quibus ceſſionibus admiſſis, Camerarius *eaſdem Parmæ, & Placentiæ civitates cum illarum comitatibus, diſtrictibus, &c. eidem Petro Aloyſio Duci pro ſe, quoad viveret, & deinde Octavio ejus nato, eorumque deſcendentibus maſculis in perpetuum pro annuo cenſu novem millium Ducatorum auri de Camera, Cameræ prædictæ in vigilia, ſeu feſto BB. AA. Petri, & Pauli de menſe Junii in recognitionem ſupremi dominii annis ſingulis in Romana Curia ubicumque fuerit ſolvendorum in Feudum nobile, avitum, & antiquum conceſſit.*

Pontifex vult, hanc conceſſionem perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari debere, nec poſſe infringi; vetatque ſucceſſores ſuos Pontifices ab hac conceſſione *reſilire poſſe*;

Præfatas civitates Parmam, & Placentiam erigit in Ducatum, & territoria, & urbes vult gaudere titulis, honoribus, & prærogativis Ducalibus;

Confirmat ſolutionem a Duce pro tempore faciendam novem millium Ducatorum S. Eccleſiæ;

Supplenſque omnes defectus Petrum Aloyſium, & ejus filium Octavium, & Octavii primogenitum, & alios deſcendentes in perpetuum Duces Parmæ, & Placentiæ declarat, & conſtituit,

Approbatque translationes Camerini, & Civitatis Nepeſinæ pro urbibus Parmæ, & Placentiæ.

Decernit, præſentes litteras vim validam habere, & habituras ſemper probationis infeudationis factæ &c.

Mandat Communitatibus eorum locorum ut in veros ſuos Duces, & Dominos recipiant, colant, & venerentur, ut colebant Pontificem, & Eccleſiam, Aloyſium, & Octavium, eorumque deſcendentes.

Executores deputantur Epiſcopi Placentinus, & Parmenſis, & Auditor Generalis Cameræ Apoſtolicæ. N. O.

Apponitur inſtrumentum.

Cauſæ exponuntur, quare Paulus inveſtiat de his urbibus Aloyſium Farneſium. Dictæ ſunt in Bulla; quia nimis diſtant, &c.

Merita familiæ Farneſiæ in S. Sedem narrantur, Aloyſius Firmanos rebellantes repreſſit, Camerinum ex eorum manibus extorſit, Peruſinos, qui deſciverant a Papa, & Eccleſia ad obedientiam redegit.

Amplificatur utilitas quæ redundat in Eccleſiam ex poſſeſſione Nepeti, & Camerini, & ex cenſu ſolvendo a Ducibus quovis anno.

Tum narratur inveſtitio facta a Cardinali Camerario, recitanturque nomina teſtium, poſtquam ab Aloyſio facta fuit ceſſio Camerini, & Nepeti.

Nomina locorum utriuſque territorii Parmenſis, & Placentini recenſentur; quæ dantur Aloyſio, & ſucceſſoribus cum juribus habentiis, & pertinentiis, &c.

Procurator Aloyſii abſentis habilis declaratur ad accipiendam infeudationem, qui nomine Aloyſii promiſit ſolutionem novem millium Ducatorum auri faciendam annuatim, &c.

Ducatus tranſeat a primogenito in primogenitos maſculos, *ita quod primogeniti hujuſmodi intelligantur, & eſſe debeant nati ex proprio utero uxorum conſtante matrimonio concepti, Romani Pontificis, vel alterius cujuſcumque, principis legitimatione, ſeu qualibet alia diſpenſatione circa ipſorum filiorum legitimationem penitus, & omnino excluſa.*

Si aliquis ſucceſſor decedet ſine filiis maſculis, *ſuccedat alius filius major natu ſuperſtes, ita tamen quod ſemper proximior ultimo defuncto ſuccedat.*

Si nulli ex Octavio erunt filii, feudum tranſeat ad ejus fratrem Horatium; ſi non extabit, ad Horatii primogenitum, & deficiente primogenito ad ſecundum genitum; etiam clerici ſint habiles ſucceſſionis; ſed ſi ſint

ſint in majoribus ordinibus conſtituti ſint excluſi; Regulares omnino excluduntur.

Dantur facultates annexæ dignitati Aloyſio, & ſucceſſoribus, cudendi monetam, meri, & mixti imperii, &c. vendendi quamlibet quantitatem ſalis;

Demum Joannes Nicolaus Aloyſii procurator juramentum fidelitatis in manu Camerarii dedit. Apponitur.

Partes promiſerunt ſtipulationem inſtrumenti, renunciaveruntque omni exceptioni doli, fraudis, &c.

Quæ omnia rata habet Paulus.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Marcum VII. Cal. Sept. P. a. XI. a. D. 1545.

Cardinales viginti quatuor ſe ſubſcribunt.

De violenta morte Petri Aloyſii Ducis Parmenſis ad Carolum V.

XXXII. Ib.p.1516. PAULUS III. Carolo (V.) Romanorum Imperatori.

Inc. *Credimus majeſtatem, &c.*

PEtri *Aloyſii Primi Parmenſis Ducis violentam cædem, & immanem a nonnullis ſceleratis, & impiis civibus* (Pallavicino, Lando, Anguſciola, Confanoniero) *Placentinis ejus ſubditis contra omnia etiam gentium jura, & contra juſjurandum ab illis ei præſtitum perpetratam* ſignificat Carolo Paulus, *quam illi pluribus de cauſis diſplicere non dubitat.*

Doluit valde Pontifex, ſed dolorem auxit Nuntius, *Ferrantem Gonzagam Mediolani pro Cæſare Gubernatorem Placentiam cum magno militum præſidio ingreſſum fuiſſe*, eumque dictitare, ſe illam nomine Cæſaris tenere. Nuntius accidit moleſtiſſimus Pontifici, qui Cæſarem ſemper dilexit, Eccleſiæ, cujus Cæſar eſt advocatus, & Duci Octavio Cæſaris genero, & Octavii filiis. Rumor etiam diſſeminatus fuerat, Cæſarem in Pontificem bellum parare.

Sed hoc credere Paulus nequit, cum ſciat quanta cura Cæſar cuſtodiat famam ſui nominis.

Ait, ſe ad illum mittere Nuntium, qui *omnia plenius illi referat.*

Ipſi eumdem Nuntium commendat, rogatque, ut jubeat Gonzagam Placentia milites deducere. Sic ſibi Pontificem, propinquos Pontificis arctius devinciet.

D. Peruſiæ Die XX. Sept. P. a. XIII. a. D. 1547.

De eodem argumento ad Ferdinandum I. Romanorum Regem.

XXXIII. Ib.p.1507. PAULUS III. Ferdinando Romanorum Regi electo.

Inc. *Affecti magno, &c.*

SIgnificat Ferdinando Paulus mortem Ducis Aloyſii, invaſionem Placentiæ factam nomine Cæſaris a Gonzaga,

Miſſionem Nuntii ad eumdem Cæſarem,

Quem quidem Nuntium rogat Regem, ut benigne audiat, *faciet in hoc rem gratiſſimam Pontifici, & ipſius Cæſaris honori, & gloriæ conſulet.*

D. ut ſupra.

Incolæ Urbis, & agri Parmenſis trahi non poſſint ad tribunalia extra Ducatum in cauſis appellationum.

XXXIV. In folio ſeparato. PAULUS III. ad f. r. m.

Inc. *Noſtro convenit, &c.*

VIdens Paulus damna gravia redundantia in civitatem, & Diœceſim Parmenſem ex eo quod ibidem nullus judex erat, *qui cauſas appellationum ad Pontificem, & ſedem A. pro tempore interpoſitarum aliis audiendas committere, & delegare poſſet*, ſed incolæ cogerentur, vel venire, vel mittere Romam; *ex quo ſiebat, ut partes maximis laboribus, & expenſis afficerentur, & aliquando tædio laborum, & expenſarum, quas perferre non poterant, a ſuarum cauſarum proſequutione deſiſterent, & illas deſtituerent, ſicque eorum jura, & actiones in maximum eorum damnum deperirent*, volenſque his incommodis, maliſque *opportune providere motu proprio, & ex certa ſcientia* auctoritate Apoſtolica ſtatuit,

Ut modernus, & pro tempore exiſtens Archipresbyter, ſeu, illo a dicta civitate abſente, antiquior reſidens Canonicus Eccleſiæ Parmenſis omnes, & ſingulas beneficiales, matrimoniales, & aliar quaſcumque ad forum Eccleſiaſticum pertinentes cauſas appellationum in civitate, & diœceſi prædictis a quibuſvis illarum judicibus ordinariis, & delegatis, etiam vigore litterarum Pontificiarum in forma Brevis pro tempore deputatis in quacumque inſtantia interponendarum cum omnibus, & ſingulis earum incidentibus, dependentibus, annexis, & connexis, etiam ſummarie, ſimpliciter, & de plano, & ſine ſtrepitu, & figura judicii aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, vel alias juxta conſtitutionem fel. record. Bonifacii Pp. VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Statutum, &c. *qualificatis dicta Apoſtolica auctoritate audiendas, cognoſcendas, diffiniendas, & ſine debito terminandas committere, & delegare valeat.*

Tum exponit hujus commiſſi, & delegati judicis jura, ut poſſit citare teſtes per edicta, eos examinare, non parentes cogere per cenſuras, Eccleſiaſticum interdictum apponere invocare brachium ſæculare, &c. N. O.

Nunquam his litteris derogari vult niſi expreſſa, ac verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentio fiat.

D. Romæ apud S. Petrum Die IV. Nov. P. a. IV. a. D. 1547.

Monitorium, quo citatur Romam Octavius Farneſius.

JULIUS III. ad p. r. m. XXXV. Ex Lunig. t. 1. p. 1508.

Inc. *Sicut humiles, &c.*

OCtavius Farneſius erat Confalonerius, & Capitaneus Generalis Eccleſiæ, erat Eccleſiæ feudatarius, & ſtipendiarius, proinde vi juramentorum ſuorum nec poterat alicui principi ſervitium ſuum militare præſtare, nec in ſuas urbes poterat admittere milites alterius Principis, inſcio, imo invito Pontifice.

„ Cum vidiſſet Octavius occupatam Placentiam a „ militibus Cæſaris, & omnia officia eſſe irrita, cum „ Henrico II. Galliarum Rege fœdus iniit, in Par„ mam Gallos introduxit, promiſeratque ſe militatu„ rum una cum Filio ſuo, qui fuit celeberrimus Ale„ xander, qui pro Hiſpanis militavit in Belgio, in „ exercitu Henrici. „

Quæ cum audiviſſet Pontifex ſcripſit ad Octavium, ne ſub alio principe militaret, ne in Parmam Placentiamque alieni principis militiam induceret; conventiones factas irritaret. Sed perſtitit Octavius in ſua obſtinatione.

Julius mandavit Gubernatori urbis, ut inquireret, an relata de Duce Octavio vera eſſent; qui examinatis teſtibus retulit Pontifici eſſe illa veriſſima.

Pontifex itaque quamvis poſſet punire Octavium tamquam reum læſæ majeſtatis, & perjurum, cum ejus crimina ſint notoria, amiſſione feudorum, privilegiorum, gratiarum, &c. tamen ei dat dierum triginta terminos tres dierum decem pro quovis termino, ut coram Pontifice compareat; niſi compauerit pœnas expediet, & contra illum brachium chriſtianorum principum invocabit.

Cæterum veniat, annon veniat coram Pontifice Octavius niſi prius paruerit, & ſe ſubtrahendo a ſervitio alterius principis, & exteri principis copias e Parma ejiciendo, ſententia in illum pronunciabitur.

Rogat principes ne auxilium dent Octavio.

Vult affigi hoc monitorium valvis Baſilicæ S. Petri, Cameræ Apoſtolicæ, in acie Campi Floræ. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum III. Id. Apr. P. a. II. a. D. 1551.

Dux Octavius excommunicatur, & interdicitur.

JULIUS III. ad p. r. m. XXXVI. Ib.p.1515.

Inc. *Romani Pontificis, &c.*

PRæterlapſi termini erant in monitorio a Pontifice ſtatuti. Dux Octavius nec compauerat, nec docuerat, nec doceri fecerat, ſe contentis in monitorio paruiſſe, nec purgaverat ſe per ſe, nec per procuratorem.

Cum ille eſſet dies primus, quo habendum erat Conſiſto-

ciſtorium poſt elapſum terminum, *Julius divina providentia Papa III. in throno juſtitiæ Apoſtolicæ ſedis pro tribunali ſedens, & ſolum Deum præ oculis habens per ſuam declaratoriam, & definitivam ſententiam declarat* Octavium Farneſium repertum culpabilem læſæ majeſtatis, violati juramenti, contumaciæ, inobedientiæ eſſe excommunicatum,

Eſſe interdictum, & omnia loca, ad quæ veniet, & excipietur ſore interdicta, contra illum eſſe invocandum brachium forte, & extenſum Caroli Imperatoris, ut dejiciatur e locis Eccleſiæ; eſſe reſciſſam infeudationem, licet Paulus III. decreverit, eam non poſſe tolli, niſi ſi contra perſonam Pontificis machinaretur,

Eſſe abſolutos ſubditos ab juramento fidelitatis Octavio præſtito, eum ſpoliatum eſſe bonis, honoribus, privilegiis, &c.

Ita pronunciavit Julius,

Ita vult ab omnibus judicari,
Vult harum litterarum tranſimptis fidem præſtari.
Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum XI. Cal. Junii P. a. II. a. D. 1551.

Ferrantes Gonzaga deputatur Capitaneus S. Sedis contra D. Octavium.

XXXVII. JULIUS III. N. V. Ferranti Gonzagæ.
lb.p.1519.

Inc. *Cum nihil, &c.*

CUm nihil magis cordi Pontifici eſſet quam Parmam recuperare, quoniam ex ejus poſſeſſione Octavius Dux ob crimen feloniæ exciderat, & ad brachium ſæculare confugere debeat, nempe ad Carolum V.

Rogat Ferrantem ut exercitu illo, quem ſub ſe habet in eam recuperationem *incumbere velit*.

Eum proinde Julius creat Capitaneum Generalem cum omnibus prærogativis, honoribus, & auctoritatibus ſolitis, ob brevitatem temporis omiſſis ſolemnitatibus, permittitque illi ut ante ſe poſſit facere deferri vexillum S. Eccleſiæ.

Mandat omnibus officialibus, militibuſque, ut Generali *pareant, faveant, aſſiſtant*.

D. Romæ apud S. Petrum die VI. Junii P. a. II. a. D. 1551.

In expeditione contra Octavium Cardinal. Joannes Angelus de Medicis fit Legatus a Latere.

XXXVIII. JULIUS III. Joanni Angelo, &c.
lb.p.1520.

Inc. *Habebamus in animo, &c.*

UT moris erat, voluerat Pontifex Cardinalem Legatum a Latere nominare in Conciſtorio, ſed *quoniam ob chiragræ indiſpoſitionem* habere conciſtorium non poterat, & temporis anguſtiæ urgebant,

Pro recuperatione Parmæ in exercitu apud Capitaneum Generalem Eccleſiæ Ferrantem Gonzagam deputat Julius Legatum Joannem Angelum tit. S. Potentianæ Presbyt. Card. de Medicis nuncupatum; ut agant, & ille, & Capitaneus ſimul.

Vultque ab omnibus Card. Legato obedientiam præſtari. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die VII. Junii P. a. II. a. D. 1551.

De expeditione in Octavium ad Didacum Mendozam.

XXXIX. JULIUS III. Didaco de Mendoza Miniſtro Cæſareo,
lb.p.1521.

Inc. *Venit his, &c.*

PAucis diebus ante venerat ex Gallia in Italiam Horatius Farneſius Pauli III. nepos ab Eccleſia plurimis beneficiis affectus. Is confovens rebellionem Fratris Octavii *bis in agrum civitatis Bononiæ cum magna exulum, & damnatorum manu hoſtiliter invaſerat, bona ſubditorum diripuerat* impudentia, & fævitia tanta, ut immanius Turcæ non agerent.

Idem Horatius habet Caſtri Ducatum prope Romam. Quid timendum ab hujuſmodi juvene urbi non eſt?

Cum velit itaque Pontifex temeritatem tantam compeſcere, neceſſe habet ad Imperatorem confugere. Cum autem ſolus Mendoza apud Julium pro Imperatore ſit, cum rogat, ut cum militibus ſuis & Eccleſiæ Caſtrum eat, neque permittat illinc egredi Horatium terrorem allaturum Romæ.

Julius approbabit quæcumque Didacus aget, jubebitque Officialibus, & Miniſtris ſuis eidem obtemperare. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XXIII. Junii P. a. II. a. D. 1551.

Hortatio ad Odoardum Farneſium, ne permittat jura Sanctæ Sedis in Ducatu Parm. & Placent. lædi.

XL. URBANUS VIII. Odoardo Farneſio Parmæ, & Placentiæ Duci,
lb.p.1525.

Inc. *Calamitoſa, &c.*

CAlamitoſa temporum conditio diu Italiæ tranquillitatem perturbarat. Jam ſperabat Urbanus eam duraturam, cum accepit, Odoardum armare milites, copias comparare, e *quarum apparatu conterminis aliorum principum ditionibus materia dari poſſet ambigendi quo tenderent ejus conatus*, & inde occaſio belli ſumeretur,

Quare Urbanus ſemper pacem præ oculis habens miſerat ad Odoardum Magiſtrum Julium Mazarinum in utraque ſignatura Referendarium (is fuit Cardinalis primus Galliæ Regis miniſter) deinde Archiepiſcopum Thebanum, ut cum ad deponenda arma inducerent, & ſuum iis detegeret animum.

Reſponderat Odoardus ſe id facere neceſſitate, ut ſtatum ſuum defenderet,

Sed cum audiſſet Pontifex augeri apparatus, veritus eſt, ne id *in non modicum præjudicium S. Sedis redundaret*, & ne occuparentur illæ urbes, quas a S. Sede ille habebat in feudum.

Quod periculum ut avertat mittit ad illum Vice-Legatum Bononiæ, qui illi præſentes litteras dabit, quibus Pontifex vult præcavere S. R. Eccleſiæ juribus; quibus illi *inſinuat, ut accurate perpendat, quæ ſit ſua obligatio*, & vis juramenti, quo eſt obſtrictus S. Sedi cum inveſtituram feudorum accepit.

Illum monet, ut ſi quidquam violata fuerint S. Sedis jura, ſi damna illi illata, ille pœnas ſit daturus, & damna reparaturus.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXV. Aug. P. a. XIII. a. D. 1635.

De eodem argumento.

XLI. URBANUS VIII. Odoardo, &c.
lb.p.1527.

Inc. *Cum noſtras, &c.*

AD primas litteras Pontificis reſponderat Odoardus ſe parare milites in defenſionem ſui ſtatus.

Pontifex etiam illi ſcripſerat, ut videret ne quid detrimenti ea feuda, quæ ipſe ab Eccleſia habebat, caperent quoad jura.

Sed audierat Pontifex copias Ducis extra Ducatum fuiſſe deductas, vel eſſe in procinctu ut deducantur. Videt igitur ſtudia ſua pro pace a Duce perturbari; ideoque iterato monet Ducem, ut videat quid agat, meminerit juramenti; neque directe, neque indirecte permittat jura S. Sedis violari.

Fuſius de his rebus colloquetur cum illo Vice-Legatus Bononiæ.

D. Romæ apud S. M. Maj. die VI. Sept. P. a. XIII. a. D. 1635.

Deputatur Notarius qui duo ſupradicta Brevia data in manu Ducis teſtetur.

XLII. URBANUS VIII. Joanni Antonio Maſſano A. Sedis Notario.
lb.p.1529.

Inc. *Cum nuper, &c.*

SIgnificat Urbanus prædicto Maſſano, ſe miſiſſe duo brevia ad Odoardum Parmenſem Ducem, quorum exemplaria ad Maſſanum mandat; *& pro eorum faciliori præſentatione facienda*, elegiſſe Joannem Baptiſtam

ſtam Gorium Pannelinum Vice-Legatum Bononiæ, & ipſum Maſſanum, ut uterque, vel unus *poſſit ea Brevia clauſa aperire, & perlegere, teſtibuſque adhibendis oſtendere, copiamque, ac tranſumptum illorum ſumere, & claudere, & ipſi Odoardo Duci præſentare, & de præſentatione prædicta unum, vel plura inſtrumenta publica facere*.

Teſtatur, ſe approbaturum omnia, & ſingula, quæ ambo conjunctim, vel diviſim fecerint. N. O.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. die VII. Sept. P. a. XIII. a. D. 1635.

Die XXIV. Septembris Brevia Pontificia a præfatis præſentata fuerunt Duci, & rogatus fuit actus cum teſtibus.

Jubetur Auditor Cameræ Apoſtolicæ Franciottus imperare Duci, ut deducat copias ſuas e Ducatu Mediolanenſi.

XLIII. URBANUS VIII. ad f. r. m.
lb.p.1532.

Inc. *Alias a nobis, &c.*

NArrat Urbanus quid egerit, ut tuto duo brevia pervenirent ad Ducem.

Jam Notarius, & Vice-Legatus ea dederant Duci *tunc prope Valentiam in ejus obſidione cum ſuis militaribus copiis exiſtenti*.

Ne igitur quis violet jura S. Sedis ſuper Ducatum Parmenſem, & Placentinum, eo quod ejus Dux eſt cum militiis ſub Valentiam, ait Urbanus ſe jubere Auditori Cameræ, ut pœnas rebellionis, confiſcationis *bonorum*, revocationis inveſtitionis Ducatus, amiſſionis dignitatum, Conſaloneriatus, honorumque indicat Duci Odoardo, niſi militares ſuas copias ſtatim reducat *domum, abſtineatque ab actibus hoſtilibus;*

Quod ſi Dux intra tempus ab Auditore aſſignatum non paruerit, deveniat ad pronuntiationem ſententiæ.

Vult, ut Auditor monitorium legi intimarique ſaltem ſemel faciat Reſidenti Ducis Romæ, & affigi locis ſolitis Romæ.

Dat Urbanus facultatem eidem Auditori expediendi etiam cenſuras ſpirituales præter jam dictas pœnas in Ducem, ejuſque fautores, & conſiliarios, &c. N. O.

Per præſentes tamen non intendit Urbanus inhibere Duci propugnationem tutelamque Ducatus.

D. Romæ apud S. M. Maj. die VI. Aug. P. a. XIV. a. D. 1636.

Apponitur monitorium Auditoris.

Gubernatori Ducatus Mediol. ſignificat Urbanus, ſe revocaſſe domum Ducem Farneſium,

XLIV. URBANUS VIII. Marchioni de Leganes Status Mediolani Gubernatori, & Capitaneo Generali.
lb.p.1532.

Inc. *Aſſidua mentis, &c.*

NE ſuſpicaretur Marchio de Leganes conveniſſe Pontificem cum Duce Odoardo de obſidenda Valentia, & inferendo bello Ducatui Mediolanenſi,

Significat Urbanus eidem Marchioni, ſe per litteras, per Nuntios ſæpe monuiſſe illum ut deſiſteret a colligendis militibus, ne copias educeret e ſuo Ducatu, ne Mediolanenſes terras devaſtaret, eum revocatum per monitorium fuiſſe a Valentiæ obſidione.

Quæ cum ita ſint, videat Marchio, ne jura S. Sedis in hoc bello inſontis a militibus ſuis immiſſis in Ducatum Parmenſem violentur. Propellat quidem excurſiones hoſtiles, ſed nolit bello affligere Parmenſes, Placentinoſque innocentes.

Demat hanc anſam Duci Odoardo Marchio dicendi, ſe ut loca ſua defenderet a Gubernatore Mediolani, Mediolanenſis Ducatus urbes fuiſſe aggreſſum.

Jam in illum proceſſus parat Urbanus.

Hoc ait ſe ſperare a nobilitate, & generoſitate Marchionis.

D. in Caſtro Gandulpho die XXV. Oct. P. a. XIV. a. D. 1636.

Ad Hiſpaniarum Regem de eodem argumento.

XLV. URBANUS VIII. Philippo (III.) Hiſpaniarum Regi Catholico.
lb.p.1543.

Inc. *Non modo, &c.*

FUit domus Auſtriacæ vetus inſtitutum jura S. E. R. tutari, nec perturbare unquam; quæ quidem virtus maxime in Philippo eminet.

Proinde certo ſe ſcire, ait Urbanus, invaſiones, quas Hiſpanæ copiæ e Mediolanenſi Ducatu in agros Parmenſem, & Placentinum faciunt, eſſe præter Regis voluntatem;

Se de hoc Marchioni de Leganes ſcripſiſſe;

Se paratum eſſe contra Parmæ Ducem agere quod juſtum erit, ſed Parmenſes, & Placentinos eſſe inſontes, neque unquam de rege fuiſſe demeritos, cur ſpolientur bonis.

Quare Regem orat, ut jubeat deduci e Parmenſi, & Placentino Ducatu acies ſuas, non fieri excurſiones, non agi prædas.

Plura audiet a Nuntio A. Rex, cui præſtet integram fidem.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XV. Nov. P. a. XIV. a. D. 1636.

Jubetur viſitatio ſtatus Caſtri.

XLVI. URBANUS VIII. Ludovico Piccardo.
B. R. t. 6. p. 2. p. 297. C. C.

Inc. *Cupientes juſtis, &c.*

„ LIcet Ducatus Caſtri ſit in Patrimonio S. Petri, „ ideo ut ſeries habeatur Hiſtoriæ, Bullas ad il„ lum attinentes hic ponere ſatius credidimus, tum „ quia ſpectabat ad domum Farneſiam, cum quia ille „ cauſa fuit curbellum in Odoardum Ducem moveretur. „ Jacet inter Martam, & Portum Herculis; bello „ propter necem Epiſcopi Caſtri orto, & pactis tan„ dem compoſito, Ducatus hic, ſicut Roncilio, ceſſit „ Pontifici, qui Caſtrum urbem munitam funditus ever„ tit, & Epiſcopatum Aculam tranſtulit. „

Audierat jam Urbanus conſtrui in eo munitiones bellicas, conſcriptos fuiſſe milites, arma convecta, commeatus aſportatos.

(„ Timebat enim Odoardus Parmæ, Placentiæque „ Dux, ne prætextu æris alieni, de cujus ſolutione „ Ducatus hic, & terra Roncilionis, nunc urbs, ob„ noxius erat Pontificiæ Cameræ, Urbanus eum inva„ deret, & Nepotes ſuos Barberinos inveſtiret; ideo „ illud muniebat. „)

Deputat itaque Pontifex Ludovicum Piccardum, qui eo ſe transferat, urbem, & arcem viſitet, & alia fortalitia, & terram Montiſoletti. Si quos invenerit milites, terminum trium horarum indicat Gubernatoribus, ut eos dimittant; munimenta deſtruat, alio convehat arma, & commeatus ſub pœnis læſæ majeſtatis, perduellionis, & excommunicationis majoris infligendis iis qui ſeſe oppoſuerint;

Aliaſque illi ad id facultates dat, quibus ad ſubita rerum uti poſſit. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XVI. Aug. P. a. XIX. a. D. 1641.

Eadem commiſſio de viſitatione.

XLVII. URBANUS VIII. Piccardo, &c.
lb.p.298. C. C.

Inc. *Cupientes juſtis, &c.*

ADeo cordi erat Urbano viſitatio hujus loci, ex quo facile, & breviter Romam uſque fieri excurſiones poterant militares,

Ut eidem Piccardo mandet ut quam citiſſime ad viſitationem properet.

D. ut ſupra.

Jubentur Gubernatores recipere viſitatorem Piccardum.

XLVIII. URBANUS ad f. r. m.
lb. C. C.

Inc. *Juſtis ex cauſis, &c.*

SUb excommunicationis pœna Gubernatoribus Status Caſtri, & terræ Montiſoletti præcipit Urbanus,

Ut

Ut præfatum Ludovicum Piccardum cum ſeptem ſociis recipiant,

Illique permittant inviſere arcem, fortalitia &c. omnia viſitare, illique pareant. N. O.

D. eodem die.

Sententia in Tribunali Pontificio contra Odoardum.

XLIX. Ex Lunig. t. 2. p. p. 1544. MARTINUS Theodolus Auditor, & judex Deputatus.

Inc. *Chriſti nomine, &c.*

CItatus, & præceptatus juſſu Pontificis fuerat Odoardus Dux *ad comparendum perſonaliter monitus de & ſuper eo quod cum alias & de menſe Julii proxime præteriti, ac aliis præcedentibus, & ſubſequentibus menſibus, & diebus pro publicæ fidei conſervatione, & ad conſulendum indemnitati R. Cameræ, & Montiſtarum Montis non vacabilis Plani Abbatiæ, & Montis Farneſii nuncupatorum tam primæ, quam ſecundæ erectionis* commiſſa fuerat judicibus a Pontifice agitanda ejus Ducis cauſa *non ſolum pro dictorum Montium extinctione, fructuumque a multo tempore citra decurſorum ſolutione; verum etiam quia præſcripta in cedulis, & motibus propriis Clementis VIII. & Urbani VIII. ſuper eorundem Montium erectionibus emanatis & inſtrumentis deſuper celebratis non fuerunt ex parte ejuſdem Ducis adimpleta, quin imo in multis fuit etiam controventum.*

Indigebat enim numis domus Farneſia. Rogavit Clementem VIII. Raynucius, ut montem erigeret; cautionem dedit Cameræ Apoſtolicæ pro ſolutione Montaniſtis facienda planum Abbatiæ, & Caſtrum; ita ut reditus ex his locis collecti darentur Montiſtis; quia vero adhuc indiguit argento Odoardus ſupplicavit Urbano, ut alium montem erigeret: ille dictus fuit prima erectio, hic ſecunda; & alios fructus, qui ſupererant e redditibus Plani & Caſtri aſſignavit Montiſtis.

Jam aliquot anni tranſierant cum prima erectio, quæ debebat extingui non fuerat extincta, imo neque annui proventus dabantur Montiſtis; qui ad Cameram ſub cujus fide numos dederant, confugerunt. Prævidens Odoardus, Cameram occupaturam eſſe Caſtrum hypothecatum Montiſtis præoccupavit illud munire. *Duo valla*, dicta *Fortini* a Capite Cavæ erigi fecerat, viam inter terram Farneſii, & Caſtrum devaſtari, & intercidi fecerat, propugnaculum in via exſtruxerat, milites, commeatus miſerat, inſtrumenta bellica &c.

Reverenda Camera confugit ad Pontificem, qui milites ad occupanda ea loca Ducis miſit.

Quia vero Dux non paruit, juſſus fuit Auditor Monitorium edere, quo declaratur Dux tanquam rebellis, & perjurus decidiſſe e feudis, honoribus, titulis, prærogativis, incurriſſe infamiam, inhabilitatem ad officia &c. & excommunicatione majore innodatus.

Jubetur locis ſolitis monitorium affigi, quod qui lacerabunt, amovebunt, deturpabunt erunt excommunicati.

Die XIII. Jan. P. a. XIX. a. D. 1642.

Jubetur Auditor Cameræ procedere contra violatores immunitatis Eccleſiaſticæ in Duc. Parmenſi.

I. Bull. t. 6. p. 2. p. 3. C. C. URBANUS VIII. Auditori Generali cauſarum Cam. A. M. P.

Inc. *Conſervationi libertatis, &c.*

VOlebat qua poterat meliore ratione ſe, ſummque ſtatum Caſtri defenſare Odoardus, & ideo exigebat per miniſtros a perſonis, & bonis Eccleſiaſticis pecunias in ſuo Ducatu, inconſulto, imo invito Urbano.

Qui volens horum miniſtrorum reprimere *audaciam, qui immunitatem, & libertatem Eccleſiaſticam violaverant*, mandat Auditori ſuo præfato,

Ut contra eos procedat *conjunctim, vel diviſim, etiam per edictum publicum, ſummarie, & ſine ſtrepitu, excommunicet, interdicat* &c. N. O.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVI. Junii P. a. XIX. a. D. 1642.

„ Fœdus contra Pontificem initum fuit inter Remp. „ Venetam, Magnum Hetruriæ Ducem, & Ducem „ Mutinenſem pro Duce Parmæ; unuſquiſque fœdera„ tus bona occupata in ſtatu Eccleſiaſtico ſibi retinere „ debebat. In menſe Septembris fuit fœdus ſubſcriptum „ eodem anno 1642.

Card. Antonius Barbarinus deputatur, ut proceſſum faciat in Franciſcum Mutinæ Ducem.

URBANUS VIII. Card. Antonio &c. LI. Ib. p. 146. C. C.

Inc. *Conſervationi libertatis, &c.*

FRanciſcus Mutinæ Dux cum ad incitas redactum Parmenſem Ducem propinquum, conterminumque ſuo Ducatui videret (ſciretque quantum cuperet Urbanus Nepotes ſuos ditare feudis) armaverat copias, ac proinde ipſe quoque a monaſteriis, & a locis piis, & ab utroque Clero *talias, & vectigalia exegerat, militum hoſpitiis* pia loca oneraverat, violaveratque pluribus modis immunitatem Eccleſiaſticam, ſacroſque Canones.

Urbanus itaque eligit Cardinalem prædictum Nepotem ſuum ex Fratre, ut vel ipſe per ſe, vel deputet aliquot, qui proceſſus faciant contra ipſum Ducem, ejuſque miniſtros.

Dat illi proinde opportunas facultates vocandi teſtes, cenſuras infligendi &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die VI. Dec. P. a. XX. a. D. 1642.

Jubentur proceſſus in Remp. Venetam, M. Ducem Hetruriæ, Ducemque Mutinenſem.

URBANUS VIII. Auditori Gener. Cauſarum Cameræ A. M. P. LII. Ib. p. 390. C. C.

Inc. *Cum nuper, &c.*

CAuſam Odoardi Ducis contra Urbanum ſuſceperant Reſp. Veneta, & Mutinenſis Dux, quorum copiæ invaſerant terras Bondeni, Oſtellatæ, & Argentæ, aliaque Status Eccleſiaſtici loca, & Magnus Dux Hetruriæ, qui occupaverat urbem Plebis, aliaque minora loca.

Quæ cum eſſent palam omnibus manifeſtiſſima, & notiſſima, motu proprio præcipit Urbanus Auditori cauſarum Cameræ, ut contra eos fœderatos procedat, & *contra Odoardum Parmæ, & Placentiæ olim Ducem*, (Decreverat enim Auditor Odoardum amiſiſſe Ducatum Parmæ, & Placentiæ,)

Eos omnes conjunctim, & diviſim citare, excommunicare, interdicto ſupponere perſonas, loca, liberare juramento fidelitatis populos, milites, Capitaneos &c.

Quas omnes ſententias pollicetur Pontifex, ſe eſſe confirmaturum;

Per hoc tamen non intendit præjudicare ſententiæ latæ contra Odoardum de ejus Ducatu Parmæ, & Placentiæ ad S. Sedem devolvendo. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVI. Jan. P. a. XX. a. D. 1643.

„ Interim inducias propoſuerat Rex Galliæ, artica„ lique pacis fuerant propoſiti ab Oratore Gallo, & „ acceptati a Cardinali Spada nomine Pontificis.

Mandatur Cardin. Bongho, ut abſolvat a cenſuris Ducem Odoardum.

URBANUS VIII. Card. &c. LIII. ex Lunig. t. 2. p. 1559.

Inc. *Vices illius, &c.*

EXcommunicatus Odoardus fuerat, 1. eo quod redditus annuos Cameræ non ſolverat diſtribuendos ab ipſa Montiſtis qui ſuper montes Plani Abbatiæ, & Caſtri in favorem Domus Farneſiæ numos dederant, 2. & quia contempſerat motus proprios Clementis VIII. & Urbani VIII. contra conventa exequi, 3. & quia cum audiiſſet Cameram ea loca ſequeſtrare velle pro cautione Montiſtarum præſidiis Caſtrum munierat; 4. & quia ipſe, & ejus adhærentes loca quædam S. Eccleſiæ occuparant, 5. & quia demum intra præſcriptos terminos non reſipuerat; etiamſi ejus loca fuerant interdicto ſuppoſita.

Sed cum ſeſe interpoſuiſſet Galliarum Rex, promiſiſſetque facturum eſſe Odoardum, quæ Feudatarium decent,

decent, reſtituturoſque alios fœderatos, quæ occupaverant Eccleſiæ;

Mandat Urbanus Joarini Stephano S. Georgii in Velabro Diac. Card. ut a cenſuris Ducem Odoardum abſolvat, & liberet, & interdictum tollat, & relaxet, & eum Sacramentis reſtituat, impoſita, quæ Cardinali videbitur pœnitentia.

Eodem modo alios fœderatos abſolvat &c. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVIII. Febr. P. a. XIX. a. D. 1643.

„ Tamen ut meliores conditiones haberet Dux, fuit „ inter Venetam Remp. & Magnum Hetruriæ Ducem, „ & Ducem Mutinenſem renovatum fœdus decem, & „ octo articulis conſtans, ſubſcriptumque Venetiis die „ XXVI. Maji eodem anno 1643.

„ Quæ quidem fœderis renovatio in cauſa fuit, cur „ Urbanus ſcriberet

Ad Principes Italiæ de bello Eccleſiæ moto.

LIV. Ib. p. 1561. URBANUS VIII. Nobilibus viris, &c.

Inc. *Catholicorum, &c.*

CAtholicos, inquit Pontifex, ſemper antea pro Romana Eccleſia pugnaſſe, nunc autem principes in Italia *inito inter ſe fœdere, nulla cauſa impulſor, nulla prævia belli denunciatione Eccleſiaſticam ditionem aggredi.*

Qua immanitate facinoris permotus Urbanus non poteſt non graviter *ipſorum audaciam lamentari*, qui tam turpiter a ſuorum majorum exemplo deſciverunt.

Scit, *hanc novitatem* aliis Italiæ principibus futuram permoleſtam.

Sed tamen ſperat, omnipotens Dei brachium cauſam ſuam propugnaturum eſſe.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VI. Jun. P. a. XIX. a. D. 1643.

Declaratur Odoardum, ejuſque fautores in cenſuras incurriſſe.

LV. Ib. p. 1568. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Cum de menſe, &c.*

PUra, putaque repetitio eorum quæ acta ſunt a Duce Odoardo continetur hac conſtitutione; nempe dixiſſe, imo denegaſſe eum ſolutionem Montiſtis, muniviſſe Caſtrum, & alia loca, quæ data erant Cameræ in cautionem Montiſtis pro ſolutione, ne Camera illud, & hæc occuparet, de obedientia Monitorio non præſtita.

Narratur, quomodo Ducis ſocii aggreſſi loca R. Eccleſiæ fuerint nulla injuria provocati, nulla notitia belli movendi præmiſſa &c.

Quare declarat pœnas ab Auditore Cameræ in ſuo monitorio contra Odoardum enunciatas (*v. ſupra n. XLIX. in Chriſti*) incurriſſe Ducem; e proceſſibus factis in Ducis Socios Remp. Venetam, Hetruriæ Ducem, & Ducem Mutinæ (*v. ſupra n. LII. cum nuper*) conſtare, eos Eccleſiaſticam libertatem, & immunitatem violaſſe, ac proinde ipſos quoque eſſe excommunicatos, eorum ditiones interdictas, eorum ſubditos liberos ab juramento fidelitatis, eos ſpoliatos bonis, honoribus, titulis &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXII. Junii P. a. XX. a. D. 1643.

„ Tanto magis Galliæ Rex ut imminentem Ponti„ fici tempeſtatem averteret inſtitit pro pace. Quare „ ſuos Plenipotentiarios conſtituit Cardinalem Alexan„ drum Bichium tit. S. Sabinæ Presbyt. Card. Regni „ Galliarum Comprotectorem, & Franciſcum Marchio„ nem de Fontenay ſuum apud S. Sedem Oratorem „ Ordinarium.

A Pontifice deputatur Card. Bonghus Plenipotentiarius pro pace.

LVI. Bull. t. 6. p. 2. p. 393. C. C. URBANUS VIII. Joanni Stephano S. R. E. Card. Bongho.

Inc. *Bellum contra nos, &c.*

AMorem ſuum erga pacem ſignificat Cardinali Urbanus; tantoque libentius eam amplecti ſe, quia videt Catholicorum principum, & præcipue Regis Chriſtianiſſimi curam ad eam promovendam.

Jam propoſitæ induciæ fuerant, ut ad pacem ſtabilem deveniretur.

Ergo Urbanus prædicto Cardinali facultatem dat agendi cum Miniſtris Regis Galliæ, conveniendi, articulos proponendi, acceptandique conventiones.

Quidquid ille *pepigerit, convenerit, tractaverit* ratum ſe, & S. Sedem habituros eſſe promittit. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXI. Aug. P. a. XXI. a. D. 1644.

Articuli pacis confirmantur.

URBANUS VIII. ad p. r. m. LVII. ex Lunig. t. 2. p. 1585.

Inc. *Cum pro componendo, &c.*

NArrat de more Pontifex amorem ſuum in pacem, mediationem ſuſceptam a Rege Chriſtianiſſimo, deputationem Card. Bonghi pro ſtatuendis cum Oratoribus regis Card. Bichi, & Marchione de Fontanay articulis in extinctionem belli S. Sedis contra Ducem Odoardum, Remp. Venetam, Magnum Ducem Hetruriæ, & Ducem Mutinenſem.

Hi autem ſunt Articuli:

Præmittuntur atteſtationes de filiali obſequio erga Pontificem a fœderatis, de obſervantia Feudali Odoardi Ducis erga Urbanum, & S. Sedem.

Articulus I. Die ſexageſimo poſt ſubſcriptionem pacis Odoardus reſtituet Bondenum, & Oſtellatam Pontificis deputatis, deducetque in Parmenſem agrum copias ſuas;

A. II. Liberum erit Duci ex iis locis ſua bellica inſtrumenta tranſportare, etiam commeatus, & quidquid in ea ſui juris invexit; reſtituet arma ibidem inventa, & ea quæ occupata Caſtilione Lacus eo tranſtulit;

A. III. Pontifex abſolvet ab excommunicatione Ducem, & ab interdicto ejus loca;

A. IV. A die ſexageſimo ſubſcriptæ pacis Pontifex reſtituet Duci Caſtrum cum ejus bonis mobilibus, & immobilibus ibidem repertis, & exiſtentibus; & intra dies ſexaginta deſtruentur munimenta erecta Caſtri Montealto, & Valentani;

A. V. Hinc tamen nullus novus titulus acquiſitus intelligatur in Caſtrum; neque a Camera ſuper illud ratione montium jus ullum amiſſum;

A. VI. Intra idem tempus Pontifex deducet inſtrumenta bellica S. Sedis, commeatus eo ductos, reſtituet tamen arma ibidem inventa;

A. VII. Dux nullum e ſuis ſubditis puniet, aut injuriis afficiet, aut multabit bonis, aut honoribus privabit, quod in hoc bello Pontifici ſervierit, vel adhæſerit. Et qui Laici, & Eccleſiaſtici a ditionibus Ducis hac de cauſa receſſerunt poterunt libere reverti;

A. VIII. Idem aget quoad ſubditos ſuos laicos, vel Eccleſiaſticos Pontifex;

A. IX. Captivi utrinque facti reſtituentur, quin quicquam pro liberatione ſolvant;

A. X. Dux dimittet omnes copias, præter illas, quæ defendendis urbibus ſunt neceſſariæ.

Ferrariæ facti fuerunt hi articuli ſubſcriptique a Cardinalibus Bongho, & Bichio die XXXI. Martii an. 1644.

Hos autem articulos Pontifex quoque confirmat, eoſque ab omnibus obſervari jubet;

Decernitque ne hæ litteræ ullo unquam tempore poſſint accuſari de vitio obreptionis, & ſubreptionis. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die IX. Apr. P. a. XXI. a. D. 1644.

„ De excameratione ſtatus Caſtri, & Roncilionis „ v. t. 1. *De Pontifice* n. LI. *nuper tibi* in fine.

Confirmatur pax inter Pontificem, & Socios Ducis Odoardi.

URBANUS VIII. ad p. r. m. LVIII. Ib. p. 1595

Inc. *Cum ſub die, &c.*

QUia etiam in eadem pace comprehendebantur Socii Ducis Odoardi, ideo declarat, & promittit per præſentes litteras Urbanus,

Quas nullo unquam tempore vult de obreptionis, & ſubreptionis vitio accuſari,

Se

Se ſervaturum omnes, & ſingulos prædictos articulos, effecturumque, *ut ſuos integros ſortiantur effectus.* N. O.

Dat. Romæ apud S. Petrum Die XVIII. Apr. P. a. XXI. a. D. 1644.

Datur facultas Card. Bongho nominandi obſides tradendos deputato Regis.

LIX. Ib.p.1596. URBANUS VIII. Card. Bongho &c.

Inc. *Cum in capitulis, &c.*

IN articulis pacis initis inter Pontificem, & principes fœderatos Ducis Odoardi, quos nos quia nihil ad rem noſtram continent prætermittimus (referuntur autem a Lunig. ib. p. 1577. & ſeqq.) erat & hic,

Ut pro obſervatione eorundem Capitulorum obſides hinc inde in manibus Ludovici Francorum Regis Chriſtianiſſimi conſignentur.

Ideo Card. Bongho dat facultatem Urbanus unum, aut plures obſides nominandi juxta prædictam Conſtitutionem qualificatos, illoſque eidem Regi, ſive ejus ad id Deputato conſignandi. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIV. Apr. P. a. XXI. a. D. 1644.

Archiepiſcopus Urbinas acoipiat loca capta a M. Hetruriæ Duce.

LX. Ib.t.6. p. 2. p. 413.C.C. URBANUS VIII. Archiepiſcopo &c.

Inc. *Cum dilectus, &c.*

IN territorio Perufino, in provincia Umbriæ præter urbem Plebis loca non pauca occupaverat Magnus Dux.

Juxta pacis conventiones occupata loca erant tradenda cum ſuis armis ibidem repertis; promiſeratque Ferdinandus, ſe illa redditurum eſſe.

Ad loca, & arma a Commiſſariis Ferdinandi recipienda deputat Urbanus Archiepiſcopum prædictum Urbinatem. N. O.

D. Romæ ut ſupra &c.

Urbini Gubernatori idem mandatur.

LXI. Ib.p.1114. C.C. URBANUS VIII. Civitatis, & diſtrictus Urbinatenſis Gubernatori.

Inc. *Cum dilectus, &c.*

ETiam in agro Urbinatenſi quædam loca R. Eccleſiæ occupaverant Magni Ducis copiæ; quæ erant reſtituenda.

Ea a Commiſſariis ejuſdem Ducis accipere, & rurſus S. Eccleſiæ ſubjicere dominio cum ſuis armis, munitionibuque jubetur Gubernator Urbini. N. O.

D. Romæ ut ſupra.

Vice-Legato Ferrariæ idem jubetur.

LXII. Ib.p.C.C. URBANUS VIII. Vice-Legato &c.

Inc. *Cum dilecti, &c.*

VEneti propugnacula ad Padum extruxerant, & quædam loca Ferrarienſis Ducatus ceperant;

Etiam Mutinenſis Dux alia ex parte Centum verſus ſuis copiis invaſerat quaſdam ejuſdem agri terras.

Jubetur ergo Vice-Legatus Ferrariæ a Commiſſariis Mutinenſis Ducis eas terras accipere.

Et loca occupata accipere a Venetis, & munitionum ab illis erectarum everſioni aſſiſtere. N. O.

D. ut ſupra.

Ad Imperatorem de ejus copiis hyematum miſſis in Ducatum Parmenſem.

LXIII. ex Lunig. p. 2. p. 1615. INNOCENTIUS XII. Leopoldo Romanorum Imperatori electo.

Inc. *Inter inſignia, &c.*

CUm cognitam ſanditus Innocentius pietatem, & devotionem erga S. Sedem Imperatoris Leopoldi habeat, non dubitat, quin vix ac ſciverit, aliquot ſuorum militum millia miſſa fuiſſe in Ducatum Parmenſem, ut ibi hyement, ſit ea revocaturus; oſtenſuruſque, *ſe inſcio, tam grave adverſus S. Sedem attentatum admiſſum fuiſſe.*

Sui tamen muneris eſſe Pontifex duxit, eum admonere, ut inde copias ſuas revocet.

Ita voluntatem Pontificis erga ipſum pluribus nominibus propenſam magis magisque ſibi conciliabit.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Nov. P. a. I. a. D. 1691.

De eodem argumento ad Ducem Parmenſem.

INNOCENTIUS XII. Rainutio (II.) Parmæ, & Placentiæ Duci. LXIV. Ibid.

Inc. *Incredibili plane, &c.*

SIgnificat Duci Innocentius, ſe maximo fuiſſe mœrore affectum, cum accepit, copias Imperatoris fuiſſe in Parmenſem Ducatum ductas hyematum.

Afflictus fuit & ex caritate, qua Ducem proſequebatur, & ex injuria, quam illatam juribus Eccleſiæ videbat.

Idcoque ſe ſcripſiſſe, ait, ad Imperatorem, ut jubeat, copias inde deduci, & ad Comitem Carafam earum copiarum Capitaneum Generalem; jubet illum eſſe bona ſpe.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Nov. P. a. I. a. D. 1691.

De eodem argumento ad Comitem Carafam.

INNOCENTIUS XII. Comiti Carafæ Cæſareæ M. in Italia armorum Generali. LXV. Ib.p.1516.

Inc. *Etſi non dubitamus, &c.*

SPerat Pontifex Comitem jam noviſſe voluntatem propenſam, quam in eum ſemper habuit ob illius inſignia decora; tamen eum nunc certiorem facit, ſe nunquam *defuturum occaſionibus, quæ ſe offerrent, luculentis eam ipſi teſtimoniis declarandi;*

Sperat Comitem erga S. Sedem, & Pontificem devotam gerere voluntatem;

Eam oſtendendi tempus adeſſe, ait Innocentius, ſi *revocet ſine mora* a Ducatu Parmenſi, & Placentino *Germanicas copias.*

Etiam illum rogat, ut in officio contineat milites, qui ſunt in confiniis Ferrarienſi, & Bononienſi.

Utrumque ſibi pollicens benedictionem illi peramanter impartitur.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVIII. Nov. P. a. I. a. D. 1691.

Irritantur conventiones inter Deputatos Imperatoris, & Ducem Parmenſem.

CLEMENS XI. ad f. r. m. LXVI. B.M. t.8. p. 51. B.R. t. 9. P. 1. p. 180.C.C.

Inc. *Ad Apoſtolatus, &c.*

IMperatoris Joſephi copiæ ann. 1707. in Ducatum Parmæ, & Placentiæ intrarunt, ibique hyberna fecerunt, ingentemque pecuniæ vim a Duce, & a populo illius Ducatus exegerunt.

Deputati Imperatoris, & Ducis convenerunt in decem articulis, in quibus agitur de ſubſidio dublarum Hiſpanicarum nonaginta mille partim exſolvendarum a Laicis, partim ab Eccleſiaſticis, de commeatibus ſubminiſtrandis militibus, de fœno pro equis, de habitatione commodanda militibus a quibuſcumque in propriis domibus.

Reprobat Clemens conventionem hanc, utpote quæ eſt læſiva immunitatis Eccleſiaſticæ, oppoſita Sacris Canonibus, & Bullis Pontificiis, in quibus enunciantur pœnæ in occupantes bona S. R. Eccleſiæ.

Hortatur Clemens Epiſcopos ejus Ducatus, ut reſiſtant huic violationi jurium ſuarum Eccleſiarum;

Ducem, & populum abſolvit ab juramento dato de ſolvenda prædicta pecunia;

Duces, militeſque ſubjicit excommunicationi niſi exeant e Ducatu, ſi pecuniam, & commeatus, & habitationem exigent non ſolvendæ niſi a Romano Pontifice. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. R. apud S. M. M. Die XXVII. Jul. P. a. VII. a. D. 1707.

De

De eventuali inveſtitura hujus Ducatus ſtabilienda in Cameracenſi Conventu.

LXVII. ex Lunig. t. 1. p. 361. INNOCENTIUS XIII. Archiepiſcopo Salisburgenſi.

Inc. *Publica tranquillitate, &c.*

NIhil ſe magis quam pacem inter Chriſtianos principes optaſſe, teſtatur Innocentius.

Sed mala, ait, fundamenta hujus pacis jaci, cum ea niti debeat juribus S. Eccleſiæ violatis, immunitate Eccleſiaſtica læſa. Nam quæ acta ſunt in Comitiis Ratiſponenſibus, quæque ſunt agenda in Cameracenſi Conventu denunciant, *intendi Apoſtolicis juribus calamitatem*, qua nulla bellorum injuria objiceretur gravior. *Namque Regis Catholici Legati in eo conventu hanc præviam ineundæ concordiæ conditionem poſtulaverunt, ut inveſtitura, quam vocant eventualem, Ducatus Parmenſis, & Placentini ad directum, & ſupremum S. Sedis dominium pertinentis, ejuſdem Catholici Regis Filio Carolo ab Aula Imperiali concederetur. Ratiſponenſium præterea Comitiorum ſuffragia infirmo prorſus, injuſto, irritoque Capitulo acceſſerunt. Ad eandem Hiſpanorum conditionem, quæ Apoſtolicam Sedem antiquis, certis, & exploratiſſimis juribus ſpoliaret, atque e pacifica, diuturnaque concedendæ, renovandæque inveſtituræ poſſeſſione dejiceret.*

Nam quis ignorat a proximo jam, & altero ſuperiori ſæculo, ut antiquorum temporum memoriam repetere ſuperſedeatur, inveſtituras illius Ducatus continenti ſerie a S. Sede fuiſſe conceſſas, eique annuum cenſum fuiſſe nemine reclamitante perſolutum.

Hanc igitur *præpoſteram ineundæ pacis rationem averſatur* Innocentius, & *tractatum Cameracenſem ac ſimul etiam Ratisbonenſe Capitulum improbat*, & Archiepiſcopo, quem confidit ejuſdem eſſe animi, animum ſuum vult teſtatum per has litteras, *quas publicum, ac perenne diſſenſus, ac improbationis Pontificiæ monumentum eſſe vult, ne quid detrimenti juribus S. R. E. illatum eſſe per tractatum, & Capitulum hujuſmodi cenſeatur.*

Præterea Archiepiſcopum *vehementer hortatur, ut in Sanctuarii juribus obſervandis, ac tuendis ſuo ordini, dignitati, & virtuti reſpondere ſtudeat, atque ut improvidum conſilium Miniſtrorum Ratisponenſium quos inter etiam Miniſtri Archiepiſcopi eſſe ſolent, idonea, opportunaque emendatione corrigatur, & reſcindatur, pro viribus adnitatur.*

Confidat autem Archiepiſcopus, hanc operam ſuam magnam a Deo reportaturam eſſe mercedem, & a S. Sede gratiam.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXVIII. Febr. P. a. II. a. D. 1723.

„ Legenda eſt proteſtatio Imperatoris Joſephi contra „ Bullam Clementis XI. editam die XXVII. Julii an. „ 1707. pro aſſerendis juribus S. Sedis in hos Ducatus, „ Eſt apud Van-Eſpenium t. X. Juris Eccleſiaſtici in „ Appendice Monumentorum ſub littera T.

Proteſtatio Pontificis in Conventu Cameracenſi ſuper ſucceſſione in Ducatum Parmenſem, & Placentinum.

LXVIII. ex Lunig. t. 1. p. 367. INNOCENTIUS XIII. Proteſtatio.

Inc. *Ubi primum, &c.*

SEmper ſibi cordi fuiſſe pacem, diſcordiarumque ſemina evelli teſtatur Innocentius; ſed nunquam ſuſpicatus fuiſſet, eam comparari, hæc tolli *injuria, & detrimento Sedis Apoſtolicæ jurium, quibus jam tam ab initio ſui Pontificatus, tam per ſuos apud Principes Nuntios, quam per ſeipſum cum eorum miniſtris Romæ commorantibus opportune perſpicere non intermiſit.*

Jam acceperat Innocentius, *Cameracenſem concordiam ea ratione parari, ut præcipua, ac præliminaris conditio futura eſſet eventualis inveſtitura Ducatus Parmæ, & Placentiæ a Catholico Rege Philippo V. pro Regio Infante Carolo ejuſdem filio petenda, eique ab Imperatore Carolo VI. tanquam de Feudo Imperii concedenda; idque in Comitiis Ratiſponenſibus propoſitum a Germaniæ principibus confirmatum fuiſſe, amplis verbis gratias agendo Imperatori pro cura impenſa pro ampliſicandis Imperii juribus; ut legitur in Capitulo Electorali Conſt. Pontificiarum*, Tom. II. dictato Ratiſponæ die 7. Decembris anni 1722. *& in concluſo Principum, ac ſtatuum Imperii.*

Cum igitur dubitari poſſit, ut *deveniatur reipſa ad id* quod decretum fuit, nempe ad eventualem inveſtitionem Ducatuum prædictorum, *qui nulla ratione ad jura Imperii pertinent, ſed ut notori cum manifeſtumque eſt, S. Sedis, ac Romani Pontificis directo, alto, & ſupremo dominio ſub ſunt*, Innocentius *ex credito ſibi divinitus Apoſtolici officii debito tam apertæ jurium Sedis Apoſtolicæ læſioni mature occurrere volens, commiſit* Bartholomæo Maſſei Nuncio ſuo Ordinario in Galliis, *ut tanquam verus, & legitimus procurator, Actor, & negotiorum geſtor*, vel per ſe, vel per alium ad congreſſum mittendum *Sedem præfatam a quibuſcumque præjudiciis quacunque ratione, cura, & ſtudio præſervare illæſamque, ac ſartam tectam reddere, ac illa antevertere niteretur.*

Delegatus a Nuncio Miſſus Cameracum, *licet non*, inquit, *hic proferre non debeam titulos, & jura S. Sedis, non omiſit dicere duobus & ultra ab hinc ſeculis Romanam Eccleſiam ejus Ducatus ſupremo, alto, & directo dominio pacifice potitam fuiſſe; Paulum III. eundem Ducatum in Feudum conceſſiſſe Petro Aloyſio & Domui Farneſiæ, deſignatis perſonis ex dicta Domo, & familia in ipſo ſucceſſuris, certiſque appoſitis pactis, & conditionibus ab illis perpetuo adimplendis;*

Mortuo Duce uno Succeſſorem ſemper petiiſſe inveſtituram a S. Sede, & præſtitiſſe eidem homagium *in originaria inveſtitura Feudatario imperatum;*

Imperatorem Leopoldum Innocentio XII. querenti milites Imperiales in eum Ducatum fuiſſe miſſos reſpondiſſe, neceſſitate actum id ſe feciſſe; idem dixiſſe Imperatorem Comiti Philippo Mariæ Scotto Ducis Ablegato *poſcenti compenſationem ingentium contributionum ac eodem ſubminiſtratarum* exercitui Imperatoris; Clementem XI. *ad ejuſdem Ducatus defenſam, & cuſtodiam inter noviſſimos Italici belli motus vexillum in arcibus, & munitionibus illis explicuiſſe, & Pontificium præſidium collocaſſe, Cæſaris, & Fœderatorum Regum Ducibus, & exercitibus id ſpectantibus.*

Religionem ergo, ait Delegatus, & juſtitiæ rationem non pati nunc Imperium jus ſibi in eum Ducatum uſurpare; non poſſe eſſe firmam pacem, quæ tam malo fundamento nititur;

Proinde, ne hoc præjudicium juribus S. Sedis inferatur, nomine Pontificis *rejicit, repugnat, ac reprobat, & omnibus melioribus, modo, via, jure, cauſa, & forma, quibus pro ejuſdem officii ſui ratione poteſt, ac debet, in eo publico conventu declarat, atque proteſtatur, nihil, quod pertinet ad Ducatum Parmæ, & Placentiæ a quopiam in præjudicium tum directi dominii, tum jurium S. R. Eccleſiæ competentium innovari, ſtatui, ac diſponi poſſe, & potuiſſe.*

Quare omnes tractationes, conſulta, inveſtitiones ſine licentia S. Sedis factas, vel faciendas proteſtatur eſſe nullas, & Eccleſiæ jura debere ſervari integra, & intacta.

Actum Cameraci Die XVI. Martii a. 1723.

Alloquutio Pontificis de eodem argumento in ſolemni Conſiſtorio.

BENEDICTUS XIII. LXIX. Ib.p.377.

Inc. *Ad graviſſimas, &c.*

NArrat Benedictus quomodo Carolus VI. dederit eventualem inveſtitionem Carolo Hiſpaniarum Infanti Ducatus Parmæ, & Placentiæ;

Quomodo his conditionibus pacis ſeſe oppoſuerit Innocentius XIII. quam quidem proteſtationem proſequuti fuerant Cardinales, Sede vacante; neque ſe, cum creatus fuit Pontifex, nihil magis cordi habuiſſe, quam ut hujuſmodi inveſtitioni ſeſe opponeret, & ſarta tecta jura in eum Ducatum ſervaret; teſtaturque, nihil ſe omiſſurum, *ut per alia juris remedia, & Apoſtolatus officia S. Sedis rationibus proſpiciat;*

Se recreari religione, & pietate principum, qui certe non patientur jura S. Sedis tam aperte violari; neque iram Dei ſubire volent; ſe *inſtantem futurum piis obſecrationibus, ut reſpiciat Deus in hereditatem ſuam, nec ab illis S. Sedem detrimenta mittere patiatur, quorum Patrocinio Sanctæ Eccleſiæ rationes tuendas, ac vindicandas commendavit.*

P. a. I. a. D. 1725.

„ Legatur Hiſtoriæ Eccl. comple. Fleury lib. 145. „ §. LXXVI. & ſeqq. Contentiones de hoc Ducatu „ afferuntur, rationeſque ab Imperatore Carolo V. & „ a Paulo III.

Aſſertio jurium S. Sedis in hunc Ducatum.

LXX. B.M.p.8. vel t. 14. p. 154. B.R.t.13. p. 187. C.C. CLEMENS XII. ad f. r. m.

Inc. *Cum bonæ, &c.*

ANtonius Farneſius Dux Parmæ, & Placentiæ ſine prole viri, aut fœminæ mortuus fuerat, fueratque relicta Henrichetta Eſtenſis ejus uxor prægnans, ut dicebatur;

Incertum ergo cum eſſet, an maſculam prolem enixura eſſet Duciſſa; præoccupat Clemens aſſerere jura S. Sedis in hunc Ducatum, qui in Feudum maſculinum datus fuerat a Paulo III. Filio ſuo Petro Aloyſio,

Qui Ducatus ſecundum ejuſdem Pauli, & poſtea Pii V. Conſtitutiones recidere debet ad Sedem A. & quoad dominium directum, & quoad utile.

Interim niſi proles maſcula oriatur, vel orta moriatur, mandat Clemens Communitatibus omnibus illius Ducatus, ne aliud dominium agnoſcant, niſi dominium S. Sedis;

Mandatque Cardinali Legato Bononiæ, qui vicinior eſt, ut ad eventum ejuſmodi ſe conferat illuc, & approbet, quæ ibidem geſta fuerint per Oddum Protonotarium Apoſtolicum, & ipſe illico nomine Eccleſiæ Ducatus poſſeſſionem capiat;

Utaturque omnibus facultatibus, quibus Legati a Latere ſpecialiter a S. Sede miſſi uti, & frui debent, & poſſunt. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XX. Junii P. a. I. a. D. 1731.

Irritantur quædam decreta edita pro Ducatu Parmenſi, Placentino, & Guaſtallenſi.

LXXI. *In folio ſeparato.* CLEMENS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Alias ad Apoſtolatus, &c.*

„ QUa de cauſa hunc Ducatum ad Eccleſiam ſpe„ ctare Aula Romana putet, quando, & quibus „ conditionibus Paulus III. hoc Feudo filium ſuum Pe„ trum Aloyſium inveſtiverit, ut hujus feudi tanquam „ dependentis a Mediolanenſi Ducatu inveſtitioni Caro„ lus V. Imperator ſuo, Imperiique nomine reclamita„ rit, quomodo hujus Ducatus eventualis ſucceſſio, cum „ jam maſculina familiæ Farneſiæ ſtirps inibi erat, ut „ extingueretur, ab omnibus fere Europæ principibus „ anno 1718. aſſignata fuerit Carolo Hiſpaniarum In„ fanti, poſtea utriuſque Siciliæ, demum Hiſpaniarum „ Regi, quomodo poſtquam idem Carolus potitus eſt „ Neapolitano Regno, hic Ducatus datus fuerit Impe„ ratori Carolo VI. & non multo poſt armis recupera„ tus a Regio Hiſpaniarum Infante Philippo, a quo in „ eius Filium Regium itidem Hiſpaniarum Infantem „ Ferdinandum pietate, & virtutibus ſuorum Majorum „ renovantem memoriam pervenerit, ex Hiſtoria eſt pe„ tendum.

Nonnulla decreta ad bona Eccleſiaſtica pertinentia, eorumque regimen, & ſolutionem de iis reſpicientia edita fuerant annis diverſis 1764. 1765. quæ edicta ut ſervarentur laicis quibusdam perſonis cura demandata fuit;

Præterea decretum fuit, ut nemo ad tribunalia extra ducatum pro litibus confugeret, niſi prius a ſæculari poteſtate veniam impetraſſet;

Ut nullus recurſus inſtitueretur, apud exteros principes, ditiones, ac Tribunalia pro obtinendis beneficiis Eccleſiaſticis, Penſionibus, Commendis in iiſdem Ducatibus exiſtentibus, niſi præfatæ poteſtatis conſenſus præceſſiſſet;

Ut nemo conſequi poſſet beneficia Eccleſiaſtica, penſiones, Abbatias, Commendas, dignitates, & munera juriſdictionem annexam habentia, niſi ſubditus ſit, & ut pro iis conſequendis venia ejuſdem poteſtatis prædictæ intercedat;

Demum ne quælibet Scriptura, Mandatum, Epiſtola, Bulla, Breve in iiſdem Ducatibus executioni mandari poſſit, niſi impetrato *exequatur*, ut vocant, a ſæculari poteſtate.

Hæc igitur edicta *in Ducatu* (ſunt verba Brevis) *noſtro Parmenſi, & Placentino a ſæculari illegitima Poteſtate* edita Pontifex tanquam contraria juribus, & libertati Eccleſiæ infringens ſuorum prædeceſſorum Pontificum conſtitutionibus, *ac præſertim iis, quæ in die Feria V. Majori legi, & promulgari ſolent* conſuetis formulis irritat, caſſat, annullat, & pro irritis, caſſatis, annullatiſque ea haberi vult.

Epiſcopis, Parmenſi, Placentino, & Burgi S. Donini mandat, ne ejuſmodi edicta executioni mandari permittant,

Pœnas Eccleſiaſticas, Conſiliarios, Mandantes, Fautores adhærentes &c. incurriſſe declarat;

Mandat, ne in judiciis eorum decretorum ulla ratio habeatur, ſed Pontificia hæc obſervetur Conſtitutio, N. O.

Cum autem tuto in ditione Parmenſi, Placentina, & Guaſtallenſi hæ litteræ publicari non poſſint, jubet publicari locis conſuetis Romæ, & eundem vigorem eas habere vult, ac ſi ſingulis, ad quos ſpectant denunciatæ fuiſſent.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXX. Jan. P. a. X. a. D. 1768.

„ His Pontificiis Litteris reſpondit aula Parmenſis; „ quæ quidem reſponſio typis edita in manibus om„ nium verſatur.

„ Omnes fere Europæ principes miniſterii Parmenſis „ defenſionem ſuſceperunt contra Romanam Aulam ra„ ti ſuam quoque juriſdictionem violari iis Litteris, in„ dignatique, exſtimulari ad inobedientiam Eccleſiæ „ prælatos, ſubditoſque ſuo principi non præſtandam, „ cum primus Pontifex S. Petrus toties populos horta„ tus fuerit ad parendum Superioribus ſuis etiam diſ„ ſcolis. Et cum Romana Aula ſtaruiſſet neque ex„ pellere a Ducatu Avenionenſi, neque Benevento, ut „ rogata fuerat, Jeſuitas, neque revocare has litteras, „ contra Parmenſem Ducem adeo pium religioſumque, „ & utriuſque Siciliæ Rex Beneventum occupavit, & „ Rex Galliarum cepit Avenionem, ejeceruntque inde „ Patres Societatis.

„ Commotus Pontifex his nunciis, non potuit quin „ graviter angeretur,

Ad Imperatricem Mariam Thereſiam ſcribit ut reges mitiget.

CLEMENS XIII. Chariſſimæ in Chriſto Filiæ &c. LXVII. *In ſolio ſeparato.*

Inc. *Si pietas, &c.*

NIſi Imperatricis Auguſtæ pietas, quæ inter tot virtutes, quibus ſplendet, primas tenet, nota eſſet Pontifici, in ſummo ſuo mœrore ex tot regum contra S. Sedem concitatorum impetu contracto, ad eam ejuſque Auguſtum filium Patronum, propugnatoremque Eccleſiæ, Apoſtolicæque Sedis primum confugere non auderet,

Sed cum certo ſcit Clemens, Imperatricem non abripi iis fallacibus ſtatus regiminis præjudiciis, quæ ſpecie boni Regum corda ſeducunt, tum etiam certus eſt, eam non niſi ægro animo direptionem Sanctuarii, Apoſtolicæ dignitatis abjectionem, S. Sedem, Religionemque periclitantem videre. Quare ad illam tanquam ad lucem a Cœlo oſtenſam, ut tempeſtatem effugiat, ad illam infelicis afflictæque ſenectutis ſuæ tanquam portum confugit, ut ejus opera a filiis ſuis pacem conſequatur. Nil eſſe ita illa dignum, quam pacem Eccleſiæ parere, quæ ſemper vota, preceſque Deo fundit, ut ejus regna felicia conſervet.

Muneris ſibi divinitus demandati officium, ſe invitum ingratiiſque ſuis neceſſario impulit, ut principibus ejus vocis ſonus, in quem erumpit amans Parens, ut a periculo, mortiſque diſcrimine filios ſuos revocet, minus gratus eſſet. Volebant, eum quod dixerat, revocare; ſed quia Sacerdotali conſtantia reſtitit, hinc in Eccleſiam gladii diſtringuntur, quos in ejus propugnationem reges gerunt, Paſtor Jeſu Chriſti Gregis injuriis afficitur, ab obedientia legitimo ſuo Domino præſtanda abducuntur populi, ejus occupantur ditiones, patrimoniumque, quod non ejus eſt, ſed D. Petri, Eccleſiæ, Dei.

In iis regiis dexteris, quibus percutitur, Omnipotentis Dei veneratur Pontifex manum, a quo viſitatur deprimiturque per eos ipſos filios quos ſemper cariſſimos habuit. Quod ſi etiam tantum virium haberet, ut poſſet

poſſet eos armis vincere, tamen quemcunque triumphum huic abjectioni poſtponeret, ſciens vires Pontificis eſſe Regum pietatem, & arma Pontificis eſſe preces, eſſe lacrimas. Tota ſua defenſio eſt in Dei manu, qui corda regum flectit. Et inter mortales Imperatrici confidit, ejuſque Auguſto Filio. Cum regibus, qui irati Pontifici ſunt, illa agat; cum conjuncti cum illa & ſanguine, & amicitia ſint, facile ad pacem eos movebit.

Nihil illi pro magnanimitate, qua præditi ſunt, negabunt; præcipue cum de Eccleſiæ pace agatur. Cujus quidem initæ pacis gloria tota Imperatricis erit.

Interim Pontifex Deum orabit, ut Reginæ imperia, ſtirpemque protegat, tueaturque uſque ad extremam ſenectutem ſalvam, incolumemque.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIX. Junii P. a. X. a. D. 1768.

„ His Pontificiis litteris reſpondit Imperatrix, ſe e „ Pontificis litteris maximum percepiſſe dolorem; ſicut „ enim ſummopere Pontificem veneratur, ita non po„ teſt quin e Pontificis mœſtitia mœrorem percipiat; „ neminem ſe magis optaſſe, ne evenirent, quæ eve„ nerunt, & ne reges ingratum aliquid Pontifici face„ rent; ſe non recuſaturam eſſe, quin adhiberet ope„ ram ſuam pro pace firmanda, ſi religioni aliquod „ immineret periculum.

„ Sed cum Religio nullo ſit in diſcrimine, & con„ certationes de juribus ad principatum ſpectantibus „ ſint, quarum unuſquiſque eſt ſolus judex, neque poſ„ ſunt ab alio principe diſcuti, colliget Pontifex, eſſe „ valde arduum, & difficile, quod Pontifex ab illa „ expetit.

„ Tamen ut quo poteſt meliore modo Pontificis fi„ duciæ reſpondeat, temporum, circumſtantiarum, ca„ ſuſque, animadverſionumque, quas ipſa habere de„ bet, capitumque præcipuorum regiminis ſuarum di„ tionum ratione habita, amice adhortabitur princi„ pes, ut Pontificis majori doloti parcant.

„ Obſecundet Deus his conatibus, quos Imperatrix „ ſuſcipit, ut oſtendat quantum ſummo Eccleſiæ Paſtori adhæreat. Hinc ille ſaltem colliget, quantum „ cultu, quo illum proſequitur, quantum ſtudio pacis „ moveatur.

„ Deum orat, ut Pontifici cauſas doloris imminuat „ ab eoque Apoſtolicam benedictionem petit.

D. Vindebonæ Die II. Aug. a. 1768.

Rationem reddit rerum a ſe actarum Clemens Regi utriuſque Siciliæ, eique Eccleſiam commendat.

LXXIII. *In folio ſeparato.* CLEMENS XIII. Ferdinando utriuſque Siciliæ Regi.

Inc. *Novit Deus, &c.*

DEum teſtatur Clemens, ſe ſummo dolore affici, cum conſiderat, ſe cum primum Regi in majori ætate inuperrime conſtituto propria dextra ſcribit, querulum, mœſtumque ad illum ſcribere, cum ſummopere optarat, ſperabatque, fore ut in Rege amantiſſimum filium haberet, qui tenerrimo Patri levamen eſſet, ſolatiumque. Hanc tamen ſpem non omnino amiſit, lieet occupatus regiis armis ſuas, imo Apoſtolorum principis ditiones videat.

Scit Clemens, nihil ſe feciſſe, quod ingratum regi eſſe poſſit, imo ſcit, ſe nullam occaſionem prætermiſiſſe illius deſideriis ſatisfaciendi; quare ex hoc ſuæ conſcientiæ teſtimonio tanto demiſſius omnia mala, quæ evenerunt, patitur, & perfert.

Quod ſi invitus quibuſdam minus arriſit, & de hoc dolet rex, confidit Pontifex, regem, conſiderato Apoſtolici miniſterii neceſſario officio, non eſſe improbaturum, eum vocem ſuam exſtuliſſe, poſtquam diu pertulit, ut Sanctuarii jura tueretur, ut moneret periculi, quod ſubibat, qui illa invadebat incaute.

Sed ſi hæc culpa noſtra eſt, jam renunciandum illi erit poteſtati a Chriſto datæ Petro, & ab illo in ſuos ſucceſſores tranſmiſſæ; jam illi obmuteſcendum erit, permittendumque Chriſti gregem vagari ſine paſtore, quocumque libuerit.

Sed hoc nolunt profecto Religioſiſſimi reges, qui Chriſti Crucem ſequuntur, multo vero minus id vult Ferdinandus Religionis lacte nutritus, ſuorumque parentum exemplorum imitator.

Quod ſi Pontifex culpa in hoc caret, quam aliam injuriam Regi intulit, qua ejus iram in ſe concitarit, meritusque fuerit, ut iis ditionibus ſpoliaretur, quæ legitimo jure ſolemni, ſanctoque regiæ majeſtatis promiſſo firmato Eccleſia poſſedit?

Hæc omnia dolore Pontificem afficiunt; ſed maximo afficiunt, cum graviſſima detrimenta, quæ Religio patitur, ex abjectione, ex contemptu, ex opprobriis capitis a Deo conſtituti proficiſcentia mente revolvit.

A regibus enim principibuſque animos populi ſumunt; magiſtratuſque ipſi Neapolitani regni graviſſimi falſo putantes ſe poſſe regis ſibi gratiam conciliare, ſcripta, conſiliaque erroribus, falſiſque propoſitionibus ſcatentia, ut cordati viri magnopere indignentur, evulgant.

Reſpiciat ergo Rex mœrorem ingentem, quo Pontifex afflictatur, audiat magnanimi cordis ſui voces, quaſi ſi audiet, milites ſuos ſtatim revocabit, adempta ſque Eccleſiæ terras reſtituet.

Hoc rogat Pontifex per Jeſu Chriſti viſcera, fidenterque rogat, fiduciam augente ipſo Feſto die SS. Apoſtolorum, quo ſcribit, quorum cauſa agitur, quorumque nomine illi, uxorique illius ſociæ ſolii, virtutumque benedictionem Apoſtolicam impartitur.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIX. Junii a. 1768.

Ita Clementi reſpondit Rex Ferdinandus:

„ Parem illius cultus, quo nutritus, altuſque in Ec„ cleſiæ Catholicæ gremio Caput Eccleſiæ, paſtorum„ que primum proſequitur, dolorem ſe ſenſiſſe, teſta„ tur Ferdinandus; majoremque etiam dolorem capit, „ quod videt Pontificem adhuc in illa perſtare ſenten„ tia, ut credat, nullam ſibi cauſam tanti mœroris „ vulgatione in Ducem Parmenſem dediſſe.

„ Dux ille edictis ſuis Religionem non læſerat, non „ Sanctuarium violarat, ut relatum Pontifici fuerat, „ non dogma, non Sacramentum, non ritum, non „ Chriſti doctrinam impugnarat, quæ una Eccleſia reſpicit. Principes juriſdictionem temporariam, & con„ tentioſam Epiſcopis dederunt; principes exemerunt a „ publicis oneribus Eccleſiaſtica bona; Regalia, prote„ ctio, curaque decretorum pro publico bono edendo„ rum a regia auctoritate ſeparari nequeunt. Semper „ licuit regibus rogatas leges, quæ quondam bonæ, „ utileſque videbantur, malas factas, & perniciоſas re„ vocare, aliaſque earum loco ferre. Culpa vacat Dux, „ ſi hoſtes jam noti Eccleſiæ Regum, & humani ge„ neris decreta Parmenſia tanquam juriſdictionis Eccle„ ſiaſticæ læſiva Pontifici retulerunt. Horum artibus „ malignis ſubdoliſque adſcribendus eſt dolor ille, quo „ afflictatur Pontifex, quo ſe liberare poterat ſi quod „ in aliis principibus non reprehendit, in Duce In„ fante ab omnibus Europæ principibus eorum ſtatuum „ legitimo Domino agnito acriter non reprehendiſſet. „ Trium regum, quibus tanta Chriſtiani orbis pars „ obedit, precum contemptus tandem aliquando pa„ tientiæ modum impoſuit.

„ Facile id prævideri poterat. Suſdeque verſa ſu„ prema poteſtas a Deo conſtituta, inſidiis petita, in„ juriis affecta contra Jeſu Chriſti doctrinam, & S. Pe„ tri præcepta a quo, præcipue defendenda erat ex„ cuti debebat, ſe tutari, & defendere.

„ Utinam populi in Pontificis miniſtris hujuſce ſcan„ dali a Pontifice miniſtris regiis adſcripti, qui Nea„ poli egerunt, propoſueruntque, originem non inve„ nirent. Sed quicumque præjudiciis non agitur facile „ videbit utri in cauſa ſint.

„ Se offert Rex Pontifici, profiteturque operam ſuam „ in ſedanda tempeſtate excitata. Ait Cardinalem Ur„ ſinum jam eſſe Romæ, qui ſimul cum Miniſtris Re„ gum Chriſtianiſſimi, & Catholici agere poterit.

„ Apoſtolicamque benedictionem petit.

D. Neapoli die VII. Sept. an. 1768.

Ad Regem Catholicum adhortatio, ut Urbes Beneventi, & Pontis Curvi reſtituat Rex utriuſque Siciliæ.

CLEMENS VIII. Carolo III. Regi Catholico. LXXIV. *ſeparatim in folio*

Inc. *Vix ac, &c.*

REgi Catholico ſignificat Clemens, ſe, vix ac accepit utriuſque Siciliæ Regem ejuſdem Hiſpaniarum Regis filium armis urbem Beneventi, urbemque Pontis Curvi occupaſſe, ante Dei conſpectum proſtratum iſſe fuſe in lacrimas, ictumque tam acerbum tanquam a Dei dextera profectum agnoviſſe, eumque ei

ſuorum criminum accepiſſe expiationem majore certe pœna dignorum; ſtatimque ſe motum ſenſiſſe, ut ad Regem ſcriberet, totumque cor ſuum coram illo effunderet ſenſaque animi e ſummi Paſtoris, Vicariique licet indigni Jeſu Chriſti miniſterio ex una parte, ex alia ex Apoſtolorum principis patrimonii cuſtodis officio illi aperiret.

In quantam admirationem excitabuntur mortales omnes cum Catholici, tum hæretici, cum filium ejus Regis, qui juravit, ditiones Eccleſiaſticas ſe non eſſe invaſurum, juratum ipſum quoque eas non eſſe occupaturum, eas armato milite occupaſſe, accipient? Tantoque magis admirabuntur, hæc omnia facta fuiſſe, quin in Pontifice ulla culpa eſſet, qua Rex incitaretur; nullos milites, nulla arma paraſſe Pontificem, quibus reſiſteret hoſtili vi, neque ſi habuiſſet; iis fuiſſet uſus, cum Vicarii Chriſti milites, exercitus, arma patientia, preces, fiducia in Deum, tum in Reges Catholicæ Eccleſiæ, cujus ille caput eſt, eſſe debeant.

Quænam, malum, eſt hæc immutatio? legimus in hiſtoriarum ſacrarum monumentis, quondam Catholicos principes quidquid virium ſibi divinitus datum fuerat, adhibuiſſe ut Eccleſiam, ut ejus jura, ut ejus ditiones defenderent, & tutarentur; nunc autem iiſdem armis, iiſdem viribus Eccleſiam vexant, jura perturbant, ditiones invadunt; illi Chriſti Vicarium armis ſuis protegebant, nunc opprimunt, quia ſui muneris officio incumbens, prout conſcientiæ ſtimulis urgetur, ſua ſpiritali poteſtate utitur, ut quieti fidelium, ut Eccleſiaſticarum legum incolumitati conſulat.

Pontifex, qui regis animum, ſenſa cordis ejus intima, Religionis integritatem penitus novit, ſibi perſuadet, eum nunquam hæc approbaturum conſilia fuiſſe, niſi ſubdolis artibus illi narratum fuiſſet, Breve a ſe editum die XXX. Februarii eo tetendiſſe, ut ingratum faceret, & injuria Principem ejus regii ſanguinis afficeret.

Sed velit Rex paulliſper mente reperere, quæ egerit Pontifex, ut Communitatibus Parmæ, Placentiæ, Guaſtallæque conſuleret; & cum inibi res erat, ut conventio fieret, inopinato, maximo cum Pontificis dolore, Pontifice invito, non ſolum conventio omnis ſed etiam omnis ſpes ejus reſarciendæ reciſa.

Animadvertat Rex, diutinum Pontificis ſilentium auſam ſacerdotii jurium læſioni quotidie majorem dediſſe, in eam ex illo ſilentio iviſſe homines opinionem, ut crederent, illa omnia a Pontifice non ignorata, & tolerata approbari; jam nimium coram Deo reus Pontifex fuiſſet, niſi oſtendiſſet facta ejuſmodi, ſicut Eccleſiæ legibus damnantur, ita ſe quin pœnis, cenſuriſque, quas illa minatur, ſubjiceret, qui eas violabat, non potuiſſe.

Nullam novam legem edidit Pontifex, nullam pœnam novam eſt minitatus, nullam pronunciavit ſententiam, ſed tantummodo, & quidem verbis cautis data opera exquiſitis e ſomno craſſæ ignorantiæ, aut erroneæ conſcientiæ excutere conatus eſt, conciliorum decretis, prædeceſſorum Pontificum conſtitutionibus, quæ vim ſuam nec amiſerant, nec vero amittere poterant; ante oculos propoſitis, ut unuſquiſque animæ ſuæ ſaluti conſuleret.

Eritne hæc æqua cauſa coram Deo, & coram hominibus contra Romanam Eccleſiam, contra ejus quietos ſubditos populos eas acies, illa arma movendi, quæ Deus regibus dedit, ut religionem, æquitatem, populi Chriſtiani pacem propugnarent, conſervarentque?

Neque vero credere Pontifex poteſt, poſſe regem ſuſpicari malo animo id egiſſe Pontificem, quia in eo Brevi jura S. Sedis in eos ducatus innuit. Videt Rex, non potuiſſe Pontificem cum de juriſdictione agitur, quam alii Pontifices exercuerunt, verbum illud (*noſtro*) non adhibere, quin fateretur mortalibus omnibus, ſe juribus illis renunciaſſe, quorum non eſt Dominus, ſed cuſtos, non arbiter, ſed depoſitarius.

Sed neque animus Pontificis pacis ſtudioſiſſimus, & Auguſtæ Regis familiæ amantiſſimus, neque ſua agendi antea ratio eum in ſuſpicionem adducere poterant, ut malo conſilio ea fecerit.

Videat Rex quæ detrimenta in Chriſtianam Remp. redundent cum Chriſtianus populus videt a Religioſiſſimis Principibus Eccleſiæ urbes occupari, quia illius caput diſciplinam tutari vult, quia Eccleſiæ jura defendit;

Jam ſatis rationem ſe redditurum eſſe Deo ſcit Pontifex, quia nimis timide egit, quia caute nimis pluribus temporibus ſe geſſit.

Sed nunc cum tam legitime egerit, nullam excuſationem haberet, niſi conſtanter Eccleſiæ leges tutaretur.

Monet Regem, ut meminerit, ſe quoque appariturum eſſe ante Dei tribunal; neque dijudicare vult nunc, num ſatis ſit ſe purgaturus, quod in hac re potius aliorum conſilia, quam Vicarii Chriſti vocem audiverit.

Qui quidem Chriſti Vicarius, expoſitis jam rationibus, & argumentis, eum hortatur, rogatque ut hoc æquitatis juſtitiæque exemplum mortalibus præbeat, reſtituat Principi Apoſtolorum occupatas ditiones; excitet in illo Deus ea ſenſa animi, quæ illius pietati reſpondeant.

Illi interim totique ejus familiæ Apoſtolicam dat Benedictionem. D.

„ Ita ad Pontificem reſcripſit Rex Catholicus. Si ubi „ primum Pontificis litteras accepit, ſui cordis motibus, „ eique cultui, quo non minus quam ſui majores „ proſequitur Eccleſiam, Chriſtique Vicarium, obtem„ peraſſet, demiſſe Pontifici reſpondiſſet. Verum quo „ dolore afficitur, cum mente repetens originem, un„ de Patris, quem ob ſublimem dignitatem colit, & „ ob ingentes, quibus ornatur virtutes, veneratur, „ mœror proficiſcitur, nullo modo eum illi immi„ nuere poteſt?

„ Vellet, filii ſui utriuſque Siciliæ Regis facta, omnimque ſuæ familiæ principum opera eſſent minus „ recta; tunc, licet in eos nullam poteſtatem habeat, „ eorum prudentiæ, rationique cogitandi, agendique „ fidens officia ſua cum magna boni exitus ſpe inter„ poneret.

„ Verum enimvero ſuntne illi eorum factorum, un„ de mœrorem tantum concipit Pontifex, auctores? Si „ antequam Clemens Eccleſiæ arma contra Parmenſem „ ducem Regium Infantem expediret, ad ejus pro„ pinquos, quod nunc facit, confugiſſet, oſtendiſſent „ Pontifici quæ agit Adoleſcens ille princeps, extra ejus „ poteſtatis, quam a Deo ſimul cum dominio accepit, „ limites non progredi; cum enim ſuptemum dominium ſit unum, ejuſdemque auctoritatis ubique gen„ tium, licere Parmæ Ducibus *poterat* in ſuis ditioni„ bus, quod aliis principibus. Rebuſque p. in ſuis licuit, „ licetque, quæ quidem facultas ſi in aliis principi„ bus non reprehenditur, non damnatur, haud dece„ bat in illo eam reprehendi, eam damnari.

„ Niſi forte hæc diſtinctio tam inviſa, tamque in„ qua his politicis animadverſionibus teneræ Infantis „ Ducis ætatis, ſpei, cum deferendum eſſe a ſuis pro„ pinquis, innitatur.

„ Oſtendiſſet Pontifici Rex, monitorio contra Infan„ tem Ducem omnes, & ſingulos Catholicos principes „ lædi, quoſdam ob imminens periculum ſuorum rega„ lium jurium, quoſdam quia illis primævum jus ſuum „ negatur; cujus uſum, cum libuerit, conſtituere poſ„ ſunt; omnes demum, quia vident, adhuc ſententiam „ vigere negandi Cæſari id quod eſt Cæſaris;

„ Oſtendiſſet, conceſſiones prædeceſſorum princi„ pum perpetuum uſum, poſſeſſionemque non induce„ re; ſed cum abuſus eas populis perniciosas facit, „ eas abrogari poſſe.

„ Demum, ſi Pontifex putabat, ſe argumenta habe„ re ſibi temporale dominium tribuendi, quod jam erat „ præſcriptum, admirandum illi non eſſe, ſi alii ea „ recuperare curabant, quæ ad ſe pertinent.

„ Hæc omnia Rex Pontifici expoſuiſſet ea confiden„ tia, quam illi ingerit ſtudium, quo conſcientiam „ ſuam & facta regere curat, pacæ audiens, quod „ ſemper egit, non argumentum unum, ſed plura, „ non unius claſſis viros, ſed omnium, non ſuſpectos, „ ſed virtute, doctrina, pietate commendabiles. Fortaſ„ ſe regis dicta Pontificem moviſſent.

„ Sed aliter res evenit: vicerunt ſententiæ mole„ ſtæ, immo violentæ; hoſtes pacis, Chriſtiani orbis „ perturbatores finem ſunt conſequuti ſuum, ii, qui ſa„ crilego auſu, cum ſua refert, Religionem principum, „ eorumque miniſtrorum in dubium revocare ſtudent.

„ Gloriatur Rex ſe eſſe Eccleſiæ amantiſſimum fi„ lium, neminem tantum colere, & venerari Pontifi„ cem, quantum ipſe eum veneratur, colitque. Nemo „ magis ſe pacem, & concordiam exoptat. Si Ponti„ fex pari ſtudio tenetur, colloquatur cum miniſtris „ Auguſtæ Borboniæ domus Romæ reſidentibus.

„ Petitque Apoſtolicam benedictionem.

„ E S. Idelfonſo Die XVI. Aug. a. 1768.

Horta-

Hortatur Clemens Cardinalem de Solis, ut Regem Catholicum placet.

LXXV. *In folio ſeparato.* CLEMENS XIII. Francisco S. R. E. Card. de Solis, Inc. *Poſtquam Deus, &c.*

INfelicem ſui Pontificatus vicem dolet Clemens, quia contra Eccleſiam pulcherrimas ſtatus Eccleſiaſtici ditiones occupando conjuraſſe ſummi Reges videantur.

Multo tamen magis dolet Pontifex, quod hujuſmodi Pontificatus contemptus, qui ſit a Catholicis principibus, excitat hæreticorum ſannam, animoſque de Eccleſia maledicendi libertinis addit; quem acerbiſſimum dolorem, inquit Clemens, jam Cardinalis pro illo amore, quo fertur in Eccleſiam, cujus tantam partem ſuſtinet, mente concipere facile poteſt.

Quare ſperat, fore ut Cardinalis his Eccleſiæ calamitatibus permotus efficere curet, ne magis illa afflictetur.

Loquatur ergo cum Rege, eum rogabit, ut Eccleſiæ tutelam ſuſcipiat, eum rogabit, ne amaritudines amaritudinibus addat, doloremque majorem faciat Pontifici.

Pontifex interim Deum orabit, ut Cardinalis verbis vim, roburque indat, quibus Regem convincat,

Illique Apoſtolicam Benedictionem impartitur. D.

„ Reſpondit Cardinalis Pontifici, ſe ex ejus litteris „ maximum percepiſſe dolorem.

„ Quietem, qua regnum Hiſpaniæ fruitur, Regis „ ſtudium pro puriore diſciplina, ſubditorumque popu„ lorum emolumentis pietatis, religioniſque ipſius Re„ gis fructum eſſe.

„ Nullas de violata Eccleſiaſtica immunitate, de „ læſis Eccleſiarum juribus, de divino cultu imminuto „ querelas audiri in Hiſpaniis: nunquam alias tam at„ tente, tam diligenter audita Eccleſiarum Paſtorum „ fuiſſe conſilia, raro Prælatos ejus regni ſe ſæculari„ bus regni, extraneiſque negotiis immiſcere; ſed vin„ cula, quibus Prælati uniuntur cum rege, & cum S. „ Sede eſſe parta.

„ Se nihil ferventius a Deo petere, quam Eccleſiæ „ cum filiis ſuis ita piis, adeo de S. Sede benemeritis „ concordiam.

„ Et quoniam Pontifex ad Regem confugit, facile „ ex ejus æquitate eum eſſe obtenturum, quod una „ cum honore Regis, & cum S. Sedis emolumentis „ ſtare poterit.

Ad Regem Chriſtianiſſimum de eodem argumento.

LXXVI. *In folio ſeparato.* CLEMENS XIII. Ludovico XV. Regi Chriſtianiſſimo, Inc. *Cum ad te, &c.*

NOn de injuriis ſibi, tanquam perſonæ privatæ, quas multo majores meretur, illatis, ait ſe dolere Clemens, ſed de iis, quæ ſupremo Sacerdotio, quod ipſe gerit, inferuntur; quæ in deſpicatum Eccleſiæ, in Eterodoxorum gaudium, & in impiorum, quorum tantus eſt in Catholicis nationibus numerus, lætitiam cum maximo fidelium verorum mœrore, animarumque gravi exitio tandem recidunt.

Præterea cum videat S. Petri patrimonium, cujus ipſe adminiſtrator eſt, pluribus in partibus invadi, & occupari armato milite, non poteſt, quin ad regiam æquitatem confugiat, ut de occupato per milites Avenionenſi ſtatu, comitatuque Venuſino conqueratur, licet invicta ſint ſanctæ Sedis in eas regiones jura jam a Regibus Chriſtianiſſimis approbata & per tot ſæcula quiete Eccleſia eas poſſederit.

Conſolatur ſe tamen Pontifex, quod ſibi conſcius eſt, nullam huic invaſioni ſe cauſam dediſſe, & quod æquitatem Regis optime novit.

Regum Galliarum glorioſa nomina Eccleſiaſtica monumenta celebrant, quod omnium Chriſtianorum Principum primi Eccleſiam regionibus ditarunt. Nolet profecto Ludovicus XV. apud poſteros hoc decus amittere, ut dicatur ab Eccleſia abſtuliſſe bona illa, cujus Progenitores tot S. Sedi dederunt. Jam ſatis abunde bonorum Deus illi eſt elargitus, quin quod eſt Eccleſiæ retinere velit.

Fortaſſe voluerunt quidam in ſuſpicionem adducere Regem, Pontificis voluntatem ab illius Auguſta perſona alienam eſſe, & humanis rationibus permotum edicta Parmenſia irritaſſe. Sed Deum perſancte teſtatur Pontifex, ſperatque, fore ut Rex ejus verbis fidem præſtet, quæ ut Vicarius Chriſti ſummuſque Pontifex profert, ſe humanis finibus ductum id non egiſſe. Novit Rex, ſe per annos ſeptem curaſſe enixe communitatum Parmæ, Placentiæ, & Guaſtallæ poſtulata cum Eccleſiaſtica immunitate, & juriſdictione in iis ducatibus agnita conciliare. Hæ viæ malo fato intercluſæ fuerunt, cum jam meta non longe diſtare videbatur; nil ergo reſtabat aliud niſi ut cariſſimos filios ſuos moneret, conſulerent ſaluti ſuæ; quod ideo fecit, ne ſilentium ſuum leges Eccleſiaſticas, quarum vindex eſt, impune lædi permittere videretur. Non judiciales actus, non monitoria, ait, ſe præmiſiſſe, multoque minus ad declaratorias cenſurarum ſententias deveniſſe; ſe retuliſſe tantum facta in iis ducatibus patrata, & declaraſſe, eſſe illa illorum ſimilia, quæ a ſacris canonibus, & Pontificiis conſtitutionibus damnantur.

Eos ſtatus noſtros diximus, inquit Clemens, non quod eos velit recuperare, ſed ut jura S. Sedis in eos competentia præſervet, quæ renunciare non poteſt, quia Pontificis non ſunt ditiones illæ, ſed Eccleſiæ, cujus Pontifex eſt adminiſtrator, non Dominus.

Teſtatur, ſe omnia potius paſſurum, quam ut Pontificatus officia lædi, leges Eccleſiaſticas violari, jura S. Petri Patrimonii ſuæ commiſſi curæ uſurpari ſinat. Sed ſicut ſolatur ſe Pontifex, quod nullius in hoc genere reus ſit, ante Deum, criminis, ita mœret cum videat periculum, in quo eſt Regis anima, cujus præcipuam curam gerit.

Sperare ſe tamen, ait, fore ut Rex velit ſtatim ea reparare damna, quæ illata Chriſti Vicario, S. Petri patrimonio, univerſæque Eccleſiæ fuerunt. Conſulat animum ſuum Rex, memoria repetat majorum ſuorum exempla, conſidereque in conſpectu Regis Regum opera neque humanæ politices principiis, neque regiminis rationibus purgari poſſe:

Secundum Deum in Regis poteſtate eſſe aut Pontificis mœrorem ſolari, aut augere, occupata Eccleſiæ bona aut retinere, aut reſtituere.

Quodcunque Rex faciet, non deſiſtet tamen Pontifex quotidie preces ad Deum fundere, ut Regem diu ſoſpitem ſervet, & incolumem, ut regiam domum muneribus cœleſtibus augeat, ut ſemper in dies magis, magiſque Galliæ regnum floreat, vigeatque.

D. Romæ, &c.

„ Regis ad Pontificem reſponſionis hæc eſt ſumma: „ ſe negotiorum multitudine impeditum citius Pontifi„ ciis litteris reſpondere non potuiſſe: ſe in iis Reli„ gionis argumenta, pietatiſque ſenſa, qua ornatur Pon„ tifex admiratum fuiſſe; ſe etiam, quod ſibi gratiſſi„ mum fuit, in iis vidiſſe juſtiſſimam eam opinionem, „ quam Pontifex habet, ſe adhærere, adhæſuramque „ ſemper Eccleſiæ ejuſque capiti, cui divina providen„ tia ejus curam commiſit.

„ Voluiſſet enimvero efficere, ne dolore, quo af„ flictatur, afficeretur, concepto ex ea parte, quam „ rex coactus fuit ſuſcipere, cum editum fuit contra „ edicta Parmenſis Ducis Nepotis ſui in iis ditionibus „ evulgata, ut immunitatum Eccleſiarum abuſus tolle„ ret, a Pontifice monitorium.

„ Licet temporalis poteſtas, quam Princeps ille a Deo „ accepit, ſicut omnes alii Principes, hoc jus illi da„ ret per ſemetipſum hos abuſus tollendi, tamen eam „ filialem reverentiam in Pontificem habuit, ut nihil „ in hoc genere ſine approbatione, & auctoritate Pon„ tificis vellet ſtatuere. Sed cum ita obfirmatum in ſua „ opinione Pontificem vidit, ut nihil ſpei ſibi eſſet, „ Pontificem ſententiam mutaturum eſſe, Regius In„ fans ſua facultate eſt uſus; eſt autem uſus modeſtia „ tanta & æquitate, ut omnes Pontificias laudes ſibi pro„ mereri debuiſſet.

Si Pontifex antequam monitorium ederet, voluiſſet „ Regem de ſuis querimoniis admonere, ſimul cum „ aliis principibus Borboniæ Domus Pontifici omnes ra„ tiones expoſuiſſet, quæ illum ab hoc tam præcipiti, „ inordinatoque agendi modo contra Principem re„ vocare debuiſſent, quiſcum profecto mitius agen„ dum erat, qui in ſuis ditionibus niſi eorum partem „ fecit, quæ omnes Catholici principes jamdiu in ſuis „ ditionibus egerunt.

„ Iniquum eſſet tanquam illegitimum haberi quod „ Parmæ factum fuit, cum illud idem æquiſſimum ha„ beatur alibi factum. Sed cujuſdam politicæ artis ra„ tiones, Infantis adoleſcentia, ejus ditionum angu„ ſti ſi-

„ sti limites, opinio, eum deferendum fuisse a suis
„ propinquis, sententias diversas pro locorum, homi-
„ numque diversitate ingesserunt: Bene habet quod
„ Pontifex non tam perverse sentit, illiusque pruden-
„ tia nota est jam satis Regi, ut suspicari possit, hoc
„ animo intendisse Pontificem, ut dominium absolu-
„ tum, & temporale, in quod Ecclesia nec directe, nec
„ indirecte jus ullum habet, sicut jurisdictio, quæ ad
„ Principes spectat, nullum jus habet in jurisdictionem
„ Ecclesiæ, & S. Sedis mere spiritalem, aggrederetur,
„ & impugnaret. Hæc veritas a primis usque christia-
„ næ Religionis sæculis agnita est semper eadem, ne-
„ que immutari, pervertique factis, in quæ semper re-
„ clamatum fuit, potuit, debuitque.

„ Hæ animadversiones Pontificis prudentiæ propo-
„ sitæ proculdubio strepitum, turbasque e Brevis edi-
„ tione sequutas avertissent, nisi violenta, parumque
„ cauta consilia plus quam moderata, & pacifica va-
„ luissent.

In potestate Pontificis est, hæc mala causam illius
„ doloris, mœstitiæque tollere, eamque sibi comparare
„ pacem, quietemque, quam unam tantopere exoptat.

„ Regis legatus, ministrique Domus Borbonjæ Ro-
„ mæ residentes sensa Regum Pontifici aperient; per
„ eos poterit Pontifex Regibus patefacere, an vere pa-
„ cem, concordiamque desideret; illi certe, quantum
„ in ipsis est, nihil magis exoptant, quam illius Pon-
„ tificatus gloriam, tranquillitatemque.

„ Ceterum & aula Gallica scripta edidit, quibus
„ ostendit eas ditiones, Avenionem, quas S. Sedes per
„ aliquot sæcula possedit, non potuisse separari a re-
„ gno Galliæ; quibus scriptis aula Romana respondit.

„ Etiam Aula Parmensis monitorium in iis ducati-
„ bus publicari, legique vetuit, rationesque suas vul-
„ gavit; Aula quoque Romana vulgavit suas. Hæc
„ scripta in omnium manibus versantur.

„ Cum autem principes viderent, monitorium inni-
„ ti Bullæ, quæ dicebatur *in Cœna*, eam proscripse-
„ runt, vetuerintque *illam haberi in confessionalibus*,
„ eam imprimi, eam vendi, & in Portugallia inter-
„ dictum fuit pro illa, & contra illam scribi, dispu-
„ tarique.

„ Die decima nona octobris an. 1768. proscripta fuit
„ Mediolani; die tertia Mensis Novembris eodem an-
„ no Parmæ, die decima sexta Martii an. 1769. Ve-
„ netiis. Jam antea in aliis Europæ regnis vetita fue-
„ rat, in quædam nunquam admissa fuerat.

DE ECCLESIA PARMENSI.

Ablata a Parmensi Communitate ex hac Ecclesia bona, & jura judicatur esse restituenda.

I. B.R. t. 3. p. 1. p. 215. C. C. HONORIUS III. Opizoni Episcopo.

Inc. *Coram venerabili, &c.*

EPiscopus Parmensis coram Episcopo Bononiensi litem movit communitati Parmensi, quæ occupaverat bona non pauca ad Episcopatum attinentia & nonnulla jura, etiam illud præcipue investituræ regiminis dari solitæ ab Episcopo pro tempore existente potestati, seu defensori Parmensis districtus, & bannimenti Clericorum.

Bononiensis Episcopus, testibus citatis, monumentis examinatis, rationibus auditis, judicavit, omnia ablata bona, & jura restituenda esse Episcopo a communitate.

Sententiam ita rogatus ab Episcopo Parmensi laudat, & confirmat Honorius, & ejus executionem jubet.

Nulli ergo &c. Si quis, &c.

D. Viterbii IV. Non. Junii P. a. IV. a. D. 1220.

Comitatus Comiolæ investitio in feudum fit.

II. Ex Ughel. to t. 2. p. 182. BONIFACIUS IX. Jacobo de Rubeis Episc. Veronensi, Joanni, & Petro natis q. Beltrand. de Rubeis olim militis Parmensis.

Inc. *Exigunt summæ, &c.*

UGolinus bonus, optimusque Ecclesiasticæ immunitatis propugnator Ecclesiæ hujus Episcopus e nobilissima familia de Rubeis e Comitibus S. Secundi cum quosdam tyrannos Parmensis Ecclesiæ subditos ad Ecclesiasticam jurisdictionem servandam impelleret, eorundem perfidia, ac potentia a civitate, unaque dioecesi fuerat expulsus; & per decem & amplius annos exulavit. Sedata controversia ad Ecclesiam suam reversus oppida, locaque Episcopatus diruta, & dissipata ita invenit, ut pro restauratione, & vita sua sustentanda decem millium centum, & septuaginta florenorum auctoritate Apostolica ab Jacobo, & Beltrando suis e fratre nepotibus Domicellis de Rubeis mutuo coactus fuerit accipere.

Cum censum non solveret Episcopus, fratres de Rubeis confugerunt ad Pontificem, qui delegavit, qui hanc causam cognosceret, & decideret.

Condemnatus fuit Episcopus, & mensa Episcopalis ad solutionem.

Cum Episcopus intra assignatum tempus non solvisset, creditores immissi sunt in possessionem quorundam locorum ejusdem Ecclesiæ, ea sunt castrum Cornelii, fortalitium Rocchæ Ferrariæ, fortalitium Rocchæ de petra Bartiis cum juribus, pertinentiis, &c.

Ugolini Episcopi pronepotes Jacobus, & Beltrandus supplicarunt Bonifacio, ut easdem terras retinere possent cum iisdem juribus, sub iisdem conditionibus, sub quibus retinebantur a patre suo.

Quod illis concedit Bonifacius:

Immo *de ulteriori dozi gratiæ, etiam pro commodo, & indemnitate dictæ Ecclesiæ Parm. ea bona in feudum nobile, & antiquum nomine Ecclesiæ Parm. illis, & filiis eorum, legitimis, & naturalibus, tantum legitimis non extantibus, ac eorum descendentibus, & posteris, & heredibus, ac successoribus eorum per lineam masculinam ex dicta domo Rubeorum de Parma duntaxat descendentibus concedit, & etiam investit.*

Vult investitos dare juramentum fidelitatis in manu Episcopi Parmensis pro tempore existentis. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. R. apud S. Petrum VII. Id. Mart. P. a. XI. a. D.

DE ECCLESIA PLACENTINA.

Confirmantur hujus Ecclesiæ privilegia.

I. B.R. t. 1. p. 226. C. C. STEPHANUS V. Bernardo Episcopo Placentino.

Inc. *Si consacerdotum, &c.*

PLacentino Episcopo Bernardo petenti suæ Ecclesiæ privilegiorum annuit Stephanus, qui

I. Ejusdem Ecclesiæ bona confirmat quocumque justo modo ad eam legata fuerint, & a quibuscunque,

II. Omnia, & singula ejus jura;

III. Inhibet cuique Episcopo vel in juribus, vel in bonis illi afferre molestias.

IV. Monasteriorum, & Ecclesiarum in ea diœcesi existentium consecrationem, *salvo tamen speciali privilegio Pontificis*, eidem Episcopo assignat;

V. Solitæ pœnarum minæ.

Scriptum per manum Anastasii Notarii Regionarii, & Bibliothecarii S. R. E. in mense Febr. Indict. Nona. Bene valete.

Data 4. Cal. Martii per manum Zachariæ Primicerii S. Sedis Apostolicæ, imperante Domino Piissimo Augusto Vuido a Deo coronato magno pacifico Imperatore anno primo, & post consulatum ejus anno primo Indictione nona, a. 891.

Hæc Ecclesia subjicitur Ecclesiæ Ravennatensi.

II. Ib. p. 196. C. C. GREGORIUS V. Joanni Ravennati Episcopo.

Inc. *Divinæ remunerationis, &c.*

I. APrædecessore suo Joanne XVI. Antipapa Ecclesiam Placentinam a Ravennatensi Ecclesia *injuste subtractam* iterum Gregorius eidem subjicit,

II. Ita subjicit Episcopatum Monte Feretranum, cujus Episcopi consecrationem peragere liberum sit ipsi Archiepiscopo, vel eam alii demandare;

III. Etiam hujus postremæ Ecclesiæ pastoris electionem permittit Gregorius eidem Archiepiscopo.

IV. Solitæ pœnæ.

Scriptum per manum Petri Scriniarii, Notarii, & & Regionarii S. R. E. in mense Julio, & Indictione suprædicta X.

Dat. Non. Jul. per manus Joannis Episcopi S. Albanensis Ecclesiæ, & Bibliothecarii Sanctæ Apostolicæ Sedis, a. 997.

Confirmatio electionis Episcopi, & consecratio.

MI. B.R. t. 2. p. 310. C. C. EUGENIUS III. Moysi Ravennati Archiepiscopo.

Inc. *Dilecti filii, &c.*

CAnonici Placentinæ Ecclesiæ Joannem Abbatem de Columba in Episcopum elegerant,

I. Electionem confirmat Pontifex.

Petierant iidem Canonici consecrationem electi Episcopi a Romano Pontifice; de qua re graviter questus fuit Archiepiscopus Ravennas.

Pontifex auditis partibus, decernit,

II. Ut electi Episcopi consecratio debeat fieri a Ravennate Archiepiscopo.

III. *Si quis igitur, &c.*

Datum Pisis per manum Guidonis Diac. Card. & Cancell. IV. Id. Novemb. Indict. XII. Incarn. Dom. an. MCXLVIII. Pontific. vero D. Eugenii PP. III. anno IV.

Episcopus jubetur terram de Burnetto Canonicis Ecclesiæ S. Antonini restituere.

IV. Ib. p. 198, C. C. ALEXANDER III. S. Placentino Episcopo.

Inc. *Ex transmissa, &c.*

COnquestis Canonicis Ecclesiæ S. Antonini Placentiæ terram de Burnetto ad eam spectantem injuste retineri ab Episcopo Placentino,

Mandat Episcopo Alexander, ut eam restituat, vel *coram judice communiter electo plenam justitiam non differat exhibere.*

Dat. Beneventi Id. Mar. a. 1168.

Mandatur Episcopo, ut det decimam monasterio S. Savini.

V. Ib. p. 426, C. C. ALEXANDER III. T. Episcopo.

Inc. *Significantibus, &c.*

HUgo Placentinus Episcopus decimam Clausi Monasterio S. Savini detraxerat, & vegetem unam vini, quam Episcopi Placentini solebant monasterio dare, nunquam dederat.

Pontifex hortatur Episcopum, ut det & vinum, & restituat decimam, præcipue cum post Hugonem Arduinus Placentinus Episcopus id egerit.

D. Anagniæ VI. Id. Apr. 1173.

Ecclesiæ in Castro Speculi, & S. Christinæ adjudicantur Episcopo Placentino.

VI. Ib. p. 427. C. C. ALEXANDER III. Episcopo Placentino.

Inc. *Ex litteris, &c.*

EPiscopus Brixiensis delegatus a Pontifice judex in Controversia de Ecclesiis in Castro Speculi, & S. Christinæ, utrius Episcopi Parmensis ne, an Placentini essent, eas adjudicavit Placentino.

Alexander sententiam confirmat, & appellationem fieri vetat.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

Datum Anagniæ VI. Id. Novembris anno 1173.

Nova bonorum hujus Ecclesiæ confirmatio.

VII. Ex Ugh. t. 2. p. 220. INNOCENTIUS III. Grumerio Episcopo, & successoribus, &c.

Inc. *In eminenti, &c.*

ELectus Grumerius ad hanc Placentinam Ecclesiam petiit ab Innocentio ejusdem Ecclesiæ bonorum confirmationem.

Pontifex ea recenset, & ea confirmat, sicut etiam confirmat bona, quæ canonice possessura est.

Convenit hoc diploma cum aliis ejusdem generis.

Datum Laterani per manum Rainaldi Archiepiscopi Cancellarii vicem Agentis S. Id. Novemb. Indict. 2. Incarn. Dom. an. 1199. Pontificatus vero D. Innocentii Papæ III. anno 2.

„ Joannes XVI. exemerat hanc Ecclesiam ab jurisdi-
„ ctione Ecclesiæ Ravennatis eamque Archiepiscopalem
„ fecerat. Sed successor Gregorius V. eam iterum illi
„ Ecclesiæ subjecit, spoliavitque titulo Archiepiscopa-
„ tus. Neutram Bullam inveni.

„ Legatur Ughellus t. 2. p. 352.

DE CANONICIS PLACENTINIS.

Privilegia Cathedralis Ecclesiæ Placentinæ.

I. B.R. t. 2. p. 216. C. C. INNOCENTIUS II. Præposito, & Canonicis majoris Ecclesiæ Placentinæ.

Inc. *Officii nostri, &c.*

I. BOna ad Placentinam Ecclesiam spectantia Innocentius confirmat.

II. Quæ percenset,

III. Vetat Episcopis ullam exactionem super ea bona Canonicis imponere;

IV. *Si qua igitur, &c.*

Datum Brixiæ per manum Aymerici S. R. E. Diac. Card. & Cancell. IV. Cal. Aug. Indict. XI. Incarnat. Dom. anno MCXXXIII. Pontific. vero D. Innocentii PP. II. anno IV.

Concessio his Canonicis Ecclesiæ S. Joannis de Viculo.

II. Ib. p. 238. C. C. INNOCENTIUS II. Præposito majoris Ecclesiæ Placentinæ.

Inc. *Ex administratione, &c.*

ECclesia S. Joannis de Viculo *infra Placentini Episcopatus fines spectans ad jus S. Sedis jam valde attrita in spiritualibus, & temporalibus*, rogaverat Præpositus Ecclesiæ majoris Placentinæ, ut daretur Ecclesiæ Placentinæ Canonicis, qui *ad melioramentum* eam reducerent.

Eam illis Pontifex concedit, ita tamen,

I. Ut quotidie ibi famulatus honestus Deo impendatur,

II. Si id Canonici non præstent, ocus redeat ad pristinum jus S. Sedis;

III. Solvant singulis annis dimidiam unciam auri Lateranensi Palatio,

IV. Ecclesiam, & bona declarat Pontifex libera.

V. *Si quis igitur, &c.*

Datum Pisis per manum Aymerici S. R. E. Diac. Card. & Cancell. VIII. Id. Junii, Indict. XIV. Incarn. Dom. anno MCXXXVI. Pontif. vero D. Innocentii Papæ II. anno VIII.

Episcopus Parmensis observari faciat a Clericis per decennium, quæ Dux pro ubertate annonæ decreverat.

III. B. R. t. 5. P. 5. p. 115. C. C. GREGORIUS XV. Episcopo Parmensi.

Inc. *Cum sicut, &c.*

DUx Parmæ, & Placentiæ Alexander quasdam ordinationes fecerat pro conservanda in suis dominiis ubertate observandas a Laicis, scilicet ne bladæ possent inde extrahi: & ut omnis collecta copia significaretur a Dominis Gubernatoribus locorum, in quibus sunt prædia.

Ut etiam hæ observarentur ab Ecclesiasticis totius Ducatus, mandat Gregorius prædicto Episcopo, ut per facti, & juris remedia Clericos ad id possit cogere. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Junii P. a. III. a. D. 1623.

DE BURGO VALLIS TARI.

Burgum Vallis Tari datur in feudum nobile Lucæ de Fliſco Comiti Lavaniæ,

I. Ex Lunig. t. 1. p. 2259. JOANNES XXIII. Ludovico S. Hadriani Diac. Card. & N. V. Lucæ de Fliſco Militi Januenſi, & Comiti Lavaniæ.

Inc. *Sedis Apoſtolicæ, &c.*

TErram Burgi Vallis Tari in Placentiæ diœceſi ſitam ad Pontificem, & Romanam Eccleſiam pleno jure pertinentem, & a gente Fliſca, e qua erat Cardinalis prædictus S. Hadriani, & Lucas, per aliquot annos poſſeſſam, motu proprio, Joannes concedit, dat, & donat præfato Lucæ, & ejus ſucceſſoribus in perpetuum cum ejus Vaſſallis, hominibus, Caſtris, fortalitiis, &c. mero, & etiam mixto imperio, ac gladii poteſtate in feudum gentile, ſeu nobile;

Feudatarius tamen annuatim cenſum unius Accipitris in feſto BB. AA. Petri, & Pauli in Romana Curia Cameræ Apoſtolicæ, aut Collectori fructuum, & proventuum in Januenſi vel Placentina diœceſibus ſolvet; N. O.

In manu ejuſdem Collectoris vult eos juramentum fidelitatis dare, ſuper quo fiat inſtrumentum ad Cameram A. tranſmittendum.

Nulli ergo &c. Si quis, &c.

D. Bononiæ VII. Cal. Maji P. a. IV. a. D. 1414.

Mandatur quibuſdam prælatis, ut inveſtiant de hoc feudo Lucam de Fliſco.

II. Ibid. p. 2260. JOANNES XXIII. Bituntino, & Brugnatenſi Epiſcopis, & Odorico de Glemona Januenſi Canonico.

Inc. *Sedis Apoſtolicæ, &c.*

PRædictis Prælatis narrat Pontifex, ſe dediſſe in feudum Lucæ Fliſco terram Burgi Vallis Tari, & quibus ſub conditionibus.

Tum iis mandat, ut vel omnes, vel duo, aut unus eundem Fliſcum per ſe, vel per procuratorem ejus inveſtiant, h. e. immittant in realem ejuſdem feudi poſſeſſionem; cogantque vaſſallos eidem reſpondere de fructibus, proventibus &c. ejuſdem terræ.

Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas comprimant appellatione poſthabita. N. O.

D. Bononiæ VII. Cal. Maji P. a. IV. a. D. 1414.

Fabletus de Fliſco excommunicatur.

III. Ex Lunig. t. 1. p. 2050. SIXTUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Novit univerſus, &c.*

PAcem compoſuerat Sixtus inter Chriſtianos principes & præcipue Italiæ, ut Turcarum progreſſus retardaret, qui acrius Remp. Chriſtianam vexabant, jamque Hydruntum ceperant, & obtinebant, videbanturque ulterius progredi. Jamque naves multæ erant in Januæ portu, moturæ in Turcas; eoque miſerat Sixtus Joannem Baptiſtam S. Viti in Macello Cardinalem Diaconum, ut expeditioni præeſſet.

Jabletus Fliſcus Clericus, & Notarius Apoſtolicus, qui amicitiam cum Montenegro acerrimo pirata contraxerat, noctu *cum quingentis fere hominibus armatis appoſitis ſcalis ad mœnia urbis Januæ, & perforatis mœnibus ejuſdem ipſam hoſtiliter ingreſſus fuit cum ingenti perturbatione legati, & apparatus Claſſis.* In animum enim induxerat ſuum Jabletus hoc tam pium opus impedire.

Ipſe ſuaſerat eidem Montenegro ut aggrederetur duas Caravellas, quas Portugalliæ Rex in auxilium inſulæ Rhodi obſeſſæ a Turcis mittebat. Sed bene habuit, quod pirata fuit vulneratus, & navem unam e tribus, quas habebat amiſit.

Ipſe movit piratam ut navem frumento onuſtam, quam Pontifex Januam mittebat ad Claſſem aggrederetur, ut caperet.

Cum hæc contra totam Chriſtianam Remp. contra patriam ſuam egiſſet Jabletus prædictus, legatus Cardinalis eum excommunicavit juſſu Sixti. Quam quidem pœnam contempſit Jabletus; immo vetuit ſubditis ſuis ne illam timerent.

Quæ omnia cum nota fuiſſent facta Pontifici partim e fama publica, partim ex proceſſibus a legato factis, confirmat excommunicationis ſententiam; ordine ac privilegio Clericali, & protonotariatus officio, honore, inſigniis privat &c. & tanquam membrum putridum ab Eccleſia ſeparat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Non. Julii P. a. X. a. D. 1481.

Mandatur Auditori Generali C. ut procedat contra Andream ab Auria Vallis Tari invaſorem.

URBANUS VIII. ad f. r. m. IV. B.R.t.6, p. 1. p. 76. C. C.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

OCcuparat *neſcitur, quo ſpiritu duſus* Princeps Joannes Andreas ab Auria terram Vallis Burgi Tari ratione directi dominii ad Romanam Eccleſiam attingentem.

Cum igitur ille ex hac invaſione, & occupatione cum ſuis complicibus cenſuras Eccleſiaſticas incurriſſet, mandat Urbanus præfato Auditori, .

Ut in eum, ejuſque complices procedat, monitoriaque citatoria affigi faciat valvis Eccleſiarum Bononienſis, & Ferrarienſis ad ejus notitiam. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XI. Aug. P. a. XIV. a. D. 1636.

In hiſtoria legantur Controverſiæ de hoc feudo inter Imperatorem Rodulphum, & Raynutium Ducem Parmenſem excitatæ a. 1594.

DE URBE MASSA.

Maſſanus populus reprehenditur, quod Epiſcopum ſuum contumeliis affecerit.

INNOCENTIUS IV. Univerſo populo Maſſano. I. ex Ughello t. 3. p. 716.

Inc. *Cum ſit, &c.*

„ ADhærebat Friderico II. Imperatori Maſſanus po-
„ pulus, Pontifici Epiſcopus. Ideo pluribus injuriis Epiſcopus a populo affectus Epiſcopalem Sedem
„ reliquerat, confugitque ad Innocentium,

Qui his litteris graviter populum objurgat,

Qui cum ſciat maledici a Deo qui contriſtat matrem ſuam, non veretur contumeliis vexare paſtorem ſuarum animarum, a quo paſcitur verbo, & pane Euchariſtico, præcipue cum ejus *civitas tam ſpiritualiter, quam temporaliter ad Eccleſiam ipſam pertineat pleno jure.*

Jam populus ab ejuſdem obedientia ſe ſubduxerat, Eccleſiam ſpoliarat bonis & poſſeſſionibus, & ad ſummam egeſtatem Epiſcopum redegerat.

Hortatur Innocentius populum, ut ablata reſtituat, ut ſublevet a debitorum onere Eccleſiam, Epiſcopumque paſtorem, & Dominum recipiat.

Alioquin, ei ſignificat, ſe permiſiſſe Epiſcopo quocumque velit transferre ſedem epiſcopalem, ubi decentius, quietiuſque vivere poſſit.

D. Peruſii Non. Maji P. a. IX. a. D. 1250.

DE REGNO ADRIÆ.

Concilium inſtituendi regnum Adriæ.

CLEMENS VII. Antipapa Ludovico Regi Adriæ, Duci Andegavenſi. I. B.M.p.3. vel t. 2. p. 209. 2

Inc. *Conſtituti in ſuprema, &c.*

ANtipapa Clemens VII. Cardinalis Gebennenſis (quoniam hæc quoque Bulla eſt in M. B. deprompta ex Leibniziana collectione) conſiderans provincias multas Italiæ, & præcipue ſubjectas S. Sedi circumdatas a multitudine Tyrannorum inhiantium eis, ut illas liberet, ſtatuit ex iis regnum eſſormare, & eo inveſtire Ludovicum Ducem Andegavenſem.

Novus

Novus rex appellabitur rex Adriæ; ſubjectas habebit regiones Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoleti, Bononiam, Ferrariam, Ravennam, Peruſium, Tudertum cum ſuis agris, & Patrimonium S. Petri in Thuſcia, Campaniam, Maritimam, & Sabinam in Feudum perpetuum tranſmittendum ad heredes ſive mares, ſive feminas, illis tamen his præferendis.

Linea deficiente Ludovici aſſumatur in regem aliquis e regia Franciæ ſtirpe;

Neque ipſe Ludovicus, neque ejus heredes poſſint regnum dividere;

Præſtabit, & ipſe, & ejus ſucceſſores homagium, & juramentum fidelitatis S. Sedi (apponiturque formula.)

Si rex eligatur in regem Romanorum, vel Lombardiæ, aut dimittat imperium, aut regnum; ita unica ſuperſtes filia ducere non poſſit in virum Romanum regem.

Rex autem aut reſideat Romæ, aut in aliqua urbe ditionis Eccleſiaſticæ.

Reges Adriæ aſſiſtere teneantur Pontifici, ſi indigeat auxilio.

Præterea rex Adriæ non poſſit ſuccedere in regnum Siciliæ;

Sed neque regi Siciliæ bellum inferre, nec ſocietates inire cum hoſtibus Eccleſiæ poſſit;

Nullum præjudicium inferet Eccleſiis, & Eccleſiaſticis illius regni, neque bonas conſuetudines immutabit.

Omnes cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinentes permittet rex agi in foro Eccleſiaſtico;

Statuta non edet contra Eccleſiaſticam libertatem,

Solvet pro cenſu quotannis Rex quadraginta millia Florenorum boni auri juxta valorem Cameræ in die BB. AA. Petri, & Pauli;

Quem cenſum niſi rex, & ſucceſſores ſolverint ad prædictum tempus, ſint excommunicati; ſi admoniti differant per duos menſes, terræ regni interdicantur; ſi per alios duos differant, regno cadant, & S. Sedes inveſtiat alium.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Spelunga Cajetanæ Diœceſis XV. Calend. Maji P. a. I. a. D. 1379., ut placet Dacherio; an. 1382. ut Leibnitio.

DE HELVETIIS.

Gratulatio de obtenta victoria.

I. Ex Rayn. ad ann. 1513. §. 21. LEO X. Helvetiis libertatis Eccleſiaſticæ defenſoribus.

Inc. *Equidem cum, &c.*

„ IN ſocietatem pellecti Helvetii fuerant a Maximi-
„ liano Mediolanenſi Duce contra Ludovicum XII.
„ Gallorum regem, quatuor iis præfecturis datis, quas
„ dicunt præfecturas Italicas, Lugano, Bellinzona, Locarnio, & Valle Madiæ. Contra Gallos pugnarunt,
„ eoſque ſtrage tanta affecerunt, ut inde omnes receſ-
„ ſerint. „

Licet doleat Leo, tantum eſſe Chriſtiani ſanguinis in ea victoria effuſum, tamen cum videat per eam victoriam, quam de ſchiſmaticis Gallis Helvetii retulerunt liberatam eſſe Eccleſiam, non poteſt non magnopere gaudere, & Helvetiis de ſumma fortitudine in eo prælio adhibita gratulari.

Nempe dederunt pœnas execrationum ab Julio iis inflictarum, Deuſque de injuriis ab iis in Eccleſiam illatis juſtiſſimas pœnas expoſcit.

Reliquum eſt, ut fidi, conſtanteſque in vera cauſa Helvetii perſiſtant, ad quam conſtantiam eos Leo hortatur.

Dat. Romæ apud S. Petrum prid. Id. Jul. P. a. I. a. D. 1513.

Excitantur Helvetii in Turcas ad fœdus.

II. Ad ann. 1515. §. 11. LEO X. Helvetiis, &c.

Inc. *Dicimus noſtra, &c.*

QUam retulerit Selimus contra Perſas victoriam ſignificat Helvetiis Leo.

Illiſque oſtendit, quam grave periculum univerſæ Chriſtianæ Reip. immineat, niſi ille coerceatur.

Tum illis ſignificat, ſe in Concilio Lateranenſi conſtitutionem edidiſſe de concordia principum, & de fœdere contra Mahumedanos ineundo.

Helvetios quoque ad illud invitat fretus eorum pietate, devotione in Eccleſiam, & obſequio in S. Sedem.

D. in Villa Severina VI. Cal. Feb. P. a. II. a. D. 1515.

Ne per ſeparationem Helvetiorum paci publicæ obſiſtatur.

III. Ad ann. 1516. §. 76. LEO X. Matthæo Cardinali Sedunenſi.

Inc. *Certiores nos, &c.*

„ OCto Pagi fœderati ſignificarant Pontifici, ſe pa-
„ ratos eſſe ſimultates cum Galliarum rege de-
„ ponere, fœdusque cum illo inire, ſi Turcas aggre-
„ deretur, ut Rex Franciſcus promiſerat Leoni. Car-
„ dinalis Sedunenſis vir magni conſilii, auctoritatiſque
„ inter Helvetios ab hoc fœdere eos avertebat; præ-
„ videbat enim Gallum occupato Mediolanenſi Duca-

„ tu ſe paraturum eſſe invadere Regnum Neapolita-
„ num, illudque Carolo V. Imperatori, poſtea Hiſ-
„ paniarum Regi adimere, Italiamque captivam fa-
„ cere.

„ Quod poſtea Leo ipſe confeſſus eſt, avertitque
„ animum a Gallis, & Auſtriacis adhæſit, laudavit-
„ que Cardinalem. „

Eum tamen, his litteris monet, ne bono pacis ſeſe opponat, ut potius ſtudeat permovere eos pagos, qui minus Gallo favent, ad illi impenſius favendum; ſi Turcæ regiones Chriſtianorum capient, cauſam omnes Cardinali adſcripturos, quod fœdus impediit.

Hoc ex officio præſtare debet, cum ſit Cardinalis;

Debet meminiſſe, quantum a Pontifice ametur, cujus voluntati, præcipue bonæ, nefas eſſe reſiſtere, ducere deberet.

D. Florentiæ XVI. Calend. Mart. P. a. III. a. D. 1516.

Rogantur Helvetii ut ſubſidia mittant, & revocent ab exercitu hoſtili ſuos.

LEO X. Helvetiis. IV. Ad ann. 1518. §. 87.

Inc. *Si Franciſco, &c.*

„ OCto Helvetiorum millia conduxerat Leo, ſti-
„ pendiaque ad eos miſerat, ut pugnarent cum
„ Laurentio de Medicis, contra Franciſcum Mariam
„ Roboreum detruſum ex Urbini Ducatu eumque re-
„ cuperare volentem.

„ Cum varias excuſationes ſuæ moræ necterent, eos
„ exſtimulat Leo ad deſcenſum in Italiam. „

Se quidem, ſcribit, non defuiſſe iis conditionibus, quæ ſtatutæ fuerunt, exſolviſſe, & reliquias præteritorum ſtipendiorum, & miſiſſe nova; eos, qui ad defenſionem Chriſtianæ Reip. currere deberent, vel non conductos, nunc conductos morari, tergiverſarique; videant ne nomen illud, quod hactenus habuerunt, propugnatorum S. Sedis, amittant.

„ Quia vero multi Helvetii ſe contulerant in caſtra
„ Franciſci Mariæ ſpe prædæ ſine ullis ſtipendiis, „

Eos monet Leo, ut illos revocent. Meminerint quæ beneficia a Pontifice acceperint, quæ ſperare poſſint; ne ſint ergo ingrati, neque imprudentes;

Si vetant ſuis hominibus in caſtris Pontificis militare cum ſtipendiis, multo magis vetare debent ſuos militare contra Pontificem in caſtris Franciſci.

Dat. Romæ apud S. Petrum VII. Id. Julii P. a. I. a. D. 1517.

Laudantur Helvetii, quod Lutheri doctrinam rejecerint.

CLEMENS VII. Helvetiis. V. Ad ann. 1524. §. 52.

Inc. *Nihil potuit, &c.*

HElvetios ſummopere commendat Clemens, quod Lutherum contempſerint; *apud quem non ratio,*

non modus, non ſanctiſſimorum Doctorum valet auctoritas, non reſpectus Dei, non cura religionis, qui omnia vincula fidei, caſtitatis, abſtinentiæ perrumpere conatus eſt, ut omnibus mixtim, ac perturbate, & ad libidinem vivendi furorem quemdam, atque inſaniam immitteret; qui ſi ſpiritum aliquem, non Dei (longe abeſt a Deo) ſed moderati modo hominis habuiſſet, non ſibi ipſe toties in ſuis ſententiis contradixiſſet, non quæ prius vera, mox falſa, quæ antea vana poſt probanda eſſe aſſeruiſſet: non odio diſcordia, furore injuſtitiis, & patriam ſuam, & cunctam fere Germaniam inter ſe concitaſſet.

Prudentiſſime igitur hunc hominem Helvetii oderunt, ex quo odio arguere licet, quanto in pretio Catholica religio ſit.

Eos hortatur, ut in hoc inſtituto perſiſtant, neque a ſuorum majorum religione diſcedant, nec nomen illud, quod hactenus conſervarunt, fidiſſimorum Religionis Chriſtianæ propugnatorum amittant.

Et quoniam habendus erat conventus pagorum, eos hortatur, ne permittant quicquam in eo decerni, quod Chriſtianam religionem lædere poſſit.

D. Romæ apud S. Petrum die XIX. Apr. P. a. I. a. D. 1524.

Dolet Pontifex tres Pagos in eo conventu defeciſſe a Catholica Religione.

VI. Lib. 9. 54. CLEMENS VII. Oratoribus Helvetiorum ex decem Cantonibus ad dietam in Zug congregatis.

Inc. *Veſtram erga, &c.*

„ PRopoſitum fuerat in iis conventibus de aſſerenda „ Catholica Religione adverſus novatores. Sed „ trium Pagorum (vulgo *Cantoni*) oratores Zuinglia- „ no errore infectorum ſeſe ſepararunt ab aliis de- „ cem; „

Ad oratores horum decem Clemens ſcribit;

Ac primum deplorat infelicitatem eorum pagorum, qui a Catholica fide deſciverunt, & quia eſt communis gregis Chriſti ovium paſtor, & pater, & quia videt eorum animas eſſe perdendas, & quia timet, ne alii quoque inficiantur hæreſi.

Rogat eos, ut ſaltem ipſi in fide perſtent, ut ſaltem ipſi eas lacrimas abſtergant, quas e ſuis oculis fundere ex aliorum defectione cogitur.

D. Romæ apud S. Petrum die XXIII. Oct. P. a. I. a. D. 1524.

Hortatur Pontifex Helvetios, ut ſtrenue ſe gerant.

VII. Ad ann. 1526. §. 16. CLEMENS VII. Helvetiis, &c.

Inc. *Multi præſtantes, &c.*

QUinque Helvetiorum millia conduxerat Clemens contra Carolum V. pugnaturos ſub Duce Urbinati fœderati exercitus Imperatore.

In Italiam progreſſos eos hortatur, ut illius nominis famam, quam per tot ſæcula ſui majores ſibi comparaverant virorum fortium, fidorumque ſuſtinerent, ampliricarentque.

Scirent, ſpem magnam victoriæ in iis eſſe ſcitam; pugnent ſtrenue, & meminerint Religionis Catholicæ, cujus cauſam ſuſtinent.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1526.

Gratulatio de obtenta victoria.

VIII. Ad ann. 1531. §. 30. CLEMENS VII. Helvetiis pagorum Lucernæ, Uraniæ, Suitz, Underwald, & Zug.

Inc. *Optaviſſemus, &c.*

„ PAgi Hæretici cum plures numero, & potentiores „ Catholicis eſſent putarunt, ſe facile eos opprimere „ poſſe, eoſque cogere, ut fidem Catholicam deſererent. „ In eos ergo arma moverunt, Sed ingenti clade fue- „ runt repulſi. „

De hac igitur victoria gratulatur his litteris Clemens;

Qui optaſſet quidem gratulari potius octo illos pagos, qui a Catholica religione deſciverunt, vel numquam deſciviſſe, vel rediiſſe ad illam;

Sed quoniam occulto Dei judicio id permittente, defecerunt, gratulatur victoribus quinque pagis, eos victores extitiſſe; Dolet quidem Clemens de effuſione tanti ſanguinis, ſed non poteſt non lætari cum illis de tanta victoria.

D. Romæ apud S. Petrum die XXIII. Oct. P. a. VIII. a. D. 1531.

Ad conſtantiam quinque pagi Catholici accenduntur.

CLEMENS VII. Quinque pagorum Catholicorum incolis, IX. Ib. §. 31.

Inc. *Scribente ad nos, &c.*

„ OCto Hæretici pagi fracti quidem fuerant viribus, „ ſed non animis; majores enim copias contra- „ hebant commiſſuri rurſus prælium. „

Quod cum per litteras ſignificatum Clementi fuiſſet, *Quamvis in ſumma pecuniæ difficultate verſaretur*, tamen ad Catholicos cantones nummaria ſubſidia ſe mittere ſcribit;

Polliceturque ſe majora mittere,

Et excitaturum Catholicos principes ad præſtandum iis auxilium.

Eos hortatur ad conſtantiam in ea cauſa, quæ Dei eſt, & pro qua Deus eſt pugnaturus, ſicut antea pugnavit.

Dat. Romæ apud S. Petrum die XXIX. Oct. P. a. VIII. a. D. 1531.

Gratulatio de concordia Catholicorum pagorum, cum Turicenſibus facta.

CLEMENS VII. Quinque pagis Cath. X. Ib. §. 33.

Inc. *Litteræ veſtræ, &c.*

„ AD triginta millia militum collegerant pagi Hæ- „ retici præter ſubſidia Germanorum. Catholici „ magno animo inopinato eos ſunt aggreſſi, magnam- „ que de iis ſtragem ediderunt. Ulricus Zuinglius, qui „ hæreſim diſſeminarat, & Joannes Oecolampadius in „ prælio perierunt. Turicenſes pacem cum Catholicis „ fecerunt, inieruntque cum iis fœdus. „

Hoc ſcripſerunt Catholici Pontifici,

Qui reſpondet, ſe de hac tanta victoria gratulari ſummopere;

Gratulari, quod Turicenſes ad officium redierint, concordiamque cum illis feciſſe,

Se multo impenſius fuiſſe gavifurum, quoniam victores erant, ſi victoria uſi reliquos hæreticos pagos ad reditum ad fidem coegiſſent;

Se tamen ſperare, fore ut ſua prudentia ſine armis ad ejurandam hæreſim reliquos pagos moveant.

D. Romæ apud S. Petrum die X. Dec. P. a. IX. a. D. 1531.

Gaudium ſignificatur, quod Soludurenſes in fide perſtiterint.

CLEMENS VII. Sex Cantonibus Catholicis, XI. Ad ann. 1531. §. 61.

Inc. *Quanta cura, &c.*

PEllicere omni ſtudio ad defectionem a Catholica fide pagi hæretici Soludurenſem pagum ſtuduerant.

Artes detectæ fuerunt; Catholici pagi opem tulerunt Soludurenſibus, & in fide perſtiterunt.

Gratias de hoc debitas agit Deo Pontifex,

Deinde Catholicos laudat, quod hanc conjurationem detexerint, eamque exſufflarint,

Internuntjus Pontificius apud eos illis deſiderium quo ardet Clemens iis amorem ſuum teſtandi ſignificabit.

Eos rogat, ut invigilent, neque ſe decipi ab hæreticorum verſutiis patiantur.

D. Romæ apud S. Petrum die XVI. Dec. P. a. XI. a. D. 1533.

„ Aliæ gratulariæ Pontificis litteræ multæ ſunt; „ Quæ cum ſint ejuſdem argumenti eas miſſas feci- „ mus. „

Invi-

Invitat Helvetios Pontifex ad militandum ſub Eccleſiæ ſignis.

XII. Ad ann. 1541. §. 45. PAULUS IV. Helvetiis tredecim Cantonum ligæ Superioris Alemanniæ.

Inc. *Credimus devotiones, &c.*

CUm audiret Pontifex ingentes Solimanî apparatus volens cum aliis fœderatis principibus ei reſiſtere, ita Helvetiis ſcribit;

Jam eos non latere, quanta paret Turca, ut Italiam aggrediatur, & præcipue provincias S. R. Eccleſiæ, eaſque devaſtet,

Eos etiam non latere, ſe Nicæam iviſſe, & pacem conciliaſſe inter præcipuos Chriſtianos principes; ſe paraſſe claſſem, ut illi reſiſtat;

Se tamen plurimum ſpei in Helvetiis habere, quorum fidelitatem, fortitudinemque ſæpe R. Eccleſia eſt experta.

Sicut autem ſui prædeceſſores eos plurimum amarunt, plurimique fecerunt, ita ſe amare, & plurimi eos ducere.

Eos igitur rogat, ut, ſi hoſtes in Eccleſiæ terras deſcendent, ſigna ſuſtollant, & in Eccleſiæ defenſionem veniant *pro honeſtis, & competentibus ſubſidiis*, ſicut iis uberius exponet Nuntius, quem idcirco ad illos mittit;

Gratum, & memorem ſe tanti beneficii futurum ſemper eſſe iis teſtatur Paulus.

D. Romæ apud S. Petrum die XVII. Maji P. a. VII. a. D. 1541.

„ Eos invitavit Paulus ad Concilium diverſis litteris „ Catholicos quidem, ut in fide confirmentur validius, „ hæreticos, ut detegant errores; „ Iter eſſe breve, ait, nam erat indictum Tridenti „ habendum; liberum erit cuique ſuas ſententias ex- „ ponere. Non præſtat in his bullis longius immo- „ rari. „ Eodem eos invitavit etiam Julius a. 1550. ad Ca- „ lendas Maji. Nihil ſcitu dignum continent hæ lit- „ teræ. „

Curienſis Epiſcopus inducat Helvetios inire fœdus cum Sabaudiæ Duce.

XIII. Ad ann. 1560. §. 29. PIUS IV. Comenſi Epiſcopo.

Inc. *Dilectum filium, &c.*

„ REx Galliæ, & Philibertus Dux Sabaudiæ fœdus „ inierant, ut Genevam ex hæreticorum manibus eriperent, quia in ea conjuratio conflata fuerat „ contra Regem Galliæ Franciſcum. „

Pontifex mandat internuntio ſuo apud Helvetios, qui erat Epiſcopus Comenſis, ut perſuadeat iiſdem hoc fœdus amplecti.

Nihil gratius facere poteſt Pontifici.

Ad illum ſcribit etiam Cardinalis Carolus Borromæus, poſtea Archiepiſcopus Mediolanenſis, nunc Sanctus, Pontificis nepos e ſorore.

D. Romæ apud S. Petrum die XIV. Junii P. a. I. a. D. 1560.

Commonentur Baſileenſes de Concilio in ſua urbe celebrando.

XIV. Ad ann. 1434. §. 6. MARTINUS V. Proconſulibus, Conſulibus, & Communitati civitatis Baſileenſis.

Inc. *Dudum præſidentes, &c.*

MArtinus præſidens in conſilio Senenſi adhærens decreto Conſtantienſis Concilii jubentis œcumenica concilia celebrari de ſeptennio in ſeptennium, Baſileenſes monet ſe de conſilio, & conſenſu Fratrum delegiſſe eorum urbem, in qua infra ſeptennium juſſum Concilium haberetur.

Eam urbem eligit, quia civium pietatem in Deum, in R. Eccleſiam devotionem novit, quia novit obſequium, quo perſonam Pontificis proſequuntur, quia ſcit probitatem civium, amorem eorum quietis, & pacis; præterea urbs eſt commoda; conditque, fore ut cives pacem ſervaturi ſint, & effecturi ut abundantia, & caritas ibidem vigeat.

Hoc cum ad commodum, & honorem eorum, & ad utilitatem totius Eccleſiæ caſurum ſit, æquum putavit Pontifex eos admonere, ut ita commode res diſponere poſſent, ſeque devotos ſervare; ita agentes præſulibus concilio interventuris ſegetem amplam dabunt eos collaudandi, eorumque prudentiam, probitatemque extollendi.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Id. Apr. P. a. VII. a. D. 1424.

Ratio redditur Baſileenſibus, cur alio transferatur Concilium.

EUGENIUS IV. Magiſtro civium, & Conſulibus civitatis Baſileenſis. XV. Ad ann. 1437. §. 17.

Inc. *Semper alius, &c.*

GRatias plurimas Eugenius Baſileenſibus agit de beneficiis in Legatos AA. collatis; quorum quidem beneficiorum memoria ſemper apud A. Sedem extabit. Amabat jam antea Pontifex Baſileenſes, ſed mirum quantum amor ſuus ex hac meritorum acceſſione in eos excrevit.

Pergant eſſe ita prudentes, ut fuerunt hactenus, & quieti urbis conſulant in diſſolutione Concilii præcipue.

Sciunt enim agendum eſſe de concordia inter Eccleſiam Latinam, Græcamque, quæ concordia adeo, tandiuque a Latina exoptata fuit. Spes nunc effulget maxima, eam iniri tandem aliquando poſſe, cum fruſtra toties tentata fuerit.

Seligenda eſt urbs opportuna, & commoda Græcis, ad quam acceſſus iis non ſit gravis, nec iter longinquum, laborioſumque.

Hæc ratio una eſt, cur alio ab eorum urbe ſit transferendum Concilium.

Ne putent in eorum ignominiam, dedecuſque hanc translationem cadere, ſed eſſe omnino neceſſariam.

D. Bononiæ a. 1437. Reliquæ notæ deſunt.

Bona Eccleſiæ Baſileenſis ne alienentur.

CLEMENS VIII. Epiſcopo, Præpoſito, &c. XVI. B. R. t. 5. p. 2. p. 254. C. C.

Inc. *Sinceræ fidei, &c.*

ANimadvertens hujus Eccleſiæ capitulum, Eccleſiam ſuam, præter bella, quibus fuit afflictata, eſſe adeo miſeram, quia Epiſcopi, & Capitulum plurima ejus bona in feudum dederant, decrevit,

Ne liceret Epiſcopo, & Capitulo de cætero bona reliqua attinentia ad menſas vel Epiſcopalem, vel Capitularem dare in feudum, vel datorum conditiones immutare in ejuſdem detrimentum, idque ſub excommunicationis pœnam;

Voluitque Epiſcopum, & Capitulum juramentum dare de hujuſmodi decreto obſervando.

Ut autem religioſius obſervaretur, rogatus fuit Clemens, ut illud Apoſtolica auctoritate roboraret.

Illud ergo decretum Clemens confirmat cum adjecta pœna excommunicationis. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum die XIV. Aug. P. a. VIII. a. D. 1599.

Hortatio ad Helvetios Thuricenſes ut redeant ad fidem.

CLEMENS VII. Helvetiis Thuricenſibus. XVII. Ex Regiſt. ad ann. 1531. §. 122.

Inc. *Valde filii, &c.*

„ FIdiſſimi S. Sedi erant Thuricenſes, ita ut ſæpius „ a Pontificibus vocati defenſores fidei fuerint. „ Sed cum fuiſſent pactis ſtipendiis defraudati a trape- „ zitis, & quæſtoribus Pontificiis avara fraude, Zuin- „ glio uſo opportune tempore ad eos ſubducendos, a „ Catholica fide defecerunt. „

Hac defectione audita ad eos Clemens ſcribit;

Se maxime doluiſſe, cum audivit iiſdem illam, quam eorum progenitores, & illi ipſi tam valide, tam ſtrenue propugnarant, fuiſſe ab illis deſertam, proditamque;

Nihil ſibi accidere poſſe jucundius quam audire, eos ad fidem rediiſſe;

Quod si redierint, hujus reditus eos non debere pœnitere; omnia enim, quæ queruntur sibi negata, iis restituentur, & ample restituentur, videbuntque non Ecclesiæ culpa id quod evenit evenisse.

D. Romæ apud S. Petrum die VII. Maji P. a. VIII. a. D. 1531.

Hortatio ad Senatum Soluduri, ut executioni mandari curet decreta a Nuntio A. pro Tertiariis S. Francisci ibidem.

XVIII. B.R. t. 5. p. 1. p. 109. C.C. PAULUS V. Sculteto, & Senatori Soluduri.

Inc. *Accepimus nec sine, &c.*

UT restitueret Nuntius A. apud Helvetios regularem disciplinam inter Tertiarias S. Francisci, quæ Soluduri Monasterium habebant, quædam ediderat decreta, quæ tamen quidam parvi pendebant, & in causa erant, ut Moniales quoque ea contemnerent.

Paulus hortatur Senatum, ut efficiat, *quantum ejus ope, & auxilio effici potest*, ut hæc decreta omnino observari faciat, cum Dei cultum respiciant unice.

D. Romæ apud S. Marcum die XVI. Febr. P. a. VIII. a. D. 1613.

Admissio Cantonis Claronæ ad participationem indulti nominandi ad beneficia Ecclesiæ oppidi Episcopi Cellæ confirmatur.

XIX. B.R. t. 6. p. 99. C.C. INNOCENTIUS X. ad p. r. m.

Inc. *Romanum decet, &c.*

QUinque Cantones Catholici Lucerna, Urania, Svitia, Subsilvaniæ, Tugium Constantiensis Diœcesis, Moguntinæ provinciæ eo quod eripuerant e manibus hæreticorum oppidum Episcopi Cellæ, obtinuerant jus nominandi ad beneficia ejus Ecclesiæ, dignitate majori reservata S. Sedi.

Inter hos Cantones non erat tunc Canto Claronæ, sed postea fuit ab iis factus particeps hujus privilegii.

Rogarunt autem Pontificem, ut prædictum indultum nominandi ad illam Ecclesiam, & admissionem Cantonis Claronæ confirmaret.

Innocentius, & illud, & hanc confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXIII. Oct. P. a. III. a. D. 1646.

Universitas loci Rysch eximitur a solutione minorum decimarum.

XX. B.R. t. 5 p. 3. p. 43. C. C. CLEMENS VIII. Nuntio A. apud Helvetios.

Inc. *Expositum nobis, &c.*

INcolæ loci Rysch Lucernensis territorii in Diœcesi Constantiensi solvebant Rectori Ecclesiæ decimas minores, hoc est decimas fructuum arborum, canapis, lini, &c.

Jam quædam prædia redemerant has decimas, quæ omnes conflabant valorem quindecim scutorum circiter.

Ne progressu temporis confunderentur prædia hæc cum illis, quæ decimas non redemerant, litesque nascerentur, universitas loci statuit has omnes decimas redimere, & erigere rectori censum perpetuum in proprietate 1240 Florenorum, quem rector percipiet.

Requisitus Pontifex, ut id permitteret, hoc negotium demandat Nuntio A. residenti Lucernæ conficiendum, modo sit Ecclesiæ utile. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum die XVIII. Jul. P. a. XII. a. D. 1603.

Nullitas Decreti Senatus Lucernensis de Dote Monialium declaratur.

XXI. B.M. p. 7. vel c. 13. p. 44. B.R. t. 11. p. 2. p. 235. C.C. INNOCENTIUS XIII. Episcopo Constantiensi.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

PRætor, Senatus, & Magistratus, *Centum* appellatus oppidi Lucernæ decretum quoddam edidit, quo Superioribus Monasteriorum Monialium in eodem oppido, & districtu existentium modus, & forma præscribitur, quam de cetero debent tenere in admissione, & receptione Monialium, & quantitas subsidiorum assignatur in dotem, & expensæ faciendæ in vestitione circumscribuntur.

Cum decretum hoc jurisdictionem Ecclesiasticam, cui soli competit hæc decernere, aperte lædat, cum sit factum a laicali potestate circa res spirituales, illud annullat, & cassat Innocentius;

Et hujus irritationis publicationem fieri vult, & observari sub interdicti pœnam.

Ceterum committit Episcopo Constantiensi Ordinario Lucernæ, ut ipse modum præscribat his expensis omnibus juxta decreta Concilii Tridentini. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVII. Mart. P. a. I. a. D. 1722.

Ad Senatum Lucernensem, ut revocet ab exilio, &c.

BENEDICTUS XIII. Senatui, &c. XXII. Ex Memoires &c. p. 136.

Inc. *Ad audientiam, &c.*

„ CAusa dissidii inter S. Sedem hinc, & Senatum „ Lucernensem fuit hæc. Incolæ ruris *Udlingenswyl* cum a suo Baillivo facultatem choreas ducendi impetrassent die dedicationis suæ Ecclesiæ, quæ „ incidit in diem XII. Augusti ann. 1725. eas duxerunt, eas rursus ducturi die octava ejusdem diei festi Ecclesiæ. Parochus nomine *Andermatt* in explicatione Evangelii inter Missarum solemnia graviter „ in eos invectus est, minitatusque fuit, se eos excommunicaturum, si die octava saltassent: quædam „ etiam dixit, quæ minus decebant in suum principem, cui obsequium, reverentiaque debetur.

„ Baillivus hæc verba Parochi ad Senatum detulit, Senatusque supremo Magistratui, qui dicitur „ *Avoyer*, rem totam commisit; a quo appellatus Curatus rem non negavit; rursus vocatus per commissarium episcopalem ut se sisteret ante *parvum Consilium*, quod volebat eum admonere, ut cautior in posterum esset, parere noluit; scriptique ad *Avoyer*, „ se parere non posse, ne censuras Ecclesiasticas incurreret, quas superiores sui minitari fuerant expedire, si comparuisset. Fuerant Nuntius Apostolicus „ Lucernæ residens Comes Passionei Archiepiscopus Ephesinus, postea Cardinalis magni nominis; & Episcopus Constantiensis diœcesanus Lucernensis Pagi.

„ Senatus ergo exilium Curato inobedienti indixit, „ qui cum discedere nollet, vi expulsus e dominio Lucernensi fuit.

„ Nuntius, Episcopusque clamitarunt, violatam esse „ Ecclesiasticam immunitatem, revocandum esse expulsum Parochum. Gravissime ad eum Episcopus scripsit, Nuntius noctu clanculum se recepit Altorphium „ pagi Uraniæ urbem præcipuam. Alii pagi Catholici „ auctoritatem suam interposuerant, quam Lucernen„ sis Senatus repulit, ne videretur facultas sua in controversia poni.

„ Interea temporis jam scripserat Senatus Benedicto, „ ad quem rationes attulerat, cur ita egerit. „

Refert Benedictus, se non potuisse non dolere, & horrore perfundi, cum accepit Senatum Lucernensem adeo degenerasse a suis majoribus, ut eas libertates, immunitatesque Ecclesiasticas perfringeret, pro quarum custodia illi tot bella acerrima gesserunt, unde merito *libertatis ecclesiasticæ propugnatorum* titulo fuerunt sæpe a S. Sede decorati;

Esse prorsus inauditum Dei ministros ante laicum tribunal vocari, & pastorem animarum vi distrahi a suis ovibus, & facultatem sibi arrogare iis incolis eligendi pastorem. (ejus Curæ administrationem susceperant Capuccini Senatus jussu.)

Scribit, e Senatus litteris dolorem suum fuisse auctum; cum enim putabat, se ejus pœnitentiam in iis lecturum, non animadvertisse nisi obstinatum animum id defendendi, quod egerat;

Suo mandato migrasse Nuntium suum Altorphium, cum dedeceat, in illa residere urbe Ministrum Apostolicum, in qua tam graviter Ecclesiastica immunitas læditur.

Eos demum hortatur, ut imitentur majores suos, quibus nullus populus fuerat in Sanctam Sedem devotior;

Ne

Ne velint S. Sedem exasperare inobedientia sua; revocentque ab exilio Parochum, ita eos Patris sui lacrimas esse detersuros, evitaturosque eas pœnas, quas ut supremus Pastor, custosque Ecclesiasticorum jurium illis infligere cogetur.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die III. Jan. P. a. III. a. D. 1726.

Congregationis declaratio.

XXIII. Ib. p. 180. BENEDICTUS XIII.

Inc. *Proposito, &c.*

„ NE videretur Benedictus omnia arbitratu suo agere, Congregationem extraordinariam quatuor „ Cardinalium cum aliquibus prælatis elegit, quæ examinaret,

I. An violata jurisdictio esset?

II. Et quid agendum?

Congregatio respondit:

I. *Senatum jurisdictionem Ecclesiasticam læsisse, ac proinde quicunque consuluerunt, jusserunt, & executi sunt expulsionem Curati incurrisse in pœnas a sacris Canonibus, & Apostolicis constitutionibus sancitas contra violatores Ecclesiasticæ immunitatis:*

II. Pontificem non posse, quin muneri supremi Pastoris desit, non efficere, *ut omnia in pristinum restituantur, quod nulla alia ratione obtineri potest, nisi permittatur, Curatum redire ad Ecclesiam suam; Hoc facto, spectare ad ordinarium Curati eum punire, si constiterit Curatum peccasse;*

Sed si Senatus se opponat, sentire Congregationem suam Sanctitatem præcipere debere, *ut violatio immunitatis Ecclesiasticæ vindicetur modis, & remediis per Sacros Canones, & Apostolicas constitutiones præscriptis.*

D. Die XIII. Mart. a. 1726.

Respondetur Pagorum litteris.

XXIV. Ib. p. 190. BENEDICTUS XIII. Senatui &c.

Inc. *Accepimus, &c.*

„ CUm res magis, magisque turbarentur, Pagi Catholici scripserunt Pontifici pro Lucernensibus, „ hunc semper morem fuisse in illo pago, ut Senatus „ ad se vocaret Ecclesiasticos, ut voluntatem suam iis „ notam faceret, hanc facultatem vocandi ad se Clericos esse cuilibet principi: Lucernenses habere quidem augustum territorium, sed in eo imperitare tam „ jure, legitimeque quam quilibet Rex in latissimo „ Regno;

„ Lucernenses semper fuisse addictos S. Sedi, eos esse „ primos fœderis Catholici, eos pro incremento, & „ propugnatione Catholicæ Religionis, & pro Pontificia dignitate profudisse, ne dum res familiares, „ sed vitam, sed sanguinem;

„ Proinde dignissimos esse, quibuscum Pontifex con„ cilietur;

„ Omnes pagos Catholicos eum orare, ut sineret se „ exorari.

Iis respondet Benedictus se accepisse eorum litteras, se animadvertisse eos maximopere sollicitari pro Lucernensibus;

Si eos tantopere amant auctores illis sint, ut commissa reparent, ut Curatum revocent, ut Pontifici pareant;

Sciant, se non posse suo muneri deesse, sibi a Deo datam esse Ecclesiam regendam, sibi reddendam esse rationem Deo administrationis; sibi imminere pœnam æternam, nisi Ecclesiastica jura inviolabiliter custodiri faciat;

Proinde se non posse scandalum hujusmodi relinquere impunitum. Iisque Apostolicam benedictionem impartitur.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die X. Aug. P. a. III. a. D. 1726.

Lucernensibus respondet Pontifex.

XXV. Ibid. BENEDICTUS XIII. Senatui &c.

Inc. *Illius vices, &c.*

„ LItteris Senatus, qui scripserat Benedicto, se quod „ egit non egisse in contemptum Ecclesiasticæ ju„ risdictionis, sed ut auctoritatem suam a Deo sibi „ datam conservaret,

„ Si injuriam a Curato illatam dissimulasset, ansam „ arrepturos fuisse omnes Ecclesiasticos leges violandi,

„ Debere Pontificem obsequium Senatus conjectare „ non ex hoc, sed eo quod egerunt pro Fide Catho„ lica progenitores sui, quod fuerit ipse, qui semper a „ Protestantibus sollicitatus ut deficeret constanis in Catholica Fide &c.

Respondet Benedictus, adhuc apertam esse januam, se recepturum bene, & paterne Senatum, si se pœniteat, se illi paterni amoris daturum argumenta, oblaturumque quidquid petrasset;

Quod nisi faciet, se experturum esse extrema, ut ad officium eum revocet; scire se, eum *jam defectionem respicere.*

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XII. Aug. P. a. III. a. D. 1726.

Recipiuntur Lucernenses, pace confecta.

BENEDICTUS XIII. Senatui. XXVI. Ib. p. 238.

Inc. *Illius qui, &c.*

„ RUrsus scripsit Pontifici Senatus, fatebaturque, „ I. Se errasse, cum deputavit curatum Ecclesiæ *Undlingenswyl* in locum exulantis parochi, cum „ id ad se non spectaret, sed sit ordinarii hæc nominatio;

„ II. Se non judicialiter citasse Curatum *Andermatt* „ quod si citatio judicialiter scripta fuit, Cancellariæ „ Ministri errarunt;

„ III. Se citasse Curatum, *ad audiendum verbum „ principis*, qui certe potest inobedientes quoscunque „ cujuscunque sint conditionis laicæ, vel clericalis e „ suo statu expellere.

„ Huic concertationi finiendæ operam suam interpo„ suere Cardinales duo *de Polignac*, & *Cinfuegos*, qui „ tanto facilius concordiam firmarunt, quanto magis „ hujusmodi concertationes oderat optimus Pontifex „ Benedictus.

„ Hi autem fuerunt concordiæ articuli:

„ I. Curatus *Andermatt* semper e ditione Lucernensi „ exulabit, *sive sit reus, sive non* (quod indecisum „ quæstionem præcipuam relinquit.)

„ II. Curatus *Muller* electus a Communitate jussu „ Senatus removebitur a cura; aliusque eligetur in Pa„ rochum;

„ III. Senatus suas consuetudines, suasque libertates „ servabit, quin tamen detrimentum ullum patiatur Ec„ clesiastica immunitas;

„ IV. Consentit Pontifex, posse Senatum citare Cle„ ricos *ad audiendum verbum* principis, hac tamen „ conditione, ut prius a superioribus Ecclesiasticis lo„ ci licentiam petat, qui illi eam nunquam denega„ bunt.

„ Factus certior Senatus de hujusmodi concordia, „ scripsit ad Pontificem testans illi, se semper fore de„ votum in S. Sedem, & præcipue in ejus personam „ tot præclaris ornatam virtutibus;

„ Se totis viribus annixurum, ut Fides Catholica semper pura, & integra in sua provincia serve„ tur, &c.

Lætitiam suam significat Benedictus Senatui ex hujusmodi dissensionibus sedatis, sumptis similitudinibus ex Evangelio pastoris, qui reperit errantem ovem, patris filii prodigi eum regressum paterne amplexati;

Magistratus decorat titulo *defensorum libertatis Ecclesiasticæ*;

Eos hortatur, rogatque ut fortes in fide sint, ut cultum Dei servent, ut devotionem in Ecclesiam, obsequium in Ecclesiasticos ministros Christi custodiant, a quo felicia, prosperaque omnia sperare illos jubet.

Iis paternam dat benedictionem.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXV. Jan. P. a. IV. a. D. 1727.

„ Pupugit aliquantisper Senatum verbum *absolutio„ nis*, quo usus in suo Brevi Benedictus fuerat.

Hæc desumpsimus e libro, cui titulus; *Memoires pour servir à l'Histoire du Different entre le PAPE & le Canton de LUCERNE à l'occasion du bannissement des Terres de Lucerne du nomme Andermatt Cure de ce meme Canton.* 1728. 8. *pag.* 786.

Con-

Confirmatio conventionis inter Abbatem S. Galli, & Magistratum oppidi Vvangen.

XXVII. B.R.t.5. p. 3. p. 348.C.C. PAULUS V. Nuncio A. apud Helvetios.

Inc. *His quæ, &c.*

Concordia hæc inita fuit inter Abbatem Monasterii S. Galli nullius Diœcesis Ordinis S. Benedicti Provinciæ Moguntinæ fœderatum pagorum Helvetiorum ex una parte & Magistratum oppidi de VVangen ex alia;

Jam ab anno 1586. Abbas quædam jura, quædam prædia renuntiaverat Magistratui: annos quatuor post reclamavit Abbas, cessionem esse factam in præjudicium Monasterii, ac proinde esse revocandam; ita Constitutiones sui ordinis confirmatas a Pontificibus jubere.

Nolebat revocari cessionem Magistratus. Hinc enata fuit lis, quæ fortasse armis videbatur decidenda.

Multi tamen non patientes eam progredi, pactum fecerunt, ut concessa jura, prædiaque rata haberet Abbas, restitueretque viginti unum mille, & nongentos Romanos Florenos, quos pro cessione a Magistratu acceperat, magistratusque cederet Monasterio dominium loci Novoramen Spergan.

Hac permutatione contentus fuit Abbas cum suis Monachis; illiusque petiit a Pontifice confirmationem.

Paulus committit Nuncio suo, ut videat, an cadat in utilitatem Monasterii, cadentemque auctoritate Apostolica confirmet. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum VII. Id. Aug. P. a. IV. a. D. 1608.

Privilegium creandi Notarios datur hujus Monasterii Abbati.

XXVIII. B.R.t.6. p. 4. p. 49.C.C. ALEXANDER VII. Abbati S. Galli.

Inc. *Tuæ in nos, &c.*

Ne pro quovis actu rogando cogeretur Abbas confugere ad Notarios Eterodoxos, rogavit Pontificem,

I. Ut liceret sibi creare in terris, & locis dependentibus a Monasterio Notarios, & Tabelliones Catholicos,

II. Et ut eorum acta in judiciis vim haberent eandem, quam habent instrumenta aliorum Notariorum.

Eam facultatem Abbati Alexander dat,

Et hoc decernit. N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VIII. Oct. P. a. I. a. D. 1655.

Irritatur tractatus Abbatem S. Galli inter, & hæreticos.

XXIX. B.M. t.8. p. 58. B.R.t.11. p. 2. p. 442.C.C. CLEMENS XI. ad f. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

Notæ sunt ex historia controversiæ inter Abbatem oppidi S. Galli ex hac parte, & inter incolas Comitatus Techlemburgi ex alia.

Tigurini, & Bernenses ad eas sedandas (ventum enim erat utrinque ad arma) congressum Badensem indixerant, in quo fuit statutum ab iis ministris,

I. Ut populus in Comitatu Dorgiensi, qui subest Abbati S. Galli, quam mallet religionem sequi posset;

II. Ut etiam hæretici possent, deberentque assumi ad magistratus;

III. Ut essent pastores Catholici, & Acatholici, qui instruerent populum in utraque fide.

Tractatum hunc, utpote qui est perniciosus Fidei, oppositus constitutioni Urbani VIII. vetantis prælatos posse inducere in suas diœceses aliam sectam diversam a Catholica Religione, & posse cedere sua jura in præjudicium fidei sine assensu S. Sedis. reprobat omnino Clemens;

Eum rescindit etiam quibuscunque pactis, & juramento firmatum, vetatque Abbatem iis conventionibus stare. N. O.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. Die XIX. Novemb. P. a. VIII. a. D. 1719.

Ne Ecclesiastici alienent bona Ecclesiarum.

URBANUS VIII. Nuncio A. apud Helvetios. XXX. B.R.t.5. p. 5. p. 183.C.C.

Inc. *Ad omnes, &c.*

Factus certior Urbanus a Prælatis Ecclesiarum in Helvetia non observari constitutionem Pauli II. *Ambitiosæ* de non alienandis & locandis in perpetuum bonis Ecclesiarum,

Præcipit Nuncio suo apud Helvetios, ut prædictam Constitutionem ad omnium notitiam publicari faciat,

Et eos compellat ad illam observandam rescindendo contractus, & invocato, etiam si opus fuerit, ad hoc brachio sæculari;

Pœnitentes tamen, qui id fecerunt, incurreruntque in pœnas a Paulo denuntiatas absolvat.

D. Romæ apud S. Petrum Die XV. Jan. P. a. I. a. D. 1624.

Facultas datur Nuncio conferendi beneficia male collata.

URBANUS VIII. Nuncio &c. XXXI. B.R.t.6. p. 2. p. 265.C.C.

Inc. *Cum sicut, &c.*

Acceperat Urbanus beneficia quædam curata in Helvetia, & Rhætia collata fuisse a non habentibus jus illa conferendi, & fuisse data *personis non habentibus bonum ingressum.*

Ut hujusmodi malis obviam eat, mandat Nuncio suo,

Ut sedulo curet, ut nominatæ personæ examinentur ab Ordinariis,

Ut ipse de male provisis beneficiis agat quod expedire crediderit, det aliis,

Vel collationem confirmet supplens defectus &c. N.O.

D. Romæ apud S. Petrum Die V. Jan. P. a. XVIII. a. D. 1641.

Nunciis Apostolicis in Helvetia imperatur, ut successoribus Nunciis scripturas ad Nunciaturam spectantes tradant.

ALEXANDER VII. ad f. r. m. XXXII. B R.t.6. p. 5. p. 46. C.C.

Inc. *Cum sicut, &c.*

Nuncius A. in Helvetia summis curis hinc, inde collegerat scripturas ad Nunciaturam apud Helvetios, Rhætiosque attinentes. Antea nullum Archivium erat, nesciebatque succedens Nuncius, quid ab antecessoribus Nunciis actum in negotiis fuisset.

Tum supplicavit Pontifici, ut decerneret, ne Scripturæ hujusmodi dissiparentur, distraherenturque amplius, ut Nuncii successores ad subita rerum scire possent, quomodo essent expedienda negotia.

Alexander itaque mandat, ut omnes Nuncii ibidem pro tempore tradant successoribus suis deinceps has scripturas integras, addantque suas ad Nunciaturæ negotia spectantes. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IX. Jan. P. a. V. a. D. 1660.

DE RHÆTIA.

Hæresi in Rhætiam irrepere incipienti obstat Pontifex.

JULIUS III. Episcopo Curiensi. XXXIII. ex Rayn. ad ann. 1553.§.38.

Inc. *Cum gravi, &c.*

„ Acceperat Julius, quosdam hæreticos in Rhætiam „ penetrasse, & sollicitare eos populos ad defe„ ctionem ab Ecclesia.

Illuc igitur misit Paulum Odescalchum Internuntium, cui dedit facultatem inquirendi in hujusmodi homines, eosque coercendi, efficiendique, ut inde eliminarentur.

Tum illi jussit, ut Rhætios in fide confirmaret, ut aberrantes in rectum tramitem reduceret, ut in contumaces censuras expediret.

Hæc omnia significat prædicto Episcopo Pontifex, ut Paulo hæc peracturo assistat, simulque cum illo operam navet, ne illa regio hæresi inficiatur.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXII. Julii P. a. IV. a. D. 1553.

DE REGNO, & ECCLESIA SCLAVORUM.

Desiderium suum propugnandi Catholicam Fidem Regi significat Pontifex.

I. ex Rayn. ad ann. 1288.§.29. NICOLAUS IV. Urosio Sclavorum Regi illustri, &c.

Inc. *Æterni Patris, &c.*

Desiderium salutis animarum movit Æternum Patrem, ut mitteret Filium suum Unigenitum in mundum;

Desiderium idem impulit æternum Filium hominem factum mortem ipsam subire;

Decet ergo Vicarium ejusdem Christi summo ardore animas salvandi accendi. Nihil igitur intentatum relinquere debet, ut animas ad Christum trahat.

Hoc desiderio permotus duos Fratres Minoritas ad Regem mittit, ut illum ad Catholicam Fidem adducant.

Eos illi commendat Nicolaus, eum orans, ut illos audiat &c.

Mittit ad illum professionem fidei *credimus S. Trinitatem* &c. v. cap. de Imper. Græco *magnitudinis tuæ* &c.

D. Reate X. Cal. Aug. P. a. I. a. D. 1288.

De Nuntiis Apostolicis missis, &c.

II. Ib.§.31. NICOLAUS IV. Helenæ Reginæ Sclavorum &c.

Inc. *Gratias agimus, &c.*

Gratias Deo agit Nicolaus, quod veram salutis viam ostenderit Reginæ Helenæ, quæ via est una Fides Catholica.

Habet igitur Regina pignus magnum salutis suæ, cum in illa sit fide, extra quam nulla datur salus.

Eam hortatur ut in hac fide perstet.

Illi significat, se ad ejus filios Urosium, & Stephanum nuntios mittere, ut ad fidem eosdem reges reducant,

Rogat Reginam, ut fratres in tam pio opere adjuvet, auctrixque sit filiis, ut eorum monita audiant, exequanturque.

D. Reate V. Id. Aug. P. a. I. a. D. 1288.

Pannoniæ Archiepiscopus reprehenditur quod Missas cantet lingua Sclavonica.

III. ex Joannis ep. 195. JOANNES VIII. Methodio Archiepiscopo &c.

Inc. *Audivimus, &c.*

Relatum fuerat Joanni, Methodium missas celebrare lingua vulgari, seu Sclavonica. Illum commonuit per Paulum Episcopum Anconitanum, ad quem ideo litteras miserat, *ne in ea lingua sacra Missarum solemnia celebraret.*

Cum non obediret Methodius, idem illi Joannes præcipit per litteras hasce: *sed vel in Latina, vel in Græca lingua, sicut Ecclesia Dei toto terrarum orbe diffusa, & in omnibus gentibus dilatata cantat, celebret.*

D. P. a. V. a. D. 877.

Divina officia celebrentur lingua Sclavonica, sed Evangelium dicatur Latine.

JOANNES VIII. Sfentopulchro Comiti. IV. ex eod. ep. 247.

Inc. *Nos tuis, &c.*

Rogaverat Comes Pontificem in sua ditione liceret divina peragi lingua Sclavonica, quæ erat vulgaris; cui ita respondet Joannes:

Nec sanæ fidei, vel doctrinæ aliquid obstat sive missas in Sclavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium vel lectiones divinas novi, & veteris testamenti bene translatas, & interpretatas legere, aut aliarum horarum officia omnia psallere; quoniam qui fecit tres linguas principales Hebræam scilicet, Græcam, & Latinam ipse creavit & alias omnes ad laudem, & gloriam suam.

Jubemus tamen, ut in omnibus Ecclesiis terræ vestræ propter majorem honorificentiam Evangelium latine legatur, & postmodum lingua Sclavonica translatum in auribus populi latina verba non intelligentis adnuntietur; sicut & in quibusdam Ecclesiis fieri videtur.

Et si tibi, & judicibus tuis placet Missas latinas magis audire; præcipimus, ut latine tibi Missarum solemnia celebrentur.

D. a. 876.

Permittitur linguæ vulgaris Sclavonicæ usus in divinis.

INNOCENTIUS IV. Scemensi Episcopo. V. ex Rayn. ad ann. 1248.§.52.

Inc. *Porrecta nobis, &c.*

Significarat prædictus Episcopus Pontifici, *quod in Sclavonia est littera specialis, quam illius terræ Clerici se habere a B. Hieronymo asserentes eam observant in divinis officiis celebrandis.*

Postulavit igitur licentiam Episcopus a Pontifice *celebrandi divina secundum dictam litteram, ut illis efficeretur conformis, & terræ consuetudinem,* in qua erat Episcopus, *imitaretur.*

Innocentius *attendens, quod sermo rei, & non res est sermoni subjecta,* hanc licentiam illi dat *in illis duntaxat partibus, ubi de consuetudine servantur præmissa; dummodo sententia ex ipsius veritate litteræ non lædatur.*

D. Lugduni IV. Cal. Apr. P. a. V. a. D. 1248.

Sacerdotes Sclavo-Latini celebrent omnia Ecclesiæ officia vulgari idiomate.

BENEDICTUS XIV. ad p. r. m. VI. B.M.t.19. p. 112.

Inc. *Ex Pastorali, &c.*

Ritum Sclavo-Latinum *adhibendum una cum idiomate, quod nunc Sclavum litterale appellant, & characteribus, quos Hieronymianos dicunt,* concessit Joannes VIII. *Fideli, & Religiosæ nationi Illyricæ.* Confirmaruntque eundem Urbanus VIII. & Innocentius X. qui & Missale, & Breviarium eodem idiomate curarunt imprimi,

Irrepserunt tamen abusus; nam permixtæ fuerunt quædam orationes idiomate Sclavo vulgari, & Sacerdotes dicunt in fine Missæ Evangelium S. Joannis latinum, latinum itidem psalmum *Lavabo*.

Jubet itaque Benedictus, ut Sacerdotes & in Sacrificio Missæ, & in recitatione Breviarii omnia Sclavo-Litterali idiomate dicant, nec quisquam aliquid immutare audeat,

Hujusque jussi omnes Archiepiscopos Episcoposque, in quorum Diœcesibus hic viget ritus, executores deputet. N. O. *Nulli ergo, &c.*

D. Romæ apud S. M. Maj. XVIII. Cal. Sept. P. a. XV. a. D. 1754.

DE

DE GEBENNENSIBUS.

Compositio inter Comitem, & Episcopum.

I. B.M.p.3. vel t. 9. p. 20. B.R.t.2. p. 319. &c. C.

HADRIANUS IV. Arducio Gebennensi Episcopo.

Inc. *Quoties a fratribus, &c.*

GRaves controversiæ erant ortæ inter Comitem Gebennensem ex una parte, & Episcopum ejus urbis ex alia.

I. Comes Amadeus querebatur, Sacerdotes Ecclesiæ Gebennensis tenere loca spectantia ad Comites,

II. Episcopum ordinasse quosdam servos Comitis, Comite inscio,

III. De filio Maynerii violenter ablato ab Episcopo,

IV. Feudum Decimarum, quod est Comitatus, detineri ab Ecclesia Gebennensi.

Pax inter hos fuit inita ab Archiepiscopis Viennensi, Lugdunensi, Tarantasiensi, & Abbate Bonævallis ita,

I. Sacerdotes antea Servi, & Diaconi remaneant in Ecclesia, alii servi nondum ordinati restituantur.

IV. Si Episcopus vellet, retineret feudum solvens quod justum est, secus dimitteret Comiti.

III. Maynerium spectasse ad Ecclesiam, *quia mater ejus ad dominium Ecclesiæ attinebat, & propter hoc filio Maynerii feudum dederat, quia ex parte quæsierat.*

I. Sacerdotes habentes loca Comitis pro his locis *ex æquo Comiti servirent*, hoc est solverent,

Episcopus querebatur,

1. Castra facta fuisse a Comite *super Ecclesia*,

2. A Villelmo de Marvallo, qui spectabat ad Ecclesiam, Comitem exegisse indebite *dominium*.

Ita de his querelis Episcopi definitum fuit a prædictis Archiepiscopis cum Abbate.

1. Ut Comes Castra hæc in bonis Ecclesiæ constructa dirueret suis impensis,

2. Ut liberum relinqueretur Villelmo vel feudum Ecclesiæ accipere, & servire Ecclesiæ, vel Comiti, si Comitis feudum habere mallet.

Pro universis damnis illatis bonis Ecclesiæ a Comite, persolvet eidem Ecclesiæ libras quadraginta.

Pro damnis illatis Canonicis emendaret Comes *ad eorum arbitrium, & misericordiam*.

Ne autem ulterius hæ lites enascerentur, æquum censuerunt prædicti Prælati definire quæ spectare deberent ad Ecclesiam, quæ ad Comitem.

Hæc spectabunt ad Episcopum.

a. *Bannum totius Genevæ.*

b. Justitia, & dominium cujuscunque hominis,

c. Etiam *adventitiorum*, si per annum Genevæ morentur,

d. Solus Episcopus possit capere homines in tota Geneva,

e. Hospitalitatem, placitum generale, forationes vini, coroadam, mutationes domorum, si dominus mortuus fuerit, solus Episcopus possideat,

f. *Forum totius villæ*, justitia fori ad Episcopum pertineat,

g. Item *pedagium ripale, pascua*,

h. *Moneta* etiam,

i. Latrones capti,

l. Statio Comitis Gebennis sit *in cognitione Episcopi*,

Hæc pertinebunt ad Comites.

A. Advocaria Episcopatus,

B. In domo Episcopali ad mutationes officiorum in domo eadem, *si Episcopus quæstionem habeat, Druulia*,

C. Si aliquis de familia Comitis aliquid in Episcopum egerit, Comes eum *retineat*, donec Episcopo satisfaciat; ita agat & Episcopus respectu Comitis.

D. Justitiam de latrone capto ab Episcopo *peragat* Comes, ita de monetariis fallis,

De piscatione in lacu serventur bonæ consuetudines,

De piscatione in Venna jubetur Comes ire ad Curiam, & inter se, & Episcopum convenire.

Pontifex hæc pacta confirmat, infractoribus pœnas solitas minitans.

Hadrianus, & Cardinales sese subscribunt.

Datum Later. per manum Rolandi S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Cancellarii XII. Cal. Junii Indictione quinta, Incarnationis Dominicæ anno millesimo quinquagesimo septimo. Pontificatus vero Domini Hadriani Papæ quarti anno tertio.

Confirmatio alterius conventionis.

II. Ib. p.11. B.R.t.1. p. 1. p. 29. C.C.

URBANUS III. Mantellino Gebennensi Episcopo.

Inc. *Ex tenore, &c.*

MAntellinus Episcopus postulat a Pontifice confirmationem cujusdam *arbitrii* facti per Archiepiscopum Viennensem, & Odonem Abbatis Bonævallis super bannis, & justitia jurati a se, & a Comite Villelmo Gebennensi.

Pontifex ergo illud confirmat, addens solitas pœnas &c.

Dat. Veronæ II. Id. Decembris. a. 1186.

Confirmatio excommunicationis.

III. Ib.p.12.

LUCIUS III. Archiepiscopo Viennensi, & Episcopo Gebennensi.

Inc. *Quoties in malefactores, &c.*

TAndiu sententiæ latæ ab Ecclesia in malos debent perdurare, quamdiu mali perseverant in malo.

Hinc in Comitem Gebennensem jam excommunicatum propter damna Gebennensi Ecclesiæ illata sententiam confirmat Lucius, donec læsæ Ecclesiæ satisfecerit.

Dat. Velletr. Cal. Julii a. 1184.

Excommunicantur lædentes vel personas, vel bona Ecclesiastica.

IV. Ib.p.49.

INNOCENTIUS IV. Episcopo Gebennensi.

Inc. *Petitio tua, &c.*

BArones, & nobiles manus avidas in bona Ecclesiæ Gebennensis injiciebant, & gravibus injuriis personas Ecclesiasticas, & Episcopum ipsum afficiebant.

Rogavit itaque Pontificem Episcopus, ut aliquod remedium his malis afferret;

Qui mandat, ut in terras horum nobilium jaciat interdictum, & ipsos excommunicet; nemoque sit exemptus, neque ii, qui indultum habent, ut a nemine possint excommunicari, nisi a solo R. Pontifice.

Datum Lugduni III. Cal. Aprilis Pontificatus anno octavo.

a. 1243.

Laudantur Gebennenses quod noluerint capi Episcopum Montis Regalis.

V. Ib.p.150.

NICOLAUS V. Civibus Gebennensibus.

Inc. *Magnam laudem, &c.*

GEbennenses Cives laudat Nicolaus, qui, cum Episcopus Montis Regalis, qui apud eos diversabatur, a quibusdam capiendus esset, & captivus ducendus, impedierunt, ne caperetur.

Eos hortatur, si adhuc est in eorum urbe, ut hoc vetent, aitque ad Ducem Sabaudiæ se missurum prælatum aliquem pro ejus causa, & liberatione. (Ludovicus volebat Episcopum captivum.)

D. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo. Cal. Maji Pontificatus anno quinto.

Significatur Vassallis Ecclesiæ hujus electio Episcopi.

VI. Ib.285.

PIUS II. Universis Vassallis Ecclesiæ Gebennensis.

Inc. *Hodie dilectum, &c.*

IN Episcopum Ecclesiæ Gebennensis elegerat Pius Joannem Ludovicum de Sabaudia *Gubernatorem in spiritualibus, & temporalibus*, qui Episcopatum erat ingressurus cum attigisset annum 27.

Jubet ergo Pontifex Ecclesiæ hujus vassallis, ut eum recipiant, jura, fidelitatem, servitia præstent, se, ait, ratas habiturum pœnas, quas ille in rebelles tulerit.

Datum Senis anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadragesimo nono (sic) octavo Idus Februarii Pontificatus anno II.

Denunciatur populo electio prædicta.

VII. Ib.p.266.

PIUS II. Populo Civitatis, & Diœcesis Gebennensis,

Inc. *Hodie dilectum, &c.*

SIcut admonuit Pius Vassallos hujus Ecclesiæ, ita monet Populum Gebennensem a se electum fuisse in Episcopum Gubernatorem Joannem de Sabaudia.

Reliqua conveniunt cum supradicto Brevi.

D. Senis ut supra,

Significatur electio Episcopi populo.

VIII. Ib.p.283.

SIXTUS IV. Populo Civitatis, & Diœcesis Gebennensis,

Inc. *Hodie dilectum, &c.*

SIgnificat Sixtus populo Urbis, & Diœcesis hujus Ecclesiæ, se transtulisse ab Ecclesia Taurinensi ad Gebennensem Joannem de Campis;

Populumque hortatur, *ut illum recipiat tanquam patrem, & pastorem animarum suarum.*

D. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo secundo. Nono Cal. Augusti Pontificatus anno undecimo.

Dux Sabaudiæ & complices Spoliatores bonorum hujus Ecclesiæ citantur.

IX. Ib.p.284.

SIXTUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Sollicitudo pastoralis, &c.*

VIx ac ab Episcopatu Taurinensi translatus fuit prædictus Joannes Carolus Sabaudiæ Dux misit quosdam Satellites contra Episcopum, vassallosque Ecclesiæ hujus, eosque spoliarunt omnibus bonis, irruerunt in Castra Ecclesiæ, in possessiones Episcopi, omnia subdeque miscentes.

Pontifex, pluribus privilegiis, quibus ab Imperatoribus Friderico III. Venceslao, Carolo IV. decorata fuerat illa Ecclesia, nihil omnino subjacens Sabaudiæ Duci, qui in illam, & in urbem jurisdictionem habere se jactabat, expositis, tres terminos Duci, & complicibus expiationis violatæque Ecclesiasticæ immunitatis præfigit, decem dies pro quolibet termino, intra quos non comparens Dux, & per alios octo dies subsequentes perseverans in sua obstinata voluntate, declaratur pœnis omnibus Ecclesiasticis illaqueatus una cum suis complicibus, & consiliariis.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octogesimo tertio. Tertio Non. Februarii Pontificatus anno tertio decimo.

Electio Episcopi sit nota populo.

X. Ib.p.303.

INNOCENTIUS VIII. Populo Civitatis, & Diœcesis Gebenn.

Inc. *Hodie siquidem, &c.*

ELegerat Innocentius Antonium Championem Episcopum Montis Regalis (*Mondovi*) in Episcopum Ecclesiæ hujus.

Ei populo illum commendat, ut benigne eum recipiat.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Nov. P. a. VII. a. D. 1490.

Significatio electionis Episcopi Populo.

XI. B.M.p.4. vel t.10. p. 11.

JULIUS II. Populo, &c.

Inc. *Hodie dilectum, &c.*

CArolum electum Episcopum Gebennensem eidem populo commendat Julius.

Convenit hæc Bulla cum aliis hujus generis.

Datum Romæ apud S. Petrum P. a. VI. a. D. 1509.

DE EGGLESIA GEBENNENSI.

Confirmatio privilegiorum hujus Ecclesiæ.

I. B.M.p.3. vel t. 9. p. 22. B.R. t.2. p 361. C.C.

HADRIANUS IV. Arducio Gebennensi Episcopo.

Inc. *Cum ex injuncto, &c.*

I. AD instantiam Arducii Episcopi confirmat Hadrianus omnia jura, & privilegia, quæ eidem Ecclesiæ Fridericus Imperator concessit,

II. Omniaque bona ubique existentia ejusdem Ecclesiæ ei a quocunque donata.

III. *Nulli ergo &c. Si quis &c.*

Datum Later. per manum Rolandi S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Cancellarii XII. Cal. Junii, Indictione quinta, Incarnationis Dominicæ anno millesimo quinquagesimo septimo, Pontificatus vero Domini Hadriani Papæ IV. anno tertio.

Episcopus cogat Clericos accipire altiores ordines.

II. Ib. p. 35.

INNOCENTIUS III. Episcopo Gebennensi.

Inc. *Qui ad recipienda, &c.*

IN Ecclesia Gebennensi Clerici non pauci minores tantum ordines accipiebant, ut capaces essent beneficiorum simplicium, neque ad altiores transibant. Magnum proinde detrimentum in hanc redundabat Ecclesiam, deficientibus Ministris, & inservientibus carentibus debito præmio.

Graviter questus fuit Episcopus ad Pontificem, qui illi mandat ut Clericos habentes beneficia etiam per pœnas Ecclesiasticas cogat ad ordines suscipiendos, & ad ministrandum Ecclesiæ.

Nulli ergo &c. Si quis, &c.

Dat. Laterani X. Cal. Januarii Pontificatus anno secundo. a. 1199.

Approbatio statutorum Ecclesiæ Cathedralis.

III. Ib.p.284.

INNOCENTIUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Sacrosanctæ, &c.*

PEtierant canonici Ecclesiæ hujus, ut statuta a suo capitulo, præcipue circa cœremonias Ecclesiasticas ejusdem Ecclesiæ approbarentur a Pontifice, quæ & approbantur.

Hæc Capitula sunt de anno 1292. & sunt numero CLIX.

Agitur in iis de pulsatione Campanarum secundum diversitatem temporum, & Officiorum de hora Missæ, de recitatione horarum, de ritibus officii, de Cantu;

De Canonicis, de admissione eorum in Capitulum, de expensis faciendis, de processionibus, de vestitu, de consuetudine faciendi tres reges in die Epiphaniæ, de Canonicis absentibus, de Canonicis migrantibus ad studia Generalia, de institutione Capellanorum;

Digna est Bulla, quæ legatur ob cognitionem rituum eorum temporum, præcipue circa vestitum.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum P. a. I. a. D. 1484.

Ecclesia S. Jacobi de Vendevres unitur Cathedrali.

IV. B.M.p.4. vel t.10. p. 19.

JULIUS II. ad p. r. m.

Inc. *Ex debito, &c.*

ELigebant in Ecclesia Parochiali S. Jacobi de Vendevres Parochum Canonici Cathedralis Ecclesiæ hujus, simulque cum redditibus Ecclesiæ mixtæ erant quædam præbendæ Canonicales; ex qua mixtione nascebantur plures lites inter rectorem, & Capitulum.

Ea parochialis resignata a Rectore, Capitulum petit

a Pontifice, ut incorporetur mensæ Capitulari ad tollendas lites.

Annuit Julius; jubens tamen, ut verus valor beneficii parochialis æstimetur, assigneturque rectori. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Anconæ Id. Junii P. a. VIII. a. D. 1511.

Prioratus Satigniaci Ord. S. Augustini suppressus unitur Cathedrali.

V. Ib. p. 22. JULIUS II. ad p. r. m.

Inc. *Ex Commisso, &c.*

IN subsidium Cathedralis Gebennensis, quæ ruinam minabatur, Clemens V. univerat prioratum Satigniaci Ordinis S. Augustini eidem Ecclesiæ.

In eo prioratu autem vivebant sex Canonici *in decus summum Catholicæ Religionis.*

Cathedralis Capitulum petiit a Pontifice, ut illum omnino supprimeret, & ex ejus redditibus *duos Presbyteratus habituatos* erigeret in Cathedrali, qui aliis decem in ea existentibus unirentur.

Supprimit ergo Julius prædictum prioratum, efformatosque ex iis proventibus duos presbyteratus annectit decem aliis presbyteratibus *habituatis in divinis celebrandis*. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ XVI. Cal. Jan. P. a. X. a. D. 1512.

Ecclesia Thorensis incorporatur Cathedrali.

VI. Ib. p. 24. LEO X. ad p. r. m.

Inc. *Ex injuncto, &c.*

EXposuerant Canonici Ecclesiæ Cathedralis Gebennensis Pontifici, se habere *unum magistrum cum sex pueris, qui cantent divinum officium*, sed eorum mercedem esse adeo exiguam, ut vix ascendat ad valorem quindecim aureorum; Capitulum autem esse ita gravatum ob expensas factas in reparationem Ecclesiæ, ut nisi Pontifex provideat, periculum immineat, ne detrimentum ingens divinus cultus accipiat.

Supplicarunt ergo Pontifici, ut incorporaret mensæ Capitulari Ecclesiam Parochialem Thorensem. Assignata enim parte redituum in mercedem Cantorum, reliqui fructus impendentur in solutionem contracti ob restaurationem Ecclesiæ æris alieni.

Subscripsit precibus Capituli Leo, & per hanc constitutionem Ecclesiam Thorensem Cathedrali Gebennensi annectit.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Id. Jul. P. a. II. a. D. 1514.

Ecclesia Disigniaci annectitur Cathedrali.

VII. Ib. p. 49. CLEMENS VII. ad p. r. m.

Inc. *Rationi congruit, &c.*

SEx Canonici Ecclesiæ Gebennensis cum haberent suorum Canonicatuum decimas in Ecclesia Disigniaci, & duas tertias oblationum, & obventionum ex funeribus, eaque per resignationem vacaret,

Gebennense Capitulum rogavit Pontificem, ut eam uniret mensæ capitulari, ad tollendas lites, quæ quotidie oriebantur in divisione earum oblationum, & obventionum, & ad majus decus Cathedralis;

Bulla hæc eo tendit, ut fiant hæc omnia. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum VI. Cal. Dec. P. a. I. a. D. 1523.

Deputantur qui inquirant de occupatis bonis hujus Ecclesiæ.

VIII. Ib. p. 50. CLEMENS VII. ad p. r. m.

Inc. *Militantis Ecclesiæ, &c.*

CApitulum Gebennensis Cathedralis Ecclesiæ conquestum fuit ad Pontificem, bona non pauca spectantia ad eandem Ecclesiam occupata fuisse, & retineri a Ducibus, Marchionibus & Nobilibus; rogavitque, ut consuleret.

Clemens ergo mandat omnibus Prælatis Ecclesiarum finitimarum Diœcesi Gebennensi, ut unum, aut duos vel plures viros eligant, qui rem totam inspiciant. Siquid Ecclesiæ Gebennensis aliquos detinere invenerint, eos sub pœnis Ecclesiasticis, & brachii sæcularis implorato auxilio ad restitutionem cogant, omni posthabita appellatione;

Articulosque perquisitionis jam incœptos ab aliis eos persequi vult. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Prid. Non. Maji P. a. I. a. D. 1524.

Approbatio fugæ Episcopi, & Canonicorum Anecium.

PAULUS III. Episcopo, Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Gebenn. IX. Ib. p. 82.

Inc. *Ex parte, &c.*

SCripsit Lambertus Episcopus Gebennensis ad Pontificem, se, suosque Canonicos ab hæreticis ejectos ex urbe, spoliatos sacris vasibus, ornamentis, reliquiis aufugisse Anecium, ibique in Ecclesia S. Crucis Ord. FF. Minorum de Observantia divina peragere, & horas canonicas cantare, quin impedimentum ullum Fratribus afferant.

Paulus hæc acta approbat, jubetque, Episcopum cum Canonicis ibidem permanere, donec Deus succurrerit.

Præcipit tamen, eos servare Ecclesiæ Gebennensisin sacris peragendis ritus. *Nulli ergo, &c.*

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Mar. P. a. VI. a. D. 1539.

Institutio Collegiatæ Genevæ.

BENEDICTUS XIII. (Antipapa Petrus de Luna) ad p. r. m. X. B. M. p. 2. vel t. 8. p. 2226.

Inc. *His ex commissis, &c.*

JOannes Cardinalis Alarmet de Brogniaco an. 1406. Episcopus Ostiensis Vicecancellarius olim Viennensis nuncupatus juxta Ecclesiam Gebennensem *secus introitum, & frontem ipsius Ecclesiæ a parte dextera* collegiatam Capellam instituit, ut relinqueret memoriam sui Ecclesiæ Gebennensi, cujus erat Episcopus his cum conditionibus.

I. Collegium sit tredecim presbyterorum, qui divinum officium ibi perpetuis temporibus peragant; pro quorum substentatione assignat quinque millia florenorum auri ex bonis suis;

II. Aliquis de gremio Ecclesiæ Gebennensis, modo non sit præbendatus, sit rector, & Archipresbyter hujus Collegii, qui moriens nominet aliquem ex iis duodecim presbyteris in successorem suum; si nominare non potest, eum nominet pars major Collegii; quem nisi infra decem dies nominabit nominetur a Capitulo Ecclesiæ Cathedralis; hoc non nominante intra totidem dies, electio sit Episcopi;

III. Si Archipresbyter, vel Rector non sit bonæ mentis, duo ex Collegio bona administrent;

IV. Erunt duodecim servitores, & duo Clericuli nominandi a sex Senioribus de Collegio;

V. Si aliquis non honeste vivat, corrigatur; & si intra duos menses se non corrigat, Archipresbyter cum duobus senioribus eum ejiciat;

VII. Unusquisque (incipiet autem Archipresbyter, sequenturque servitores juxta admissionem in Collegium) *suam septimanam faciet cantando Missam.*

VII. Si non erit celebranda aliqua Sancti festivitas cum officio proprio, sed erit Feria, die Lunæ cantabitur Missa de Mortuis, die Martis de Angelis, die Mercurii de Trinitate, die Jovis de Spiritu Sancto, die Veneris de Cruce, Sabbato de B. Maria. *In fine Missæ fiet statio, ut est moris, cum aqua benedicta, & dicetur De profundis.*

VIII. Una Missa dicatur in ortu solis;

IX. Adsit supra Capellam campanula, ad cujus pulsationem servitores conveniant ad cantandam Missam; non convenientes ex causa justa careant distributione conveniente.

X. Aliæ missæ celebrentur *tali hora, ut non diminuatur servitium in Choro majoris Ecclesiæ;*

XI. Duo-

XI, Duodecim denarios habeat hebdomadarius cantans missam, Diaconus, subdiaconus, & cantor in choro quatuor, Archipresbyter sex denarios quotidie, omnes alii, qui interfuerint Missæ tres (horum denariorum viginti faciunt libram unam Gebennensem) dicentes missam *bassam* habebunt denarios novem.

XII. Duodecim anniversaria fient per annum, quolibet mense unum: & mortuo Cardinali, fiet eo die quo morietur. In iis duodecim commendentur Deo animæ propinquorum Cardinalis, & anima Clementis Papæ VII. Is fuit Antipapa.

XIII. Assignat Cardinalis distributiones faciendas in anniversariis.

XIV. Eidem Ecclesiæ omnia bona sua post mortem legat, ut ita augeantur distributiones.

XV. Archipresbyter autem intra mensem ab anno completo reddat rationem administrationis suæ, & si differat reddere, pro quolibet die dilationis perdat grossum unum; si per annum distulerit, removeatur a regimine.

XVI. Distributionibus, & pensionibus solutis, quidquid supererit, in ornamentum Capellæ, & sacrarii convertatur,

XVII. Omnes electi ad hoc collegium, antequam in illud ingrediantur, teneantur jurare, se servaturos hæc omnia.

Quatuor Clerici Apostolica, & Imperiali auctoritate notarii hæc descripserunt.

Benedictus hæc omnia confirmat.

Datum Massiliæ apud S. Victorem Non. Dec. P. a. XIII. a. D. 1379.

Ne impetrentur expectativæ harum mansionum.

XI. Ib. p. 225. MARTINUS III. dictus X. ad p. r. m.

Inc. *Tunc injunctum, &c.*

GUm dubitaret idem Joannes Cardinalis fundator Capellæ, ne adimpleretur clausula, quam adjecit, scilicet Archipresbyter moriens nominaret successorem suum, & sex seniores eligerent in alicujus mortui locum collegam, sed expectativæ impetrarentur a Pontifice, & *ita testatoris voluntas* eluderetur, rogavit Pontificem, ut inhiberet expectativas harum mansionum dari.

Martinus ita ut rogatus fuerat, decernit, ne Archipresbyteratus, vel capellaniæ dentur ad expectativam, sed servetur Cardinalis dispositio.

D. Romæ apud S. Apostolos VIII. Cal. Apr. P. a. VIII. a. D. 1419.

DE VIRIS ENSE ET PILEO A PONTIFICIBUS INSIGNITIS.

Ensis, & Pileus mittitur ad Imperatorem Fridericum III.

I. Ex Rayn. ad ann. 1459. §. 41. PIUS II. Friderico Romanorum Imperatori.

Inc. *Consuevit Romanus, &c.*

„ IN dieta Mantuæ decernenda erat expeditio in Turcas, omnibus Christianis principibus copias suppeditare pollicitis, Duxque supremus hujus exercitus creandus erat a Pontifice de consensu principum eorumdem Fridericus.

Quoniam igitur *consuevit Romanus Pontifex ex institutione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ alicui Christiano Regi, vel principi bene de fide Catholica merito ensem, ac pileum quotannis transmittere*, anno primo sui Pontificatus ense, pileoque benedicto, Imperatorem elegit Pius, quam hoc munere ornet, *sciens nulli posse convenientius dari, quam ei, cui ex officio suo Apostoli. eæ Sedis, & totius Christianitatis protectio est propria.*

Ensem igitur *de B. Petri Apostoli corpore sumptum, munus quidem pretio exiguum, sed devotione, & dantis animo magnum, accipiat, illoque supra femur suum potenter accingatur*, ut illo tutetur Ecclesiam nunc cum maxime indiget, oratque Pontifex Deum, ut per Friderici manum hoc ense armatam illa edat prodigia, cum nocte una centum octoginta quinque millia de dith gladium in cervicem Holofernis direxit.

Sit etiam pignus illius voluntatis, quam Pius in Fridericum habet.

D. Mantuæ Die IV. Janua P. a. I. a. D. 1459.

„ Unde, & quando natum sit initium mittendi ad „ Imperatores optime de propugnata religione Christiana meritos Galerum, & Gladium, quæ nocte Chri„ sti Domini Natali a Summo Pontifice benedicuntur, „ haud satis est compertum.

„ Quidam hujusce moris originem ducunt a litteris „ sacris: alii inventum existimant Pontificum Roma„ norum. Sixtus enim IV. vocat *approbatam sanctorum* „ *Patrum consuetudinem*, hoc est Pontificum, ut ani„ madvertit Christophorus Marcellus Lib. I. Sacr. Cerem. „ Sess. 7. cap. 7. apud Theophilum Raynaudum *de* „ *Gladio, & Pileo a Pontifice initiatis* sect. I. §. 3. „ operum tom. 10. pag. 634. ubi explicat significatio„ nem mysticam ensis, & subjicit verborum formu„ lam, qua Pontifex illum tradere consuevit. Vide „ Berninum in Hist. Hæres. sæc. XVI. cap. 9. t. 4. „ p. 528.

„ Franciscus Pagius in vita Urbani VI. §. 58. ait: „ *Nunc hæc ensis, & pilei benedictio fit in quocum„ que festo solemni. Anno enim 1716. Clemens XI. cum* „ *ensem, & pileum ad Principem Eugenium misit ob* „ *victoriam ab eo de Turcis relatam ad Varadinum eo„ dem anno, eos benedixit in Ecclesia S. Mariæ de* „ *Populo die octava Septembris*. Vide additionem Vi„ storelli ad Ciaconium t. 2. p. 624.

Ensem Pileumque mittit Pius ad Ludovicum Galliæ Regem.

PIUS II. Regi Ludovico, &c. II. Ex Gobellino l. 1.

Inc. *Quia nos, &c.*

ARdebat desiderio summo deprimendi Turcas Pius, qui in singulos dies victorias suas augebant, christianosque urbibus spoliabant.

Ut in eos accenderet Carolum Gallorum regem, ensem, pileumque benedictum inter natalitii Dominici solemnia ad illum mittit, adhibendum contra Turcas qui minantur Rhodo, qui paulo ante potiti Peloponneso fuerant, quibus Vvalachia pene tota paret, a quibus infligendum esse sibi vulnus pavet Hungaria.

Sicut autem disrumpuntur pugnandi in Turcas desiderio Galliæ regni magnates, ita eorum sanctissimum impetum Rex non retardet.

Ut autem hujusce consilii, quod in missione ensis animo intenderat Pontifex, recordaretur rex, in ense insculpti erant hi versiculi.

Exerat in Turcas tua me, Ludovice, furentes
Dextera; Grajorum sanguinis ultor ero.
Corruet imperium Mahumetis, & inclita rursus
Gallorum virtus te petet astra duce.

D. Romæ Die XXVII. Dec. P. a. III. a. D. 1461.

Pileo, & ense decoratur Mathias Hungariæ Rex.

PAULUS II. Mathiæ Hungariæ Regi. III. Ad ann. 1475. §. 41.

Inc. *Suscipiat, &c.*

NImis benemeritus de Ecclesia, & side erat Mathias, ita ut aliqua publica significatione id patefacere Pontifex non deberet. Turcas terque quaterque e suo regno repulerat gravi cum eorum jactura, Bohemos sæpe vicerat, plurimosque ad ejurandos errores induxerat

Ergo Pontifex ad illum ensem pileumque mittit. Hæc sicut testantur eum catholicam fidem in barbaros, & in hæreticos defendisse, ita illum excitare debent ad eandem propugnationem felicius prosequendam.

Neque putet Mathias hoc tantum suis laboribus dari præmium, coronam immarcescibilem ei Deus in altera vita reservat,

Quam ut ejus Celsitudini post multa bene acta annorum curricula reddat ipsius Redemptoris nostri misericordia, humiliter Pontifex supplicat.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIV. Janu. P. a. VII. a. D. 1471.

„ Errant, qui putant, scribuntque Sixtum IV. pri„ mum instituisse morem mittendi ensem, pileumque „ ad summos Duces de Religione meritos. Hi enim „ Pontifices præcesserunt Sixtum.

Mittit Pontifex gladium, & Galerum ad Philibertum Sabaudiæ Ducem.

IV. Ex Lunig. t. 3. p. 1190. SIXTUS IV. Philiberto, &c.

Inc. *Solent Romani, &c.*

SOlent Romani Pontifices in præclara Natalis Domini celebritate Chriſtianiſſimo, ac clariſſimo alicui Principi ornatum enſem deſtinare.

Habet myſterium ſuum mos hic. Enſis enim ſignificat victoriam quam Chriſtus de Diabolo, & morte retulit.

Cum igitur Pontifex ad aliquem enſem mittit, innuere vult, enſem illum ſignificare *infinitam potentiam*, qua Chriſtus hoſtes ſuæ Eccleſiæ per aliquem mortalem fugat, & ſuperat.

Volens ergo Pontifex *approbatas ſanctorum Patrum conſuetudines obſervare*, ſtatuit eundem Philibertum *Principem Catholicum, ſanctæque Sedis a Deo utrumque gladium habentis filium devotiſſimum hoc præclaro munere inſignire, necnon pileo in ſignum muniminis, & defenſionis adverſus inimicos fidei, & S. R. Eccleſiæ protegere.*

Igitur ejus manus firmetur, proſequaturque in Dei honorem victorias.

D. R. apud S. Petrum Die XXV. Dec. P. a III. a. D. 1474.

Pileus & enſis mittitur ad Carolum Sabaudiæ Ducem.

V. Ex Odorico Rayn. ad. an. 1514. p. 524. JULIUS II. Carolo, &c.

Inc. *Solent Romani, &c.*

CUpiebat (ſunt verba Hiſtorici) *Julius omnium Chriſtianorum arma adverſus fidei hoſtes verti, atque ideo ad ſedandas domeſticas diſſenſiones incumbebat. Cum enim Friburgenſes, & Bernenſes cum Sabaudo diſſiderent, miſſo internuncio propoſuit nonis Aprilis, ut eos ad ponenda odia flecteret, ſacram exinde expeditionem impeditam iri. Donaverat antea eundem Sabaudiæ Ducem Julius ſacro enſe, & pileo natalitio Domini veteri ritu conſecrato.*

Convenit hæc conſtitutio cum præcedenti.

D. Romæ XXVIII. Jan. P. a. V. a. D. 1508.

Maximilianus Imperator inſignitur Galea, & enſe.

VI. Ex Rayn. ad ann. 1514. §. 60. LEO X. Maximiliano, &c.

Inc. *Venienti ad majeſtatem, &c.*

DEcreta jam fuerat in Lateranenſi Concilio Chriſtianorum principum in Turcas expeditio.

Florentiſſimum habebat exercitum Maximilianus.

Ut illum ergo ad hanc expeditionem moveret Leo, ad illum mittit legatum Cardinalem S. Sixti cum pileo, & enſe.

His litteris eum monet, ſicuti eſt prima dignitas in Chriſtiana Rep. ipſe Maximilianus, primuſque Eccleſiæ defenſor inter Catholicos principes, ita debere exemplo in hac propugnatione Religionis in Concilio decreta omnes alios præcedere, & dare hoc argumentum Deo, orbi univerſo ſuæ pietatis, ſuæque devotionis in Deum ipſum, inque Eccleſiam.

Prævidens Pontifex, non in caſſum ſe ſperare, ad illum mittit enſem benedictum, quo velut alter Gedeon deſtruat Eccleſiæ hoſtes, nominiſque ſui gloriam apud poſteros magnam jam, celebremque novis victoriis cumulatiſſimis ex hoſtibus fidei reportandis amplificet.

D. Romæ apud S. Petrum Die V. Majl P. a. VI. a. D. 1518.

Ad principem Auraſicanum mittitur enſis, pileuſque.

VII. Ad ann. 1529. §. 51. CLEMENS VII. Orangiæ Principi.

Inc. *Cum Pontificii, &c.*

„ ERat hic princeps prorex Neapolitanus, & diu „ tenuerat captivum in arce S. Angeli Clemen„ tem, & tres Cardinales obſides duxerat ſecum Nea„ polim. Per eos dies illos Romam remiſerat.

Pontifex virtutem bellicam principis agnoſcens ſcribit, ſe ad illum mittere Pileum, enſemque benedictum per Camerarium ſuum,

Ut illo utatur adverſum Turcas, qui tot mala ac tanta Chriſtianæ Reip. important.

Neque rationem habeat exiguitatis muneris, ſed amoris, quo mittitur, ſed myſteriorum, quæ per illum ſignificantur, quæ Camerarius illi explicabit.

D. R. apud S. Petrum Die VIII. Jan. P. a. VI. a. D. 1529.

Ad Jacobum Scotiæ Regem galeam, enſemque mittit Pontifex.

PAULUS III. Jacobo, &c. VIII. Ad ann. 1535. §. 40.

Inc. *Conſueverunt Romani, &c.*

PRæmiſſa narratione moris conſecrandi in ſanctiſſima nativitatis Jeſu Chriſti nocte galeam, & enſem, & ſignificatione myſterii expoſita, quia nempe Chriſtus venit ea nocte in mundum non ut pacem mitteret, ſed gladium, quo debellandi ſunt hoſtes humani generis, & dæmonem præcipue,

Convenit devotioni, ætati, & muneri regio Jacobi ad eum gladium hanc benedictum galeamque mittere.

Ipſe enim eſt ſtudioſiſſimus Chriſtianæ Religionis propagandæ, eſt eo ætatis, ut poſſit pro eadem Religione labores perferre, defendendi ab illo ſunt populi Anglı Chriſto fideles, quos Anglie Rex Henricus (VIII.) perſequitur, quos vellet ab eodem Chriſto divellere.

Sciat Rex, quotcunque hoc munere fuere ab A. Sede donati, ſe valde honeſtatos duxiſſe.

Permittit illi eligere aliquem Catholicum Antiſtitem qui in Eccleſia a Rege eligenda inter miſſarum ſolemnia illi femori enſem aptet, pileumque capiti.

D. Romæ apud S. Marcum Die XIX. Febr. P. a. II. a. D. 1537.

Pileo, & enſe ornatur Sigiſmundus Poloniæ Rex.

PAULUS III. Sigiſmundo II. Poloniæ Regi. IX. Ad ann. 1539. §. 40.

Inc. *Conſueverunt Romani, &c.*

STrenue, ſicut ejus progenitores defenderat, defendebat Sigiſmundus Catholicam religionem contra Turcas, Tartaroſque, quorum in Poloniam irruptiones ſæpe compreſſerat feliciter.

Etiam hactenus fortiter reſtiterat, ne Lutherana hæreſis in Poloniam irreperet, Polonoſque inficeret.

In præmium ergo præſtitæ Catholicæ Religioni operæ, & ut magis accendatur Rex ad eam illi navandam, mittit ad illum Pileum gladiumque benedictum.

Explicat illi myſteria, &c.

D. R. apud S. Petrum Prid. Cal. Jul. P. a. V. a. D. 1538.

Pileum & gladium mittit Pontifex ad Albenſem Ducem.

PIUS V. Albenſi Duci. X. Ex Ollonino in addit. ad Ciacon. t. 3. p. 1006.

Inc. *Solent Romani, &c.*

BElgæ Duce Guillelmo Arauſicano Principe rebellarant a Philippo II. Hiſpaniarum Rege, quia nolebant Inquiſitionem admittere, neque plures Epiſcopatus in iis regionibus erigi.

Ad eos reprimendos miſerat Philippus Albenſem Ducem cum magno exercitu virum bellica laude celeberrimum, ſeveritate autem formidandum. Is magno prælio Guillelmum ſuperavit, ejuſque copias & eas, quas nonnulli Germaniæ principes miſerant in auxilium principis fudit, ſtraviteque, & multa loca a rebellibus occupata Regi recuperavit; animadvertitque acerrimis ſupplициis in conjuratos.

Pius compenſare volens tanti viri merita, eumque accendere ad defendendam acrius Catholicam Religionem, infectandoſque hæreticos mittit ad illum enſem, & pileum,

Reliqua conveniunt cum prima Bulla.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVI. Dec. P. a. I. a. D. 1566.

„ Hi hæretici dicebantur lingua Vallonica *Geuſi* men„ dici, & vagi nebulones. Spondanus ad a. 1566. §. 21.
„ Gallica *Hugonoti*. V. Thuanum l. 40. §. 7. t. 2. p. 524.

Joannes Auſtriæ inſignitur gladio, & Galero.

PIUS V. Joanni Auſtriaco, &c. XI. Ex ejus vita l. 2. p. 215.

Inc. *Ex more, &c.*

OCcuparant Turcæ inſulam Cyprum, videbanturque afflicturi multo magis Venetos, & totam Chriſtianam Remp.

Pius

Pius nullum non lapidem movit, ut fœdus principum Chriſtianorum contra illos faceret. Hoc fœdus inierunt ipſe Pius, Hiſpaniarum Rex Philippus II. & Veneta Reſp. Imperatorque belli erat Joannes Auſtriacus Caroli V, Imperatoris filius nothus frater Philippi.

Pugnatum eſt ad Echinadas die VII. Octobris. Nulla poſt hominum memoriam claſſis proſtravit tantas opes, ſine magna Chriſtianorum clade amplius quadraginta hoſtium millia fuerunt cæſa, decem amplius millia capta, centum nonaginta quinque triremes, aliaque complura navigiorum genera redacta in poteſtatem fœderatorum, ac plus quindecim Chriſtianorum millia libertati reddita. Haud humanæ inde opis videri tanta victoria potuit. Itaque Deiparæ Virgini Pius eam acceptam referens *commemorationem* inſtituit *S. Mariæ de Victoria* nonis Octobris, quo die devicti fuerunt Turcæ, recolendam, ac *Litaniis* ejuſdem Virginis inſeruit verſiculum *auxilium chriſtianorum, ora pro nobis*. Veneti cudi fecerunt nummos, dictos *Juſtina*, quia eo die inditione Veneta recolitur memoria S. Juſtinæ V. & M. Patavinæ cum Epigraphe *memor ero tui Juſtina virgo*.

Ut virtutem bellicam, prudentiamque Joannis Pius compenſaret, ſimulque illum ad proſequendum ſtrenue imperium accenderet, ad illum galerum, & enſem mittit, &c.

D. Romæ apud S. Petrum P. a. VI. a. D. 1572.

„ Pii V. ſucceſſor Gregorius XIII. conſtit. II. ad „ gratias agendas Mariæ Virgini inſtituit feſtum ſan„ ctiſſimi Roſarii celebrandum in ſingulis Eccleſiis, „ ubi eſſet altare Roſarii Dominica prima octobris, „ quo die ea victoria relata fuerat. Clemens XI. uni„ verſæ Eccleſiæ commune eſſe voluit, & Breviario „ Romano Benedictus XIII. inſeruit.

Ad Uladislaum Regis Poloniæ filium mittitur enſis, & Pileus.

XII. B. R. t. 5. P. 3. p. 298. C. C. URBANUS VIII. Uladislao Regis Poloniæ filio.

Inc. *Immortales Chriſtianæ, &c.*

STrenue Uladislaus Regis Poloniæ filius & ſæpe Turcarum, Tartarorumque copias fuderat, & plura loca ex iis recuperarat, qui bellum Poloniæ intulerant.

Eos ejecerat e Polonia, pavidoſque Polonorum animos recrearat.

Ad eum ergo mittit Urbanus Pileum, & enſem mitti ſolitos ad magnos principes, imperatoreſque de re chriſtiana propugnata optime meritos.

Eum hortatur, ut porro pergat oloniæ regnum tutari, & hoſtes fidei propulſare.

D. Romæ apud S. Petrum Die XIX. Janu. P. a. II. a. D. 1625.

Pileo, & enſe ornatur Rex Poloniæ.

XIII. B. R. t. 6. p. 3. p. 213. C. C. INNOCENTIUS X. Regi Poloniæ.

Inc. *Ex more, &c.*

IN ſignum militaris virtutis qua ſuperarat Suecos, & impetus Turcarum, & Tartarorum repreſſerat Rex Poloniæ Stephanus, mittit ad illum Innocentius enſem, & pileum,

Eique fauſta omnia precatur, ita ut illa omnia adimpleat, quæ myſtice per illos deſignantur.

Aliquis Epiſcopus eligendus a Rege poſt celebrationem divini ſacrificii illi pileum imponet, enſemque ad latus cinget.

Qui interfuerint vel toti, vel parti ejus ſacrificii confeſſi, & communicati indulgentiam plenariam conſequentur.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIV. Sept. P. a. VI. a. D. 1650.

Poloniæ Rex Joannes Sobieski iis inſignibus ornatur.

XIV. Ex ejus vita l. 3. p. 542. 2 INNOCENTIUS XI. Joanni Poloniæ Regi.

Inc. *Singularis tuæ, &c.*

DEvaſtata Hungaria, Turcæ innumerabili exercitu aggreſſi Vindebonam fuerant, eamque arcta obſidione cingebant. Imperator Leopoldus cum Imperiali familia inde aufugerat, terrorque ingens finitimas regiones invaſerat; timebant enim, ne illa capta, ipſæ quoque eſſent Turcarum præda.

Jam fœdus initum fuerat Imperatorem inter, regnum Poloniæ, & Remp. Venetam, Pontificemque, dictumque fuit ſacrum fœdus.

Movit Joannes, aggreſſuſque Turcas ingenti prælio eos fudit. Triumphum hunc conſequutæ ſunt insignes victoriæ. Poloni recuperarunt Camenecium, Veneti Peloponneſo ſunt potiti, Cæſar Vindebonam, & fere totam Hungariam e Turcis cladibus ſuper cladibus afflictis.

Pontifex, ut memoria hujus victoriæ ſemper haberetur, voluit diem Sanctiſſimo Mariæ nomini conſecrare, & quotannis ab univerſa Eccleſia recoli;

Ad Joannem autem mittit enſem, pileumque in argumentum ejus militaris fortitudinis, virtutiſque.

Illi permittit, ut aliquem Catholicum Antiſtitem eligat, a quo illis inter miſſarum ſolemnia ornetur.

Miſſæ intervenientibus indulgentiam concedit.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVI. Janu. P. a. IX. a. D. 1685.

Enſe, pileoque decoratur Dux Franciſcus Mauroceno.

ALEXANDER VIII. N. V. Franciſco Mauroceno Duci Reip. Venet. XV. Ex Arrighio vita F. Mauroceni p. 381.

Inc. *Ea quæ, &c.*

TAm multa, tamque eximia *contra immaniſſimum Chriſtianæ Reip. hoſtem* facinora patrarat Franciſcus Maurocenus, ut ſicut patria eum in Ducem Reip. elegerat, ita *peculiarem a Pontifice* (erat Venetus Othoboni) *quem in primis afficiebant præfatæ Reip. incrementa, gratæ voluntatis reſponſionem plane repoſcerent.*

Argumentum ergo admirationis tantæ virtutis bellicæ volens illi Alexander dare, mittit ad illum enſem, galeamque, *quibus prædeceſſores Pontifices inclitos ipſumet chriſtianæ Reip. Athletas inſignire conſueverunt.*

Nuncius Apoſtolicus illum, & eam illi tradet, delata Venetias a Michaele Angelo de Comitibus (is fuit Innocentius XIII.) Cubiculario Pontificis, *quam præſtantes virtutes, atque animi dotes, familiæ ex qua ortus erat nobilitatem æquantes admodum commendabant.*

Non dubitans Pontifex, quin ille a Duce omnibus humanitatis ſignificationibus ſit excipiendus, Duci, Reique publicæ omnia fauſta a Deo precans Benedictionem A. impartitur.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VIII. Apr. P. a. I. a. D. 1690.

Grati (Veneti Patres) *erga memoriam optime de Republica meriti Principis in aula, quam ſcrutinii appellant, monumentum inſolitum conlocant, addita rurſus inſcriptione:*

FRANCISCO MAUROCENO
PELOPONNESIACO
SENATUS.
Anno CIↃ IↃ CVIC.

Arrighius p. 391.

JAm antequam Dux eſſet, *ſtatua ærea in armamentario Xvirum ei poſita fuerat. Quodque antea nemini ufuvenerat, ut de victa gente moribus Venetorum cognomen adipiſceretur, appoſita inſcriptione publica ei tributum.*

FRANCISCO MAUROCENO
PELOPONNESIACO ADHUC VIVENTI
SENATUS.

id. Arrighius p. 343.

Eique Clemens IX. litteras ſcripſerat, in quibus erat

Gratulatio de Victoriis relatis e Turcis.

CLEMENS IX. N. V. Franciſco Mauroceno. XVI. Ib. p. 206.

Inc. *Præclara decora, &c.*

PRæclara *decora*, & *præcellentes animi dotes*, quibus Franciſcus ornabatur, *exiſtimationis, & caritatis præcipue ſenſu plane ſe complexi*, Clemens ſignificat.

Niſi

Nisi Mauroceni laudum nullum aliud extaret testimonium (extabant autem plurima, & magnopere conspicua) *illud unum abunde sufficeret, quod sapientissimo Veneti Senatus judicio dignus habitus esset, quem in gravissima sua, & Reip. Christianæ totius causa muneri tanto* (Imperatorio contra Turcas in propugnatione Candiæ) *præfecisset.*

Causam hanc, ait Pontifex, sibi maxime cordi esse (& sane biduum postquam deditionem Candiæ audivit, ingravescente dolore perit) speratque in Domino, se auditurum aliquod inclitum Mauroceni facinus, quo ejus nominis gloria extendatur, & *ingens promeritorum cumulus non solum penes longe dignissimam patriam, sed etiam apud universam Christianitatem, & summum ipsum Deum pietati ejus singulari notabiliter accrescat.*

Pro verum, ac temporum opportunitatibus paternæ suæ in eum voluntatis se illi daturum argumenta, testatur Pontifex.

Multa alia his similia animi Pontificis sensa plenius Mauroceno agnoscet a N. V. Baillivio S. Euphemiæ Nepote Clementis.

Deum rogat, ut adsit propitius Mauroceno Christianitatis universæ causam sustinenti, eique Apostolicam benedictionem peramanter impartitur.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVIII. Maji P. a. II. a. D. 1669.

Ensis, pileusque mittuntur ad Franciscum Eugenium Sabaudiæ Principem.

XVII. CLEMENS XI. Francisco Eugenio Sabaudiæ Principi Caroli VI. Imperatoris electi exercituum supremo Ductori.

F. Principis vica t. 3. p. 49.

Inc. *Præclara virtutis, &c.*

PLures, maximasque victorias reportarat e Turcis Princeps Eugenius, munitissimasque arces, & plurimas, præstantissimasque urbes ceperat, & florentissimos ejus gentis exercitus ad internecionem deleverat.

Pontifex igitur ejus fortitudinis admiratione captus mittit ad illum ensem, galeamque,

Testaturque illi, universam christianam Rempublicam ei esse obstrictam, quod impii hostis, qui totam Hungariam minitabatur, impetus contuderit, contuderitque jactura suorum militum minima, Turcarumque maxima.

Posse, scribit Clemens, de illo dici, quod dictum de Cæsare fuit, se venisse, vidisse, vicisse.

Accipiat munus illud, & porro pergat fractas hostiles vires pessumdare; animos sumat, & ut cœpit, opus perficiat.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die VII. Sept. P. a. XVI. a. D. 1716.

„ Missus fuit ad Pontificium donum ferendum Ho„ rarius Rasponi Ravennas eques Hierosolymitanus.

„ Princeps ornatus ense, & galea fuit in Cathedra„ li Ecclesia Javarini cum ex Hungaria Vindebonam „ rediit.

Ensis mittitur ad Magnum Magistrum Militiæ Hierosolymitanæ.

XVIII. BENEDICTUS XIV. Emmanuelis Pinto de Fonseca Magno Hierosolymitanæ militiæ magistro.

In folio separato.

Inc. *Maxima, &c.*

MIlitia Hierosolymitana a primæva sua institutione usque in hodiernum diem meritis plurimis, singularibusque in Ecclesiam, & in universam christianam Remp. fulget. Bellum enim acerrimum semper gerit cum Catholicæ fidei hostibus, neque impensis parcit ullis, ut a piratis maria tuta reddat, ejusque milites impavidi, licet plerumque viribus impares Barbaros aggrediuntur, eosque superant, præclarissimasque de iis victorias reportant.

Si unquam præclara facinora hic ordo militaris egit, sub magisterio Emmanuelis & præstantissima, & plurima egit. Is enim magister & vires navales auxit & artem militarem maritimam ita amplificavit, ut quoties cum hostibus iis equites congrediuntur (congrediuntur autem sæpissime) toties triumphos referant.

Æquum ergo putat Benedictus supremus Ecclesiæ Pastor, publicum argumentum M. Magistro eidem, totique ordini dare, quanti utriusque operam Ecclesia faciat.

Quare ad illum ensem pileumque mittit;

Utriusque autem mysterium explicat eruditione illa, qua excellebat summus hic Pontifex.

Sit munus hoc monumentum posteris sempiternum, ab Ecclesia eum ordinem, eum magistrum plurimi duci, simulque stimulus sit, quo excitentur omnes, & singuli equites, qui illi militiæ nomen dabunt posthac, ne a virtute bellica suorum prædecessorum ullo unquam tempore deficiant.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXIII. Dec. P. a. VIII. a. D. 1748.

DE FACTIONIBUS, ET VIRIS ILLUSTRIBUS.

Conditiones pacis inter Guelphos, & Gibellinos.

GREGORIUS X. ad p. r. m.

I. BR. t. 1. p. 2. p. 7. C. C.

Inc. *Bonum pacis, &c.*

INtestina, & inveterata dissensio Guelphorum stantium pro Pontificibus, qui Imperatorem Fridericum, ejusque filios Conradum, & Manfredum, & Conradinum ejus nepotem excommunicaverant, & vocarant ad regnum Siciliæ Carolum Andegavensem, & *Gibellinorum* tutantium Reges Siculos contra Pontifices, & Carolum, jamdiu divexabat Thusciam & præcipue urbem Florentiam;

Quam dissensionem ut sedaret Gregorius cum Carolo Siciliæ Rege Florentiam se contulit, & *variis tractatibus cum utraque parte habitis articulisque expositis, demum in generali Concilio ad hoc speciatiter congregato partem Guelphorum, requiri fecit, & nuntios Comitum Guidonis Novelli, & Simonis fratris ejus capitaneorum partis Gibellinæ*, post diutinas disputationes *juxta monita, & placita* Pontificis, & regis fuere admissi articuli.

I. Pœna initio statim denunciatur pacem non servantibus viginti millium Marcharum sterlingorum, quorum media pars detur Pontifici, alia media pars Carolo.

II. Gibellini, quia Friderico, Conrado, Manfredo, Conradino adhæserant, & multa mala intulerant Ecclesiæ, & Carolo *primum paciario, deinde Vicario in Thusciam per S. Sedem destinato* excommunicati fuerant; nunc jurent, se inimicos non futuros regi Carolo, se non recessuros ab obedientia S. Sedis, se futuros inimicos inimicis Ecclesiæ, & Caroli, se non habituros in Imperatorem, nisi quem S. Sedes confirmabit.

III. Iis mandat Gregorius, ne offendant Carolum, & posteros ejus in iis terris, quas possidet, & possessurus est, & ut illi tamquam Vicario Imperii pareant.

IV. Gibellini venire possint in terram Comitissæ Joannæ in Thuscia sine licentia Caroli;

V. Si vocabuntur a rege, possint respondere per procuratores suos; & si servitia in Thuscia præstare Regi debent, præstent ea per viros idoneos.

VI. In castrum Popii, quod Comitissæ Joannæ legavit maritus ejus ad vitam, jurent, se non admissuros quemquam Ecclesiæ, & regis inimicum;

VII. Si Comitissa, vel ejus filii *volent facere guerram Ecclesiæ*, vel Regi, subditi ejus loci neque Comitissæ, neque filii ejus adhærebunt & in hoc obtemperabunt.

VIII. Si Comitissa moriatur, ejus filii absque licentia S. Sedis in castrum non intrabunt; secus facientes solvent decem millia marcharum sterlingorum, medietatem Pontifici, medietatem Carolo, interim dent sexdecim obsides ex eodem castro:

IX. Comites consenserunt dare omnia castra, quæ habebant in Thuscia, & Comes Guido dedit etiam filium suum primogenitum, & filiam suam obsides.

X. His omnibus completis, omnia bona immobilia in statu, in quo sunt, restituentur comitibus, jura, honores, nulla habita ratione injuriarum factarum.

XI. Revocentur omnes confiscationes, banni &c. facti a Guelphis contra comites.

XII. Florentinis vetat Pontifex sub pœna quadraginta millium Marcharum occupare, & damnificare castrum Popii, particulares excommunicentur, civitas, vel communitas interdicatur,

XIII. Gi-

XIII. *Gibellini* Florentiam non intrent nisi ad beneplacitum Regis; familiæ ipsorum intrent, datis obsidibus; Gibellini ipsius civitatis Florentiæ erunt in confiniis intra urbem, & Fadum, Gibellini extra urbem, & districtum Florentiæ conferent se in loca assignata a Rege.

XIV. Familiis Gibellinorum redeuntibus Florentiam bona sua restituantur.

XV. *Gibellini de civitate* dent obsides Regi Carolo, & *de mutuis offensis* hinc sex, inde totidem deputentur, qui rem totam transigant.

XVI. Hic modus etiam stabiliendæ pacis servetur a Guelphis, & Gibellinis extra districtum Florentinum.

XVII. Guelphis Popii reddantur bona sua;

XVIII. *Illud castrum servetur per bonos homines legales.*

XIX. Expensæ pro obsidibus Gibellinorum fiant a Gibellinis.

XX. Rex *non vexet Gibellinorum amicos.*

XXI. Renovat Gregorius pœnas in pacem violantes.

XXII. Hæc omnia *tactis corporaliter sacrosanctis Evangeliis* a partibus jurentur.

XXIII. Quæ etiam ita fuere a partibus jurata.

Actum Florentiæ super litus Arni juxta Pontem, qui vulgariter dicitur Robaconti IV. Id. Julii P. a. II. a. D. 1274.

Albericus de Romano Frater Ezellini commendatur Patriarchæ Gradensi, & Episcopo Castellano.

II. Ex Corn. t. 16. p. post. p. 330. GREGORIUS IX. Patriarchæ Gradensi, & Episcopo Castellano.

Inc. *In perpetuum, &c.*

QUia *viriliter eis restitit* Albericus de Romano, *qui fidem Catholicam persequebantur, & se ostendit Ecclesiæ filium, & orthodoxæ fidei zelatorem, dignus erat laudis magnæ præconio.*

Propter quod non indignum esse censuit Gregorius, ut & ipsum a persequutorum injustu patrocinio Apostolico protegeret, quem Apostolicæ sedi in perversorum repressione exhibita obsequiorum devotio multipliciter recommendabat.

Hinc est, quod ipsius desiderio grato Pontifex *concurrens assensu eumdem Nobilem in devotione Ecclesiæ, & defensione Catholicæ fidei, & libertatis ecclesiasticæ persistentem, necnon terram, & alia bona sua sub beati Petri, & S. Sedis protectionem duxit admittenda.*

Iisdem Prælatis mandat Gregorius, *quatenus ipsum non permittant ab aliquibus indebite molestari.*

Iisque facultatem dat *molestatores per censuram Ecclesiasticam compescendi*, N. O.

D. Laterani II. Id. Junii P. a. XIII. a. D. 1239.

Idem Cornelius ibidem: „ Anno 1239. Albericus de „ Romano Ezelini Tyranni Frater cum sese Frideri„ ci II. Imperatoris hostem dixisset, Tarvisium occupa„ vit, usque ad annum 1256. fœdus, quod cum Pon„ tifice Romano inierat, religiose servavit. Cum au„ tem anno insequenti fidem, quam Ecclesiæ despon„ serat fœde fregisset, a Tarvisinis pulsus, & dein„ de captus misere occubuit. „

Albertus, & Mastinus Scaligeri Vicarii Veronenses, Parmenses, & Vicentini districtuum creantur.

III. Ex Lunig. t. 4. p. 83. BENEDICTUS XII. Alberto, & Mastino de la Scala Vicariis, &c.

Inc. *Attendentes gravia, &c.*

JAm Imperium vacare censebatur, Ludovico Bavaro Imperatore excommunicato, & populis a juramento fidelitatis ab Joanne XXII. solutis; Albertus ergo, & Mastinus de la Scala Nobiles Veronenses Fratres, miserunt ad Pontificem procuratores, orantes, ut constitueretur a S. Sede Vicarii in urbibus Veronæ, Parmæ, & Vicentiæ, earumque agris.

Benedictus vicarios mala plurima, incendia, strages, bellorum motus, urbium excidia in Lombardia, & præcipue in Marchia Tarvisina, quoniam vacante Imperio, electio Vicariorum ad Pontificem spectabat, eos Vicarios creat, quia eorum procuratores illorum nomine coram Cardinalibus pertinaciter promiserant,

I. Se administraturos merum, & mixtum imperium jure, rectoque, non tyrannice, sed *secundum leges, & consuetudines rationabiles, & Ecclesiasticæ libertati non repugnantes*; se esse semetipsos nominaturos Vicarios Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ, & non agituros Ludovicum Bavarum Regem, & Imperatorem Romanorum, sed qui de consensu Pontificis eligetur: se effecturos, ne civitates, quæ adhærebant S. Ecclesiæ, deficerent ad Ludovicum, & quæ favebant Ludovico, ut revocarentur ad societatem Ecclesiæ;

II. Se persoluturos S. Sedi *pensionem quinque millium Florenorum auri puri, justique ponderis, & cunii Florentini* annuatim in festo BB. Petri, & Pauli, & daturos ducentos equites, & tercentos pedites bene armatos in auxilium Ecclesiæ:

III. Si bona aliqua spectantia ad S. Sedem scient esse ab illa distracta, totis viribus se esse annixuros, ut S. Sedi restituantur;

IV. Se pro pensione persolvenda, pro peditibus equitibusque dandis nihil aliud a S. Sede postulare, nisi ut requisita censuras jaciat in perturbantes populos, urbes, jura, &c. Vicariatus;

V. Se confirmaturos hæc omnia stipulatione in præsentia Nuntii, quem mittet Pontifex, ubicumque volet; se obstricturos sacramento heredes suos ad hæc omnia præstanda semper;

Pontifex de consilio fratrum eos, & eorum heredes e legitimo matrimonio natos Vicarios creat earum urbium, districtuumque ad annos decem, & ultra ad placitum S. Sedis;

Vultque eos, & eorum heredes ex justis nuptiis genitos juramentum fidelitatis præstare cuilibet succedenti canonice Pontifici intra sex menses, si sint in Italia, sin autem sint extra, intra annum, illos, & hunc numerandos a die ejus assumptionis.

D. Avenione Cal. Sept. P. a. V. a. D. 1339.

A censuris absolventur Scaligeri.

BENEDICTUS XII. Episcopo Mantuano.

IV. Ib. p. 88.

Inc. *Licet atrocitas, &c.*

MAstinus natus q. Albuini de la Scala, & Albuinus natus q. Canis Grandis de la Scala jam facti certiores ex epistolis interceptis, a viris fide dignis, Bartholomæum de la Scala Episcopum Veronensem egisse cum Florentinis, & Venetis, ut iis urbes a Scaligeris prædictis possessas proderet, eosque interficeret, timentes, ne urbibus, & vita spoliarentur ab iis potentibus Rebuspublicis, furore perciti Episcopum interemerunt. Tum pœnitentes facti procuratorem ad Pontificem miserunt petentes humillime absolutionem earum censurarum, quas Ecclesia solet jacere in Episcopi interfectores.

Pontifex attendens eorum magnam pœnitentiam, licet crimen patratum sit gravissimum, Episcopo Mantuano mandat, ut eos absolvat *juxta Ecclesiæ formam*, iisque injungat, *quod infra octo dies post absolutionem hujusmodi ab introitu ejusdem civitatis Veronensis, cujus Episcopum occiderunt, pedites in tunica, sine caputio, & supertunicali, ac alio quolibet cooperimento, capitibus discoopertis incedant, ac vadant, ac ante se portari faciant centum cerea tortitia quodlibet ponderis sex librarum, & eorum quilibet unum cereum accensum dicti ponderis propria manu ad ejusdem civitatis Ecclesiam Cathedralem, & ibi in aliquo die in solemni hora, qua Missa major cantatur, & in dicta Ecclesia major fuerit populi multitudo offerant dicta tortitia cerea, & a Canonicis dictæ Ecclesiæ veniam dicti delicti cum humilitate deposcant. Et deinde infra medium annum a die absolutionis hujusmodi computandum, unam imaginem argenteam B. Mariæ ponderis triginta marcharum, & decem lampades de argento, quamlibet ponderis trium marcharum in dicta Ecclesia offerant, inibi perpetuo remansuras, ac redditus annuos perpetuos assignent pro oleo habendo ad dictas lampades necessario. Et nihilominus infra dictum annum in ipsa Ecclesia sex capellanias dotent, quamlibet de viginti Florenis auri de Florentia annui, & perpetui redditus pro sex presbyteris, qui in dicta Ecclesia ultra illos, qui esse consueverunt ibidem, officiare perpetuo teneantur; quorum duo pro anima ejusdem Episcopi interi,*

pti, unusquisque videlicet per hebdomadam suam debeat celebrare.

In die vero, qua dictus Episcopus extitit interemptus quilibet eorumdem Maslini, & Albuini singulis annis habeat reficere viginti quatuor pauperes, & singulis singulas tunicas conferre, ac toto vitæ suæ tempore jejunent sextas feriæ, & vigilias B. Mariæ, nisi infirmitate, vel senectute fuerint detenti; & tunc pro illa die, qua propter causas prædictas non poterunt jejunare, duos pauperes reficere teneantur. Et cum fiet passagium generale, iidem Maslinus, & Albuinus, si vivant, viginti homines in equis armatis in terræ Sanctæ subsidium mittere teneantur, ibidem per annum propriis expensis mittentium militaturos; si vero tunc non superessent rebus humanis, ordinare, dum vixerint, sint adstricti, quod id per successores eorum debeat adimpleri.

Alias pœnas amissionis feudorum, jurisdictionum, quas incurrerunt *de magna S. Sedis misericordia* iis relaxat Benedictus.

D. Avenione X. Cal. Oct. P. a. V. a. D. 1339.

Excommunicantur Columnenses.

V. Ad ann. 1297. §. 26. BONIFACIUS VIII. ad p. r. m,

Inc. *Præteritorum, &c.*

„ FRidericus Siciliæ Rex, ut negotium faceſſeret „ Bonifacio, qui nolebat eum regem Siciliæ agno„ ſcere ab illo uſurpatum, cum ejus frater Jacobus il„ lud renuntiaſſet, pellexat Columnenſes in partes „ ſuas, eoſque impulit, ut pluribus injuriis Bonifa„ cium, & Eccleſiam afficerent. Hi erant Petrus, & „ Jacobus Cardinales, hic patruus, ille nepos. „

Jam antea Joannes Cardinalis, & Oddo pater Jacobi pro Petro Aragonio Friderici patre fteterant, Siculoſque rebelles juverant in Pontificatu Gregorii IX. contra Eccleſiam, multiſque injuriis familiam Urſi, quæ ſtabat pro *Eccleſia, laceſſerant*. Sed hæc crimina antiqua ſunt;

Non minora mala fratres Columnenſes nunc Eccleſiæ faciunt, qui fœdus inierunt cum hoſtibus Eccleſiæ, omnes quos Eccleſiæ devotos vident, infectantur, bonis ſpoliant, & loca ipſa, quæ in fide Eccleſiæ perſiſtunt, invadunt, & expilant.

Studuit pluries Pontifex eos ab his facinoribus revocare, ſed fruſtra. Credentes enim Pontificem id agere ex timore tanto acerbius in eum ſe invexerunt.

Cum videret itaque Pontifex gravia pericula, quæ ex hac diſcordia oriri poterant, ut iis obviam iret, mandavit Stephano nepoti Jacobi Cardinalis, & fratri Petri itidem Cardinalis, ut civitatem Prænestinam (v. *loco ſuo inter urbes Status Eccleſiaſtici*) caſtra Columnæ, & Zagaroli *procuraret cuſtodienda ad placitum Pontificis*, ut per ea non poſſet perturbari urbis Romæ quies, & auxilio Friderico præſtari; & ut filiis Oddonis de Columna daretur pars, quæ ad eos ſpectabat, quæ per annos quadraginta iis denegabatur.

Columnæ his imperiis æquiſſimis Pontificis parere detrectarunt, immo mala pejora facere ſunt aggreſſi, ita ut Cardinalium opera, quæ debuiſſent eſſe populis fidelibus ædificationi ſint ſcandalo graviſſimo, & ſua dignitate turpiſſime abutantur.

Ergo Bonifacius eos privat Cardinalatu, Sacerdotio, & eos ſpoliat omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, & redditibus ex his beneficiis provenientibus, & eos excommunicat.

Prævidens autem, prædictos Cardinales motus excitaturos, & impulſuros eſſe alios in eamdem rebellionem, omnes eorum fautores, adhærentes, conſiliarios, &c. excommunicat;

Joannem, & Oddonem nepotes eorumdem Cardinalium, eorumque poſteros uſque ad quartam generationem Sacerdotiis excludit;

Jacobum, & Petrum citat ut intra decem dies ad ſubſellia Pontificia compareant;

Quod niſi fecerint privat eos omnibus bonis mobilibus, & immobilibus ad eos ſpectantibus ſitis in ditione Eccleſiaſtica, Siciliaque citeriori, ulteriorique.

Actum Romæ apud S. Petrum in publico Conciſtorio VI. Id. Maji P. a. III. a. D. 1297.

„ Exaſperati Columnenſes, ut florebant opibus, ac „ proinde amicis, facile alios in partes ſuas pertraxe„ runt, omnes prænobiles, alios devinctos conſanguini„ tate, alios precibus, & pollicitationibus Regis Sici„ liæ Friderici motos, libellum contra Bonifacium „ conſcripſerunt, in quo eum hæreticum dicunt, in „ quo aſſerunt, eum non eſſe verum Pontificem, quia „ Cæleſtinus vel ceſſit metu, qui cadit in virum con„ ſtantem, irritatque contractus (nimis longa eſt hiſto„ ria, quam ut aſſerri debeat), vel aſtu a Bonifacio „ cedere coactus fuit, *ſua autem fraus neminem juva„ re debet*, vel non potuit cedere; ſicut enim, dice„ bant, Pontifex non poteſt ſe ipſum abſolvere, ita „ non poteſt deponere papatum, ſed debet deponi ab „ iis, a quibus fuit electus. Hic liber diſſeminatus „ graviſſimas ærumnas peperit Bonifacio; præſertim „ ex Gallia, quo Columnenſis Jacobus dictus Sciara „ ſe receperat. „

Renovatur ſententia in Columnenſes.

BONIFACIUS VIII. ad p. r. m. VI. Ib. §. 41.

Inc. *Lapis abſciſſus, &c.*

CItationi factæ de comparendo intra decem dies ante ſubſellia Pontificia non paruerunt Columnenſes;

Inſuper quia librum, in quo ſunt *non ſolum blaſphemia, & ſchiſmatica, ſed etiam inſana*, diſſeminare ſunt auſi,

Eos ſolemniter damnat, excommunicat, privat honoribus eccleſiaſticis, & laicis, & ſolvit eorum ſubditos ab juramento fidelitatis Bonifacius.

Interdicit loca, quo devenerit, excommunicat fautores, &c.

Actum Romæ in Baſilica S. Petri in die Aſcenſionis Domini P. a. III. a. D. 1297.

„ Etiam conſtitutio in eos edita fuit, quæ fuit in„ ſerta in ſexto Decretalium (*ſubintellige libro*) quem „ quidem librum edidit hoc anno Bonifacius.

„ Collectus fuit a Guillelmo Epiſcopo Ebredunenſi, „ a Berigario Epiſcopo Biterrenſi, & a Richardo Se„ nenſi S. R. E. Vice-cancellario, ut narrat ipſe Bo„ nifacius in litteris ad Bononienſes huic libro præfi„ xis. „

Mandantur Inquiſitoribus in Columnenſes Inquiſitio.

BONIFACIUS VIII. Cenſoribus fidei, &c. VII. Ib. §. 42.

Inc. *Cum dicti, &c.*

QUia eccleſiaſticas cenſuras minime timebant Columnenſes, immo augebant ſuam audaciam, injuriiſque in dies majoribus afficiebant Eccleſiam, recipiebant in urbem Prænefte nuntios Siculorum, & Friderici, & ipſi ad eos, & illum nuntios mittebant,

Jubentur Inquiſitores contra illos procedere, eorumque fautores tamquam in hæreticos.

D. Anagniæ Id. Junii P. a. III. a. D. 1297.

Tertio excommunicantur.

BONIFACIUS VIII. ad p. r. m. VIII. Ibid.

Inc. *Cum prædicti, &c.*

NEque metu Inquiſitorum ceſſantes Columnenſes ab infectanda Eccleſia, a favendo Siculis, ab hærendo Friderico,

Tertio excommunicat Bonifacius, innovatque omnes pœnas, &c.

Actum Romæ in Baſilica ſupradicta in feſto Dedicationis ejuſdem Baſilicæ P. a. III. a. D. 1297.

Sententia excommunicationis in Columnenſes.

BONIFACIUS IX. ad p. r. m. IX. Ex Lunig. t. 4. p. 111.

Inc. *Regnans in excelſis, &c.*

JUſti judicis eſt præmiis bonos viros afficere, & pœnis malos; inter hos malos recenſendi Columnenſes Joannes, & Nicolaus de Prænefte *iniquitatis alumni* ſunt.

Jam f. r. Bonifacius VIII. *infructuoſos palmites peſtiferos, & nocivos, quos tunc quaſi ficus ſatua domus de*

de Columna de Prænefte produxerat, curaverat quantum fuit in eo ſuſcidere; tamen uno ferme revoluto centeſimo; præfati Joannes, & Nicolaus fiorum majorum in Pontifices, in urbem Romam, in Eccleſiam Romanam, in ejus ſubditos crimina renovarunt.

Nam jam pacta concordiæ erant inita inter Columnenſes ex una parte, & Pontificem ex alia, ut Columnenſes nullam ligam facerent contra Pontificem, urbem, & populum; jam Pontifex paterno amore Columnenſes proſequebatur, occaſionemque ſibi dari præoptabat hunc in eos amorem oſtendendi. Cum Columnenſes aſſumptis aliis ſociis *nocturno tempore cum non parva equitum, & peditum comitiva tamquam factioſi, ipſam urbem*, in qua cum Curia reſidebat Pontifex, irrumpant, *& arcem Capitolii, ad locum FF. Minorum de Ara Cœli obſidere*, & ſtatum civitatis pervertere ſtudent. Sed eorum molimine detecto fugerunt, quibuſdam tamen eorum ſociis captis, & ultimo ſupplicio affectis.

Joannes Columna captivavit, & in carcere diu detinuit quoſdam, ut ab illis pecuniam extorqueret, in carcerem detruſit, detinetque Epiſcopum adminiſtratorem Eccleſiæ Prænestinæ, quia eum correxit, cavalchatas fecit in urbes, in ſubditos Eccleſiæ.

Quare inciderunt in cenſuras contra hujuſmodi facinoroſos latas a ſuperioribus Pontificibus. Bonifacius licet potuiſſet in eos animadvertere, cum hæc facta eſſent notoria, tamen quoſdam Cardinales deputavit, qui inquirerent, an hæc vera eſſent, retuleruntque, ſe reperiiſſe ea eſſe vera.

Quare videns Pontifex, patientiæ potius eorum malitiam augeri, eos citavit; quos non comparentes declaravit, & eos, & eorum ſucceſſores cecidiſſe bonis, privilegiis, titulis, honoribus, feudis; eorum bona, & feuda fuiſſe, & eſſe confiſcata, & incurriſſe illos in pœnas in malefactores ejuſmodi ab Eccleſia ſancitas.

Actum, & D. Romæ apud S. Petrum II. Id. Maji P. a. XI. a. D. 1400.

Pandulphus Malateſta monetur, ne Florentinos perturbet,

X. Ex Lunig. t. 3. p. 123. BONIFACIUS IX. Pandulpho de Malateſtis in civitate Faventina pro Romana Eccleſia in temporalibus Vicario.

Inc. *Meminimus, &c.*

PAndulphus de Malateſtis erat Vicarius S. Sedis in urbe Faventia, ejus Frater Vicarius fuerat Arimini, qui conſuluerat Pontifici, ut ſi vellet recuperare urbes Eccleſiæ, fœdus cum Florentinis iniret; & ipſe Carolus, hoc erat nomen Fratri Pandulphi, & militibus, & conſilio partibus Eccleſiæ favebat.

Jam fœdus initum inter Pontificem, & Florentinos fuerat; ſed Pandulphus Florentinos excurſionibus, rapinis, incendiis vexabat, favebat Duci Mediolani, qui loca Eccleſiæ occupabat.

Ad Pandulphum igitur ſcribit Pontifex, eum adhortans ut deſiſtat;

Namque ſi non deſiſtet, eum exterminabit, honoribus, dignitatibus, bonis, feudiſque exuet, & excommunicationis gladio illum feriet.

Dat. Romæ apud S. Petrum Cal. Junii P. a. XIV. a. D. 1403.

Vicarii Eccleſiæ Romanæ excitantur contra Albericum de Barbiano Bononiam occupare tentantem.

XI. Ex Lunig. Ib. p. 135. INNOCENTIUS VII. Nicolao Marchioni Eſtenſi in Ferrarienſi, Obizoni de Polenta in Ravennatenſi, Ludovico de Alidoſiis in Imolenſi, Cecco de Ordelaffis in Forolivienſi, Carolo Malateſtæ in Ariminenſi, Malateſtæ de Malateſtis in Piſaurienſi, Guidoni Antonio Comiti Montiſeretri, Capoleoni de Brancaleonibus domicello in Durantis, & Sancti Angeli in Vado terris Vicariis, &c.

Inc. *Cum nobilis, &c.*

ALbericus de Barbiano Comes Cunii, & regni Siciliæ Conneſtabulus, Eccleſiæ ſubditus, in quibuſdam enim Eccleſiæ terris Vicarius erat in temporalibus,

contra Pontificem, & Eccleſiam conventicula habebat, ſocietates inibat, tranſigebat, colloquebatur, ſubditos Eccleſiæ ſubvertebat, eoſque ad occupandam Bononiam incitabat, cavalcharas faciebat, & alios injuriis afficiebat, aliorum bona uſurpabat, cum facinoroſis ſemper verſabatur. Jamque multi Bononienſes ſe paratos mutare dominium oſtendebant.

Cardinalis Balthaſſar Coſſa Vicarius Bononiæ, & Legatus S. Sedis per litteras ſæpe eum monuerat, ut deſiſteret, ne quietem populorum Eccleſiæ perturbaret, ne ad defectionem Bononienſes pelliceret. Sed fruſtra. Imo eo majora crimina patravit, eo majores excitavit turbas, eo intentius res innovare Bononiæ ſtuduit Albericus.

Innocentius igitur ad eum comprimendum mandat præfatis Vicariis, quos ideo recenſuimus, ut Status Eccleſiaſtici notionem eorum temporum Lector habeat, ſub excommunicationis pœna non abſolvendæ niſi a Romano Pontifice, amiſſionis honorum, dignitatum, privationis feudorum, infamiæ, criminis læſe majeſtatis, ut *ad mandatum* ejuſdem Cardinalis Coſſa *debeant abſtinere* a terris, ſequacibus, *fautoribus* Alberici; & præterea ad mandatum ejuſdem Cardinalis debeant contra Albericum, ejus gentes, terras, locaque ab illo poſſeſſa arma ferre, *& modis omnibus* illi, & his *hoſtilia facere, donec correctus, & emendatus ac humiliato ſpiritu* ad Pontificis, & Eccleſiæ *fidelitatem redierit*.

Si quis eorum hæc facere omiſerit, ſciat ſe incurriſſe in enuntiatas pœnas.

Dat. Romæ apud S. Petrum VI. Cal. Jul. P. a. I. a. D. 1405.

Franciſcus Sforzia de Attendolis ob occupatam Marchiam Anconitanam excommunicatur.

EUGENIUS IV. ad f. r. m. XII. Ex Lunig. t. 4. p. 181.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

VAriis modis conatus fuerat Eugenius movere Franciſcum de Attendolis, ne occuparet provinciam Marchiæ Anconitanæ. Sed fruſtra.

Quare Eugenius declaraverat, eum incurriſſe in pœnas enunciatas iis, qui terras Eccleſiæ invadunt, & detinent. Quas tamen pœnas contempſit Franciſcus, neque reſtituit occupata, ſed pergebat & alia loca invadere.

Tantam ergo injuriam Eccleſiæ illatam Eugenius perferre non potens pœnam excommunicationis in Franciſcum renovat; & quia ejus copiæ augebantur in ſingulos dies,

Omnibus ejus fautoribus, militibus, adjutoribus, conſiliariis denuntiat excommunicationem, infamiam, confiſcationem bonorum, amiſſionem dignitatum, titulorum; eos liberat ab juramento fidelitatis; jubetque milites, alioſque ejus amicos ad illo diſcedere, qui ſi non diſcedant, ſciant ſe eaſdem in pœnas eſſe incurſuros.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum V. Non. Jul. P. a. XVI. a. D. 1446.

Excommunicatio lata in Joannem Bentivolum Bononiam reſtituere Eccleſiæ renitentem, ejuſque fautores.

JULIUS II. ad f. r. m. XIII. Ib. p. 193.

Inc. *Cum Bononia, &c.*

DIu vexata fuerat Bononia *civitas ampla, & doctorum virorum alumna*, quæ pleno jure ad Romanam Eccleſiam ſpectat, *tum propter ſeditiones in ea exortas, tum propter aliquorum principum violentiam, tum propter nonnullorum civium tyrannidem*. Sed cum per Nicolaum V. recepta fuiſſet, videbatur in pace conquieſcere.

Potentia optimatum de Bentivolis, qui favoribus Romanorum Pontificum creverunt, & amplificati ſunt, faciem tranquillitatis in illa immutavit. Bentivoli per tyrannidem favore quorumdam Italiæ principum dominium in illa occupaverant; illi *in Romanam Eccleſiam conſœderationes principum ſequentes* bella moverunt; nullum genus hominum Bononiæ fuit, quod non

vexaverint, omnia bona occuparant, urbem militibus replerant; & Joannes Bentivolus usurpans Legati Apostolici auctoritatem Ecclesiæ solum dominii nomen reliquit; *& ad regium fastigium aspirans sub quæsito colore Imperialis licentiæ etiam monetam nomine suo cudifecit*. Etiam mores illius civitatis ex licentia ejus Filiorum, & satellitum corrupti fuerunt; *non tuta muliebris pudicitia, non tuta mercatura, non firma fides*. Julius, qui per annos viginti legationis munere Bononiæ functus fuerat, non potest sine horrore hæc audire pristina tempora revolvens.

Ad hæc tam pernicioſa tollenda de medio oratoribus Bononiensibus, qui Romam venerant ad præstandam obedientiam injunxit, ut sexdecim de regimine, & Joannem nomine Pontificis monerent, *quatenus curarent, ut in dicta civitate justitia, & æqualitas, non usurpatio, & vis potentum locum haberent*. Sed frustra. Julius invitavit sex de regimine, & Joannem, aut ejus filios, ut Romam venirent pro reformatione urbis, & status illius. Parere noluerunt. Arripuit ergo iter Julius moransque Viterbii misit Bononiam Cameræ suæ Auditorem, qui eos adhortaretur ad scandala tollenda, illique facultates dedit pœnas spirituales, temporalesque expediendi. Quod fecit Auditor. Sed Bantivolus, & ejus fautores contra ac statuerat Pius II. ad Concilium appellarunt, implerunt urbem militibus, aditum Pontifici in urbem denegarunt, & arma portarunt ad resistendum.

Ergo Pontifex antianos, vexilliferum justitiæ, confalonerios populi, massarios artium omnes, & singulos, cives universos admonet, ut sub excommunicationis pœna absolvendæ a solo Pontifice infra novem dies, tribus pro quovis trino termino assignatis, expellant ex urbe armatos milites, quos publice, vel privatim conduxerunt.

Militibus autem, sub eadem pœna mandat, ne jussis sexdecim, & Bentivoli obtemperent; sub eadem pœna jubet ne quisquam præter numerum consuetum servorum alios homines habeat pedestres, vel equestres.

Præcipit etiam sexdecim, & aliis, ne permittant haberi arma offensiva, & defensiva, nisi de sententia locumtenentis in civitate, & curent ea deferri in locum deputandum ad id, & arma quæ inferviunt ad oppugnationem, vel propugnationem urbium in urbe, suburbiis, & locis adjacentibus ne fiant, & facta intra tres menses destruantur.

Demum monet Joannem ejusque Filios sub censuris, &c. *ne de dicto regimine directe, vel indirecte quocumque quæsito colore se impediant, neve publica palatia dictæ civitatis ingredi audeant, donec aliter ordinatum fuerit, & ad præsentiam Pontificis personaliter se conferant super præmissis deliberationem Pontificis audituri*.

D. Forilivii VI. Id. Oct. P. a. II. a. D. 1506.

Hortatio ad Italos, ut pacem faciant, ferventque.

XIV. Th. t. 3. p. 11. JOANNES XXII. Universis Italiæ Nobilibus, Marchionibus, &c.

Inc. *Etsi divinæ, &c.*

NUllus pater est, qui nolit filios suos pace frui, & grata in concordia vivere, & sese invicem amare. Hinc Pontifex, qui est omnium Christi fidelium pater, non potest non magnopere affligi, cum videat filios suos in turbis vivere, & non optare summopere inter eos pacem, concordiamque. Indoluit cum audivit civitates Italas inter se dissensiones fovere, bella intentari, & *dompum contra domum, civitatem contra civitatem, gentem contra gentem insurgere*.

Admonet igitur Pontifex Italos, *ut advertant, quod indubie prædictis actibus Deus offenditur, peccatur in proximum, persæpe lædunturinnocui*; meminerint, Deum dissipare gentes, quæ bella movent, neque putent, se lucrari; *ubi enim lucrum ibi damnum; lucrum in arca, damnum in conscientia*.

Neque singuli ex hujusmodi discordiis gravantur, sed universi; nam damnum redundat in publicum; dum enim pars una alteram lædere studet, ambæ patiuntur, quæ crescerent caritate, & amore, quia *res parvæ concordia crescunt, magnæ discordia dilabuntur*. Ergo videant: nam hos rixatores, perturbatoresque manet gehennæ ignis.

Ergo eos in viscera Christi obsecrat Pontifex, sanguini parcant; abjiciant arma, *extinguant odia, coitiones præteritas dissolvant, atque arctissimi amoris fœdere sua vinciant voluntates*.

D. Avenioni IV. Calend. Februar. Pontif. ann. I. a. D. 1317.

Gratum se testatur Pontifex Malatestæ Ballonio.

CLEMENS VII. Malatesta Ballonio exercitus Florentini Capitaneo Generali. XV. Ex Lunig. p. 1. D. 4159.

Inc. *Ex dilecto, &c.*

LAudat Clemens Ballonium, *quod amore, & studio, & assidue procedat ad servationem* Florentiæ patriæ Pontificis carissimæ, *simulque in rerum* domus Medicæ *beneficium*.

Testatur, se numquam hujus beneficii collati in patriam in domum suam obliturum esse; nihil enim magis exoptabat quam Florentiæ incolumitatem.

Ait, se ad illum mittere Bernardinum Coccium, a quo plura intelliget, cuique plenam fidem præstet.

D. Romæ apud S. Petrum die XIII. Aug. P. a. VII. a. D. 1530.

De eodem argumento.

CLEMENS VII. Malatesta, &c. XVI. Ibid.

Inc. *Ex tuis, &c.*

LAudat Ballonium Clemens, quod opus inceptum strenue urgeat.

Eumque excitat ad superandas omnes difficultates, quæ quo majores erunt, majorem illi gratiam conciliabunt apud Pontificem.

Quo animo in illum sit, jam scripsit ad eum Galeatius, sed uberius intelliget a Martino Agrippa, quem ad illum mittit.

D. Romæ apud S. Petrum die XXIII. Aug. P. a. VII. a. D. 1530.

DE

DE RUSSORUM REGNO.

Accipitur regnum Russorum in protectionem S. Sedis.

I. Ex Baron. ad a. 1075. §. 8. XVIII. GREGORIUS VII. Demetrio Regi Russorum, & Reginæ ejus uxori.

Inc. *Filius vester, &c.*

SIgnificat Gregorius prædicto Demetrio, & Reginæ eorum filium Romam venisse veneratum Apostolorum limina, & obtulisse regnum B. Petro *debita fidelitate exhibita*; & petiisse Apostolicam protectionem, testatum id fore gratum genitoribus;

Ejus votis se satisfeciſſe, & in suam, & B. Petri tutelam illud recepisse;

Iis pollicetur Gregorius, sedem A. facturam semper quæ juste rex postulabit.

Ad eum mittit Legatos, qui Pontificis animi sensa ad illum deferant, quos rogat ut benigne suscipiat.

D. Romæ XV. Cal. Maji Indict. XIII. P. a. III. a. D. 1075.

„ Hactenus epistola Gregorii ad Regem Russiæ a „ nobis reddita, ut eo exemplo intelligatur, quomodo „ contigerit plura regna oblata reperiri A. sedi. Chri„ stiana Regum pietas efficiebat, ut persuadentes sibi „ illi magis protectione S. Petri principis Apostolorum, „ quam armis regna defendi, offerrent illa eidem San„ cto Petro, a quo, & per successorem ipsius Roma„ num Pontificem acciperent illa in feudum, præstito „ juramento fidelitatis eidem. „ (Baronius ib.)

Gratulatio de suscepta fide, & de missione Legati.

II. Ex Rayn. ad a. 1227. §. 8. HONORIUS III. Universis regibus Russiæ.

Inc. *Gaudemus in Domino, &c.*

LÆtatur summopere Honorius, populos Russiæ faciles Christianam fidem fuisse amplexatos, & rogasse Legatum Episcopum Mutinensem, ut ad eorum urbes accederet; se paratos esse eum suscipere, & Catholicæ fidei nomen dare; se ideo non credere, quia nemo ibidem fidem prædicat; se quia infideles sunt, gravissimis suppliciis a Deo afficit ajebant.

Eos Pontifex monet, ut statim rescribant, an velint Legatum: se, testatur, missurum ad illos virum probum, qui eos fidem naviter docebit.

Eos rogat, ut pacem cum Livonensibus, & Estonensibus habeant, ne impediant religionis progressum, ne scilicet Dei iram, & sedis A. indignationem in se provocent.

D. Later. XVI. Cal. Febr. P. a. XI. a. D. 1227.

Laudatur Rex Russiæ, quod velit deserere Græcorum schisma.

III. Ex Rayn. ad a. 1231. §. 43. GREGORIUS IX. Russiæ Regi illustri.

Inc. *Domino in Evangelio, &c.*

CUm unum tantum, Christo ipso testante, sit ovile, unus etiam primus debet esse pastor, quem esse B. Petrum Christus idem ipse dixit, cum injunxit illi *pasce oves meas*. Et sane illi potestatem ligandi, & solvendi Christus tradidit.

Jam *ab hoc ovili videtur extraneus, & a grege Domini alienus, qui Christi Vicario, successori videlicet B. Petri subesse contempserit, ac humiliter obedire, qui assumptus est in potestatem plenitudinem, cæteris in partem sollicitudinis evocatis, & pro quo Christus in Petro Patrem rogavit, ut non deficeret fides ejus. Propter quod merito deviare creduntur, qui opinantur de ipso contrarium, & contumaciter ab ejus obedientia recessisse credantur*.

Referente igitur Prutenorum Episcopo, Regem Russiæ Christianum quidem, sed ritus Græcos, & opiniones Græcorum sequentem velle ritus Latinæ Ecclesiæ suscipere, & Romano Pontifici subesse, incessit lætitiis omnibus Gregorius.

Illum proinde monet, & hortatur, ne huic lumini resistat, ut huic motui obsecundet.

Illi, si hoc fecerit, gratiam Apostolicæ sedis, ejusque præsidium in omnibus pollicetur.

D. Reate XV. Cal. Aug. P. a. V. a. D. 1231.

Permittitur Russis, ut in fermentato consecrent.

INNOCENTIUS IV. Danieli Russorum Regi. IV. Ad ann. 1247. §. 29.

Inc. *Cum te, &c.*

SUpplicaverat Pontifici Daniel, ut Episcopis, & presbyteris de Russia liceret more suo in fermentato consecrare,

Et alios ritus, qui fidei Catholicæ, quam Romana Ecclesia tenet, non obviant, servare.

Utrumque illi permittit Innocentius.

D. Lugduni VI. Cal. Sept. P. a. V. a. D. 1247.

Dux Russiæ Susdalienſis invitatur ad unitatem Ecclesiæ.

INNOCENTIUS IV. Alexandro Duci Susdalienſi. V. Ad ann. 1248. §. 41.

Inc. *Pater futuri, &c.*

QUoniam Deus Optim. Maxim. Patrem hujus Ducis moverat, ut in unitatem Ecclesiæ Latinæ venire voluerit, promiseritque etiam populos suos ad eamdem unitatem reducere, quod feciſset, nisi in ipsius operis primordiis mors eum occupaſset,

Innocentius Alexandrum in Latinam Ecclesiam ut ingrediatur, movere his litteris studet his rationibus.

I. Quia sola hæc fides Latinæ Ecclesiæ salvat homines; ejus Pater, qui vir prudentissimus erat, si vidisset in sua Ecclesia se posse salvari, eam non deseruisset, fuissetque *in latinam ingressus*,

II. Quia debet imitari Patrem.

Neque Pontificis est rejicienda petitio: nam dum id orat, non orat ea quæ *in utilitatem suam cadant*, sed in utilitatem ipsius Alexandri redundant;

Deinde postulat, ut Deum timeat, ut ejus mandata cum tota mente diligens observet, cum autem Deus in terris constituerit Vicarium suum Pontificem, necessaria rerum consequutione fit, ut sub obedientia Pontificis sit vivendum. Ex quo elicitur, extra hanc Ecclesiam salutem non dari.

Ne ergo voluntati Dei, qui exemplo Patris illum illustravit, quænam sit vera Ecclesia, resistat; veniat ad Latinam; inter Catholicos principes Ecclesia eum habebit semper specialem.

Eum rogat, ut, cum sciverit, Tartaros parare exercitus ad irruptiones faciendas, Fratres S. Mariæ Theutonicorum moneat, qui eorum apparatus significabunt Pontifici, qui interim in eos Christianos principes armabit.

D. Lugduni X. Cal. Febr. P. a. V. a. D. 1248.

Hortatur Pontifex Danielem, ut ad fidem redeat.

ALEXANDER IV. Danieli Regi. VI. Ad ann. 1257. §. 20.

Inc. *Inter alia, &c.*

INter alia munera, quæ Pontifici incumbunt, hoc est ex præcipuis, ut in viam errantes reducat.

Daniel jam emersus ex infidelitatis tenebris post maturas consultationes fidem Catholicam fuerat amplexatus, eum ideo Romanus Pontifex Innocentius multis beneficiis cumulavit, illum, ejusque terras in S. Petri tutelam recepit, ut augustior esset, voluit eum corona regia coronari.

Sed ille abusus ab hac fide defecit, juramentumque datum violavit, & ad pristinos ejuratos errores rediit.

Quod quidem dici non potest, quantum mœrorem attulerit Pontifici.

Eum ergo paterne monet, ut redeat ad fidem, ut deponat eos errores, quos jam depoſuerat, renovet memoriam acceptorum beneficiorum, & in spem se erigat majora recipiendi.

Nisi se corriget, in eum per censuras Ecclesiasticas procedet.

D. Later. Id. Febr. P. a. III. a. D. 1257.

„ Moschi, qui Constantinopolitani Patriarchæ antea „ imperio obnoxii erant, cum accepissent, Turcarum „ Dominum eos pro arbitrio suo instituere, ac desti- „ tuere, se ab illa Ecclesia separarunt. „

Manuel filius Thomæ Palæologi Turcarum partibus adhæserat.

„ Anno 1472. insignem legationem Basilius misit „ ad Sixtum IV. per quam professus est se agnoscere „ Primatum Romani Pontificis, & adhærere Florenti- „ no Concilio; & testatus est se velle bellum Turcis „ movere, & asserere contra illos jura uxoris suæ Fi- „ liæ Thomæ Palæologi heredis Palæologorum in Im- „ perium Græcum, & in Constantinopolim. „

Moscoviæ Dux rogatur, ne Livoniam devastet.

VII. Ad ann. 1483.§.146. INNOCENTIUS VIII. Joanni Moscoviæ principi.

Inc. *Non sine*, &c.

QUidam Moschi in Livoniam armata manu irruperant, depopulationemque ingentem fecerant usque ad ditionem Tarbatensem.

De hoc admonitus Innocentius Joanni scribit, se magnopere mirari, cum prædecessori Sixto IV. promiserit Dux, se amicitiam Romanæ sedis excuturum, se facturum ejus causa quæcumque illi grata esse cognosceret, nunc mutata voluntate, oblitum sponsionum invadere Livoniam, quæ ad eamdem S. spectabat;

Non ita esse meritam Ecclesiam de illo, quæ ab eo requisita statim in uxorem illi concessit Sophiam Palæologam & illi, ejusque posteris jus dedit in Constantinopolim.

Sive autem Dux jusserit hanc excursionem in Livoniam, sive se inscio facta fuerit, eum jugat, ut se contineat, & vetet subditis sibi populis eam provinciam vexare.

D. Romæ apud S. Petrum die XXI. Maji P. a. I. a. D. 1485.

Contra Moschos pugnaturis dantur indulgentiæ.

VIII. Ad ann. 1490.§.24. ALEXANDER VI. Archiepiscopo Upsalensi, & Episcopo Aboensi.

Inc. *Ex relatione*, &c.

RElatum fuerat ad Pontificem, Moschos, Ruthenosque schismaticos ad sexaginta millia descendisse in Aboensem diœcesim, magnamque ejus partem ferro, & igne vastasse, & plura infanda scelera neque ætati, neque sexui parcentes commisisse; occidisse plures, multos secum abduxisse, & addixisse gravissimæ servituti.

Quare prorex, Archiepiscopi, & Episcopi Svetiæ supplicarunt Pontifici, ut provideret: secus enim totum Svetiæ regnum cum Livonia Moschi depopulaturi sunt.

Pontifex mandat prædictis prælatis, ut in suis diœcesibus indulgentias solitas dari Cruce-signatis edicant, publicentque indulgentiam plenariam morientibus in bello contra eos schismaticos.

Dat. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Jul. P. a. IV. a. D. 1496.

Mittitur ad Ducem Nuntius acturus de unione &c.

IX. Ad ann. 1515.§.62. LEO X. Basilio Duci Moscoviæ, & Russiæ principi.

Inc. *Postquam nobis*, &c.

SE summum percepisse gaudium, testatur Pontifex, cum sibi nuntiatum fuit, Basilium agitare consilia sese cum Ecclesia uniendi.

Cum igitur maximopere id cupiat, ut postea consociatis armis principum Christianorum, & Basilii Turcarum vires deprimantur, mittit ad illum Episcopum Gardiensem, ut cum rege communicet nonnulla ad ejus animæ salutem, ejusdemque populorum utilitatem.

Episcopo aperiat Basilius animi sui sensa.

Si fidem Catholicam amplectatur, nullum officii genus prætermittet Pontifex, quo illum ornare possit.

D. Romæ apud S. Petrum die XVI. Sept. P. a. VII. a. D. 1519.

Evanuit cito in Basilio desiderium unionis.

De unione facienda cum Romana Ecclesia.

CLEMENS VII. Basilio Moscoviæ Duci, X. Ad ann. 1521.§.72.

Inc. *Loquutus est*, &c.

„ PAulus Centurionus Januensis mercaturæ exercendæ causa in Moscoviam ivrat commendatus a „ Leone X. Basilio Duci, qui cum multa cum Duce „ collocutus fuisset de Romana Ecclesia eum accende- „ rat, ut hanc concordiam exoptaret Basilius; jamque „ redierat Centurionus ex mercatore Legatus ad Leo- „ nem, Leoque excitarat Basilium ad hujusmodi con- „ cordiam, ut in proxime superiore Bulla.

„ Gerebat bellum Basilius cum Sigismundo Poloniæ „ rege, a quo ad Boristhenem ingenti prælio superatus a rege Basilius fuit. Successor Leonis Hadrianus „ pro hac victoria tamquam e Catholicæ religionis hoste a Polono relata signa publicæ lætitiæ dari vo- „ luit. Indignatus graviter Basilius colloquium omne „ interrupit de unione facienda.

„ Sed Hadriano defuncto, suffectoque in Pontifica- „ tum Clemente Leonis consanguineo rediit in Mosco- „ viam Centurionus, negotiumque unionis renova- „ vit. „

Factus certior a Centurione Clemens, non abhorrere ab unione Basilium, illi Clemens scribit, repetitis, quæ superius diximus de tractatu cum Leone habito.

In illum benevolentiæ signa omnia verbis effundit Clemens; scilicet se semper plurimi Basilium fecisse, se semper ejus amicitiam optasse; nunc vero Pontificem factum putare Pontificatum suum fore fortunatissimum, si posset illum cum Romana Ecclesia conjungere.

Amplificat illi Pontificiam dignitatem; multi principes ejus protectionem ambiunt, ipse eam offert Basilio; ita pro illo se deprimit Clemens.

Emolumenta ex hac conjunctione in eum, illiusque dominium profectura exponit Pontifex; nempe habebit amicos omnes principes Catholicos, poterit tuto aggredi hostes fidei securus de Catholicorum principum auxilio.

Spondet sanctam Sedem nihil eorum prætermissuram, quæ grata, & fructuosa futura esse Duci viderit.

Paulus Centurionus illi plura dicet.

D. Romæ apud S. Petrum die XXV. Maji P. a. I. a. D. 1524.

„ Rescripsit Magnus Dux Basilius Clementi; se acce- „ pisse Paulum Centurionum lætissime; se libentissime „ conjecturum esse arma sua cum Christianis prin- „ cipibus, Ecclesiamque suam Ruthenam cum Ro- „ mana;

„ Se mittere ad illum Demetrium Erasmum, ut „ cum illo agat Clemens de utraque conjunctione.

„ Eum rogat, ut Demetrium commendet principi- „ bus, per quorum regiones transibit, sicut ipse fecit, „ cum misit Romam Centurionum.

„ Misit etiam oratores in Hispanias ad Carolum V. „ quicum volebat fœdus contra Turcas inire; redierunt „ in Moscoviam per Germaniam, Ferdinandus Archi- „ dux Austriæ scire voluit; quænam esset religio Ru- „ thena quam profitentur Moschi; satisfecit ejus desi- „ derio Faber, postea Archiepiscopus Viennensis libel- „ lo de Religione Moschorum inscripto, ostenditque „ quam facile posset hæc Ecclesia cum Romana con- „ ciliari. „

Mittitur internuncius ad Basilium, qui commendatur Polonis.

CLEMENS VII. Venerabili fratri, &c. XI. Ad ann. 1525.§.73.

Inc. *Dominus ac Deus*, &c.

NArrat Clemens singulis Poloniæ Episcopis, ad quos veniet Nuntius suus, de Oratoribus utroque citroque missis a se ad Basilium, a Basilio ad se;

Desi-

Desiderare, scribit Clemens, Basilium Ecclesiam suam Ruthenam conjungere cum Romana,

Modumque hanc unionem faciendi permittere arbitrio S. Sedis.

Ait, se mittere ad eundem Basilium internuncium Episcopum Scarensem virum probum, doctum, prudentemque.

Eum Episcopo commendat, ut in hoc pio opere illi consilio non desit.

D. R. apud S. Petrum Die XVIII. Nov. p. a. II. a. D. 1525.

Episcopum etiam regi Poloniæ commendavit.

„ Lutherani nullum non lapidem moverunt, ut ab „ hac conjunctione facienda dehortarentur Basilium; „ quod etiam consequuti sunt.

Magnus Moscoviæ Dux invitatur ad Concilium Tridentinum.

XII. Ex Rayn. ad ann. 1569.§.17. PIUS IV. Joanni Basilio Magno Moscoviæ Duci.

Inc. *Ad regendam*, &c.

CUm primum electus Pontifex fuit Pius, nihil habuit magis cordi, quam ut inceptum Tridentinum Concilium indiceret, continuandum, ut sedarentur in Ecclesia discordiæ, aberrantesque a recto tramite fideles ad illum reducerentur; sicut ex Bulla indictionis, quæ ad Ducem mittitur, colligere ille poterit.

Sicut autem omnium prædecessorum Pontificum, cum hujusmodi œcumenici conventus fuerunt celebrati, mos fuit omnes Christianos principes invitare ad eos, ut vel ipsi veniant, vel oratores suos ad illos mittant, ita Pius sicut invitavit omnes alios principes, illum quoque invitat.

Mittat igitur oratores, qui ejus nomine Concilio intersint, in quo negotia ad universam Christianam Remp. attinentia sunt discutienda.

Eorum adventus erit omnibus, & singulis patribus gratissimus, iisque ab illis honor debitus præstabitur.

Dux meritum magnum apud Deum sibi comparabit.

Significat illi, se ad eum mittere Zachariam Episcopum Pharensem (is erat Venetus e nobilissima Delphina Patritia Familia) cujus integritatem, doctrinam, prudentiam, aliasque egregias virtutes merito Pius commendat.

D. R. apud S. Petrum Die XIII. Apr. P. a. I. a. D. 1561.

„ Renovatus tractatus fuit etiam sub Duce Joanne. „ Missusque ad eum fuit P. Possevinus Jesuita.

„ Etiam Petrus Magnus Imperator conjunctionem „ hanc facere voluisse dicitur.

DE TARTARIA.

Invitantur Tartari ad Christianam Fidem.

I. ex Rayn. ad ann. 1245.§.16. INNOCENTIUS IV. Regi, & populo Tartarorum vlam agnoscere veritatis.

Inc. *Dei Patris*, &c.

INcarnationis divini Verbi causam explicat Innocentius Tartaris. Creatus a Deo homo rectus ut æterna frueretur beatitate, imprudenter in peccatum lapsus eam amisit, omniaque gratiæ dona simul amisit.

Sortem ejus miseratus Divinus Pater Filium suum in mundum misit, qui homines doceret viam, qua eundum ad felicitatem amissam esset, iisque per mortem suam aditum ad illam stravit.

Quod si homo peccat, excidituque proinde ab illa beatitudine, ipse filius mediatorem se facit, & modo hominem ex corde pœniteat, viam rursum illi recludit, capacemque illius æterni gaudii facit.

Terras deseruit Filius, sed in terris Vicarium suum reliquit, qui est Romanus Pontifex, cui animarum curam reliquit, ut illis viam salutis indigitet.

Sed quia esse ubique ille non potest, cum homo sit, aliorum hominum opera in hoc indiget. Eos ergo huc, illuc mittit, quo necessitas vocat, qui misteria Christianæ Fidei populis tradant, semitamque salutis æternæ iis ostendant.

Cum hanc viam salutis æternæ ignorare Regem, populumque Tartarorum Pontifex sciat, neque possit ad eos se conferre, ministros suos ad illos mittit quosdam Fratres Minoritas, probos, doctos, navosque. Hi quid credendum sit, quid agendum, ut sempiterna habeatur felicitas, illis patefacient.

Regem ergo, populumque hortatur, rogatque, ut eos benigne excipiant, diligenterque audiant.

D. Lugduni III. Non. Mar. P. a. II. a. D. 1245.

Ad feritatem deponendam Pontifex hortatur eosdem.

II. Ib. §. 18. INNOCENTIUS IV. Regi &c.

Inc. *Cum non solum*, &c.

CUm omnia animalia suo generi parcant, cum omnes hujus machinæ mundi partes quiete inter se sint connexæ, ut una alteram in suo munere non perturbet, mirandum sane est, Tartaros hunc naturæ instinctum ita supprimere, ut homines finitimarum regionum habeant veluti alterius speciei homines, illorum res familiares diripiant, eorum sanguinem sitiant, de eorum infortuniis, cædibus, & morte lætentur.

Desistant ab hac sævitia, & maxime in Christianos.

Neque ex eo quod plures victorias referunt, colligant, immanitatem hanc esse Deo gratam. Interdum enim permittit Deus bonos homines ab aliis vexari, ut eorum fidem, constantiamque tentet; sed sæpissime in hujusmodi infectatores animadvertit, multoque pejora supplicia iis infligit, quam aliis intulerunt ipsi.

D. Lugd. ut supra.

Quomodo fidem Christianam Tartarorum multi amplexati sint, narratur apud Raynaldum ad ann. 1248. §. 39.

De Christiana Religione a Tartaris accepta.

III. Ad ann. 1254.§.24. INNOCENTIUS IV. Sattach illustri Tartarorum Regi.

Inc. *Gratias*, & *laudes*, &c.

GRatias plurimas se Deo agere testatur Pontifex, quod Regis, ejusque gentis intellectum illustrarit, ut veram fidem agnosceret, voluntatemque moverit, ut illam amplectarentur.

Se incessisse lætitiis omnibus, cum a regis Capellano hanc conversionem audivit, & ejus litteras legit. Sibi videtur Angelos, Deumque lætantes in cœlis super hac conversione videre.

Cæterum Sattach ad laudandum summopere Deum hortatur, quod tam insigne beneficium ab illo acceperit, a quo ejus æterna felicitas pendet.

Imitaturum se Deum adeo beneficum testatur Pontifex, nullumque amoris signum se prætermissurum in regem, cum occasio feret; quod re ipsa Rex experietur.

Monita illi dat; scilicet adimpleat opere, quod ore promisit; sciat fidem sine operibus esse mortuam, populos finitimos diligat.

Si tardius sua expectatione redibit ejus Capellanus, dignus est excusatione; captus enim fuit, retentusque a Conrado Friderici Imperatoris filio.

D. Anagniæ IV. Cal. Sept. P. a. XII. a. D. 1254.

Cruciata in Tartaros indicitur.

IV. Ad ann. 1259.§.28. INNOCENTIUS IV. Livoniæ, Prussiæ, &c. Episcopis.

Inc. *Non absque*, &c.

IRruperant Tartari in terras Livoniæ, Estoniæ, Prussiæ, & in illas, quas possidebant Equites Theutonici. Nulla immanitas fuit, quam non exercuerint in incolas, in Ecclesias, in domos, in agros.

Cum dignum Sede A. opus sit eos populos ab his aggressionibus immunes reddere, cum sint Christiani, & sub Ecclesiæ protectionem suscepti, Episcopis earum partium mandat Innocentius, ut Cruciatam in Tartaros prædicent in suis Diœcesibus, vel prædicari faciant.

Sumentibus autem Crucem eadem indulgentias Auctorita-

ctoritate Ap. concessas denuntient, quæ conceduntur euntibus in Terram S.

D. Assisii XIV. Cal. Junii P. a. XI. a. D. 1254.

Respondetur Olaoni Baptismalia sacra petenti.

V. Ad ann. 1260. §. 29. ALEXANDER IV. Olaoni Regi Tartarorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Inc. *Exultavit cor, &c.*

OPtime de Christiana Religione sentiebat Olaon Tartarorum Rex, & de Christo, cui acceptas plures victorias relatas e Turcis referebat.

Quare miserat ad Pontificem Joannem Hungarum, qui significaret Pontifici, eum velle vivere secundum Christianam doctrinam, *quam Sancta Romana Ecclesia fatetur*, & velle baptismatis lavacro renasci; proinde optare, ut ad se mitteretur vir strenuus, a quo edoceretur, baptizareturque postea.

Lætatum maximopere se, dicit, hoc fuisse nuntio Alexander: Quam vellet *omnia secretiora animi sui Regi patere*nt.

Quantum hoc gratum Deo, Angelis, Ecclesiæ toti futurum sit, illi exponit.

Tum eum monet, ut consideret, quam cito prætereat hujus mundi figura, & æternum esse duraturam alteram vitam. Proinde prudenter agit, si æternæ vitæ consulere vult. Illi consulendi nulla alia est ratio, quam Christianam Religionem amplecti, eamque profiteri; extra illam viventibus salus non est.

Persistat in proposito, & quod incepit, perducat ad exitum.

Quoniam Nuncius Olaonis nullas certas litteras Pontifici dederat, ait Alexander, se de hoc scribere Patriarchæ Hierosolymitano; illi animi sui sensa omnia Rex aperiat.

D. Anagniæ Cal. Junii P. a. VI. a. D. 1260.

De expeditione in Tartaros.

VI. Ad ann. 1261. §. 29. URBANUS IV. Archiepiscopo Nidrosiensi, ac Bergensi, Alloensi, Arcadensi, & Stavvangrensi Episcopis.

Inc. *Sibi & gregi, &c.*

CUm Tartari in regiones Catholicas irruptiones facerent, pluraque damna inferrent, ut continerentur in officio a Prædecessore Alexandro, ut ad diem octavam Apostolorum Petri & Pauli mitterent ad S. Sedem procuratores suos, rogaverat Principes.

Nimirum volebat expeditionem in Tartaros parare, qui Poloniam, Prussiam, Hungariam, & terram S. devastabant; conferentibus principibus eos milites de quibus conventum fuisset.

Jam venerant Procuratores, cum mortuus est Alexander. Sede tamen vacante eo quo decuit, fuerunt in honore habiti.

Electus Pontifex Urbanus cum negotia maximi momenti habeat, quæ nullam patiuntur moram, neque nisi per multa consilia parari possint, quæ ad Tartaricam expeditionem pertinent, satius ducit, ne frustra ii tempus terant, procuratores in domos quemque suas dimittere, expectaturus opportuniorem occasionem de hac expeditione, & de symbola conferenda a principibus singulis in eam agendi.

De hoc admonitos vult prædictos Episcopos, ne hujusmodi expeditionis spe illecti se imparatos occupari sinant a Tartaris.

Populos suos admoneant, ut vigilent, ne arma deponant, iisque spem bonam faciant Pontificem, cum primum per plurima, quibus impeditur, negotia poterit, huic expeditioni suscipiendæ non defuturum.

Iis etiam facultatem Episcopis dat prædicandi in Tartaros cruciatam, promulgandique solitas indulgentias.

D. Viterbii V. Id. Junii P. a. I. a. D. 1262.

Litteris Elcani respondetur.

VII. Ad ann. 1267. §. 72. CLEMENS IV. Viro illustri, & Magnifico principi in gente Nobili Tartarorum Elchani Apaca in præsenti gratiam Creatoris, & in futuro gloriam obtinere.

Inc. *Nuper virum, &c.*

MIserat Elchanus ad Pontificem Nuncium cum litteris, in quibus ei significabat,

1. Se esse Christianum, 2. gratulabatur de victo Manfredo, 3. pollicebatur se & socerum suum conjunctaros copias suas cum principibus Christianis in Saracenos; volebat esse certior, quam viam tenerent ii principes.

Rescribit Pontifex, se maxime lætari, eum esse Christianum, eumque rogat, ut in fide Christi perstet, extra quam nulla est salus.

Ita Deum punire solere quicunque Ecclesiam persequuntur; eum cecidisse in acie, & suorum scelerum nunc referre in inferis dignam mercedem.

Regem Galliæ, Regem Navarræ cum multis Baronibus Magnatibus, & Nobilibus, maximisque copiis contra Saracenos venire.

Se nondum scire, quam viam statuerint ii reges tenere; vix ac sciet, se illum esse facturum certiorem.

Rem Christianam, & Regem Armeniæ illi commendat.

D. Viterbii XVI. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1267.

De regis Nuntio ad Concilium progresso.

VIII. Ad ann. 1274. §. 2. GREGORIUS X. Apachæ Tartarorum regi, &c.

Inc. *Excellentiæ tuæ, &c.*

DUos oratores cum litteris miserat ad Concilium Rex; unus eorum mortuus in itinere fuit. Perebat a Pontifice, ut certior ab illo fieret, quandonam Latini principes venturi essent in partes transmarinas.

Respondet Pontifex se accepisse ejus litteras, ejusque oratorem.

Ex hoc adventu, ex his litteris gaudio summo & se, & Patres Concilii, qui frequentissimi sunt, ut ejus nuntius illi referet, fuisse perfusos.

Scribit, se semper Deum orare, qui est vera lux, ut illum illuminet, ut veritatem cognoscere possit, & illam sequi, & exaltet Catholicam Religionem, ejus hostibus depressis, & ea dilatata.

Cum iter Latini arripient, mittet ad illum nuntios suos.

D. Lugduni III. Id. Mar. P. a. III. a. D. 1274.

„ Orator hic cum duobus præmobilibus Tartaris baptisma petierunt, fuitque illis collatum a Cardinali „ Ostiensi, qui fuit Innocentius V. toto assistente Concilio.

„ Rex hic fuit strenuissimus. Arma movit Saraceno„ nis, qui Regem Armeniæ devicerant; iis Regnum „ Turquiæ ademit, quod dare voluit Armeno; sed „ ille ajens, se non posse duo regna bene administra„ re noluit illud accipere. Apacha tamen voluit, ut „ Armenus statueret de regimine Turquiæ ad libitum „ suum, qui inde omnes Saracenos facessere jussit. Hic „ juraverat se velle extorquere e Saracenorum mani„ bus Terram S. Hæc de tanto Rege exscribere volui.

De expeditione in Terram S. & de Magno Tartarorum Caano.

IX. Ad ann. 1278. §. 19. NICOLAUS III. Apachæ Tartarorum regi, &c.

Inc. *Exultavit, & exultat, &c.*

DUos nuncios miserat ad Pontificem Joannem Apacha, per quos, & per litteras ei significavit, se paratum esse contra Saracenos arma movere, cum Principes Latini ibunt contra eosdem in Terram S.

Significavit etiam, Quadley magnum Tartarorum Caanum avunculum suum esse baptizatum, & desiderare, personas aliquas ad ipsum mitti a Pontifice, ut ejus filii, & alii de populo baptizentur.

Apachæ litteris cum non respondetur Joannes morte raptus, respondet Nicolaus.

Ac primum lætitiam suam illi significat ex *his* duobus nuntiis conceptam.

Dein-

Deinde cum orat, ut avunculi desideriis satisfaciat, sibique persuadeat, Deum ejus conversionem velle.

Gratias illi agit de oblato auxilio pro terra S. cum principes Christiani illuc ibunt, cum certiorem faciet.

Mittit ad illum requisitos viros probos, qui baptizent non baptizatos, vel non baptizatos debita forma, quos audiat Rex, eorumque monita exequatur.

Omnia illi, ejusque filiis fausta, prosperaque a Deo adprecatur.

Dat. Romæ apud S. Petrum Cal. Apr. P. a. I. a. D. 1278.

Ab idolorum cultu non fuit revocatus Apacha.

Gratulatio de susceptа fide, & hortatio ad eam disseminandam.

X. Ib. §. 29. NICOLAUS III. Quobley (vel Cobilæ) Magno Caano Imperatori, & moderatori omnium Tartarorum.

Inc. *Plasmator hominis, &c.*

COmpatiens Deus homini, quem formarat justum, rectumque, in peccatum prolapso, privato proinde Cœlesti gloria, ejus infelicitatem reparare voluit per Filium suum Unigenitum in terras missum, qui per plures annos cum hominibus conversatus plura in eorum utilitatem miracula patravit, divinitatemque suam innumerabilibus comprobavit signis, tandemque pro toto humano genere in cruce mortem sustinuit.

Cum per dies tres in sepulcro jacuisset, resurrexit, & per plures dies resurrectione comprobata sua, instituitaque Catholica Ecclesia, capite visibili Petro relicto in terris, cui successores Pontifices eandem, quam Petrus auctoritatem habent, in cœlos ascendit.

Hinc Pontifices imitatos Christum, cujus vices gerunt, *pro salute hominum* in Cruce mortuum, ardor exstimulat salutem omnium hominum inquirendi. Qui cum aliquem ad eam fidem, quam suus institutor Christus plantavit, adducunt, maximo perfunduntur gaudio.

Hinc colligere Caanus potest quanta Pontifici lætandi leges ex eo quod *ipse Baptisma acceperit, & hanc* fidem profiteatur, oriri debeat. Exultat, & gaudet supra quam cuique credibile est.

Tum eum hortatur, ut hanc Fidem Catholicam, quam ipse profitetur, disseminare per populos sibi subditos curet; qua quidem re nihil potest facere gloriosius, nihil Deo gratius.

Laudat, miraturque divinam providentiam, quæ voluit fidem suam prædicari, & excipi a Tartaris. Confirmet quod incepit opus.

Jam requisiti Sacerdotes hactenus ad illum venissent, sed mors prædecessoris sui Joannis eos est remorata.

Eos ergo mittet statim Pontifex. Sunt ex ordine Minoritarum, viri probitate, integritate vitæ, & doctrina conspicui.

Caanum rogat, ut eos benigne excipiat, ut eorum monita exequantur, cum nihil sint monituri nisi quæ ad salutem animarum, felicitatemque Imperii pertinebunt.

Eos data occasione commendat illi Christianos, qui in ejus regiones advenient.

Dat. Romæ apud S. Petrum II. Non. Apr. P. a. I. a. D. 1278.

Excitatur Regina Tartarorum ad disseminandam fidem.

XI. Ad ann. 1288. §. 34. NICOLAUS IV. Tuctani Tartarorum Reginæ.

Inc. *Habet carissima, &c.*

ACceperat Pontifex Tuctanem sedulo Christianæ Religioni navare operam, nullamque esse opus pium, quod illa non exerceret.

De hoc maximopere lætatur Nicolaus, eamque valde commendat.

Tum illi consulit, quoniam acceptissimum opus Deo est animas ad eum perducere, ut Fidem Christianam per suos subditos disseminare curet; *tanto facilius* enim promptiusque eam populi amplectentur, quanto magis studeut suorum principum imitari exempla.

D. Rome apud S. Petrum IV. Non. Apr. P. a. I. a. D. 1288.

Eminebat pietate etiam Elelages Tartarorum ittidem Regina, consimiles litteras ad eam quoque Nicolaus misit.

Instruitur in fide Argon Tartarorum Rex.

XII. Ib. §. 30. NICOLAUS IV. Argoni Regi Tartar &c.

Inc. *Ad summi, &c.*

VIx ac ad Pontificatum assumptus Nicolaus fuit, Argon Tartarorum Rex nuntios ad illum misit, per quos significavit se summopere cupere baptisma suscipere instructum in fide.

Laudat regis propositum Nicolaus; illique a Deo fausta omnia promittit, felixque suorum subditorum populorum regimen, si Fidem christianam amplectatur.

Tum illi explicat Incarnationis mysterium.

Illique exponit, quanti causa erit Deo, superisque, si christianus fiet gaudii;

Rerum hujusce orbis caducitatem, æternitatem alterius vitæ in mente habeat, & in suscepto proposito persistet.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Non. Apr. P. a. I. a. D. 1288.

Argon baptizetur ante expeditionem in Terram S.

XIII. Ib. §. 38. NICOLAUS IV. Argoni, &c.

Inc. *Intelleximus, &c.*

REtulerunt iidem Argonis Oratores, velle Regem suscipere expeditionem in Terram S. & Hierosolymis baptizari.

Nicolaus ei suadere studet, ut prius baptismo lavetur, tum arma in Saracenos moveat.

Gratior enim hæc expeditio Deo erit, quippe quæ suscepta erit ab homine sibi grato acceptoque per baptismum facto;

Præterea singulari protectione Deus tutabitur illius exercitum; multi enim, ut est mos subditorum populorum, imitabuntur illum, suscipientque baptisma, comitabunturque baptizati Regem.

Quid quod hæc celeritas baptismum accipiendi gratior Deo erit, quam mora, & procrastinatio?

D. ut supra.

Sabadinus Archaon vir magnæ nobilitatis inter Tartaros unus e regiis oratoribus Romæ voluit baptizari, obtinuitque a Pontifice Apostolicam Benedictionem. ib. § 35.

Rursus excitatur Argon ad amplectendam Catholicam fidem.

XIV. Ad ann. 1289. §. 60. NICOLAUS IV. Argoni &c.

Inc. *Dilectus Filius, &c.*

FRater Joannes de Monte Corvino regressus e Tartaria Orientali retulit ad Pontificem, Catholicam regionem latius in dies singulos per eas regiones disseminari; studio in eam, pietate, & observantia erga prædicatores ejusdem fidei eminere Regem Argonem.

Cui Nicolaus gratias summas agit de iis humanitatis officiis, quæ Fratribus Minoritis præstat, quæ sibi facta esse Romana Ecclesia fatetur, sibique occasionem dari animum suum gratum regi significandi exoptat.

Sicut autem accepit Rex a Nuntiis missis ad Pontificem, remissisque, inter quos erat Roban Barsamma in Orientis partibus Episcopus, Fides Catholica multa habet decora, præmia multa, quibus debeat allicere quoscunque ad ejus professionem.

Per hanc expurgantur reatus; per hanc vincitur antiquus hostis, hæc est virtutum parens, altrixque &c. per hanc æterna obtinetur salus, evitanturque infera.

Huic ergo nomen det Argon.

Mittit in Persidem supradictum F. Joannem cum aliis Fratribus.

Eos Regi commendat.

D. Reate Id. Jul. P. a. II. a. D. 1289.

Adhor-

Adhortatio ad magnum Caanum ad amplectendam fidem.

XV. Ib. §. 62. NICOLAUS IV. Cobla Caano magno principi Tartarorum.

Inc. *Gaudemus in Domino, &c.*

PEr Argonem Regem Cobla supplicaverat Pontifici, ut ad se mitterentur Fratres, a quibus sibi Catholicæ Religionis dogmata traderentur.

A Nuntiis autem Argonis acceperat, Cobla nullum humanitatis, obsequii, studiique in præcones verbi Dei, nullumque in Christianam religionem obsequii, cultusque prætermitti argumentum.

Tam gratis, & acceptis de tanto, tamque sublimi principe rumoribus intellectis exultavit præ gaudio Pontifex, egitque grates Deo, in cujus manu sunt corda regum, quod ita intellectum Caani illustrarit, voluntatemque moverit;

Simulque gratias agit Caano, illique gratulatur, quod gratiæ divinæ motibus obsecundarit, eamque ne inanem esse sinat, cum hortatur.

Amplectatur eam fidem, ad quam tanto animi impetu se rapi sentit, quæ una vera est, certaque.

Mittit ad eum requisitos prædicatores, inter quos Joannem de Monte Corvino Minoritam;

Eum, ejusque socios comiter excipiat, eorumque sequatur monita.

D. Reate III. Id. Julii P. a. II. a. D. 1289.

Allicitur ad fidem Caydonius Tartarorum princeps.

XVI. Ib. §. 63. NICOLAUS IV. Caydonio principi Tartarorum illustri.

Inc. *Ad ea, &c.*

PRudentia, magnificentia, auctoritate eminebat inter Tartaros Caydonius Princeps.

Hunc ad fidem pertrahere conatur Nicolaus ratus multos alios Tartariæ principes movendos esse ad eam amplectendam ejus principis auctoritate.

Ne miretur Caydonius, si a Romano Pontifice per litteras invitatur ad Christianam fidem amplectendam, Ex munere enim sibi divinitus impositio ita agit, & ita illi est agendum; Vicarius enim Jesu Christi Filii Dei est.

Hic illi explanat Mysterium Incarnationis, vitam, mortemque Christi pro hominum salute latam.

Quare quam maxime potest eum orat, obtestaturque, si quicquam æternam salutem suam cordi habet, ut Christianæ fidei nomen det.

D. Reate III. Id. Jul. P. a. II. a. D. 1289.

Laudatur, excitaturque ad disseminandam fidem Jolus.

XVII. Ib. §. 64. NICOLAUS IV. Jolo Pisano &c.

Inc. *Excitamus, &c.*

JOlus Nobilis Pisarum cum penetrasset in extremas Orientis oras apud Tartaros magnas opes, maximamque auctoritatem assequutus fuerat. Ille Christianis qui in iis regionibus erant, erat præsidio, beneficia multa conferebat, qui in eas regiones mittebantur Fratres, benigne excipiebat, providebatque iis; religionemque Christianam per eos populos disseminare curabat.

Quæ cum accepisset Pontifex, summopere lætatus est, Deoque gratias egit, quod Jolo tanquam instrumento propagandæ Catholicæ religionis in iis provinciis usus sit, utaturque.

Laudat meritis encomiis Jolum, eumque a Deo mercedem amplissimam horum præstantissimorum operum sperare jubet;

Eum rogat, hortaturque, ne deficiat, sed pergat porro ita Christianam fidem juvare, ita ejus præcones excipere, & iis præsto esse;

Illique Apostolicam impartitur benedictionem.

D. Reate III. Id. Julii P. a. II. a. D. 1289.

Alias hujusmodi litteras eidem dedit anno 1291. Nicolaus.

Imploratur Argonis auxilium pro recuperatione Terræ S.

NICOLAUS IV. Argoni &c. XVIII. Ad ann. 1291. §. 32.

Inc. *Præcurrentis famæ, &c.*

JAm perveniisse ad Argonem famam victoriarum Soldani Babyloniæ in Syria, certus est Pontifex.

Nunc ergo tempus est, ut Argon ea præstet, quæ toties sponte promisit, nempe ut moveat in Saracenos bellum, occupataque ab iis provincias ex eorum manibus extorqueat.

Nulla opportunior occasio belli movendi esse potest, cum Latini principes parati sint illi bellum inferre, jamque Crucem assumpserint.

Ergo sollicitet populos suos Rex, ut ipsi quoque arma capiant, & ad victorias se parent consequendas.

Ei commendat duos Fratres Minoritas, quos ad illum mittit, eorumque consiliis acquiescat.

D. apud Urbem veterem X. Cal. Sept. P. a. IV. a. D. 1291.

Gratulatio de susceptio baptismo.

NICOLAUS IV. N. V. Nicolao nato Argonis Tartarorum Regis; XIX. Ib. §. 33.

Inc. *Exaltat cor, &c.*

COrbagunda appellabatur hic princeps, nomenque mutavit in Nicolaum, quod erat nomen Pontificis, cum baptisma suscepit.

Gaudium proinde de ejus regeneratione spiritali illi significat Nicolaus suum maximum; videt siquidem filiam Altissimi factum, heredemque æternæ gloriæ institutum.

Eum hortatur ut opera præstet Christiano principe digna.

Illi etiam consulit, ne quicquam immutet in victu, vestituque, quod turbas excitare posset, & dissensiones in suo populo. Deus cor respicit, non vestes.

Ad illum formulam fidei mittit, *credimus in Sanctam &c.* factam a Clemente IV.

Ei commendat Fratres duos Minoritas in eas regiones missos.

D. apud Urbem veterem X. Cal. Sept. P. a. IV. a. D. 1291.

Cassanus Frater Nicolai excitatur ad fidem.

NICOLAUS IV. Cassano nato &c. XX. Ib. §. 35.

Inc. *Pastoralis officii, &c.*

NOn potest Nicolaus quod sui muneris est præterire tacitus.

Ad hoc constitutus fuit a Christo Vicarius suus, ut illo amore, quo ipse ductus morte ipsa tollerata animarum salutem quæsivit, ipse quoque quærat.

Hinc explanat Cassano mysterium Incarnationis ideo factum, ut animæ salvarentur.

Proinde principem excitat ad fidem Catholicam suscipiendam.

Ejus pater *affectione sincera dirigitur* in Christianam religionem;

Ejus frater nuper baptisma suscepit, suæque saluti consuluit.

Ipse quoque domestica exempla sequatur.

Illi gratias agit quod Christianos ibidem commorantes beneficiis afficiat.

D. ut supra.

Scripsit in eandem hanc sententiam Saroni fratri Nicolai, & Cassani.

Regina rogatur, ut duos suos natos ad fidem pelliciat.

NICOLAUS IV. Anichostamini Tartarorum Reginæ. XXI Ib. §. 36.

Inc. *Gaudemus in Domino, &c.*

PRimum quidem significat Nicolaus Reginæ, se maxime lætari, quod acceperit, eam Christianæ Religioni nomen dedisse suum, ejusque præcepta servare ad amussim;

Tum

Tum illi gratulatur, quòd Deo ejus mentem illustranti, ejusque moventi cor paruerit, profitendoque Christianam religionem sibi viam ad æternam salutem muniat,

Præterea illam rogat, ut perducat ad eandem fidem amplectendam reliquos suos filios Cassanum, & Saronem.

Illi demum commendat duos Fratres Minoritas in eas regiones missos ad prædicandum verbum Dei satis virtute sua commendabiles.

D. ut supra.

F. Andreas de Perusio fit Suffraganeus Archiepiscopi Cambalensis.

XXII. Ad ann. 1307. §. 25. CLEMENS V. F. Andreæ de Perusio Ord. FF. Minorum assumpto in Episcopum suffraganeum Archiepiscopalis Sedis Cambalensis in dominio Tartarorum.

Inc. *Nuper considerantes, &c.*

COnsiderans quæ, qualiaque fecisset Joannes de monte Corvino Minorita, Clemens, eum fecerat Archiepiscopum Cambalensem, quæ civitas Cambalensis est magna, & honorabilis Regis Tartarorum; eique curam animarum totius illius regni commisit.

Quia autem regnum illud est amplissimum, indigetque Joannes aliquo suffraganeo, Episcopum suffraganeum eligit prædictum F. Andream,

Mandatque tribus Episcopis, ut illi consecrationis munus impendant.

Vult autem illum gaudere privilegiis, & juribus Episcopalibus, & omnibus facultatibus, quæ S. Sedes dare solet iis, qui in partes infidelium mittuntur.

Confidit autem Episcopum nervis omnibus esse contenturum, ut munia sua recte adimpleat.

Datum Pictavis X. Calen. Augu. P. a. II. a. D. 1307.

Ecclesiam Cambalensem ædificaverat ipse Joannes; in regia Tartarorum urbe sex millia hominum baptismo regeneravit, instruxit ipsos ad divina officia celebranda, regem Indicum convertit &c. apud Rayn. ad ann. 1305. §. 19.

Grates aguntur Regi de promisso auxilio pro Terra S.

XXIII. Ad ann. 1308. §. 30. CLEMENS V. Olgetucan Tartarorum regi.

Inc. *Dum ad recuperationem, &c.*

DIvinitus, scribit Clemens, immissum fuisse consilium regi Terræ transmarinæ auxilium ferendi. Sibi etenim diu noctuque sollicito de ejus amissione, & circumspicienti, qua ratione e Saracenorum manibus eripi posset, regius orator supervenit significatque,

Regem ducturum secum contra Saracenos ducenta armatorum equitum millia, & ducenta millia salmarum bladi, in Armeniæ partibus, cum primum accipiet, principes Latinos eo pervenisse.

Erexisse se animum ad hunc nuncium, scribere pergit Clemens, laudesque dedisse Deo, illique gratias egisse summas, quod videt jam bene agi cum Christiana Rep. si Regem tam magnanimum propugnatorem habeat;

Gratias etiam agit regi, quem rogat, ut in suscepto consilio perstet; se id relaturum esse Latinis principibus, qui alacrius Crucem assument.

Quanto majori merito hoc auxilio tam opportunum rei universæ Catholicæ ferendum regi esset, apud Deum si Catholicam religionem profiteretur?

Ad eam suscipiendam illum etiam, atque etiam Clemens hortatur.

D. Pictavis Cal. Mar. P. a. III. a. D. 1308.

Edictum de non pulsandis campanis oratur Rex revocare.

XXIV. Ad ann. 1318. §. 2. JOANNES XXII. Usbec Imperatori Tartarorum.

Inc. *Lætanter audivimus, &c.*

„ CUm in urbe Cambalensi Christianorum numerus
„ excrevisset, jamque Campanæ in turri essent,
„ & ad earum sonitum ingens populi Christiani mul-

„ titudo ad Ecclesiam properaret divinis officiis inter-
„ futura, quidam malevoli homines regi, qui cæteros
„ quin Christianos amabat fidemque protegebat, signi-
„ ficarunt, periculum esse, aliquando eam multitu-
„ nem ad illum sonitum coactam aliquando posse re-
„ bellionem excitare; proinde prudentis esse, edicere,
„ ne campanæ pulsentur.

Quod rex edixit.

Quod cum nunciatum esset Pontifici, Regi has litteras scribit; in quibus

Imperatorem laudat, illique gratias agit, quod Christianam religionem tueatur.

Ad quam profitendam illum invitat e consideratione fragilitatis vitæ humanæ, ultra quam vita alia est æterna felix, fortunataque, in quam nonnisi profitentes Ecclesiam Christi intraturi sunt; e dignitate, quam habent Christiani, ut sint filii Dei;

Eum rogat, ut pergat Christianos protegere,

Illique testatur nihil ab illis sibi esse timendum, cum inter præcipua suæ legis præcepta hoc habeant, venerandi suos principes, illisque parendi;

Hinc descendit ad eum orandum, ut revocet edictum de non pulsandis campanis; ne credat Imperator in hoc fallacibus hominibus; Christiani æra illa habent, ut honorem suo Deo præstent, non ut turbas concitent,

D. Aven. Cal. Apr. P. a. II. a. D. 1318.

Iterum oratur Imperator, ut campanarum usum permittat Christianis.

JOANNES XXII. Usbec &c. XXV. Ad ann. 1323. §. 2.

Inc. *Lætantur audivimus, &c.*

MOtus Imperator precibus Pontificis, datum usum campanarum iterum Christianis interdixerat; imo e quibusdam Ecclesiis permiserat fieri Meschitas.

De quibus rebus Pontifex admonitus Imperatori scribit,

Se quidem summo cum gaudio percepisse quantopere Christianis Imperator faviisset, etiam spem concepisse fore ut aliquando ille Christianæ Religioni nomen esset daturus;

Nunc gaudium suum in mæstitiam æque magnam fuisse conversam, cum acceperit eum rursus vetuisse Christianis pulsare æra, ut eo sonitu convocati ad officia divina peragenda concurrerent, & eum permisisse quædam Christianorum templa converti in meschitas.

Quare etiam atque etiam illum rogat, obsecratque ut illorum usum iis restituat, & hæc illis reddat.

Deus ille, qui nullum bonum permittit sine præmio esse, abunde eum remunerabit.

D. Avin. V. Cal. Oct. P. a. VIII. a. D. 1323.

Gratulatio de suscepta religione, & adhortatio ut alios ad eam perducat.

JOANNES XXII. Abuscano nato cl. mem. Cosogani regi in partibus Tartariæ. XXVI. Ad ann. 1324. §. 2.

Inc. *Considera quæsumus, &c.*

AD gratias Deo agendas excitat prædictum principem Joannes, quod a Deo illustratus mente fuerit, ut veram religionem agnosceret, tactusque cor agnitam amplexatus fuerit.

Imo, quod sibi est ingentis lætitiæ causæ, accepisse se, ait, ab Episcopo Caphensi, eum sancte, pureque eam colere.

Ad eam perpetuo hoc modo colendam illum hortatur Joannes.

Quoniam vero hujus religionis veritatem princeps cognovit, ne illum pigeat, & alios movere ad eam sequendam.

Facile illi erit alios movere; cum unis curet vestigiis suorum principum insistere, eorumque exempla æmulari.

D. Avin. X. Cal. Dec. P. a. VI. a. D. 1322.

De eodem argumento cum indulgentiarum largitione.

XXVII. Ad ann. 1322. §. 44. JOANNES XXII. Abuscano, &c.

Inc. *Ingentem, nec mirum, &c.*

ITerum gratulatur Pontifex Abuscano, quod tam sedulo *christianæ* religionis a se recens susceptæ præcepta adimpleat, ad quod præstandum tempus in omne enixe eum orat,

Et iterum eum hortatur, ut meritum ingens sibi a Deo comparet excitando populos sibi subditos ad illam amplectendam.

Ut autem alacrius utrumque faciat, viginti dies de injunctis illi pœnitentiis misericorditer relaxat, quotiescumque contritus, & vere suorum peccatorum pœnitens missam audierit, & quotiescunque in aliquam Ecclesiam oraturus se conferet.

Nulli ergo, &c.

D. Avin. II. Cal. Mar. P. a. VI. a. D. 1322.

Gratiæ aguntur de præconibus Verbi Dei bene habitis.

XXVIII. Ad ann. 1321. §. 3. JOANNES XXII. Zopan Begilay Tartarorum regi.

Inc. *Larga Dei, &c.*

„ MIrari nemo debet tot esse reges in Tartaria „ Asiatica, quæ etiam *magna* dicitur, cum sit „ amplissima regnos. Hi autem reges subjecti erant ma„ gno Imperatori, nihilque erant aliud quam provin„ ciarum rectores ab illo constituti. Ut autem sit, ple„ rumque hi administratores faciebant, quæ sciebant „ Imperatorem facere, ille cum amaret Europæos, & „ christianis faveret, etiam hi ministri eos amabant, „ iis favebant.

Eo quod summa cum *humanitate habet Zopan* ministros verbi Dei, iisque maximopere favet, & in iis, quæ ad eorum ministerium pertinet, præsto est, merito arguit Joannes Deum, qui non sinit capillum perire de capite, hoc est, qui præmium cuicumque operi bono elargitur, mercedem amplissimam illi parare, nempe vocationem ad suam religionem christianam, quod est præmium omnium cumulatissimum, quod hic in terris dare homini possit.

Vocantis voci pareat Zopan.

Illi commendat Christianos, qui in ejus regno sunt, ut illos protegat, illos tueatur, & a scelestis defendat.

D. Aven X. Cal. Dec. P. a. VI. a. D. 1321.

Audierat siquidem Joannes a perversis hominibus christianos contumeliis affici, litterisque ad eos datis ad patientiam illos est hortatus.

Facultates datæ Archiepiscopo S. Thadæi de Camalesia.

XXIX. Ad an. 1321. §. 5. JOANNES XXII. Archiepiscopo, Vicario Prædicatorum, & custodi FF. Minorum in Imperio Tart.

Inc. *Cum sicut, &c.*

REIatum fuerat Pontifici, multos sacerdotes in Tartaria prælaturas Ecclesiarum habere ad quas non habebant ingressum, quosdam non esse rite ordinatos.

Cupiens Pontifex utrorumque saluti consulere mandat præfatis Archiepiscopo, & fratribus,

Ut cum habentibus prælaturas possint dispensare super earum possessione, suppletis defectibus,

Male ordinatos Archiepiscopus ordinet.

Neophytos *quasi modo genitos infantes lacte dulcedinis nutriendos, tolerantiæ supportandos humeris, & ad præmissa levitate potius, quam necessitate trahendos, merito judicat.*

D. Aven. Id. Oct. P. a. VI. a. D. 1321.

Corrigendi errores circa sacramentum confirmationis, & consecrationem olei S.

XXX. Ib. §. 6. JOANNES XXII. Archiepiscopo S. Thadæi.

Inc. *Sane dilectissime, &c.*

QUi errores erant in Ecclesia Armena, in qua simplices Sacerdotes conferebant sacramentum confirmationis, & simplices Sacerdotes oleum consecrabant pro sacramento extremæ unctionis, erant & in hac Tartara.

Corrigendos esse hos errores, ait Joannes ab Archiepiscopo, & quoniam Ecclesia Tartara non disconvenit a Romana in aliis capitibus, efficiendum ab illo est, ne in his quoque disconveniat.

Certe legimus in actis Apostolorum vocatos Hierosolymis fuisse Petrum, & Joannem in Samariam, ut confirmarent recens baptizatos. Jam Episcopi sunt successores Apostolorum, non simplices presbyteri.

Præterea semper Romana Ecclesia consuevit hunc ritum servare, quem ab Apostolica Traditione eam accepisse dicendum est; a qua traditione nefas est recedere.

Archiepiscopus ergo, & ejus suffraganei tantum confirment.

Ita illi uni oleum consacrent.

Inculcet Archiepiscopus populis, esse credendum primatum Romanæ Ecclesiæ super quascunque alias; ad eam esse recurrendum &c.

D. Avenione X. Cal. Dec. P. a. VI. a. D. 1321.

Imperator Tartarorum rogatur, ut Armenis opem ferat.

JOANNES XXII. Boyssethan Tartarorum Imperatori. XXXI. Ad ann. 1322. §. 41.

Inc. *Refert progenitorum, &c.*

UTens opportune Pontifex odio acerrimo, quo Tartari persequebantur Saracenos, Imperatorem prædictum in eos accendit pro Armenis.

Referunt, inquit, vetera monumenta, semper progenitores Imperatoris conjunctos amicitia fuisse cum Armeniæ regibus, bella multa, & aspera pro iis suscepisse. Quod quidem & in decus ejus majorum æternum, & in utilitatem regum Armeniæ redundavit.

Quod si unquam alias Armeniæ regnum Imperatoris Tartari auxilio indiguit, nunc enimvero maxime indiget, cum innumeri Saraceni gens illa perfida, immanisque illud est aggressum.

Jam sicut gloriosum fuit Imperatoris majoribus regnum illud liberare, multo gloriosius erit Imperatori e manibus hostium illud eripere, cum tot numero illud invaserint.

Divinum auxilium in opere tam pio illi pollicetur.

D. Aven. III. Non. Jul. P. a. VI. a. D. 1322.

Ad fidem Christianam profitendam, & ad mittendos oratores ad R. Sedem, & ad Regem Galliæ hortatur Pontifex Imperatorem.

JOANNES XXII. Imperatori &c. XXXII. Ib. §. 42.

Inc. *Inter sollicitudines, &c.*

IMitari cum debeat Pontifex Christum, cujus vicem in terris sustinet, nihil ardentius exoptare debet, quam ut universus orbis, si fieri possit, unum sentiat, unamque fidem Christianam colat, quæ una vera est.

Quod quidem de omnibus optare debet, sed de iis præsertim, quos singulari amore prosequitur, colitque.

Proinde eum etiam atque etiam obsecrat obtestaturque, ut saluti suæ æternæ consulat, illique Ecclesiæ nomen det, in qua una salutem reperire potest.

Multi ejus majores eam sunt amplexati; ideoque eorum imperium Deus tanta potentia, tot opibus, amplitudine tanta, eosque summa gloria ornavit, & extulit. Quod illi etiam accidit.

Illius majores etiam sæpe consueverunt ad S. Sedem oratores mittere, mittere oratores ad Reges Francorum, quibuscum fœdera, & amicitiam junxerunt; hinc inde mutuis donis; muneribusque se afficiebant ejus majores, regesque.

Redundabat hoc in decus Imperatorum, quorum majestatem circumferentes per Europam suorum Imperatorum majestatem eam in aulis Pontificia, & Gallica magnificentius explicabant.

Renovet hæc magnificentiæ dignæ Principe tanto exempla Imperator.

D. Aven. IV. Non. Jul. P. a. VI. a. D. 1322.

„ Per hunc Imperatorem stetit, ne Saraceni Arme„ niam occuparent. Excitatus enim a Pontifice misit ad Armeniæ regem copias suas, quæ Saracenos dissiparunt.

Tar-

Tartarorum Imperator ad Sedem Catholicam invitatur.

XXXIII. Ad ann. 1329. §. 97. JOANNES XXII. Elchigadam Imperatori Tartarorum Corassan, & Turquestan, ac Indostan.

Inc. *Pastoralis officii, &c.*

MIserat Imperator ad Pontificem oratores, & litteras, quibus eum orabat, ut mitteret in illud imperium viros doctos, probosque, & Episcopos, qui iis populis fidem Catholicam explanarent.

Eum laudat initio statim Pontifex, illique gratias agit quod Christianis faveat.

Illi etiam gratulatur, quod tam egregia munera sua adimpleat erga populum suum, cujus etiam æternæ spirituali felicitati tam sedulo studet.

Fideles operarios fratres ex ordine Prædicatorum, Minorumque ad illum mittet.

Illi significat, se elegisse in Episcopum F. Thomam, ut in Seniscatensi civitate morans curam animarum habeat. (Is fuerat cum duobus sociis missus ab Imperatore orator ad Pontificem.)

Mittit etiam ad illum formulam fidei (Clementis IV.) ab eo requisitam.

Hæc una fides potest illum ab iis pœnis, quibus æternum conflictantur in inferis infideles, vindicare, & ad cœlestem patriam perducere æternum beatissimum, ad quam solis eandem fidem credentibus, & profitentibus patet aditus.

D. Aven. IV. Non. Nov. P. a. XIV. a. D. 1324.

De suscepta fide gratulatur Pontifex Nascarinis.

XXXIV. Ad ann. 1330. §. 55. JOANNES XXII. Nascarinorum Domino, & universis Christianis Nascarinis.

Inc. *Votis zelamus, &c.*

QUantum lætatus fuerit, cum accepit nuncium, Nuscarinos nomen christianæ fidei suum dedisse, ut possent ii conjicere, notus iis esse deberet zelus, quo fertur, ut omnes hanc religionem catholicam profiteantur, scribit Joannes, ex magnitudine hujus magnitudinem lætitiæ metirentur.

Iis interim gratulatur, quod catholicam religionem amplectendo eam viam inierint, cui insistentes ad æternam vitam intrabunt.

Ne autem unquam ab ea deficiant, ne in errores prolabantur mittit ad illos Jordanum Episcopum Columbensem ex ordine Prædicatorum, & quosdam fratres & eodem ordine, & Minoritas.

Tamquam patrem, pastoremque illum recipiant, hos tamquam magistros. Prosequantur obsequio illum, & hos, eorumque monitis pareant.

D. Aven. VI. Id. Apr. P. a. XIV. a. D. 1330.

Christiani in Imperio Imperatoris Usbec servent puritatem fidei.

XXXV. Ibid. JOANNES XXII. Universis conversis ad fidem, &c.

Inc. *Gratias agimus, &c.*

DOnum ingens, quod Deus iis dedit explicat Christianis &c. Joannes; nempe ex ignorantiæ tenebris ad lumen veritatis, e morte ad vitam, ex inferis ad cœlos eos transtulit.

Meminerint ergo se habere thesaurum inæstimabilem in vasibus fictilibus; ne permittant eum corrumpi; sed permanentes semper in illa fide, quam puram hauserunt, eum servent.

Labores quicunque leves videbuntur iis ferendi ut hæc puritas servetur, si in mente habebunt, eos labores æterno esse compensandos præmio.

D. Aven. Cal. Febr. P. a. XIV. a. D. 1330.

Gratulatio incolis montis Albors de suscepta fide.

JOANNES XXII. Christianis habitantibus in monte Albors. XXXVI. Ib. §. 56.

Inc. *Patri luminum, &c.*

DIvino numini quod vocarit ad fidem suam incolas montis Albors, nunquam scribit Pontifex, se satis dignas gratias acturum esse,

Sicut nec satis unquam reddent christiani illi eidem, quod ad fidem vocati fuerint, hoc est ad æternam in cœlis gloriam.

Gaudet eos veram fidei doctrinam edoctos fuisse; eam puram, integramque servent.

Quoniam autem sacerdotes peritos a Pontifice postularunt, eos ad illos mittit fratres ex ordine Prædicatorum christianæ fidei veros præceptores, neque ad gratiam magnatum comparandam ejus præcepta detorquentes in hanc, in illam partem, prout pœnitentibus libuerit, & cum illis Guillelmum de Cigiis Episcopum Taurisiensem.

Ad eos mittit formulam fidei (Clementis IV.) a qua ne declinent.

Considerent, quam fragilis sit humana conditio, accendenturque ad æterna inquirenda, ad quæ comparanda nonnisi per catholicam fidem pervenitur.

D. Aven. X. Cal. Febr. P. a. XIV. a. D. 1330.

De christianorum multitudine in Tartaria.

JOANNES XXII. Leoni Armeniæ Regi. XXXVII. Ad ann. 1333. §. 31.

Ino. *Habet fide, &c.*

H*Abet fide digna relatio veritatis suffulta suffragiis, notumque tuæ celsitudini esse potest, quod in terra Tartarorum jamdudum per divinæ miserationis gratiam, & ministerium prædicationis verbi Domini, quod nonnulli fratres ordinis Minorum in terra prædicta exercuerunt, & non desinunt exercere, multitudo indigenarum ad veram ejusdem fidei lucem de suorum errorum tenebris est conversa, & multi alii, qui ab ipsius fidei rectitudine declinabant, ad ejusdem Ecclesiæ gremium sunt reversi;*

Et sicut devote creditur, & firmiter speratur in Domino terræ præfatæ hominum necdum conversorum diffusioris multitudinis conversio, Deo largiente; succedet.

D. Aven. XIII. Cal. Oct. P. a. XVIII. a. D. 1333.

Magnus Tartarorum Canes ad fidem invitatur.

JOANNES XXII. Magno Tartarorum Cani. XXXVIII. Ib. §. 32.

Inc. *Accedit ad tuæ, &c.*

EX iis beneficiis, quibus afficit Canes Christianos in suo Imperio degentes, & ex ea benevolentia, qua prosequitur divini verbi præcones præter quamquod ejus nominis fama longe lateque propagatur, ita se Pontifex obstrictum illi sentit, ut nihil supra.

Cum ob illa, & hanc grates dignas illi reddere non possit, ita accenditur desiderio ejus salutis, ut semper Deum oret, ut principem tam beneficum, tamque benevolum religionis christianæ illustret suæ gratiæ lumine, ut in æterna patria eam mercedem illi det, quæ una ejus munificentia, & liberalitate in Chistianos exercita potest esse digna merces.

Tum illi significat se elegisse Archiepiscopum Cambaliensem Nicolaum fratrem ex ordine Minorum, quem summis, pluribusque virtutibus ornatum commendat, eum, aliosque ordinis ejusdem fratres se mittere in ditiones imperatoris, ut prædicent christianam fidem tot miraculis comprobatam.

Descendit deinde ad explicandam imperatori hujus fidei præstantiam, extra quam nulla est hominibus salus.

Archiepiscopum, & reliquos fratres imperatori commendat, rogatque eundem ut eos audire velit, & quæcumque illi dicent, memoria alte reposita teneat.

Omnia illi fausta, præcipueque conversionem ad veram fidem illi a Deo adprecatur.

D. Aven. Cal. Oct. P. a. XVIII. a. D. 1333.

Tutela Christianorum commendatur Eorum Regi.

XXXIX. Ib. §. 35. JOANNES XXII. Secede Chigista Regi Eorum.

Inc. *Deo vivo, &c.*

NE putet Rex se benefacere solum hominibus, cum summa humanitate christianos in suo regno existentes habet: Deus ipse, Deus iis beneficiis se devinci, obstrictumque proinde regi testatur.

Pontifex autem non potest non magnopere illum de tanta munificentia commendare.

Illius nominis fama late, longeque pervagatur.

Eum rogat, ut porro pergat Christianis favere; ita enim firmabit stabili fundamento solium suum, & si baptizabitur, salvus erit.

Præcones verbi Dei, quos in regnum ejus mittit, illi commendat, & præcipue Archiepiscopum Cambaliensem.

D. Aven. Cal. Oct. P. a. XVIII. a. D. 1333.

Vosprensis Ecclesia fit metropolitana.

XL. Ib, p. 36. JOANNES XXII. F. Francisco de Camerino Archiepiscopo Vosprensi;

Inc. *Nuper ex certis, &c.*

VOsprum in terra Gazariæ sitam, ubi imperitabat Uebech Tartarus, *quæ in terræ Tartarorum vastitate consistit locum populosum, aptum, & accommodum, verumque temporalium ubertate fœcundum* erigit in metropolim Joannes, *& metropolis vocabulo insignit.*

Vult ut in ipsa metropoli sub vocabulo S. Michaelis Archangeli fundari, & construi debeat Ecclesia Cathedralis, quodque metropolis ipsa civitas Vosprensis, & dicta Ecclesia metropolitana perpetuis futuris temporibus censeantur, nuncupentur, & etiam habeantur.

Quia vero multi schismatici per prædicationem verbi Dei in Gazariæ provincia conversi sunt, susceperuntque conjunctionem cum Romana Ecclesia, & progressu temporis fidelium numerus augebitur, & etiam schismatici ad Ecclesiæ unitatem redibunt, Archiepiscopus litterarum scientia exquisita ornatus, *instructus sufficienter in sacra pagina*, præter honestatem eximiam morum requiritur.

Has omnes dotes cum videat Pontifex inesse in F. Francisco de Camerino ord. FF. Prædicatorum, eumdem Ecclesiæ huic præficit.

Vult eum gaudere omnibus privilegiis metropoliticis, &c.

Eum accendit ad bene peragenda munia sua, &c.

D. Avin. Cal. Aug. P. a. XVII. a. D. 1333.

Versacho Zichorum regi redeunti ad Romanam Ecclesiam gratulatio.

XLI. Ib. §. 38. JOANNES XXII. Versacho Regi Zicchorum.

Inc. *Tam per litteras, &c.*

PRædicantibus Vospri Francisco Camarino (postea Archiepiscopo ut supra) & Richardo Anglico Fratribus ex ord. Prædicat. *in præsentia Milleni domini dicti loci*, & exponentibus errores, & schismata, quibus Græci separantur ab Ecclesia Romana, quos errores etiam sequebatur Versachus cum suis subditis populis, & Millenus, & probantibus iisdem fratribus tam Versacho, quam Milleno extra catholicam, Apostolicam Romanam Ecclesiam neminem salvari, *agnita veritate fidei*, & Millenus & Versachus cum suis magnatibus, abjuratis coram copiosa multitudine iis erroribus, se cum Romana Ecclesia conjunxerant polliciti, se illam semper esse professuros.

Conversio hæc relata Pontifici tanto illum gaudio perfudit, ut sibi temperare non potuerit, quin maxime gratularetur Versacho.

Petat assiduis precibus a Deo, ut possit in hac permanere conjunctione, a qua ejus æterna pendet salus.

Monita eorundem fratrum audiat, & exequatur, qui nonnisi sana illi dicent.

Curet etiam subditos suos ad eandem unitatem perrahere; ex qua conversione, & inductione magnum meritorum cumulum apud Deum sibi comparabit.

D. Aven. VI. Non. Jul. P. a. XVII. a. D. 1333.

Hortatio ad universos Tartaros ad fidem suscipiendam, & ad perseverantiam in ea suscepta.

JOANNES XXII. Universo populo Tartarorum. XLII. Ib. §. 40.

Inc. *Salvator noster, &c.*

INitio suarum litterarum explicat Joannes Tartaris, Christum Petro Apostolorum principi dedisse potestatem ligandi, atque solvendi, quam potestatem transmissam fuisse in ejusdem Petri successores, qui sunt Romani Pontifices docet.

Ex qua plenitudine potestatis fit, ut in Romana Ecclesia, cui præest Romanus Pontifex, sit primatus supra omnes alias Ecclesias;

Fit, ut cum una tantum Ecclesia instituta a Christo fuerit, & hæc sit Catholica, Apostolica, & Romana, in illa una sit salus, in aliis non sit;

Fit, ut quicunque ab ea recedit, sit in errore, sit schismaticus,

Ad eam ergo fidem, quam docet hæc Ecclesia, susciplendam se accingant Tartari, in eam per baptismum ingrediantur, & in suscepta semper perseverent constantes.

Quod si ab ea sunt separati, recedant a schismate, in quo quandiu sunt, salvari nequeunt,

Hanc autem fidem suscipientibus, regnum Dei quærentibus omnia se adjecturum esse Christus ipse testatur.

D. Avin. Cal. Oct. P. a. XVIII. a. D. 1333.

Gratiarum actio, commendatio Alanorum, hortatio ad fidem, &c.

BENEDICTUS XII. Imperatori Imperatorum omnium Tartarorum. XLIII. Ad ann. 1338, §. 7.

Inc. *Celsitudinis tuæ, &c.*

NUncios ad Pontificem miserat imperator simul cum litteris, quibus significabat Benedicto, se immmopere eum colere, seque ejus orationibus commendabat, testabaturque multos principes sub suo imperio Christianos supra ceteros magnates diligere, christianisque universis favere, rogabatque Pontificem, ut ad se legatos mitteret.

Litteræ Regis sunt ib. §. 72.

Benedictus de cultu, quo prosequitur Pontificem, gratias illi agit,

Eos principes, qui imperitabant Alanis illi commendatos semper vult esse,

Etiam quod alios christianos foveat illi gratias agit,

Eum rogat, ut permittat christianis erectionem Ecclesiarum, in queis peragantur officia secundum R. Ecclesiæ ritus.

Illum invitat ad Christianam fidem suscipiendam, in qua unam veram salutem, beatitatemque reperiet;

Illi spondet, se missurum propediem legatos ad illum; cui illos commendat.

D. Aven. Id. Junii P. a. IV. a. D. 1338.

Ad Alanorum principes mittitur fidei formula.

BENEDICTUS XII. Principibus Alanorum. XLIV. Ib. §. 39.

Inc. *Serena facie, &c.*

SImul cum legatis Imperatoris scripserant etiam universim, sigillatimque Alanorum principes Benedicto.

Et universis, & singulis rescripsit Benedictus. Nos summam Epistolæ ad universos datæ afferimus; aliæ enim ad singulos missæ sunt ejusdem sententiæ cum hac.

Jam antequam principum litteras reciperet, eorum pietas sibi nota erat. Quicunque enim ex iis partibus veniunt ad Romanam Curiam illorum cultum in Deum, devotionemque summis laudibus extollunt. Eandem pietatem videt in eorum litteris.

Proinde non potest quominus eos summopere commendet,

Hortaretur etiam eos ad constantiam in eadem fide.

Sed id supervacaneum ducit; tam bene siquidem, tam firmiter solidatos in eadem fide videt, ut timor omnis abesse debeat, eos esse ab illa recessuros unquam.

Ut autem semper in memoria hanc fidem habeant, neque in errores per ignorantiam incidant, ad eos mittit formulam fidei (Clementis IV.)

Ecclesiæ primatum fuse illis explicat, in quo consistat.

D. ut supra.

De

De acceptis oratoribus; & gratiarum actio, & hortatio ad fidem, &c.

XLV. Ad ann. 1340. §. 75. BENEDICTUS XII. Usbech Tartarorum Imperatori.

Inc. *Lætanter, & benigne, &c.*

SE recepisse legatos duos regis, unumque ejus filii primogeniti cum eorundem litteris, referibit Imperatori Benedictus;

Et ex nuntiis, & ex litteris se intellexisse, quanto in honore habeat Romanam Ecclesiam, ejusque caput; & quam honorifice exceperit Nuntios Pontificios, qui ad partes Cathayensis imperii ibant,

Se accepisse, eum dedisse christianis facultatem construendi, ubi iis commodum videbatur, novas Ecclesias, reparandique veteres,

Quantum averet, virum ejusmodi ita bene in Religionem christianam, ejusque cultores animatum eidem nomen dare, quantum lætaretur.

At si considerare velit Imperator quam fluxa sit hæc mortalium vita, & alteram ab illa esse, quæ est æternum futura, vel felix, vel infelix, & ad illam eos ire, qui christianam religionem excolunt, pro certo scit, eum statim nomen suum Catholicæ fidei daturum esse.

Eum rogat ut id consideret.

Illi grates quam maximas agit, quod ita christianis in ejus imperio existentibus faveat, opituleturque, eumque rogat, porro pergere ita facere.

Illum etiam orat, ne patiatur subditos suos populos in regna Hungariæ, & Poloniæ irruptiones facere, & excursiones per illa, facile enim acerrima hinc bella enasci possunt.

Præterea Christiani sunt ii populi peculiarique modo sub Romanæ Ecclesiæ tutela vivunt, quam Ecclesiam ille tanti facit, tantumque veneratur.

D. Aven. XVI. Cal. Sept. P. a. VI. a. D. 1340.

Gratiæ aguntur Janibech, christianique illi commendantur.

XLVI. Ad ann. 1343. §. 21. CLEMENS VI. Janibech Tartarorum Imperatori.

Inc. *Ad sedem, &c.*

RElatum fuerat Pontifici, quovis humanitatis genere Imperatorem christianos in suo regno versantes complecti, & intuitu divinæ pietatis, & Apostolicæ sedis reverentia non permittere eos injuriis affici.

Illi proinde gratias maximas agit Pontifex, & quas cum in minoribus erat, animo tantum, & voluntate illi agere poterat, nunc ad summum Pontificatus apicem evectus litteris ad illum mittit.

Scit Imperator in ditionibus principum latinorum innumera Saracenorum, inidelumque millia vivere: permittunt eos suis ritibus vivere, nec eos cogunt christianam religionem amplecti, eos habent ut subditos suos, etiam privilegiis ornant; si vero sponte christiani fieri velint, eos paterne excipiunt.

Pergat Imperator favere christianis, imitetturque progenitores suos, qui pluribus beneficiis christianos cumularunt.

Testatur, se benigne honorificeque Imperatoris nuncios, quos mittet, excepturum.

D. apud Villamnovam Avenion. Dicec. IX. Cal. Aug. P. a. II. a. D. 1343.

Rogatur Camus ut christianos protegat.

XLVII. Ad ann. 1370. §. 9. URBANUS V. Camo Regi Tartarorum.

Inc. *Ad alti, &c.*

MAgnam nominis gloriam Cami progenitores, & ipse sibi compararant christianos alienigenas in Tartaria degentes, suosque subditos christianos factos protegendo.

Hinc a Deo, cujus Christiani sunt veri uni cultores, tot beneficia ii reges, & ipse Camus acceperunt.

Cum recens Urbanus creavit Archiepiscopum Cambaliensem, eum illi commendat. Qua bonitate, & humanitate omnes, & singuli ejus Ecclesiæ Archiepiscopi a Regibus habiti sunt, habeat Rex hunc quoque, quem præter dignitatem dignum regis favore, studioque faciunt probitas, doctrina, prudentia, honestique mores,

Eum Rex audiet, addiscet ab illo fidem, in qua una veram salutem reperire poterit.

Hinc in laudes Catholicæ fidei digreditur Urbanus,

Pergat Rex favere Christianis, certusque sit beneficia plurima a Deo se esse percepturum.

D. Romæ apud S. Petrum VII. Cal. Apr. P. a. VIII. a. D. 1370.

Hortatio ad Tartaros ut convertantur.

URBANUS V. Universo populo Tartarorum. XLVIII. Ib. §. 110.

Inc. *Universitatem, &c.*

CUm Deus homines crearit non ut æternum in his terris viverent, iisque intellectum dederit, necesse est, eos intellectu suo ad æterna meditanda ferri, quæ post hanc fragilem, caducamque vitam eos manent.

Altera vita, quæ erit æterna, potest esse vel felix, vel infelix; unaque via est, per quam obtineri beatitas potest; nempe fides catholica.

Iam imprudentis esset, cum jam hæc vita tam brevis sit, curam nullam, nullamque sollicitudinem adhibere, ut felicitas illa obtineatur.

Quare vident Tartari, quantum interfit christianam fidem amplecti.

Eos ergo hortatur Urbanus, ut mentes suas sursum erigant, videntesque se quotidie moti viam illam incant, qua duci ad vitam æternam beatam possint.

D. Romæ ut supra.

Mittitur Episcopus cum viginti fratribus ad populos montium Caspiorum.

EUGENIUS IV. Episcopo Atrachitano, &c. XLIX. Ex Rayn. ad ann. 1433. §. 29.

Inc. *Nuper te, &c.*

RElatum ad Pontificem Atrachitanus Episcopus, *quod in montibus Caspiis, qui juncti sunt finibus Tartariæ, & Armeniæ, & montibus Gog, & Magog ingens christiani populi habitat multitudo, & quod propter defectum prædicatorum verbi Dei, & sedis A. distantiam, propinquitatemque infidelium multi a via veritatis, & fide catholica deviant.*

Pontifex ad hæc lætatus fuit; tum nec volens, nec valens earum animarum jacturam pati, mandat eidem Episcopo, qui per aliquot annos in iis regionibus fuerat, ut illuc redeat.

Dat illi socios viginti fratres ex ordine Minoritarum doctos in sacra pagina, pios, & catholicæ fidei zelatores.

Iis dat facultatem absolvendi ab omnibus censuris eos populos, dispensandi super irregularitate quacumque ex causa contracta, *voluntarii homicidii, & falsificationis litterarum AA. necnon bigamiæ casibus dumtaxat exceptis.*

D. Romæ apud S. Petrum III. Cal. Jul. P. a. III. a. D. 1433.

Regi Bargai conceduntur Capuccini, ut prædicent Verbum Dei.

BENEDICTUS XIV. Illustri, ac potentissimo Regi Bargai. L. B.M.t.16. p. 92.

Inc. *A dilecto, &c.*

REx Bargai in magno Thibet cupiens catholicam fidem in suo regno prædicari misit ad Benedictum F. Vitum Recinetensem ex ordine MM. Capuccinorum, qui Pontifici significaret suum desiderium, nempe ut fides prædicaretur in suis provinciis a FF. Capuccinis; & illum oraret, ut deputaret quosdam ejusdem ordinis viros navos doctosque ad id opus.

Respondet Regi Benedictus per has litteras, in quibus primum eum collaudat de tam pia voluntate consulendi subditorum animarum saluti.

Tum pollicetur se illius voluntati satisfacturum, missurumque ad illum industrios viros, quibus pius ille ordo scatet.

D. Romæ apud S. M. Maj. P. a. II. a. D. 1742.

Signi-

Significatur Regi missio Capuccinorum.

LI. Ibid. BENEDICTUS XIV. Eidem Regi.

Inc. *Litteræ celsitudinis, &c.*

PEr hanc secundam Epistolam datam eodem die, quo fuit data superior, significat Benedictus Regi, se ad illum mittere requisitos Capuccinos.

Eorum probitatem, doctrinam, pietatemque laudat, eosque futuros in suo munere industrios, diligentes, sedulosque illi promittit,

Eosque illi summopere commendat,

D. ut supra.

DE ECCLESIA PERSICA.

Soltaniensis Ecclesia erigitur in metropolitanam.

LII. Ex Rayn. ad ann. 1318. §. 4. JOANNES XXII. F. Franco Perusino ord. Prædic. electo Soltaniensi.

Inc. *Pridem gratis, &c.*

CUm multitudo in Christum credentium in Perside (quod regnum tunc parebat Tartarorum Imperatori) valde excrevisset in pluribus urbibus, locisque ita ut Episcopus unus ei sufficere regendæ non posset,

Soltaniensem villam prout Joannes acceperat, *inter alias villas illarum partium insignem, nobilem, & famosam, ac habentem populum copiosum de fratrum consilio, & de plenitudine Potestatis A. in civitatem metropolitanam ducit erigendam*, eidemque præficere prædictum Francum, qui ibidem Evangelizabat, in Archiepiscopum,

Ita ut habeat curam, & administrationem animarum omnium existentium in iisdem partibus, quæ subduntur præfati Imperatoris, necnon Chaydo, & Æthiopiæ, ac Indiæ regum, seu principum dominiis, & ibidem exerceat omnia jura Archiepiscopalia, &c.

Illique sex suffraganeos dat, quoniam amplissima erat provincia, ejusdem ordinis Prædicatorum singulos; quorum recenset virtutes,

Comparet lector sodes has missiones cum recentioribus.

D. Avenione Cal. Maji P. a. II. a. D. 1318.

Pallium ad Archiepiscopum mittitur, & quibus diebus sit gestandum præscribitur.

LIII. Ib. §. 6. JOANNES XXII. Franco Arch. &c.

Inc. *Cupientes, &c.*

AD suffraganeos misit Joannes Pallium, ut illud Archiepiscopo imponerent nomine Pontificis, ad quos etiam scripsit, se dispensare cum Archiepiscopo super adventu ad Apostolicam Sedem, ut *ex antiquo Romanæ Ecclesiæ more* a Romano Pontifice obtineat consecrationem.

Archiepiscopo præscribit dies, quibus gestare pallium debeat.

D. Aven. Cal. Aug. P. a. II. a. D. 1318.

Dimisso Archiepiscopatu, usus Pontificalium datur Archiepiscopo.

JOANNES XXII. Archiepiscopo, &c. LIV. Ad ann. 1323. §. 8.

Inc. *Tibi de Sedis, &c.*

FRactus laboribus, senioque confectus Archiepiscopus rogavit Pontificem, ut solveretur ab Archiepiscopatu; operam tamen suam pollicitus est se præstiturum novo eligendo Archiepiscopo.

Pontifex, licet invitus dimissionem hanc accipiat, tamen prædictarum rationum rationem habens laudatum, ut par erat, plurimum eum solvit.

Illi tamen facultatem dat ubique pontificalia exercendi, dandique benedictionem, modo aliquis S. Sedis legatus, vel Episcopus præsens non sit.

Usum tamen pallii illi non concedit.

D. Aven. Cal. Junii P. a. VII. a. D. 1323.

Substitutus fuit Franco Joannes de.

Franchi in regno Persiæ, & Georgiæ directorem sibi eligere possint.

CALLIXTUS III. Universitatibus christianorum, qui Franchi appellantur, in regnis Persiæ, & Georgianiæ constitutis. LV. Ad ann. 1457. §. 68.

Inc. *Reversus ad nos, &c.*

F. Ludovicus de Bononia Minorita qui ad supradicta regna missus fuerat Nuntius A. inde regressus retulerat ad Pontificem, eos populos traditiones, & instituta Romanæ Ecclesiæ sedulo tenere, ac servare.

Ad quæ audita mirum in modum se lætatum fuisse, Callixtus scribit; eosque hortatur, ut in eadem fide constantes perseverent.

Per eundem autem Nuncium iidem Franchi supplicarant Pontifici, ut vel ille mitteret, vel ipsis permitteret sibi eligere aliquem in directorem suarum animarum *virum probum, & institutis, ritibus, moribusque christianis bene instructum.*

Callistus dat illis facultatem eum sibi eligendi, electionemque ipse confirmabit *ea conditione, ut quamprimum commode fieri poterit, ipse ad visitandum Sedem Ap. & limina BB. AA. Petri, & Pauli cum aliquot veniat, qui omnes profecto melius instructi, ædificati, & de nomine, ac fide christiana contenti in patriam redibunt.*

Iis commendat prædictum F. Ludovicum, cum ad eos revertetur.

Dat. Romæ apud S. Petrum XIV. Cal. Janu. P. a. III. a. D. 1457.

DE IMPERIO GRÆCO.

Laudatur Imperator Theodosius, quod præsidio affuerit Ephesinæ synodo in damnatione Nestorii.

I. Ex Baron. ad ann. 431. §. 12. COELESTINUS I. Theodosio Juniori Augusto.

Inc. *Causis suis, &c.*

IN hac causa apparuit divinam providentiam Ecclesiæ suæ non deesse; namque ita excitavit pro illa animum Imperatoris, ut impietas prorsus corruerit. Jam nunc læta Ecclesia est, ejus hostibus cum capite profligatis. Hoc attribuendum est Imperatori, hoc adscribendum ejus prudentiæ, & devotioni.

Titulum hunc nulla unquam ætas abolebit. Abrahæ fides sæculis durat, zelus Dei fecit meritum David esse perpetuum. Sicut Elias falsos prophetas prostravit, ita hostes Ecclesiæ prostravit Theodosius. Suam etiam pietatem ostendit Imperator dum Episcopum ejusmodi constituit, nempe Maximianum. Sed rogat Theodosium, ut caveat, ne mala rursus pullulent; bene est, eum curasse morbum, sed prudentis medici est efficere, ne morbus renascatur.

Testatur Cœlestinus, *se lectis in congregatione totius christianæ plebis apud Beatissimum Ap. Petrum imperatoriæ pietatis apicibus, Deo pro illo vota persolvisse.*

Quædam Proba reliquerat quasdam possessiones in Asia in substentationem Clericorum, & monasteriorum. Non solum earum redditus deperditi erant, sed etiam bona ipsa. Imperatorem rogat, ut ea perquiri faciat restituique; causæque publicæ tam bene defensæ hanc etiam privatam addat.

D. Idibus Martiarum Flavio Æctio & Valerio VV. CC. Conss. a. 432.

Imperatoris Constant, litteris respondetur, & ad eum mittitur Patriarcha Gradensis.

II. Ex Baron. ad ann. 1073. §. 49. GREGORIUS VII. Michaeli Imp.

Inc. *Quidam a vestris, &c.*

LItteras plenas dilectionis Imperatoris attulerant ad Gregorium, in quibus quanta reverentia prosequeretur Pontificem, & Ecclesiam Romanam testabantur.

Sed quia monachi, qui litteras attulerant, non videbantur tales, *ut secure eis fidem Gregorius accommodare posset, & per eos de tantis rebus Imperatori respondere*, scribit se ad eum mittere Dominicum Patriarcham Venetiæ Ecclesiæ Romanæ, & ejus imperio fidissimum, quicum omnia communicare poterit.

Testatur, se cupere antiquam concordiam inter utramque Ecclesiam Romanam, & orientalem innovare.

Quale quantumque patrocinium Imperium orientale ex hac concordia reportarit scit Imperator.

Eum igitur hortatur, ut omnia libere cum legato Patriarcha communicet; qui ad Pontificem omnia deferet.

D. Albani VII. Id. Jul. P. a. I. a. D. 1073.

Excitat Gregorius Christi fideles contra Saracenos pro Imperio orientali.

III. B.R. t. 2. p. 27. C.C. GREGORIUS VII. omnibus christianam fidem defendere volentibus.

Inc. *Notum vobis, &c.*

AUdierat Gregorius ab iis qui de partibus ultromarinis venerant, Saracenos contra imperium christianum acriter invaluisse, *& miseranda crudelitate jam fere usque ad muros Constantinopolitanæ civitatis omnia devastasse, & multa millia christianorum quasi pecudes occidisse.*

Qua de re omnes, qui christianam Religionem profitentur dolere debent, & animas pro fratribus ponere Jesu Redemptoris exemplum sequentes.

Omnes monet Gregorius, se nihil intentatum relicturum, ut ex iis angustiis illud imperium eximat.

Omnes ergo hortatur ut in tam pium opus concurrant, & legationes mittant quid facere decreverint.

D. Romæ Cal. Mar. P. a. II. a. D. 1074.

De eadem re ad Ultramontanos præcipue.

GREGORIUS VII. Omnibus fidelibus S. Petri maxime Ultramontanis. IV. Ibid.

Inc. *Ad vos, &c.*

JAm credit Gregorius, eos audivisse de angustiis, in quibus orientale Imperium luctatur; & quomodo ipse paratus illi auxilium ferre sit.

Eos monet, se adhuc id præstare non potuisse, dæmone impediente.

Eos rogat, ut arma sumant, & in tam pium opus incumbant collatis viribus.

D. Romæ XVII. Cal. Janu. P. a. II. a. D. 1074.

Jam aliis in litteris ad ipsum Regem datis pollicetur se venturum in orientem, *ad quod opus permaxime me illud instigat quod Constantin. Ecclesia de Spiritu S. a nobis dissidens concordiam A. Sedis expectat.*

De auxilio præstando Michaeli Imperatori Constantinopolitano.

GREGORIUS VII. Episcopis in Apulia, & Calabria commorantibus. V. Ex Bar. ad ann. 1080. §. 45.

Inc. *Notum esse, &c.*

„ MIchael Constantinopolitanus Imperator ante triennium a Nicephoro pulsus ab Imperio, & in monasterium detrusus, inde Ephesinus creatus Episcopus fuga lapsus se contulit in Italiam auxilium imploraturus a Pontifice, atque a Northmannis, ut restitueretur in pristinum statum. Hæc cum ex Gregorii litteris satis pateant, a Grecis tamen historicis prætermissa esse scias. Porro miseratus angustias ejecti Imperatoris benignus Pontifex, has litteras pro decernenda in orientem expeditione conscripsit;

Adhortans Episcopos, ut fideles suæ provinciæ populos moveant ad sumenda arma sub Duce Roberto in auxilium Michaelis.

Præcipit etiam, ut milites qui sub eo duce arma sument, *in contrariam partem proditoria tergiversatione transire non audeant.*

Episcopi moneant etiam arma sumpturos, ut condignam pœnitentiam agant, & rectam fidem servent, & in bonis operibus Dei amorem, & timorem præ oculis habeant.

Sic illos, fulti Pontificia auctoritate, imo B. Petri potestate, a peccatis absolvant.

Dat. Romæ VIII. Cal. Aug. P. a. VIII. a. D. 1080.

Alexio suadere nititur Pontifex, ut cum principibus Christianis arma societ ad Turcas comprimendos.

INNOCENTIUS III. Magnifico viro Alexio Græcorum Imperatori. VI. Ex Rayn. ad ann. 1198. §. 86.

Inc. *Imperialis excellentiæ, &c.*

„ VIx ac audivit Alexius creatum Pontificem Innocentium, ad eum Legatos misit cum magnificis muneribus, illumque rogavit ut Legatos AA. mitteret Constantinopolim, qui illud imperium lustrarent, ostenditque se velle unire Ecclesiam orientalem cum occidentali. „

Hinc occasione capta eidem scribit Innocentius, omnia futura regi prospera, si se humiliabit coram Deo, si fatebitur ex corde unam esse Ecclesiam, & hanc esse Romanam; quam si matrem suam Imperator agnoscat, nihil ab hostibus formidare poterit.

Eum objurgat, quod minus exequatur præceptum illud Christi de suscipiendis peregrinis: exercitum enim compararant Galli Venetique, ut recuperarent Terram Sanctam; Alexius ne dum iis opitularetur, contra Turcas potius eos clanculum persequebatur.

Quasi divinaret Innocentius in quas angustias redigendus Alexius esset, si ita eos habere pergeret, eum hortatur, ut iis opem ferat, cum illis arma conjungat contra communem hostem Turcam, qui, si permittatur vires acquirere, Imperio Græco extremum exitium allaturus est.

Murmurat etiam Christianus populus de Alexio, qui odio tanto adversus Christianos ostendit duas esse Ecclesias, eosque non tamquam fratres habere.

Hinc data occasione illi probat Innocentius unam esse Ecclesiam, teste Spiritu S. ipso dicente *una est columba mea, sponsa mea, formosa mea*, & hanc esse Ecclesiam Romanam Apostolicam fundatam, Christo ipso institutore teste, super Petrum ejusque successores; hanc esse matrem, & magistram omnium, &c. affertque bene multa scripturarum loca, ut id probet.

Quare ne differat Alexius se hujus Ecclesiæ filium profiteri, & cum principibus arma societ ad Turcarum vires frangendas; sibique persuadeat, nullam aliam majorem opportunitatem se habere posse imperium suum firmandi, Turcasque deprimendi, quam hanc.

Ne illam abire permittat, quin eam arripiat.

D. P. a. I. a. D. 1198.

Scripsit etiam Pontifex ad Patriarcham cum ad unitatem cum Ecclesia Romana invitans, eum obsecrans, ut Imperatorem moveat ad consociandas vires suas cum principibus Catholicis: quia sunt hæ litteræ ad Parriarcham superiorum ad Imperatorem similes, eas prætereo.

De recuperatione Terræ S. de astrologis non consulendis, de concilio habendo.

VII. Ad ann. 1192. §. 62. INNOCENTIUS III. Alexio Imper.

Inc. *Ut non, &c.*

ADdictissimus astronomiæ erat Alexius. Rescripsit proinde Pontifici, se ideo non sociare arma cum principibus occidentalibus, quia nondum advenerat tempus Terræ S. liberandæ.

Respondet Pontifex; utendum esse libero suo arbitrio homini, velle scire futura tempora, exitusque rerum, esse tentare Deum;

Sicut Deus omnia libere egit, ita libertatem homini dedit, quam si *illi* non dedisset, nec meriti, nec demeriti capax esset.

Quidam possunt dicere nondum tempus liberandæ Terræ S. advenisse: quidam contra affirmare possunt, illud advenisse. Res ergo dubia est. Faciat igitur Imperator quod alii principes faciunt, audiatque illos qui dicunt, nunc esse tempus acceptabile, nunc esse diem salutis.

Quid? si Deus decrevisset nunc sepulcrum liberare, experiri vult esse Imperator tanti meriti?

Sed utcumque iit, Deus non remunerat exitum operum, sed voluntatem. Satis habet Deus, si homo agat recto consilio quod agere debet; si scopum non attigerit, eum tamen Deus præmio afficiet. Exitus est in manu Dei, voluntas in homine.

Conjungat Alexius vires suas cum aliis principibus, conetur liberare Terram S. etiamsi non liberetur, ejus voluntatis rationem Deus habebit.

Ne per signa inquirat Dei voluntatem; cujus nemo consiliarius fuit; apud quod videt futurum esse Deo gratum, exitumque Deo relinquat.

Se lætari, scribit Pontifex, Imperatorem paratum esse concordiam inire;

Et quoniam ipse quoque celebrationem concilii ut viam facillimam ejus statuendæ unitatis ducit, Innocentius illud convocabit.

Audiat de hac re Alexius Legatum Apostolicum, quem ad illum Innocentius mittit, eumque benigne excipiat.

D. Later. Id. Nov. P. a. II. a. D. 1199.

Imperatoris litteris respondetur.

VIII. Ad ann. 1202. §. 35. INNOCENTIUS III. Illustri Constantinopolitano Imperatori.

Inc. *Litteras, & nuntios, &c.*

ALexius hic e solio Constantinopolitano detruserat Isaacium Fratrem suum, quem & obcæcavit, & ejus Filium Alexium in carcerem conjecit. Filius e carcere ausugit Romamque petiit poposcitque a Pontifice auxilium contra Imperatorem; tum ad Philippum Suevum se contulit.

Imperator ad Innocentium scripsit, misitque etiam nuntios; cui & litteris, & his significabat,

I. Fœderatos principes proposuisse animo non liberare Terram S., sed aggredi Imperium Græcum; quam invasionem esse avertendam a Pontifice;

II. Alexium filium Isaacii confugisse ad Philippum Suevum, ut auxilium imploret; cum non posse queri de usurpato Imperio, quod est electivum, non successivum, ejus Patrem fuisse electum Imperatorem, cum jam Alexius erat natus; proinde nullum jus in illud eum habere posse;

III. Fridericus Pater Philippi cum multum offenderit Romanam Ecclesiam, ejus Filium Philippum non esse adjuvandum in consequutione Imperii a Pontifice; multo vero minus esse adjuvandum, quia cum fuisset clericali charactere insignitus nec potest contrahere, nec militari cingulo decorari, nec dignitatem in populo obtinere, quia est excommunicatus.

Respondet ad singula Pontifex.

Venit quidem ad curiam Alexius, narravitque acta ab Imperatore in Isaacium, & in se; cui Innocentius respondit, quod sibi visum est.

Philippus oratus scripsit ad principes Christianos, qui in orientalibus partibus sunt, eos obtestans, ut imperium Alexio recuperent, promittens Alexium filium soluturum iis expensas, & magnifica munera daturum; principes responderunt, se velle de consilio S. Sedis agere; Innocentius ab invadendo Græco imperio eos deterruit.

Jam Philippus Imperator esse nequit, cum imperium datum sit Othoni; quod gratum Alexio esse debet; sic enim Philippus imperium Græcum aggredi nequit, sicut Henricus Imperator per Siciliam occupare idem imperium Græcum volebat, Manuele tunc imperante.

Tum Alexium hortatur, ut quoniam Pontifex hoc tam insigne beneficium illi præstitit, ipse quoque velit esse Romanæ Ecclesiæ gratus. Ejus dignitatem super Græca agnoscat, curet se cum illa conjungere.

Expectat ejus responsa, ut sciat quid sit scribendum Christianis principibus.

D. Later. XVI. Cal. Dec. P. a. V. a. D. 1212.

„ Alexius mutata veste, clericali habitu indutus „ commendatus fuit a Philippo Suevo Bonifacio Marchioni Montisferrati exercitus Christiani in Palæstina supremo Duci. Tutus ad eum venerat Alexius. „ Marchio societatem iniit cum Philippo illique promisit, se effecturum ut usurpator Alexius dejiceretur „ imperio, evebereturque ad illud dejectus commendatus Alexius; spoponderat hic Alexius, se soluturum „ Venetis omne jus alienum quod Cruce signati habebant, se subjecturum Ecclesiam Græcam Latinæ. „ Presensit id Innocentius, scripsitque Cruce signatis. „

Pontificis litteræ ad Crucesignatos.

INNOCENTIUS III. Cruce signatis.

IX. Ad ann. 1203. §. 15.

Inc. *Cum in manu, &c.*

DEhortari his litteris nititur Pontifex Cruce signatos ab invadendo Græco imperio.

Nimis jam morati sunt circum Jaderam, ut parerent Venetorum Duci ut illam expugnarent; ita ut qui Crucesignati erant in Palæstina diffidentes de eorum adventu dilapsi multi in domos suas fuerint; Saraceni autem interea temporis cum affatim commodi habuerint, ingentes copias collegerunt, ut iis resisterent; quibus jam resistent, si Græciam aggrediantur.

Namque Crucesignatorum vires imminuantur oportet; Græci enim sese opponent viriliter;

Milites defatigabuntur, minusque alacriter rem gerent contra Saracenos, qui spei pleni, vegetique aggredientes eos fessos, imminutosque facile superabunt.

Gaudet eos pœnituisse temporis circa Jaderam deperditi, multo magis, eos veniam humiliter postulare.

Hujus pœnitentiæ signa dent obediendo mandatis Pontificiis posthac attentius.

Nemo igitur Græcam terram invadat, quasi non subjectam S. Sedi, nemo eam prædetur, licet qui nunc imperat Alexius fratrem Isaacium deposuerit, & excæcaverit; Non est enim eorum de his delictis cognoscere, nec ea punire.

Meminerint Græcos esse Christianos, non esse convertenda arma sumpta pro recuperatione Terræ Sanctæ in Christianos.

Iis minatur se acerbius in eos acturum, si non paruerint.

D. Later. XIII. Cal. Jul. P. a. VI. a. D. 1203.

„ Sed

„ Sed Cruce signati indignati se a Græcis non re„ tulisse *nisi tela pro verbis, considerantes, quod præ„ ter spem cuncta contingerent in eum statum impalti „ ut statim necesse haberent aut perire, aut vincere, „ quos victualium omnium incredibilis premebat angu„ stia* prælium commiserunt, & *inæstimabilem multitu„ dinem fuga in urbe ignominiosa concluserunt.* Id actum fuit mense Julio.

„ Die postero proceres Græci in palatio congregati „ exulem Alexium eligunt in Imperatorem, deturbato „ occupatore. Tum copiosa multitudo venit in Cruce„ signatorum castra electum petens, quem inventum „ ad templum S. Sophiæ perduxit, & sine contradi„ ctione Imperiale diadema illi restituit.

„ Statim *victualia servitio Domini profutura Cruce„ signatis dat ad annum, ducentum marcharum millia „ iis solvere pergit, & Venetis sumptibus suis stolium „ prolongat ad annum, & juramento firmat*, se velle „ proficisci cum illis in terram S., & toto vitæ suæ „ tempore retenturum in terra S. milites quingentos „ stipendiis suis.

„ Laus igitur danda est Redemptori, qui ita rebus „ afflictis præter spem succurrit.

„ Imperator Alexius jam noctu Constantinopoli profugerat in pace rebus agendis parum idoneus, in „ bello ignavus, sola versutia timendus.

„ Ita avitum imperium adeptus Alexius ad Innocentium scripsit, ea narrat quæ gesta sint, quid promiserit Crucesignatis, quæ promissa jam solvere cœperat;

„ Illi pollicetur, se Ecclesiam Græcam subjecturum „ Latinæ, & semina discordiarum esse sublaturum;

„ Se adjuturum Latinos in Terræ Sanctæ Recuperatione. „

D. in urbe Regia (CP.) VIII. Cal. Sept.

Litteris Alexii respondet Pontifex.

X. Ad ann. 1204. §. 2. INNOCENTIUS III. Imperatori, &c.

Inc. *Recepimus litteras, &c.*

LAudat Imperatorem Innocentius, quod unitatem Ecclesiarum orientalis, occidentalisque desideret: eum rogat, ut illam perficiat, quoniam non sine Dei aperta voluntate ea mutatio facta est, ut qui erat exul Imperator fieret, ut scilicet eam facere posset.

Hæc una ratio est Deum sibi propitium reddendi.

Præterquamquod hoc etiam præstare debet, ne videatur ingratus; cum enim per Latinos restitutus sit, cum velit cum iis arma sociare, non potest sine ingratitudinis nota in hac unitate iis non obsequi, & arma sociare vere non potest nisi prius sit socius in fide.

D. Anagniæ XV. Calend. Januar. Pontif. an. VII. a. D. 1204.

Etiam Crucesignati scripserunt Innocentio, se urgere Alexium ut milites suos cum latinis uniat, ut promissam subjectionem Græciæ Ecclesiæ faciat, ut cogat Patriarcham mittere oratores Romam, per quos Pontifici obedientiam præstet.

Crucesignatorum litteris respondetur.

XI. Ib. §. 6. INNOCENTIUS III. Marchioni Montisferrati, & Balduino Flandriæ, Ludovico Blesensi, & Henrico S. Pauli Comitibus, & aliis Baronibus spiritum sanioris consilii.

Inc. *Quia veremur, &c.*

TImet Pontifex, ne Crucesignati ita agentes excommunicationem (iis jam denuntiatam, si aggressi Græciam fuissent) incurrerint, & eam aggressionem alia ex causa fecerint, quam ex ea, quam verbis prætendunt.

Ita fucatas putat eas omnes adhortationes, quas dicunt se facere Imperatori.

Sed quoniam opera sunt testimonia clariora verbis, efficiant, ut Imperator ipse scribat, se recensita superius juramenta fecisse; efficiant, ut Patriarcha per *solemnes nuntios* fateatur se agnoscere primatum Ecclesiæ Romanæ.

Quod si Imperator id facere recusabit, argumento hoc erit, nec ejus intentionem fuisse puram, nec exaltationem fidei, & recuperationem Terræ S. habuisse in animo Cruce signatos, cum ad Imperium Alexium evexerunt.

Dat. Anagniæ Non. Februar. Pont. ann. VII. ann. D. 1204.

Non erit injucundum Lectori, quid acciderit Latinis scire ab Alexio, quem in imperium restituerant.

Sanctissimo Patri, ac Domino Carissimo Innocentio Dei Ib. §. 6. *gratia summo Pontifici Balduinus eadem gratia Constantinopolitanus Imperator, & semper Augustus Flandren. & Han. Comes miles suus cum devota semper obsequii voluntate oscula pedum.*

Avebat scire Innocentius a Cruce signatis quid accidisset. Omnia illi enarrat Balduinus.

Restitutus Imperio Alexius statim sui perfidi ingenii argumenta dedit. Cum enim Latini recessissent Constantinopoli, barbariem Græcorum perferre non valentes, Imperator, qui jam per Latinos omnia loca recuperarat, eos oravit, ut ibidem cum navibus in portu hiemarent; naves incendere voluit; quod quidem incendium Deus avertit.

Græci igitur ejus hostes sperantes eum dereliquendum esse a Latinis, bellum in illum parant. Tunc mittit oratorem ad Latinos orans, ne derelinquatur, se daturum pollicens illis palatium Blachernæ cum obsidibus. Orator missus erat Mursiphilus perjurus Domino suo, & Latinis; Græcos enim admonuit de palatio dando Latinis; quo capto, occupatoque facile futurum Latinis adimere Græcis libertatem; tollendum proinde persuadet Græcis esse Alexium, qui jam dormiebat, interim tamen ea ipsa nocte quidam Nicolaus in templo S. Sophiæ Imperiales insulas sibi usurparat. Græci fautores Mursiphili capiunt Alexium, & Nicolaum, traduntque custodiæ.

Perfidus Mursiphilus obsidete ligneis turribus, & petrariis, & mangonellis Latinos parat, qui erant in angulo quodam urbis prælato, latoque muro circumsepti. Etiam naves Latinorum incendere parabat. Se ad pugnam pararunt Latini, jamque primo in congressu non paucos Græcos ceciderunt, ceperuntque. Opem quidem semper Deus Latinis concessit.

Cum hæc Mursiphilus vidisset majora timens mittit oratores ad Latinorum ducem, ei pollicens se præstiturum illa omnia, quæ Alexius illis promiserat, sed nunquam præstitisset; Interim perfidus laqueo nocte insequenti in carcere Alexium suffocat, *cum quo ipsa die prandium sumpserat Judæ, & clava ferrea, quam tenebat in manu latera morientis, & costas inaudita crudelitate confringit*, fingens casu illi ereptam fuisse vitam, cadaverque honorifice humari jubet.

Per totam hyemem ita fuerunt Latini obsessi; sed V. Id. Aprilis cum in naves se recepissent navali prælio invadunt civitatem pro honore Dei, & subventione Terræ Sanctæ; sed cum Græci viriliter restitissent, coacti fuerunt quædam instrumenta devecta navibus relinquere, & in naves redire.

Die postero instauratur prælium; multitudo ingens fugatur, portæ perfringuntur, irruiturque in urbem; colligunt se Græci, dumque deliberant de eligendo quodam Constantino in Imperatorem, equites Latini irrumpunt in urbem interiorem, & fortissima quæque munimenta superantur. Diripiunt Latini omnia, auri, argentique, gemmarumque tanta direpta copia fuit, *ut tantum tota possidere non videretur Latinitas.*

Ita occupata urbe, duodecim eliguntur, inter quos sex Veneti, qui Imperatorem eligant; electusque fuit Balduinus Dominica *Jubilate*, ipsis Græcis electionem laudantibus.

Hanc ultionem merebantur iniquitates plurimæ a Græcis patratæ, negata Spiritus S. processio, imagines Sanctorum combustæ, hæreses disseminatæ, propugnataque acerrime, contemptus Romanæ Ecclesiæ, arrogantia incredibilis, &c.

Rogat autem Balduinus Innocentium ut accendat nobiles occidentales ad arripiendum iter in orientem; hoc modo dilatari posse Christi fidem, hoc modo recuperari terram Sanctam, namque nondum est fidendum Græcis.

Etiam Innocentium rogat, ut Concilium indicat Constantinopli celebrandum, cui interfit ipse Pontifex, in quo statuatur utriusque Ecclesiæ concordia, & expeditio in Terram S.

Nunc ait, posse Pontificem esse quasi certum de possessione Terræ S.

In fine Venetos laudat socios laborum, participesque

victoriæ; præcipue Ducem Henricum Dandulum merito ob ſuas præclaras virtutes diligendum: eos, & hunc, ſeque Pontifici Balduinus commendat.

Balduini Imperatoris litteris reſpondetur.

XII. Ib. §.20. INNOCENTIUS III. Balduino, &c.

Inc. *Litteras imperatoriæ, &c.*

SUmmum ſe percepiſſe gaudium, ſcribit Pontifex, cum accepit e litteris Balduini, quæ immutatio facta fuerit Conſtantinopoli.

Enimvero melior electio fieri non poterat vel nobilitas generis, vel virtutes electi reſpiciantur.

Nihil ſe prætermiſſurum eorum, quæ Imperatoris dignitatem, felicitatemque amplificare poterunt, teſtatur Innocentius.

Eum monet, ut id quod toties Imperatores Græci promiſerunt, firmaruntque juramento, nempe unitatem illius Eccleſiæ cum Latina, ipſe perficiat; Deus enim ſicut eorum perjuria tanta pœna ultus eſt, ita ſumma felicitate ut ejus Imperium floreat, efficiet, ſi id præſtiterit.

D. Romæ apud S. Petrum VII. Id. Nov. P. a. VII. a. D. 1204.

Epiſcopis, Abbatibus, Clericis, Crucesignatis de eodem argumento ſcribitur.

XIII. Ib. §.21. INNOCENTIUS III. Epiſcopis, &c. Conſtantinopoli conſtitutis.

Inc. *Tempus adveniſſe, &c.*

GRatulatur Innocentius ſupradictis Prælatis, Nobilibuſque de translato Imperio orientis a Græcis ad Latinos; ſuæque lætitiæ juſtiſſimam habere rationem ſcribit, cum tam evidenter virtus Dei in hac translatione eluceat;

Jam propius ſpes effulget, fore ut cito eadem ſors Terræ S. immineat.

De relata igitur victoria grates ingentes Deo agit, preceſque enixas fundit, ut opus quod incepit, ipſe Deus perficiat.

Doctiſſime diſſerit de proceſſione Spiritus S. a Patre, & a Filio, quam proceſſionem falſo negabant obſtinati Græci. Hoc præcipue urget argumentum; ideo Filius ſumme diligit Patrem, quia quidquid habet Pater, contulit Filio, ideo Spiritus S. ſumme diligit Patrem, quia ipſi quoque Pater contulit quidquid habet; Jam ſi non procederet a Filio, æquali amore non diligeret Spiritus S. Filium, neque Filius diligeret eodem amore Patrem, & Spiritum S. non eſſet igitur hoc modo æqualitas perſonarum in divinis; quo quid dici, fingivi abſurdius poteſt?

Excitent Prælati, Nobileſque ad retinendum amorem erga Romanam Eccleſiam gregarios milites,

Curentque Græcos ad cultum in Romanam ſedem reducere.

D. Romæ apud S. Petrum Id. Nov. P. a. VII. a. D. 1204.

Ad eoſdem Epiſcopos de eodem argumento.

XIV. Ex Innoc. Litt. l.7. ep. 164. INNOCENTIUS III. Epiſcopis, &c.

Inc. *Quoniam Deus, &c.*

QUid agere debeant Epiſcopi, qui erant Conſtantinopoli, docet his in litteris Innocentius;

I. In Eccleſiis a Græcis derelictis collocent clericos Latinos, qui Deo ſervitium digne impendant,

II. Ne diſſipent Eccleſiarum bona,

III. Jubeant clericos divina peragere latino ritu in Eccleſiis ubi ſunt Latini;

IV. Cogant Eccleſiaſticos Latinos, & ſimul cum illis eligant Patriarcham; electus ſit ille, qui majora vota retulerit;

V. Electi confirmatio petatur vel a Legatis Pontificis, vel ab ipſo Pontifice.

D. Romæ apud S. Petrum IX. Cal. Dec. P. a. VII. a. D. 1204.

Balduinus miſit Pontifici conventiones pactas cum Venetis, quos teſtatur ſe habuiſſe *cooperatores probiſſimos, & efficaces ad honorem Dei, & S. R. Eccleſiæ, & Imperii ſui, ſicut ipſa opera demonſtrant. Cum & ad regimen Imperii, & ad ſubventionem terræ S. & ad unitatem Eccleſiæ conſervandam ſocietas eorum utilis ſit, & neceſſaria*, eum enixe rogat, ut conventa approbet.

De hac eadem re ſcripſerat Henricus Dandulus Venetorum Dux Pontifici.

(v. c. de Veneta Rep. *Accepimus, &c.*)

Facta fuerant ante Conſtantinopolis obſidionem ea ſunt hæc; XV. Rayn §.4.

In nomine Dei æterni. Amen.

N*Os quidem B. Montisferrati Marchio, & Balduinus Flandriæ, & Hannoniæ L. Bleſenſis, & Clarimontis H.. S. Pauli Comites pro parte noſtra vobiſcum vir inclite Domine Henrice Dandule Venetiarum, Dalmatiæque, atque Croatiæ Dux cum parte veſtra, &c.*

I. Omnes armata manu urbem expugnare debent; urbe expugnata omnes debent parere *ſuper exercitum præelectis.*

II. *Totum havere quod inventum fuerit* ibidem *a quolibet duce debet poni in commune, de quo havere nobis, & hominibus Venetis tres partes debent ſolvi, pro illo havere quod Alexius quondam Imperator vobis, & nobis ſolvere tenebatur. Quartam nobis tenere debemus, donec fuerimus in ipſa ſolutione coæquales.* Reſiduum æque dividetur inter Gallos, Venetoſque. *Si totum havere non ſufficiet ad ſolvendum debitum*, tamen ſervetur ſtatutus ordo.

III. Veneti *libere, & abſolute per totum Imperium habere debeant omnes honorificentias, & poſſeſſiones, quas conſueverunt quondam habere in ſpiritualibus, & temporalibus.*

IV. Duodecim eligantur, ſex ex utraque parte, qui eligant Imperatorem. Si ſex ſint pro uno, ſex pro alio, mittatur ſors; qui plura puncta retulerit, ſit Imperator.

V. Imperator debet habere quartam partem acquiſiti Imperii, & palatium Blachernæ, & Buccam Leonis; *reliquæ partes per medietatem dividantur.*

VI. Clerici illius partis, ex qua non fuerit Imperator, *poteſtatem habebunt Eccleſiam S. Sophiæ ordinandi, & Patriarcham eligendi.*

VII. Clerici illas Eccleſias ordinabunt, quæ ſuæ parti contingent;

VIII. De poſſeſſionibus Eccleſiarum tantum detur clericis, quo honeſte poſſint vivere,

IX. Tam Veneti, quam Galli *ab ultimo die inſtantis Martii uſque ad annum expletum morari debent ad Imperium, & Imperatorem manutenendum.*

X. Anno completo qui in Imperio remanſerint, Imperatori parebunt.

XI. Duodecim vel plures viri eligantur ex utraque parte, qui feuda, & honorificentias diſtribuant, ſervitia aſſignent, &c.

XII. Feuda hæc libere poſſideantur, & in ea ſuccedant heredes ejuſdem familiæ tam maſculi, quam feminæ, ſalvo jure Imperatoris, & Imperii;

XIII. Reliqua ſervitia, præter ea quæ debent facere Feudatarii, faciet Imperator.

XIV. Nemo qui bellum cum Venetis faciet, recipiatur in Imperium.

XV. Bona fide agatur apud Pontificem, ut pars quæ violarit aliquod horum pactorum, excommunicetur.

XVI. Jurabit Imperator, ſe hæc omnia inviolabiliter obſervaturum;

XVII. Si videbitur aliquid addendum de conſilio duodecim conſiliariorum, ſex ex utraque parte addetur;

XVIII. Dux electo Imperatori non dabit juramentum de ſervitiis præſtandis, ſed ſubſtitutus a Duce dare debebit.

An. D. 1204. Menſ. Martii, Indict. 7.

Balduinus dedit Venetiis Cretam.

Reprehenduntur Crucesignati de capta Conſtantinopoli.

XVI. Ib. §. 7. INNOCENTIUS III. Marchioni Bonifacio I.

Inc. *Vos nullam, &c.*

CRuceſignatos primum quidem coarguit Innocentius, quod arma parata pro recuperatione Terræ S. converterint in captionem Conſtantinopolis;

Tum, quod nec ætati, nec ſexui pepercerint, quod Eccleſias diripuerint, quod altaria nudarint, &c.

Sed Marchionem Montisferrati præcipue caſtigat, quod dixerat, ſe ea permittere de conſilio A. Legati, quod eſt falſiſſimum, Legatum juſſiſſe proficiſci Cruceſignatos Conſtantinopolim, ut reſtituerent juvenem Alexium.

Cæterum in hac everſione Imperii orientalis manifeſto Dei ultio elucet; Græci enim jurantes, & pejerantes, ſe æquales, & etiam ſuperiores Latinis facientes fuerunt merito a Deo puniti, & Latinis ſubjecti.

O altitudo divitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei &c.

Marchionem monet, ut acta contra Dei voluntatem corrigat expeditione ſtrenua in Terram S., & quoniam ab impotentis Tyranni jugo vindicavit urbem Conſtantinopolim, vindicet majore animi alacritate in libertatem Terram Sanguine Crucifixi aſperſam.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Id. Apr. P. a. VIII. a. D. 1205.

Hortatio ad Clericos ut eant Conſtantinopolim.

XVII. B.M. p.3. vel c. 9. p. 35. E.R. c.3. p.1.p.111. INNOCENTIUS III. Archiepiſcopo Rhemenſi S. R. E. Card. Legato, & ſuffraganeis ejus.

Inc. *Vir unus, &c.*

DOnec Eccleſia orientalis ſenſit cum latina ſemper floruit; poſtquam autem proceſſionem Spiritus S. qui eſt caritas negavit, dirupitque cum latina caritatis vincula cœpit in ſingulos dies in pejus ruere.

Imo ut oſtenderet Deus illam reprobaſſe, & latinam diligere, Imperium Græcum ad latinos tranſtulit, *a ſuperbis ad humiles, a ſuperſtitioſis ad religioſos, a ſchiſmaticis ad Catholicos.*

Comparatus fuerat a latinis ingens exercitus, ut Alexium Iſaaci filium reſtituerent in regnum. Jam capta fuerat Conſtantinopolis, jam fugatus uſurpator Alexius, jam Alexius coronatus. Hiemem ſtatuit exercitus ibi tranſigere. Bona male compenſavit Alexius *perfidior Amorrhæis.*

Exercitus ergo Latinus, Græcis adeo ingratis expulſis, eorum terra occupata Balduinum Comitem Flandriæ ad imperium evexit.

Novus Imperator ſupplicavit Pontifici, ut eo mitteret Clericos, nobiles viros, & ignobiles cujuſcunque conditionis, & ſtatus, ſe enim habere, inquiens, quo omnibus ſatisfaciat.

Innocentius ergo hortatur Epiſcopos provinciæ Rhemenſis, ut & Clericos, & laicos *efficaciter* inducant, ut illuc eant.

Hinc ſperare ſe multum, ait Pontifex, ut poſſit hoc modo terræ S. auxilium ferri. Illuc euntibus eaſdem largitur indulgentias quæ dantur euntibus in terram Sanctam.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Cal. Jun. P. a. VIII. a. D. 1205.

Ad Galliæ Epiſcopos, ut Conſtantinopolim mittant Clericos, & libros ritus Latini.

XVIII. Ib. p. 112. c. c. INNOCENTIUS III. Archiepiſcopis, Epiſcopis per regnum Franciæ conſtitutis.

Inc. *Multifarie, &c.*

NOn contemnenda pars Eccleſiæ orientalis, mutato Imperatore, religionem mutavit, & amplexata eſt religionem Catholicam Romanam. Hos fovit Balduinus.

Sed ut eos magis in Catholica religione confirmaret, petiit a Pontifice viros Religioſos de ordinibus Cluniacenſi, Ciſtercienſi, & Canonicorum Regularium.

Poſtulavit etiam, ut mitterentur Miſſalia, Breviaria,

& cæteri libri, in quibus officia Eccleſiaſtica juxta ritum R. Eccleſiæ continentur.

Mandat itaque Innocentius Galliæ Epiſcopis, ut tam juſtis Imperatoris deſideriis obſecundent mittentes & religioſos eorum ordinum, & libros.

D. Romæ apud S. Petrum ut ſupra.

Mitius eidem Marchioni reſpondetur.

INNOCENTIUS III. Bonifacio, &c. XIX. Inn. ep. 59. l. 8.

Inc. *Gaudemus in Domino, &c.*

MArchio miſit ad Pontificem oratorem, qui eum faceret de rebus geſtis certiorem.

Illi operam ſuam pollicitus fuerat in quibuſcumque rebus Pontifex illa uti voluiſſet.

Eum laudat Pontifex, & ex ejus litteris, & oratore magnum ſe percepiſſe gaudium ait, quod videat Marchionem paratum ad ea peragenda, quæ ipſe illi præſcribet, qui quidem non niſi glorioſa Deo, utilia Eccleſiæ, ſalubria toti rei Chriſtianæ illi injunget.

Eum monet, ut in hac voluntate perſiſtat, ut benedictionem a Deo ſibi comparet movendo in Terram Sanctam.

D. Romæ apud S. Petrum die II. Jul. P. a. VIII. a. D. 1205.

Quædam ex pactis initis improbat Pontifex.

INNOCENTIUS III. Henrico Venetorum Duci. XX. Ep. 208.

Inc. *Cum Eccleſiarum, &c.*

DUas ex initio conventionibus Gallos inter, Venetoſque improbat, revocatque Innocentius,

Statutum fuerat, ut e bonis Eccleſiaſticis quadam parte deducta, quæ daretur clericis Eccleſiis inſervientibus, reliquæ ex æquo dividerentur inter utramque nationem. In poſſeſſiones enim has laici nullum jus habere poſſunt, cum ſint bona Eccleſiaſtica.

Illam etiam improbat, qua decernebatur, ut ex illa parte, e qua Imperator non eſſet, aſſumeretur Patriarcha, & ab ejus partis clericis, Epiſcopiſque eligeretur. Hoc enim ſtatuere ad Pontificem ſpectat, non ad laicos.

Eas duas conventiones igitur caſſat, & irritat Innocentius, eaſque obſervari vetat.

D. Romæ apud S. Petrum die II. Jul. P. a. VIII. a. D. 1205.

Imperatori Balduino ſcribit Innocentius de Patriarcha.

INNOCENTIUS III. Balduino, &c. XXI. Lib. 7. ep. 204.

Inc. *Licet nos, &c.*

SIcut conventum fuerat, ut ex ea parte, ex qua non erat Imperator eligeretur Patriarcha, e natione Veneta electus fuerat *Thomas Maurocenus*. Eum ordinavit, conſecravitque Innocentius, pallium ei dedit, pluraque contulit privilegia.

Significat ergo Innocentius Balduino ſe confirmaſſe electionem Thomæ in Patriarcham, licet minus canonica eſſet; eamque confirmaſſe, quia præter nobilitatem maximis virtutibus Thomas fulgebat, certoque certius prævidebat Innocentius, fore ut maxime utilis Thomæ opera Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ futura eſſet.

Eum proinde Imperatori commendat, ut efficiat, ut a clero, & a laicis debita illi præſtetur reverentia, & obedientia, & ut requiſitus a Patriarcha efficacis defenſionis auxilio illi aſſiſtat,

Speret interea dignam a Deo mercedem.

D. Romæ apud S. Petrum die IV. Jan. P. a. IX. a. D. 1206.

In eamdem ſententiam ſcripſit Innocentius ad Henricum Dandulum.

Etiam ad clerum Conſtantinopolitanum ſcripſit, eum monens, ut qua decet reverentia Patriarcham excipiat, illique ut Patri, & Paſtori pareat.

Plurima privilegia Innocentius dedit huic Patriarchæ, ſed illud præcipue, ut ille, & ejus ſucceſſores præferrentur omnibus Patriarchis.

Rescindit Innocentius juramentum de dividendis bonis Ecclesiasticis.

XXII. Ep. 208. Lib. 7. INNOCENTIUS III. Balduino, &c.

Inc. *Serenitatem tuam, &c.*

Licet scripsisset Venetiarum Duci Innocentius, se improbare, & cassare pactum Venetos inter Gallosque initum de dividendis bonis Ecclesiarum, deducta prius congrua portione danda Ecclesiasticis pro earum servitio, etiam ad Imperatorem Balduinum scribit.

Quoniam ea bona legata a piis hominibus fuerunt Ecclesiis, ipse nullum jus in illa habet; vel si empta fuerunt ab Ecclesiis, cum sint Ecclesiarum, eas spoliare sine gravi injuria nequit;

Præterea inserviunt Divino cultui; non possunt ergo in profanos usus converti.

Intuitu igitur illius, qui eum ad imperium sublimavit, ipsius sponsam habens propensius commendatam, ad divisionem ejus possessionum nullatenus procedat, & ipsas ab aliis dividi non permittat.

Quod si hæc pacta sint juramento firmata, juramentum solvit Pontifex, quippe quod factum de re mala non tenet.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Apr. P. a. VIII. a. D. 1205.

Interea temporis Henricus Frater Balduini, se nominans moderatorem imperii Pontifici scripsit quid Fratri suo Imperatori accidisset. Cum audivisset Balduinus rebellasse Græcos Hadrianopoli citatis itineribus cum paucis militibus eo se contulit; Duces exercitus erant per imperium dispersi, ut in officio Græcos continerent. Fœdus inierant Hadrianopolitani cum Calojanne, sive Joannicio Bulgarorum rege; a quo circumventus Balduinus captus fuit, ductus Ternobium in carcerem fuit conjectus. Plerique auctores tradunt eum morte violenta periisse, amputatis manibus, pedibusque dejectum fuisse præcipitem e monte, & ejus ex cranio poculum feciisse Calojannem, quo bibere consueverat. Ad regem tamen pro ejus liberatione scripsit Innocentius. (v. c. De Bulgaria *ex illa.*)

Annos XXXII. habebat Balduinus.

Successit in imperium frater Henricus, qui postulat a Pontifice auxilium, quo possit Græcis resistere.

Suadetur Henrico ut pacem cum Bulgaro faciat.

XXIII. Lib. 9. 22. INNOCENTIUS III. Henrico, &c.

Inc. *Nobilitati tuæ, &c.*

Brevissime scribit Innocentius Henrico, ei consulens, ut pro liberatione Fratris firmam stabilemque cum Bulgarorum rege pacem firmet;

Hæc amicitia potest esse *utrique parti admodum fructuosa.*

D. desunt notæ.

Tunc Duces præcipui Christiani exercitus alii hanc imperii Græci partem, alii illam occupantes aliquot imperia erexerunt Trebizondæ, Prusiæ, Thessalonicæ, &c. qui ut felicius regnarent pacta cum barbaris fecerunt, viresque unitas formidandas fecerunt divisas tenues.

Rescinduntur conventiones factæ inter Venetos, & Patriarcham Constantinopolitanum.

XXIV. Ad ann. 1206. §. 2. INNOCENTIUS III. Patriarchæ Thomæ, &c.

Inc. *Præsentium tibi, &c.*

Regressum ab Apostol. Sede Patriarcham Thomam Maurocenum, morantemque Venetiis ut inde ad suam Ecclesiam se conferret, Veneti coegerunt hæc promittere, & juramento firmare, se servaturum,

I. Se non instituturum in Ecclesia S. Sophiæ in canonicos nisi clericos Venetos.

II. Se exacturum a singulis Canonicis eligendis juramentum, eos non esse electuros, aut recepturos Patriarcham alienæ nationis, sed solum Venetæ,

III. Se non instituturum Archiepiscopos per imperium nisi Venetos cives.

Cum viderentur Pontifici hujusmodi pacta lædere libertatem Ecclesiasticam, & adversari Divino servitio, ad quod promovendi sunt digniores, cujuscumque sint nationis, cum apud Deum non sit distinctio personarum, & etiam opponi æquitati, cum imperium sit divisum ex æquo Gallos inter, & Venetos, ab his conventionibus observandis absolvit Patriarcham,

Absolvit etiamsi eos juramento firmasset.

D. Ferentini XI. Cal. Jul. P. a. IX. a. D. 1206.

Scripsit etiam ad Legatos suos, ut Thomam monerent, ne initis pactis staret.

Sed cum parum profecisset Innocentius, parum Legati, & Patriarcha omnia beneficia Venetis clericis daret, clericorum Gallorum odium in se concitavit, turbæque plurimæ inter utrumque clerum eruperunt, quas prudenter sustulerunt Legati modum conferendi beneficia, & quibus præscribentes,

Confirmantur conventiones inter Henricum, & Patriarcham.

XXV. Ep. 141. Lib. 9. ad ann. 1206. §. 3. INNOCENTIUS III.

Inc. *Cum ad nos, &c.*

Quoniam Galli, Venetique nihil statuerant in conventis a se initis de redditibus assignandis Patriarchæ, Henricus, qui Imperator fuerat electus, & Patriarcha inter se de iis convenerunt: eorum hæc est summa.

I. Henricus de consensu magnatum, Baronum, & militum in compensationem bonorum, quæ Patriarchatus habebat intra urbis Constantinopolis mœnia, quæ renuntiavit Patriarcha, extra muros ejusdem urbis *quintam decimam partem omnium possessionum, civitatum, castrorum, camporum, vinearum, nemorum sylvarum, salinarum passagiorum, teloneorum, piscariarum in mari, & aqua dulci, his exceptis, quæ sunt a porta aurea, usque ad portam Blachernæ infra murum urbis, & mare, &c. dabit,*

II. *De commercio, quod infra Constantinopolim, vel extra nomine civitatis receperint, quantam decimam non dabunt; si in ipsa civitate nomine alterius civitatis, aut loci, vel alibi commercium solvetur quintam decimam dabunt Ecclesiæ,*

III. Etiam de censu, quem solvent civitates annuatim, dabitur quinta decima Ecclesiæ;

IV. Etiam loca, quæ in feudum dabit Imperator, solvent quintam decimam.

V. Ita autem hæc divisio fiet; eligentur boni viri, qui omnium possessionum, &c. divisionem faciant, & assignabunt decimam quintam partem Ecclesiæ; si non convenient de pacto alicujus possessionis, sorte ducetur.

VI. Hæc complebuntur bona fide usque ad Pentecostes diem proxime venturum.

VII. Omnia claustra tam intra, quam extra urbem erunt Ecclesiæ. Si de quantitate eorum quæstio erit, infra octo dierum spatium duo probi viri diriment; jisque non convenientibus assumetur tertius;

VIII. Si pro aliqua necessitate terræ aliquod claustrum erit incastellandum, id fiat de consensu Patriarchæ.

IX. Dabuntur decimæ *Latinorum omnium de blado, legumine, fructibus terræ omnibus, &c.*

X. Dabuntur de nutrimentis animalium quadrupedum, de apibus de lanis.

XI. Si progressu temporis induci poterunt Græci ad solvendam decimam, Imperator sese non opponet;

XII. *Clerici, Ecclesiæ universæ, earum possessiones manentes in ipsis possessionibus, & Ecclesiis, & religiosæ personæ tam Græcorum, quam Latinorum, & morantes cum prædictis, & claustra Ecclesiarum, & habitantes in eis, & qui ad Ecclesiam confugerint liberi erunt ab omni locali jurisdictione, secundum liberaliorem consuetudinem Franciæ, salva in omnibus auctoritate Ecclesiæ Romanæ, necnon, & Constantinopolis, & honore, & jure Domini Patriarchæ, & Imperatoris, & imperii.*

XIII. De terris, quas Imperator acquiret, decima quinta pars assignabitur Ecclesiæ.

Hæc omnia se observaturos, & curaturos *pro posse effectui mancipare* Imperator, & Barones spoponderunt.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Datum Constantinopoli apud S. Sophiam 16. Cal. Aprilis.

Hos

Hos concordiæ articulos sua Apostolica auctoritate confirmat Innocentius, eosque observari præcipit.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

D. Ferentini Non. Aug. P. a. IX. a. D. 1206.

Excitantur principes Occidentales ad ferendam opem Orientali Imperio.

XXVI. Ep. 47. Lib. 9. INNOCENTIUS III. Regibus, Principibus, Prælatis &c.

Inc. *Quoniam non sine, &c.*

Quantum Dei potentia emicuerit in transferendo Imperio Orientali a Græcis ad Latinos primum narrat Pontifex.

Latini erant pauci, non habebant in animo Constantinopolim expugnare, sed legitimum ejus Imperii heredem volebant in Imperio restituere; Græcorum perfidia eos movit, ut eam obsidionem pararent, quam feliciter, & præter spem ad exitum perduxerunt.

Sed eadem Græca perfidia, quæ movit Latinos, Latinos suo Imperatore spoliavit.

Deinde narrat quomodo captus fuerit Balduinus a Blacho; quomodo ejus Frater Henricus fuerit illi datus in Imperio successor.

Hæc perfidia eadem moveat Catholicos Latinos principes ad opem ferendam Henrico, ne tantum Imperium amittatur, & ut puniantur Græci.

A decoro eos movere nititur Pontifex. Indignum enim esset amitti imperium illud a Latinis, quod e Græcis occuparunt,

A facilitate illud retinendi; si enim parva manus illud occupavit, magnus exercitus illud servabit;

Barbari a Balduino sæpius fuere victi; Duces præcipui Latini exercitus sunt iis in partibus rerum militarium peritissimi;

Ab utilitate, quæ in Catholicos principes redundabit, quorum subditis hominibus ea loca commerciis aptissima erunt aperta,

Quæ redundabit in Ecclesiam; ita enim facillime Saraceni a possessione Terræ S. detrudentur.

D. Romæ apud S. Petrum III. Id. Dec. P. a. IX. a. D. 1206.

Adhortamentum ad Henricum, ut leges contra Ecclesiasticam libertatem latas revocet, & ut bona Ecclesiis reddat.

XXVII. Ep. 56. L. 13. INNOCENTIUS III. Imperatori Henrico.

Inc. *Ad audientiam, &c.*

Cum videret Henricus Ecclesias sui Imperii jam satis esse locupletatas, & monasteria affatim divitiarum habere, quia multi mercatores in suo Imperio divites morientes legabant divitias suas merceseque Ecclesiis, & Monasteriis, suis consanguineis præteritis, prævidebatque ita commercium defloresceret, lege sanxit, ne *possessiones possent Ecclesiis, & Monasteriis dona dari, vel legari testamento.*

Idque præceperant etiam alii principes in Oriente.

Præterea cum non posset facile perferre imperii onera, ad quod tutandum pluribus militibus opus erat, quædam Ecclesiarum bona occuparat, quædam onera Ecclesiasticis imposuerat,

Templarios vexabat.

De his rebus certior factus Innocentius, Henricum hortatur, ut legem revocet, quæ Ecclesiasticam libertatem tollit, inducatque alios principes ad eam abrogandam;

Rogat etiam, ut occupata bona restituat, quæ Dei sunt, ejusque ministrorum; videntes alii Orientis principes eum restituere occupata bona, & ipsi restituent, sicut illum occupantem imitati sunt.

Ad Ecclesiastica bona manus extendere non deberes, cum Ecclesiæ sponsus Christus ampliaverit tibi manus, nec gravare debes Ecclesias, quarum credis ministrorum precibus flecti Christum, ut te ab hostium gravaminibus tueatur.

Eum hortatur ne Templarios vexet, quorum fideli opera indigere potest.

D. Later. Non. Jul. P. a. XIII. a. D. 1210.

Indicat Patriarchæ Latinis, ne stent pro Michalitio contra Henricum.

XXVIII. Ad ann. 1210. §. 32. INNOCENTIUS III. Thomæ Patriarchæ.

Inc. *Ex litteris, &c.*

Scripserat Henricus Innocentio, Michalitium oblitum fidelitatis, quam præstiterat, oblitum affinitatis quam contraxerat cum ejus Fratre, cui filiam suam in matrimonium dederat, Comestabulum una cum centum Latinis cepisse, & ex iis quosdam interfecisse, & Comestabulum cum tribus aliis, & Capellano suspendisse in Cruce. Stipatum multis Latinis circumsedisse castra Imperatoris, combussisse villas, non peperciisse Clericis, imo Præsulem etiam capite plexisse;

Præterea Lascharum Imperatorem Nicænum pertrahere ad se plures Latinos, qui avaritia moti cum plura munera accipere ab illo possint, quam a se, ejus partes sequuntur, cepisse quendam de principibus Imperatoris, eumque excoriari jussisse;

Jam Græcos universos favere Saracenis, quibus Isaacius Imperator jam permiserat erigere Constantinopoli Meschitam: si etiam Latini sint contra suum Imperatorem, actum esse de Imperio Orientali, actum de Terra Sancta.

Rogavit igitur Pontificem, ut his malis consuleret,

Qui mandat Patriarchæ, ut indicat omnibus Latinis, ne quocunque modo faveant Michalitio, & Laschario, non opere, non consilio, non commeatu; sed eos continuo deserant, & militent pro Henrico;

Renuentes pœnis Ecclesiasticis innodet.

D. Later. VII. Id. Dec. P. a. XIII. a. D. 1210.

Monetur rursus Henricus non impedire Ecclesiasticam libertatem &c.

XXIX. Ad ann. 1211. §. 24. INNOCENTIUS III. Henrico &c.

Inc. *Licet jam, &c.*

Nec legem latam revocarat Henricus,
Nec bona restituerat Ecclesiis,
Nec a vexandis Templariis desistebat.

Eum ergo iterum monet Innocentius, ut prædicta efficiat.

Ne sit ingratus; videat quanta alacritate, & quam prompte ejus preces S. Sedes exaudierit; ipse quoque ejus admonitiones exaudiat;

Ne maximo suo malo experiri inobedientia velit, quantum auxilii sit sibi detractum, si Ecclesiæ non paruerit.

D. Later. III. Non. Oct. P. a. XIV. a. D. 1211.

Hoc anno moritur Thomas Maurocenus primus Patriarcha Constantinopolitanus Latinus.

Anno 1216. moritur Imperator Henricus. Eligitur Petrus Antissiodorensis Comes, qui evocatur e Galliis ad capessendum Imperium.

Sed cum invitatus fuisset ad Imperium Andreas Hungariæ Rex Socer Petri, & ad eum de hac electione scripsisset, Petrus citatis itineribus Romam profectus se inungi ab Honorio fecit; & Constantinopolim perrexit.

Reddit Pontifex rationem cum Petrum coronavit.

XXX. Ad ann. 1217. §. 6. HONORIUS III. Patriarchæ Constantinopolitano.

Inc. *Qui statuit, &c.*

Qui statuit Deus diversa ministeria Angelorum, diversos etiam gradus dignitatum inter homines constituit. Hinc est, quod omnis potestas est a Deo; unde recte concludit Apostolus resistere Dei ordinationi, qui potestatibus resistit;

Inter has potestates eminet Pontifex Vicarius Christi, in spiritualibus, & Episcopi, eminent Imperatores in temporalibus, Reges, principes.

Sane factum est a Domino, ut ad vacans Orientale Imperium eligeretur Petrus Antissiodorensis Comes. Is cum Romam cum uxore sua Jolanta venisset, opportune, importune rogavit Pontificem ut coronaretur Imperator. Negavit Pontifex, ajens hoc ad Patriarcham Constantinopolitanum spectare; neque se velle, & posse aliena jura usurpare. Sed tandiu, ac tam enixe instiit,

tit, præcipue timens; ne interea aliquod grave periculum imperio immineret.

Sine præjudicio ergo Patriarchæ, *vel alterius, vel contemptu, in Ecclesia S. Laurentii foris muros urbis* Petrum, & Jolantam *solemniter coronavit*.

Non sine divini numinis nutu id esse actum dicendum est. Cornu enim Græcorum, qui Sanctam aspernati sunt hactenus Ecclesiam Romanam, nunc humiliatum est; habebunt enim Imperatorem, qui Romano Pontifici genua flexit, eumque supremum Pontificem agnovit, & ab eo Orientalis Imperii coronam accepit.

Eum Patriarchæ commendat Honorius, ut illi consilio, & opere assistat, ut fidos jubeat illi esse subditos populos.

Sperat, fore ut Petrus bene ad Dei gloriam, imperiique felicitatem regnet.

D. Later. II. Id. Apr. P. a. I. a. D. 1217.

Datur Petro Imp. Legatus A. Comes.

XXXI. Ep. 418. HONORIUS III. Petro &c.

Inc. *Ut eo, &c.*

UT decentius iret Petrus in suum Imperium, ut eodem tempore haberet quicum consilia sua communicaret, & quem consuleret in rebus dubiis, creat Legatum A. Joannem Columnam Presb. Card. t. S. Praxedis Papa.

Decus ingens nobilitas antiquissima gentis addebat Legato, sed longe majus ei veniebat a virtutibus, & a prudentiæ laudibus.

Eum Petro commendat.

D. Later. XI. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1217.

Legato dedit Honorius solitas facultates. Eas vid. t. 1. C. de Legatis AA.

De captura Petris Imperatoris.

XXXII. Ep. 544. HONORIUS III. Regibus, principibus, &c.

Inc. *Nuper ad aures, &c.*

OCcidentalibus principibus narrat Honorius quid de Imperatore Petro acciderit.

Exscribere illud placet ex Jordano. Rayn. ad ann. 1217. §. 11.

Cum recessisset de Roma (Petrus nimirum) *& Legatus A. Sedis Joannes de Columna Cardinalis de Brundisio, in Dyrrachium transiit; Imperatrice autem cum filiabus divertente per mare, ipse Imperator cum Cardinali, & toto Comitatu, recepto Baronum homagio sed proditioso, accepto consilio per terram transiit, & in via cum Theodoro* (Angelo Comneno) *fœdus iniit, a quo proditorie invitatur, & in convivio capitur, & paucis fugientibus, multitudo prostrata &c. Hic Theodorus pro Imperatore se gerebat, quia plus cæteris Emanueli propinquus fuerat, & tenebat totam Zagoram a Duratio usque Marchiam Blachiæ.* Erat Epiri Dynasta.

Amplificat indignitatem facinoris Honorius, & ex consequentibus movere studet Principes ad persequendum Theodorum, qui jura gentium violavit, qui Ecclesiam læsit, qui omnes Latinos insigni affecit injuria.

Si ille imperium occupabit, reputent qualis in Latinos futurus sit, reputent qualem exitum sit habiturum negotium terræ sanctæ.

Arma ergo sumant;

Prælatis mandat ut cruciatam in Theodorum publicent cum solitis indulgentiis &c.

D. Ferentini VI. Cal. Jun. P. a. I. a. D. 1217.

Nominatim etiam scripsit ad Regem Hungariæ, finitimum Græci Imperii, eumque illdem jam dictis rationibus exstimulavit in Theodorum, qui in vincula Legatum, & Petrum, cæterosque itineris socios conjecerat; in quo mortuus Imperator dicitur.

Reprehenditur Theodorus, & ad eum Capellanus Pontificius mittitur.

XXXIII. Ad ann. 1217. §. 13. HONORIUS III. Theodoro Com. Spiritum sanioris Consilii.

Inc. *Rem duram, &c.*

UT decebat, castigat Theodorum Honorius tanquam violatorem jurium, contemptorem famæ, male consulentem rebus suis, contemptorem Ecclesiæ, Deique.

Prudentius egisset, si patrocinium S. Sedis sibi conservasset, quam meminit, ut utilis ejus Fratri Michaeli fuerit.

Alienus est Honorii animus a malefaciendo aliis; sed cum videat tam atrox facinus ab eo patratum, non potest non exstimulare principes, ut illud quocunque modo persequantur.

Si Catholicus esset, cogitasset quantum detrimenti ex hoc facinore passura erat Terra S. quam deberet potius anniti ex infidelium manibus extorquere, quam intercipere eos, qui illam recuperare poterant, & volebant.

Judicet ipse Theodorus, an factum hoc dissimulare Vicarius Christi possit, & inultum esse finere.

Quia tamen benigna est Ecclesia, neque ad aspera descendit, nisi prius mitia, & dulcia adhibuerit, ad eum mittit Andream Capellanum suum, qui illi nonnisi gloriosa, honesta, & utilia proponet. Eum audiat;

Statimque e carcere Cardinalem Legatum dimittat, quicum nullam simultatis causam habere debet.

D. Fer. V. Cal. Jun. P. a. I. a. D. 1217.

Interim accendebat per litteras principes, Venetos præcipue, & Achajæ Ducem, & Archiepiscopis Galliæ scripsit ut novam Cruce-signatorum militiam publicarent sub Duce R. de Conrtenay.

Quia litteræ hujusmodi congruunt cum superius allatis a nobis, eas præterire fuit in animo.

Episcopus Crotonensis jubetur absolvere Theodorum.

HONORIUS III. Episcopo Crotonensi &c. XXXIV. Ep. 838.

Inc. *Illius vicem, &c.*

„ CUm accepisset Theodorus & Gallos, & Venetos, & Hungaros, & Constantinopolitanos arma sumere, ut illatam injuriam ulciscerentur, per „ Episcopum Crotonensem, & Effrem Eremitam animum Pontificis pertentavit, an ad pacem movere „ posset illum.

Proposuit itaque, se liberaturum Legatum, se subjecturum Romanæ Ecclesiæ, & cum illa conjunctionem facere Catholicam Romanam fidem profitendo, se iturum in Terram S. cum militibus pro ejus recuperatione.

Pontifex, cui cordi erant res Terræ S. mandat præfato Episcopo, ut quoniam ad pœnitentiam confugit Theodorus, quoniam ex ejus conjunctione tot, tantaque bona redundatura sunt in Ecclesiam, eum a censuris absolvat;

Non prius tamen absolvat, quin sciverit, Legatum Columnam perveniss Brundusium, aut alium in locum tutiorem, & quin prius acceperit a Theodoro juramentum de adimplendis promissis.

D. Later. II. Id. Jan. P. a. II. a. D. 1218.

Vetent Episcopi Crucesignatis aggredi bello Theodorum.

HONORIUS III. Castellano, & Anconensi Episcopis. XXXV. Ep. 834.

Inc. *Illius vicem, &c.*

„ CRucesignati multi iverant Venetias, multi Anconam, ut impositi navibus transferrentur in „ Epirum pugnaturi contra Theodorum. Multos indul„ gentiæ, plurimos spes prædæ alliciebat.

Sed cum imminens periculum per pœnitentiæ signum avertisset Theodorus, prædictis Episcopis mandat Pontifex, ut nomine Pontificis Crucesignatis, qui in eas urbes confluxerant, ne in Theodorum, ejusque ditionem arma moveant sub Ecclesiasticarum pœnarum interminationes denuntient.

D. Later. XIII. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1218.

Adhortatio ad Theodorum, ut quod promisit opere compleat.

HONORIUS III. Theodoro Duci Comneno. XXXVI. Ad ann. 1218. §. 22.

Inc. *Gratum gerimus, &c.*

LAudat Innocentius Theodorum, quod nuntios AA. humaniter recepisset.

Et

Et quod honorifice Legatum Card. Joannem tractet,

Et quod fateatur, se recognoscere Ecclesiam R. primam, & matrem,

Et quod se subjicere R. Pontifici velit.

Illi scribit etiam, se accepisse e litteris Episcopi Crotonensis, eum juramentum de his rebus servandis præstitisse.

Illum ergo monet Honorius ne sit perjurus.

Re adimpleat quod verbis, scriptisque est pollicitus.

Eum demum orat, ut velit reliquos ex comitatu Imperatoris Petri dimittere, cum quia Innocentes sunt, tum quia nihil ab iis timere potest. Meminerit ita se esse habendum a Christo, ut ipse habuerit pro Christo pauperes.

D. Later. VIII. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1218.

In locum demortui Petri electus fuit ejus filius Robertus in bello timidus, qui usurpata Ecclesiæ jura, bonaque restituit.

Auxilium Pontifex Roberto pollicetur.

XXXVII. Ad ann. 1222. §. 14. HONORIUS III. Roberto Constantinopolitano Imperatori.

Inc. *Imperialis celsitudinis, &c.*

UT erat animi mollioris Robertus, ita ejus imperium factionibus laborabat, neque ipse iis obicem ponere audebat. Rogavit igitur Pontificem, ut auxilium mitteret.

Ac primum quia concordiam cum Episcopis fecit Robertus *per ministerium, & sollicitudinem* Cardinalis Joannis, eum maximopere commendat Honorius; jubetque illum a Deo maxima expectare præmia.

Deinde dolet deprimi imperium, & per factiosos homines turbari.

Illi significat, se mandasse, ut publicaretur excommunicatio contra eos, qui quocumque modo starent pro hostibus imperii contra Imperium,

Mandasse Humberto Comiti de Blandraco, ut veniret cum suis sociis in auxilium Imperii, datis venientibus indulgentiis iisdem, quæ dari consueverunt euntibus in liberationem terræ sanctæ.

Itaque animos sumat Robertus, Deoque fidat.

D. Later. V. Cal. Jul. P. a. VI. a. D. 1222.

Hortatio ad Theodorum, ne vexet Imperatorem Robertum.

XXXVIII. Ib. §. 17. HONORIUS III. Theodoro Comneno spiritum Consilii Sanioris.

Inc. *Licet enormiter, &c.*

PRimum quidem Theodori animum demulcet Honorius, quia honeste egit cum Cardinali Joanne, & eum perhonorifice tractavit;

Testaturque illi Pontifex, se omnia ejus causa acturum, ejusque votis satisfacturum semper.

Deinde, quia acceperat e litteris Imperatoris Roberti, eum sollicitare Græcos, Latinosque ad defectionem, incursiones eum facere in terras imperii, & inde prædas abigere, eum rogat, ut pacem cum Roberto servet; Habeat in mente illud res parvas concordia crescere, ingentes discordia imminui; ne Imperatorem nihil tale merentem vexet.

Neque viribus suis ita ndat Theodorus; dietim enim his excursionibus amittuntur homines; pericula multa imminent, & animarum irreparabilia detrimenta.

D. Later. VI. Cal. Oct. P. a. VII. a. D. 1222.

Erigitur Robertus promissis auxiliis.

XXXIX. Ib. §. 20. HONORIUS III. Roberto &c.

Inc. *Licet in regimine, &c.*

IIs quæ ingrata in Imperio suo adveniunt, concuti non debet Imperator; sed reputare debet, sicut aurum igne probatur, ita adversitatibus probari fortitudinem.

Hæc Deus permittit, ut in illo suam spem collocet, ut ab illo felicia, quæ evenient, agnoscat, illique gratus sit.

Eum autem paterne ad constantiam excitat Honorius; in Deo speret; Apostolica Sedes illi non deerit opportunis auxiliis;

Sed præcipue pacem cum Latinis finitimis servet. Hi æque ac ille odio a Græcis habentur; res quoque eorum agitur servando pacem cum illo.

D. Later. VIII. Cal. Oct. P. a. VII. a. D. 1222.

Hoc anno hostis acerrimus Latinorum moritur Imperator Nicænus; Heredem imperii instituit Joannem Ducassem. Alexius, & Isaacius Lascari conjunctiores sanguine Robertum orarunt, ut auxilium daret recuperando Imperio. Sed exercitus Latinorum ad id paratus victus ab Joanne fuit; Robertique imperium prolapsum est in pejus.

Theodorus Comnenus Demetrium Regem Thessalonicæ vicit, regnoque expulit hoc eodem anno.

De subsidio dando in auxilium Imperii Constantinopolitani.

HONORIUS III. Archiepiscopis, Episcopis, ac religiosis viris Constantinopolitani Imperii Græcis ac Latinis citra Macram. XL. Ad ann. 1224. §. 34.

Inc. *Dilectum filium, &c.*

„ GUillelmus Marchio Montisferrati erat Frater De„ metrii Regis Thessalonicensis e regno expulsi „ a Theodoro Comneno. Ardebat igitur desiderio re„ stituendi in regnum fratrem, & puniendi Theodo„ rum. Quod ut faceret, reparandum erat Constantino„ politanum Imperium, quod Theodorus vexarat, ve„ xabatque.

Jam exercitum collegerat, & in Theodorum irrupisset anno præterito, nisi morbus eum lecto tenuisset defixum. Nunc morbi superata vi celeritate satagit amissum ex morbo tempus recuperare; Et in instanti Martio rem aggredietur strenuissimus Dux.

Pontifex ut hoc pio Guillelmi desiderio obsecundet, prædictos Ecclesiasticos rogat, ut mediam partem bonorum Ecclesiasticorum, quibus fruuntur, dent Guillelmo in substentationem exercitus.

Satius profecto est, bonorum medietatem ad tempus dare, quam perpetuo illa amittere.

Excipit Pontifex ea bona mobilia quæ divino cultui immediate inserviunt, & ea, quorum usus est possessoribus necessarius.

Quod facient Ecclesiastici citra Macram, facient Ecclesiastici ultra Macram, qui idem subsidium Imperatori Roberto conferent, qui acies suas cum Guillelmi exercitu conjunget.

Æquo animo Ecclesiastici ferant quod necessitas facere cogit.

Cæterum iis testatur Pontifex, se effecturum, ut Marchio Guillelmus, ejusque filius, Fraterque Rex jurent, *& obligent terras suas, quod si Dominus restituerit eis regnum Thessalonicense, totum, vel majorem partem restituent Ecclesiasticis, vel eorum Ecclesiis, eorum quæ nunc Marchioni conferunt.*

D. Later. IV. Cal. Dec. P. a. IX. a. D. 1224.

Idem scripsit Ecclesiasticis ultra Macram.

Imploravit auxilium a Ludovico Francorum rege Roberti Consobrino per ejus uxorem Blancham.

Et ab Athenarum principe,

Et a principibus Achajæ, & Negroponti.

Eæ litteræ sunt ejusdem tenoris cum aliis superius allatis. Proinde iis afferendis singulis supersedemus.

Anno insequenti 1225. dum erat pugnaturus, mors generosum Marchionem Guillelmum oppressit.

Robertus Euripum profectus expiravit. Reliquit Balduinum tenellum; qui cum non esset par imperio substinendo datus illi fuit tutor, creatusque ideo Imperator Joannes Rex Hierosolymitanus, qui a Socero Friderico II. Imperatore fuerat regno spoliatus jam octogenarius, vir strenuissimus in bello, hac tamen lege ut filiam suam daret in uxorem Balduino.

Theodorus Comnenus cum movisset contra datam fidem bellum Asani Bulgarorum Regi captus in carcere occubuit.

De Imperatore Joanne.

XLI. Ad ann. 1231. §. 57. GREGORIUS IX. Patriarchæ Constantinopolitano.

Inc. *Licet inopinatæ, &c.*

COmparato exercitu Joannes Hierosolymitanus Rex e Galliis discessit, & Reate venit ad Pontificem, tum Venetias.

Inopinatæ multæ difficultates, semet opposuerunt, cur citius iter facere non potuerit; sed in proximis Calendis Augusti Venetiis solvet, Venetis cum juramento pollicitis, se illum Constantinopolim navibus suis esse deducturos;

Imo fœdus cum Venetis percussit.

Lætetur igitur Patriarcha, & Magnatibus Imperii hæc referat;

Illi commendat Balduinum, cui quocumque modo potest, assistat;

Commendat etiam illi Joannem, cum Constantinopolim venerit.

D. Later. VIII. Id. Maji P. a. V. a. D. 1231.

De insigni Joannis Brenensis Constantinopolitani victoria.

XLII. Ad ann. 1235. §. 53. GREGORIUS IX. Belæ Regi Hungariæ.

Inc. *Sicut pro certo, &c.*

JOannes Ducas, qui & Vatacius dicitur fœdus cum Asane Bulgarorum rege fecerat. Hi Gallipolim usque descenderant, ceperant, *omnes habitatores illius crudeli gladio, differentia sexus, vel ætatis non habita jugularunt: & deinde in forti manu Constantinopolim obsidentes eam credebantur capere, nisi a Deo liberata fuisset desuper adjuvante*; qui victorias admirabiles in veteri testamento relatas renovavit.

Imperator enim Joannes *centum, & sexaginta militibus tantum sociatus contra dictos Græcos cum quadraginta, & octo aciebus procedentes ad bellum certamen aggrediens adversus eos triumphum obtinuit, & ipsorum alios ensi devorandos exposuit, alios, solis tribus aciebus fugæ præsidio liberatis, carceri mancipavit, quando necdum ab hujusmodi reverso victoria vigintiquatuor naves hostium dictam Constantinopolim applicantes, ut eam caperent rapinis, ac incendio devastarent, Constantinopolitanorum civium manibus Dominus tradidit; sed aliquos ex hominibus in eis morantibus fuga velox intercipi, & propinquum receptaculum non permisit.*

Nondum tamen debellati Vatacius, & Asanes, sed e clade majores animos sumentes bellum integrare in animo habent: arma parant, habent delectus strenuos duces magna pacta mercede pelliciunt.

Attendens igitur Gregorius, ex conservatione Constantinopolitani imperii pendere recuperationem Terræ Sanctæ Belam regem hortatur, & orat enixe, ut Joanni auxilium ferat.

Ne permittat illud imperium extorqueri e manibus Latinorum.

Indulgentiam omnium peccatorum iis elargitur, qui Joanni opem ferent.

D. Viterbii XVII. Cal. Jan. P. a. X. a. D. 1236.

In eandem sententiam Gregorius scripsit etiam ad alios principes.

Hungari, & Galli, qui voverant ire in Terram S. euntes in auxilium Imperatoris Constantinopolitani votum solvisse censeantur.

XLIII. Ad ann. 1236. §. 69. GREGORIUS IX. Belæ, & Ludovico &c.

Inc. *Ad subveniendum, &c.*

MUltas sibi esse rationes, cur excitare debeat eos reges ad opem ferendam Constantinopolitano imperio, ait Gregorius;

Periculum summum, quod illi imperio imminet,

Periculum imminens Terræ S. ex ejus amissione,

Apparatus ingentes, quos facit Vatacius,

Vires tenues, quas habet Imperator.

Ad eos autem reges potissimum Gregorius confugit, quos vel affinitas, vel consanguinitas aut cum Joanne Brenensi, aut cum Balduino conjungit. Præter rationem generalem, quam omnes Principes Catholici habere debent succurrendi illi imperio, ii reges habent & hanc specialem.

Ne autem se ab hoc auxilio præstando excusare possint causam adducentes se vovisse auxilium missuros in terram S. de plenitudine A. votum commutat, ita ut mittentes auxilium Constantinopolitano Imperatori satisfeciisse mittendi auxilium in terram S. censeantur.

Addit eos, consequuturos eadem indulgentias opitulando hunc imperio, quas lucrati fuissent Terræ S. auxiliando.

D. Interamnæ VI. Id. Dec. P. a. X. a. D. 1236.

Anno insequenti mortuus est strenuissimus Joannes Brenensis Hierosolymitanus Rex & Imperator Constantinopolitanus.

Laudatur Britanniæ Comes, quod Imperium Constantinopolitanum liberare velit.

XLIV. Ad ann. 1238 §. 2. GREGORIUS IX. Comiti Britanniæ.

Inc. *Gratum gerimus, &c.*

VAtacius ita vastarat agros omnes circum Constantinopolim, omnesque vias intercluserat, ut cito videretur Constantinopolis in ejus esse potestatem cassura.

Britanniæ Comes exstimulatus Gregorii litteris in illius Imperii subsidium comparaverat equitum duo millia, & decem millia peditum.

Sed cum accepisset Gregorius Constantinopolitanum habere multitudinem magnam stipendiariorum, mandat Comiti, ut cum mille & quingentis equitibus, & sex millibus peditum tantum illuc properet; nec enim commeatuum tanta ibi reperiri poterit commode copia, ut tot milites alantur: e gloria, quam sibi apud omnes comparabit, illum accendit ad hunc transitum.

D. Later. Id. Jan. P. a XI. a. D. 1238.

Zacynthi & Cephaloniæ Comes rogatur, ut auxilium Balduino Imperatori ferat.

XLV. Ib. §. 4. GREGORIUS IX. Nobili viro &c.

Inc. *Sicut intelleximus, &c.*

NArrat Pontifex prædicto Comiti ex obsidione Constantinopolis a Vatacio facta caritatem summam rerum omnium in illa esse, de auxilio, quod propediem ferat Britanniæ Comes.

Tum eum rogat, ut aliquod auxilium ipse quoque ad Imperatorem mittat;

Se mandasse, scribit, Moreæ prælatis ut suorum redditum tertiam partem ad Balduinum mittat,

Ipse mittat vel milites, vel pecuniam, vel commeatus.

Ne desit causæ communi.

D. Later. XV. Cal. Feb. P. a. I. a. D. 1238.

Quia Asanes fœdus cum Vatacio contra Balduinum iniverat, in illum cruciatam per Hungariam prædicari mandavit Gregorius.

Hortatio ad Balduinum, ut dimittat jura sua in Hungariam.

XLVI. Ib. §. 10. GREGORIUS IX. Balduino &c.

Inc. *Quia dubitatur, &c.*

BElæ Hungariæ Regi scripserat Gregorius de periculo Imperii Constantinopolitani; eumque hortatus fuerat ut in Asanem Bulgarorum Regem Crucem sumeret; qui responderat, se quidem paratum fore eam assumere; sed quia Imperator dicebat, se habere jura in quædam Bulgariæ loca, non esse adeo imprudentem, ut velit bella ex bellis ferere: Adempta enim Bulgaro loca Balduinus sibi dari postularet; si certus esset, Imperatorem quodcumque jus, quod in illa habet, dimittere, se propediem Bulgariam invasurum.

Gregorius igitur hortatur Balduinum, ut quam citissime potest, sibi significet, se jura hæc dimittere, & se non esse repetiturum loca, quæ Rex Bela in Bulgaria occupabit, promittat.

Jam loca illa sunt in manu fœdifragi Asanis, ea recuperare Balduinus nequit; prudentis ergo est eorum, quæ jam sunt amissa, libera dimissione retinere Imperium.

D. Later. V. Cal. Febr. P. a. XI. a. D. 1238.

Opem pro Balduino poposcit Gregorius a Ludovico Francorum Rege, a Friderico Imperatore.

Irritantur juramenta quæcunque facienda a Balduino in præjudicium Imperialis dignitatis.

XLVII. Ib. §. 29. GREGORIUS IX. Balduino &c.

Inc. *Cum sicut, &c.*

IN suo transitu per Italiam, per quam & per alias Occidentis partes copias contraxerat, Balduinus cum Pontifice collocutus illi dixit, se valde timere, ne in suo transitu per tot regiones cum suo exercitu cogeretur a quibusdam earum regionum dominis aliquod juramentum edere, quod esset in periculum animæ suæ, *& in enormem Constantinopolitani imperii læsionem*; quod tamen dare deberet, ut periclitanti imperio succurreret.

Quare supplicavit Pontifici, ut utrique malo provideret.

Pontifex, qui hanc jurandi facultatem Balduino dederat, *præsentium tenore concedit* illi,

Ut si juramentum hujusmodi a te fuerit violenter extortum, ad observationem illius tanquam illiciti nullatenus teneatis.

Datum Lateran. VI. Id. Dec. P. a. XII. a. D. 1238.

Cum se ad angustias redigi a Vatacio vidisset Balduinus, egressus Constantinopoli se in Gallias contulerat ad Ludovicum Regem affinem suum, & ab illo obtinuerat *Francorum sexaginta millia* anno 1239. Eo pervenit, fœdus iniit cum Bulgaro; irrupit in Imperium Vatacii, ejus classem profligavit. Sed Vatacius iterum ab eo subduxit Asanem, quicum fœdus iniit Vatacius, in quem etiam Hungari impetum fecerant, ut segnius & Latini, & Hungari agerent, cœpit cum Gregorio de suæ Ecclesiæ conjunctione cum Latina agere. Interea reparatis viribus rursus ferocius bellum est aggressus.

Anno 1243. inunctus fuit Constantinopolitanus Imperator Balduinus.

Vatacius occupavit Thessalonicam, & inde ejecit Joannem Comnenum, qui se Imperatorem agebat. Vatacio Fridericus imperator dat filiam suam in uxorem.

Res Imperii Constantinopolitani ruebant in pejus.

Imponitur subsidium pro quibusdam Græci Imperii Provinciis.

XLVIII. Ad ann. 1255. §. 74. ALEXANDER IV. Angolicensi, aliisque Episcopis, &c.

Inc. *Circa negotium, &c.*

IN manus hostium jamjam casuræ erant Achaja, & Morea, nisi præsens auxilium submitteretur, ex quarum suarum provinciarum excidio maximum detrimentum Constantinopolitanum imperium procul dubio percepisset; ex iis enim plurimum emolumenti illud habebat.

Quare, ne hostes iis potiantur, mandat Alexander prælatis Episcopis, ut omnes Archiepiscopos, Episcopos, Clericos beneficiatos, & procuratores Ecclesiarum vacantium, exemptos, & non exemptos moneant, & hortentur, ut *ad conservationem earum regionum subventionem opportunam, & congrua servitia largiantur.*

Tanto facilius movendi essent ad id, quia etiam de ipsorum beneficiorum conservatione agitur. Frustra enim sperant, ea se retinere posse, Romanæ Ecclesiæ hostibus earum provinciarum potitis.

D. Neapoli IV. Non. Jan. P. a. I. a. D. 1255.

Inibi fuit Constantinopolis, ut per proditionem caperetur a Michaele Palæologo, qui malis artibus se Imperatorem Nicænum fecerat an. 1260.

De amissione Imperii Constantinopolitani.

XLIX. Ad ann. 1262. §. 33. URBANUS IV. Ministro provinciali Ord. FF. Minorum in Regno Franciæ.

Inc. *Orta est, &c.*

„ QUassatum adversis bellorum turbinibus, ac diu
„ nutans Latinorum Imperium in Oriente quod
„ inceperat in Balduino I. interiit in Balduino II. Cum
„ Latini annos quinquaginta octo illud tenuissent.

Excidium hujus imperii describit Urbanus præfato Fratri. Michael Palæologus Schismaticus cum perfide occuparet Nicænum Imperium, puellulo Joanni Lascharis ad quem spectabat, & cui ille fuerat a principibus datus tutor, obcœcato, tanto scelere non contentus majora patrare est aggressus. Jam enim concepit animo ejicere per fas per nefas e Constantinopolitano Imperio Latinos. Cum ergo copias Guillelmi de VVillarduin Principis Achajæ fudisset, eumque cepisset victum Constantinopoli appropinquans *proditionaliter eam occupavit, collocans in ea superbiæ suæ sedem in sempiternum opprobrium Latinorum.*

„ Palæologus Alexium Cæsarem Strategopolum jussit
„ cum exercitu in Constantinopolitanum agrum excur-
„ rere. Funesto casu Latini exercitus sui florem Con-
„ stantinopoli una cum Pantaleone Justiniano Patriar-
„ cha eduxerant versus Pontum Euxinum ad obsiden-
„ dam Daphnusiam. Denudata itaque præsidio suo ur-
„ be regia, Græcisque, qui iniquiore animo Latinos
„ sibi imperare ferebant, referta Alexius captata oc-
„ casione in aliquos Græcos incurrens, qui condendis
„ frugibus dabant operam, quique Constantinopoli erant
„ oriundi, eos ad defectionem sollicitat, de statu ur-
„ bis inquirit, instat promissis, si recuperando imperio
„ operam dent. Proditores deliniti promissis spondent
„ se noctu cœsuros esse custodias, & portam, quæ
„ Deiparæ Fontanæ ædes spectabat, effracturos; illi
„ etiam significant cuniculum, per quem quinquaginta
„ armati irrumpere ad excubias trucidandas possent.
„ Ut conventum fuerat, Alexius noctu per cuniculum immittit Græcos, Latinos (hos quoque habebat
„ in suis copiis) & Scythas, qui custodibus interemptis, porta aperta ingressus urbem est. Urbis captæ
„ rumore audito trepidi Latini cives dispersi in Eccle-
„ sias in monasteria confugere. Acies, quæ reverte-
„ bantur Daphnusia, re infecta cum prope urbem es-
„ sent, eam captam acceperunt. Balduinus Imperator
„ se in magnum palatium receperat.
„ Latinus exercitus jam in urbem intrare parabat,
„ cum Græci igne immisso in Latinorum domos prope
„ muros urbis adjacentes, præcipue Venetorum tumul-
„ tum auxerunt. Tunc enim quisque rebus, vitæque
„ suæ consulere, asportare pretiosa quæque ad naves;
„ ex triremibus una in magnum palatium progressa
„ Balduinum pene non vivum recepit.
„ Hæc evenere die vigesima quinta mensis Julii.
„ Fugentium Latinorum numerus tantus fuit in na-
„ vibus, ut præ commeatus inopia bona eorum pars
„ perierit, antequam ad Eubœam appellere possent.

Hæc revolvens Urbanus non potest quin dolore conficiatur.

Quo tot impensæ, tot sollicitudines Innocentii III. Alexandri IV. quo tot indictæ cruciatæ? &c.

Semper fuit quidem Ecclesiæ imperium Constantinopolitanum doloris, amaritudinisque causa, cum semper jurgia ex jurgiis disseminaret, at hoc saltem nunc superarat solatium, illi imperitare Latinum Principem; saltem spes erat, fore ut non ita obstinata in sua pervicacia Ecclesia illa futura in posterum esset. Nunc vero spes omnis evanuit, relapso in Græcum hominem perfidissimum imperio.

Sed non erit contentus Palæologus imperio, nisi etiam provincias illi subjectas occupet, præcipue Achajam, ac Peloponnesum. Jam Achaja infirma est, cum princeps ejus magna strage fuerit victus.

Hæ quoque jacturæ superessent, ut Latinorum dedecus summum esset, dolorque nullo unquam tempore sanandus.

Bene tamen habet, quod Imperator Balduinus, & Dux Venetorum struxerunt fœdus percutere, & summis opibus animis amissum imperium recuperare.

Ne huic pio desiderio, ne his egregiis conatibus Urbanus desit, mandat prædicto Fratri provinciali, ut

per Fratres suos publicari in Franciæ regno Cruciatam faciat pro expeditione Constantinopolitana.

Etiam publicet fidelibus, *quod Venetorum Dux omnes crucesignatos hujusmodi suo potenti navali stolio illuc deferri faciet sine naulo.*

Publicent indulgentias consuetas, &c.

Ii, qui eos Fratres prædicantes audient, dierum quadraginta indulgentiam consequentur.

D. Desunt notæ, an. 1262.

Ad Regem Galliæ de eodem argumento.

L. Ib. §. 19. URBANUS IV. Illustri Franciæ Regi (S. Ludovico.)

Inc. *Si mater, &c.*

ASpectu suo renovavit Pontifici acerbissimum Constantinopolitani imperii amissionis dolorem Imperator Balduinus, qui e tanto fastigio propter proditionem deciderat

Sed eum recrearunt oratores Veneti, testati sine pretio se ducturos esse in Græciam crucesignatos, & conjuncturos arma sua cum Balduino.

Regnabat in Galliis S. Ludovicus, qui adeo pertulerat in expeditione terræ S. qui propinquus erat sanguine Balduino, qui Petro Antissiodorensi Imperatori validissimum dederat exercitum, qui gloriam latini nominis summopere extollere cupiebat, & fidei christianæ amplificandæ æstuabat ardore.

Hæc sciens Pontifex ejus studium de christiana Rep. benemerendi merito Urbanus laudat.

Tum ostendit spem pene omnem in illo esse; ejus regnum florere bonis artibus, strenuis ducibus, refertum esse populo: Benedicturum esse Deum illi, regiæ familiæ, regno toti, si in tanta necessitate Christianæ Reip. non desit;

Se, ait, mittere ad eum Episcopum Agennensem, cui negotium hoc commisit.

Illi narrat, quæ supra retulimus de Venetis.

Vires suas contrahent Pontifices latini, qui in provinciis Græciæ sunt.

Ne velit igitur ille unus esse hujus gloriæ expers; sed sicut nomine, & viribus alios præcedit, præcedat etiam auxilio, & subventione,

D. Viterbii Non. Junii P. a. I. a. D. 1262.

Litteris Palæologi respondetur.

LI. Ad ann. 1263. §. 22. URBANUS IV. Michaeli Palæologo Græcorum Imperatori illustri viam agnoscere veritatis.

Inc. *Imperialis excellentiæ, &c.*

„ IN Principem Achajæ, & in Cyprios expeditionem „ moliebatur Palæologus; tamen scribere voluit Pon„ tifici, vel ut hac arte dissolveret Catholicorum princi„ cipum fœdus, cui resistere desperabat, vel ut ardo„ rem Pontificis in fœdere urgendo aliquantisper im„ minueret.

„ Post effusa amoris atque observantiæ in Pontifi„ cem amplissima verba, confitetur primatum Petri.

Tum dolet Januenses ab Urbano convictos esse anathe„ mate, quod fœdus fecissent cum Græcis contra Latinos.

„ Se totum projicere in sinum Pontificis scribit, tan„ quam filium inter brachia amatissimi Patris, a quo „ si repellatur, Deus, orbisque universus testis erit, per „ se non stetisse, quominus Ecclesia orientalis cum oc„ cidentali arctissimo pacis vinculo uniretur,

„ Hac pace facta, facile discrepantiam rituum cor„ rigi, immutari, conciliarique posse;

„ Se hæc scribere amore pacis ductum, ductum ad„ miratione probitatis, virtutumque Pontificis.

„ Rogavit demum Pontificem, ut mitteret Nuncios „ suos, quibuscum omnia componi possent.

Respondet his Palæologi litteris Pontifex, se distulisse hactenus apocrisarios suos ad Imperatorem mittere propter locorum distantiam, etiam distulisse, quia videt eum non illa facere, quæ verbis se facturum dicebat, nempe se desiderio pacis ardere; bellum siquidem meditatur paratque in Achajæ principem;

Tamen, se missurum ad eum Nuncios suos, ut ille videat, S. Sedem bona mente agere, nihilque optare magis, quam veram, stabilemque concordiam utriusque Ecclesiæ, qui licet sua virtute, sua probitate, sua doctrina satis per se commendentur, eos illi commendat.

Et hac missione collecturum esse illum, cæterosque Græcos Romanam Ecclesiam hoc unum spectare, pacem, caritatemque mutuam; utinam & Græci eodem agerentur spiritu.

Quantum lætitiæ conjunctio hæc toti orbi afferret! Tunc adimpleretur reipsa illud Christi, unum esse ovile suum, unam esse Ecclesiam, unam esse columbam suam, omnesque constare corpus unum, quod est Ecclesia. Quædam affert Urbanus scripturæ loca ad probandum, Ecclesiam esse unam.

Quia autem corpus hoc regi nequit sine capite visibili, hinc Pontifex descendit ad ostendendum Petri primatum solitis argumentis, jam superius allatis;

Quem quidem primatum & Patres Latini, & ipsi Patres Græci agnoverunt, & suis in scriptis confessi sunt. Loca Scripturæ, loca Patrum hunc primatum probantia prætermittit afferre Urbanus, quia nota jam sunt Imperatori;

Caritatem, inquit Pontifex, quam ostendit scriptis Palæologus, stare non posse, nisi hunc primatum fateatur, & hanc subjectionem Pontifici præstet: contra vero Romanam Sedem semper paratam esse vicem Imperatori rependere; illum habere ut filium, in eum viscera suæ pietatis effundere, de rebus illius, ejusque imperio illam habere curam, quæ teneram matrem decet;

Jubet, eum exemplum desumere ab omnibus Catholicis principibus, qui in rebus trepidis in sola Ecclesia tutissimum præsidium habent, ad eam, tanquam in stationem confugiunt.

Experiatur experiatur parumper Imperator an hæc vera sint; liberum illi erit ab Ecclesia recedere cum volet, si falsa invenerit.

Certe dum conjunctus cum Catholica Romana Ecclesia erit ipse, ejusque posteritas, non solum Pontifex latinos socios ab eo non divellet, sicut nunc Januenses ab ejus fœdere revocavit, sed etiam comparabit illi fœderatos.

Ideo autem censuras in Januenses jecit, quia contra latinos veros Ecclesiæ filios stant, quia cum Græcis schismaticis fœdus servantes contra Ecclesiam ipsam matrem suam impetum facere sunt parati, quia cum filii lucis sint, conventionem habere non debent cum filiis tenebrarum; ut docet Apostolus.

Scit, hæc ingrata Palæologo accidere, sed ex hoc ipso arguere ille potest Pontificis amorem; qui non vult ipsius auribus prurire, sed vulnus ipsius detegere, & mederi; in hoc teste Salomone, probitas medici cernitur, in medicina afferenda vulneri, non in tegendo illud. Quoniam caput Ecclesiæ est, sibi dictum putat illud Pauli, *argue, obsecra, increpa*. Vellet, si posset, avertere mala illa, quæ ex dissensione utriusque Ecclesiæ, oriri possunt; dumque mente revolvit qualia quotque ex ea profluxerint ab eo tempore, quo discordia incepit, non potest non gravissimo dolore affici.

Conjunctionem utriusque Ecclesiæ, scribit Urbanus, esse aditum primum pacis constituendæ inter ipsum, suosque hostes; hac facta, pollicetur, se effecturum ut Balduinus conciliandæ pacis conditiones audiat.

Præterire non debet etiam Imperator dogmata fidei, nec ritus Ecclesiasticos, *cum non sit dubium omnem pacem, & concordiam omnem tanquam adjectivum ex hujusmodi debere substantivo consequi.*

D. apud Urbem veterem V. Cal. Aug. P. a. II. a. D. 1263.

Reprehenduntur Castellæ Regni præsules, quod opem ferre Balduino recusent.

URBANUS IV. Archiepiscopis, Ep. in Hispaniis constitutis. LII. Urb. ep. 26. l. 1.

Inc. *Ad nos, &c.*

UT opitularetur Urbanus Balduino in recuperando amisso imperio, vel ut posset ille utilioribus conditionibus pacem inire cum Palæologo, quo validiore exercitu esset instructus, legatis suis in Gallia, Hispania, & Anglia mandarat, ut subsidium e bonis Ecclesiasticis colligerent. Omnes hoc subsidium conferre detrectarunt.

Quos Pontifex graviter reprehendit.

„ Ex iis Pontificiis litteris, selegi eas quas ad Epi„ scopos Hispaniarum misit, cum omnes sint ejusdem „ tenoris.

Ergo cum A. S. Legatus Episcopis in Castellæ regno hoc Urbani mandatum significasset, provocarunt ad A. Sedem; dixerunt, in se, namque regnum nullam ex Balduini in solium restitutione utilitatem redundare, se urgeri majoribus periculis; quippe intus, domi suæ Saracenos habent, Ecclesias suas destitutas esse rebus necessariis, quibus primum providendum est.

Rescribit Pontifex; se legisse in consistorio eorum litteras, renovatumque sibi, & fratribus fuisse dolorem ex iis conceptum jam ex Imperii Constant. amissione; se mandasse legato suo, ut hoc subsidium imponeret, ratum Clerum ejus regni posse ac debere moveri iisdem rationibus ad illud conferendum, quibus ipse motus fuit ad illud imponendum;

Agi hic de summa rerum, de christiana Rep. universa; namque Imperatore Latino Constantinop. imperium tenente progressu temporis sublata fuisset discordia illa, quæ tandiu inter Ecclesiam latinam, græcamque tenet; agi de parte tam magna orbis reducenda ad fidei integritatem; quo quidem nihil fieri potest Christo Ecclesiæ sponso gratius; agi de totius latini nominis decore; pulchrum siquidem erit apud seram posteritatem dici, latinos viribus collatis in ereptum fraudolenter perfideque a Græcis imperium restituisse dejectum Imperatorem;

Falli Hispanos, si ob distantiam locorum putant, nihil utilitatis ex hac restitutione in se redundare; Græci fœdus inibunt cum Saracenis, ne amittant extortum imperium; qui quidem Saraceni eo bello impediti Hispaniam vexare minime poterunt;

Quidquod ab Hispanis adjutus imperator, restitutusque in favorem Hispanorum poterit Saracenos aggredi, & efficere, ut qui Hispanias occupant, inde ad opem ferendam suis dilabantur?

Quidquod imperatore restituto, Romanus Pontifex cruciatam contra Saracenos in Hispania existentes prædicari jubebit?

Cæterum iniqua excusatione usos esse Hispanos, dum provocarunt ad S. Sedem; cum enim viderunt missum in Hispaniam Raymundum Canonicum Paphensem cum litteris Pontificis ad colligenda subsidia, arguere poterant, eum ad id a S. Sede missum, proinde provocationem ad S. Sedem, a qua ille missus erat, esse nullam.

Quare cum nullam justam excusationem adduxerint, ne solverent, eos hortatur Urbanus, ne auxilium conferre differant *scituri pro certo, quod acceptius nobis erit, & gratius id quod de bonis vestris pro subventione hujusmodi libenter duxeritis impendendum, quam si multo majora per coactionem, quæ meritum consuevit excludere, propter hoc solvere vos contingat.*

D. apud Urbem veterem X. Cal. Nov. P. a. III. a. D. 1263.

Mutuæ Palæologi, & Urbani litteræ de concordia utriusque Ecclesiæ.

LIII. Ad ann. 1264. §. 61. URBANUS IV. Palæologo illustri Imperatori Græcorum gratiam in præsenti per quam obtineat gloriam in futuro.

Inc. *Excellentiæ imperialis, &c.*

„ EXpertus Palæologus, quantum virium ad placan„ dum Pontificem haberent bona verba, & con„ fessio primatus Petri, & spes injecta futuræ concor„ diæ, cum accepisset, eum indici sacrum bellum in „ Græcos Achajam ingressos mandasse, ut eum se„ gniorem redderet, stabiliretque suum imperium Con„ stantinopoli duxit illi scribere; ergo

„ Semper Imperator in suis orationibus Deo com„ mendat Pontificem, & Cardinales, eumque enixe pre„ catur, ut concordiam utriusque Ecclesiæ inducat;

„ A qua nunquam abhorruerunt prædecessores Im„ peratores; sed prælati Ecclesiæ Græcæ eos decepe„ runt. Cum enim ad Pontificem mitterent Episcopos „ cum suis mandatis, hi referebant ad Imperatores, „ non quæ Pontifex dixerant, sed ut iis libebat; Apo„ stolicorum legatorum Constant. missorum verba aliter „ ac significabant, deferebant; loca SS. Patrum modo „ suo interpretabantur, decipiebantque imperatores: „ hinc ortum est schisma; his artibus confirmatum, & „ ad nostram usque ætatem progressum est.

„ Sed anno præterito proxime elapso, qui fuit quar„ tus Palæologi imperii, cum audivisset ab Episcopo „ Crotoniensi viro docto, proboque, ab initio unam „ tantum fuisse Ecclesiam, & transplantatam fuisse ori„ ginem Imperatorum Romanorum Roma Costantinop. „ & concordiam viguisse per multa sæcula, & ostendisset „ ille idem sensisse de dogmatibus Patres Græcos, La„ tinosque, scivitque unde nata esset discordia, pœni„ tet summopere se, eam tamdiu intercessisse inter utram„ que Ecclesiam.

„ Quod si illi Imperatores decepti ab Episcopis in „ schismate perstiterunt, culpa carent; at non careret „ culpa ipse, si veritate agnita, adhuc in schismate „ persisteret.

„ Quare ad Pontificem prædictum Episcopum Croto„ niensem mittit *cum litteris fidei suæ Catholicæ non „ ficte sed ex bona conscientia, ex animo Dei amore „ succenso;* ut tandem aliquando hæc optatissima con„ cordia ineatur.

„ Supradictus Episcopus exponet Pontifici, quid ipse „ agat, ut hæc rixarum semina tollantur prorsus.

His Palæologi litteris perfusus gaudio Urbanus, gratias summas supremo numini agit, quod oculos Imperatori aperuerit, quo lumine illustratus videt culpam schismatis conjiciendam esse in Græcos, videt errores suos, eosque odit, & eos corrigere paratus est.

Imperatorem laudat, quod schisma hoc velit quocumque modo tollere; ex hoc uno colligi potest, qui, qualisque vir ille sit.

Quam hoc illi futurum sit gloriosum apud homines, quam gratum acceptumque Deo, illi declarat.

Ad eum mittit Urbanus Aprocrisarios, quibuscum possit inire modos, quibus hæ discordiæ tollantur de medio, paxque coalescat.

Eum rogat ut in optimo suscepto consilio persistat, neque perterreri velit obstaculis, quæ huic tam pio fini obtinendo adversari possunt.

D. apud Urbem Veter. X. Cal. Jul. P. a. III. a. D. 1264.

Ad bellum sacrum incitatur Palæologus.

CLEMENS IV. Viro Magnifico, Palæologo Imperatori Græcorum illustri viam agnoscere veritatis. LIV. Ad anno 1267. §. 66.

Inc. *Si pressuris, &c.*

MAgno se dolore affici ex clade ingenti inflicta Armenis a Saracenis, scripserat Palæologus Clementi.

Rescribit illi Clemens si tantum mœrorem concipit ex Armenorum accepta clade, bellum in Saracenos cladis auctores moveat. Tunc eum laudabit, tunc verum ejus dolorem credet;

Nunc imminet tempus acceptabile, propitiumque hostes fidei domandi, cum Galliarum Rex in eas sit partes iturus cum validissimo exercitu, cum tribus filiis suis; cruce sumpta, & cum primoribus ejus florentissimi regni; conjungat copias suas Imperator cum Gallicis, & opere ostendat verum esse, quod toties verbis, litterisque testatus est, se rebus omnibus Dei honorem præferre.

Si Latinos timet, ne interea temporis imperium aggrediantur, rationem, qua hujusmodi impetum vitare possit, iis ostendet Clemens; se subjiciat Ecclesiæ, concordiam ineat toties jactatam, vetabitque catholicos principes Clemens illud aggredi.

Neque eam excusationem, quam afferre solet, adducat, scilicet *nolle se impingere Clero, & populo, si debita obedientia præstetur Romano Pontifici; cum certo certius habeatur, quod tu in prælatos & in clerum majorem, quam deceat obtines potestatem,* saltem schismaticos evitet, neque iis honores deferat.

D. Viterbii XVI. Cal. Junii P. a. III. a. D. 1267.

Fidei, quam tenet Romana Ecclesia, professio mittitur ad Imperatorem.

CLEMENS IV. Palæologo Imperatori Græcorum gratiam, per quam gloriam obtineat in futuro. LV. Ib. §. 72.

Inc. *Magnitudinis tuæ, &c.*

MIserat Palæologus ad Urbanum professionem fidei simul cum nuntiis; Urbanusque apocrisarios suos miserat ad illum. Hi erant ex ordine Minorum, formula hæc fidei examinata a Clemente, Urbano defuncto, minus recta visa fuit.

Neque idcirco irasci debet Palæologus, si ita Clemens dicit; sicut non debet irasci ægrotus ille, qui sanari cupit, medico dicenti, quo morbi genere ille afflictetur.

In rebus fidei omnia clare, lucide dicenda sunt. Agitur enim de summa rerum, cum de æterna salute aga-

agatur, ad quam fides recta catholica sola ducit, a qua si desiectatur, salus obtineri nequit.

E professione fidei, quam servat Romana Ecclesia magistra aliarum Ecclesiarum, videbit Imperator, an sua fides recta sit, necne.

I. Ergo Romana Ecclesia credit *sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum S. unum Deum omnipotentem, totamque Deitatem coessentialem, consubstantialem, coæternam, & coomnipotentem unius voluntatis, potestatis, & voluntatis, creatorem omnium creaturarum, &c.*

II. *Credit ipsum filium Dei, Verbum Dei æternaliter natum de Patre consubstantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri; temporaliter natum de Spiritu S. ex maria semper virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum, & hominem verum, proprium in utroque natum, atque perfectum; non adoptivum, neque fantasmaticum, sed unum, & unicum filium Dei in duabus, & ex duabus, divina scilicet, & humana naturis; sed in unius personæ singularitate, &c.*

III. *Credit etiam Spiritum Sanctum plenum, & perfectum, verumque Deum ex Patre, Filioque procedentem: coæqualem, & consubstantialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri, & Filio.*

IV. *Credit hanc sanctam Trinitatem non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, incommutabilem.*

V. *Credit Sanctam Catholicam, & Apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur baptisma, & vera omnium remissio peccatorum.*

VI. *Credit etiam veram resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gestamus, & vitam æternam.*

VII. *Credit etiam novi, & veteris testamenti legis, ac Prophetarum, & Apostolorum unum esse auctorem Deum, ac Dominum omnipotentem.*

VIII. Propter nonnullorum errores, & propter aliorum malitiam, dicit, & prædicat, eos, qui post baptisma in peccata labuntur, non esse rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum posse veniam consequi peccatorum.

IX. Quod si vere pœnitentes, & in caritate decesserint, antequam dignæ pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis eorum animas pœnis purgatorii purgari, & ad pœnas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia credit;

X. Illorum animas qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eidem exutæ sunt purgatæ, in cœlum mox recipi credit.

XI. *Illorum autem animas qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus paniendas eadem S. R. Ecclesia credit, & firmiter asseverat;*

XII. *Et quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt reddituri de factis propriis rationem.*

XIII. Septem eadem Ecclesia Sacramenta agnoscit,

XV. Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit eadem R. Ecclesia, *tenens, & docens, quod in ipso sacramento panis vere transubstantiatur in corpus, & vinum in sanguinem D. N. Jesu Christi.*

XV. *De matrimonio tenet, quod nec unus vir plures uxores, nec una mulier simul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius conjugum, secundas, tertias, & deinceps nuptias successive licitas esse, dicit, si impedimentum Canonicum ex causa alia non obstet.*

XVI. *Ipsa quoque sacrosancta Romana Ecclesia summum, & supremum primatum super universam Catholicam Ecclesiam obtinens, quem se ab ipso Domino, in B. Petro Apostolorum principe, seu vertice, cujus Romanus Pontifex est successor cum potestatis plenitudine recepisse veraciter, & humiliter recognoscit; sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debet judicio definire ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus appellare. Sed & in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest recurri judicium, & eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarumque prælati, & obedientiam, & reverentiam sibi debent; apud quam sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas, & patriarchales præcipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen prærogativa tam in generalibus conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salva.*

Jam ad hæc fidei credenda capita statuenda non requiritur aliquod generale concilium, cum satis jam fuerint in iisdem conciliis stabilita.

Ea Clemens auctoritatibus Patrum non confirmavit, quia minime opus erat: sed si Imperator ea confirmata auctoritatibus patrum videre volet, in prono erit illi in hoc satisfacere.

Quod si de quibusdam capitibus dubitet Imperator, mittat oratores suos, dubiisque Clemens plenissime satisfaciet.

Efficiat igitur Palæologus, ut hæc a suis Clero, & populo credantur, & fiat concordia, ad quam confirmandam œcumenicum habebitur concilium, in quo de iis etiam capitibus disputabitur, quæ videri controversa Imperatori, & Græcis poterunt.

D. Viterbii IV. Non. Mar. P. a. III. a. D. 1267.

Magister ord. Prædicatorum eligat idoneos fratres mittendos Constantinopolim.

CLEMENS IV. Umberto Magistro Gen. ord. FF. Prædicatorum. LVI. lb. §. 8.

Inc. *Cum nos, &c.*

POllicitus Clemens fuerat, se missurum ad Imperatorem apocrisarios suos viros doctos, probosque.

Ergo mandat supradicto Magistro, ut eligat, *qui testamenti scientia polleant utriusque, & ingenio nihilominus prædito naturali; nec sint in gestibus incompositi, nec in responsione præcipites, sed exacta potius gravitate laudandi, sciant in tempore proferre sermonem, & eorum jactantiam, quorum scientia multum est tenuis, æquanimiter tolerare.*

Cæterum cum non sint hi apocrisarii disputaturi cum Græcis, Magister potest eos eligere e fratribus Italis;

Præterquamquod etiamsi cum Græcis esset disputandum, *rationes Græcorum quibus errorem suum fulciunt, sunt baculis arundineis innitentes*, quas quilibet potest labefactare.

D. Viterbii V. Id. Junii P. a. III. a. D. 1267.

Ad conjunctionem faciendam invitatur Michael Palæologus.

LVII. Ad ann. 1272. §. 25.

GREGORIUS X. Michaeli, &c.

Inc. *Qui miseratione, &c.*

SCripserat Michael Pontifici sibi nihil magis cordi esse quam facere concordiam, rogaveratque Pontificem, ut vellet eligi arbitrum Galliarum Regem (erat S. Ludovicus.)

Non minori desiderio faciendæ concordiæ se æstuare scribit Gregorius Imperatori. Jamdiu hoc promittit Imperator: jam putabat Gregorius, nunc eam factam fuisse; ultro enim citroque missi legati fuerant, sed maximo cum animi sui dolore eam adhuc infectam videt. Quare nil restat aliud nisi ut illam a Deo bonorum omnium datore petat, ita ut Imperatorem moveat ad eam perficiendam.

Flures exquisivit Pontifex Cardinalium consilium, quænam potissimum esset adhibenda ratio, ut quies daretur Ecclesiæ. Omnesque censuerunt esse indicendum generale concilium, in illo decernetur quid sit agendum in reparationem terræ S. in illo quænam sit ratio brevissima hujus concordiæ ineundæ.

Accepit Pontifex litteras Imperatoris cum ejusdem Nuncio, a quo certior factus fuit de zelo; quo Michael accenditur hujus pacis constituendæ. Verba Nunchael accenditur hujus pacis constituendæ. Verba Nuntii congruunt cum litteris Regis. Proinde non potest commendare, non illum orare, ut in proposito hoc perstet.

Prudenter Ludovicus egit, cum noluit hujus concordiæ esse arbiter. Et sane ad illum negotium hoc nullo modo spectare potest, cum spectet unice ad S. Sedem. Instabat tamen ipse cum Legato Ap. Episcopo Albanensi, ut S. Sedes maturaret hoc negotium perficere; sed cum tunc vacarit Pontificia Sedes, cumque fato functi fuerint Rex, & legatus, intermissa res fuit.

Ne propter moram hanc inopinatam discedat a suo proposito Imperator.

Ut autem profecuntio tractatus sit facilis, breviorque

que, prius agendum erit de rebus fidei, quibus conciliatis agetur de rebus imperii.

Repetit, quæ acta fuerant sub prædecessore Clemente, de nunciis missis remittisque, de formula fidei;

Reconciliatione facta pollicetur Pontifex, se celebraturum esse generale concilium.

Interim mittit ad illum nuncios, quos rogat Imperatorem, ut humaniter eos recipiat, eosque audiat,

Demum sibi persuadeat Imperator nullum facinus gloriosius, Deoque gratius se patrare posse, quam utramque Ecclesiam conciliare.

Peracta conciliatione hac, multo facilius ad pacem cum illo percutiendam inducentur latini principes; videbunt enim se agere cum filio Ecclesiæ.

Eum rogat ut Apocrisarios Pontificis certiores faciat quam citissime possit de concordia hujusmodi, quam maxime desiderat fieri, antequam inchoetur concilium, ut in illo omnia disponantur, quæ ex ea consequuntur.

D. apud Urbem vet. IX. Cal. Nov. P. a. I. a. D. 1272.

„ Tum Pontifex Carolo Siciliæ Regi scripsit, Palæologum velle concordiam Ecclesiæ Græcæ cum Latina facere; & mittere ad concilium legatos suos, eum „ oravit, ut iis salvum-conductum daret. Carolus erat „ fœderatus Balduini; & Palæologum aggressus fuerat, ejusque copias fuderat.

„ Etiam ad Venetos scripserat, qui erant Balduini „ socii de hac conjunctione Ecclesiæ Græcæ, eosque rogaverat, ne cum Michaele pacem vel inducias faicerent se inscio

Respondet Pontifex Imperatoris litteris.

LVIII. Ad ann. 1273. §. 50. GREGORIUS X. Magnifico viro. &c.

Inc. *Litterarum series, &c.*

„ NUllum gaudium tantum, tamque optatum se percepisse unquam, testatur Imperator quam „ cum legit ejusdem epistolam (estque proxime præcedens.) Primo quia habet epistolam testem amoris Pontificii, cujus primatum agnoscit, in se, in „ suos, in Imperium; deinde *quia pacem christianitatis, & plenitudinis unionem ipsa epistola deifice denotabat.*

„ Iis litteris, se magis magisque invitatum fuisse, „ ait, ad perficiendam conjunctionem, ex qua videt „ plurima bona esse derivanda in se, suumque populum.

„ Queritur longo tempore opus esse ad eam faciendam; cum prælati vocandi procul absint, cum no„ va quotidie emergant obstacula superanda patientia, „ ac dexteritate.

„ Non pauci quidem fuerunt, suntque adhuc, qui „ hanc pacem perturbare vellent, nullumque non lapidem movent, ut eam interrumpant. *Beatitudo autem vestra, sanctissime Domine non aliter de nobis „ recogitet, nec aliquam hæsitationem habeat de consummatione negotii;* ad quod cooperatione Spiritus „ Sancti deveniet.

„ Pace hac facta, exitium inimicis crucis imminet, „ *expugnatio, & totalis destructio* (innuit Saracenos.)

„ Certiores faciat Pontifex Patres Concilii, unionem „ hanc esse faciendam; uniendos esse Græcos prælatos, ut ea constituatur.

„ Quoniam autem missurus est ad Pontificem, & ad „ Concilium oratores suos, æquum est Pontificem con„ sulere eorum tuto itineri euntium, & redeuntium.

„ Aliis etiam litteris admonuit Imperator Gregorium, „ se missurum ad illum, & ad Concilium oratores, „ cum salvos-conductus principum habebit. (apud Rayn. „ ib. §. 44.)

E litteris Imperatoris se cepisse summam lætitiam, rescribit Gregorius, cum quia videt eum perstare constantem in suscepto concordiæ negotio, tum quia facto ipso redarguit quorundam hominum dicteria blaterantium, Græcum Imperatorem non ex animo velle concordiam hanc, sed dare verba, & ex arte causas unas ex aliis nectere, ne illam perficiat.

Qua quidem re quid turpius Imperatori exprobrari posset? quibus sermonibus semet exponeret? quantum de ejus nomine ita glorioso detraheretur a malevolis?

Hæc accipiat Imperator e paterni animi redundantia, *de paterna dulcedine*. Scit enim Pontifex illius constantiam.

De oratorum Imperatoris securo conductu jam providebit Pontifex; abjiciat Imperator curam hanc, eosque cum libuerit mittat.

Philippus Constantinopolitanus Imperator rogatur salvum-conductum dare Oratoribus Michaelis.

GREGORIUS Philippo, &c. LIX. Greg. ep. 14. l. 2.

Inc. *Quoniam nos, &c.*

MOrtuo Balduino II. Constantinopolitano Imperatori substitutus fuit Philippus Gener Caroli Siciliæ Regis filius Balduini; vir Catharinæ filiæ eiusdem Caroli, cui Imperatoris inane nomen datum fuit.

Cum dubitaret Pontifex, ne is posset intercipere oratores Michaelis, eum rogat,

Quatenus ejusdem Palæologi nuntiis ad concilium destinandis patentes litteras de plena & pro personis, familiis, & bonis suis in eundo, morando, & redeundo assecuratione concedat, & a suis, si ad eos quandocumque pervenerint, mandet, & faciat decenter tractari.

D. Lugduni XII. Cal. Dec. P. a. II. a. D. 1263.

Redit ad Ecclesiam Romanam Imperator Michael.

GREGORIUS X. Michaeli, &c. LX. D. M. t. 1. p. 153. B. R. t. 1. p. 2. p. 11. C. C.

Inc. *Exultet mater, &c.*

MIserat Michael Imperator nuntios suos ad Pontificem, qui præsidebat Concilio Lugdunensi, cum litteris, in quibus dicebat, se accepisse nuncios Pontificis cum professione fidei (estque eadem, quam miserat Clemens IV. V. S. *Magnitudinis tuæ &c.*) & *oportebat in his magis responsionem convenientem nos facere, ecce hoc facit imperium meum.*

Professio est eadem ac supradicta Clementis, quam verbo ad verbum Imperator exscripsit. Est in B. M. p. 154. in R. p. 12.

Supplicat in iisdem litteris Imperator, ut liceat Ecclesiæ Græcæ canere symbolum sine adjectione *filioque*, & ut liceat servare ritus antiquos non adversantes Conciliis, Patribus, Scripturæ. *Hoc non est grave vestræ sanctitati, nec insuetum, & nobis tunc difficile propter infinitam multitudinem populi.*

Commisimus autem super his præsentibus nunciis Imperii nostri, ut dicta per præsentes litteras nostras confiteantur, & affirment vice Imperii nostri coram magna sanctitate vestra.

Præsens igitur scriptum de nostra recognitione, susceptione, acceptatione, & professione propria manu nostra Dei gratia Imperiali subscriptione signavimus, & sigillum nostræ potentiæ inferius appendi fecimus, &c.

Lætitiam suam, totiusque Ecclesiæ significat Imperatori Gregorius, e concordia Ecclesiæ Græcæ cum Latina, quam Imperator sponderat.

Tanti gaudii, quo perfunditur, quo certo scit perfundi Christum ipsum Ecclesiæ sponsum, magnitudinem nequit vocibus explicare Gregorius.

Si potuisset Imperator voces audire omnium prælatorum Deum laudantium flexis genibus, capitibus discoopertis, extollentiumque Imperatoris nomen *& cum quanto jubilo ejus professio fuerit acceptata*, ipse quoque non minori lætitia fuisset affectus.

Exultet ergo, gratiasque Deo agat, quod sui labores ejusmodi consequuti sint effectum bonis omnibus lætissimum.

Eum rogat, ut perstet in proposito, ut curet non regressos hactenus ad concordiam redire.

De Imperatoris postulatis aget Pontifex cum illius oratoribus, qui instructi ad urbem regiam rediburt.

D. Lugduni V. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1274.

Ad persistendum in unitate incitatur Imperatoris filius.

GREGORIUS X. Andronico primogenito, &c. LXI. Ibid. lb. C. C.

Inc. *Habes fili, &c.*

ETiam filius inclyti Patris tanti gaudii debet esse particeps, qui parentis sequitus glorioſum exemplum toti Ecclesiæ insolitæ lætitiæ amplissimum segetem dedit

Operam ab Andronico collatam in hujusmodi concordia facienda Deus compensabit abunde.

Perstet

Perſtet in optimo incepto propoſito, efficiatque, *ut antiquati ſchiſmatis omnino deleantur reliquiæ, ſitque Latinorum, & Græcorum unitas perpetuis temporibus inconcuſſa.*

D. ut ſupra, &c.

Anno 1275. Pontifex per Abbatem Montis Caſſini fœdus conciliavit inter ipſum Imperatorem, Carolum Siciliæ regem, hujuſque generum Philippum.

Miſit poſtea oratores Michael ad Gregorium cum litteris, quibus approbabat, quod geſſerant ſui oratores in Lugdunenſi Concilio, miſitque etiam novam abjurationem ſchiſmatis.

LXII. A. 1277. 6.30.&11. Sed interea temporis mortuus Gregorius X. fuerat; ſubſtitutus Joannes XX. dictus XXI. Oratores excipit, litteraſque Imperatoris, Earum ſumma hæc eſt:

I. AGnoſcit, confiteturque primatum Romani Pontificis ſuper omnes Prælatos,

II. Gratias Deo agit de ſublato ſchiſmate, quod in perniciem imperii introductum fuit;

III. Extollit Gregorii X. ſollicitudinem in procuranda hujuſmodi concordia, & de nuntiis ab eo miſſis;

IV. Funera Romanorum Pontificum deplorat, quorum unum poſt aliud intra paucos dies evenit; (Innocentii V., & Hadriani V. quorum Pontificatus fuit dierum triginta ſeptem.)

V. E quibus tamen funeribus nullum percipit detrimentum Eccleſia, eam dextera excelſi protegente,

VI. Filium quoque ſuum laboraſſe pro hujuſmodi concordia, ſcribit Imperator;

VII. Eam fovet, eam curat etiam Patriarcha (Joannes Beccus) catholicus ſubſtitutus Patriarchæ Joſepho ſchiſmatico exauctorato.

VIII. Mittit ad Pontificem nuntios, quorum pietatem, ſedulitatemque in inducenda conjunctione laudat.

IX. Orat Pontificem, ut hanc concordiam ſtabilem firmamque velit eſſe.

X. Mittit abjurationem ſchiſmatis.

A. 1277.

Etiam Andronicus Michaelis filius ſucceſſurus in imperium ad Pontificem ſcripſit;

I. Cui exponit quantum diligentiæ, laboriſque inſumpſerit, ut ſchiſma tolleretur,

II. Quam glorioſa ſit hæc Eccleſiarum conjunctio,

III. Quæ facta fuiſſet citius, niſi bellum, quod geſtum fuit contra Turcas, qui quaſdam provincias imperii occuparant, fuiſſet interpoſitum;

IV. Eam diſtulerunt etiam quidam mali homines; ſua enim intererat ſchiſma vigere;

V. Se teſtatur paratum facere, quidquid Pontifex mandabit;

VI. Pontificis orationibus ſe commendat, teſtatus ſe viribus omnibus eſſe annixurum, ut concordia hæc firma ſemper ſit, & inconcuſſa.

Horum defectio tanto eſt turpior cenſenda, cum tam ſancte polliciti fuerint, ſe ſemper concordiam eſſe ſervaturos.

Suam electionem ſignificat Nicolaus Imperatori.

LXIII. Ib. §. 58. NICOLAUS III. Imperatori, &c.

Inc. *Nuper felicis, &c.*

MOrtuo Viterbii ex caſu cubiculi, in quo erat, Joanni XXI. ſufficitur Nicolaus e nobiliſſima Urſinorum familia.

Sicut electionem ſuam ſignificarat aliis regibus, principibuſque, ita eam notam facit Græcorum Imperatori.

Aliquandiu Cardinales diſcordia tenuit, quis eſset eligendus in Pontificem; ſed tandem unanimes conſenſerunt de illo eligendo, elegeruntque die S. Catharinæ ſacro. Erat antea Cardinalis Diaconus tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano.

Diu delatum honorem recuſavit, cui ſubſtinendo ſe imparem prorſus videbat.

Tandem ceſſit conjiciens ſpem omnem ſuam in Deum, a quo ſperat auxilium in munere tanti momenti.

Imperatorem laudat, quem perſtare in facta concordia, & allicere ad eam omnes hortatur.

D. Romæ apud S. Petrum P. a. I. a. D. 1278.

Reſpondit Nicolai litteris Imperator:

Se ſatis verbis explicare non poſſe, quantum gaudii perceperit ex ejus electione in Pontificem;

Se jam ſperaſſe, eum fuiſſe eligendum, gratiaſque Deo agere, cujus nutu illa electio facta eſt; ſperaſſe, quia norat ejus doctrinam, cujusque pietatem;

Se, ſuoſque, imperiumque ſuum Nicolao commendat.

Remittit ad illum Pontificios nuntios,

Cunctaque illi proſpera a Deo adprecatur.

Gratulatur Pontifex Imperatori de ejus ſtudio ſervandi concordiam.

NICOLAUS III. Imperatori, &c. LXIV. ad ann. 1278. §. 2.

Inc. *Sicut ex litterarum, &c.*

PEr Nuntios ad Pontificem miſſos Michael confirmavit concordiam, & in litteris teſtatus eſt Pontifici ſuum obſequium, & ſe adhibiturum diligentiam omnem, ut clerus, populuſque univerſus concordiam acceperet,

Ex Imperatoris litteris, reſcribit Pontifex, clare elucet ejus decus, & gloria; quo enim difficilius opus fuit, eo major ex illo confecto laus in Imperatorem redundat.

De quo illi ſummopere gratulatur.

Legit Pontifex maximo cum ſui gaudio in iis litteris *laudabilem* Imperatoris *effectum veræ, catholicæque fidei, recognitionem primatus Romanæ Eccleſiæ, ſuſceptionem debitæ obedientiæ, abjurationem ſchiſmatis.*

Quæ omnia quam grata Pontifici acciderint, ipſe Imperator conjectare poteſt ex eo ardore, quo tandiu Romana Eccleſia hæc deſiderabat, & pro obtinendo adeo laboravit.

Sane hæc concordia omnibus Chriſti fidelibus ſummæ lætitiæ cauſa eſt; cunctique, & ſinguli prudentiam, zelum, probitatem Imperatoris meritis laudibus extollunt, & magnifice de illo prædicant.

Urgeat igitur opus Michael, neque deſiſtat cum filio ſuo, donec negotium ad optatum finem pervenerit.

Ut facilius omnia peragere poſſit, habeatque quibuſcum conſilia communicet Imperator, ad eum Nicolaus mittit Nuntios Epiſcopum Groſſetanum, & tres Fratres Minoritas.

Apocriſariorum Imperatoris in Romana Curia mora nata eſt e ſedis vacatione.

D. Viterbii Non. Oct. P. a. I. a. D. 1278.

De navata opera concordiæ faciendæ Pontifex Andronico gratulatur.

NICOLAUS III. Androdico Primogenito Imperatoris, &c. LXV. Ib. §. 5.

Inc. *Age fili, &c.*

EXpectet ſibi a Deo *immenſa* beneficia Andronicus e ſuis curis impenſis in concordia inducenda.

Præclara, & Deo gratiſſima ſuæ juventutis dedit incrementa, cum Deo dedit tot animas, quæ periiſſent, ſi perſtitiſſent in ſchiſmate.

Eum laudat, quod plura aveat facere pro hujuſmodi conjunctione, eumque hortatur, ut ea peragat.

Eccleſia genitori, filioque ubicumque, & quandocumque occaſio ſe dederit, ſe gratam præbebit, ſecuritatique ejus imperii conſulet.

Ei ſignificat ſe miſiſſe ad ejus Patrem nuntios, quos illi commendat.

D. ut ſupra.

Mandata commiſſa Nuntiis ituris Conſtantinopolim.

NICOLAUS III. Nuntiis, &c. LXVI. Ib. §. 9.

Inc. *In commiſſi, &c.*

HÆc mandata dedit nuntiis ſuis ituris Conſtantinopolim pro negotio concordiæ Pontifex:

I. *Petenda eſt ab Imperatore multiplicatio litterarum ſuper profeſſione fidei, primatus recognitione, & obedientiæ ſponſione, hoc tamen mutato, ut non ſcribatur felicis record. Gregorio X. ſed Nicolao III. Ad hujuſmodi autem mutationem non eſt importune inſtandum, ſed ita ſi de plano poſſit haberi.*

II. Cum

II. Cum Patriarcha; & Prælati miſerint quidem Romam profeſſionem fidei, ſed non ediderint eam; quæ a Clemente IV. fuit ad Palæologum miſſa (v. ſupra *Magnitudinis tuæ, &c.*) perſuadeant Imperatori, ut cogat prælatos eam edere, quoniam ut idem Imperator ait, hoc negotium a ſe totum pendet;

III. Rogavit Imperator, ne adjectio verbi *Filioque* in ſymbolo decantaretur. Illi oſtendatur, id non poſſe concedi, cum debeat, præcipue in ſymbolo fidei unitas apparere, *quæ* quidem *unitas non patitur diverſitatem.* Vult autem Romana Eccleſia, ut illa adjectio in utraque Eccleſia decantetur.

IV. Concedant obſervantiam ejus Eccleſiæ rituum, per quos integritas fidei non lædatur.

V. A Patriarcha, & a præſulibus exigant juramentum formulæ, cujus exemplum hoc eſt.

Ego N. Prælatus fidei veritatem (præmiſſa lectione formulæ Clementinæ *Magnitudinis, &c.*) *prout plene lecta eſt, & fideliter expoſita, veram, ſanctam, Catholicam, & orthodoxam fidem eſſe regnoſco: eam accepto, & corde, & ore profiteor, ipſamque, prout veraciter eam tenet, & prædicat Sacroſancta Romana Eccleſia, me inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum; nec ab ea ullo unquam tempore receſſurum, quoquo modo deviaturum, vel diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur ad ipſius Eccleſiæ obedientiam ſpontaneus veniens, fateor, recognoſco, accepto, & ſponte ſuſcipio: & me omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem Eccleſiæ Romanæ primatum, & ipſorum recognitionem, ſuſceptionem, obſervantiam, ac perſeverantiam ſervaturum promitto. Manualem inſuper reverentiam, & obedientiam vobis nuntiis Sanctiſſimi Patris Domini Nicolai III. divina providentia Summi Pontificis, & ipſius Eccleſiæ Romanæ ex nunc exhibeo, & me ab illis nullo unquam tempore receſſurum corporaliter præſtito juramento promitto, & confirmo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

VI. Si Patriarcha, & Prælati, ne jurent; adduxerint aliquam conſuetudinem non jurandi, ne illam Nuntii admittant; cum conſuetudo hæc dari non poſſit, *cum nunquam caſus ſimilis acciderit.*

VII. Contra prædictam profeſſionem Clerici non prædicent, vel occulte ſuadere præſumant, quinimmo ſtudeant ſuis populis veritatem prædicare, & cantent ſymbolum cum additione *Filioque.* Curent Nuntii exigere a prælatis idoneas ſecuritates, & cautelas in prædictis poſſeſſionibus, & recognitionibus.

VIII. Satius erit, nuntios ad loca frequentiora, & celebriora Imperii ſe conferre conjunctim, vel diviſim, & profeſſiones ſimiles in iiſdem locis *cum ſolemnitate, & obſervatione recipiant. Et de hujuſmodi poſſeſſionibus, & recognitionibus fiant publica inſtrumenta.*

IX. Nuntii inſinuent Græcis, mirari Eccleſiam Romanam, nondum Imperatorem, & prælatos petiiſſe a S. Sede abſolutionem a cenſuris in quas incurrerunt ob ſchiſma; inde occaſionem captent inſinuandæ Imperatori, ut Cardinalem Legatum petat cum ſumma auctoritate ad perficiendam conjunctionem; expiſcentur, quibus juribus ornatum, & qua ratione exciperent.

X. Inſinuent etiam, *mirari Eccleſiam Romanam, quod Patriarcha, & alii Prælati poſt profeſſionem eidem factam, recognitum, & ſuſceptum primatum Eccleſiæ R., ac obedientiam promiſſam eidem ſuper confirmatione ſtatus ſui, nullam profeſſionem petere curaverint.*

XI. Attendant Legati quid reſpondere debeant Imperatori, ſi poſtularet; ut quidam excommunicarentur. Gregorius X. dederat duobus ſuis Nuntiis facultatem, quam etiam confirmarat Innocentius IV. excommunicandi eos omnes, qui ſe conjunctioni faciendæ opponerent, qui eam quocumque modo impedirent. Palæologus tamen requiſivit a Legatis, ut Philippum Imperatorem Conſtantinopolitanum, & Carolum Siciliæ Regem innodarent cenſuris, tamquam impedientes hanc conjunctionem. Legati nunquam in hoc voluerant Imperatori obtequi varias prætexentes cauſas. Non enim Philippus, & Carolus ſe opponunt directe conjunctioni, ſed bellum habent contra Palæologum pro terris Imperii, quod illud ei moviſſent, etiamſi omnes ejus ſubditi eſſent Catholici.

D. an. 1278.

Ceterum graviſſime Græci ferebant, Imperatorem hujuſmodi conjunctionem cum Eccleſia Romana feciſſe, & quidam contra illum conjurarunt.

Palæologus excitatur ad pacem.

NICOLAUS III. Palæologo, &c. LXVII. Ib. §. 15.

Inc. *Ex more, &c.*

SOllicitabant ad defectionem a Palæologo Carolus Rex Siciliæ, ejus Gener Philippus Imperator Conſtantinopolitanus provincias Palæologi Thebas, Athenas, Nigropontum, ſive Eubœam, & Peloponneſum. De Carolo intignem retulit victoriam Palæologus.

Joannes XXI. timens, ne hæc diſcordia in cauſa eſſet, cur Græci alienarentur a facienda conjunctione, vel qui eam fecerant, ne ab illa recederent, ſcripſit Imperatori, ut pacem componeret cum Carolo, vel ſaltem inducias ad aliquot annos; illique ſignificavit paterne, quid ab eo poſtularent Carolus, & Philippus. His Joannis litteris numquam reſpondit Palæologus.

Idem timens Nicolaus ſcribit de hac pace, vel de his inducis Imperatori, eumque rogat, ne negotium conjunctionis Eccleſiarum retardetur, ut cum Nuntiis Pontificiis agat vel de illa, vel de his;

Illi etiam mandat, ſi minus conditio hæc illi arridet, ut mittat intra menſes quinque ad Sanctam Sedem viros prudentes, quibuſcum Pontifex rem tranſiget.

Eum rogat ne huic tam bono operi deſit.

D. Viterbii Non. Oct. P. a. I. a. D. 1278.

Anno 1280. Andronicus juſſu Patris ſui miſit ad Nicolaum iterum profeſſionem Fidei factam ab ipſo Imperatore *Credimus Sanctam Trinitatem, &c.* ſubſcriptam a Patre, eodem modo fuerat lecta in Concilio Lugdunenſi; expreſſitque nomen Nicolai III. pro Gregorio X. ſicut ſtudere juſſi fuerant Pontificii Nuntii, ut faceret Imperator.

Excommunicatur Michael Palæologus Imperator, quod receſſerit a conjunctione.

MARTINUS IV. Ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum. LXVIII. B.M. t. 1. p. 157. B.R. t. 1. p. 2. p. 30. C.C.

Inc. *Michaelem Palæologum, &c.*

„ UT diſſolveret fœdus, quod principes Latini inierant contra Imperium Græcum pro Balduino II. „ reſtituendo propoſuit Michael Pontifici conjunctionem „ Eccleſiæ Græcæ cum Latina; neque Cruciatam urſit „ Pontifex Urbanus IV.

„ Ut averteret bellum, quod in ſe pararant Carolus „ Siciliæ Rex, & Princeps Achajæ inſtitit apud Pon„ tificem pro Eccleſiæ Græcæ concordia, vetuitque „ idem Urbanus Carolo Siculo Regi, & Achajæ prin„ cipi bellum inferre in Palæologum.

„ Victoriam inſignem retulit Carolus ex illo, time„ batque Michael ne alii principes conjungerentur cum „ Carolo, proinde maturavit profeſſionem mittere ad „ Gregorium X. qui Imperatorem commendavit prin„ cipibus,

„ Ut poſſet bello irretire Carolum Siciliæ regem, „ qui ad defectionem una cum Philippo Conſtantino„ politano Imperatore Genero Græci imperii provin„ cias ſollicitabat, Petrus Aragonius auctor fuit per „ Joannem de Procida, ut Siciliam invaderet; quam „ invaſit. Cum ita domeſtico bello implicitum Caro„ lum vidit, & nihil ab illo ſibi eſſe timendum proſ„ pexit, a conjunctione deſecit, & in vetus ſchiſma „ eſt prolapſus. „

Martinus ergo Palæologum poſt tot promiſſa regreſſum ad antiquos ſchiſmatis errores excommunicat.

Mandat quibuſcumque ne illi in ſchiſmate viventi faveant, ne illi auxilium ullum præſtent, ne cum illo fœdus percutiant, ſub excommunicationis, & interdicti, & privationis omnium bonorum pœna.

Et hanc ſententiam ad omnium cognitionem publicari vult.

Actum apud Urbem Veterem in platea dictæ majoris Eccleſiæ in feſto dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum P. a. I. a. D. 1281.

Re no-

Renovatio ejusdem sententiæ.

LXIX. Ad ann. 1281. §. 8. MARTINUS IV. Ad certitudinem, &c.

Inc. *Dudum apud, &c.*

CUm expectassêt Pontifex per plures menses pœnitentiam excommunicati Michaelis, neque a schismate recessisset,

Renovat excommunicationem anno superiore illi inflictam,

Renovat etiam in ejus fautores, &c. iisdem sub pœnis, &c.

Actum apud Urbem Veterem in platea dictæ majoris Ecclesiæ in die Ascens. Dom. P. a. II. a. D. 1282.

„ Mors Palæologum apud Pachomium natum annos „ quinquaginta & octo, cum regnassêt annos viginti „ quinque, oppressit an. 1284. Dicunt, eum pœnituisse „ renovati schismatis, proinde funebres honores ei fuis„ se negatos. „

De matrimonio Andronici cum Catharina filia q. Philippi Imperatoris Constantinopolitani.

LXX. Ad ann. 1288. §. 13. NICOLAUS IV. Roberto Comiti Atrebatensi Bajulo regni Siciliæ per sedem A. constituto.

Inc. *Litteras tuas, &c.*

ANdronicus Constantinopolitanus Imperator, qui Patri suo Michaeli in imperium successerat, ut quietius viveret, affinitatemque cum domo regia Franciæ contraheret, neque ab illa bella timeret, procuratores misit ad prædictum Robertum (namque Rex, filiique erant captivi in Hispaniis) Bajulum Siciliæ, qui peterent in matrimonium Catherinam filiam q. Philippi Imperatoris Constantinopolitani filii Balduini II. ex eo imperio ejecti.

Asseruerunt procuratores bona plurima ex hoc matrimonio utrique imperio esse redundatura in Imperium, & in Siciliam, pacem inter alia perpetuam inter successores Imperii, & Regni.

Nihil voluit statuere Robertus inconsulta S. Sede, & inconsulto Rege Galliæ Familiæ principe,

Ejus prudentiam Nicolaus laudat.

Tum eum monet, ne recedat a tractatu, neque illum disrumpat, donec responsum Regis Galliæ acceperit;

Acceptum Pontifici significet.

D. Reate III. Non. Junii P. a. I. a. D. 1288.

Infectus tractatus fuit; Michael duxit in uxorem sororem Regis Armeniæ.

Andronici auxilium contra Saracenos imploratur.

LXXI. Pachym. cp. 25. l. 4. NICOLAUS IV. Imperatori Andronico, &c.

Inc. *Præcurrentis famæ, &c.*

CUm Soldanus Babyloniæ latius imperium propagaret, expugnataque Tripoli, alias urbes cepisset, excidiumque imminere Syriæ ab eo videretur, ut ejus impetus retardaret Nicolaus, litteris mitlis ad Principes orientales in illum eos accendere non destitit.

Andronici Imperatoris Constantinopolitani auxilium primum implorat.

I. De ipsius Andronici imperii conservatione agitur; si enim sinat validiorem Soldanum fieri, occupata Syria, in ejus imperium invadet;

II. Tunc autem difficilius multo illi aucto imperio, & copiis, animisque ex tot victoriis sumptis Andronicus resistet.

III. Non erit in hoc bello solus Andronicus, socios habebit plures orientis principes, quos in illum Nicolaus excitabit, habebit plures fœderatos principes Latini nominis, qui jam milites cogunt, contra illum descensuros; (& sane Reges Galliæ, Angliæ, Hispaniarum Pontifex sollicitarat ad arma.)

IV. Adimpleat Andronicus pollicitationes factas a Patre suo Michaele Ecclesiæ, se illaturum esse bellum Saracenis; quod nisi mors eum sustulisset, occasionem ejusmodi sibi dari lætatus jam movisset.

V. Det Andronicus hoc argumentum amoris Christianæ fidei, cujus causa agitur.

Dat. apud Urbem Veterem X. Cal. Sept. P. a. IV. a. D. 1291.

De nuptiis Catherinæ Imperatricis Constantinopolitanæ cum Friderico Siciliæ Rege.

LXXII. Ad ann. 1295. §. 13. BONIFACIUS VIII. Catherinæ Constantinopolitanæ, &c.

Inc. *Postquam divina, &c.*

INvestiverat Bonifacius Siciliæ regno Fridericum filium qu. Petri ejusdem regni invasoris, idque fecerat, ut spoliaret eo regno prorsus Domum Franciæ.

Ne autem a prædicta domo perturbaretur in ejusdem regni possessione, studuit matrimonium Catherinam filiam Philippi Constantinopolitani Imperatoris Filiam inter, & Fridericum ipsum facere.

Prævidet Pontifex ex hoc matrimonio plura esse dimanatura bona; namque pax conciliabitur inter domum Galliæ, domumque Aragoniæ; subventio Terræ Sanctæ facilius afferetur, continebuntur in obsequio Græci, & cum libuerit Friderico, ejusque successoribus, qui a Regibus Aragoniæ adjuvabuntur, cum Fridericus sit Frater Germanus regis Jacobi; licebit in Imperium Constantinopolitanum irruptionem facere uxoris nomine neptis Balduini II., & filiæ Philippi ejus Imperii Dominorum heredis.

Ita constitutum de Catherinæ matrimonio fuerat ab ejus avunculo Carolo Rege Siciliæ,

Quare prædictam Catherinam hortatur Bonifacius, ut huic matrimonio, ex quo tot commoda redundabunt, assensum suum præbeat.

Matrimonium autem utilius nullum ea contrahere potest.

D. Anagniæ V. Cal. Jul. an. I. a. D. 1295.

De recuperatione Imperii Constantinopolitani.

LXXIII. Ad ann. 1304. §. 21. BENEDICTUS XI. Carolo Philippi Regi Franciæ Filio Comiti Andegavensi.

Inc. *Claris patet; &c.*

SUpradicta Catherina nupsit Carolo Andegavensi Comiti Regis Galliarum fratri.

Vix ac uxorem eam habuit Carolus, misit ad Pontificem oratores, qui illi significarent, velle Comitem jura, quæ habet in Imperium Constantinopolitanum uxor sua, recuperare; proinde eum orare Pontificem,

I. Ut votum Crucesignatorum pro Terra S. mutaret in votum pro recuperatione ejus Imperii, præcipue cum eo recuperato facile possit etiam Terra S. recuperari; nec unquam Saraceni adeo invaluerint quam sub Imperatoribus Palæologis Michaele, & Andronico,

II. Ut permitteret fieri generalem prædicationem pro hac recuperatione,

III. Ut concederet decimam proventuum Ecclesiasticorum Legatorumque in Regno Franciæ.

Laudat Benedictus Comitis consilium, & eum ad illud exequendum excitat,

Tum omnia postulata concedit.

D. Perusii V. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1304.

Episcopus Sylvanectensis deputatur ad prædicta peragenda.

LXXIV. Ib. §. 29. BENEDICTUS XI. Episcopo Sylvanectensi.

Inc. *In supremæ, &c.*

NArrat Benedictus eidem Episcopus jura, quæ habet in imperium Constantinopolitanum Caroli uxor Catherina,

Exponit illi quænam utilitas redundaret in totam Remp. Christianam, si Carolus illo potiretur imperio; nempe unio illius Ecclesiæ cum Latina, & recuperatio Terræ S.

Præterea periculum est, ne Turcæ illo potiantur sub Andronico.

Tum ei significat, quæ postularit Carolus,

Quorum peragendorum dat facultatem eidem Episcopo.

D. ut supra.

Con-

Confirmantur quæ statuerat Benedictus.

LXXV. Ad ann. 1306. §. 2. CLEMENS V. Carolo Comiti, &c.

Inc. *Tibi, & omnibus, &c.*

QUæ significaverat Carolus Benedicto, significavit etiam Clementi, & eadem a Clemente quoque postulavit.

Easdem facultates illi dat Clemens,

Ejusque consilium laudat.

Dat. Lugduni XVIII. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1206.

Veneti orantur in recuperatione Imperii Constantinopolitani Carolo auxilio sint.

LXXVI. Ib. §. 3. CLEMENS V. Duci, & Communi Venetiarum, &c.

Inc. *Cunctis per orbem, &c.*

IN errores antiquos, quos abjurarant, jam sciunt Veneti relapsos esse Græcos, ac proinde Palæologum jure meritoque fuisse a Martino IV. excommunicatum.

Tum illis enarrat quæ jura habeat Catharina Filia Philippi Constantinopolitani Imperatoris in Græcum imperium, & quomodo Carolus Andegavensis Comes illud velit recuperare.

Descendit postea ad percensenda bona illa, quæ ex ejus imperii recuperatione sunt oritura, quæ superius jam diximus.

Venetos ergo orat, ut arma cum Carolo consocient sua.

Ut eos moveat quas indulgentias lucraturi sint, iis exponit.

D. Lugduni XIX. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1306.

Eadem Clemens scripsit Januensibus.

Provinciam dedit Clemens prædicandi Crucem pro Carolo Archiepiscopo Ravennati, & universis Episcopis provinciæ Romaniolæ. Apud Rayn. 1307. §. 6.

Denuntiatur excommunicatus Andronicus.

LXXVII. BR. t. 3. p. 193. C. C. CLEMENS V. Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Inc. *Andronicum Palæologum, &c.*

EXcommunicatum denuntiat Clemens Andronicum Constantinopolitanum Imperatorem tamquam innovatorem abjurati schismatis, & schismaticorum jam damnatorum fautorem.

Ejus fautores, consiliarios, complices, & adhærentes in schismate pertinaces pariter excommunicat.

Inhibet principibus, baronibus, civitatibus, communitatibus ne fœdus cum illo ineant, vel publicum, vel privatum.

Qui fœdus cum illo fecit, illud dissolvat.

Si pertinax in schismate fuerit, minatur Pontifex se processurum ad interdicendas ejus terras, ad spoliandum eum bonis, & juribus.

D. Pictavis III. Non. Junii P. a. II. a. D. 1307.

Ut pronior esset irruptio Carolo in imperium Constantinopolitanum, Clemens Andronicum excommunicavit.

Filia Caroli Comitis Andegavensis, & Catharinæ Imperatricis Constantinopolitanæ Philippo Principi Tarentino despondetur.

LXXVIII. Ad ann. 1312. §. 49. CLEMENS V. Archiepiscopo Rothomagensi, & Episcopo Constantiensi.

Inc. *In Apostolicæ, &c.*

EX matrimonio Caroli Comitis Andegavensis, & Catharinæ, &c. nata erat Filia una, quæ heres erat jurium in imperium Constantinopolitanum.

Mater Catharina eam desponderat Burgundiæ Duci.

Ea mortua, animadvertens Clemens, si ea nuberet Philippo Principi Tarentino magni animi, opulenti, habentisque ditiones suas proximas imperio Constantinopolitano, facilius jura uxoris posse vindicare virum Philippum, mandat prædictis præsulibus.

Ut solvant sponsalia contracta cum Duce Burgundiæ.

Dat. Avenione XII. Cal. Januar. P. a. VIII. a. D. 1312.

Andronicus Imperator a Turcis hoc anno magna clade fusus fuit.

„ Anno 1321. in suum imperium Turcas ut amicos „ invitavit; unde ab illis huic postea derivatum est „ excidium; eos autem vocavit contra Nepotem suum, „ qui tamen fuerunt ab eo superati prælio. „

Reversionem ad Romanam Ecclesiam meditatur Andronicus.

LXXIX. Ad ann. 1326. §. 16. JOANNES XXII. Regi Siciliæ, &c.

Inc. *Significavit nobis, &c.*

REx Galliæ significaverat Joanni, Andronicum Palæologum Constantinopolitanum Imperatorem misisse in Galliam litteras, nunciosque, quibus significabat, se velle pacem cum Latinis servare, & velle ad Ecclesiam Romanam redire;

Se, ut videat, an ex animo hæc dicat Andronicus, destinasse ad illum mittere Benedictum de Cunis Ord. FF. Prædic. Magistrum in Theologia.

Hæc quæ acceperat a Rege Galliæ Joannes, nota facit Siciliæ regi, quæ rex dicet Fratri suo Principi Tarentino.

Habet in animo Pontifex F. Benedicto alium socium addere:

Eum, antequam Constantinopolim mittat, ad regem mittit; Rex rogatur eidem patefacere quid de hoc Palæologi consilio sentiat;

D. Aven. XIII. Cal. Sept. P. a. X. a. D. 1326.

Orchanes Turcarum Dominus imperii Græci in Asia ditiones universas occupavit an. 1330.

Sollicitatur Andronicus ut ad conjunctionem cum Ecclesia redeat.

LXXX. Ad ann. 1333. §. 15. JOANNES XXII. Andronico Græcorum Imperatori.

Inc. *Pridem Venerabiles, &c.*

AD curiam Pontificiam venerant Archiepiscopus Vosprensis, & Episcopus Cersonensis, significeruntque Pontifici, velle Imperatorem Andronicum schisma tollere, & semet cum suo imperio Romanæ Ecclesiæ subjicere; nimis gravia pericula ex hac dissensione in illud redundare, & graviora etiam imminere.

Commendat hanc Imperatoris voluntatem Pontifex, quam in illo a Deo excitatam esse putat.

Ne igitur Deo resistat, sed illi obsecundet.

Nimium diu utraque Ecclesia mala, quæ ex hac dissensione, plurima & gravissima sunt consequuta deflevit; sua conversione abstergat utrique lacrymas Imperator.

Abjuret tandem aliquando schisma; experieturque Ecclesiæ benevolentiam luctuosissimis his temporibus.

Pontifex eum benigne excipiet, caritatisque paternæ viscera in illum effundet.

D. Aven. II. Non. Aug. P. a. XVII. a. D. 1333.

Joannes Pisanus exstimulet Græcos ad conjunctionem.

LXXXI. Ibid. JOANNES XXII. Joanni Pisano consiliario Imperatoris Græcorum.

Inc. *Cum tam, &c.*

ET per litteras, & per supradictos Episcopos certiorem Pisanus Pontificem fecerat, *de bona dispositione Græcorum, & præsertim S. Basilii, & S. Demetrii monasteriorum Abbatum ad redeundum ad obedientiam S. R. E. matris cunctorum fidelium.*

Nuntius hic summa lætitia affecit & Pontificem, & Cardinales, Deoque gratias ingentes egerunt, fuderuntque ad illum preces, ut hanc voluntatem injectam iis firmaret.

Joannem hortatur Pontifex ut eos Abbates *in hoc laudabili proposito corroboret, ac eos ad illud realiter consummandum inducat.*

D. ut supra.

Prædicti Prælati Vesprensis, & Corsonensis moveant Græcos ad reditum.

LXXXII. JOANNES XXII. Archiepiscopo Vesprensi, & Episcopo Corsonensi.
Ib. §. 19.

Inc. *Arduis mens*, &c.

DEsiderium suum reducendi ad Ecclesiæ unitatem Græcos exponit his Episcopis Joannes; quod quidem desiderium primum quidem ex munere suo Pontificis habet, cum curare debeat, ut omnes salventur,

Tum illud augent calamitates multæ gravesque, quæ imperium Constantinopolitanum ex quo a Latina defecit Ecclesia, affixerunt, & affligunt miserrime.

Fera paganitas, & *severitas Saracenica* in illud impetum faciunt simul, illud distrahunt, illud rapiunt, brevique tempore, nisi illi succurratur, funditus excidet.

Cupiens itaque Pontifex animas eas ad ovile, e quo fugerunt reducere, præfatis præsulibus mandat, ut qua pollent eloquentia, ad conjunctionem cum Ecclesia Latina Græcos moveant.

Ostendant illis calamitates, in quas sunt prolapsi post schisma; auxilium quod sperare ab Ecclesia latina possunt, ostendant, Romanæ Ecclesiæ primatum iis probent.

Polliceantur, Ecclesiam tamquam matrem eos esse recepturam.

D. Aven. II. Non. Aug. P. a. XVII. a. D. 1333.

Excitatur Imperator ad conjunctionem peragendam.

LXXXIII. JOANNES XXII. Andronico Moderatori Imperii Græcorum,
Ad ann. 1334. §. 2.

Inc. *Utinam tua*, &c.

SI unquam alias graves fuerunt Græcis Turcæ, nunc certe erant gravissimi; in dies enim singulos irruptiones in aliquam Græci imperii provinciam faciebant, & excursiones.

Bellum etiam parabant, quod ex apparatu videbatur futurum esse acerrimum.

Joannes ergo usus hac opportunitate Andronicum monet, ut consideret paulisper mala, quæ imperium circumstant;

Comparet tempora illa, quibus Græci conjuncti cum Latinis per fidem fuerunt, cum illis, quibus per schisma ab Ecclesia Romana se separarunt; videbitque mala hæc non aliunde in Græcos derivata fuisse, derivarique a nisi schismate.

Per illum ergo stat ab his malis se subducere, sicut per ejus prædecessores stetit, ut hujusmodi mala in imperium ingruere cœperint, cum schisma fecerant.

Disponat ergo subditos suos ad hanc concordiam Ecclesiarum faciendam imminentium malorum terrore.

D. Aven. VIII. Cal. Mar. P. a. XVIII. a. D. 1334.

Imperatrix moveat virum, & populum ad tollendum schisma.

LXXXIV. JOANNES XXII. Joannæ Constantinopolitanæ Imperatrici.
Ib. §. 3.

Inc. *Hortatur nos*, &c.

JUbet Apostolus dum tempus est bene agere.

Pulcherrima opportunitas sese Imperatrici offert bonum magnum comparandi Imperatori viro suo, & suis subditis populis.

Graviter hactenus afflixit Græcos Deus, periculumque est, ne gravius eos affligat, ni resipiscunt.

Ex quo relapsi sunt Græci in schisma, Deus in illos Turcas gentem immanem, homines exleges concitavit, ut quoties cum illis Græci congrediuntur, toties turpiter vincantur. In dies singulos aliqua accepta clades, aliqua regio, locus aliquis amissus a Græcis refertur.

Utinam hæc pericula imminentia, hæc præsentia damna intellectum Græcis tribuant, videantque unde illa proficiscantur.

Utinam is consequatur finis hæc mala, propter quem Deus illa immittit, *multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt*. Deus ea mittit, ut e schismate recedant. Recedant ergo.

Imperatrix hoc ostendat viro suo, qui si hæc sedulo perpendet, ad unitatem redibit ipse, suumque populum reducet.

Ita verum erit quod dixit Apostolus, *salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem*.

Gratia D. N. J. Christi illam in agendis dirigat, & protegat ab adversis. Amen.

D. Aven. VIII. Cal. Mart. P. a. VIII. a. D. 1334.

De concordia ineunda cum Romana Ecclesia.

BENEDICTUS XII. Palæologo Græcorum Moderatori. LXXXV. Ad ann. 1337. §. 11.

Inc. *Nuper ad nostram*, &c.

EXposuerat Stephanus Dourinus Dandalo Palæologo, & Baronibus, se intellexisse a Pontifice, Romanam Ecclesiam paratam esse Græcos ad unitatem recipere quoties venerint;

Idemque Stephanus significavit postea Pontifici, Imperatorem, & Barones dixisse se quidem redituros ad Ecclesiam, modo probarentur, ostenderenturque errores, quibus Græca Ecclesia dicitur infecta;

Se missurum, dixisse Imperatorem, apocrisarios suos Neapolim, quo venirent & Nuntii Pontificii, ibique cum præsentia Regis Roberti, cui plurimum fidebat, posse concordiam iniri.

His auditis, voluit Pontifex Imperatori has litteras scribere, quibus illi testatur, se nihil magis optare quam hujusmodi regressum Ecclesiæ Græcæ ad sinum Romanæ Ecclesiæ.

Amplificat quæ emolumenta Græcum imperium ex hujusmodi concordia sit reportaturum.

Et Andronicum invitat ad eam ineundam,

D. Avenione XVI. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1337.

Imperatrix Joanna exstimulet virum ad concordiam.

BENEDICTUS XII. Joannæ Imperatrici, LXXXVI. Ib. §. 11.

Inc. *Sane filia*, &c.

EDucum Sabaudiæ gente erat Imperatrix Joanna Catholicis orta genitoribus, illibatæ fidei imbuta doctrinis, & per se ferebatur ad pietatem, rerumque divinarum cultum.

Hinc trahit argumentum Benedictus ei persuadendi, ut virum ad obedientiam præstandam R. Ecclesiæ moveat, qui est cum illa una caro,

Addit eam percepturam esse maximum dolorem, cum videbit filios suos, & ex iis descensuros ab illa errare Ecclesia, in qua est nata, & extra quam scit neminem esse salutem æternam consequuturum.

Ut hac tristitia se eximat persuadeat hanc unitatem viro.

D. ut supra.

Rex Robertus suadeat Palæologo, ut mittat Apocrisarios ad Pontificiam curiam.

BENEDICTUS XII. Roberto Siciliæ Regi. LXXXVII. Ib. §. 11.

Inc. *Quia tuæ*, &c.

SCribit Benedictus Roberto de consilio Imperatoris Andronici præstandi R. Ecclesiæ obedientiam, missurumque esse suos apocrisarios Neapolim, ut cum ejusdem Roberti interventu concordia fiat.

Licet, inquit Pontifex, sibi nota sit Roberti prudentia, pietasque, sciatque, eum nunquam passurum esse, ut Romana Ecclesia aliquid detrimenti capiat, cum tamen & brevius, & facilius in Romana curia tractatus hujusmodi fieri possit, concludique, eum orat,

Ut Imperatorem hortetur, ut apocrisarios suos ad Pontificem potius mittat.

D. Aven. XVI. Cal. Febr. P. a. III. a. D. 1337.

Bella principum occidentalium, Venetorum præcipue cum Januensibus tractatum dissolverunt,

Tra-

Tractatus habitus de concordia inter Ecclesiam Latinam, Græcamque.

LXXXVIII. Ad ann. 1339. §. 19. BENEDICTUS XII.

Inc. *In nomine*, &c.

URgentibus undique Turcis Imperium Constantinopolitanum, & circumsidentibus, rationemque nullam aliam illud defendendi Imperator videns, nisi se suamque Ecclesiam cum Latina conjungere, misit ad Pontificem Barlaamum Abbatem virum doctissimum, & qui causæ Ecclesiæ Latinæ æquitatem funditus noverat, Stephanum Dandulum qui ferebant litteras commendatias Regum Galliæ, & Siciliæ.

Duo postulabant Græci,

I. Ut Concilium generale haberetur, convocandum a Pontifice, *in quo articulus processionis Spiritus S. per disputationes, & concertationes concordaretur inter Latinos, & Græcos*;

II. *Ut ante omnia super recuperatione trium, vel quatuor civitatum magnarum, quæ per Turcos infideles in præjudicium Imperii Græcorum occupatæ detineri dicuntur, per ipsum Dominum Summum Pontificem, & Ecclesiam, dictosque reges, ac fideles alios præstaretur auxilium, & aliæ non modici ponderis gratiæ a Sede A. Græcis exhiberentur prædictis.*

Pontifex cum Cardinalibur hæc postulata audivit in Consistorio;

Etiamsi autem Oratores non haberent litteras, vel mandatum ab Imperatore, & a Patriarcha *super præmissis, vel aliis proponendis, & audiendis ab illis*, tanto tamen ardore accendebatur Pontifex concordiam hanc faciendi, ut duxerit oratores audire.

Barlaamus hujusmodi orationem habuit:

Duobus modis fieri potest hæc unio per vim, & sponte, *hoc est per doctrinalia verba*. Modus primus rejicitur utrinque.

Modus secundus duplex est, unus per quem sapientes conveniant cum Ecclesia, alius, per quem populus. Facile modo primo unio haberi potest; nam sapientes veritatem quærunt; quæ collatis utriusque partis studiis facillime, & brevissime invenietur. Modo autem secundo non tam facile unio haberi potest. Reversis enim in Græciam Legatis cum concordiæ articulis, quidam e populo dicent Græcos esse proditos, quidam Legatos munera accepisse, ut ita convenirent; multos movebit invidia, multos cavillandi prurigo. Atque ita conciliata concordia dissolvetur.

Ut igitur ansa omnis cavillandi adimatur populo, celebrandum est Concilium, in eo decreta universus populus recipiet, sicut recepit decreta sex primorum Conciliorum.

In eo agitentur argumenta, quæ causa sunt divisionis,

Mittantur Legati Pontificii in orientem, qui orientis præsulibus convocatis dicant, so ideo esse missos ut de communi consilio eligatur locus, in quo inquiratur, an Spiritus S. procedat a Patre, & a Filio; liberumque sit cuique mentem suam aperire, & loqui. Hæc una pertrahendi ad concordiam populum est ratio.

Ut autem Pontificem Cardinalesque moveret ad mittenda auxilia Imperatori, his usus est rationibus;

I. Ex natura sua homines magis obsequuntur iis, a quibus beneficia accipiunt. Si Latini volunt Græcos in concordia, iis auxilientur in recuperatione urbium quatuor magnarum a Turcis occupatarum;

II. Quia haberi Concilium ab Imperatore, nisi sedetur bellum, quod cum Turcis habet nequit;

Refutat sex argumentis opinionem eorum, qui dicebant prius esse faciendam unionem, quam mittendum auxilium; quæ quia parum ad rem faciunt nostram præterimus.

Græci magnum odium in Latinos conceperunt, quia putant, Latinos lætari, Græcos eas urbes amisisse; si enim non gauderent, vel misissent auxilium, ne caperentur, vel mitterent, ut recuperentur.

Ad extinguendum hoc odium, quo vigente pax nulla firma sperari potest, tria a Pontifice sunt præstanda; 1. det facultatem Galliæ Regi mittendi auxilium ad Imperatorem: 2. publicet indulgentias concedendas euntibus in auxilium Imperatoris; 3. Græci venditi a Latinis liberentur, neque de cetero vendantur.

Testatur Barlaamus se non fuisse missum a communi Græcorum, sed a solo Imperatore pacis avido.

Respondit Pontifex ad postulatum primum: in Concilio Ephesino in partibus Græciæ habito, *quod est unum de quatuor principalibus Conciliis*, in Toletano, in Lugdunensi, & in aliis, quibus interfuerant viri doctissimi, & sanctissimi definitum fuisse, Spiritum S. procedere a Patre, & a Filio, non opus esse aliis perquisitionibus, quæ si fierent, merito dubitari posset de eorum Conciliorum validitate, & fide illis præstanda.

Præterea eodem modo revocari in dubium possent quæcumque alia fidei dogmata per Concilia definita; nullumque dogma recte definitum haberetur, si liceret quod in uno, pluribusque Conciliis definitum est rursus ad examen revocare, ac definire.

Reponenti Barlaamo, liceret Græcis credere, ut credunt de Spiritu S. reclamavit Benedictus; minime vero gentium; fides Catholica est una; integre credenda est, & quod creditur corde, confitendum est ore: Eam professum fuisse Michaelem Palæologum palam.

Hunc modum conciliandi Græcos proposuit Benedictus. Imperator cogat Synodum, colligantur dubia, & capita, quæ separant Ecclesiam Latinam a Græca; eligantur aliqui a Synodo, hi veniant in occidentem, & a Doctoribus occidentalibus solventur dubia, probabuntur capita controversa.

Instabat pro convocatione Concilii Barlaamus: si vera sunt doctrinæ Romanæ Ecclesiæ capita, ipsa Latina Ecclesia debet proponere Concilium; ita enim magis, & vulgatius eorum veritas patebit,

Omnes Patres sciebant ex fide Filium esse æqualem Patri, tamen ut convincerent plenius Arianos, ne hiscere posthac auderent, voluerunt articulum illum discuti in Concilio, & per Concilium definiri;

Latini abhorrentes a Concilii convocatione ostendunt se diffidere causæ suæ, quasi eam examinari nolint. Si verum esse Spiritum S. etiam a Filio procedere reperunt, probaruntque prædicta Concilia, veritatem hanc etiam celebrandum facilius ostendet, confirmabitque.

Ad hæc nullum malum ex hoc Concilio redundaturum est in Ecclesiam; profecturum ex eo est bonum, nempe concordia utriusque Ecclesiæ. Celebretur ergo.

At longo tempore opus est, impensis multis laboribus plurimis. Ita. Sed bonum tam ingens, qualis est concordia Ecclesiarum, qualis est salus tot animarum minori pretio comparari nequit, præ illo levia sunt omnia.

Alium etiam ineundæ concordiæ propositus fuit a Barlaamo modus. Mittat Pontifex ad Patriarchas Constantinopolitanum, Antiochenum, Alexandrinum, & Hierosolymitanum Legatos, qui iis dicant, vos de summa Trinitatis æque creditis ac Latini; dissensio inter vos nosque est de Spiritus Sancti processione. Hæc dissensio tanti non debet esse, ut omnino sejungamur; credat utraque Ecclesia ut libet. Digladientur de illa inter se sapientes calamo. *Vos deserte Romanæ Ecclesiæ honorem*, qui noscitur antiquitus ad eam pertinere, deferte omnia jura; Illa quoque Ecclesiæ Græcæ dabit omnia jura, quæ antiquitus habuit.

Tum rursus auxilium petiit Barlaamus, ne legatio sua videretur Imperatori inutilis.

Propositum modum rejecit Pontifex. Hæc enim esset simulatio; ore facienda est confessio ad salutem;

Præterea non explicita processionis Spiritus S. fides manca est, deficiturque a non credente in iis, quæ pertinent ad summam Trinitatis.

Quoad auxilium autem reposuit Benedictus; redeant Græci ad unitatem, reversisque auxilium præstabitur. Si enim ante conversionem iis detur, periculo remoto, persistent in suo schismate. Palæologus (Michael) exemplo est. Ut averteret fœdus principum Latinorum contra Græcum imperium pro Balduino I. finxit se unionem velle, cum ingenti prælio fusus a Carolo (I.) Siciliæ rege fuit, pavebatque ne victoriam protenderet, impetus ejus retardavit professione Catholicæ fidei; ubi nihil a Carolo pugnante contra Petrum Aragonum timuit, in abjuratum schisma est relapsus. Tunc viderunt Latini principes se fuisse a Palæologo illusos.

Barlaamus per libellum supplicem Pontifici oblatum ostendere conatus fuit, modus ab illo propositus fieri nullo modo posse, ut executioni possit demandari.

Nam si convocanda esset hæc Synodus, consilium Imperatoris se submittere Ecclesiæ Romanæ volentis

innotesceret omnibus, summumque populi in se concitaret odium, sicut in se illud concitavit Michael Palæologus; in quod odium nollet incidere, cum sit sibi contra Turcas belligerandum.

Ecclesia Constantinopolitana non faceret hoc sine consilio aliarum Ecclesiarum Patriarchalium, quarum præsules propter bella uniri non possunt;

Ad hæc omnia peragenda tempus multum requiritur; interea Turcæ prævalent, & arctius Imperium urgent.

Demum pollicetur, se operam omnem navaturum, ut hæc concordia fiat, apud Imperatorem, & Patriarcham.

Proposita a Legatis Andronici, & responsa a Pontifice communicantur cum Rege Galliæ.

lxxxix. Ib.§.32. BENEDICTUS XII. Philippo Galliæ Regi.

Inc. *Nuper ad nostram, &c.*

INtererat Regem Galliæ scire quid proposuisset Abbas Monasterii S. Salvatoris Constantinopolitani, & quid respondisset Pontifex. Ipse enim litteras Legatis Imperatoris dederat ad Pontificem, & ipse tractatum hunc promoverat.

Ergo Pontifex, & proposita, & responsa mittit ad Philippum.

Sunt proxime superiora.

D. Aven. II. Non. Sept. P. a. V. a. D. 1339.

Eadem etiam per litteras misit ad Robertum Siciliæ regem.

XC. Ib.§.38. UT pollicitus fuerat, operam omnem navavit Abbas Barlaamus. Edidit enim argumenta quibus primatus Pontificis Romani probatur;

I. Christus Petro dixit *pasce oves meas &c.* afferuntur alia loca similia jam nota;

II. Apostolis successerunt Episcopi, Discipulis presbyteri, Petro Pontifex Romanus;

III. Pontifices Romani semper primatum exercuerunt, quin primis Ecclesiæ sæculis ullus Episcopus se illis opponeret,

IV. Merito habetur ille primus Pontifex inter cunctos & Romana Ecclesia prima, quia nulla hæresis unquam in illa fuit,

V. Concilia generalia primatum in Romano Pontifice agnoverunt;

VI. SS. Patres Græci hunc in eo sunt confessi. In suis injuriis confugit ad illum S. Joannes Chrysostomus, ad illum S. Athanasius.

VII. Patriarchæ Constantinopolitani illi fuerunt subditi. Agapetus cum venisset Constantinopolim deposuit Patriarcham Antinam hæresi infectum, substituitque Meniam Orthodoxum.

VIII. Confirmat, vel reprobat R. Pontifex concilia: probatur exemplis.

IX. Mala percenset, quæ orirentur in Ecclesia sublato primatu.

Concludit: *Quoniam ergo movens meas cogitationes undique invenio per omnia melius esse, ut sit aliqua Ecclesia, sub qua aliæ ordinatæ sint, & has perquirens solam video Romanorum & habentem, & facientem quæcunque oporteret, divino beneplacito omnium dominaturam & habere & facere, non possum, providentiam esse credens, Romanæ Ecclesiæ majestatem, & sublimitatem fortunæ, & casui dare, & non in maximis providentiæ operibus, & solemnissimis & hoc computare. Ex his igitur primatum illius Ecclesiæ sufficienter demonstratum esse puto.*

In processionis Spiritus S. dogmate stabiliendo quomodo Ecclesia Romana se gesserit, ita idem Barlaamus ostendit,

Quoniam multis annis post septem generalia vidit Ecclesia eadem (Romana) *aliquos eorum, qui denuo consueverant in hæreses frequentius relabi* (Græci) *asserentes Spiritum S. a solo patre procedere, & minime a filio, confugit ad suos doctores quos longis sursum temporibus pro Sanctis habuit BB. Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Gregorium, & videt eos tanquam ex uno ore multis locis, & frequentius, Spiritum S. a Patre, & Filio procedere asserentes.*

Non contenta examinasse Patres Latinos, exquirit etiam sententiam SS. Patrum Orientalium, omnesque processionem Spiritus S. etiam a Filio docentes legit; *præter unum Damascenum, qui videtur contrarium dicere: quamquam non dicit ipse, quod Spiritus S. non est ex filio, sed quia non dicitur, ex filio; ac si diceret, quod in divina scriptura non invenitur verbo dictum, quia ex filio. At vero videtur & ipse dicere, Spiritum S. a Patre per Filium emanare, & imaginem esse Filii Spiritum, & ad Patrem ita se habere filium, & Spiritum, quemadmodum ad solem se habet radius, & illuminatio, quæ utraque ex sole quidem sunt, sed per radium, aut illuminationem nobis dari: ex quibus videtur & ipse non penitus contrarium tenere: ipsum enim illuminationem, & ex sole per radium esse dicere, & rursus ex sole, & radio verum est. Quemadmodum & in Trinitate: quorum enim est communiter auctor Pater, & Filius, hæc & utroque modo dici verum est, & ex Patre per Filium, & ex Patre, & ex Filio.*

Poterat cum Ecclesia tam constantem Patrum utriusque Ecclesiæ de processione Spiritus S. etiam a Filio sententiam vidisset, definire, Spiritum S. procedere ex Patre, & ex Filio. *Tamen convocat ad se universos Ecclesiarum Prælatos ad inquisitionem communicandam:* definiuntque uno ore Spiritum S. etiam a Filio procedere.

Denique Apostolica auctoritate hoc esse, quod oportet, credi declarando determinat, & contrarium dicentes in portione hæreticorum decernit. Quæ igitur nunc mea erit excusatio, si noluero quiete obedire?

Cogor itaque (ita concludit) *Romanam Ecclesiam Orthodoxam in omnibus putare, & hanc solam esse cum sibi subjecta multitudine unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, in quam credere jubemur, & adversus quam portæ inferi neque prævaluerunt, neque unquam Deo ipsam tanquam novam Jerusalem regente, prævalebunt.* Ita Græcus homo.

Per ea tempora exorta erat in Græcia a Monachis in Monte Atho commorantibus hæresis; dicebant se orantes *exultatione animi, & divina quadam inexplicabilique voluptate perfundi, & oculis corporeis lumen se circumfulgens aspicere,* sicut evenit in transfiguratione Jesu Christi in monte Thabor. Dicebantur *Omphalopsychi, & hesycastæ.*

Contra hanc hæresim scripsit idem Abbas Barlaamus.

Opere pretium est afferre summam Epistolæ ipsius Barlaami *de unione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ad amicos.*

In hac epistola vult probare Abbas, signa veræ Ecclesiæ esse in Latina, non in Græca Ecclesia.

Quatuor sunt veræ Ecclesiæ signa;

I. Disciplina. *Primum universa illa gens* (Latina) a. 1317. §. 27.
legibus quibus etiam tenuissima accidentium hominum communitati distincta sunt, regitur & administratur; Nihil indeterminatum apud eos est, nihil inordinatum est, &c. In ea servatur proportio quæ debet esse inter subditos, & principes, sunt præmia, sunt pœnæ &c. *Hic autem totum contrarium: lex est in singulis potentiorum licentia, & luxuria &c.* (apud Græcos).

II. *In illis* (in Latinis) *Evangelica doctrina ubique viget, currit, & multiplicatur;* ubi eodem modo explicatur, & *historiale, ac narrativum, & sententiale, & morale divinæ Scripturæ.* Studium S. Scripturæ apud Græcos negligitur, Evangelium explicatur ad libidinem cujusque &c.

III. Ecclesia Latina habet Pontificem, ad quem omnes confugiunt, qui consultus ab omnibus respondet; certatim principes eum honore afficiunt; ejus sententiæ acquiescunt omnes cujuscumque sint regni &c. a nemine dependet; omnes Episcopi illi parent, & subsunt &c. In Ecclesia Græca nullus potest assignari supremus Pastor. *Quinque enim existentibus Patriarchis, Bulgarensi connumerato, & adhuc Triballensi Archiepiscopo,* tot dici possunt Ecclesiæ quot sunt ii præsules. Nullus pareat alterius jussis; imo sunt sibi invicem oppositi. Quidquod ita pendent a principibus, in quorum ditionibus vivunt, ut ad eorum nutum deponantur, instituanturque alii? & non quidem digniores ut apud Latinos, sed qui in vitiis principum magis connivent, qui iis magis adulantur. Apud Latinos Pontifex eandem semper auctoritatem habet, non deponitur ad principum nutum &c. Ecclesiæ apud Græcos captivæ sunt; dominatur apud Latinos, & ut mater colitur &c. Ecclesia Græca nunc Episcopalia Concilia cogere non potest, sicut antiquitus convocarat, cum unita erat cum Latina quia supremum caput in ea non est; in Latina invitati ad Concilium Episcopi eunt omnes, & singuli, principesque vel ipsi adeunt, vel suos oratores mittunt; Lugdunense (II.) quod fuit ultimum celebratum lectoribus hujus Epistolæ viventibus, nonnullis e Græcis illi intervenientibus hoc satis superque ostendit.

IV. Ecclesia Latina semper in dies singulos magis, magisque amplificatur. Ejus ministri eam propagarunt per Armeniam, Persidem, Tartariam, Indiam &c. Græca autem pedetentim decrescit; ubi florebat, nunc dominatur Mahumetana, Idololatria. Latina fides ubique eadem prædicatur, longinquitas temporum, distantia locorum, ministrorum mutationes ejus credendi regulam non immutant, non corrumpunt. Et quod Christus prædixit de vera Ecclesia, nempe portas inferi apud eam non prævalituras, in illa una cernitur: in Græca quot mutationes bone Deus! quæ varietates.

Jam duo diviserunt Ecclesiam Græcam a Latina; processio Spiritus Sancti & consecratio in pane azymo,

Ecclesia tamen Latina pro se habet totam retro antiquitatem; semper enim consecratus fuit Azymus panis: neque ex eo quod Pontifex Alexander qui sub Imperatore Hadriano martyrio coronatus fuit, statuerit in azymo esse sacrificandum, concludendum est, ab illo hunc morem introductum fuisse. Ideo enim sanxit, ut consecraretur in azymo, ne quisquam in posterum auderet consecrare in fermentato.

Quod si legantur, considerenturque Evangelia, patebit, ultimam cœnam, in qua institutum fuit SS. Eucharistiæ Sacramentum, fuisse celebratam cum Hebræis vetitum erat non solum comedere fermentatum, sed etiam domi habere. Quia vero Apostoli non distinxerant panem a pane, sed docuerunt esse sacrificandum in pane, Ecclesia Orientalis incœpit in fermentato consecrare; in hoc quoque ritu Ecclesia Latina magis sapit quam Græca.

De processione Spiritus S. repetit, quæ jam alias dixerat.

Immerito etiam Græci Latinos accusant de violatione antiquorum Conciliorum Canonum. Namque distinguit rectissime Barlaamus, canonum esse alios, qui pertinent ad Fidei dogmata, alios ad mores, & horum ad mores spectantium alios esse ex instituto Christi, alios est instituto Ecclesiæ.

Jam Canones dogmaticos Ecclesia Latina ad amussim servat, & ita servat, ut eos non servantes a sua communione removeat,

Canonum ad mores attinentium primi generis *nullum adhuc Ecclesia Romana mutavit*, explicuit cum opus fuit, sed non sustulit.

Secundi generis canones interdum mutavit, interdum sustulit etiam. Cum enim Concilia eos tanquam medicinas constituisset contra morbos, qui erant in Ecclesiæ corpore, iis morbis sublatis, & aliis malis emergentibus contrariis superioribus necesse fuit novos Canones facere, veteres abrogare, qui enatis malis non medebantur, & etiam oppositos.

Admirentur hic Græci Ecclesiæ Latinæ prudentiam, quæ ita novit remedia accommodare malis, ut semper puros, semper integros suorum populorum mores custodiret,

Ceterum ne ideo Ecclesiam Latinam Græci reprehendant, quia Pontifex sine Concilio quædam statuit credenda, quædam facienda. Habet hanc facultatem Apostolica Sedes etiam sine generalis Concilii convocatione; *non enim & quod sit majoris auctoritatis, & magis possit generale Concilium quam Apostolica Sedes generalia aggregantur Concilia, sed quia incidentes quæstiones difficiliores sunt, & majores indigeant discussione.*

Ex his igitur omnibus novissima mea conclusio est illa, quod Ecclesia Romana est summe orthodoxa, & nullam unquam causam alicui dedit, ut rationabiliter ab ea dividatur, & quod qui ei sunt uniti, & obedientes, & mandata Dei custodiunt, in statu salutis sine dubio sunt. Itaque & quicumque, spretis his quibus placet in schismate perseverare, ad ipsam toto animo accedunt, hoc salubriter de se deliberare, & agere puto.

„ Hæc Barlaami Epistola lecta fuit in Synodo, quæ „ tum Constantinopoli habebatur jussu Imperatoris; „ Princeps eorum qui abhorrebant ab unione, faventque Imperatori irato, quod subsidia a Latinis „ denegata fuissent; erat quidam Monachus Palamas; „ contra Barlaamum ipse declamavit, declamavit etiam „ Imperator tanta animi, corporisque contentione, ut „ morbum ex ea contraxerit, paucisque diebus post „ interierit.

„ Reliquit Filium Joannem Palæologum puerum novennem; Cantacuzeno demandata fuit publica administratio, frustra reclamante Patriarcha, sibi esse „ eam deferendam. Cantacuzenus tyrannidem arripuit.

Græco Imperatori postulanti auxilium respondetur.

CLEMENS VI. Joanni Palæologo Imperatori. XCI. Ad ann. 1343.§.12.

Inc. *Munificentiæ tuæ, &c.*

NOn solum Turcæ perterrebant Græcos, sed etiam Tartari.

Quare enixioribus precibus supplicavit Pontifici de auxilio mittendo.

Respondet Clemens, quod alii superiores Pontifices responderant toties, se esse ad illum missurum auxilium, modo schismate deposito ipse cum suo populo rediret ad R. Ecclesiam, missurumque auxilium, quo non modo Turcis, sed barbaris etiam resistere posset.

Repetat Joannes suæ gentis monumenta, comparetque antiqua tempora cum præsentibus. Cum Imperium conjunctum erat cum Ecclesia, florebant artes liberales, studiaque in illo, majestas Græci nominis fulgebat, & suo fulgore mortalium oculos perstringebat, nunc vero despectum, contemptumque omnibus est, & ita ab illo dignitatis fastigio decidit, ut vix agnoscatur.

In Imperatoris manu est illud jacens erigere, & in pristino dignitatis loco collocare. Redeat ad Ecclesiam, certatimque Christiani principes auxilium illi ferent.

D. Aven. XII. Cal. Nov. P. a. II. a. D. 1343.

„ Alexius Megaducas, & Demetrius Græciæ despota scripserunt Clementi, se teneri desiderio redeundi ad Ecclesiam; quibus respondit Clemens, se eos „ benigne excepturum. Alias similes litteras cum superius attulerimus, has prætermittimus.

Imperii Magnates invitantur ad unionem.

CLEMENS VI. Principibus, *baronibus, populis Imperii* Græci. XCII. Ib.§.15.

Inc. *Si quot, &c.*

INcitare ad unitatem Ecclesiæ studet Clemens principes &c.

I. A consideratione malorum, quibus nunc premitur Imperium,

II. A periculis gravioribus in singulos dies, quæ illi imminent, ita ut tandem aliquando imperium sit casurum,

III. A gloria qua fulgebat, cum erat cum Ecclesia R. unitum.

IV. Preces demum addit.

Tum concludit, si sola conjunctio eos a malis liberare potest, si pericula evertere, si aurea sæcula illis adducere, enimvero obstinati animi est, & in suis malis pertinacis eam respuere.

D. Avin. ut supra.

„ Cantacuzenus per proditionem Constantinopoli occupata admittitur ad regimen imperii una cum Joan„ ne an. 1347.

Ad Cantacuzenum mittuntur Legati.

CLEMENS VI. Joanni Cantacuzeno Græcorum Imperatori. XCIII. Ad ann. 1348.§.26.

Inc. *Viros nobiles, &c.*

VIdens Cantacuzenus blandiendum esse Pontifici, eumque erigendum in conjunctionis cum Ecclesia Romana spem, ne defensionem Palæologi susciperet, cujus Imperium occuparat, misit ad Clementem Oratores tres, per quos significabat Pontifici, se optare ad Ecclesiam redire, ejusque præsidium implorabat.

Respondet Pontifex, se accepisse nuntios Imperatoris,

Se communicasse rem cum Cardinalibus,

Se missurum propediem Nuntios suos ad illum, quibuscum de re tota conveniri poterit.

D. Aven. XVII. Cal. Maji P. a. VI. a. D. 1348.

Facultas faciendi cenſuras in turbantes concordiam datur Legatis A. S.

XCIV. Ad ann. 1350.9.28. CLEMENS VI. Chiſſimenſi, & Cenetenſi Epiſcopis Nunciis A. Sedis.

Inc. *Cum vos, &c.*

PRædictos Epiſcopos delegerat Clemens, ut Conſtantinopolim ſe ferrent, & conjunctionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina facerent. Ita enim conventum fuerat.

Quia tamen ingenium leve, turbulentumque Græcorum optime norat Clemens prævidebatque aliquos futuros, qui conjunctionem illam turbaſſent,

Facultatem dat Nuntiis ſuis cenſuris Eccleſiaſticis eos perturbatores innodandi, ſint cujuſcunque gradus, & dignitatis, privilegiis quibuſcumque non obſtantibus.

D. Aven. Id. Febr. P. a. VIII. a. D. 1350.

Adhortatio ad Capitaneum Conſtantinopolis ut unionem curet fieri,

XCV. Lib.9.29. CLEMENS VI. Coloranno Aſani Capitaneo Civitatis Conſtantinopolitanæ.

Inc. *Si conſideres, &c.*

SI conſideraret Colorannus quantam nominis famam ſibi comparare poteſt ex curata conjunctione, ſponte, quin exſtimularetur, ei faciendæ ſtuderet. Apud poſteros enim eum reparatoris Conſtantinopolitani Imperii, quod jamjam caſurum eſt, nomen acquiret. Ille enim cauſa erit, cur Latini principes fœdus cum Græcis ineant contra Turcas, qui illud exſcindere nituntur.

Multo autem magis ad hujuſmodi concordiam curandam accendi deberet, ſi haberet præ oculis meritum ſummum, quod ſibi a Deo compararet, cui per hanc unionem tot ſalvabit animas.

Ipſe in cauſa erit, cur Deus, beatique omnes in cœlis exultent de tantæ multitudinis ad veram fidem converſione.

Illi commendat prædictos Epiſcopos, quos ad imperatores Joannem Cantacuzenum, & Joannem Palæologum mittit.

D. ut ſupra.

Eandem in ſententiam pluribus imperialis aulæ purpuratis ſcripſit Clemens; ſed ſumma ſuperioris proxime epiſtolæ ſit inſtar omnium aliarum.

De Nuntiis ad Imperatorem Cantacuzenum.

XCVI. Lib.9.30. CLEMENS VI. Joanni Cantacuz. Imp.

Inc. *Ad litteras, &c.*

PLures litteras miſerat ad Pontificem Cantacuzenus de hujuſmodi concordia, & de auxilio ferendo Græcis a Latinis.

Scribit Cantacuzeno Pontifex, ſe putaſſe ſatius mittere Legatos, quam litteras ad Imperatorem, ut facilius breviuſque ad optatam concordiam perveniatur,

Se ad illum mittere duos nuncios doctos prudenteſque viros, quibuſcum de re, ac de conditionibus ille aget.

Credat ille Nuntiis quidquid dixerint;

Se pollicetur Pontifex approbaturum quod ii egerint.

D. ut ſupra.

„ Nuntii promiſerunt nomine Pontificis coram Patriarcha, & quibuſdam Epiſcopis auxilium Imperatori, qui promiſerat ſe iturum contra Turcas.

De Concilio habendo reſcribit Pontifex.

XCVII. Lib.9.32. CLEMENS VI. Joanni Cant.

Inc. *Venientem ad nos, &c.*

„ OBſtinati Græci in ſua ſententia, licet imperium „ ſuum undequaque corruere viderent, teſtati „ ſunt, ſe nolle conjunctionem facere, niſi prius haberetur Concilium Oecumenicum.

„ Locum etiam aſſignarunt, urbem quandam maritimam prælatis utriuſque Eccleſiæ accommodam.

„ Pontifex, cui cordi erat efficere, ne Turcæ victo„ rias ſuas protenderent, facultatem nuntiis dedit con„ vocationem Synodi promittendi Græcis, quam Bene„ dictus juſtis de cauſis cogere noluerat.

„ (Convocatio hujuſce Synodi protracta fuit ad „ longa tempora, habitumque Concilium fuit ſub Eu„ genio IV.)

Ut nota faceret Pontifici, quæ a ſe cum Nuntiis AA. conventa fuerant, miſerat Imperator ad Clementem Oratorem.

Reſcribit Pontifex, ſe ejus Oratorem recepiſſe, & intellexiſſe, quæ acta fuerant, quæ conventa.

Senſa animi ſui adaperiat Imperator AA. Nuntiis.

D. Aven. IV. Cal. Jul. P. a. IX. a. D. 1350.

Laudatur Cantacuzenus de conſtantia in ſuo propoſito abjurandi ſchiſma.

INNOCENTIUS VI. Joanni Cantacuzeno &c. XCVIII. Ad ann. 1353.9.22.

Inc. *Affectionem, &c.*

LEgatum miſerat Joannes, qui in dies ſingulos hoſtes graviores ſentiebat Turcas, ad Clementem litteras, quibus ei ſignificabat, ſe permanere in voluntate conjungendi Eccleſiam Græcam cum Latina.

Interea temporis mortuus fuerat Clemens, ſuffectus Innocentius, cui ab Imperatoris Oratore datæ fuerunt litteræ Joannis.

Innocentius ait, ſe maximo gaudio fuiſſe perfuſum, cum ejus litteras legit, Oratoriſque mandata audivit.

Eidem gratulatur de hac magnanima conſtantia; eumque hortatur, ut moras omnes rumpat, & ad Eccleſiam veniat;

Ita enim & ſaluti animæ ſuæ, ſuorumque populorum, & incolumitati Imperii contra aggreſſores Turcas prudentiſſime conſulet.

D. Aven. XIV. Cal. Febr. P. a. I. a. D. 1353.

Hortatio ad conſtantiam, & gratiarum actio de gratulatione &c.

INNOCENTIUS VI. Cantacuzeno &c. XCIX. Lib.9.23.

Inc. *Magnitudinis, &c.*

LItteras miſerat Cantacuzenus Innocentio, quibus illi promittebat, ſe quotidie magis deſiderio accendi abjurandi ſchiſmatis, reducendique populum ſuum ad Romanæ Eccleſiæ conjunctionem.

Tum Pontifici gratulabatur de illius ad pontificatum aſſumptione.

Utrique Epiſtolæ parti Innocentius reſpondet: laudat Imperatorem, exſtimulat ad accelerandam hujuſmodi conjunctionem. Non ſatis eſt incipere, ſed perſeverandum uſque ad finem eſt; incœpit Imperator, voluntatem habet emergendi e diſcordia, perficiat quod tandiu in animo habet. Interea hoſtes invaleſcunt, infirmatur imperium, animæque plures ſingulis diebus pereunt.

Illi gratias agit de gratulatione. Se imparem ponderi tanto ferendo Innocentius fatetur, ſed auxilium a Deo ſperat, qui hoc onus impoſitum ſuis humeris voluit.

Gaudet in hac dignitate eſſe, quia poterit Imperatori animum ſuum opportunis auxiliis, conſiliiſque teſtari.

D. Avin. VI. Cal. Nov. P. a. I. a. D. 1353.

„ Turca Conſtantinopolim omnia igne, ferroque vaſtans pervenit anno 1354.

„ Cantacuzenus aſſumpſit ſocium ſibi Imperii filium „ ſuum Matthæum.

„ Joannes Palæologus Imperator, qui Theſſalonicæ „ vivebat tanquam in carcere, cum vidiſſet Joannem „ Cantacuzenum etiam in filio velle tyrannidem propagare, adjutus conſiliis, & opibus Franciſci Cata„ luſii Januenſis, cui in grati animi argumentum de„ dit ſororem ſuam in uxorem, & Inſulam Lesbum „ ſeu Mytilenem in mari Ægæo, & ejus ſucceſſori„ bus jure fiduciario, occulte maturavit ire Conſtan„ tinopolim, & Cantacuzenum conjecit in Monaſte„ rium, ejuſque uxorem in aſceterium, ſoluſque im„ peravit.

„ Quia natus erat ab Joanna e Sabaudiæ Ducibus „ non abhorrebat, ut reliqui Græci, a Romana Ec„ cleſia. Quædam ergo pacta conſcripſit, quibus ad „ con-

„ cordiam cum eadem Eccleſia admitteretur, quæ „ ad Pontificem miſit.

C. Ad ann. 1355.9.22. I. Eorum ſumma eſt hæc,

Ego Joannes Palæologus, &c.

JUrat ad ſancta Dei Evangelia tactis Sacroſanctis Scripturis & per S. Trinitatem &c. *ſe pro omni poſſe ſuo* adimpleturum, & effecturum ut adimpleantur infraſcripta, quæ promiſit in Chriſto Patri Archiepiſcopo Smyrnenſi nomine & vice Innocentii *Sacroſanctæ Romanæ, & univerſalis Eccleſiæ Papæ VI.*

I. Promittit *quod erit fidelis, obediens, reverens, & devotus ſummo Pontifici Innocentio & ejus ſucceſſoribus, & complebit reverentiam, & obedientiam, &c.*

II. Efficiet toto conatu, ut omnes ſubditi ſui populi conſtituti in ſuo Imperio Laici, vel Clerici, cujuſcunque conditionis & ſtatus exiſtant, ſint fideles, obedientes Pontifici, & ejus ſucceſſoribus; *& quia diuturnitas temporis induravit animos populorum,* prudentia utendum eſt; Pontifex mittat Archiepiſcopum Smyrnenſem, & Megaderiarcham Imperii cum galeis tribus; & cum ipſi venerint Conſtantinopolim, mittet filium ſuum Manuelem ad Papam cum una Galea, & Pontifex remittet Conſtantinopolim duas galeas, & alias duas armabit, & eas mittet ad defenſionem Imperii;

III. Quam breviſſime poterit, mittet Pontifex *uſceria quindecim* cum equitibus quadringentis, & alios centum equites cum navibus, & mille pedites. Interim filius obſes apud Pontificem erit: hi pugnabunt ad menſes ſex contra Turcas; eo tempore Legatus Pontificis dabit beneficia, & dignitates Eccleſiaſticas ſufficientibus Græcis, qui ad unionem redibunt. Si poſt menſes ſex, cum venerint milites Pontificis, Græci nolent venire ad obedientiam, Imperator aget cum conſilio Legati A. *quod omnino erunt obedientes;*

IV. Dabit Pontificio Legato palatium, quod erit Pontificis, in eo reſidebunt Legati Pontificii; dabit Eccleſiam, in qua Legati divina celebrent; dabit filio ſuo magiſtrum Latinum, ut linguam latinam addiſcat; dabit tria hoſpitia, in quibus doceatur lingua latina, efficiet ut magnatum filii eam diſcant;

V. Niſi præſtiterit promiſſa, jurat ſe datorum imperium filio ſuo; transfertque jus patriæ poteſtatis in Pontificem ſuper filium ſuum; & Pontifex habeat facultatem dandi filio tutores, curatores uſque ad præfinitum tempus a jure, & capiendi imperium nomine filii, eumque omnino ſubjicit Papæ;

VI. Quod ſi, cum venerit Archiepiſcopus cum Galeis, Imperator poluerit dare filium ſuum obſidem ducendum ad Pontificem, obligat ſe, ſua bona, & omnes Græcos, & bona eorum, ita ut ejus nuncii, & procuratores ſuper iiſdem bonis poſſint ſummam conficere quatuor millium florenorum pro qualibet galearum, quas Archiepiſcopus duxerit Conſtantinopolim. Si vero Imperator hæc omnia præſtabit, Pontifex cum adjuvet quam maximo exercitu poteſt, præcipue contra infideles.

VII. Pontifex provideat Imperatori de expenſis faciendis pro aliqua exercitus parte, cum Imperator eas facere non poſſit, eo quod ærarium eſt exhauſtum; Imperator ſit vexillifer totius exercitus Chriſtiani, & omnium Chriſtianorum militum, qui ad partes ciſmarinas tranſibunt cum mero, & mixto imperio. Si hæc omnia præſtabit Imperator, Pontifex remittet ad Imperatorem ejus filium cum honore, & apparatu convenienti. Quod ſi hæc omnia Imperator non compleret, quia facultas ea complendi illi deeſſet, non voluntas, & accederet ad Pontificem perſonaliter, Papa teneatur defendere, & adjuvare Imperatorem ad recuperandum Imperium.

Ad quorum omnium ſecuritatem, & evidentiam pleniorem privilegium præſens ſacramentale manu propria Imperator ſubſcripſit litteris rubeis.

Actum in urbe Magna Conſtantinopoli in noſtro Sacro Palatio Blachernarum anno a conſtitutione mundi ſex milleſimo octavo centeno ſexageſimo quarto, a Nativitate autem Domini MCCCLV. die XV. Decembris.

De Imperatoris pactis, & ejus elogium.

INNOCENTIUS VI. Joanni &c. CI. Ad ann. 1356.9.24.

Inc. *Venerabilis, &c.*

SE accepiſſe per Archiepiſcopum Smyrnenſem ſupradicta Imperatoris pacta eidem reſcribit Innocentius, quorum ſummam aſſert & quoad promiſſa facta ab Joanne de amplectenda unitate, & de reducendis ad illam Græcis, & de auxilio petito contra Turcas.

Tum deſcendit in Imperatoris laudes, prius explicata lætitia, quam ex eo nuntio ſummam, ingentemque conceperat.

Hæc utpote Deo grata cum Eccleſia Romana conjunctio efficiet, ut ſupremum Numen illi imperio eam majeſtatem reſtituat, quam per ſchiſma amiſerat; ille a poſteris reparator ejus Imperii habebitur, cujus prædeceſſores Imperatores proditores, everſoreſque per ſchiſma fuerant.

Eum excitat ad conceptum conſilium conficiendum, neque obſtacula, quæ opponi poſſunt, illum ab incœpto deterreant.

Mittit ad eum Internuntios, quibuſcum conveniet de auxilio, aliiſque rebus ad tantum negotium pertinentibus.

Dat. apud Villam novam Aven. Dioc. XII. Cal. Aug. P. a. IV. a. D. 1356.

„ Venetis, Januenſibus, Regi Cypri ſcripſit Innocen„ tius hæc, eos rogans, ut Imperatori hoc præſtare „ volenti auxilio ſint,

Imperatoris litteris reſpondetur.

URBANUS V. Joanni Palæologo. CII. Ad ann. 1364.9.27.

Inc. *Imperialis celſitudinis, &c.*

SImul ac audivit Joannes electum fuiſſe Pontificem Urbanum, & indixiſſe Cruciatam pro recuperatione Terræ Sanctæ, ad illum Oratorem miſit cum litteris, quibus

I. Eidem gratulabatur de dignitate, ad quam fuerat aſſumptus,

II. Pollicebatur, ſe conjuncturum copias ſuas cum Latinis,

III. Eum orabat, ut Latinos moneret, ne terras Imperii Græci vexarent.

Illi gratias agit Pontifex de gratulatione; quamquam potius dolendum eſſe ait, cum tantum onus fuerit ſibi immerenti, & impari ferendo impoſitum; Imperatori in re nulla deerit.

Gratias etiam Imperatori agit, quod velit Latinis auxilio in recuperanda Terra S. eſſe. Ita augebitur gloria Græci Imperii, vetuſque majeſtas renovabitur;

Illi ſpondet, Latinos nullum damnum Græcis, eorumque bonis illaturos eſſe.

D. Aven. XVII. Cal. Nov. P. a. II. a. D. 1665.

„ Belli exitus Chriſtianis infelix fuit; licet primo impetu Alexandriam expugnaſſent.

Ad conjunctionem faciendam excitatur Palæologus.

URBANUS V. Joanni Imp. &c. CIII. Ad ann. 1365.9.22a.

Inc. *Licet tua, &c.*

QUo magis mente revolvit Urbanus (revolvit autem ſæpe) Græci imperii infelicitatem, hoſtium potentiam Græco imperio infeſtam, non poteſt quin Græcorum vices doleat; eos enim & æternæ ſalutis, & provinciarum in dies ſingulos jacturam facere videt.

Quibus malis cum ratio nulla alia ſuppetat, quam concordia cum Romana Eccleſia, ne eam inire differat Imperator.

Quoniam autem tam cito reparari novus Chriſtianus exercitus nequit, ut rurſus contra Turcas in Orientem deſcendat, pacem, ait Urbanus, ſe compoſuiſſe inter Januenſes, regemque Cypri, & mandaſſe iiſdem Januenſibus, & Rhodiis, ut cum Rege Cypri conjuncti Imperium Græcum tutentur, Turcarumque impetus retundant;

Eos quidem ita eſſe facturos, ſed libentius & promptius opitulaturos Imperio Græco, ſi Græci eſſent Catholici.

Con-

Conceptum ergo conjunctionis faciendæ consilium Joannes exequatur.

D. Aven. XIV. Cal. Jul. P. a. III. a. D. 1365.

De subsidiis mittendis pro Græcis contra Turcas.

CIV. Ad ann. 1366.§.1. URBANUS V. Palæologo &c.

Inc. *Si antiquæ, &c.*

UT magis alliceret Urbanus Græcum Imperatorem ad conjunctionem cum Latina Ecclesia facienda, per Legatos, per litteras reges, principesque in Turcas pro defensione Græci Imperii exstimulabat.

Hos ergo lætos significat Palæologo Nuncios Pontifex;

Hungariæ regem Ludovicum cum terrestri valido exercitu defensurum contra Turcas,

Cyprium Regem, Rhodios, Januensesque classem maritimam in eos ducturos,

Amadeum Sabaudiæ Comitem Imperatoris propinquum, qui cum his litteris iturus erat Constantinopolim, cum magna nobilium manu moturum contra eosdem;

Exemplum hoc sequuturos esse alios principes.

Quid ergo expectant ulterius Græci? antequam quod Imperator spoponderat præstet, jam Ecclesia Latina facit id, quod facere post abjuratum schisma debebat, præoccupatque abjurationem Imperatoris, ex qua fructum tot auxiliorum percipere debebat. Ne tanta Ecclesiæ liberalitate velit Joannes abuti.

D. Aven. VIII. Cal. Febr. P. a. IV. a. D. 1356.

„ Ratus Urbanus id quod revera erat, Græcos, cum-
„ premebantur ab hostibus proponere conjunctionem,
„ ut auxilia haberent, victis hostibus, in schismate
„ persistere, cum videret Græcos de abjuratione ver-
„ bum nullum facere, Ludovico Hungariæ, Cyprique
„ regibus scripsit, ut motum exercitus, classisque dif-
„ ferrent in annum venturum, postquam Græci schis-
„ ma ejurassent. Quod ut rescivit Palæologus ci-
„ tatis itineribus Budam ad Hungarum se contulit
„ juravitque si sibi daretur eo anno auxilium, redi-
„ turum esse ad Ecclesiam.

„ Hungarus Urbanum rogavit, ut permitteret, se &
„ Cyprios, Rhodiosque Imperatori auxilium ferre, quod
„ Urbanus permisit.

Gratulatur Pontifex de Imperatoris cito faciendo reditu ad Eccles.

CV. Ib. §.4. URBANUS V. Palæologo &c.

Inc. *Radicatum in corde, &c.*

GAudium suum significat Imperatori Urbanus ex pollicitatione ab illo facta Hungariæ Regi, se statim abjuraturum esse schisma conceptum.

Illi narrat quomodo se contulerit Budam, & quæ promiserit Regi Ludovico.

Præstet ergo quod promisit.

Videat quæ bona ex hac conjunctione sint secutura, & iis accendatur ad eam ineundam.

Mittit ad illum formulam fidei, quam Clemens IV. miserat ad Michaelem Palæologum.

Illi significat, se mittere internuncios ad Hungariæ Regem, ut illi mandet, quid agere debeat cum Clero, & populo Græco, & quomodo se gerere, cum illuc ibit cum suo exercitu.

Formulæ abjurationis juramentique mittuntur Constantinopolim.

CVI. Ib. §.7. URBANUS V. Palæologo &c.

Inc. *Circa prosequutionem, &c.*

UT rite recteque conjunctio hæc fiat, neque ullæ posthac suboriri dubietates possint, mittit Urbanus ad Imperatorem formulam abjurationis schismatis faciendæ.

Ea versatur

I. Circa veram sanctam, & orthodoxam fidem recognoscendam, profitendamque; & hanc fidem esse illam, quam Romana Ecclesia docet;

II. Circa primatum agnoscendum in Romana Ecclesia, eumque prædicandum.

III. Circa obedientiam Pontifici præstandam.

Formula autem juramenti concepta est solitis modis: strictim recensentur tria prædicta capita, & schisma abjurans debet jurare, se semper ita crediturum.

D. Avin. Cal. Jul. P. a. IV. a. D. 1366.

„ Litteris excitavit Urbanus Joannis Imperatoris fi-
„ lios Andronicum, Manuelem, & Michaelem per se
„ jam pronos ad abjurandum schisma.

Hortatio ad Imperatricem, ut ad Ecclesiam redeat.

URBANUS V. Elenæ Græcorum Imperatrici. CVII. Ad ann. 1367.§.3.

Inc. *Lætati sumus, &c.*

LAudat Elenam Urbanus, quod virum hortata fuerit ad schisma abjurandum.

Enimvero illa est mulier illa fortis, quæ lætificat cor viri sui.

Eam hortatur, ut porro pergat, ut primores regni ad hanc abjurationem moveat,

Eam etiam rogat, ut ipsa quoque, cujus causa vir redierit ad Ecclesiam, ad Ecclesiam redeat.

Ecclesiam *reperiet non solum justam, & piam, sed (quantum secundum Dominum poterit) favorabilem, & etiam gratiosam.*

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Id. Nov. P. a. VI. a. D. 1367.

Cantacuzenus oratur, ut suadeat concordiam.

URBANUS V. Josepho Cantacuzeno Ord. S. Basilii olim Imperatori Græcorum. CVIII. Ib. §.

Inc. *Audivimus sæpius, &c.*

MUlta prudentia, & divinarum litterarum scientia ornatus erat Cantacuzenus, & postquam a Genero suo Palæologo ex Imperio conjectus fuerat in monasterium, sedulo studio vacaverat,

Doctrinæ viri fama multos Calogeros, plurimosque e Clero sibi conciliarat; poteratque multos ad conjunctionem cum Ecclesia pertrahere;

Præterquamquod ille cum erat Imperator, hanc unionem fieri cupiebat, & ut fieret, multa agitarat.

Illi igitur scribit Urbanus, ejusque scientia laudata, ejus opera in hac concordia facienda commendata, eum hortatur, ut generum suum Palæologum, Calogeros, Clerumque moveat ad abjurandum schisma;

Bona multa ex illa abjuratione proventura illi ob oculos non ponit, quia qua præditus est prudentia, optime ea videt.

D. R. apud S. Petrum VIII. Id. Nov. P. a. VI. a. D. 1367.

„ Anno 1369. se contulit Imperator ad Pontificem,
„ a quo, & a Cardinalibus magnis honoribus fuit ex-
„ ceptus. Erat tunc Urbanus Romæ. Deditque Pon-
„ tifici formulas fidei, quas professus est se credere,
„ & semper crediturum unam Græce, alteram Latine
„ scriptam.

„ *In nomine Domini, &c.* CIX. Ad ann. 1369.§.4.

„ Dicit se illuminatum a Spiritu S. sponte venisse
„ ad Pontificem Romanum Urbanum V. ut co-
„ ram illo, & Cardinalibus fidem suam profiteretur.

„ Est eadem, quam professus fuit Michael Palæo-
„ logus.

„ Factaque fuerunt instrumenta hujus fidei profes-
„ sionis.

„ Tum Pontifex encyclicas litteras dedit, quibus
„ testatur vere Catholicum esse Joannem Palæologum
„ Græcorum Imperatorem.

„ Postea scripsit ad singulos principes tam faustum
„ nuntium illis significans.

„ Nos afferemus quas Venetis scripsit de hoc argu-
„ mento.

De reditu Imp. Palæologi ad Catholicam Ecclesiam.

URBANUS V. Andreæ Contareno Duci Venetiar. CX. Ib. §.5.

Inc. *Sacrosancta, &c.*

IMitans Romana Ecclesia supremum pastorem suum, qui peccatorem revertentem in spiritu humilitatis pater-

paterne recipit, lætaturque de ejus reditu, quotiescunque aliquis suus filius, qui ab ea declinarit, redit, læta illi it obvia, eum amplectitur, & suæ lætitiæ vult omnes esse participes.

Aberrabat ab Ecclesiæ fide per schisma Imperator Joannes Palæologus; animadvertens errorem suum illum abjuravit, & ad illam, quam docet sola Catholica Apostolica Ecclesia, magna cum devotione est reversus, illamque fidei formulam quæ ad illum missa fuerat, professus est, estque pollicitus se servaturum semper.

Grates igitur agantur Deo de tam felici exitu.

Hujus totius Ecclesiæ justissimæ lætitiæ vult Urbanus esse participem Ducem Contarenum cum suis civibus, *ut cum matre gaudente filiariter gaudeant*. Sperare enim licet fore ut, sicut Constantino Imperatore converso orbis terrarum magna pars est Christi fidem amplexata, ita ab Joanne ejurato schismate, a Græcis fere omnibus ejuretur.

Ceterum quia tunc tanquam princeps Catholicus est ab omnibus Principibus Catholicis Joannes confovendus, Ducem Urbanus orat, ut viribus suis illi auxilium præbeat contra Turcarum incursiones.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Feb. P. a. VIII. a. D. 1369.

CXI. Ad ann. 1370.§.1. Imperator Palæologus ut se vere Catholicum profiteretur, publicum voluit instrumentum fieri, per quod notum fecit omnibus, *se die XVIII. Mensis Octobris proxime præteriti in Sacra Urbe Romæ professionem Catholicæ fidei per Reverendissimos Patres Guillelmum Episcopum Ostiensem, & Bernardum Basilicæ XII. Apostolorum, & Franciscum t. S. Sabinæ Presbyteros, & Raynaldum S. Hadriani Diaconum Cardinales, per Sanctissimum Patrem D. Urbanum divina providentia Papam V. ad hæc specialiter deputatos sibi exhibitam sponte fecerit sub certa forma &c.*

D. Romæ Die Mensis Januarii anno a Nativitatis Domini MCCCLXX. Indictione VIII. Pontificatus dicti Papæ anno VIII.

„ Honoribus, muneribusque oneratus Roma discessit
„ Palæologus stipatus copiis, quas in Italia Pontifex
„ collegerat, & Constantinopolim per regnum Neapo-
„ litanum repetiit.

Usus altaris portatilis, seu subductilis datur Imperatori &c.

CXII. Ib. §.4. URBANUS V. Imperatori &c.

Inc. *Eximiæ devotionis, &c.*

NUnquam se defuturum votis Joannis testatur Pontifex, iis præcipue, quæ ex devotione proficiscuntur.

Hinc illi permittit ut possit habere altare portatile, super quo collocato in loco congruo, & honesto possit facere celebrari *per Sacerdotem duntaxat Latinum secundum ritum quem Romana servat Ecclesia.*

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Id. Febr. P. a. VIII. a. D. 1370.

Græci ritus principibus, & Clericis venientibus ad Ecclesiam L. proponitur formula.

CXIII. Ibid. URBANUS V. ad p. r. m.

Inc. *Ad propagationem, &c.*

EXemplum Imperatoris Palæologi multos principes, magnatesque, multos e Clero etiam moverat ad abjurandum schisma, & ad Ecclesiam veniendum.

Ut ergo sciant & laici, & Clerici quam religionem profitendam suscipiant, formulam fidei edit Urbanus.

Edit etiam formulam abjurationis, professionisque, quæ est eadem, quam adhibuit Palæologus Imperator.

Edit quoque juramenti formam, secundum quam juramentum dedit idem Imperator.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. apud Montem Flasconem Cal. Aug. P. a. VIII. a. D. 1370.

Hortatur Gregorius Joannem, ut mittat suos legatos ad conventum Thebanum.

GREGORIUS XI. Joanni Palæologo. CXIV. Ad ann. 1372.§.2.

Inc. *Lacrimabili, &c.*

ET Rasciam, & Bosniam, & Moldaviam, & Valachiam devastarant Turcæ, prædas ingentes fecerant, abegerantque.

Ut iis resisteretur, indixerat Papa conventum principum Græcorum, Latinorum habendum Thebis, in quo singuli principes convenirent, quotum militum numerum darent, exercitumque conflarent, ducemque illi præficerent.

Hæc significat Gregorius Imperatori.

Eumque rogat, ut mittat Nuncios suos ad eum Conventum, ut cogat quam plurimos milites potest, quos conjungat cum iis fœderatis.

Consideret Imperator agi quidem de re communi, sed ita tamen ut etiam de propria agatur. Sicut enim hactenus multos principes e suis provinciis ejectos, easque provincias victas a Turcis videt, ita nisi iis impigre nunc resistatur, finitimis provinciis devictis, quarum in dies singulos modo unam, modo alteram adipiscuntur, in Imperium Græcum irrumpent, sibique illud subjicient.

Ait se hæc eadem ad omnes, & singulos earum regionum principes scribere (ut revera scripsit, litteræ sunt ejusdem tenoris cum his.)

Etiam Principes Occidentales ad arma in Turcas concitabit.

D. Aven. Id. Nov. P. a. II. a. D. 1372.

Promittitur auxilium Græco Imp. si Græci schisma deponant.

GREGORIUS XI. Joanni Palæologo &c. CXV. Ad ann. 1373.§.2.

Inc. *Cum prægrandi, &c.*

„ OBtriti a Turcis Græci fuerant, Rascii vastati,
„ affecti magnis cladibus Bulgari; Constantino-
„ polis, & Thessalonica, aliæque Græci Imperii urbes
„ erant quasi obsessæ.

„ Imperator ad Pontificem legationem misit, cujus
„ princeps erat Joannes Lascaris e veteribus Imperatorum
„ stirpe oriundus. Is se conferre cupiebat ad omnes
„ Occidentales principes petiturus Græcorum afflictis
„ rebus auxilium.

Rescribit Pontifex Joanni, jam maritimam classem in Occidente contra Turcas parari, quæ jam in promptu fuisset, nisi inter quosdam principes fuisset exortum bellum;

Principes Occidentales multo promptiores futuros fuisse, si quod Græci spoponderant, bona fide præstitissent, nempe si abjurassent schisma;

Nunc opus non esse tergiversatione; mittat Imperator tres viros probos, prudentesque Joannem Lascaris, Caloferon militem, & Demetrium Chidonii callentes linguam latinam, Pontifici notos, qui *existant tractatores, super quibus velit Imperator, & ipse Clerus intendat.*

D. apud Pontem Sorgiæ Aven. Diœc. XI. Calend. Jul. P. a. III. a. D. 1373.

Significatur Constantinopolitanis missio Nuntiorum A. A.

GREGORIUS XI. Rectoribus, & personis Constantinopolitanis. CXVI. Ad ann. 1371.§.1.

Inc. *Circa salutem, &c.*

QUia sollicitus est Gregorius de salute cum spirituali, tum temporaria Græcorum, ut utriusque habendæ ratio iniri possit,

Constantinopolitanis scribit, se ideo ad illos mittere nuntios, inter quos erant duo Fratres unus ex Prædicatorum, alter ex Minoritarum Ordinibus, & duo præceptores hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

Iis Græci proponant quod voluerint, iisque fidem habeant.

D. Novis Aven. Diœc. VIII. Cal. Aug. P. a. IV. a. D. 1374.

Cur Legati Conſtantinopolim mittantur, ſignificatur Joanni.

CXVII. Ib. §. 2. GREGORIUS XI. Joanni Imperatori.

Inc. *Ad obſiſtendum, &c.*

DUplici de cauſa, ſcribit Gregorius Imperatori, ſe mittere ad illum Nuncios ſuos, ut tandem aliquando toties promiſſa, nunquamque facta populi, Clerique Conſtantinopolitani cum latina Eccleſia conjunctio fiat,

Et ut fœdus ineatur contra Turcas, ut Imperium Græcum poſſit ad culmen ſuæ antiquæ dignitatis reſtitui.

Quæ ad hos duos fines conſequendos neceſſaria ſint, Imperatori exponent Nuntii, quibus credat.

D. ut ſupra.

Facultates datæ Nuntiis ituris Conſtantinopolim.

CXVIII. Ib. §. 3. GREGORIUS XI. Nunciis, &c.

Inc. *Attendentes, &c.*

QUia euntes Conſtantinopolim tranſituri per loca multa erant Nuntii, ubi nonnullæ erunt perſonæ utriuſque ſexus, ſæculares, regulareſque, quæ ab unitate fidei ſunt ſeparatæ, & fortaſſe ad unitatem venire volent, iis ſingulis dat has facultates Gregorius

I. Recipiendi per ſe, vel per aliam, vel alias perſonas idoneas quoſcunque cujuſcunque ætatis, conditionis, ſexus venientes ad unitatem eandem, eoſque uniendi Eccleſiæ. Iis formulas tradit exigendæ profeſſionis, præſtandique juramenti, quas attulimus ſupra;

II. Abſolvendi, reconciliandique Eccleſiaſticos ſchiſmaticos a ſchiſmaticis Epiſcopis ordinatos,

III. Diſpenſandi ſuper ipſis ordinibus, ſeu eorum executione, ipſoſque ad eoſdem ordines habilitandi,

IV. Quibuslibet Epiſcopis communionem S. Sedis habentibus dandi auctoritatem conferendi ordines non rite promotis per interſtitia aliquot dierum, vel etiam uno die, modo conſueta ſervetur materia, ac forma,

V. Promovendique hos promotos ita ad dignitates, officia Eccleſiaſtica, &c.

D. Novis Aven. Dioc. Non. Aug. P. a. IV. a. D. 1374.

De fœdere inito a Palæologo cum Turca.

GREGORIUS XI. Joanni Imp.

CXIX. Ib. §. 4. Inc. *Dilectum Filium, &c.*

„ LEgationem hanc in Conſtantinopolim parante
„ Gregorio, Palæologus perterritus Turcarum po-
„ tentia fœdus cum Amurate Turcarum domino fan-
„ xit ita indignum, ut ejus filius barbarum tanquam
„ ſtipendiarius in bello contra chriſtianos ſequeretur.

Imperator miſit ad Pontificem oratorem, ut ſe excuſaret, ſi neceſſitate ductus illud fœdus cum Turca pepigit.

Cui reſpondet Pontifex, ſe non poſſe vel reprehendere, vel laudare Imperatorem de fœdere cum Turca percuſſo; ſe illi compati, & quod dederit obſidem Turcæ filium, & quod fœdus inierit.

Cæterum cum Turcæ fide careant, ſemper cum illo, & cum Chriſtianis infideliter agent; & cum victorias ſuas circum Imperium extenderint, Imperator erit ab iis *quaſi in pugno concluſus*.

Salutem Imperatoris, populi, Imperii cum non conſiſtat niſi in vera, non fucata conjunctione cum latina Eccleſia, nunquam ex iis periculis emergendi iis facultas erit, niſi vere cum eadem Eccleſia conjungantur.

D. Aven. II. Id. Dec. P. a. IV. a. D. 1374.

Deſpota Peloponneſi invitatur ad Eccleſiam Latinam.

CXX. Ib. §. 5. GREGORIUS XI. Emanueli Cantacuzeno Deſpotæ Romaniæ.

Inc. *Sicut ſancta, &c.*

EManuel hic erat filius Joannis Cantacuzeni Imperatoris dejecti a Palæologo ex Imperio. Miſerat oratorem ad Pontificem, qui illi ſignificaret, ſe paratum eſſe ad Eccleſiam redire, & deſiderare ſummopere omnes Græcos ad eam venire.

Quo nuncio accepto, ſcribit illi Gregorius, ſe maxime fuiſſe lætatum, virum ejuſmodi & paratum eſſe conciliari cum Eccleſia, & deſiderio ardere pertrahendi alios.

Eum hortatur Gregorius, ſicut hortatur ejus Patrem, deſiderium hoc adimpleat; commodius eum illud adimpleturum eſſe æſtate proxime ventura, qua ſtatuit Romam adire.

Quoniam in ſua provincia eſt Eccleſia Patracenſis, aliæque Eccleſiæ Latinæ, eas illi commendat.

D. Aven. Id. Dec. P. a. IV. a. D. 1374.

Joannes Cantacuzenus laudatur, invitaturque Romam.

GREGORIUS XI. Joanni dicto Cantacuzeno ordinis S. Baſilii. CXXI. Ad ann. 1375. §. 2.

Inc. *Inter deſideria, &c.*

LAude prudentiæ doctrinæque inter Græcos florebat Joannes, & ex eo quod Imperator fuerat erat magna apud Græcos in exiſtimatione. Pro fide Catholica ſcripſerat, primatumque Romanæ Eccleſiæ & agnoſcebat ipſe, & prædicabat aliis.

Cum hæc de tanto viro accepiſſet Gregorius, lætitia eſt maxima perfuſus. Si enim de converſione cujuſcumque gaudere debet, multo magis eorum, qui exemplo ſuo alios movere poſſunt ad illam.

Lætatus eſt etiam ſummopere, cum audivit, eandem diſputantem ſuper iis, quæ dividunt Eccleſiam Græcam a Latina coram quibuſdam Fratribus ordinis Prædic. qui ituri erant in Armeniam, ut catholicam fidem diſſeminarent, dixiſſe, *ſe credere, ac tenere ſanctam Romanam Eccleſiam, quæ eſt mater omnium fidelium, & magiſtra, ſuper omnes orbis Eccleſias obtinere primatum; & quod ad hoc defendendum, ſi expediret, exponeret corpus ſuum.*

Hoc primatu admiſſo, cujus negotium in cauſa fuit, cur a latina Eccleſia Græca deficeret, facile eſt omnes alias controverſias, quæ inter utramque Eccleſiam ſunt conciliare.

Cum igitur ſumma ſit inter Græcos ejus auctoritas, cum ſumma ſit ejus doctrinæ fama, facile permovere Clerum poterit ad hujuſmodi concordiam amplectendam.

Ad quod illum hortatur & e fama quam ſibi comparabit, ſi conſequetur id, quod tandiu fruſtra tentatum fuit, & e merito, quod ſibi apud Deum parient.

Si ad faciendam unionem præfatam accedere velit Cantacuzenus Romam, quo pergere autumno proxime venturo Gregorius conſtituit, rem gratiſſimam ipſi faciet, ibique *jucundis obtutibus eum videret.*

D. Aven. V. Cal. Febr. P. a. V. a. D. 1375.

Græcos ſchiſmaticos reprimat Imperator, neque ſinat Turcas Conſtantinopolim ingredi.

GREGORIUS XI. Joanni Palæologo. CXXII. Ib. §. 4.

Inc. *Quia ſentimus, &c.*

RElatum ad Pontificem fuerat, Clericos, laicoſque illos, qui ſchiſma abjurarant, privari ſuis dignitatibus, variiſque injuriis ab iis, qui obſtinati volunt in eodem ſchiſmate permanere, affici.

Quod valde ingratum eſt Pontifici, quia videt abſterreri quoſdam ab abjuratione ſchiſmatis, & quia non tam prompte poteſt catholicos principes pro Græcis in Turcas armare.

Quare hortatur Imperatorem, ut jubeat ſuas dignitates, ſuoſque gradus Græcis catholicis reſtitui, vetet injurias iis irrogari.

Intellexerat etiam Pontifex, Turcas poſt factas inducias Conſtantinopolim intrare, multaque enormia ibidem committere.

Timens Gregorius ne Imperatorem decipientes urbem occupent, paterne illi conſulit, ut caute in hoc ſe gerat, eoſque ab illius aditu arceat.

D. Aven. V. Cal. Febr. P. a. V. a. D. 1375.

Invi-

Invitatur Emanuel Palæologus ad abjurationem.

CXXIII. Ib. §. 5. GREGORIUS XI. Emanueli Palæologo Græcorum Imperatori,

Inc. *Per ea, &c.*

EManuel Imperatoris filius, licet pater ſchiſma abjuraſſet, in ſchiſmate tamen permanebat ſimul cum ſuis fratribus.

Gregorius eum exſtimulat, ut patrem imitetur; nemo enim magis concordiam cum Romana Eccleſia optare debet, quam ſucceſſor ad Imperium, cum videat nullam potiorem rationem illud conſervandi eſſe poſſe, quam concordiam, quam ſi faciat, catholicorum principum auxilia ſibi comparabit.

Ne ſit ita Eccleſiæ ingratus, ut pro laboribus, quos illa ſuffert, ut auxilium illi comparet, pervicaciam in diſcordia rependat.

D, ut ſupra.

Anno 1398. Conſtantinopolis inibi fuit, ut caperetur a Bajazete Turcarum Domino: cruciatam prædicari juſſit Bonifacius IX. in ejus defenſionem.

Contra Tamerlanum indicitur Cruciata,

CXXIV. Ad ann. 1402. §. 2. INNOCENTIUS VII. Emanueli Palæologo Græcorum Imperatori.

Inc. *In vinea, &c.*

GRavior imperio Conſtantinopolitano hoſtis incubuit. Fuitque Tamerlanes Tartarorum Imperator, qui Bajazete Turcarum domino devicto, captivoque facto Europam ſubligere in animo ſibi propoſuerat; naveſque Imperatori Emanueli ad trajiciendas in Europam copias juſſerat; volebat etiam Conſtantinopolim capere, vireſque ſuas diſponebat, ut urbem illam obſideret.

Hæc omnia Emanuel Imperator ſignificari curavit per oratorem Pontifici, eumque rogavit, ut auxilia mitteret.

Pontifex periculum imminens videns, conſiderans etiam, Imperio Græcorum devicto, occidentalibus principibus eſſe importandum a Tamerlane exitium, facultatem dat eidem Imperatori deligendi viros doctos in ſacra pagina, qui prædicationis vivificæ crucis verbo per Siciliam, Trinacriam, Hungariam, Dalmatiam, Sclavoniam, Serviam, Valachiam, &c excitent fideles ad auxilium ferendum Imperio Græco.

Etiam facultatem illi dat Pontifex, ut poſſit eiſdem Prælatis injungere, ut concedant auxiliantibus Imperatori remiſſionem peccatorum, eaſque indulgentias, quas Romana Eccleſia concedit euntibus in liberationem Terræ Sanctæ.

Oblationes pecuniarum factas inſumat Imperator in hoc bello contra Tamerlanem.

Impedientes prædicationem hujuſmodi, diſſuadentes aliquibus, ne in auxilium Imperatoris eant, cenſuris Eccleſiaſticis vult innodatos.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Cal. Jun. P. a. I. a. D. 1405.

„ Ab hac expeditione Tamerlanem revocavit Za-
„ chatajæ Rex. Rebus cum illo compoſitis aggredien-
„ tem in Europam expeditionem mors occupavit.

Matrimonia cum latinis feminis contrahendi datur Græcis facultas.

CXXV. Ad ann. 1418. §. 17. MARTINUS V. Joanni Theodoro, Andronico, Conſtantino; Demetrio, & Thomæ filiis Manuelis Græcorum Imperatoris.

Inc. *Noſtræ profeſſionis, &c.*

IMperii Græci res ruebant in pejus, quo magis Turcarum potentia in dies ſingulos augebatur.

Qua de re magnopere Martinus dolet.

Ut igitur eas repararet aliquo modo, Imperator cenſuit renovandum eſſe negotium conjunctionis Eccleſiæ cum Latina, quia viderat ſemper ex hoc negotio propoſito emolumenta magna redundaſſe in Imperium.

Ut etiam principum Catholicorum auxilia ſibi compararet, putavit nihil *fatius eſſe*, quam filiis ſuis, qui erant ſex, latinas virgines uxores dare. Principes il-

li, quorum filias duxiſſent Græci, coacti auxilium iis dare fuiſſent.

Ergo ſignificavit Pontifici Manuel, ſe maxime optare cum latina Eccleſia Græcam conjungi, ſibi autem videri modum hanc faciendi conjunctionem optimum hunc eſſe, ſi ſibi daretur facultas eligendi mulieres latinas, quæ filiis ſuis nuberent; ita ſenſim ex affinitate orituram Latinos inter & Græcos amicitiam, demumque utriuſque Eccleſiæ ſtabilem concordiam.

Arriſit prudens Græci hominis Pontifici inventum, requiſitamque facultatem illi dat,

Modo tamen permittatur iiſdem mulieribus ritu latino vivere, *& ſine orthodoxæ fidei præjudicio.*

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Conſtantiæ VIII. Id. Apr. P. a. I. a. D. 1418.

Valde VVladislaus Poloniæ Rex pro hac unione laboravit.

Adduntur animi Imperatori contra Turcas.

MARTINUS V. Manueli Romæorum Imperatori. CXXVI. Ad ann. 1422. §. 2.

Inc. *Jam pridem, &c.*

AMurates Turcarum Dominus Conſtantinopolim die octava Junii obſidione cingi juſſerat; ad quam urgendam paulo poſt ipſe acceſſerat.

Pontifex ergo, ut animos addat Imperatori, illi ſcribit, ſe acceſſiſſe, *Turcam cum magnis copiis ex Aſia in Europam beneficio mercenariæ claſſis trajeciſſe*, & circumſidere Conſtantinopolim,

Ne tamen omnino cadat animis Imperator; ſe enim mandaſſe *Magiſtro, & fratribus hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, ut de Rhodo inſula omnibus quibus poſſent opibus eum juvarent*; ſcit eos poſſe propter vicinitatem inſulæ, ſcit eos debere ex profeſſione ſuæ religionis auxilium ferre;

Venetos inſuper devotos homines, ac potentes, qui etiam ipſa valent celeritate ſuccurrendi, propterea quod in Hadriatici maris ſinu claſſem hoc tempore inſtructam habent ex conſueta ſuæ Reip. diſciplina, ſe rogare, ut illi in hoc neceſſitate, prout ipſis videtur expediens, ſubvenirent, nec paterentur illud imperium, Imperatore ſic oppreſſo, in poteſtatem infidelium devenire: quod propter eorum ſingularem fidem erga Pontificem, & Eccleſiam Dei, & propter eam, quam exercent erga omnes Chriſtianos homines caritatem jam prompte feciſſe, & Pontificia rogamina præveniſſe cognovit;

Se rogare etiam Januenſes, & eorum nomine Philippum Mariangelum Ducem Mediolanenſem, eoſque monuiſſe, *ut a Turcarum præſidio revocarent quoſcumque Januenſes cum eorum claſſe, & ſtipendiis infidelium navigantes;*

Sed verum modum ſemet nunc, & ſemper ex hujuſmodi anguſtiis liberandi, eſſe concordiam veram, ſtabilemque cum Romana Eccleſia, tunc futuros Turcas ſegniores in aggrediendo Græco Imperio, ſi ſibi cum omnibus principibus Chriſtianis, quibuſcum ejuſdem fidei profeſſione conjunctum ſit, rem ſibi eſſe ſenſerint;

E ſchiſmate enim animos creviſſe Turcis, cum Catholici Principes lætarentur ab initio Græcorum ſuperbiam conteri, pertinaciamque vinci, ideo eos non miſiſſe ad Græcos auxilia;

Nunc cum ad incitas redactum imperium eſt, & hæc una via illud liberandi ſupereſt, rumpendas eſſe moras omnes, & concordiam ineundam.

Se miſſurum eſſe Conſtantinopolim legatos, ſperare fore ut cum iis controverſias omnes Imperator componat.

D. Romæ apud S. Petrum: notæ temporis deſiderantur.

De pace ſervanda in Peloponneſo.

MARTINUS V. Manueli, &c. CXXVII. Ib. §. 3.

Inc. *Quamvis non dubitemus, &c.*

THeodorus Peloponneſi Deſpota cum ſimultates cum Archiepiſcopo Patracenſi haberet, plurimam ſtragem eorum chriſtianorum ediderat. Sed inierat poſtea pacem.

Martinus Manuelem rogat, ut auctoritatem patriam interponat, efficiatque ut pax hæc ne perturbetur a Theodoro. Namque ipſe Pontifex jam ſcripſit Archiepiſcopo ne ullam cauſam iraſcendi principi daret.

Quod ſi Archiepiſcopus aliquid aget, quo Princeps pu-

tet suam dignitatem læsam, quin ad arma statim confugiat, id significet Pontifici, qui ejusdem dignitati consulet.

D. Romæ: desunt notæ temporis.

Anathema in ferentes arma ad Turcas &c.

CXXVIII. Ib. §. 4. MARTINUS V. ad p. r. m.

Inc. *Angimur siquidem, &c.*

NOn potest non magnopere Pontifex angi, & maximo dolore confodi, *quod nonnulli perditionis, & iniquitatis filii baptismatis fonte renati christianum nomen contemnentes, sueque salutis immemores dudum accepto ab infidelibus stipendio Turcos ab Asia in Europam trajicientes, & infideles ipsos potentia primum disjunctos unientes maritima tandem classe civitatem Constantinopolitanam una cum perfidis Turcis obsederunt, & variis calamitatibus molestarunt.*

Cum hoc in grave Christiani nominis dedecus, & detrimentum redundet, Nicolai IV. decretum confirmat vetantis sub excommunicationis pœna deferri ad infideles arma, & instrumenta, quibus in oppugnandis christianis, eorumque urbibus, castrisque uti possint, a qua excommunicatione absolvi non possint nisi a R. Pontifice.

Sint infames, &c.

Episcopi jubentur sanctionem hanc promulgare ad omnium notitiam.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. VII. Id. Nov. P. a. V. a. D. 1422.

„ Misit Pontifex Constantinopolim internuncium, „ quicum conveniret Imperator de concordia, sed cum „ de illa agebatur, Manuel mortuus est. Successorque „ in imperium ejus filius Joannes, cum Nuntius Pon„ tifici scripsisset, Græcos eam amplecti, electique Græ„ ci ab Imperatore, qui cum nuncio agerent, testati „ fuissent, Imperatorem concordiam esse facturum, Pon„ tifici scripsit, ministros suos abusos fuisse auctoritate „ sibi data, se enim iis dixisse, ne concordiam ini„ rent, sed agerent de concilio celebrando; revocavit„ que quæ sponderat,

Locum aptiorem nullum esse concilio celebrando, quam Constantinopolim; expensas tamen esse faciendas a Pontifice, cum Imperiale ærarium sit exhaustum.

Tempus celebrandi concilii hoc non esse, cum hostes bellum minentur; bello finito se missurum ad Pontificem oratores.

Rogat Pontificem, ut auxilia principum Catholicorum mittat contra Turcas,

Postulatque Cardinalem legatum.

Eo ingratiores hæ litteræ Imperatoris fuerunt Pontifici, quo magis credebat Græcos bona fide agere.

Locus etiam ipse concilii habendi non arridebat; prælati enim latini, legatique Pontificii fuissent in manu schismaticorum Imperatorisque. Itaque per aliquot annos altum de concordia utrinque silentium fuit.

„ Victoria Mustaphæ Turcarum Domini de Græcis „ relata, silentium Imperatorem rumpere coegit; misit „ enim ad Pontificem oratores, ut concilium Eugenius „ indiceret in loco opportuno habendum, cui interes„ set ipse Pontifex, & cui intervenire ipse Imperator „ cum suo Patriarcha volebat an. 1430.

„ Anno sequenti enixius flagitavit concilium Impe„ rator, cum Amurates Turcarum princeps obsidionem „ Constantinopolim cingere parabat, quam solvere eum „ coegerunt Veneti. 1431.

„ Basileense Concilium an. 1433. misit duos orato„ res ad Joannem Imperatorem Palæologum eum hor„ tans ad Ecclesiarum unitatem faciendam.

Imperator respondit, se nihil magis cordi habuisse, & habere, quam hujusmodi concordiam; testem esse hujus desiderii sollicitudinem suam in postulando œcumenico concilio,

Se mittere ad Patres oratores, quibuscum agant de illo conciliando, ac de loco;

Se nihil aliud velle nisi ut sit *liberum, inviolatum, & simpliciter secundum formas antiquorum Conciliorum.*

Die XV. Octobris.

Litteras etiam misit, quibus testabatur se approbaturum quidquid sui tres oratores cum Patribus de concilio pepigissent, vel si duo supersuissent, si aliquis ex iis moreretur.

In sessione decima nona concilii Basileensis agitatum fuit de habendo concilio pro unione Græcorum. Oratores Græci volebant, ut Constantinopoli haberetur, dicebantque orientales ad illud ituros suis expensis; si vero celebretur in occidente, faciendos esse sumptus pro itineribus ab Ecclesia latina.

Volebant Patres fieri illud Basileæ, quod negarunt Græci fuisse sibi recensitam ab Imperatore. In Italia Imperator elegerat Calabriam, Bononiam, Anconam, vel alium maritimum locum; extra Italiam Budam, Viennam in Austria, Sabaudiam.

Promiserunt oratores, venturos esse Imperatorem, & Patriarcham Constantinopolitanum cum aliis tribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis qui venire poterunt.

Statutum fuit, ut octo millia nummorum darentur Græcis pro cœtu orientalium Constantinopoli ineundo, ut quatuor triremes majoris alvei ornarentur ad ducendos Græcos in Italiam Latinorum impensis.

Petiere Græci, ut liceret unicuique Græco Episcopo *judicium suum dicere sine cujusquam impedimento vel violentia, sine contentione, hoc est contentione rixosa, & contumeliosa; non tamen excluduntur disputationes & collationes necessariæ, pacificæ, honestæ, & caritativæ.*

Patres Basileenses Græcorum postulata habuere rata volentibus Græcis ea confirmari a Pontifice.

Propositiones Græcorum factæ Concilio confirmantur.

EUGENIUS IV. In sacro Basileensi concilio congregatis. CXXIX. Ad ann. 1437. §. 17.

Inc. *Existimanter, &c.*

SEmper se laborasse, ut concordia inter utramque Ecclesiam fieret, testatur Eugenius; & in Concilio Constantiensi *hanc materiam summa cum diligentia promovit*, semperque institit apud Martinum V. ut eam curaret, eumque permovit, ut Constantinopolim oratores mitteret.

Factus Pontifex Bononiam delegit, ut ibidem per Concilium illa iniretur.

Misit idcirco oratorem ad Palæologum, eum orans ut capitula proponeret. Proposita orator Pontificius Christophorus Garatonus peritus linguæ Græcæ, latinæque attulit ad Eugenium, qui illis examinatis, remisit eundem oratorem eodem cum capitulorum confirmatione.

Dum in hoc res erant statu, nuncius a Patribus Concilii missus attulit ejusdem Concilii confirmationem pactorum initorum cum Græcis.

Res Pontifici non est ingrata, immo jucunda, ita enim videt & Patribus cordi hanc unionem esse; sed nollet hinc aliquid enasci posse, quod unionem impediret, fieri enim potest ut aliquid vel concedat, vel neget Concilium, quod vel non concessit, vel non negavit orator Pontificius, hinc Græci putantes se illusos facile possent ab unione resilire.

Satius est, Patres permittere omnia Pontifici, quem ita sollicitum de concordia facienda vident.

Hæc monita faciant Patres æqui, bonique.

D. Florentiæ XVIII. Cal. Dec. P. a. IV. a. D. 1434.

„ Accidit nimirum quod suspicatus fuerat, Patresque „ Basileenses commonuerat, caverent ne evenirent. Ba„ sileenses pacti fuerant cum Græcis, ne concilium „ haberetur Constantinopoli, at Eugenius per suum ora„ torem assensus erat, ut Constantinopoli haberetur. „ Eugenius non potuit Basileenses flectere, ut id ap„ probarent.

Bene habet, quod Imperator, & Patriarcha postulabant, ut concilio interesset ipse Eugenius, sicut interfuturi erant & Imperator, & Patriarcha. Sed cum Eugenius ostendisset Græcis se illuc ire cum ob distantiam, & itineris difficultates, tum ob infirmam valetudinem non posse, permiserunt Græcis electionem alicujus urbis in Italia, quo ipse commode se conferre posset. a. 1435.

„ Rursus confirmata fuerunt pacta inita cum Græ„ cis de Concilio celebrando; de fide publica Palæo„ logo, aliisque septingentis Græcis venturis ad Con„ cilium syngrapha data;

„ Data etiam fuit sponsio, nisi optata concordia fieret, Ecclesiam latinam non esse postulaturam ab Imperatore expensos nummos. 1436.

De lo-

De loco deligendo pro Concilio, in quo fiat concordia.

CXXX. Ad ann. 1437. §. 2. EUGENIUS IV. Joanni t. S. Petri ad vincula & Joanni t. S. Sabinæ presbyt. Card. A. S. LL.

Inc. *Ex litteris, &c.*

NArrat Pontifex præfatis legatis quosdam Patres Basileenses proposuisse Avenionem, ubi celebraretur Concilium.

Quam urbem rejicit Eugenius,

Quia ipse illuc adire non potest *ex multis urgentibus causis*,

Et quia illa urbs non est inter assignatas ab Imperatore.

Ne igitur tam levi de causa discordiæ super concordia oriantur, quæ oriri possent, efficiant legati, ut locus aptior & Græcis, & Pontifici in Italia eligatur.

D. Bononiæ, desunt notæ.

Cum obstinati Basileenses nollent locum in Italia assignare, quo Pontifex se conferret, neque Græci vellent Avenionem ire Bissipatus Imperatoris, & Patriarchæ Constantinopolitani orator per cedulam Patres admonuit, per Græcos non stare, quominus Concilium habeatur; se venisse ut iis significaret, omnes de Ecclesia orientali paratos esse ad Concilium venire; se commonere Patres, ut adimpleant conventa, quæ nisi adimpleantur, plura enasci mala posse, se venisse, ut videret an locus consilio habendo assignatus ibi sit, quo Pontifex adire possit, cum Pontificis præsentia requiratur.

Se mirari, velle Ecclesiam latinam agere de concordia cum Græca, cum ipsa *ita sit inter se divisa; hoc* esse argumento, non ita desideratam fuisse unionem Græcæ, ut dictitabant.

Se venisse demum, ut videret, an Galeæ, de quibus erat conventum, essent bene instructæ, armataque;

Quæ omnia nisi facta sint, protestandum sibi, in culpa esse latinos, cur concordia non fuerit inita, non Græcos;

Se, ex oriente in Italiam venisse, Episcopos per summa pericula venisse ex ultimis orientis oris Constantinopolim, & Patres adhuc non potuisse convenire de loco in Italia urbibus referta, in quo haberetur Concilium.

Saltem mortales omnes agnoscent paratos fuisse Græcos ad Ecclesiam redire; redire autem eos non potuisse, quia Latini pactis non steterc.

De Utino, vel Florentia nata contentio est; quam diremerunt Galli oratores, proponendo Florentiam.

Grates aguntur Regi Galliæ, quod Florentiam proponi fecerit.

CXXXI. Ib. §. 5. EUGENIUS IV. Carolo Francorum Regi.

Inc. *Quamvis viderimus, &c.*

GRatias agit Regi Eugenius, quod semper se paratum facere, quæ grata S. Sedi credit ostendit: nihil certe sibi oprabilius, nihil gratius accidere potuit, quam cum illius oratores urbem Florentiam proposuerunt, in qua celebraretur Concilium.

Accommoda est Pontifici, accommoda Patribus, Græcis grata.

Sicut illa urbs est regis nomini devota, ita efficiat Rex, ut semper firma sit.

D. Bononiæ, &c. desunt temporis notæ.

„ Imperator die nona Februarii, an. 1438. Venetias „ appulit, obviam illi iverat Dux cum Dominio in „ Bucentauro; jam Eugenius Venetias duos Cardina„ les & Marchionem Estensem, qui nomine Ponti„ ficis illi de adventu gratularentur miserat.

Die quarta Martii venit Ferrariam, Patriarcha vero „ die octava. Imperatori ivit obviam Pontifex.

„ Cum Ferraria visa fuisset Imperatori, ac Patriar„ chæ urbs commoda, assensus est Patriarcha ut Con„ cilium ibidem fieret, quod permisit & Imperator.

De Concilio Oecumenico Ferrariæ celebrando.

EUGENIUS IV. ad p. r. m. CXXXII. Ad ann. 1438. §. 12.

Inc. *Magnas omnipotentis, &c.*

SI unquam apparuit, Deum non esse deserturum suam Ecclesiam, nunc profecto luce meridiana clarius apparet.

Omnia enim obstacula, quæ per tot annos firmandæ Ecclesiæ Græcæ cum Latina concordiæ opponebantur etiam ab illis, qui minus debebant, feliciter sublata sunt.

Decet ergo nunc Pontificem nervis omnibus contendere, *ut hæc felicia cœpta jugi sollicitudine felicem progressum, & exitum habeant.*

Jam Imperator vix ac Venetias applicuit protestatus est, se non posse Basileam ire, requisivitque, ut Ferrariæ Concilium œcumenicum haberetur, eosque Patres est hortatus, ut Ferrariam venirent.

Cum ergo decreverit Eugenius Bononiæ se ibi celebraturum esse œcumenicum Concilium, ubi Græcorum Imperator, & Patriarcha statuissent, ne hujusmodi concordia diutius differretur, cumque id approbassent etiam Patres Basileenses, declarat,

Sacram esse, universalem seu œcumenicam Synodum in Ferrariensi civitate omnibus libere, & secure, sicque dictam Synodum ab omnibus reputari, & appellari debere, &c.

D. Ferrariæ in generali sessione synodali solemniter in Ecclesia majori Ferrarienti celebrata anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVIII. V. Id. Aprilis, Pontificatus nostri anno VIII.

Indulgentiæ dantur eleemosynas conferentibus, &c.

EUGENIUS IV. universis, & singulis Christifidelibus. CXXXIII. Ib. §. 15.

Inc. *Ad salutem, &c.*

ENarratis paucis curis, quas insumpsit Pontifex, ut optata Ecclesiarum concordia fieret,

Etiam quot sumptus facere debuerit exponit.

Quas quidem expensas cum Ecclesiæ thesaurus ferre nequeat, ad Christifideles confugit, ut opem matri suæ ferant.

Illa est dignissima quæ sublevetur, cum eas fecerit pro conversione tot animarum, quæ perirent.

Ut autem facilius eos moveat, conferentibus eleemosynas juxta suas facultates permittit electionem confessarii idonei, a quo absolvi possint ab omnibus peccatis censuriisque

Qui dispensare possit super votis *peregrinationis, abstinentiæ, vel similibus.*

Qui in articulo mortis possit plenariam absolutionem iis impertiri.

Ne autem aliqui procliviores hinc fiant ad mala, pronuntiat, eos qui eleemosynas hac spe facerent, illas non esse lucraturos indulgentias.

Mandat Ecclesiarum prælatis ut in diœcesibus quisque suis hanc constitutionem per Prædicatores publicari faciant, qui fideles ad hoc opus tam pium excitent.

D. Ferrariæ VIII. Cal. Oct. P. a. VIII. a. D. 1438.

Decima beneficiorum præscribitur exigenda.

EUGENIUS IV. Baptistæ legum Doctori, Clerico Cameræ, &c. CXXXIV. Ibid.

Inc. *Dudum Basileense, &c.*

UT Ecclesia perferre posset gravissimas expensas faciendas pro unione &c. statuerant Concilii Basileenses Patres, ut cum Imperator cum suis Græcis pervenisset vel Utinum, vel Florentiam, vel in illam Urbem in qua celebrandum esset Concilium, exigeretur omnium ecclesiasticorum beneficiorum decima.

Jam notum facit Eugenius Imperatorem advenisse Ferrariam, ibique inceptum fuisse Concilium; proinde colligenda est decima.

Ne autem Clerus putet, eam colligi sine causa, quas expensas fecerit, exponit.

Hactenus usque ad summam circiter octoginta millia ducatorum expendit, & *singulis mensibus usque ad con-*

sum-

summationem tam pro expensis eorum (Græcorum) *qui sunt in Concilio, quam pro duabus galeis, & trecentis ballistariis civitatem Constantinopolitanam custodientibus* (ita conventum erat, & eos Ecclesia ibidem habere debebat, donec Imperator reversus Constantinopolim fuisset) *quinque millia ducatorum exponere necessarium est*.

Quia igitur Ecclesia per se tot expensas facere nequit, ideo decimam hanc imposuit exigendam.

Clerus eam solvat æquo animo, ne tantum bonum jam inchoatum sit necesse interrumpi.

Mandat demum eidem Baptistæ, qui decimam exigere debebat in Castellæ, & Legionis regnis, ut eam colligat ex omnibus bonis Ecclesiasticis etiam Cardinalium, militiarum, omnium demum qui alias exempti sunt.

D. Ferrariæ ut supra.

„ Prima omnium quæstionum agitata fuit controver-
„ sia de processione *Spiritus S.* etiam a *Filio*, & an
„ recte addita fuerit symbolo Nicæno vox *Filioque*.
„ Non est nostri instituti referre quæ fuerint a Græcis
„ objecta contra, quæ responsa pro processione Spiri-
„ tus S. a Patre, & a Filio a Latinis.

Qui obstinatissime eam impugnabat, erat Marcus Ephe-
„ sinus Archiepiscopus.

„ Mitram Pontificiam oppignoravit Eugenius qui-
„ busdam mercatoribus Florentinis ad summam quadra-
„ ginta millium numorum. Florentini polliciti sunt Eu-
„ genio alia quadraginta millia se donaturos, si Con-
„ cilium transferretur Florentiam, ibique definiretur,

Concilium transfertur Florentiam.

CXXXV. Andr. a S. Cruce col. 14. EUGENIUS IV. Universis Christi-fidelibus,

Inc. *Cum multæ, &c.*

FErrariæ jam anno superiore grassari contagium cœperat, pluresque quotidie moriebantur mortales, jamque non pauci Patres *Ferraria discesserant*, multique, qui venturi erant, eo se conferre nolebant;

Etiam commercium interdictum fuerat a finitimis principibus cum Ferrariensibus, quod semper in hujusmodi morbi suspicionibus fieri consuevit; proinde caritas annonæ etiam Ferrariæ erat.

Pontifex ergo, consentientibus Imperatore, & Patriarcha illud Florentiam transfert *urbem liberam, securam, pacificam, & quietam, aerisque salubritate lætantem & ad quam inter Therrenum Hadriaticumque mare optime sitam ab orientalibus, & occidentalibus commode accedi potest.*

Plenas securitates, & salvos conductus quos dedit venientibus Ferrariam confirmat accessuris Florentiam Eugenius.

D. Ferrariæ in sessione publica in Ecclesia majori solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVIII. IV. Id. Januarii P. a. VIII.

„ Sexdecim sessiones habitæ fuerant Ferrariæ. Flo-
„ rentiam quoque magnifice exceptus fuit Imperator,
„ magnifice Patriarcha Josephus.

„ In prima sessione, quæ fuit XVII. habita Floren-
„ tiæ factus fuit canon, Spiritum Sanctum procedere
„ a Patre & a Filio, reclamante Archiepiscopo Ephe-
„ sino, & contra illum disputante Archiepiscopo Ni-
„ cæno: is erat Bessarion, postea Cardinalis.

„ Mortuus est optimus Patriarcha Constantinopoli-
„ tanus, qui moriturus professus est se credere quid-
„ quid sancta Catholica, & Apostolica Romana credit
„ Ecclesia; sepultusque fuit in Ecclesia S. Mariæ No-
„ vellæ Florentiæ.

„ Alia fidei capita, de quibus erat controversia in-
„ ter utramque Ecclesiam, examinata, discussaque fue-
„ runt, quæ Græci se credere, sicut illa credit Lati-
„ na Ecclesia, sunt professi, veneratique Eugenium tan-
„ quam primum Ecclesiæ Catholicæ Episcopum sunt.

Decretum de unione Ecclesiæ Græcæ cum Latina.

EUGENIUS IV. ad p. r. m. CXXXVI. B.M.t.4. p. 335. B.R. t.l. p. 3. p. 25.C.C.

Consentiente Joanne Palæologo Romæorum Imperatore, & locum tenentibus Patriarcharum, & cæteris Orientalem Ecclesiam repræsentantibus.

Inc. *Lætentur cœli, &c.*

JAm dirutus, inquit Eugenius, murus ille est, qui a Romana Ecclesia tandiu divisam Græcam habuit. Summæ igitur grates habendæ Deo sunt, quod tandem hæc ad illam redierit.

In Florentino Concilio, quod principe studio ad id coactum fuerat, pax hæc fuit firmata, & in eo Græca Ecclesia consensit de fide horum articulorum, quos suscepit, & se perpetuo eos esse credituram, defensuramque spopondit;

I. Spiritum S. a Patre, Filioque procedere, recteque additam esse Nicæno Symbolo vocem *FILIOQUE*,

II. *Sive in azymo, sive in fermentato* secundum ritum utriusque Ecclesiæ *triticeo pane Corpus Christi veraciter confici*,

III. Animas fidelium in caritate Dei decedentes antequam veros pœnitentiæ fructus ediderint, *Purgatorii pœnis post mortem purgari*; & plurimum ut ab iis releventur, eas per fidelium suffragia adjuvari,

IV. Eas, quæ post baptismum nullam contraxerunt maculam, vel contractam pœnitentia abluerunt, in cœlum recipi, ibique Deum videre trinum, & unum visione faciali pro diversitate meritorum alias aliis perfectius;

V. Illas vero, quæ in actuali peccato, *vel solo originali decedunt mox in infernum descendere*, pœnis tamen disparibus puniendas;

VI. Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum esse successorem B. Petri, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium christianorum Patrem, & doctorem existere.

Renovat Pontifex ordinem Patriarcharum in Canonibus traditum, ut Patriarcha Constantinopolitanus sit secundus (Primo existente Romano Pontifice) tertius Alexandrinus, quartus Antiochenus, quintus Hierosolymitanus, *salvis omnibus privilegiis, & juribus eorum*.

D. Florentiæ in sessione publica synodali solemniter celebrata in Ecclesia majori anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIX. Non. Julii Pontificatus anno IX.

„ Hoc decreto lecto Græci Pontificis genu, dexte-
„ ramque osculati sunt.

„ Marcus Archiepiscopus Ephesinus iratus Florentia
„ discesserat.

„ Imperator his peractis discessum Florentia paravit.

Acta in Concilio nota fiunt omnibus.

EUGENIUS IV. Universis, & singulis Christi-fidelibus. CXXXVII. Ad ann. 1439. §. 9.

Inc. *Exultare in Domino, &c.*

DE concordia toties frustra tentata, nunc autem facta Ecclesiæ Græcæ cum Latina ad agendas Deo gratias, & ad lætitiam excitat universos singulosque Christi-fideles Eugenius.

Tum curas suas in ea promovenda, complendaque exponit,

Exponit Concilio interfuisse Græcorum Imperatorem, quatuorque Ecclesiæ orientalis Patriarchas,

Agitatam quæstionem fuisse de processione Spiritus S. a Filio decisamque, comprobatos a Græcis & articulos alios fidei, quos antea non credebant;

Nihil hoc opere præstantius est; totum est Dei bonitati referendum.

Ut autem in vera fide iidem Græci permaneant, efficiendum est, ne opprimantur a Turcis.

Quare ad fideles confugit Eugenius eos orans, ut eleemosynas in tam pium opus conferant. Ecclesia, nisi esset exhausta e pluribus magnisque expensis hactenus factis, ad fideles non confugeret; necessitate impulsa eorum opem implorat.

D. Florentiæ id. Aug. P. a. IX. a. D. 1439.

Auxi-

Auxilia maritima, terrestriaque promittuntur Imperatori.

CXXXVIII. Ib. §. 10. EUGENIUS IV. Joanni Palæologo, &c.

Inc. *Cum pro ineffabili, &c.*

QUoniam sublatum est schisma illud, quod per annos fere quingentos inter Ecclesiam Latinam, Græcamque tenuit, credique vere potest Græcorum, Latinorumque esse unam fidem, unumque cor,

Et ut Palæologus videat, quæ se facturam receperat Ecclesia Latina, eam revera præstare, nempe eam esse daturam Græcis auxilium magnum, si ad Ecclesiam rediret, *de consilio, & assensu* Cardinalium pollicetur Joanni Eugenius,

Quod per totum mensem Martii proxime secuturum versus Constantinopolim mittet decem galeas armatas, quæ pro defensione Imperii spatio unius anni, vel si utilius videretur, viginti inter galeas & naves, quæ spatio sex mensium in locis illarum partium, ubi magis opportunum videbitur permanebunt.

Ut autem etiam terra rem gerere Palæologus contra Turcas possit, Eugenius eum *in aliquo adjuvabit pecuniario subsidio*, rogabit Romanorum Imperatorem Albertum Hungariæ, & Bohemiæ regem, ut in Turcas bellum moveat, & ipse exercitui personaliter præsit.

Solvet etiam trecentis ballistariis pro tuitione civitatis Constantinopolitanæ a die, quo Imperator applicuerit Constantinopolim usquequo fiat prædicta navalis expeditio, mensuatimque ordinabit pro uno anno pecunias apud Constantinopolim pro stipendio dictis ballistariis debito valeat satisfieri.

Quod si interim moriatur Eugenius, vult Romanam Ecclesiam ad hæc omnia Imperatori præstanda adstringi.

D. Florentiæ IX. Cal. oct. P. a. IX. a D. 1439.

Nonnulli (Græci) *ea quæ Florentina synodus peregerat aliter quam gesta erant in vulgus sparsere; quorum mendacia refellere aggressus est Vessario, seu Bessario egregio volumine, quod Alexii Laschari Philantropini nomini dicavit, in quo & historicum simul, & Theologum agit. Inter eos, qui eidem concilio adversati diu expeditam, tantoque partam labore Ecclesiarum conjunctionem postea dissolverunt, Marcus Ephesi Archiepiscopus extitit, in quem præter Latinorum elucubrationes* (inter quos eminet Cardinalis Turrisremata) *extant Græcorum libelli Georgii Heronomachi Protosyncelli, Josephi Methonensis Episcopi Gennadii postea Patriarchæ Constantinopolitani luculentissimi Commentarii.* Raynaldus an. 1440. §. 16.

Commendatur Constantinus Palæologus, quod concordiæ faciendæ studeat.

CXXXIX. Ad ann. 1441. §. 5. EUGENIUS IV. Constantino despoto Palæologo.

Inc *Quanto cum desiderio, &c.*

EPiscopus Coronensis Pontificis orator, aliique scripserant Eugenio Constantinum nulli labori parcere, ut Ecclesiam Græcam induceret in factam concordiam, quod etiam promiserat eidem Episcopo se semper curaturum.

Eum valde commendat Eugenius, testaturque se illi maximopere hac de causa obstrictum.

Illi autem pollicetur si Imperator fiet, se missurum ad illum præsidia, & auxilia, quæ pollicitus fuerat Imperatori Joanni, pro tuitione Constantinopolis, sed quæ Joannis *culpa, & tepiditate impleri non potuerat.*

Eum hortatur, ut inceptum opus urgeat.

D. Florentiæ XI. Cal. Maji. P. a. XI, a. D. 1441.

De classe apparanda in Turcas. & de propaganda unione.

CXL. Ad ann. 1443. §. 22. EUGENIUS IV. Joanni Imperatori.

Inc. *Accessit ad præsentiam, &c.*

ORatorem miserat Palæologus ad Pontificem, ut eum hortaretur, ut classem pararet, & instrueret.

Eugenius respondet, se recepisse oratorem Imperatoris, a quo intelliget classem esse pene in promptu, neque se desistere a curis, & sollicitudine, ut quamprimum instruatur.

Se mittere ad partes Græciæ legatum, a quo Imperator *erit de occurrentibus singulis plenissime informatus.*

Eum rogat, ut *curare omni ope, & diligentia velit, quod negotium unionis, quam tantis laboribus, & expensis partam fuisse novit, felicioribus in dies successibus amplietur.*

D. Senis III. Id. Junii P. a. XIII. a. D. 1443.

„ Anno 1444. Turcæ ex Asia in Europam trajecti
„ sunt; *in angusto quodam loco, quod inter Proponti-*
„ *dem, & Euxinum pelagus spatii interjacet Europam*
„ *ab Asia discriminans Asianus transvectus est aureo nu-*
„ *mo a singulis vectori tradito. Centum millia fuisse*
„ *ferunt.* Martinus Barletius *de rebus gestis Scandem-*
„ *bergi* l. 2. Æneas Sylvius *Europ.* c. 50. id refert de
„ aliquibus Genuensibus.

„ Marcus Archiepiscopus Ephesinus impellit Græcos
„ in vetus schisma.

„ Anno 1449. die ultima octobris mortuus est Im-
„ perator Joannes Palæologus, cui successit Constanti-
„ nus ejus frater.

De concordia servanda, procurandaque; vaticinium de Constantinopolis excidio.

NICOLAUS V. Constantino Romæorum Imperatori. CXLI. Ad ann. 1451. §. 1.

Inc. *Oratorem tuum, &c.*

SIgnificat Nicolaus Constantino, se recepisse ejus oratorem cum litteris, ex illo, & his intellexisse desiderium, quo ardet promulgandi decretum unionis in universali Florentina synodo promulgatum; intellexisse præterea impedimenta, quibus detinebatur, ne illud ederet. Quæ examinata a Cardinalibus non sunt habita tanti, ut ejus publicationem remorari possent.

Accipiat animo æquo Imperator, quæ est Pontifex illi *amantissimo animo dicturus*.

Poterat, si voluisset prædecessor Imperator Joannes rem ad felicem consummationem perducere; *sed dum nimis hanc rem temporali statui vult coaptare de medio subtractus est.* Succedit Constantinus; ille ergo quod frater non potuit conficiat; neque protrahendo velit & reatus, & pœnæ fieri particeps.

Namque si sine professione symboli nemo salvari potest, & symbolo profitemur unam esse Ecclesiam, necessaria rerum consequutione fit, ut unum tantum debeat esse hujus Ecclesiæ caput; caput, inquam, non invisibile, quale Christus est, qui est unus, & est hujus Ecclesiæ institutor; sed visibile, sed ministeriale; si enim plura essent capita, plures etiam essent Ecclesiæ falsumque esset symbolum, in quo dicimus nos credere *unam Ecclesiam*.

Interea Imperator qui decretum unionis non edit, nec executioni demandari curat, Ecclesias duas facit; duo enim capita interea agnoscuntur (Romanus Pontifex, & Patriarcha Constantinopolitanus.) Videat severius animadversum fuisse a Deo in Core, Dathan, & Abiron scissuram populi facere molitos, quam in idololatras Hebræos.

Circumspiciat imperium suum, olim orbi universo imperitabat, longe lateque diffusum, refertum viris doctrina, & sanctitate inclitis. Nunc vero angustis est limitibus circumscriptum, neque in sua exiguitate tutum est, hostes potentissimi tenent omnia finitima loca. Undenam decrementum hoc originem habuisse dicendum est?

Propter idololatriam captivæ factæ sunt ab Assyriorum regibus decem tribus; deinde aliæ duæ cum rege ductæ sunt captivæ a Rege Chaldæorum, annosque septuaginta captivæ remanserunt; & propter Deicidium eversæ Hierosolymæ fuerunt a Tito Vespasiano, dispersaque tota gens fuit.

Nullum ex his criminibus Græci patrarunt; at si propter peccata veniunt mala, dicendum est, in grave aliquod peccatum incidisse Græcos, quorum majorem imperii partem voluit Deus distrahi, occuparique ab infidelibus. Hoc autem crimen esse non potest nisi schisma.

Auctore Patriarcha Photio sub Nicolao Papa I. incœpit, & usque ad nostra tempora devenit; quingenti anni sunt, ex quo Græci profitentur in symbolo unam esse Ecclesiam, duasque faciunt; verbisque facta opponunt.

Tandem per multos labores, per multas impensas concordia facta fuit inter utramque Ecclesiam. Hujus concordiæ juramento a Græcis firmatæ testis est uni-

ver-

versus orbis, cum in Florentino Concilio adessent omnium principum Legati. Decretum unionis omnibus audientibus lectum fuit, publicatumque; in Græcia tamen, cujus reducendæ ad unitatem causa tot labores insumpti fuerant, facti sumptus tot, unionis hujus decretum tegitur.

Instat Pontifex, ut publicetur; Græci leves causas dilationis afferunt, excusationes frivolas adducunt. Intelligunt Latini, quo tendant hujusmodi excusationes, *intelligunt, sed tolerant, intuentes Dominum Jesum Christum æternum Pontificem, ficulneam infructuosam arborem usque in tertium annum servari jussit, cum cultor illius propter sterilitatem cuperet amputari.*

Ita responsum vult Imperatori Nicolaus, qui etiam dissimulabit, donec his litteris respondeat Imperator. Si decretum edet, habebit Ecclesiam Latinam ejus honori, & utilitati intentam, si illud publicare differet, aget Pontifex, quæ saluti Græcorum, & honori S. Sedis convenire credet.

Restituat Constantinus jura Patriarchæ; ille unus in spiritualibus imperet, ille unus ordinet, & in sua diœcesi Pontificalia exerceat,

Nomen Romani Pontificis recitetur in diptychis, & pro ipso nominatim expresse ab universa Græcorum oretur Ecclesia, sicut hi, qui Deo placuere, & Constantinopolitani Patriarchæ, & Imperatores hactenus servivere.

Pro sua sapientia ita rebus consulat Imperator, ut Deo simul, & hominibus officium sapientissimi principis adimplere videatur.

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Octob. P. a. V. a. D. 1451.

Mittitur Constantinopolim Pontificia classis in auxilium.

CXLII. Ad ann. 1453. §. 2. NICOLAUS V. Archiepiscopo Ragusino in urbibus Græciæ A. S. L.

Inc. *Divina disponente, &c.*

„ Isidorum Archiepiscopum Kioviensem quem creaverat „ Cardinalem, miserat Nicolaus ad Imperatorem „ Constantinum, ut illi persuaderet ut edictum con„ cordiæ factæ Ferrariæ inter utramque Ecclesiam pu„ blicaret.

„ Sed interim Mahometes Turcarum Dominus ad „ Bosphori angustias arce excitata se velle Constanti„ nopolim obsidere ostendit. „

Perterrefacti Græci oratores ad Nicolaum miserunt, ut Latinorum auxilia coacta contra Turcas mitteret.

Nicolaus classem parayit *juxta facultatis suæ possibilitatem*, cui præesse vult eumdem Archiepiscopum Ragusinum, quem creat Legatum A. S.

Cui mandat, ut se circumferens per loca Græco Imperio vicina principum, populorumque Latinorum, Græcorumque auxilia imploret, & contra Turcas excitet.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Maji P. a. VII. a. D. 1453.

Serius tamen classis Pontificia advenit. Constantinopolis enim jam capta a Mahomete fuerat die XXIX. mensis Maji.

Cardinalis Rutheni qui præsens aderat, rem omnem describentis litteras affert Raynald. ad eumdem ann. §. 5.

De casu Constantinopolis, & de resistendo Turcis.

CXLIII. Ib. §. 3. NICOLAUS V. ad p. r. m.

Inc. *Fuit jam, &c.*

DUo fuerunt Mahometes; primus præfiguratus ab Joanne in Apocalypsi per Draconem septem gestantem diademata, *qui cauda sua traxit tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram, universum jere orientem occupavit, & Ægyptum atque Africam, & profanavit Sanctam civitatem Hierusalem, servavit tamen divina providentia fidelium Ecclesiam.*

Surrexit novissime nostris temporibus secundus Mahometes illius impietatis imitator effundendi Christiani sanguinis avidissimus, qui Constantinopolim obsidione cepit, Ecclesias profanavit sacris imaginibus Jesu Christi, ejusque Matris contumeliis intulit &c. & tam quam alter Sennacherib in malitia sua gloriatur, & se totum occidentem occupare velle jactitat.

Dolore captus Nicolaus Capitis tam insignis imperii urbis deperditæ, perculsus timore, ne victorias suas Mahometes proferat, omnes principes per Christi viscera obsecrat, obtestaturque, ut arma in eum sumant, ejusque impetus retardent.

Nempe a defendenda Ecclesia, a defendenda communi patria se exemptum esse credat.

Omnes autem qui per sex menses a Cal. Febr. proxime venturi incipiendos, sive laici, vel Clerici in tanta Ecclesiæ necessitate personaliter intererint inter Cruce signatos indulgentias acquirent Crucesignatis dari solitas, &c.

Easdem indulgentias acquirent numos mittentes.

Pontifex omnes obventiones e provisionibus beneficiorum provenientes huic bello addicit,

Cardinales polliciti sunt decimas suorum beneficiorum,

Eadem decima imperata fuit officialibus curiæ,

Quæ indicitur toti clero super suis beneficiis.

Ecclesiasticas censuras minatur ferentibus auxilium Turcis;

Et ut ab omnibus hoc bellum geratur principibus indicuntur inducias.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Cal. Oct. P. a. VII. a. D. 1453.

„ Quæ ad Cruciatas spectant Bullæ, eas vide t. 1. „ cap. de Cruciatis. Hæc enim una sufficiat attulisse, „ Fere omnes sunt ejusdem tenoris. „

Peloponnenses defendunt Christi causam, laudanturque.

CXLIV. Ad ann. 1459. §. 17. PIUS II. Baronibus Constantinopolitanis, ac Peloponnensibus,

Inc. *Nuper non sine, &c.*

ANno superiore multi Barones Constantinopolitani, & Peloponnenses se dederant inviti Turcis, cum non potuissent ejus viribus resistere. Postea vero a Turca rebellarunt, seque vero suo Domino tradiderunt Thomæ Palæologo Despoto.

Hæc nuntiata Pio conversio illum gaudio summo perfudit; videt enim eorum fidem, eorum in Christianam religionem amorem; eos proinde summis laudibus extollit.

Sed sicut in Evangelio laudatur non qui incœperit, sed qui perseveraverit, ita constantes in consilio hujusmodi persistant.

Dabit iis Deus auxilium, quo fulti possint Turcæ resistere. Etiam Pontifex in quibuscumque modis poterit auxilium illis dabit,

D. Mantuæ prid. Id. Jul. P. a. I. a. D. 1459.

„ Anno 1461. Turcæ Imperii Græci reliquias om„ nes occuparunt; occuparunt enim plurimas insulas „ in mari Ægæo sparsas, occuparunt Peloponnesum, „ & imperium Trapezuntinum exciderunt. „

Monet Pius Mahumetem II. ut Christianorum imperia ne turbet, eumque hortatur ut Christianus fiat.

CXLV. Ad ann. 1461. §. 16. PIUS II. Mahumeti Turcarum principi,

Inc. *Scriptum ad te, &c.*

„ NAtus erat Mahumetes ex matre Christiana Al„ bana, jam dicitur suspectam habuisse Maho„ meticam impietatem, nullamque legem coluisse. Tan„ to magis excitatus fuit Pius ad scribendum illi has „ litteras, quas hic ponere recte credidimus, cum „ in Imperium Constantinopolitanum Turcæ succesere„ rint; „

Eum rogat Pius, ut hæc scripta legat; neque putet Romanum Pontificem inimicum: est inimicus operum, non ipsius; imo paratus est omnia pro illo facere, etiam animam pro illo ponere, sicut Christus posuit pro ovibus suis.

Ne horrescat hoc nomen Christi, quem lex ipsa Mahumedana magnum prophetam, virumque Deo carum fuisse docet,

Multa

Multa bella Turcæ, & Christiani inter se gesserunt, Christiani sæpe fuere victi, ditiones Turcarum amplificatæ, quæ Christianorum erant, has victorias probant. Sed victoriæ hujusmodi partæ fuerunt potius e discordiis Christianorum inter se, quam Turcarum armis. Si Christiani principes concordes fuissent, non eos retulissent Turcæ triumphos. Per annos octoginta Turcæ bellam inferunt Hungariæ, & adhuc illud regnum non subegerunt. Ne velit sibi in animum inducere Italiam aggredi. Irriti ejus conatus cadent.

At Justinianus Imperator Italiam facile vicit per Belisarium. Nesciunt illius adulatores quid dicant. Primum quidem Justinianus erat Mahumete potentior: deinde non vicit Justinianus Italos, sed Gothos, qui in Italiam venerant, Italia expulit; Italis neutri faventibus parti.

Vicere Turcæ Constantinopolim, & Peram Genuensium Coloniam, Mahumetes cepit magna ex parte Peloponnesum, in Rascia, & Valachia non parum agri adeptus est, Sinopem Regis Eupatoris patriam, ejusque tyrannum cepit, Trapezuntem subegit, & Imperatorem captivum fecit; nemo negabit has victorias magnas esse;

At Julius Cæsar qui erat Italus nonne plures triumphos illo retulit?

Ne fidat Italorum principum discordiis. Simultates deponent, cum hostem in Italia videbunt; consurgentque conjuncti in illum. Non erit illi res cum Asiaticis; sentiet quid sint Itali. Quid plura? *plus negotii Romanis fuit Italiam acquirere, quam orbi reliquo fræna imponere.*

Dissident quidem inter se Itali, sed Religionis defendendæ ardor eos conjunget. *Aliæ sunt Italiæ potentiæ, alii Regum oculi, alia civitatum consilia. Venetorum Respubl. sapientia dives, & auro Christo devota prius evertetur funditus quam hostem religionis in Italiam patiatur intrare: atque hæc quidem per se se, quando statuerit nullis adjuta viribus alienis tuas opes evertet: tantum terra, marique potest.* Quid si socia arma conjungat Florentina Respubl.? quid si utriusque Siciliæ regnum, Dux Mediolani, Sabaudus, Estensis Marchio, Resp. Januensis, Ecclesia demum?

At edomuit plures urbes Christianas! Ita. Sed Christiani illi vel sejuncti sunt a Romana Ecclesia, vel ita circumsepti infidelibus sunt, ut soli dici debeant. Sed si sint Christianis veris finitimi, longe dispar ratio est. Taurinum, seu Belgradum, quod aggressus est tanto cum exercitu exemplo sit; strenue fuit propugnatum a solis Hungaris, qui etiam ejus copias penitus deleverunt.

Si gloriam nominis sibi comparare avet, ratio hæc illi est tenenda; Catholicam fidem profiteatur. Uladislaus Lithuaniæ princeps Regnum Poloniæ affectabat, Christianus effectus rex factus fuit, ejus filius Casimirus nunc regnat; filiusque alter fuit Hungariæ rex.

Si Christianus fiat, provinciæ illæ, quæ nonnisi armorum vi superari possunt, si modo superari poterunt, faciles erunt semet illi sponte etiam subjicient reliqua Græcia, Dalmatia, Insulæ maris Ægæi, Carpathii, Joniique. Si baptizatus esset, contra illum Ecclesia Crucesignatos non excitaret. Stephanus, Hadrianus, Leo adversus Astulphum, & Desiderium Longobardorum reges accersiverunt Pipinum, Carolum, liberatique e Tyrannorum manu a Græcis imperium ad liberatores transtulerunt. Quod & Pius faceret in Mahumetem, si Christianus esset, plurium provinciarum dominium illi daret.

Tot regionum Dominus quam facile posset e populis sibi subditis errores depellere; quantam nominis famam sibi compararet: quæ pax regnaret ubique.

Ne credat pacem hanc ab illo haberi dum est infidelis. Christiani qui suæ legis sanctitatem norunt, adduci non possunt ad Mahumetismum;

Si cupit Ægyptios, Afros, Arabes vincere, Christianus fiat, mittent Christiani principes ad illum auxilia libentissime, cum norint, totum Orientem ab illo efficiendum esse Christianum; cum Christiani nihil ardentius optent quam fidei suæ dilatationem.

Tum diluit objecta, quæ afferre Mahumetes potest, ne Christianus fiat, populorum rebelliones, amissio solii, hæc esse possunt.

At plurimos Christianos sub se habet, hos præfecturis præficiat, hos duces exercituum creet; paulatimque populus Christianis ritibus assuescet. Græci ipsi, quorum ingens est multitudo, nunc Imperii Turcici per-

tæsi fidem Catholicam amplectentur, eumque defendent contra Turcas.

Clodovæus Rex Galliæ vivebat inter gentiles, conversus ad Religionem Christianam non fuit e solio dejectus; immo Galli Christiani facti sunt; populus enim exempla regis semper sequitur. Recaredus Levigildi filius, suadente Leandro Hispalensi Episcopo Arianam hæresim ejuravit, ejuravitque populus; Agilulphus Longobardiæ Rex suasu conjugis Theodolindæ reliquit idola, idololatriam deseruit populus. Apud Iberos in Asia, imperante Constantino majore, Rex Gentis Christianam fidem est amplexus, populusque universus regis est sequutus exemplum. Quid plura? Ethnicus fere totus orbis erat; Constantinus tamen, cui eadem obstacula obvolvebantur menti, Christianus factus est; populique non rebellarunt, eamdemque fidem Catholicam certatim sunt amplexati.

Christianus effectus Constantinus quot victorias obtinuit: ut felix regnavit hic in terris, regnatque nunc felicissimus in cælis.

Eadem Mahumeti evenient: felix hic in terris erit, feliciorque in altera vita. Hujusce vitæ felicitas utcumque magna sit, dici perfecta numquam potest. Immo ipsi Philosophi nesciunt in quo sit collocanda. Stoici eam ponunt in bonis animi, ut est exercitatio virtutum justitiæ, temperantiæ, &c. alii in voluptatibus, alii in bonis fortunæ. Omnes tamen conveniunt, eam esse semper mancam, quia malis vel præsentibus, vel imminentibus turbatur.

Quod si fides adsit, quia cum fide conjuncta spes est, quanto felicior vita ducitur, quam spes beatissimæ alterius vitæ alit, nutrit? Hoc discrimen interest Christianos inter, Turcasque, quod Christiani fide excitati in ipsis infelicitatibus felicitatem reperiunt, vident enim ex iis constanter latis præmium immensum sibi in altera vita comparare; qua felicitate caruit Epicurus, qui Deum negabat, caruit Pythagoras, qui dubitabat, an Deus aliquis esset, unde merito fuit Athenis expulsus.

At Mahumetes Deum agnoscit, qui malorum, bonorumque remunerator est. Hæc igitur disputatio de Dei existentia supervacanea est. Potius, & utilius multo est inquirendum quid credendum agendumque sit, ut ad æternam felicem vitam perveniatur.

Jam brevis est vita hæc, dicique jure potest umbra, somniumque. Sollicitudines, curæque omnes, si sapimus, ad æternam vitam consequendam dirigendæ sunt. Miserum enim est laudari ubi non sis, & ardere ubi es. Quid prodest Nino Asiæ imperasse? quid Herculi ad Indos penetrasse? quid Adanthirso Scythiam, Asiamque vicisse? quid Alexandro nomen *Magni*. Quid Julio Cæsari, quid Tamerlano victoriæ partæ prosunt? quid Amurathi Mahumetis parenti e Græcis Hungaricique relati triumphi?

Reponet Mahumetes se credere, alteram vitam dari, eamque felicem, & credere eam haberi non posse nisi in Mahumetana religione. Id dicunt etiam Christiani. Videndum igitur, examinandumque est, Mahumetanine, an Christiani recte credant, cum utrique de sua religione credant idem.

Audiat Rex veritatem, *cui perraro est in altis ædibus locus*; scimus enim Philosophum Callistenem cruciatum fuisse, *quia vera loquens divinum cultum* Alexandro negavit. Cum tria sint hominum genera, ut inquit Hesiodus, aliorum, qui per se sciunt, aliorum, qui alios audiunt, aliorum demum, qui neminem audire volunt, illique sint omnium optimi, medii sint boni, pessimi extremi, sit Mahumetes inter medios audiatque; & sciat Aristotelem, cognitionem rectam Dei æquiparare maximæ victoriæ; sciatque, neminem esse sapientem, qui monentem non audit, auditumque contemnit.

Exorditur Pius rem totam a creatione mundi, loquitur de Adami peccato, de diluvio, de Pentapoli eversa, de Abrahamo, de Lege Mosaica, de Prophetis.

De his conveniunt Turcæ, Christianique, ut videre est in Alcorano. Utrique Moisem Magnum Prophetam agnoscunt, utrique legem Mosaicam divinitus datam fuisse fatentur. Dissentiunt inter se, uter sit verus Propheta, Christusne, ut volunt Christiani, an Mahumetes, quod opinantur Turcæ; ac proinde discrepant, utra sit vera religio.

Ut dijudicetur, utri recte sentiant, examinandum est, uter plura divinitatis argumenta dederit, uter plures

ſuæ miſſionis ſigna habuerit, & clariora. Pius hæc afferet, illa audiat Rex, examinetque.

Chriſtus plurimis annis ante prædicitur naſciturus, prædicitur tempus nativitatis, locus, modus; prædicuntur ejus miracula. Quo tempore vaticinati Prophetæ erant, quo loco, qua ratione, ille naſcitur; prædicta miracula patrat.

Et prophetæ, & ille mortem prænunciant, genus mortis, in morte ſocios, mortem conſequutura: eamque ſubit Chriſtus mortem prædictis modis ſibi datam, cum prædictis ſociis latam, & mortem conſequuntur tandiu ante annunciata. Quid ſimile prædictum fuit de Mahumete? nihil profecto. Divina eſt ergo Chriſti miſſio, divina ergo ejus lex.

Prudentius igitur agunt Chriſtiani Turcis. Illi credunt vaticiniis, quæ adimpleta vident, credunt homini nato ex virgine, quod ipſi Turcæ fatentur, credunt homini, qui plurimis inſpectantibus miracula fecit, credunt homini mortuo palam, quem ipſi Carnifices Deum faſti ſunt, credunt homini vivo; Turcæ enim ipſi dicunt, Chriſtum vivere; Turcæ credunt homini occulte mortuo, de quo nemo prædixerat, qui nullum ſignum ſuæ miſſionis præ ſe tulit.

At Turcæ, quia unum tantum Deum eſſe credunt, Chriſtum verum Deum eſſe negant, putantes ne ſi illum Deum crederent, ſicut, & Spiritum S., plures eſſent Dii. Hinc Pius explicat myſterium Trinitatis, oſtenditque unitati non repugnare Trinitatem, ſed poſſe dari, darique revera Deum unum in eſſentia, & natura, trinumque in perſonis. Myſterium ex vetere traditione agnoverunt etiam Platonici, *nam aperte in ſuis libris dixerunt quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Neque ideo quia pater naturam ſuam totam cum filio communicat, timenda eſt inter eas duas perſonas diſſenſio ulla.

Similitudine ſolis generationem Verbi explanat Pontifex, qui emittit radios ejuſdem naturæ, cujus ipſe eſt, quin ille deficiat, luminiſque patiatur jacturam.

Profert deinde teſtimonia prophetarum hanc generationem docentium. Ideo autem Mahumetes hoc myſterium negavit, quod negavit & Arius, quia illud non intellexit.

Sed fides in eo conſiſtit, ut credatur, quod mens non intelligit; ſatis eſt teſtimonium Dei, qui fallere, fallique neſcit; ut mortalis credere verum debeat, quod ipſe dicit. Jamdiu inter Arabes error hic de Trinitate fuit, e quibus illum hauſit Mahumetes.

Deſcendit poſtea Pius ad explicandam proceſſionem Spiritus S. ex Patre Filioque tamquam ex unico principio, unicaque ſpiratione per amorem, quem diſtinguit in ſpiritalem materialemque.

Quamvis autem tres ſint perſonæ, non eſt tamen credendum tres eſſe Deos; namque Pater non eſt aliud a Filio, aliud a Spiritu, ſed alius, hoc eſt diſtinctus ab hoc, & ab illo; ut eſt in anima, in qua ſunt memoria, intelligentia, & amor actus animæ diſtincti, *ſed tria hæc ad ſeipſa referuntur*, vel ſicut mens novit ſe, & amat ſe, manet quidem mens una, ſed tria conſiderantur diſtincta, mens, notitia, & amor. Ex quo fit, ut recte dicatur Deum eſſe unum, quamvis ſint perſonæ tres, mundum eſſe creatum ab uno Deo, licet ejus creatio profecta ſit a Patre, a Filio, & a Spiritu S.

Recte igitur Chriſtus Philippo dixit; *qui vidit me, videt & Patrem meum, ego, & pater unum ſumus.* De Spiritu autem S. habetur, *ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, & in Jobo: *Spiritus Domini fecit me.*

Multa teſtimonia e veteri teſtamento affert, e quibus Trinitatis myſterium eruitur.

In novo autem teſtamento Trinitas clariſſime oſtenditur; *baptizate eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, aliaque loca profert in medium.

Redit rurſus Pontifex ad Incarnationis myſterium, quod negabat Mahumetes, quia alii erant modi reparandi humanum genus, quin Chriſtus mortem ſubiret.

Reſpondet Pius, quærendum non eſſe, utrum fuerint alii modi humanum genus redimendi, neque cur Deus mori voluerit. Erant; ſed mors Filii viſus eſt Deo optimus modus; Deus liber eſt, potuit ergo facere quod voluit; oſtendendum erat a Mahumete, Chriſtum non fuiſſe hominem factum, non fuiſſe paſſum, mortuumque; tunc aliquid probaſſet.

At licet fuerint aliæ conciliandi homines cum Deo rationes, tamen Filius voluit venire in mundum, voluit pati, morique. Id probat Pontifex ſcripturarum teſtimoniis, prophetarumque vaticiniis. Ubi ergo certum eſt divinum Filium hominem factum, fruſtra quæritur, an aliter redimere homines potuerit, perperamque colligitur: alii modi reparationis erant, præter mortem, ergo mortuus non eſt.

Chriſtus tamen hic mortuus poſt triduum reſurrexit, quam reſurrectionem ſicut, & paſſionem ſuam Chriſtus ipſe prædixit. Aſcendit poſtea in cælum, iterum venturus in mundum, ut mortales judicet; detque unicuique ſecundum ejus opera præmium, pœnamve, vitam æternam felicem, vel infelicem. Dandum autem eſſe hoc judicium probat e ſcripturis.

Mahumedes præmia bonorum operum ponit in *altera vita flumina lactis, & melliſ, & vini, cibaria delicata, uxores multas, & concubinas, virginum coitus, & angelorum in turpibus eloquiis miniſteria, & quid caro deſcit. Bovis hic paradiſus, & aſini potius, quam hominis, eſt.* Nam quis mortalium eſt, qui ſemper velit corpori ſervire? quis non paſcit intellectum, & a ſenſibus ſpeculando recedit? Neque Democritus ipſe, & Erophilus effrenatiſſimi homines ſemper voluptatibus dederunt operam. Non debet eſſe corporea voluptas finis hominis; Nullusque legislator fuit, qui in terris permiſerit eam vitam agi, in qua Mahumedes paradiſum collocat.

Longe aliter de paradiſo ſentiunt Chriſtiani. Hinc explicat Pius Dei viſionem. Cum vero etiam corpus ſimul cum animo in paradiſo erit, aberunt ab illo animales cupiditates, ex quibus dedecus potius redundat, quam vera voluptas.

Quaſdam Mahumetis opiniones confutat Pius. Deo tribuit corpus glacie frigidius; ergo prius fuerunt partes, quam Deus; ergo partes compoſuerunt Deum, non Deus partes. Quo quid abſurdius dici fingique poteſt? tribuunt interdum prophetæ noſtri membra Deo, ſed ideo tribuunt, ut ab hominibus intelligantur.

Fingitur Deus auctor peccati a Mahumete. Refellitur hæc opinio; nam ſi Deus *odit omnes qui operantur iniquitatem*, odio haberet multo magis ſemetipſum auctorem peccati.

Confutat ejuſdem ſententiam, Angelos ex igne eſſe creatos, & mori. Nam ſpiritus non moriuntur; mors eſt pœna peccati, Angeli cum non peccent, neque peccare poſſint, mori non poſſunt; neque dæmones ſunt ſalvandi, ut docetur in Alcorano; eorum enim vermis non eſt moriturus, ut docent Prophetæ.

Verba illa Geneſeos *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* confutant Mahumetis ſententiam, animas hominum eſſe particulas Dei; namque ita homo eſſet Deus, nec eſſet homo non Deus; quod dici nequit, cum homo peccet, ſit inſtabilis, ſit vitiis obnoxius, quæ in Deum non cadunt, nec poſſunt cadere.

Alibi autem in Alcorano dicitur, animas eſſe creatas e materia præexiſtente. Hoc falſiſſimum eſt, ex illa illas Deus non creat.

Male introducta ab illo fuit polygamia. Nulla enim potior ratio eſt, cur homo poſſit habere plures uxores, uxor autem uni tantum viro adhærere debeat. In veteri autem Teſtamento legimus virum unum plures mulieres habuiſſe, ſed hoc permiſſum fuit ad propagationem humani generis; ſed una tamen erat uxor legitima.

Chriſtum fuiſſe veracem Prophetam aſſeritur in Alcorano. Ergo ſequitur, cum dixerit ſe æqualem Patri, eſſe illum Deum, ſicut eſt Pater; cum eſſe verum hominem cum ſe talem dixerit, cum eſſe vere paſſum, nam dixit ſe paſſurum; ſequitur Eccleſiam quam conſtituit, eſſe veram; ſi vera eſt, proinde eſſe ſequendam, ſi verax eſt, nullam ſalutem in alia religione eſſe, cum hoc quoque dixerit, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in regnum cælorum.*

Quod ſi ita eſt, properet ad Baptiſmum Mahumetes, ne velit, vitam ſuam æternam periclitari, cum videat in alia Religione eam haberi non poſſe. Sequatur exempla omnium Cæſarum a Conſtantino M. uſque, ſequatur Theodoſium, Carolum M. tres Ottones, &c. Quam glorioſum illi erit hæc veſtigia ſequi, & a Catholicis principibus, qui nunc ab illo abhorrent, eumque oderunt, amari, colique?

Chriſtianorum Principum ſocietas digna eſt, quæ colatur. Habent & aliæ religiones præclaros viros. *At Chri-*

Chriſtianorum excellentiſſima nomina omnes hiſtorias impleverunt. Noti ſunt in Syria, Ægypto, & Aſia Godefridus, Balduinus, Boamundus, Tancredus, Conradus, Philippus, aliique pene innumeri.

Origo Turcarum Scythica eſt. Multi viri inter Scythas fuerunt fama incliti, Aſiam per plures annos vectigalem fecerunt; Ægyptios ejecerunt ultra Palades. Mirum eſt Scythas potuiſſe inire ſocietatem cum mollibus Ægyptiis. Quanto melior eſſet Chriſtianorum Mahumeti ſocietas; facile fortes conſociantur fortibus.

Quia vero Mahumetes, ut averteret ſuos aſſeclas a ſequenda religione vel Hebræa, vel Chriſtiana, in Alcorano ſcripſerat, vetus quidem Teſtamentum corruptum fuiſſe a Judæis, novum autem a Chriſtianis, hanc opinionem refellit doctiſſimus Pontifex, ſtrictimque argumenta illa affert, quæ ita hodierni ſcriptores amplificant, ut magna volumina conficiant.

Ac primum artem vaferrimi ſycophantæ ante oculos ponit. Etiam Ethnici quædam vitia ita fugiebant, ut iis infectos cane pejus, & angue odio haberent. Eorum philoſophi continentiam, frugalitatemque commendabant. Ut igitur ſua religio creſceret, licentiæ, cupiditatibuſque omnibus habenas laxavit omnes, aptavitque legem ſuam hominum vitiis, ita ut lex non ea reprimeret, ſed foveret. Ut autem legi ſuæ auctoritatem conciliaret, finxit, leges Hebræam, Chriſtianamque eſſe corruptas, nec iis eſſe ſtandum, indixitque mortis pœnam iis, qui de religione diſputaſſent.

Hinc quiſque videt quam facile, quamque brevi tempore religio, quæ hominum cupiditates fovebat, quæque vetabat de aliis religionibus inquirere, & diſceptare, propagari debuerit.

In prono eſſet Mahumetem refellere hanc veterum Scripturarum, novarumque adducentem in medium corruptionem, ſcilicet negando. Sicut enim ille nullum argumentum, ut hujuſmodi corruptionem probet, affert, ita nos poſſemus, quin argumenta proferamus, negare. Tamen liberius cum Mahumete agere vult Pius; & oſtendere hæc Teſtamenta non modo non fuiſſe corrupta, ſed ne corrumpi quidem potuiſſe.

Lex Moyſis antequam Mahumetes naſceretur, in varias linguas fuit translata, nec unus fuit interpres, ſed plures. Septuaginta docti viri, regnante Ptolomæo Philadelpho eam in Græcum ſermonem verterunt. Omnes Bibliothecæ, Romæ, Athenis, Carthagine, Alexandriæ, Siracuſis, Toleti has verſiones habebant. Quis potuit eſſe Hebræus ille, qui tot exemplaria corrumpere potuerit, irrepere in eas bibliothecas, cuſtodumque diligentiam fallere, & illa omnia volumina eodem modo iiſdem in locis deturpare? Quid? cum facta fuit interpretum ſeptuaginta editio, nondum Chriſtus natus erat. Non erat igitur cauſa ulla cur corrumpendi ii libri eſſent; imo ſedulo erant cuſtodiendi integri, incorruptique ab Judæis, ut poſſent internoſcere Meſſiam venturum ex collatione eorum quæ ille facturus, dicturuſque erat cum iis, quæ illum facturum, dicturumque eſſe prophetæ ſcripſerant.

Quod ſi corrumpendi fuerunt hi libri, poſt Chriſtum natum, mortuumque corrumpendi fuerunt. At quinam corrumpi poterant? ii tantummodo qui erant apud Hebræos; qui enim erant apud Latinos, Græcoſque corrumpi ab Hebræis gente Latinis, Græciſque æque inviſa exoſaque corrumpi non potuerunt. Ad hæc, Latinis, Græciſque nulla erat cauſa cur eos libros fœdarent; nullum odium in Chriſtum ii conceperant, unde ea loca, quæ illum Meſſiam eſſe teſtabantur, corrumperent. Quamquam ne Hebræi quidem ſua exemplaria corruperunt, licet ſummopere ea corrumpere averent; Latina etenim, Græcaque cum Hebræis collata congruunt omnino.

Sit judex in hac re ipſe Turcarum Dominus. Quatuor mercatores proferunt libros ſuos de eodem debitore Titio. Tres libri nomen Titii proferunt debitoris mille nummorum, unus bis mille, ſecundum quorum librorum teſtimonium rex judicabit? Ille qui juſtus eſt, ſtabit teſtimonio trium, rejecietque quartum.

Codices Hebræi, Græci, Latini veteris Teſtamenti conveniunt, codex Saracenus ab iis diſcrepat; quibus codicibus, quæſo ſtandum erit? ſcilicet iis tribus, qui ſunt antiquiores.

Quæ dicta de veteris Teſtamenti corruptione dicit Pius etiam de Novo. Antequam Mahumetes naſceretur longe, lateque per terrarum orbem diffuſa exemplaria erant; omnes Eccleſiæ librum hunc habebant; in iis enim legebatur, omnia exemplaria hæc Græca, Latinaque conveniunt. Ergo aut omnia exemplaria erant corrumpenda, quod fieri nullo pacto potuit, aut nullum fuit corruptum; & ſi aliquod fuiſſet corruptum, homines ſanæ mentis auctoritatem plurium, quam unius, vel paucorum ſequuti fuiſſent, ſequenturque. Quod ſi in novo Teſtamento aliqua corruptio facta fuit, a Mahumete facta fuit. Sicut enim ipſe novam legem oppoſitam Evangelicæ legi inſtituere volebat, ita illum intereret Evangelium corrumpere. Ut igitur pateat hanc corruptionem factam fuiſſe a Mahumete, collatio fiat verſionis Saracenicæ cum verſionibus aliarum linguarum, notaque diſcrepantia fiet. Egregium vero inſtitutorem ſequuntur Turcæ mendacem, librorum corruptorem, ſycophantam. En cur noluerit alias religiones a Turcis examinari; en cur noluerit a Turcis diſputari de religione!

Sed quia Turcæ Prophetis credunt, auctoritate Prophetarum Pius probat, libros veteris, novique Teſtamenti corrumpi non potuiſſe, affertque quædam Prophetarum ad id oſtendendum loca.

Similis fuit Mahumetes Porphyrio Siculo Philoſopho, qui e Chriſtiano factus idololatra, ut ſuæ defectionis aliquam ſubtexeret cauſam, ajebat ſe conſuluiſſe dæmones de Chriſto, qui reſponderunt, eum fuiſſe virum bonum, ſed ejus diſcipulos illum feciſſe Deum; in quo quidem reſponſo Philoſophi meditatio deſideratur, a patre enim mendacii, qui eſt dæmon, veritas haberi poteſt? Mentitur impudentiſſime Mahumetes, & a Turcis vir ſanctiſſimus, novæ legis præferendæ omnibus inſtitutor colitur?

At, reponit Mahumetes, ut Evangelii auctoritatem elevet, Evangelium legi Moſaicæ adverſari. Ergo aut Lex Moſaica non fuit divina, aut Lex Evangelica.

Reſpondet Pius; hoc jam Moſem prædixiſſe populo, nempe venturum eſſe prophetam, qui legem veterem mutabit, hortaturque populum ut novum Prophetam audiat; *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies*; ita Moiſis de Chriſto venturo vaticinium hoc bis mille annis ante prolatum, quam Chriſtus naſceretur, ſatis confirmet divinam eſſe legem ab eodem Chriſto prædicandam.

Quid? Lex Moiſis erat lex *annuntiativa* legis Chriſti, ut eſt apud Matthæum; *Lex, & Prophetæ uſque ad Joannem*, erat figura novæ legis, ideoque divina dicitur, quia omnia in illa contenta referebantur ad Chriſtum verum Deum.

Non fuit contraria lex Moiſis Evangelio, ſed fuit nova lege completa; & lex timoris, ut erat lex Moſaica, facta eſt lex amoris, ut eſt nova, lex aſpera facta eſt dulcis, gravis levis; hinc pro circumciſione introductus fuit baptiſmus.

Penitius materiam examinat Pius. Comparat enim propagationis Evangelii modum cum propagationis Alcorani ratione. Religionem ſuam armis inſtituit, propagat, & armis conſervari vult Mahumetes. Non eſt prodigioſa, neque divina hæc propagandi Alcorani ratio. Omnes victoriæ in bellis relatæ non ſunt miracula. At propagatio eſt prodigioſa; tot gentes fuere devictæ?

Pius reponit, ſicut religio Chriſtiana eſt ſpiritalis, regnumque Chriſti non fuit ex hoc mundo, ita nihil intereſt, utrum Chriſtiani pareant corpore huic, illi principi, corde Chriſtiani ſint; Non eſt apud illum diſtinctio Judæi, & Græci. Sint ſub imperio Turcico, ſub Gallo, ſub Germano perinde eſt. Deinde Deus tot victorias Turcis dat, ut hic in terris peccata Chriſtiani populi puniat, præmiiſque in altera vita eum afficiat; tertio populus Chriſtianus jam ſcit, & fatetur has victorias Turcis dari in ſuorum peccatorum pœnam; quarto victoriæ non ſunt argumento victoris religionem eſſe meliorem religione victi. Hebræi ducti fuerunt captivi ab Aſſyriæ rege, num melior erat Aſſyriorum Lex, quam Moſaica?

Hæc eſt nota vera religionis veræ, ut ratio illius reddi poſſit, intellectus enim eſt captivandus in lege, non corpus. Jam Mahumetes vetat inquiri, diſputarique de lege ſua; Chriſtus reſpondit Pilato, *ego palam locutus ſum mundo*, Petrus ſcribit, ſe paratum eſſe rationem eorum reddere, quæ prædicat. Non prædicabant Apoſtoli aliter ac ſcribebant, docebant eadem prædicantes, & ſcribentes, nec metuebant ſcripta ſua examinari, comparari legem ſuam cum aliis religionibus, quod metuit Mahumedes; qui eo quod contraria multa in ſuo Alcorano ſcripſit, multa a ratione abſo-

na, vetuit Alcoranum examinari, publici juris fieri, de lege disceptari; proinde jure ac merito de illo dici potest, *qui male agit, odit lucem*.

An legis nomen Alcorano convenit? Lex Christiana est immaculata, in ea vel desideria ipsa jubentur esse sancta, vel cogitationes ipsæ malæ damnantur. Turpia, infanda in operibus, in sermonibus permittit Alcoranus. Quod si aliquid boni præscribit Alcoranus, ut eleemosynas, pietatis opera, jejunium, orationes, ex Evangelio desumptum est; quæ Mahumetes e suo penu deprompsit, turpia sunt, obscœna, homine rationali indigna.

Altera divinæ legis nota est divinum testimonium. Hæc est in lege Christiana. Christus miracula edidit, ediderunt discipuli; quæ dicebant miraculis confirmarant, per miracula propagata Christiana religio fuit; omnia arrogat armis Mahumetes.

Sapientiam, cultum animi vetat Alcoranus; bardi proinde sunt Turcæ caculis, & calonibus crassiores. Non eam vetat Lex Christiana. Ubicunque illa colitur, gymnasia sunt, sunt Academiæ, sunt doctores, sunt sapientiæ præmia, de religione disputatur, libere sensa animi de illa proferuntur, de illa scribuntur.

Quædam deliramenta Mahumetis in suo Alcorano scripta profert Pius, quæ vere ridicula sunt, sanioque homine indigna quæ dicantur, indigniora, quæ credantur; de Deo quem corporeum facit, de Angelis, quæ monstra horrenda fingit. Quidquod hæc ipsa deliramenta apertissimis contradictionibus scatent? Cum vero philosophum agit, & de sphærarum cælestium crassitie, de magnitudine terræ scribit, quæ qualiaque somniat. Si omnia philosophorum scripta examinentur, erroresque ab iis dictis colligantur omnes numerum errarorum a Mahumete creatorum non exæquant.

Quod dicit de magnitudine Angelorum, quod de eorum intemperantia in cibis, vinoque, de conversione feminæ in sydus, &c. e Poetis desumpsit. Vah cœcum populum, qui hæc credit! Vah impudentem legislatorem, qui hæc inter suæ legis arcana mysteria scribit!

In lege Christiana nihil legis nisi quod honestatem sapit, quod a vitiis abhorret, omnia grandia, omnia magnifica, omnia Deo digna, omnia legenti reverentiam incutiunt; Scripturarum stylo nihil planius, nihil apertius reperiri potest, at nihil augustius, nihil sublimius iis mysteriis quæ credenda proponuntur.

Numeret martyres suos Mahumetana religio; recenseat suos scriptores.

Proferat miracula in sui confirmationem edita.

Adducat in medium sanctissimos viros cælestem vitam in terris ducentes.

Sola Christiana religio martyrum innumeram vim, miraculorum immensam quantitatem, sanctimonia præstantissimos homines ostentare potest.

Tum collectis summatim, quæ fuse Pius scripserat, principem hortatur, ut huic legi nomen det suum.

Desunt notæ loci, temporisque.

DE

DE ECCLESIA GRÆCA.

Ecclesiæ Græcæ Episcopi objurgantur, quod ordinarint in Bulgaria.

I. Ap. R. t. I. p. 215. C. C.

JOANNES VIII. Episcopis, & Clericis Græcis Bulgariæ Dœceseos invasoribus.

Inc. *Miramur vos, &c.*

GRaviter Pontifex objurgat Græcos Episcopos, qui nulla ratione habita Sacrorum Canonum in Illyricum irruperint in partem eam, quæ incolitur a Bulgaris, quæ immediate subjacet S. Sedi, & habere illicitas ordinationes præsumpserint, præcipue cum jam eo Pontifex Episcopos, & Presbyteros misisset.

Eorum accessus ad eas partes natus est aut a fuga suarum Ecclesiarum, aut ab avaritia, & spe lucri, quibus criminibus in Episcopo nulla possint esse pejora.

Ob hæc igitur gravissima peccata Pontifex eos excommunicat, & excommunicatos esse vult.

Si quis autem intra triginta dies a cognitione hujus sententiæ non cesserit a Bulgaria, præter excommunicationem privetur etiam proprio officio.

Qui statim paruerit, in suam Episcopalem Sedem restituetur.

Dat. XVI. Die Mensis Aprilis Indict. XI. a. 878.

Responsio Patriarchæ Constantinopolitani litteris de Ecclesia Hierosolymitana, & Romana.

II. ex Bayn. ad ann. 1197. §. 60.

INNOCENTIUS III. Camatero Patriarchæ CP.

Inc. *Huic Dominus, &c.*

MIserat epistolam Innocentius ad Patriarcham, qua illum hortabatur, ut inducerer Imperatorem ad unitatem, & ad sociandas arma cum fœderatis principibus in Turcas; probaveratque Patriarchæ solam Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam.

Camaterus simulans se ignorantem quasique dubitans quædam argumenta contraria, proponit Pontifici;

I. Nempe etiam alios Apostolos eandem jurisdictionem habuisse a Christo, quam habuit Petrus:

II. Haberi in litteris Sacris Ecclesiam Hierosolymitanam esse matrem: *Mater Sion dicet homo: & homo natus est in ea*, haberi in psalmis;

III. Græcos non fovere schisma.

Solvit has difficultates Innocentius: Christus soli Petro dixit, *pasce oves meas*: neque ullam discrimen ovium facit, sed omnes dicit oves suas: habere quidem se alias oves dicit, sed addit, eas non esse ex hoc ovili, ad hoc tamen ovile, ut unum sit, esse reducendas; Quod intuit unam tantum debere esse Ecclesiam; in qua primas tenuit Petrus & nunc ejus successores Romani Pontifices;

Petrum primum alloquutum fuisse Judæos, a Petro Judæi conversi petierunt baptisma: Tum primum se convertisse ad Gentiles, postquam Hebræi respuerunt illius verba; Petrum Hierosolymis coegisse Concilium, & dixisse sententiam suam, quam reliqui Apostoli sunt subsequuti; *Paulum*, postquam *ivit in Araliam*, & rediit Damascum, venisse Hierosolymam, ut videret Petrum, eique exponeret, quid egisset, *ne forte in vacuum curreret, aut etiam cucurrisset*.

Ecclesiam Romanam dici universalem, Græce Catholicam, quia licet in illa multi pastores sint, omnes tamen uni *subjiciuntur*, nempe Petro; quia hi omnes Pastores unam tantum fidem eamdemque prædicare debent; quia licet constet pluribus Ecclesiis, quibus diversi pastores præsunt, illæ omnes unam Ecclesiam constituunt; totam potestatis plenitudinem in Romana esse, ad alias partem aliquam ab ea derivari; & *secundum hanc nominis rationem Romana tantum Ecclesia universalis nuncupatur, quoniam ipsa sola singulari privilegio dignitatis ceteris est prælata*.

Ecclesiam autem esse unam declarari a Christo ipso dicente Petro, *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; universalem esse unam, peculiares esse multas docere D. Paulum verbis illis: *Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum*; sed has omnes Ecclesias unam constituere secundum illud Apostoli, *omnes unum corpus sumus in Christo*:

Hierosolymitanam Ecclesiam dici matrem, quia Christus institutor Ecclesiæ in ea natus est, in ea altus, in ea primum prædicavit; juxta illud *ex Sion exibit lex*; posse ergo, imo dici debere Ecclesiam Hierosolymitanam primam tempore, quia lex Christi ibidem primum denunciata fuit, sed Romanam esse primam dignitate; illam dicendam esse matrem fidei, quia incunabula Fidei nascenti præbuit, hanc esse matrem fidelium, *quoniam privilegio dignitatis universis fidelibus est prælata*.

Quoniam autem putat Innocentius nullam aptiorem rationem esse concordiæ conciliandæ, quam Concilium œcumenicum, in quo libere possint difficultates proponi, solvique, testatur Patriarchæ se illud esse convocaturum.

D. Later. II. Id. Nov. P. a. II. a. D. 1199.

De facultate Patriarchæ Constantinopolitani.

III. Ad ann. 1218. §. 36.

HONORIUS III. Patriarchæ &c.

Inc. *Cum in generali, &c.*

IN Lateranensi Concilio statutum fuerat, *ut Constantinopolitanæ Sedis Antistes, postquam a R. Pontifice receperit pallium præstito sibi fidelitatis, & obedientiæ juramento, libenter suis suffraganeis pallium largiatur, recipiens pro se professionem Canonicam, & pro R. Ecclesia sponsionem obedientiæ ab iisdem:*

Hinc mandat Honorius Patriarchæ Matthæo, ut pallium Archiepiscopo Corinthiensi det.

D. Later. IV. Cal. Nov. P. a. III. a. D. 1218.

Erat Patriarcha Matthæus electus a Pontifice, quia Canonici S. Sophiæ minus Canonice ad electionem processerant.

De usurpatis quibusdam facultatibus reprehenditur Patriarcha.

IV. Ib. §. 36.

HONORIUS III. Patriarchæ Matthæo.

Inc. *Sicut ex relatione, &c.*

PAtriarcha mittebat per suum Patriarchium *Clericos cum cappis manicatis tanquam A. Sedis Legatos*, qui causas decidebant inconsultis ordinariis. Eorum subditos excommunicabant, vel excommunicatos ab ipsis absolvebant; præponebant Episcopos Archiepiscopis, non deferebant appellationibus interpositis ad A. Sedem, percussores Episcoporum absolvebant; Et in præjudicium Patriarchalis jurisdictionis ea conferebant beneficia, quæ ad collationem Patriarchæ pertinebant.

Quidam Canonicus Constantinopolitanus suæ legationis litteris ostensis terras Principis Achajæ, & O.. de Rocha domini Athenarum interdixerat. Cum appellassent ad S. Sedem, nullam hujus appellationis rationem habuit.

Jam hæc, & alia his similia, quæ graviter lædunt Romani Pontificis dignitatem, ad quem ea jurisdictio pertinet, ostendunt, Patriarcham superbia efferri.

Eam deponat, & meminerit se esse subjectum R. Pontifici; quam si non ponet, nec desistet ab usurpandis alienis juribus, Pontifex eum ad officium rediget.

D. Later. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1218.

De multis criminibus coarguitur Matthæus.

V. Ad ann. 1222. §. 22.

HONORIUS III. Matthæo &c.

Inc. *Timemus ne. &c.*

NOllet Pontifex de Matthæo dicere, quod olim Deus de hominibus dixit, *se pœnitere fecisse hominem*.

Putabat Pontifex, fore ut Matthæus esset Lucerna illa, quæ super candelabrum posita fulgure suo oculos hominum perstringeret: ut videt, tenebras potius eum effundere, & esse causam male agendi, qui lumen esse deberet, quo a lapsu revocaretur grex. Namque *non est factus forma gregis, sed in Clero potius dominans factus est multis offendiculum per exemplum.*

Non est pastor, sed mercenarius, & modo lac emungat, lanam ex ovibus habeat, nihil curat præterea.

Munus

Munus prædicationis non obit, saltem per bonum exemplum, quod est potentius verbis, imo exemplis malis ores seducit.

Rarissime celebrat,

Cum excommunicaris palam versatur,

Cum Venetis contra alias nationes illicitas iniit pactiones;

Excommunicatos a S. Sede absolvit.

Se corrigat Matthæus, neque velit efficere, ut dicat Pontifex, quod Deus de homine incorrigibili dixit, *delebo hominem de terra.*

Utinam hæc objurgatio sit ad salutem.

D. Alatri XV. Cal. Jul. P. a. VI. a. D. 1222.

De Primatu S. Petri.

VI. B.M. t. 1. p. 80. B.R. t. 3. p. 1. p. 219. C.C. GREGORIUS IX. Germano Patriarchæ Constantinopolitano.

Inc. *Fraternitatis tuæ, &c.*

ANtea scripserat Germanus Gregorio quasi irridens de primatu Romanæ Sedis; nixusque probare est æquam omnium Apostolorum fuisse potestatem.

Rescribit Gregorius Germano, se accepisse ejus epistolas, eique respondere, ne putet se despici.

Jam primum Ecclesiæ fundamentum est Christus; Secundarium Apostoli.

Sed inter Apostolos primus eminet B. Petrus.

Neque ut ejus primatus destruatur, quicquam valet quod Germanus attulit, *Paulum in ejus faciem restitisse.* Paulus enim Petrum reprehendit, quia cum profiteretur Legem Mosaicam & cum gentilibus comederet, ciboque vetitos Lege Mosaica cum ederet, supervenjente Paulo, edere destitit, scandaloque fuit iis Ethnicis, quasi male fecisset eos cibos edendo, non quod quicquam ab eo dissentiret in lege: omnes enim prædicabant unum baptisma, & unam fidem.

Jam Paulus ipse sciebat, Christum Petro dixisse *quodcunque solveris &c.* ut ostenderetur a Christo datam Petro potestatem finisse, a quo tanquam a capite visibili dimanaret in membra ejusmodi potestas.

Christus ipse eum primum constituit, cum illi dixit, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Et rursus Petro dixit, *pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos;* quibus verbis Christus ipse ostendit ad Petrum fuisse ab Apostolis in rebus dubiis recurrendum, sicut nunc ad Pontificem in rebus fidei est recurrendum.

Primatum autem suum ostendit Petrus cum ipse Apostolos convocavit pro electione unius in locum Judæ, cum ipse eos est allocutus.

Jam a Vicario Christi, & ab unitate Ecclesia Græca defecivit; quæ si agnoscit auctorem suum Paulum, cum Paulus semper Petro adhæserit, Petrum primum recognoverit, etiam illa deberet adhærere Ecclesiæ Latinæ, primatumque Romanæ Sedis venerari.

Depósito ergo affectu quolibet, recognoscat Patriarcha errorem suum, & redeat cum Ecclesia sua ad unitatem illius, a qua defecit.

Mente revolvat, quæ mala gravissima Orientali Imperio evenerint ex eo tempore, quo hanc scissuram fecit.

Hæc mala nulla potiore ratione Græcum Imperium, Græca Ecclesia reparare, & alia majora imminentia avertere possunt quam redeundo ad unitatem cum Ecclesia Latina.

D. Reate VII. Cal. Aug. P. a. VI. a. D. 1332.

Hortatio ad Patriarcham, ut se submittat Rom. Pontifici, & de diversitate utriusque Ecclesiæ ritus.

VII. Ib. p. 82. Ib. p. 276. C. C. GREGORIUS IX. Germano Patr. Constantinop.

Inc. *Cum juxta, &c.*

SChisma inter duodecim tribus ortum, cujus auctor fuit Jeroboam, præfiguravit Schisma inter Ecclesiam Orientalem, & Occidentalem.

Dum in Orientali Ecclesia viguerunt antiqui Patres, sicut unus erat utrique Ecclesiæ Baptismus, sic erat & una Fides.

Sed cum hæc præcedenti Epistola exposuerit Gregorius, in hac loquitur de duplici gladio; de quo fit mentio in Evangelio.

Ecclesiæ gladius ligat, & solvit, gladius alius est in brachio sæcularium principum ad nutum Ecclesiæ adhibendus. Germanus hæc considéret & perpendat.

Mittit ad eum Legatos *Hugonem, & Petrum de Prædicatorum, Alymonem, & Rodulphum de Minorum Ordinibus Fratres;* qui cum scientia Scripturarum polleant, poterit cum iis colloqui, & errorem suum corrigere.

Diversus est ritus in Eucharistia apud Græcos, qui adhibent panem fermentatum, a ritu Latinorum, qui utuntur azymo. Fermentatus significat Christi Corpus corrumpendum per passionem, significat Græcum præcurrentem ad fidem cum discipulo juniore qui fuit Joannes; Azymus significat Christum passum, non moriturum amplius, sed gloriosum, significat Latinum cum Petro discipulo seniore secutum.

In utraque Ecclesia *transubstantiatione facta per verba Dominica, panis non est; & ideo nec fermentatus, nec azymus dici potest;* quod significat unitatem utriusque Ecclesiæ, mediatore Christo faciente utraque unum.

Utinam & Germanus imitetur Juniorem discipulum, qui citius ad sepulcrum seniore progressus Seniorem expectavit, & est reveritus.

D. Later. XV. Ca.. Junii P. a. VII. a. D. 1233.

De subsidio mittendo Patriarchæ Constantinopolitano.

VIII. Ad ann. 1236. §. 32. GREGORIUS IX. Archiepiscopis, Episcopis &c. Peloponnesi.

Inc. *Venerabilis Frater, &c.*

SUorum redditnum partem dederat Patriarcha Imperatori in auxilium belli, partem occupaverant hostes; ac proinde ægerrime vivebat.

Inopiam hanc suam exposuit Pontifici, eum orans, obtestansque, ut provideret.

Pontifex præfatos præsules rogat, ut aliquid Patriarchæ conferant;

I. Quia bona ex causa partem suorum bonorum amisit in defensionem imperii, partem vi,

II. Quia est eorum Patriarcha.

D. Interamnæ X. Cal. Dec. P. a. X. a. D. 1236.

Etiam an. 1243. coegit Gregorius Ecclesiasticos earum Insularum, quæ erant sub Patriarcha Moreæ, Negroponti &c. dare decimam Patriarchæ. Bullæ conveniunt cum præcedenti.

Mittitur Legatus ad Ecclesias Orientales.

IX. Ad ann. 1247. §. 30. INNOCENTIUS IV. F. Laurentio Minoritæ.

Inc. *De circumspectione, &c.*

PRædictum Fratrem tanquam pacis Angelum deputat Innocentius Legatum in Armenia, Iconio, Turchia, Græcia, & Regno Babylonico, & super omnes Græcos ubicunque existentes, ut secundum prudentiam a Deo sibi datam dissipet, evellat, plantet & ædificet.

Mandat illi etiam ut Græcos illarum partium protegens, A. auctoritate turbari eos violentiis, vel quibuscumque molestiis non permittat;

Omnes autem offensas iis a Latinis factas emendari faciat, Latinisque districte præcipiat, ut a similibus abstineant; censuras in non parentes expediat, loca interdicat &c.

D. Lugduni Non. Junii P. a. IV. a. D. 1247.

Alia dantur Legato mandata.

X. Ib. §. 36. INNOCENTIUS IV. F. Laurentio &c.

Inc. *Volumus, &c.*

HÆc etiam mandat Legato Laurentio Pontifex.

De prælatis Græcis ad devotionem, & reverentiam R. Ecclesiæ venire volentibus sic provideat: ut illi ex eis, qui Antiocheno seu Patriarchæ Hierosolymitano, qui fuere pro tempore, aut aliis prælatis Latinis olim subjecti fuisse noscuntur, ipsis adstricti ad debitam obedientiam, & reverentiam teneantur;

Illos autem, qui iisdem Patriarchis non fuerunt subjecti,

jecti, ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ recipiat, *aliorum per omnia jure salvo.*

Studeat Græcorum Patriarchæ persuadere, ut ad A. Sedem adeat, in ejus plenam gratiam admittendus.

Si constiterit, eum alicui Patriarcharum, vel prælatorum ipsorum subjectione non teneri, ipse cum suis suffraganeis, qui fruuntur libertate simili, Sedi A. nullo medio sint subjecti.

Si ipse per se venire nequiverit, mittat personas idoneas.

Si neque hoc præstare possit ex pecuniæ defectu, Legatus *ipsi expensas de bonis Cameræ A. largiatur.*

D. Lugduni VII. Id. Aug. P. a. V. a. D. 1247.

Sicut Laurentius Orientis regiones perlustravit, & iis principibus, & Patriarchis Litteras Innocentii dedit, quibus invitabantur illi ad Catholicæ Fidei professionem, hi ad conjunctionem cum Ecclesia Romana, ita & illi, & hi scripserunt eidem Pontifici;

Sultanus Babylonis, qui de Dei magnitudine, essentia, & simplicitate subtiliter, & Philosophice disputat; bene sentit de Mose, Christum facit purum putumque prophetam, utrique Mahumedem anteponit; cujus missionem probat e victoriis ab illo, ejusque sectatoribus relatis;

Sultanus Ismael, qui laudat zelum Pontificis, quod ab eo fuerit invitatus ad Religionem Christianam, scribit se libenter audire Missionarios:

Soldanus David, qui magnifice de Deo sentit, & gratias agit Innocentio, quod ab illo invitatus fuerit ad amplectendam Christianam Religionem; laudatque illum.

Alter Soldanus, qui se purgat, quod everterit Sepulchrum Christi, quod pollicetur se restaurare.

Sed ne extra chorum. Hæ litteræ sunt apud Raynaldum ad an. 1247. a. §. 57. usque ad §. 76

Etiam ad Soldanum Turcarum scripsit Innocentius, ut eum ad Catholicam Fidem pertraheret. Illi explicat mysteria nostræ Fidei, & præcipue Incarnationis mysterium, & ad illum mittit Religiosos viros, qui ore tenus ea illi explicent, apud Rayn. an. 1254. §. 5.

Pantaleon Justinianus creatur Constantinopolitanus Patriarcha.

XI. Ep. 37. Lib. 9. INNOCENTIUS III. Pantaleoni &c.

Inc. *Quia te, &c.*

VAcabat Constantinopolitanus Patriarchatus. Ut simul Pastorem strenuum illi Ecclesiæ innocentius daret, & una consuleret rebus Imperii jam prope collabentis delegit Pantaleonem Justinianum Patritium Venetum Capellanum suum.

Enixissime etiam fuerant Venetorum preces, ut illum eligeret.

Ut in te, inquit, *providæ circumspectionis delectamus intuitum, hæc specialiter suggerunt inter multa: devotio videlicet Veneti populi, unde te natales conspicui produxerunt, quæ Ecclesiæ Romanæ fœdere inconcusso cohærens, ab ejus obedientia nunquam evelli funditus potuit, inundatione quacunque in fundamentum Catholicæ fidei pro tempore irruente.*

Adhortans Patriarcham ad bene munia sua peragenda; *inter cæteras,* inquit, *desiderabilia cordis nostri Constantinopolitani liberationem imperii principaliter affectantes, ad eam vigili solertia non cessamus intendere.*

Tum hæc addit: *quia tamen ipsius Ecclesiæ corpus ex membris tam cari, videlicet imperii præfati carentia notam probrosæ deformitatis incurreret, & sustineret debilitatis dolendæ jacturam firma intentione proponimus eidem imperio efficaci subsidio subvenire.*

Rogat proinde Patriarcham ut nervis omnibus contendat ut Venetos permoveat ad opem Imperatori ferendam, Cruce assumpta.

Indulgentias cuntibus in subsidium ejus Imperii concedi solitas Crucesignatis pro Terra S. proponat;

Dat illi facultatem oppignorandi bona Ecclesiarum Constantinopolitani Imperii ad cogenda aliqua pecuniarum subsidia, mille nimirum Marchas sterlingorum mutuo accipiendas pro bellicis sumptibus substinendis.

D. Perusii II. Id. Febr. P. a. X. a. D. 1254.

Oratur Patriarcha, ut faciendæ concordiæ incumbat.

XII. Ad ann. 1267. §. 30. CLEMENS IV. Græcorum Patriarchæ.

Inc. *Ne tam, &c.*

UT exoptatissima concordia fiat tandem aliquando, significat Clemens Patriarchæ, se viam maxime compendiosam misisse ad Imperatorem, nempe formulam Fidei.

Quare hortatur etiam Patriarcham, ut animos Imperatori addat, ut opus hoc urgeat, perficiatque.

Etiam illum orat, ut alios quoque ad illam ineundam inducat.

Hoc erit Patriarchæ glorioſum, Deoque in primis gratum.

D. Viterbii VI. Non. Mart. P. a. III. a. D. 1267.

Patriarcha invitatur ad Concilium.

XIII. Gregor. ep. 1. t. ep. 39. 1 GREGORIUS X. Græcorum Patriarchæ &c.

Inc. *Non te, &c.*

LAtere non debet Patriarcham, quid consilii Imperator ceperit, nempe uniendæ Ecclesiæ Græcæ cum Latina, a qua illa tandiu separata est.

Quod quidem prudentissime Imperator facit. Nulla enim tutior ratio esse potest Imperium firmandi suum, quam cum Romana Ecclesia primum pacem inire. Cum enim Latini Principes eam, ut decet summo colant obsequio, ejusque gloriam summopere desiderent, Imperatorem eam honore prosequentem diligent.

Quoniam Oecumenicum Concilium indictum est ad Calendas Maji anno 1274. ob urgentissima Ecclesiæ negotia, quæ etiam Græcam Ecclesiam, Græcumque Imperium respiciunt, Patriarcham ad illud Gregorius invitat.

Veniat cum suæ Ecclesiæ Prælatis; illo in honore habebitur, qui tanto præsuli convenit.

D. apud Urbem Veterem VII. Cal. Nov. P. a. I. a. D. 1272.

Patriarcha erat Josephus, qui non obstante unione facta volebat se Romano Pontifici anteferre. Imperator eum expulit Patriarchatu, & substitutus fuit Joannes Beccus Catholicus, qui cum antea eloquenter Fidem Catholicam impugnasset, ob invidiam in carcerem conjectus, Blemmydæ scriptis ibidem lectis, errore depósito eandem strenue defendit.

Coegit enim Synodum, in qua approbata fuit concordia; missæque fuerunt litteræ ad Pontificem nomine Patriarchæ, & Concilii, quarum summam sic habeat Lector.

I. Bonum initæ concordiæ non potest non descendere a Patre Luminum omnium bonorum auctore;

II. Laudatur Gregorius X. quod tantum bonum a Deo descendens diligentissime, & per summas curas ad optatum usque finem perduxerit;

III. Mittit Joannes Patriarcha ad Pontificem volumen, in quo acta in Concilio continebantur;

IV. Patriarcha, præsulesque obsequium suum Pontifici testantur.

V. Damnant vetus Schisma ut injustum, promittuntque se facturos quæ fiebant ante introductum schisma;

VI. Fatentur, Primatum datum fuisse Petro a Christo, eumque inesse in Petri successoribus; exscribuntque de Romana Ecclesiaque præscripserat in forma Fidei credenda Clemens IV. (v. supra de Imperator. *magnitudinis tuæ, &c.*)

Adjiciunt formulam eorum, quæ credunt.

VII. *Credunt in Deum ingenitum Patrem omnipotentem, immortalem, invisibilem, impalpabilem, universum implentem, & super omnia existentem, conditorem totius creaturæ visibilis, & invisibilis, corporalis, & spiritualis;*

VIII. *Credunt in unum Dominum Jesum Christum, Verbum, Unigenitum Filium, Æternum ab æterno Patre, principium de principio, lumen de lumine, Deum de Deo, omnipotentem de omnipotente, æqualem incommutabiliter generanti Patri &c.*

IX. *Filium in consummatione sæculorum descendit inseparabiliter ex paterno sinu in intemeratam, & semper Virginem Mariam, & nostram ex ipsa assumpsit natu-*

naturam, carnem videlicet humanam cum anima rationali, non secundum phantasiam; sed secundum veritatem &c.

X. *Credunt eodem modo & in Spiritum Sanctum omnia scrutantem, & profunda Dei, qui naturaliter inest Deo & Patri, & essentialiter insitus est, ut ita dicamus, & indivisibiliter ex ipso procedens; naturaliter inest & Filio, & essentialiter illi insitus est, & indivisibiliter ex ipso procedit; profunditur quod enim idem procedit, quemadmodum a fonte Deo, & Patre; profunditur autem & ab ipso filio, quemadmodum a fonte, velut utique & ex ipso Deo & Patre; sed licet Pater fons Spiritus sit, & filius fons Spiritus sit, non tamen duo fontes Spiritus sunt Pater, & Filius: unam enim fontem Spiritus Patrem, & Filium fidelis, & pia intelligentia tenet, &c.*

XI. Quoad Sacramenta, transubstantiationem Eucharistiæ, de matrimonio exscribunt formulam fidei Clementis supradictam, cum quibusdam additamentis.

Cui formulæ omnes intervenientes Concilio nomen suum subscripserunt.

„ Cum jam sperabatur facta concordia, acceptaque „ ab omnibus, die Apostolorum Petri & Pauli cum in „ Missa cantatum fuisset Evangelium Latine, & Græ„ ce, Diaconusque Papæ Gregorii (nondum perlata „ erat fama ejus mortis Constantinopolim) summi Apo„ stolicæ, & Oecumenicæ Ecclesiæ Pontificis mentionem „ inter divina fecisset, Arsenianum Schisma prodiit, „ multique se ab Ecclesia Constantinopolitana separarunt. „ Inter hos fuerunt Nicephorus Despota, & Joannes „ Dux Patræ, in quorum ditione centum Monachi cum „ quibusdam Episcopis conciliabulum habuerunt contra „ Synodum Constantinopolitanam a Becco celebratam.

„ Contra quos arma movit Imperator, excommuni„ cationemque jecit Patriarcha Beccus. Rayn. ad ann. „ 1277. §. 40. 41. 42.

Adhortatio ad Clerum Græcum, ut cœpta concordia ad exitum perducatur.

XIV. Ex Rayn. in appe. t. XIV. p. 623.

JOANNES XXI. Patriarchæ, Episcopis, Abbatibus, Prælatisque Græcorum, &c.

Inc. *Grandis affectus, &c.*

NIhil sibi magis cordi fuisse testatur Joannes prædictis Prælatis, quam concordiam utriusque Ecclesiæ ita firmari, ut nullo unquam tempore concutiatur.

Idque enixis votis a Deo petit, quia videt, *quam sit Deo grata, fidei orthodoxæ perutilis, mundo necessaria, & animabus etiam fructuosa.*

Videns autem nullam aptiorem rationem huic fini consequendo esse posse, quam quæ præscripserat Gregorius X. prædecessor suus executioni demandari, mittit ad Imperatorem Nuntios duos Episcopos, duosque Fratres ex ordine Prædicatorum, quorum pietatem, doctrinam, moresque commendat.

Optat Pontifex, ut confirment Prælati quæ egerunt, & quædam fiant circa professionem Fidei, & recognitionem primatus.

Quare eos rogat, & hortatur, ut quam asserent Nuncii formulam Fidei edant, & profiteantur (nimis implicita visa fuit formula ab illis Missa, estque proxime Superior.)

D. Viterbii XII. Cal. Dec. P. a. I. a. D. 1277.

Nicolaus III. ad Patriarcham de sua electione scripsit, ejusque preces exposcit, ut posset illud munus adimplere v. in cap. de Imp. Græco. *Nuper felicis* &c.

Litteris Pontificis respondit Patriarcha;

Gaudet maximopere, quod ille fuerit electus, de cujus electione fama jam priusquam pervenissent ejus litteræ, Constantinopolim pervenerat.

Sperat initam concordiam sub illo omnino perficiendam esse; Deumque illi daturum hoc ingens gaudium, quo quidem dignus est.

Pontificatum merebatur; sicut enim ejus bonitas est maxima maximo honore erat afficienda. Nunc super candelabrum posita maxime elucescet.

Vota Patriarchæ Deus exaudiit, illique gratias agit, quod Ecclesiæ suæ Pontificem ejusmodi præesse velit.

Agnoscit summam Pontificis humilitatem e litteris, quas ab illo accepit; in iis enim se indignum tanto munere dixit, rogavit Patriarcham, ut Deum oraret, a quo vires sibi supperirent illi oneri ferendo.

Imo se debet Patriarcha illius orationibus commendare, quem videt adeo esse Divino Numini gratum, ut illum caput suæ Ecclesiæ constituerit.

De formula fidei ab Episcopis Græcis missa &c.

XV. Ib. §. 6.

NICOLAUS III. Patriarchæ, Archiepiscopis, Episcopis, &c.

Inc. *Fraternitatis tuæ, &c.*

SCribit Pontifex Græci Imperii prælatis, se recepisse formulam Fidei ab iis ad S. Sedem missam, quam fecerant in Synodo a se celebrata.

Eam Pontifex *multipliciter probat, & commendat*; gratiasque Deo agit, quod hujusmodi Consilium injecerit Imperatori Ecclesiam Græcam cum Romana uniendi, Græcisque præsulibus conjunctionem acceptandi.

Attendit Pontifex *lætanter, & gravanter accepit, multa in iisdem litteris contineri professioni fidei consona, recognitioni primatus accommoda, obedientiæ sponsioni congrua, & abjurationi schismatis opportuna.*

Cæterum cum alia formula Fidei ab Imperatore per Nuntios oblata fuerit in Concilio Lugdunensi (II.) &c in eo lecta, & a Concilio confirmata, ut appareret omnibus, Imperatorem, prælatosque Græcos eadem sentire de Fide, optaret Pontifex, professionem Imperatoris edi etiam a prælatibus.

Quare quoniam jam inibi sunt, ut illuc veniant Nuntii Apostolici, eos hortatur, ut Imperatoris formulam dent iisdem Nuntiis, & secundum illam se credere de singulis articulis in Nuntiorum manibus jurent, eamque edant.

Hoc mirum in modum sibi gratum futurum esse testatur Nicolaus.

D. Viterbii VIII. Id. Oct. P. a. I. a. D. 1278.

Habetur hæc formula in cap. de Imp. Græco *Magnitudinis tuæ*, &c.

„ Mortuo Imperatore Michaele aufugit e Patriar„ chatu optimus præsul Joannes Beccus; Josephus jam „ antea depositus substituitur, sed cedere coacto suffi„ citur Gregorius Cyprus. Hæ mutationes factæ sunt „ intra paucos menses.

„ Beccus conjectus fuit in carcerem, ibique mortuus „ est. Antequam moreretur testamentum condidit, in „ quo invicte probat processionem Spiritus S. a Patre, „ & Filio. Plures lucubrationes scripsit ad propagan„ dam Fidem Catholicam, impugnandosque Schisma„ ticorum errores. Eas recenset Leo Allatius.

„ Anno 1286. mortuus est Patriarcha Latinus cele„ berrimus Pantaleon Justinianus.

Patriarchæ, Imperator, & universus Græcus populus invitatur ad unitatem.

JOANNES XXII. Patriarchæ, Imperatori, cunctoque populo.

XVI. Ad ann. 1333. §. 19.

Inc. *Ad unitatem, &c.*

MAximo cum dolore se accipere, scribit prædictis Patr. Imp. &c. Joannes a multis, qui ex iis partibus ad pontificiam aulam veniunt quod afflictionibus, quot malis Romanum Imperium vexarum fuerit, & sit, postquam unitate cum Ecclesia Romana relicta ad antiquum schisma rediit.

Urgetur undique hostibus, qui ejus excidium omnino volunt.

Redeat igitur ad sinum illius Ecclesiæ populus unde defecivit, & mater Ecclesia eum benigne excipiet.

Deus ideo illis imminentia pericula ostendit, ideo calamitatibus afiligit, ut in se reverti malum quod patrarunt a Romana Ecclesia deficiendo videant, & ad illam redeundo illud corrigant.

Id agant, & Ecclesia beneficam illis se præbebit.

D. Aven. II. Non. Aug. P. a. XV. a. D. 1333.

Invitatur Clerus ad unionem.

CLEMENS VI. Patriarchæ, Archiepiscopis, & Episcopis, &c.

XVII. Ad ann. 1343. §. 16.

Inc. *Salvator noster, &c.*

ETiam ad Clerum litteras mittit Clemens, quibus eum invitat ad reditum ad Ecclesiam Romanam.

Quia

Quia autem Græci nolebant agnoscere in Pontifice Romano primatum, eum in his litteris illis Clemens probat.

Reprobata synagoga (non sine mysterio utitur Pontifex hoc principio) quia non cognoverat, vel cognitum non arripuerat tempus suę visitationis permissaque in sua cæcitate persistere, christianam religionem instituit; ascensurus in cœlum caput illi reliquit, quicum potestatem suam communicavit, Petrum;

Solita scripturarum loca affert Clemens, ut Petri primatum ostendat.

Si ergo unum Ecclesiæ caput est, unum debet Ecclesiæ corpus, & illud esse debet, cui hoc caput præest. Videant Græci utrum caput hoc sit in sua an in latina Ecclesia: in qua illud est, necessaria rerum consequutione fit, eam esse veram Ecclesiam, & aberrare eos, qui capiti huic subesse nolunt.

Quod si nulla datur salus extra Ecclesiam hanc, videant itidem in quo sint periculo æternę amittendę salutis.

Motus Græci Imperii malis, & imminentibus periculis scripsisse ad Imperatorem principes populumque se dicit, ut eos ad evitanda hæc mala moveat, ostenditque iis modum illa evitandi, nempe unionem cum Ecclesia latina: idem scribit Clero;

Veniat ad unitatem, eum paterne excipiet Pontifex.

Ita Imperium conjunctum cum latina Ecclesia exercitibus latinorum principum adjutum reparare ea damna poterit, quæ funestum schisma illi attulit.

Pastores animarum ii sunt, tangat illos cura earum salutis, quę si hac una ratione obtineri potest, næ insane agunt, si adhuc redire ad latinam Ecclesiam differunt.

D. Avenione XII. Cal. Nov. P. a. II. a. D. 1343.

De Imperatoris promissis, hortatioque ad unitatem.

XVIII. Ad ann. 1366. §. 39.

INNOCENTIUS VI. Patriarchę, &c.

Inc. *Quanto exultaverimus, &c.*

LItteris his certiorem facit Patriarcham Innocentius, se accepisse ab Imperatore litteras cum conventionibus, promissisque redeundi ad Ecclesiam Rom.

Se non potuisse non magnopere exultare ad hunc nuntium revolventem animo, quę quantaque bona in Græcum imperium ex hujusmodi conjunctione sint redunda tura, & quam facile sit exultantibus de obtentis hactenus e Græcis triumphis Turcis frenum injicere, ut ab armis desistant.

Pro certo scit, non minori lætitia Patriarcham perfundi; cum enim illarum animarum pastor sit, non potest non valde lætari ovibus suis aperiri ad salutem, ad quietem, otiumque aditum, quæ omnia per hujusmodi concordiam illis evenient.

Eum hortatur ut opus hoc adeo salutare promoveat.

D. apud Villam novam Aven. XII. Cal. Aug. P. a. IV. a. D. 1356.

Significatio gaudii ex facienda unione.

XIX. Ad ann. 1367. §. 10.

URBANUS V. Clero Constantinopolitano, Archimandritis.

Inc. *Audivimus jucundanter, &c.*

FRacta tot adversis, multoque magis imminentium a Turcis periculorum terrore Calogerorum clerique pervicacia, multi, immo major pars abjurare schisma parati erant.

Hoc se audivisse maximo cum gaudio, iis significat Urbanus.

Quoniam autem illi auctores fuerant Imperatori, ut negotium hoc proponeret, & ad exitum perduceret, ne abjurationem schismatis facere differant, & quot summa mala proveniisse vident, & maxima bona inde emanatura prospiciunt.

Exemploque suo populum movcant ad reditum ad Ecclesiam.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Id. Nov. P. a. VI. a. D. 1367.

Patriarchæ Græci ad abjurationem excitantur.

XX. Ib. §. 11.

URBANUS V. Constantinopolitanam, Alexandrinam, & Hierosolymitanam Patriarchales Ecclesias prudentibus viris more Græcorum regentibus.

Inc. *Salutaris intentionis, &c.*

PHilotheus Constantinopolitanus, Lazarus Hierosolymitanus, Patriarchæ litteras ad Pontificem miserant, quibus se illius obsequio addictos futuros esse testabantur.

Quantum gaudii ex iis litteris perceperit, se satis explicare non posse iis Patriarchis Urbanus scribit.

Grates proinde quam maximas potest Deo agit; totum opus hoc illius dexteræ est; ille intellectus illustravit, corda movit.

Nunc vere pastores dici illi possunt, qui ita suarum ovium animarum saluti consulunt, veram semitam ovibus suis, qua sit eundum ostenderunt.

Gratum erit Pontifici si cum Imperatore, & viris litteratis multis, & *authenticis de clero* venient ad Apostolicam Sedem.

Eos universos, & singulos complectetur Pontifex, prosequeturque condignis honoribus.

D. ut supra.

Invitatur uterque clerus ad abjurandum solemni ritu schisma.

XXI. Ad ann. 1370. §. 2.

URBANUS V. Universis Ecclesiarum, & Monasteriorum prælatis quocumque nomine nuncupentur, ac Clero: & Calogeris Constantinopolitanæ civitatis, cæterarumque partium Græciæ.

Inc. *Lætata est, &c.*

JUre meritoque sancta Ecclesia fidelium mater lætata est, cum inclitus Constantinus Imperator, qui Constantinopolim construxit per suæ conversionis exemplum fidem catholicam primo in occidentis, deinde in orientis partibus dilatavit.

Non minori lætitia est affecta, cum inclitus imperator Joannes vetus schisma Romæ abjuravit.

Sed quanto majori gaudio fuisset eadem Ecclesia perfusa, si Græcus Clerus tam egregium imitatus fui Imperatoris exemplum ipse quoque ad Ecclesiam rediisset. Quam benigne, quo paterno affectu eum illa excepisset.

Si Deus daret, ut has duas Ecclesias tanto temporis intervallo invicem separatas communis fidei, & caritatis vinculo videret Urbanus colligatas, jam illud Prophetæ Simeonis ad Deum votum effunderet; *dimittis servum tuum, domine, in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Tunc ex inferni faucibus erepta animarum plura millia essent, tunc in Turcas instrui plures exercitus possent; eorumque impetus contundi.

Si hæc bona ex hac conjunctione enascitura Clerus Græcus considerabit, non dubitat Urbanus, quin statim accessurus sit ad unitatem.

Ideo autem noluit Concilium œcumenicum indicere, ne doctrinæ jam probatæ, jam definitæ in Conciliis si proponerentur disputandæ, in dubium vocatæ viderentur.

Testatur tamen Pontifex, si quis dubius circa quædam doctrinæ catholicæ capita est, se jussurum, ut dubia explicentur, tollanturque.

D. Romæ apud S. Petrum VIII. Cal. Mar. P. a. VIII. a. D. 1370.

Joannes Contarenus Notarius Apost. creatur Patriarcha Constantinopolitanus.

GREGORIUS XII. Joanni Contareno.

XXII. Ex Corn. de Eccl. Torcel. p. 3. p. 384.

Inc. *Apostolatus officium, &c.*

GRegorius hic in minoribus dictus Angelus Corrarius fuerat Patriarcha Constantinopolitanus. Sed jam ab illa Ecclesia fuit absolutus cum a prædecessore Pontifice Innocentio VIII. fuerat creatus Cardinalis; sed tamen eam Ecclesiam commendatam habebat.

Creatus Pontifex, cum ob negotiorum multitudinem illi vacare non posset, Patriarcham eligit Joannem Contareno notarium Pontificium, magistrum in sacra Theo-

logia, doctrina, pietate, honestate morum, & probitate vitæ commendatum.

Eumque non tantum de Consilio suo, quantum, de consilio suorum confratrum eligit.

Illius ergo Ecclesiæ administrationem, & in spiritualibus, & in temporalibus illi plenarie Gregorius committit;

Eum jubet bonum habere animum, Deo confidere, unde illi vires ad eam Ecclesiam bene gerendam suppetent; habeatque præ oculis præmium, quod illum æternum manet.

D. in civitate Austriæ Aquilejensis diœcesis XII. Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1409.

Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clerus jubetur Joannem in Patrem, & Pastorem recipere.

XXIII. Ib. p. 385. GREGORIUS XII. Clero civitatis, & diœcesis Constantinopolitanæ.

Inc. *Apostolatus officium, &c.*

CLero Constantinopolitano narrat eadem Gregorius, quæ narraverat Joanni, se fuisse illius Ecclesiæ Patriarcham, tum commendatarium; electum Pontificem elegisse in Patriarcham Joannem virum doctum, probumque.

Tum hortatur eumdem, ut illum *pro Pontificis, & S. Sedis reverentia benigne recipiens, & honorifice pertractans exhibeat eidem obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, ejus salubria monita, & mandata suscipiendo humiliter, & efficaciter adimplendo.*

Alioquin sententiam quam idem electus tulerit in rebelles, testatur Gregorius, *se ratam habiturum, & facturum, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.*

D. aut supra.

Prælati Ecclesiarum jubentur rectam fidem circa processionem Spiritus S. populis suis explanare.

XXIV. Ad ann. 1314. §. 17. EUGENIUS IV. Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis per orientem constitutis.

Inc. *Etsi Christus, &c.*

DIssensio de processione Spiritus S. quæ per annos quingentos græcam a latina Ecclesia habuerat sejunctam, tandem in Florentino Concilio fuit sedata.

Cur autem a quibusdam ea negaretur inter disputandum causa cognita fuit putarunt quidam, Ecclesiam Romanam, quæ docet Spiritum S. a Patre, & a Filio procedere, ponere hujus processionis duo principia, ita ut unum principium Pater, & alterum filius esset, ac proinde duæ essent spirationes.

Ergo Prælati moneant suos populos ut credant Spiritum S. procedere *a Patre, & a Filio æternaliter, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno, non duabus spirationibus, sed unica spiratione.*

Opinionem huic contrariam tantum abest ut Ecclesia Romana doceat, ut eam damnet ut hæreticam, asserentes quæ Spiritum S. tanquam a duobus principiis & duabus spirationibus procedere hæreticos *simul cum Ario, Manichæo, & Marcione* cæterisque aliis habeat.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Non. Mart. P. a. XIII. a. D. 1444.

Latini ne usurpent ritus Græcos.

XXV. B. R. t. 3. p. 3. p. 64. C. C. NICOLAUS V. Inquisitori, & provinciali provinciæ Græciæ ord. FF. Prædic.

Inc. *Pervenit ad aures, &c.*

QUia concordia utriusque Ecclesiæ facta fuerat, multi Latini viventes in iisdem locis tum Græcis Grecorum ritibus utebantur, putantes id sibi ex prædicta concordia licere.

Miratur Pontifex, ita Latinos odisse ritus suos, ut ritus Græcorum amplecti velint, cum id in Florentina synodo non fuerit permissum.

Quare, ne hoc malum latius serpat, mandat præfatis Inquisitori, & Provinciali, ut cum sua loca visitabunt, hanc permixtionem rituum tollant, illicitamque edicant, invocato ad hoc si opus fuerit brachii sæcularis auxilio. N. O.

D. Romæ apud S. Potentianam VIII. Id. Sept. P. a. II. a. D. 1449.

Græci Sacerdotes inter missarum solemnia alte pronuncient nomen R. Pontificis.

CALLIXTUS III. ad f. r. m. XXVI. B. R. t. 3. p. 3. p. 90. C. C.

Inc. *Reddituri de commisso, &c.*

IN constitutione a Græcis acceptatæ Florentinæ synodi statutum fuerat, *ut inter missarum solemnia Sacerdotes Græci nomen Romani Pontificis in loco deputato alta, & intelligibili voce exprimere, ac pro ipsius, & S. R. Ecclesiæ incolumitate, statuque pacifico teneantur ubique existentes orare.*

Præterea iidem Græci confessi sunt, se agnoscere processionem Spiritus S. a Patre, & a Filio, ac proinde recte additam esse Nicœno symbolo vocem *Filioque*.

Ne ergo per taciturnitatem nominis Romani Pontificis videantur eum visibilis Ecclesiæ caput non agnoscere, & non credere processionem Spiritus S. etiam a Filio, jubentur & nomen Pontificis alte pronunciare, & addere in symbolo vocem *Filioque*.

Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, ita S. Jacobus Ap.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum III. Non. Sept. P. a. III. a. D. 1451.

Præficitur Patriarcha Ecclesiæ Constantinopolitanæ.

PIUS II. Isidoro Episcopo Sabinensi. XXVII. Ad ann. 1559. §. 82.

Inc. *Cooperante Dei, &c.*

IN œcumenica Florentina synodo statutum fuerat, ut cum vacaret vel Patriarchatus latinus Constantinopolitanus, vel Græcus, *Patriarchatus ipse, & Ecclesia Constantinopolitana reintegraretur, & deinceps unus tantum eidem Ecclesiæ tam Latinorum, quam Græcorum Patriarcha præesset, successive vero altera parte ejusdem Patriarchatus, videlicet latinorum, cui b. m. Joannes Contareno dum viveret præsidebat, per obitum ipsius Joannis Patriarchæ extra Romanam Curiam defuncti vacante, piæ memoriæ Nicolaus P. V. statuit, & ordinationibus dicti Concilii se conformans voluit, quod b. m. Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus, qui alteri parti videlicet Græcorum præerat, pro vero, & unico Patriarcha Constantinopolitano haberetur, & reputaretur* illique dedit etiam Ecclesiam Nigripotensem regendam.

Vacabat eadem Ecclesia, Gregorio defuncto.

Pius decreto Concilii, exemploque Nicolai adhærens, creat Patriarcham Isidorum, qui erat Archiepiscopus Kioviensis (v. Eccl. Ruthenam.)

Vult illum præesse Ecclesiis Constantinopolitanæ, & Nigripotensi, quæ fuerant unitæ, donec Constantinopolis recuperaretur.

Multa edisserit Pontifex de probitate, doctrina, &c. ejusdem Isidori, &c.

Dat illi solitas facultates, &c.

D. Senis XII. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1459.

„ Anno 1461. Marcus Hieronomachus cognomento
„ Xylocarabes ultimus Patriarcha Constantinopolita-
„ nus fuit a Græcis liberis suffragiis electus. Namque
„ postea fuere electi a Dominis Turcarum plus offe-
„ rentes.

Ne Græci in suis ritibus molestentur a Latinis.

CLEMENS VII. ad p. r. m. XXVIII. Ex U... t. 5. p. 1311.

Inc. *Provisionis nostræ, &c.*

SUpplicarunt Græci Catholici Clementi, ut confirmaret constitutionem Leonis X. vetantis Græcos turbari a latinis in eorum ritibus.

Leonis Bulla integra affertur, quæ
Inc. *Accepimus nuper, &c.*

Cujus hæc est summa:

In Concilio Florentino celebrato sub Eugenio Pp. IV. quidam ritus fuerunt permissi Græcis, qui tunc univerunt semet cum Ecclesia latina; nempe ut

I. Græci presbyteri possent consecrare in fermentato,

II. Ut possent uti hac forma in conferendo baptismate, *baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, &c.*

III. Ut uxorati admissi ad ordines retinere uxorem possent,

IV. Ut possent nutrire barbam,

V. *Ut venerandum sacramentum sub utraque specie omnibus etiam pueris ministrare possent.*

Tamen quidam ordinarii locorum in quibus sunt Græci, nationem Græcam in his ritibus turbare, & molestare audebant; rebaptizabant ritu latino infantes, uxorum usum iis interdicebant, barbam deponere eos cogebant, nolebant eos in fermentato sacrificare, &c.

Pontifex sciens quantum laboris, sudorisque exantlatum, effusumque fuerit, ut utriusque Ecclesiæ unio fieret, & cum facta fuerit reputans quanta cura sit conservanda, illud etiam considerans, hos ritus non esse hæreticos, sed stare posse simul cum fidei integritate, & unitate motu proprio, & ex certa scientia mandat omnibus Ecclesiarum prælatis ordinariis, & extraordinariis, omnibusque laicalibus magistratibus,

1. Ne Græcos presbyteros in supradictis ritibus perturbent, ne eos cogant illos deserere;

2. Vult, ne iidem latini Antistites, & magistratus impediant Græcos venientes ad latini ritus regiones a quæstu eleemosynarum,

3. Ne ullus latinus Episcopus cogat clericos Græcos accipere ordines ab Episcopo latino,

4. Ut in iis locis, ubi unus tantum est Episcopus latinus, Græci sibi possint eligere Vicarium sui ritus, vel illum gratis illis Episcopus latinus deputet;

5. In causis appellationum si appellatus metropolita non sit Græcus, a metropolita appellantibus deputetur judex Græcus;

6. Cum mos sit Græcis unam tantum missam eodem die dicere super uno altari, ne latini presbyteri in eorum contemptum in eo altari celebrent;

7. Ne latini presbyteri missas, & alia divina officia in Ecclesiis Græcorum celebrent, unde fiat, ut illi missam suo ritu celebratam audire nequeant;

8. Cæremonias permissas a Concilio Florentino Græcis nullus latinus clericus, vel laicus blasphemare, & irridere præsumat;

9. Ubi sunt duo Episcopi unus latini, alter Græci ritus, latinus ne se immisceat in negotiis Græcorum, nec Græcus in negotiis latinorum, sed uterque Episcopus gregem suum respective curet;

10. Clerici latini ne assistant matrimoniis, baptismati, & aliis officiis Græcorum, nisi forsan fuerint invitati;

11. Possint uti monaci Græci privilegiis suorum monasteriorum, quin perturbentur a latinis; immo gaudeant iisdem privilegiis, quibus gaudent Monaci, & Abbates, & fratres mendicantes apud latinos;

12. Viduæ Clericorum Græcorum in castitate juxta eorum ritum viventes gaudeant immunitatibus, & privilegiis, quibus utebantur, dum vivebant sui viri, ut mos est apud Græcos; neque eas latini molestent;

13. Pœnas minitatur excommunicationis, suspensionisque iis latinis præsulibus qui contra hanc constitutionem egerint.

14. Ita vult ab omnibus judicibus judicari, sententiari, pronuntiari.

15. Executores hujus Bullæ deputat, qui sint conservatores privilegiorum a Concilio Florentino Græcis datorum,

16. His executoribus dat facultatem excommunicandi &c. contradictores. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Maji P. a. IX. a. D. 1521.

Clemens hanc Leonis constitutionem ad majus robur confirmat.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXVI. Maji P. a. III. a. D. 1526.

Græci ne celebrent ritu latino.

XXIX. B. M. t. 2. p. 205. B. R. t. 4. p. 2. p. 309. C. C. PIUS V. ad p. r. m. M. P.

Inc. *Providentia, &c.*

NOnnulli presbyteri Latini a pœnitentiaria per fraudem privilegiis quibusdam carptis Græce celebrabant, & quidam Græci latine.

Morem hunc improbatum a Sanctis Patribus damnat Pius, jubetque omnes juxta ritum suum sacra facere;

Mandatque Prælatis Ecclesiarum, & superioribus ordinum ut hanc constitutionem publicari faciant. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Marcum XIII. Cal. Sep. P. a. I. a. D. 1566.

Fidei professio præstanda a Græcis est.

GREGORIUS XIII. Decretum. XXX. Ib. p. 429. B. R. t. 4. p. 3. p. 311. C. C.

Inc. *Sanctissimus Dominus, &c.*

HÆc est fidei professio a Græcis facienda,

Articulus primus; credendum symbolum Nicænum;

A. 2. credenda omnia definita in œcumenica Florentina synodo.

A. 3. in pane vel azymo, vel fermentato conficitur Corpus Christi;

A. 4. Si in charitate quis decedat, antequam fructus pœnitentiæ dignos fecerit, purgatur in Purgatorii igne, purgatusque in cœlum it; multum autem purgantium animæ adjuvantur per suffragia vivorum, & sacrificia Missæ.

A. 5. Pontifex Romanus habet in universum orbem primatum, & est vere successor Petri.

A. 6. Approbentur illa omnia, quæ Tridentinum Concilium decrevit;

A. 7. Teneantur Apostolicæ, & Ecclesiasticæ traditiones,

A. 8. Recipiatur sacra Scriptura juxta sensum ab Ecclesia approbatum;

A. 9. Septem sunt sacramenta,

A. 10. Ritus ab Ecclesia adhibiti in iis conficiendis, & administrandis sunt admittendi,

A. 11. Tenenda, quæ de peccato originali, de justificatione tradita sunt a Concilio Tridentino;

A. 12. In Missa verum, proprium, & propitiatorium sacrificium Deo offertur, panisque, facta consecratione, convertitur in Corpus Christi, vinumque in sanguinem, quæ conversio dicenda est *transubstantiatio*.

A. 13. Sub utraque specie totus Christus est.

A. 14. Venerandi sunt Sancti cum Christo in cœlo regnantes.

A. 15. Imagines Christi, Deiparæ, Sanctorum sunt tenendæ, debitusque cultus iis dandus;

A. 16. Indulgentiæ a Christo relictæ sunt in Ecclesia, & illarum usus est maxime salutaris;

A. 17. Romana Ecclesia aliarum omnium est & magistra, & mater.

A. 18. Omnia tenenda, quæ a sacris Canonibus, & a Conciliis sunt tradita.

Voveo, & juro, &c.

ann. 1576.

Instructio super ritibus Græcorum.

CLEMENS VIII. Decretum. XXXI. B. M. t. 3. p. 52. B. R. t. 5. p. 2. p. 72. C. C.

Inc. *Sanctissimus, &c.*

HÆc constitutio respicit multa ad administrationem sacramentorum in Græca Ecclesia.

Pontifex jubet, ne Græci consignent baptizatos chrismate in fronte, proinde prætermittantur apud eorum Euchologium quæ sequuntur post illa verba μετὰ τὴν εὐχὴν usque ad illa εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου,

Episcopi latini baptizatos a Græcis sub conditione confirment.

Sacramentum conservatum ob infirmos renovetur saltem singulis octo diebus, aut quindecim;

Species Sacramenti conservati toto anno in feria quinta Cœnæ Domini non exsiccetur; neque misceatur, neque excoquatur cum oleo Sancto.

Si volunt Græci accipere a latinis altaria portatilia accipiant, si nolunt, tolerentur eorum throni.

Corporalia ut latini habeant, nisi thronis etiam pro corporalibus utantur.

In casu necessitatis Græci presbyteri catholici absolvant latinos:

Utantur forma absolutionis a Concilio præscripta,

Non permittatur, ut uxor, & vir simul eodem tempore eidem presbytero confiteantur.

Aqua benedicta ex ritu Græco in die Epiphaniæ, vel die primo mensis conservetur in Ecclesia.

Non cogantur presbyteri Græci olea sancta quæ ipsi ex antiquo ritu conficiunt ab Episcopis Diœcesanis Latinis petere, debeant tamen ab iis accipere chrisma;

Ordinati ab Episcopis Græcis schismaticis, alias rite ordinatis, accipiunt quidem ordinem, sed non executionem.

Græci sine litteris dimissorialibus Episcopi Latini ordinati suspensi sint.

Et harum irregularitatum a S. Sede absolutionem petant.

Episcopus Latinus volens ordinare Græcum antea illum confirmet.

Episcopi Latini vertant in Græcum decretum Concilii Tridentini super matrimonium;

Non permittatur inter Græcos dirimi matrimonia, & fieri divortia;

Maritus Latinus non sequatur ritum Græcæ uxoris; neque Latina uxor Græci viri, sed Græca ritum viri latini.

Si fieri potest, quisque nubat in suo ritu.

Proles sequatur ritum Patris, *nisi prævaluerit mater latina.*

Presbyter Græcus conjugatus ante sacrificium celebrandum vel per hebdomadam, vel saltem per triduum uxorem suam non cognoscat:

Græci tenentur credere processionem Spiritus Sancti a Filio.

Calogeris non committatur cura animarum nisi ex necessitate.

Toleretur in Græcis usus carnium die sabbati; & usus non jejunandi in sabbatis quadragesimæ, at non in Sabbato sancto.

In Jejuniis ad consequenda jubilæa dies sabbati plebi Græce transferatur in alium diem;

Græci versantes inter Latinos festa de præcepto latinorum observent.

Romæ sit Græcus Episcopus Catholicus,

De consilio congregationis super reformatione Græcorum Clemens injungit Episcopis Latinis inter Græcos, ut Græcis observari faciant hæc omnia, & singula.

D. R. apud S. Marcum Prid. Cal. Sept. P. IV. a. D. 1595.

Facultas datur duobus Cardinalibus procedendi in Cyrillum Patriarcham Constantinop.

XXXII. B.R. t. 6. p. 1. p. 137. C.C. URBANUS VIII. Cardinalibus Millino, & Cremonensi.

Inc. *Cum, sicut, &c.*

PRolapsus erat Patriarcha Constantinopolitanus Cyrillus in hæreses, & alios in eas inducebat.

Duos itaque Cardinales præfatos deputat Urbanus, qui debeant in illum inquirere, & procedere.

Quibus opportunas ad hoc opus dat facultates, testes examinandi, pœnas etiam afflictivas corporis infligendi &c. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIX. Aug. P. a. VI. a. D. 1628.

Sectantes ritus Græcos subjiciuntur Episcopis Latinis in visitatione.

XXXIII. B.M. p. 4. vel t. 10. p. 128. B.R. t. 6. p. 2. p. 241. C.C. PIUS IV. ad f. r. m.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

ORdinarii Siciliæ exponi curaverunt Pontifici, in Sicilia citra, & ultra Pharum esse plurimos Græcos, & esse plurimos latinos Clericos, & laicos, qui ritus Græcos sectantes prætextu privilegiorum Leonis X. & Julii III. dicebant, se non subjacere jurisdictioni Ordinariorum.

Etiam opiniones Græcorum sequebantur de Purgatorio, de processione Spiritus S. de primatu Ecclesiæ &c.

Petieruntque ut provideret; illi enim erant scandalo, inducebantque alios ad contemptum Episcoporum Latinorum.

Pius ad hæc statuit, ut Græci Clerici, vel laici in iis, quæ spectant ad divinum cultum, & sacramentorum administrationem, & ad alia spiritualia subjiciantur jurisdictioni Ordinariorum, qui eos visitare, corrigere, & punire possint;

Vetat qui latino ritu fuerunt baptizati, sequi ritus Græcos, privilegiaque quæcumque obtenta cassat;

Facultatem dat Episcopis in hoc animadvertendi per censuras Ecclesiasticas, & per invocationem brachii secularis, si opus fuerit.

Inhibet Latinis filios suos deferre baptizandos ad Græcorum Ecclesias, inhibetque Græcis sacerdotibus eos infantes baptizare ritu suo; quamvis liceat Græcis deferre liberos suos baptizandos ad Ecclesias latinas ritu latino, & presbyteri latini eos baptizare possint; qui ita baptizati licet nati e genitoribus Græcis censeantur semper latini.

Judices juxta hæc decreta judicent. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Die XVI. Febr. P. a. VI. a. D. 1564.

Curet Archiepiscopus Pisanus, ut Græci Liburni recipiant Archiepiscopum Mithelinarum.

URBANUS VIII. Archiepiscopo Pisano. XXXIV. E.R. t. 5. P. 5. p. 311 C.C.

Inc. *Cum nos, &c.*

COnsulere volens Urbanus saluti eorum Græcorum, qui Liburni negotiantur, iis præfecerat Archiepiscopum Mithelinarum Græco-catholicum.

Itaque mandat Archiepiscopo Pisano, cui Liburnum subest, ut curet,

Ut Græci eum reverenter suscipiant, illique pareant, contradictoresque coerceant. &c. N. O.

Archiepiscopum illi commendet.

D. Romæ apud S. Petrum Die XV. Mart. P. a. IV. a. D. 1625.

Quid debeant Italo-Græci credere.

BENEDICTUS XIV. ad p. r. m. XXXV. B.M. t. 16. p. 94.

Inc. *Etsi pastoralis, &c.*

GRassante per totum orientem Barbarorum infidelium, & schismaticorum perfidia, multi Græci ex Epiro, Albania, aliisque Asiæ regionibus in Italiam se receperunt, hi erant Græci cum Ecclesia Romana conjuncti.

Vult iis quoque providere Pontifex, ac primum eorum privilegia confirmat, cum volens omnes quæstiones precidere, colligit in unum quidquid superiores Pontifices decreverunt præscribitque quid sit illis credendum: ac

§. I. *De Fide Catholica.*

Græci credere debent quidquid in œcumenico synodo Florentina decretum est super unione Ecclesiarum orientalis, & occidentalis, & profiteri, quod in professione orthodoxæ *fidei jussu Gregorii XIII.* emittenda continetur, scilicet processionem Spiritus S. a Patre, & Filio, proindeque *rationabiliter verbum Filioque imminente tunc necessitate* additum symbolo Niceno, quod verbum tamen non tenentur Græci in symbolo pronuntiare; tam in azymo, quam in fermentato pane triticeo confici corpus Christi; si vero pœnitentes in caritate decesserint fideles, aliique tamen maculas iis inhærentes purgari Purgatorii igne; & animas eorum, qui nullam admiserunt culpam, vel jam purgati sunt, clare ipsum Deum unum, & trinum, prout est, pro diversa meritorum ratione, alios aliis perfectius intueri, S. Apostolicam Romanam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & esse Petri successorem, demum, recipere quidquid Romana Catholica Ecclesia credit.

§. II. *De Baptismate.*

Sacerdotes Græci pueros baptizatos chrismate in fronte non insignant; non inquietentur a latinis Episcopis, si in forma adhibent verba *Baptizetur servus Dei &c.* neque si ungunt pectus, & medium dorsi, aures, pedes, & manus baptizati, si potest tolli ritus ungendi totum corpus, sine scandalo tollatur, nihil refert, frigida sit aqua, an calida. Si Græcus non utatur aqua benedicta a Sacerdote latino in Baptismate, non est molestandus. Licet ministratio Sacramenti Eucharistiæ pueris sub una, vel utraque specie non fit contra orthodoxam fidem, tamen vetantur eam dare infantibus, & pueris ministrantibus in Missa: infantes nati ex parentibus Græcis, nisi aliter parentes de consensu ordinarii voluerint, græco ritu baptizari debent; nati ex patre latino, & matre Græca latino ritu; si pater sit græcus, mater latina græco ritu baptizentur. Infantes

Infantes pertinent ad eum Parochum, juxta cujus ritum sunt baptizati. Cum infantibus, & adultis exequiæ fiunt ritu Græco, nihil sese immisceat parochus Latinus, neque vice versa. Omnes debent institui in eo ritu, in quo sunt baptizati. Græci possunt transire ad ritum Latinum, ob præstantiam ritus Latini, quem Romana sedes servat, Latini non possunt transire ad ritum Græcum; si infans baptizatus sit ritu Græco, ut instruatur ritu Latino, debet haberi assensus Patris, & licentia Ordinarii.

§. III. *De Sacramento Confirmationis.*

Episcopi Latini conferant sacramentum Confirmationis pueris Græci ritus; propterea julit Pontifex, ne in baptismate confignent infantes Græci; si timor adsit, fuisse a suis Episcopis confirmatos in baptismate, confirmentur sub conditione; idem sentiendum, si Episcopus Latinus ordinet Græcum qui ab aliquo Episcopo in Italia fuerit baptizatus, ante ordinationem eum sub conditione confirmet, sed id præcipitur, modo fieri possit sine scandalo. Ubi adest Episcopus Græcus, curent Episcopi Latini, ut juvenes confirmentur, & ordinentur ab Episcopis sui ritus.

§. IV. *De Oleo Sancto Chrismatis Cathecumenorum, & infirmorum.*

Græci non sunt cogendi accipere olea Sancta ab Episcopis Latinis præter Chrisma. Græci non audeant accipere oleum catechumenorum, & infirmorum a suis Ordinariis.

§. V. *De Sacramento Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis.*

Pro pœnitentia nulli injungatur aliqua unctio; infirmis detur extrema unctio; nec refert si per unum, aut plures Sacerdotes eis illa detur, modo qui ungit Sacerdos, dicat etiam formam; in casu necessitatis Sacerdotes Græci possunt Latinos absolvere, servata forma præscripta a Concilio Florentino; extra hunc casum, si Ordinarii sciverint, aliquem presbyterum Græcum esse, possint permittere, ut audiat confessiones. Etiam Sacerdotes Græci conjugati possunt libere, & licite, si sint Parochi, confessiones audire suorum parochianotum; liberum sit ordinariis adjungere his parochis idoneos Sacerdotes ad confessiones audiendas. Calogeris sine gravi necessitate non committatur animarum cura. Græci presbyteri schismatici advenientes ex Albania, ejuratis prius erroribus, possunt admitti ad parœcias. Tollatur abusus, ut uxor, & vir confiteantur eidem presbytero. Aqua ritu Græco benedicta in die Epiphaniæ fervetur in Ecclesia, ut fideles aspergantur.

§. VI. *De Missæ Sacrificio, & Sacramento Eucharistiæ.*

Permittitur juxta ritum Ecclesiæ Græcæ peracta Calicis consecratione aquam calidam in Calicem infundere; sed non misceatur oleum sanctum, & iterum coquatur, vel species Sacramenti seria quinta in Cœna Domini exsiccentur, & custodiantur; Sacramentum asservatum pro infirmis saltem singulis octo diebus renovetur, nedum per totum annum asservetur; in solemnitatibus Sacerdotes Græci ne transgrediantur horam nonam ad consecrationem conficiendam; & tollatur usus diebus jejunii celebrandi Missam hora vesperarum; tollatur etiam abusus, qui est in oriente, ut Monaci deferant Sanctissimam Eucharistiam collo appensam; servetur, si placet, usus unam tantum Missam celebrandi super idem altare eodem die, Latini non nisi ex necessitate in iis Ecclesiis celebrent. Albanenses tamen rogarunt Pontificem, ut pro habitantium commodo plures missas eadem die in eadem Ecclesia dicere possent; quod Pontifex concessit: sub pœna perpetuæ suspensionis inhibet Sacerdotibus Latinis græco ritu, græcis ritu latino celebrare, vetat etiam, ne latinus Sacerdos in pyxide conservet frustula consecrata panis fermentati pro communione Græcorum, neque Græcus frustula panis azymi pro communione Latinorum; Laici Latini non possunt se communicare in Ecclesiis Græcorum, Laici Græci in Ecclesiis Latinorum possunt. In iis locis, ubi est usus communicandi sub utraque specie, servetur, in quibus non est, ne introducatur; permittit Pontifex, ut quolibet die Quadragesimæ missa in Ecclesiis Græcis dicatur; in parochialibus servetur ritus Missæ *præsanctificatorum*. Græci possunt accipere altaria portatilia ab Ordinariis Latinis; Cæterum habeant, si volunt sua antimensia; Si Latini non habent altare portatile, non possint celebrare super antimensiis Græcorum. Quisque in suo ritu utatur Calice vel aureo, vel argenteo, vel stanneo ad minus; mulieres altari servire ne audeant.

§. VII. *De Sacramento Ordinis.*

In Seminario Italo-Græco a Clemente XII. erecto in Calabria est Episcopus Græco-Latinus Catholicus, alter est Romæ; conveniens est Græcos ordinari ab alterutro horum; nam si ordinentur ab Episcopis Latinis, & in aliis partes eant, schismata oriri possunt. Nemo promoveatur ad ordines nisi provisus sit de titulo; & nemo admoveatur ad sacra mysteria, nisi per triennium litteris operam dederit vel in collegio urbis, vel in Seminario Corsino. Promovendi ad Sacerdotium, & parœcias examinentur, num sint idonei; constituti in sacris ritu suo horas Canonicas dicant. Episcopi Græci in conferendis ordinibus servent cæremonias in Euchologio descriptas: Solebant oriri quæstiones, quomodo ordinandus esset ille, qui aliquos ordines ab Episcopo Græco accepisset Græco ritu, in reliquis ab Episcopo Latino. Si sit initiatus lectoratu tantum, debet ordinari in omnibus aliis minoribus ordinibus, si præter Lectoratum habet & Subdiaconatum, ex minoribus accipiat & Exorcistatum; ex ritu enim Græco in Subdiaconatu datur, & Acolythatus, & Ostiariatus. Græci non admittantur ad tonsuram nisi habeant dimissorias Ordinarii Latini; aliter ordinati sint suspensi; cujus censuræ dispensatio petenda est a S. Sede. Ad dandos ordines non sunt admittendi Episcopi schismatici, nisi consulatur S. Sedes; ordinati a schismaticis recipiunt ordinem, sed non executionem; proinde sic ordinati sunt reconciliandi; in illo ordine, quem acceperunt, per aliquod tempus sese exerceant, antequam promoveantur ad alium ordinem. Etiam ætas præscripta a Concilio Tridentino de ordinandis est servanda in Græcis. Sit suspensus Episcopus, qui clericum alterius ritus ordinabit. Prohibentur etiam Latini sub spe retinendæ uxoris ordinari a Græcis, ubi est ritus Græcus; qui tamen huc usque ordinati sunt ab Episcopo Latino, & semper ritum Græcum servarunt, non sint suspensi. Ordinati in primo ordine ab Episcopo Latino non possint ascendere ad alios ordines, nisi habeant dimissorias Episcopi Latini. Non prohibentur Græci presbyteri retinere uxores suas, modo ante ordinem eas duxerint virgines, non viduas, non corruptas, si cum sit Diaconus, vel Subdiaconus uxorem ducat, erit deponendus, & separandus ab illegitima uxore; neque conjugatus accedat ad sacrificandum, si per unam hebdomadam, aut saltem per triduum cognoverit uxorem.

§. VIII. *De Sacramento Matrimonii.*

Ordinarii curent, ut decreta Tridentinæ Synodi de Sacramento matrimonii vertantur in Græcum-Italum sermonem. Quoad vincula, non permittantur ea dissolvi matrimonia, & dissolutio sit irrita, mortuo marito, Græci non condemnent ulteriores nuptias; secundo nubentes non accipiant benedictionem. Et quoniam gradus octavus est quartus apud nos, & antea in hoc gradu nubebant, vetetur iis de cætero in eo gradu nubere; item vetetur, si adsit cognatio spiritualis, quæ contrahitur in baptismate, & chrismate; Maritus latinus uxoris græcæ ritum non sequatur; græcus potest sequi ritum uxoris latinæ; matrimonia inter latinum, & græcam fiant coram Parocho Latino; inter uxorem latinam, & virum græcum possunt contrahi coram vel latino, vel Græco Parocho.

§. IX. *Ritus Græcus qua ratione in Italia, & Insulis adjacentibus servandus; de Græcorum, seu Albanensium subjectione Episcopis Latinis.*

Græci in Italia, & Insulis adjacentibus servantes ritum suum non molestentur; accommodet se tamen Græci usui communi ejus diœcesis, in qua degunt, & servent festa assignata in Calendario Gregoriano, in Missis, & divino Officio faciant commemorationem non Antistitum orientalium, sed Romani Pontificis, & Ordinariorum locorum. Ipsi quoque Sacerdotes Græci subjiciantur Constitutioni editæ contra sollicitantes in confessione ad turpia. Non tenentur tamen servare vigilias latinorum in esu; neque in esu carnium die Sabbati sunt molestandi; ne jubeant tamen Græci suos famulos Latinos eo die carnes edere.

His Græcis permittit Pontifex, ut *in suis* jejuniis uti possint piscibus, oleo, vino. Caveant Episcopi præcepta latinis præficere Presbyteros Græcos, licet ex dispensatione Apostolica sint ordinati ab Episcopo Latino; Presbyteri Latini non se immisceant in functiones Græcorum, nisi sint invitati, neque Sacerdotes

Græ-

Græci audeant in Ecclesiis Latinis Missas canere, nisi de licentia Ordinarii; in præcedentiis non attendatur diversitas rituum, sed tempus ordinationis, & Ecclesiasticæ dignitates. Græci non utantur aliis libris in suis functionibus, nisi iis, qui sunt correcti jussu Sacræ Congregationis. Omnino subjaceant suis Ordinariis Græci, non secus ac si Latini essent. Ubi autem sunt duo Episcopi Latinus, & Græcus, Græcos regat Græcus, Latinus Latinos. Episcopus Latinus habeat Vicarium pro iis rebus, quæ ad Græcos spectant. Græcos Monachos, qui non sunt ex instituto S. Basilii, subjicit Pontifex omnes Episcoporum jurisdictioni. Ceterum statuta in hac Constitutione minime derogent iis, quæ a Sacris sanctionibus de Græcis sancita sunt. Vetat demum, quicquam innovari circa hæc, inconsulta S. Sede. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. VII. Cal. Junii P. a. II. a. D. 1742.

In Ecclesia S. Mariæ del Grafeo *semper Græcus ritus servetur.*

XXXVI. B. M. t. 16. p. 153. BENEDICTUS XIV. ad p. r. m.

Inc. *Romana Ecclesia, &c.*

CElebris est dignitas Protopapæ, semperque fuit inter primas dignitates Ecclesiæ Patriarchalis Constantinopolitanæ. Etiam Messanæ est hæc digniras in Ecclesia S. Mariæ *del Grafeo* appellata *la Catholica*, quia Ecclesia hæc, cum aliæ Ecclesiæ Græci imperii defecerunt a recta fide circa processionem Spiritus Sancti, semper credidit, quæ Catholica Ecclesia de Spiritu S. credidit.

In ea Ecclesia semper *a tunc temporis* divina Officia, & Missa celebrata fuere Græco idiomate, sed Latino ritu.

Ergo Pontifex *ejus dignitatis* omnia privilegia confirmat, & decernit in posterum in prædicta Ecclesia *servandum* semper esse eum ritum Græco-Latinum.

M. P. autem, & specialiter confirmat privilegium quod habet antiquitus Clerus ejus Ecclesiæ, ut solus possit eligere Protopapam.

Et harum litterarum robur numquam vult infringi. N. O.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XVIII. Mar. P. a. III. a. D. 1743.

DE ECCLESIA GRÆCO-MELCHITA.

Solutio dubiorum propositorum a Patriarcha Antiocheno Græcorum Melchitarum.

XXXVII. B. M. t. 16. p. 166. BENEDICTUS XIV. Patriarchæ Antiocheno Græcorum Melchitarum, & omnibus ejusdem ritus Episcopis eidem subjectis.

Inc. *Demandatam cœlitus, &c.*

PRædecessor hujus Patriarchæ Cyrillus, qui multa pertulerat pro Ecclesiæ Catholicæ defendenda puritate, multa dubia proposuerat Benedicto XIII., & Clementi XII. *in suæ, aliarumque Ecclesiarum sibi subjectarum regimine incidentia.* Cum nullum responsum ab iis Pontificibus datum fuisset, Benedictus XIV. *diu jacentem materiam resumpsit*, & de gravissimorum Theologorum consilio, & doctissimorum Cardinalium sententia ita respondet.

Hæc porro dubia alia respiciebant ritus, & mores Ecclesiæ Græcæ, jejuniorum observantiam, Missæ sacrificium, alia jurisdictionem ipsius Patriarchæ, & Episcoporum sibi subjectorum, alia Monasticam disciplinam, ad quæ singillatim respondet Benedictus.

Et primum ritus omnes, & mores generatim observandos esse ait, ac propterea reprehendit Archiepiscopum Tyri, qui quosdam veteres ritus abolevit, & novos induxit. Proinde hortatur Patriarcham, ut & ipse, & Episcopi suos veteres ritus antiquitate sacratos conservent. Quosdam autem indifferentes mores prudens Episcopus pro rerum, & circumstantiarum varietate mutare poterit.

Queritur autem Pontifex a præfato Cyrillo jejuniorum quadragesimalis, dierum quadraginta ante nativitatem Domini, dierum quatuordecim ante festum Apostolorum Petri, & Pauli, vel totidem quot sunt a feria secunda post octavam Pentecostes usque ad eorum festum diem, totidem ante festum B. Mariæ Assumptæ in consessu Episcoporum in monte Libano habito an. 1736. in favorem populorum Montanorum observantiam fuisse immutatam; licet cum Patriarcha a. 1737. fuit electus juraisset, se servaturum veterem disciplinam jejuniorum. Quam tamen mutationem Pontifex abrogat, & jubet servari consuetudinem antiquam. Dat tamen facultatem Patriarchæ immutandi hanc consuetudinem, si ingens adsit necessitas.

Circa Missæ sacrificium jubet, ut unica tantum Missa super eodem altari eodem die dicatur, & in quadragesima, Sabbatis, diebus Dominicis exceptis, Missa *præsanctificatorum* celebretur, eliminata tamen falsa vulgi opinione credentis frangere jejunium Sacerdotem illum, qui induatur paramentis sacris, quibus eo die usus est alius Sacerdos in sacrificio.

Permittit in Ecclesiis haberi plura altaria, ad quæ singula singuli Sacerdotes celebrare possint, simul & Liturgiam, & Consecrationem facientes; & singuli possint applicare sacrificia juxtam intentionem suam.

Uniformitas demum in Liturgia sit eadem.

Quia aurem Maronitæ jurisdictionem Græcorum Melchitarum turbabant absolventes a censuris, quas Melchitæ excommunicaverant, dispensantes in matrimoniis, id Pontifex Maronitis inhibet; vetat etiam Missionariis Latinis in iis regionibus existentibus ritus Melchitarum turbare;

Curam autem parœciarum eorum populorum solis Fratribus S. Francisci ex custodia Terræ Sanctæ, deficientibus Parochis Melchitis, exclusis aliis Missionariis, concedit Benedictus, quibus populis, si absit Græcus Episcopus, Guardianus S. Sepulcri dare Sacramentum confirmationis potest.

Ceterum abstineant sese Missionarii, ut velint ad ritum Latinum eos Græcos trahere. De Græcis autem (Græcos Latinizantes appellant eos), qui nati a genitoribus Græcis, deficientibus Græcis presbyteris, a Latinis fuere baptizati; hi possint sequi quem voluerint ritum.

Circa Monachos decernit hæc, ut omnes profiteantur regulam S. Basilii, & subjiciantur suis Ordinariis; nec edere possint librum ullum sine licentia Ordinarii.

In Monasterium in Kofroano inhibet recipi alias puellas, nisi Græci ritus, cujus Monasterii gubernium demandat Monachis S. Joannis sub jurisdictione Ordinarii.

Confessarius harum Monialium jubetur esse Monachus ejusdem Monasterii S. Joannis eligendus ab Abbate, qui etiam eliget ter in anno extraordinarios.

Hæc Moniales sequantur regulam S. Basilii quam Congregatio de Propaganda possit immutare.

Hæ omnia observanda tradit Pontifex.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XIV. Dec. P. a. II. a. D. 1742.

Postulatio, & missio Pallii ad Patriarcham Antiochenum Græcum-Melchitam.

BENEDICTUS XIV. Cyrillo Catholico Græco-Melchitarum Antiocheno Patriarchæ. XXXVIII. B. M. t. 16. p. 178.

Inc. *Dum nobiscum, &c.*

SEraphinus Janàs juxta Græcorum ritum electus Patriarcha Antiochenus, Cyrillique nomine assumpto, cum jam obtinuisset a S. Sede confirmationem, per Sacerdotem ejusdem ritus specialiter deputatum Pallii honorem humiliter postulavit.

Apponitur oratio, quam Advocatus consistorialis in Consistorio ad hanc rem habuit ad Pontificem, in qua narrat, quomodo electus educatus fuerit in Collegio Urbano de Propaganda, quomodo electus fuerit ob eminentia merita, ut sit Romanæ Ecclesiæ devinctus, ut velit esse obediens Pontifici, ac proinde in perpetuæ adhæsionis Romanæ Sedi signum petere eum pallium.

Tum Pontifex ad Cardinales habuit sermonem, in quo ostendit sedis Antiochenæ antiquitatem, in qua plures Patriarchæ sanctitate conspicui federunt, Evodius, Ignatius Martyr, Flavianus; narrat, quomodo sæculo quinto per Nestorii, & Eutychetis hæresim ea fuerit deformata; multi tamen pariterunt Marciani Imperatoris

peratoris edictis, & ad unitatem Ecclesiæ Romanæ venerunt, dicti proinde Melchitæ, hoc est *Regii*; alii sese opposuerunt decretis Concilii Chalcedonensis damnantis præfatam hæresim, dictique sunt Jacobitæ.

Sæculo VII. Syria a Saracenis occupata, & inde sæculo X. a Phoca recuperata, in Græcorum Imperatorum potestatem Antiochia devenit, & tunc Patriarchæ Antiocheni electi fuere a Patriarcha Constantinopolitano, & proinde appellati fuerunt in posterum Græco-Melchitæ; unde factum fuit, ut plures schismatici eam sedem occuparint.

Sed sæculo XI. Petrus Tertius Antiochenus a Romano Pontifice Leone IX. confirmationem suæ electionis petiit, & Dorotheus primus in Concilio Florentino Ecclesiæ Romanæ se univit; rursus ea Ecclesia incidit in schisma, a quo recedere coepit per Euthymium Melchitarum Tyri, & Sidonis Archiepiscopum; deinde successit Athanasius, tam Cyrillus primus, qui professionem suæ fidei Romam misit; cui tamen professioni S. Sedes penitus non acquievit, ac proinde pallium non misit; alter Cyrillus successit, qui hoc sæculo petiit a S. Sede confirmationem, qui suæ obedientiæ erga S. Sedem plura signa dedit; cum restitisset Sylvestro schismatico, qui eam sedem invasit, quamobrem Cyrillus coactus fuit exulare in monte Libano.

Præest nunc hic Cyrillus, qui petiit Pallium. Plurimi sunt ibi Catholici, qui a decem Episcopis gubernantur, & hi Episcopi subjiciuntur Patriarchæ.

Huic strenuo viro, ait Pontifex, æquum esse pallium mittere *de corpore B. Petri sumptum, postquam professionem fidei in manus ejus, quem Pontifex deputaverit emiserit.*

Tum procurator Cyrilli; quoniam non potuit in publico Consistorio, gratias egit Pontifici in cubiculo paucis familiaribus admiitis pro pallii honore concesso.

Hæc quoque gratiarum actio apponitur; in qua ostendit Procurator, quanta pro puritate fidei substinuerit Patriarcha; honorem tamen hunc, ait, omnes ærumnas compensaturum.

Auget meritum Pontificis in conferendo beneficio a tempore, quo illud dat, nempe calamitosissimo, in quo mens Pontificis aliis est curis distracta, & a modo, quo dat.

Tum nomine Cyrilli, & totius Melchitarum nationis obedientiam, & obsequium Pontifici, & successoribus testatur.

Tum Pontifex mittit Pallium Patriarchæ, ad eum scribens, illum laudans, quod fidem Catholicam tam strenue tueatur, & gratulatur Ecclesiæ, quod Patriarcha ejusmodi genti Melchitarum contigerit.

Ei Pontifex pollicetur assistentiam suam omnimodam. Ait, se mittere ad eum pallium, in quo ineat plenitudo potestatis quod sibi imponet, cum professionem fidei juxta formulam ab Urbano VIII. præscriptam ediderit coram Episcopo Babylonis, vel coram alio ab eo substituto, qui & pallium afferet.

Monet illum, ut pergat adimplere ulterius ea, quæ pallium significat.

Ait, se dedisse Ablegato Patriarchæ munusculum ad rerum sacrarum usum.

Dat. apud S. M. Maj. die XXIX. Febr. P. a. IV. a. D. 1744.

DE ECCLESIA GRÆCO-RUTHENA.

Archiepiscopus Kiovienſis Ruthenos ad unitatem redigat, sitque A. S. Legatus.

XXXIX. Ex Rayn. ad ann. 1340. §. 13. EUGENIUS IV. Isidoro Kyeu, ac totius Russiæ Metropolitæ, in Lithuaniæ, Livoniæ, & Russiæ, & Lechiæ provinciis.

Inc. *Cum nos, &c.*

ARchiepiscopo significat Eugenius factam demum fuisse conjunctionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina, *ita ut deinceps unum futurum sit ovile, unus pastor.*

Ut autem omnes Ecclesiæ ritus Græci tanti boni sint participes, Eugenius Isidorum ut præter jus Metropoliticum quod habet in prædictas provincias habeat, etiam majorem auctoritatem, deputat Legatum a Latere.

Ejus doctrinam, pietatem, prudentiam summopere, jure ac merito tamen, commendat Eugenius.

Efficiat, ut quam unionem fecit Ecclesia Constantinopolitana, faciantque aliæ orientis Ecclesiæ, faciant Episcopi illi subjecti.

D. Florent. XVI. Cal. Sept. P. a. X. a. D. 1440.

„ A Moschis pessime exceptus in carcerem conjectus Isidorus fuit; atque a congregato Schismaticorum Concilibulo intendebantur illi supplicia, vel potius martyrii palma: prodigialiter e carcere ereptus fuit.

„ Donatus fuit sacra Romana purpura ob ingentia in Ecclesiam merita. „

Hæc Patriarchæ Constantinopolitani epistola ad Archiepiscopum Kiovientem ostendet, quo in statu esset Ecclesia Græco-Ruthena in Polonia, Russiæque partibus. Ea est apud Raynal. ad an. 1486. §. 62.

„ In Lithuania, & Russia præsules Poloni Catholici non raro alios Ruthenorum præsules schismaticos vexabant, ut eos ad sinum Romanæ Ecclesiæ traducerent. Quare Josephus Metropolita Kiovienſium Nipho Patriarcham Constantinopolitanum consuluit, quid de Florentino Concilio esset sentiendum. Rayn. ibidem. „

Nipho Dei miseratione Archiepiscopus Constantinopolitanus novæ Romæ œcumenicus Patriarchæ pientissimo, & Deo dilecto Josepho Fratri, & confervo Metropolitæ Kiovienſium, & totius Russiæ salutem.

ACcepimus litteras dilectionis tuæ scriptas humilitati nostræ, quibus significat Romanorum Ecclesiæ Episcopos Ruthenos, & Lithuanos vobis molestos esse, vosque compellere ad unitatem Ecclesiasticam Florentiæ decretam, unde metuis ingentia pericula, amissionem privilegiorum, & libertatis, quæ illo tempore, quando unio decreta est a regibus Poloniæ vobis concessa sunt. Postulas itaque a nobis auxilium, & ad vestrum potentissimum regem commendatorias; desideras insuper scire de hac Synodo, quomodo fuerit transacta, ut possit reddere rationem omnibus persequentibus, & compellentibus ad unionem.

Scias igitur, eam Synodum legitime fuisse congregatam, & magnifice totius orbis lætitia, & consensu comprobatam, idque præsentibus illustri Imperatore Paleologo, & Sanctissimo Patriarcha Constantinopoleos beatæ memoriæ Josepho, non ita pridem ante nos sedente, & Vicariis, seu Legatis fratrum nostrorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Principum orientalem Ecclesiam repræsentantium, & præsente quoque Episcopo Romano cum suis. Ceterum cum nonnulli gentis nostræ, qui domi remanserant, noluissent decretum amplecti unionis ex odio in Latinos; ideo apud nos confusio, & nullus ordo, quando oves nobis concreditæ imperium & arbitrium in nos sibi usurpant, quorum pervicaciæ resistere non possumus.

At quis scit, si non ideo divinæ iracundiæ furor in nos desævit, & in dies desævire non intermittit, quod sanctam unitatem respuerimus? ut præteream, quod subsidia Latinorum non tantum amiserimus, sed etiam eos offenderimus: quamobrem neque mirari oportet, si etiam vobis sint difficiles, quamvis non injustam excusationem habeat, dum inscio Patriarcha Constantinopolitano quidquam tibi licere dicis. Nos certe quamquam maxime cuperemus, nihil facere possumus eorum, quæ nobis expediunt. Ergo illi minime de nobis conquerantur, sed potius calamitatibus nostris compatientes, Deum nobis propitium reddant, ut a tyrannica servitute liberati denuo uniamur, divina favente clementia.

Tu vero ne nimium reluctaveris, sed amice cum Latinis versare; nam & nostris Sacerdotibus in dominio Veneto degentibus nos utique injunximus, ut una cum iisdem Latinis, servato tamen Ecclesiæ orientalis ritu, simul orent, & congregentur: sed ritus patrios observa; namque non prius majores nostri in unionem Florentinam consenserunt, quam privilegia nostra fuissent confirmata.

Scriptimus principibus, & antistitibus Ruthenis, ac Lithuanis nostri ritus, ut tibi in omnibus ad nutum sint.

Anno septies millesimo die V. Aprilis Indict. XI. Patriarcha Nipho erat Catholicus.

Recen-

Recenſentur errores Ruthenorum diverſarum regionum.

XL. Ad ann. 1514. §.68. LEO X.

Inc. *Rutheni albi, &c.*

ETiam in Concilio Lateranenſi actum fuit de unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina. Archiepiſcopus autem Gneſnenſis miſſus ad Concilium a Rege Poloniæ expoſuit Ruthenorum errores, diſcrepantiamque, quæ intercedebat inter Ruthenos in Poloniæ, Lithuaniæque regionibus commorantes, & inter Ruthenos Moſchos, quæ quidem diſcrepantia in cauſa erat, cur ſemper illi duo populi inter ſe bellarent. Intererat ergo multum, ut ii populi ad eamdem fidem, eoſdemque ritus reducerentur.

Ac primum quidem Archiepiſcopus Moſcoviæ confinia, vires (Moſchus poteſt cogere exercitum ducentorum millium hominum) commerciumque exponit; hi populi dicuntur Rutheni albi, quondam Colchitæ, nunc Moſcovitæ.

Rutheni VValachii ſunt feroces, armigeri, quadraginta millium communis populi conſtituunt exercitum, incolunt propriam terram Moldaviam, ſive Myſiam, idioma habent commune cum Rutheno, & Italico vulgari; dicunt enim ſe deſcendere ex iis Romanis militibus, qui poſiti fuerunt in præſidiis Pannoniæ contra Scythas.

Rutheni Rubei, qui habebant quondam proprios reges, domiti fuerunt a Polonis, regique Poloniæ parent; habent Metropolim, & ſeptem Cathedrales Eccleſias,

Rutheni ſunt in Tartaria; treſdecim ſunt eorum duces Mahumetani omnes; horum Tartarorum vires, commercium exponit Archiepiſcopus.

Jam omnes hi Rutheni (exceptis Polonis, qui Concilio Florentino adhæſerunt)

I. Negant primatum Romanæ Eccleſiæ,

II. Negant ſalvari eos, qui ritus Latinos ſequuntur, Latinoſque dicunt Arianos;

III. Sanctos Patres Latinos rejiciunt, admittuntque Græcos Doctores; dicunt tamen eos a Latinis fuiſſe corruptos in iis locis, in quibus Ruthenorum errores damnantur;

IV. Imagines pictas a Latinis non colunt, colunt tantum ſuas; ita ſpernunt Eccleſias Latinorum, indignaſque veneratione dicunt;

V. Negant ſacramentum Euchariſtiæ in azymo confici, aut confici poſſe; hinc a Latinis confectum ſacramentum non adorant, ſed irrident;

VI. Tria prima ſeptima Concilia tantum admittunt, reſpuuntque cetera; illa tamen in quibuſdam doctrinæ capitibus libitu ſuo explicant;

VII. Negant confici ſacrumenta a Latinis; putant enim non ordinatos a Patriarcha Conſtantinopolitano, vel illi non ſubjectos, non poſſe eſſe ſacramentorum miniſtros;

VIII. Oleo conſecrato per plures annos ſervato utuntur, deridentque Latinos, qui illud quotannis conſecrant;

IX. Indulgentias, Jubilæa &c. reſpuunt, negantque Eccleſiam habere facultatem eas dandi, ſicut negant anathematiſmos;

X. Sentiunt Extremæ-Unctionis ſacramentum prodeſſe tantum ſaluti corporis conſequendæ;

XI. Interdum baptizant aqua permixta cum ſucco pomorum, quem quidem ſuccum interdum adhibent in ſacrificio Miſſæ, ſi vinum non habeant;

XII. Duas aut tres guttas aquæ calidæ in vinum infundunt conſecrandum, dicuntque Latinos non conſecrare, qui aquam frigidam in illud immittunt;

XIII. Ex pane conſecrando diviſo triangulariter ſumunt partem tertiam, quam conſecrant, reliquas partes dicunt converti in corpus B. Virginis Mariæ, ſervantque; in conficiendo pane dicunt farinam repræſentare Patrem, fermentum Filium, aquam calidam Spiritum S., & cum conſecrant plures panes circum panem conſecrandum habent, unum apponunt in nomine præcurſoris Baptiſtæ, alium in nomine Baſilii, alios in nomine Leonis, Eliæ, &c. quæ omnia eſſe de conſecrationis eſſentia dicunt; calicibus ligneis utuntur, & cochlearibus; *micas panniculis detergunt, ejiciuntque.*

XIV. In conſecratum Calicem aquam calidam infundunt, ſi vapor exalaverit, putant conſecrationem eſſe factam; & communicant ſe, & circumſtantes; ſi ſupereſt aliqua pars, ſumitur a pranſo Sacerdote.

XV. Si bellum eſt, conſecrant panem ſilegineum, quem dant militibus, cum in procinctu ſunt, illum ponunt in aliquo liquore in vaſculo, quod habent, & communicant.

XVI. Ad infirmos deferunt panem conſecratum in die Cœnæ Domini, qui per integrum annum ſervatur, qui in fine anni corruptus eſt.

XVII. Panem conſecrandum eadem reverentia adorant, qua adorant conſecratum.

XVIII. In die Epiphaniæ loco fontis Eccleſiaſtici flumina benedicunt; & ſi qui ſunt baptizandi pueri in illa immergunt; ſi quis e frigore moriatur, aut mergatur undis, aut elabatur e manibus, dicunt eum ab Angelo fuiſſe raptum in cœlum, gaudentque, geſtiuntque.

XIX. *Sacerdotes communiter non orant, niſi quando Miſſæ officium ſunt habituri.*

XX. Non confitentur, ſed totum corpus abluunt, quam ablutionem dicunt ejuſdem eſſe virtutis, cujus foret Confeſſio.

XXI. Si quis presbyter Latinus ſuper eorum altari ſacrificet, illud dejiciunt;

XXII. Unam tantum miſſam per diem dicunt eſſe celebrandam ſuper eodem altari; ſi altera, tertiaque celebrentur, ſentiunt, ea non fuiſſe ſacrificia;

XXIII. Dicunt Ruthenum non peccare ſi occidat Latinum vel presbyterum, vel laicum Romanæ Eccleſiæ ſubjectum; neque Ruthenum Sacerdotem ex hoc homicidio fieri irregularem,

XXIV. At irregularem eſſe ſi occidat volatile aliquod; a qua irregularitate ſe abſolutos putant ſi occiſam avem tandiu ſub aſcella geſtent, donec computreſcat.

XXV. Juramentum factum contra aliquem Latinum Romanæ Eccleſiæ, damnum illi illatum, furtum factum, injuriam illi inflictam peccata non ducunt.

XXVI. Non jejunant in Sabbatis quadrageſimæ, putarentque ſe peccare, ſi jejunarent; *ante jejunia ſua diebus octo ante ſolemnizant*, & diebus octo poſt etiam feriis ſextis carnes vorant;

XXVII. Peccare dicunt, qui diebus jejunii piſces edunt;

XXVIII. Sabbatis edunt carnes, & peccare Latinos dicunt qui carnes Sabbatis non manducant.

XXIX. Sacerdotes ſi barbas radant peccare, opinantur.

XXX. Vendi poſſe prælaturas, ordines, & jus habere filios in beneficia poſſeſſa a patre opinantur.

XXXI. *Dicunt viventem hominem mortaliter peccare non poſſe.*

XXII. Simplicem fornicationem, & uſuram negant eſſe peccata.

XXXIII. Si fur coram ſeptem Sacerdotibus fateatur crimen, & petat ab eis unctionem, eum dicunt abſolutum, neque reſtitutionem ab illo eſſe faciendam.

XXXIV. Negant Purgatorium, duoque etiam ante judicium loca ponunt cœlum, & infera;

XXXV. Rentur ante diem judicii neminem in cœlum ire: non tamen docent ubi interea temporis animæ juſtorum degant.

XXXVI. Putant ſuffragia *prodeſſe in inferno damnatis, & non aliis.*

XXXVII. Nulla rationabili de cauſa, ſed ex pura putaque avaritia, parte ſeparationem petente pro facultatibus ſuis ſacerdotibus pecuniam dante, ſolvunt matrimonia.

XXXIX. Secundas, tertias, &c. nuptias illegitimas dicunt, nec inter contrahentes matrimonium eſſe putant.

XL. Sacerdotes jubent ſingulos comitantes cadavera ad tumulum oſculari, & poſt inhumationem quaſdam polentas a Sacerdotibus benedictas edunt;

XLI. Afferunt dominos laicos, quin ſint excommunicati, poſſe deponere Patriarchas, Epiſcopos, &c.

An. 1514.

Unio Eccleſiæ, nationiſque Ruthenæ cum Eccleſia Romana.

CLEMENS VIII. ad p. r. m. XLI. B.R. t.5. p.2. p.57. C. C.

Inc. *Magnus Dominus, &c.*

GRatias meritas Deo O. M. agit Clemens, *quod clara natio Ruthena, quæ cum Romana Eccleſia*

non communicabat, ſed proprii ſermonis uſu reterto Græcorum ritu vivebat, & luctuoſum Græcorum ſchiſma ſequebatur, ad ſinum Eccleſiæ, unde diſceſſerat *ab annis fere centum, & quinquaginta* (unita fuerat Eccleſiæ Romanæ in Concilio Florentino) rediit. Nimirum Epiſcopi ejus nationis in Polonia errorem agnovere ſuum.

Deputarunt duos Epiſcopos, qui Romam venirent, orantes veniam, afferrentque inſtrumentum hujus unionis ab Epiſcopis ſubſcriptum; *ſalvis ſuis ritibus, & cæremoniis in divinis officiis, & adminiſtratione Sacramentorum juxta unionem in* Concilio Florentino factam.

Clemens has litteras examinari fecit a Congregatione S. Officii, repertaſque ſinceras, Conciſtorio indicto, Cardinalibus eas legit, oratoreſque eo admiſſi nomine nationis profeſſionem ediderunt.

Cardinalis Pœnitentiarius juſſus a Pontifice abſolvit a cenſuris duos oratores, ipſiſque dedit facultatem abſolvendi totam nationem.

Ita ad unitatem fidei rediere Rutheni.

Nulli ergo, &c.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Janu. P. a. IV. a. D. 1595.

Metropolitæ datur facultas conſecrandi Epiſcopos ſuæ nationis.

XLII. Ib. P. 94. C. C. CLEMENS VIII. ad p. r. m. M. P.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

CLemens dat Metropolitæ Kiovienſi, ac Halicienſi vel per ſe, vel per alium auctoritatem conſecrandi promotos ad Epiſcopatus.

Conſecrationem tamen ipſius Metropolitæ Romano Pontifici reſervat,

Vultque litteras proviſionis expediri in Curia per viam ſecretam gratis. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum VII. Cal. Mar. P. a. V. a. D. 1596.

Confirmatio.

XLIII. B.R. t.5. p.3. p.138. C. C. PAULUS V. ad p. r. m.

Inc. *Proviſionis noſtræ, &c.*

JOſeph Metropolita Ruthenus ſupplicavit Pontifici, ut confirmaret ſibi jus datum a Clemente VIII. conſecrandi Epiſcopos ſuæ nationis.

Illud ei Paulus confirmat. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Junii P. a. I. a. D. 1605.

Epiſcopo VVlodimirienſi datur privilegium induendi Saccocio.

XLIV. B.R. t.5. p.2. p.96. C. C. CLEMENS VIII. Epiſcopo VVlodimirienſi, & Breſtenſi.

Inc. *Romanus Pontifex, &c.*

QUoniam ſupradictus Epiſcopus operam maximam contulit, ut unio fieret, Clemens ei dat privilegium utendi in divinis Sacrificiis *Saccocio*, ut ipſi dicunt, hoc eſt veſtibus iiſdem, quibus Metropolita ex ſpeciali indulto ſolet uti.

Idque privilegium extendit ad ejus ſucceſſores.

Has veſtes cærulei coloris ſericas, auro, argentoque intextas ad eum dono mittit Clemens ob navatam operam. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Mar. P. a. V. a. D. 1596.

De conſecratione Epiſcoporum Ruthenorum.

XLV. B.R. t.5. p.4. p.199. C. C. PAULUS V. ad p. r. m.

Inc. *In ſupremo, &c.*

SUpplicavit Metropolita Kiovienſis Paulo, ut, quoniam pauci erant Epiſcopi ritus Græci, liceret in conſecratione Epiſcoporum ſui ritus ad tollendas difficultates itinerum, & diſpendii uti Epiſcopis Latinis.

Id illi permittit Paulus;

Immo permittit Epiſcopos Latinos in illis partibus poſſe conſecrari cum aſſiſtentia Epiſcoporum Ruthenorum. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die X. Dec. P. a. XI. a. D. 1615.

Circa ritus obſervandos ab Epiſcopis, & Clero.

PAULUS V. ad p. r. m. XLVI. Ib. p. 199. C. C.

Inc. *Solet circumſpecta, &c.*

POſt factam unionem Eccleſiæ Ruthenæ cum Romana ſuſpicabantur quidam, immutari etiam debere ritus, & cæremonias, quæ obſervabantur ab Epiſcopis, & Sacerdotibus in divinis officiis.

Conſuluit Archiepiſcopus Kiovienſis Paulum,

Qui reſpondit, ſolitos ritus eſſe ſervandos; eos non eſſe ſublatos. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die X. Dec. P. a. XI. a. D. 1615.

Diſmembratio Abbatiæ Pieczarenſis ab Eccleſia Metropolitana Kiovienſi.

CLEMENS VIII. Nuncio A. Poloniæ. XLVII. B.R. t.5. p.3. p.18. C. C.

Inc. *Significavit nobis, &c.*

AD inſtantiam Sigiſmundi Regis Poloniæ univerat Clemens Archimandriatum Pieczarenſem Metropolitanæ Kiovienſi.

Sed cum inſtarent Rutheni Nuntii, ut redderetur jus ſuum quibuſdam Ruthenis Familiis, quod habebant, nominandi ad illam, rex pro regni quiete ſupplicavit Pontifici, ut eam unionem diſſolveret.

Pontifex eam diſſolvendam mandat ſuo ibidem Nuntio. N. O.

D. Romæ apud S. Marcum die IX. Aug. P. a. XII. a. D. 1603.

Archiepiſcopus ſingulis quadrienniis concilium nationale habeat.

URBANUS VIII. ad f. r. m. XLVIII. B.R. t.5. p.5. p.311. C. C.

Inc. *Sacroſanctum Apoſtolatus, &c.*

NE umquam diſſolvatur unio Eccleſiæ Ruthenæ cum Latina, Archiepiſcopo Kiovienſi præcipit Urbanus, ut ſingulis quadrienniis Concilium provinciale habeat.

Archiepiſcopus autem cogere poſſit renuentes venire etiam per cenſuras.

D. Romæ apud S. Petrum die XII. Mar. P. a. II. a. D. 1625.

Archiepiſcopo Strigonienſi datur facultas abſolvendi Parthemium Epiſcopum Ruthenum.

ALEXANDER VII. Archiepiſcopo Strigonienſi. XLIX. B.R. t.6. p.4. p.13. C. C.

Inc. *Cum tu, &c.*

PArthemius Sacerdos Ordinis Sancti Baſilii Catholicus conſecratus fuerat in Epiſcopum Ruthenorum degentium Munchak, & in aliis locis in Hungaria a tribus Epiſcopis ſchiſmaticis ejuſdem ritus. Quare in cenſuras incurrerat.

Archiepiſcopus Strigonienſis jam ſupplicaverat Innocentio, ut ejus electionem confirmaret, & eum ob acceptam a ſchiſmaticis conſecrationem a cenſuris abſolveret.

Succeſſor Alexander electionem confirmat, & facultatem dat Archiepiſcopo eum abſolvendi. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die VIII. Junii P. a. I. a. D. 1655.

Regulares in Russia, vocato, neque veniente Parocho, possint in suis Ecclesiis cadavera sepelire.

L. B.R.t.6. p. 2. p. 418.C.C. URBANUS VIII. ad f. r. m.

Inc. *Cum sicut, &c.*

REgulares Mendicantes Russiæ interrogarunt Pontificem, *num possent recto tramite a domo ad suas Ecclesias*, ubi sepeliri mandaverant testatores, sine interventu Parochi, cum quo convenerat de hora elationis, neque venit, cadavera deferre, & sepelire?

Urbanus respondet, eos posse;

Et ita fieri vult. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Febr. P. a. XIX. a. D. 1642.

Quatuor juvenes Rutheni semper alantur in Collegio Græcorum de Urbe.

II. B.R.t.7. p. 1. p. 418.C.C. PAULUS V. ad p. r. m.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

UT facilius, & celerius puritas doctrinæ Christianæ disseminaretur per Ruthenos, Archiepiscopus Kioviensis supplicavit Pontifici, ut vellet quatuor adolescentes ejus nationis ali in Collegio Græcorum de Urbe.

Id jubet Paulus:

Propterea mandat Cardinali protectori ejusdem Collegii, rectorique, ut hos adolescentes venientes recipiant. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die II. Dec. P. a. XI. a. D. 1650.

Rutheni venientes ad fidem Catholicam ferant secum bona sua.

LII. B.M.t.1. vel t. 15. p. 76. B.R.t.11. p. 2. p. 316.C.C. INNOCENTIUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Æterni pastoris, &c.*

MUlti e Ruthenis, qui venirent ad Catholicam Religionem, non veniebant, ne bona sua amitterent.

Ita scripserant Sacræ Congregationi Ordinarii eorum locorum, in quibus degunt Rutheni.

Pontifex ergo ut illos ad hanc fidem profitendam alliciat, decernit, eos esse capaces bonorum omnium, quæ possident, etiamsi ad Fidem Catholicam transeant, bonaque sua deferre posse;

Relapsis tamen exceptis. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die X. Febr. P. a. III. a. D. 1724.

Confirmatur Innocentii Constitutio.

LIII. Tb. p. 117. Xm. p. 115. C. C. BENEDICTUS XIII. ad p. r. m.

Inc. *Æterni Pastoris, &c.*

PRocurator Generalis Ordinis S. Basilii nomine præsulum Ruthenorum exposuit Benedicto, quæ exposita Innocentio fuerant, de causa, cur Rutheni Schismatici ad gremium Catholicæ Ecclesiæ non redirent.

Eadem, quæ Innocentius, decernit Benedictus. N. O.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XII. Aug. P. a. I. a. D. 1724.

Episcopus Auxerensis ordinet Clericos ritus Rutheni.

LIV. B.M.t.16. p. 117. BENEDICTUS XIV. Matthæo Episcopo Auxerensi.

Inc. *In sublimi, &c.*

IN Dalmatiæ Diœcesibus a Serviano schismate ad Catholicam Fidem multi Sacerdotes redierant, & dicebant se redituros alii.

Ut autem ii Clerici, qui nondum essent ad Presbyteratum promoti, haberent aliquem Catholicum Antistitem, qui Rutheno Græco ritu eos consecraret, nec ullam societatem in posterum cum Schismaticis haberent, Episcopo Auxerensi licet Latino, sed callenti linguam, & ritum Ruthenorum, dat facultatem Pontifex ordinandi omnes non solum in propria, sed etiam in alienis Diœcesibus Dalmatiæ Veneto dominio subjectos Clericos, qui habeant dimissorias a suis Ordinariis.

Tempus præscribit Benedictus, cum scilicet possint juxta eum ritum haberi Pontificalia.

Datum in arce Gandulphi Die IV. Oct. P. a. III. a. D. 1742.

Hortatio ad Episcopos Ruthenos, ne negligant Clerum sæcularem.

LV. B.R.t.7. p. 63. BENEDICTUS XIV. Metropolitæ & Episcopis Ruthenis.

Inc. *Quæ venerabiles, &c.*

STudium suum significat Benedictus erga Ruthenam nationem, præcipue quod velit consulere educationi ejus juventutis alendæ in Seminario VVilnensi erecto a Gregorio XIII. (v. *Seminaria.*)

Episcopos ergo hortatur, ne Clerum sæcularem despiciant, ut magistros doctos, & prudentes parent, qui eum doceant; nihil enim pejus ignorantia accidere potest Clerico seculari; ne controveniant Decreto Synodi Zamoscensis jubentis ut quilibet prælatus habeat *officialem sæcularem*, si quispiam inventus idoneus ad hoc munus fuerit.

Episcopi tamen Rutheni, etiam ii, qui habent in suis diœcesibus plures Ecclesias Cathedrales, eligebant potius regulares, quia doctiores. Hoc non reprehendit Pontifex, sed ait ideo inter Clerum secularem paucos esse doctos, quia se vident ab Episcopis contemptos, quia non habent quomodo docti fiant, quia nulla suorum meritorum habetur ratio.

Mandat itaque Pontifex his Episcopis, ut alumnis Seminarii VVilnensis aliqua demandent Ecclesiastica officia; ex hoc etiam alii sumpturi erunt animos, diligentioremque operam litteris navabunt.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XIV. Aug. P. a. XIII. a. D. 1753.

De nova editione Euchologii; de cura hujus editionis, & correctionis, eaque omnes orientales jubentur uti.

LVI. B.M.t.19. p. 194. BENEDICTUS XIV. Epistola prima (nulla alia prodiit) ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque ritus Græci Ecclesiasticos, Sæculares, & Regulares gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentes.

Inc. *Ex quo, &c.*

ARchiepiscopis, Episcopis, &c. significat Benedictus ad exitum perductum fuisse opus correctionis Græci Euchologii, & typis Congregationis de Propaganda fuisse impressum.

1. Euchologium porro *nihil aliud est, quam collectio Ecclesiasticarum precum, atque Benedictionum, ideoque ut Goarius explicat, Ecclesiæ Græcæ Rituale, seu Manuale, aut Sacerdotale, & Pontificale commode appellari potest.*

Duo autem hic præstat Pontifex, I. Exponit historiam hujus correctionis, novæque editionis, II. *Et monita quædam latius explicat* necessario præmittenda: alia erat daturus ad hanc rem attinentia, sed mors doctissimum Pontificem rapuit.

2. Græci Schismatici Euchologium pluribus erroribus vitiatum ediderunt a. 1631. Commonitus a Græcis Catholicis Philippus IV. Hispaniarum Rex ad Urbanum VIII. rem detulit, qui Congregationem peculiarem deputavit, in quam adscripsit plures doctissimos Prælatos, & Theologos, & collegit viros Ecclesiastica eruditione præstantes, inter hos virum magni nominis Dionysium Petavium Societatis Jesu, qui tamen ob provectam ætatem venire Romam non potuit, & Joannem Morinum Gallicani Oratorii Patrem.

3. Hi, ut testatur Leo Allatius, octoginta duas sessiones habuerunt sub Urbano VIII. usque ad an. 1645. neque

neque rem confecerunt, tamen prosequutæ sunt sub Innocentio X.

4. Post Innocentium si non omnino jacuit correctio, admodum lente certe processit, donec Benedictus XIV. renovavit Congregationem, elegit Cardinales, & alios viros doctos;

5. Plurimum juvit Euchologium P. Jacobi Goari e Prædicatorum Familia editum in lucem cum versione Latina, qui an. 1640. Romam venerat, & omnia Euchologia quæ reperire potuit, perlustraverat, contulerat, correxerat.

6. Complura Euchologii MSS. exempla sunt in Bibliotheca Vaticana; in Bibliotheca Barberina est Euchologium Barberinum S. Marci, sic dictum, quod e cœnobio S. Marci Florentiæ in eam fuit translatum, *qui decem sæculorum ætatem superat;* Euchologium Patriarchale est in Monasterio Cryptæ Ferratæ, cui illud legavit Cardinalis Bessarion ejus Abbatiæ Abbas primus Commendatarius, quod illi dederat Card. Julianus Cæsarinus acceptum a Georgio Varj Cretensi in Concilio Florentino.

7. Hæc omnia Euchologia collata fuere; fuere lecta & perpensa opera Joannis Morini de Sacris Ordinibus, Lucæ Holstenii de Sacramentis, Auctoris Vindiciarum P. Le Brun. Pontifex ipse sæpe operam suam contulit, perlustravitque quid Congregatio effecerat.

8. Præmissa autem monita sunt quatuor.

9. Monitum primum. *Cum in sacra Liturgia commemorationes fieri soleant, oportet primum quidem Romani Pontificis commemorationem agi, deinde proprii Episcopi, & Patriarchæ, dummodo Catholici sint,* quod consonat cum responsione Sacræ Congregationis ad dubium propositum a. 1746.

10. Probat Pontifex antiquitatem hujus commemorationis a Liturgia Ambrosiana, Mozarabica, Missa Latina, quam Flavius Illyricus Lutheranus eruit, & edidit, & ex vetustiore Codice Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ, quam Ven. Card. Thomasius ex Clericorum Theatinorum Familia protulit. Hæc quoad Ecclesiam Latinam.

11. Num etiam primis Ecclesiæ temporibus in Ecclesia Græca Pontificis Romani facta fuerit commemoratio, ignotum esse, ait, Cardinalis Bona Rer. Lit. L. 2. c. 11. n. 3. ita etiam docet Isaacus Habertus. Sed cum *in quibusdam exemplis Liturgiæ* S. Joannis Chrysostomi sequentia verba legantur *Nicolai Sanctissimi Universalis Papæ longa sint tempora, credibile est tempore Nicolai I. Pontificis Romani circa ann. Christi DCCCLVIII. Patriarchæ nomini adjectum fuisse nomen Romani Pontificis.* Antonellus tamen (nunc Cardinalis) in sua dissertatione præmissa Euchologio pluribus argumentis probat contra Habertum ante præfatam Epocham apud Græcos factam fuisse mentionem in Missa Romani Pontificis.

12. Utcunque tamen sit, certe commemoratio Romani Pontificis in Sacrificio Missæ, aliisque precibus est declarativum quoddam signum, cénseri Romanum Pontificem Caput, & Vicarium Christi, & Successorem Petri; & professio Fidei facienda a Græcis hoc etiam caput expresse continet. Id probat auctoritatibus Benedictus.

13. Satis ergo apparet, in Ecclesia Græca ante Schisma hunc pro Pontifice Romano orandi viguisse morem, nec fuisse intermissum, nisi post divisionem. Apud Cotelerium T. 2. *Monumentorum Græcæ Ecclesiæ* extat Epistola Petri Patriarchæ Antiocheni, qui vivebat an. 1053. ad Michaelem Cerularium Photiani Schismatis renovatorem, in qua ostendit, semper hunc morem fuisse in Ecclesia Antiochena, & Constantinopolitana contra eundem Michaelem, qui mirari se dicebat, in dyptichis Ecclesiarum Antiochenæ, Alexandrinæ, & Hierosolymitanæ esse nomen Pontificis, & pro eo orari.

14. Cum Michael Palæologus Orientis Imp. a. 1263. & sequenti vellet unionem Ecclesiarum facere, Urbanus IV. teste Niceta L. 5. c. 2. hanc proposuit conditionem, ut in dyptichis poneretur nomen Pontificis cum nominibus quatuor Patriarcharum; idem decretum fuit sub B. Gregorio X. in Generali Lugdunensi Concilio a. 1274. ut testatur Pachymerus L. 5. c. 22.

15. Successit in Imperium Michaeli Andronicus Filius, qui omnino erat contrarius factæ unioni, quia timebat dissolvi eam non posse, Joanne Becco Catholico Patriarcha vivente, hæreticum quendam Josephum in Constantinopolitanam Sedem intrusit. Hinc turba-

ta pax componi non potuit nisi in Florentino Concilio a. 1439. in cujus pacis vere sancitæ testimonium jussit Joannes Palæologus Imperator in sacris Dyptichis Romani Pontificis nomen reponi, ita Sguropolus in Historia Concilii Florentini sess. 10. c. 12.

16. Post Joannem Palæologum in Græcia imperavit Constantinus, qui ut permoveret ad suppetias sibi ferendas Nicolaum V. illi est pollicitus, se daturum operam, ut pax inita in Concilio Florentino servaretur, *inque Magnæ Ecclesiæ Liturgiis Papæ nomen e sacris Dyptichis recitaretur.*

17. Quidquod Catholici Episcopi Græci orientales in suis Synodis id statuerunt servandum? in Synodo enim Zamoscia habita an. 1720. id decreverunt; id decreverunt etiam Patres Concilii Libanensis a. 1736. congregati; id imposuit Benedictus hic in suis Constitutionibus ad Italo-Græcos.

18. Venit nunc Pontifex ad alteram moniti primi partem, scilicet, ut Græci commemorationem faciant Episcopi sui, & Patriarchæ, modo hi sint Catholici.

19. In Ecclesia Latina nullum est dubium, quin debeat fieri commemoratio illius Episcopi, in cujus Diœcesi Sacerdotes celebrant; de hoc egit Benedictus in suo opere *de Sacrificio Missæ* sect. 1. n. 220. de hoc Dominicus Georgius in Tractatu *de Liturgia Romani Pontificis.*

20. Imo Episcopus celebrans pro se orat, se appellans indignum servum, ut legitur in Constitutionibus, quæ dicuntur Apostolicæ, *adhuc rogamus Te pro nullius pretii homine, qui tibi offero &c.* Pontifex vero *una mecum indigno famulo tuo*, ait: Metropolitæ, & Archiepiscopi apud Latinos in Missa nulla fit commemoratio.

21. Italo-Græci commemorationem faciunt Pontificis Romani, & Episcopi, in cujus Diœcesi sunt, non Patriarcharum Orientalium, quia in Ecclesiis Italiæ nullam habent jurisdictionem; ita etiam Dictatum (quod sit, necne S. Gregorii VII. disquirunt eruditi) jubet a Canone Missæ abradi nomina Patriarcharum Orientalium; hi enim volebant sua nomina esse in Canone, si Pontifex R. vellet commemorationem sui fieri in Ecclesiis Orientis. Quam conditionem respuit Pontifex. Ita docet Christianus Lupus *ad Conc. p.* 4. p. 437. *Editionis Bruxellensis.*

22. Sed Græci Orientales debent pro Metropolita, & Patriarchis orare, quod pluribus auctoritatibus probat Benedictus erutis ab auctoribus, & a decretis Congregationis Rituum.

23. Modo tamen sint uniti Ecclesiæ Romanæ; nam si sint Schismatici, nulla eorum debet fieri commemoratio, quod pariter probat Pontifex & auctoritatibus, & decretis ejusdem Congregationis.

24. Solebant Græci orare etiam pro Imperatore, Rege, palatio, & exercitu Imperiali; de quibus precibus nullum sit verbum in primo monito;

25. Quæ quidem preces in omnibus Euchologiis & MSS. & impressis reperiuntur; Sed cum illæ fierent *in Prothesi, seu præparatione, & in canone*, visum est Congregationi, approbante Pontifice, superfluum eas fieri *in Prothesi*, censuitque satis esse fieri in Canone.

26. Cujus ritus antiquitatem probat Benedictus auctoritatibus; quem ritum servari etiam in Ecclesia Latina orandi pro iis principibus, quibus status sunt subjecti, eruit Christianus Lupus *ex Can.* X. *Dictatus S. Gregorii* VII.

27. Si quis vero quærat, cur Orientales Armeni, Cophti, Græci orent pro suis regibus, cum sint infideles, respondet Pontifex, hoc *ex natura rei* non esse vetitum orare pro infidelibus. Hoc enim Sacrificium Missæ repræsentat Sacrificium Crucis, quod Christus pro omnibus sustinuit. At pro regibus excommunicatis non potest orari.

28. Sed interrogati Græci (testante Goario) subjecti Turcis cur pro Turcarum domino orarent, responderunt, orare se pro regibus Catholicis.

29. *Monitum secundum.* In hæc verba hoc secundum monitum est conceptum: *ad hæc in eadem divina, & sacra Liturgia Sacerdos Dei gloriam canens accedit ad dona, ac decenter, & religiose supra caput tollens ad altare defert circumducens, & procedens per templum, dum interim populus summa cum reverentia, & devotione inclinat caput, & procidit, supplicans, commemorationem sui fieri in ea donorum circumductione: Sed quia nonnulli Fidelium procidentium circumlata dona tanquam Corpus, & Sanguinem Christi ado-*

rant, atque existimant, ab introitu fortasse præsanctificatorum decepti, quando scilicet Præsanctificatus Panis defertur, ignorantes differentiam, quæ inter hanc, & illam delationem intercedit, idcirco oportet in hoc operam suam, studiumque impendere, ut cunctos fideles accurate doceant, admoneantque de illa, quæ inter utramque donorum delationem intercedit, differentia, cum alia quidem dona nondum sint immolata, & perfecta, alia vero Dei verbo confecta, & sanctificata, & hæc religiosissime debeant coli, & adorari, cum sub specie, & symbolis panis, & vini Corpus, & Sanguinem Christi contineant; secus vero, antequam consecrentur, & perficiantur.

30. Jam duo introitus debent distingui, *minor unus, cum sacri Evangelii Codex infertur; major alter*, cum *sacra dona*, scilicet panis, & vinum, *non adhuc* consecrata a parvo Altari, seu Mensa, quæ *Prothesis* dicitur, ad Sacrum Altare deferuntur. Ad hunc secundum introitum cum vel Sacerdos, vel Diaconus super caput patenam cum pane defert sinistra eam tenens, & dextera manu Calicem ad pectus tenens, populus inclinetur, & fronte humum feriat, licet nec panis, nec vinum sint consecrata.

31. Plures Auctores descripserunt hunc secundum introitum, Christianus Lupus, Goarius, Cardinalis Bona, Le Brun.

32. Missa autem præsanctificata celebratur apud Græcos diebus jejunii Quadragesimalis, exceptis Sabbatis, & Dominicis diebus, & die Annuntiationis, si incidat in Quadragesimam. Sabbatis, & Dominicis diebus duas hostias consecrant; unam consummant, alteram conservant, quam in tot partes dividunt, quot sunt dies, quibus non consecrant; hæc dicitur Missa præsanctificata.

33. Etiam hac occasione Sacerdos cum pane consecrato, & Calice cum vino aqua mixto non consecrato, sed Benedicto per Ecclesiam procedit; ad quam delationem populus adorat. Cæterum ad distinctionem hujus delationis ab altera exposita supra, cum panis non consecratus defertur, Patres Concilii Zamosciæ habiti an. 1720. ad hanc populum genuflecti vetuerunt.

34. Nunc exponit Benedictus, quæ Congregatio circa hunc ritum decrevit.

35. Primum quidem Congregatio advertit, tolli non posse majorem ingressum, quia nunquam Ecclesia Latina studuit tollere eos ritus, qui ab antiquitate consecrati sunt; quia maximæ turbæ orirentur apud Græcos; quia sicut minor ingressus significat adventum Christi in terras, ita major repræsentat ingressum triumphalem in Hierusalem; vetat ergo mysterium, hunc ritum tolli;

36. Deinde advertit Congregatio verba, quæ dicuntur in ingressu majori *ut Regem universorum excepturi*, & quæ in delatione *Præsanctificatorum* canuntur, *esse sacrificium mysticum, & consummatum*; quæ verba cuique declarant, quem cultum ad utramque delationem debeat elicere populus.

37. Tertio, cum Græci sciant cultum Latriæ soli Deo præstandum, certe talis cultus ab iis non præstatur pani, & vino in majori ingressu; præterea iidem actus obsequii exteriores interdum præstantur Deo, interdum creaturæ, sed diversa intentione, ita Abraham Angelos *adoravit*, ita Jacob coram Fratre *Esau procubuit*. Plura hic Pontifex affert de cultu Latriæ, de Sacrificio offerendo soli Deo.

38. Quarto, cum proposita Congregationi fuisset quæstio, num ingressus major esset tollendus, censuit, non tollendum, sed ab habentibus animarum curam docendum populum in pane, & vino eo nondum consecrato non esse Corpus, & Sanguinem Christi, ac proinde ea non adoranda, sicut adorantur post consecrationem.

39. Hic etiam ritus est apud Græcos: Sacerdos antequam ad Altare majus accedat, ad Prothesim dividit panem in aliquot partes, partem majorem offert Deo in memoriam Jesu Christi, aliam in memoriam B. Mariæ, alias in memoriam B. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum, illius Sancti, cujus tunc festus dies agitur, in memoriam defunctorum, quos Sacerdos nominat, & eorum, pro quibus, vel pro quo specialiter sacrificat. Hæ portiones appellantur Morides. Quod faciunt & Sacerdotes, & Diaconi si ministrent Episcopo celebranti. Antiquitatem hujus trius auctoritatibus confirmat Benedictus.

40. Circa ritum majoris Hostiæ, & aliarum minorum cum quæstio esset excitata in Concilio Florentino, & Archiepiscopus Mitylensis abunde satisfecisset objectionibus, censuerique idem Concilium, nihil innovandum, nulla nunc apud Catholicos quæstio est.

41. Fuit quæstio de oblationibus facilis a Diacono, sed & Cardinalis Bona, & P. Berlendis ostendunt, oblationes ad *Prothesim* a Diacono fieri posse, non ad Altare.

42. Et revera in antiquis monumentis reperitur, distributionem Corporis Christi demandari solitam Diaconis, quod illustrat auctoritatibus Pontifex;

43. Quæ quæstio proposita Congregationi, cum plus roboris haberent rationes allatæ a Cardinali Bona, decisa fuit a Congregatione eadem ita, ut Diaconi ad Prothesim offerre possent.

44. *Monitum Tertium conceptum est his verbis. Præterea meminisse debent Sacerdotes, Sacramentum Sancti Olei, quod* Euchelaeon *dicitur, a Christo esse institutum, tanquam cœlestem medicinam non pro anima tantum, sed etiam pro corporis salute; solis proinde infirmis ministrandum, non autem bene valentibus: & in eo quidem tempore, in quo sibi constant, & compotes sui sunt; ut ita majorem Sacramenti gratiam recipiant, si cum fide, ac devota voluntate accedentes olea sancto ungantur. Item sciendum est, quod quamvis Orientalis Ecclesiæ Pontifices in conficiendo sacro Chrismate pluribus de more aromatibus utantur, necessaria tamen Sacramenti materia sunt oleum, & balsamum, quibus secundum antiquum Ecclesiæ Orientalis morem aliæ aromatum species recte admiscentur, si juxta præscriptum adsint. Verum si earum quædam desint (dummodo oleum, & balsamum adsint) tanquam non necessariæ ad Chrismatis materiam vite Sanctum Chrisma conficitur.*

45. Quod Sacramentum a Latinis dicitur extrema unctio, a Græcis appellatur *Euchalaeon & Heptapapadum* hoc est officium septem Sacerdotum, a septem enim Sacerdotibus illud ministratur.

46. Multa scitu digna de hoc Sacramento legi possunt in Tractatu *de Synodo Diœcesana L. 8. a. c. 1. usque ad* 8. hujus Pontificis. In correctione novissima Euchologii Congregatio censuit quædam verba tollenda, quæ videbantur innuere, illud posse dari etiam bene valentibus;

47. Jussitque eadem Congregatio nisi graviter ægroto posse illud dari: non ideo tamen vetantur injunctiones, quæ fiunt Energumenis, aliisve oleo in lampade asservato, neque a Sacerdote, neque ab Episcopp consecrato in devotionis signum. Et in hoc Sacramento dando adhibendæ sunt preces ab Ecclesia statutæ, non arbitrariæ.

48. Neque oleo Sancto inungendi sunt confessi valentes bene, pro pœnitentia, quod vetuit Armenis Eugenius IV. Invecta quidem fuit hæc unctio a Græcis veluti cæremonialis danda pro pœnitentia, sed Græcis eam inhibuit Innocentius IV. Benedictus XIV.

49. Ex Oleo, Balsamo, aliisque aromatibus simul permixtis apud Græcos conficitur Chrisma.

50. Jam nulla fit mentio de manuum impositione in conferendo hoc Sacramento; Eorum opinionem obiter confutat Benedictus, qui putant Sacramentum Confirmationis apud Græcos non esse.

51. Dilabitur hinc Pontifex ad examinandam quorundam Theologorum opinionem; de ritu adhibito ab Apostolis in collatione hujus Sacramenti, num fuerit ab iis adhibita manuum impositio, an oleum: an materia hujus Sacramenti sit oleum; quæ quæstiones nihil, ait Pontifex, ad rem faciunt, modo num asseratur, apud Græcos hoc Sacramentum non esse.

52. Hoc indubium est, apud Latinos hoc Sacramentum conferri a Sacerdote signante in Cruce &c. digito infuso in oleum cum Balsamo permixtum ab Episcopo consecratum. In iis regionibus, in quibus balsama non sunt ex Apostolico indulto adhibetur aliquis alius fragrans succus, vel liquor; ita adhibetur & a Græcis.

53. Expendit ulterius Pontifex secundam partem hujus tertii Moniti de Sacramento Confirmationis.

54. Minister, qui confert hoc Sacramentum, adhibet hanc formam in hæc verba *Signaculum Doni Sancti Spiritus*; signumque Crucis suscipientis in fronte facit cum sacro Unguento. Ita conferri hoc Sacramentum docent omnes auctores.

55. Verba in Decreto S. Methodii Patriarchæ Constantinopolitani, qui jubet reconciliandos Apostatas ungendos esse in fronte cum his verbis *Signaculum Doni Sancti*

Sancti Spiritus dubio dant occasionem, num in Græca Ecclesia hoc Sacramentum iteretur, quod a Latina omnino vetatur.

56. Plures fuere opiniones de his verbis Methodii, qui floruit an. C. MCCXL. non sunt enim verba, ut quibusdam placet S. Methodii, qui Patriarcha fuit an. C. MCCCXLII. alii putant hæc verba adhiberi in unctione Sacramentali Apostatarum.

57. Sed cum in Baronio legatur ad an. C. 842. relatum decretum alio modo, nec apponantur ea verba *Signaculum* &c. apparet, illam unctionem non esse reiterationem Sacramenti Confirmationis, sed signum admissionis Apostatarum ad unitatem Ecclesiæ.

58. Quod si in Euchologiis illa verba leguntur, apposita fuere a Schismaticis, quibus persuasit Theodorus Balsamon, Latinos qui ad Græcos transeunt, licet sint confirmati, debere confirmari rursus. Recte proinde Sacra Congregatio illa verba *Signaculum* &c. in correctione Euchologii sustulit.

59. *Monitum quartum tale est: Denique sciendum, quod si contigerit, immundum quid, aut contaminatum incidere in puteum, aut in aliud vas liquidi cujuscunque, sive etiam rem immundam tangi aut manducari, sive in Ecclesia animal impurum gigni, aut mori, Sacerdotes quidem Orientalis Ecclesiæ precibus & benedictionibus in Euchologio contentis secundum Ecclesiæ suæ consuetudinem utuntur, nullatenus tamen intendunt observare præcepta antiquæ legis, quæ sunt per adventum Christi sublata, quemadmodum omnibus manifestum est.*

60. Oratio pro cibis mundis, & immundis est in Euchologio Cryptæ Ferratæ, quæ, addubitatum fuit, num relinqui deberet, quia additur, debere a Communione Eucharistica arceri qui immundum quid manducarit; & ulterius ne videretur Congregatio approbare nunc ritus cæremoniales Mosaicæ legis.

61. Pontifex aliquot propositiones indigitat, *ut deprehendatur an hæc suspicio aliquo fundamento innitatur. Prima est.* Antiquæ legis cæremonias post mortem Christi fuisse sublatas, nec sine culpa eas adhiberi posse post promulgatum Evangelium. Id testantur in professione Fidei orientales.

62. Quod consonat cum S. Gregorii II. Capitulari, cum responsis Nicolai I. ad responsa Bulgarorum, cum decreto pro Jacobitis edito in Concilio Florentino.

63. *Altera propositio est*; quamvis desierint veteris legis cæremoniæ, Ecclesia tamen quasdam exteriores, & ad corporis munditiem spectantes renovare potest *gravibus de causis*; nullam tamen ex iis, quæ venturum Messiam præfigurabant, ut circumcisionem, animalium sacrificia &c.

64. Celebris est calumnia contra primævos Christianos a Gentilibus ficta; cum enim summa esset observantia arcani præsertim circa mysterium Eucharistiæ, quædam tamen gentiles perobscure audivissent, eos dicebant vorare carnes infantium; ex quo apparet illis temporibus quendam ciborum delectum fuisse apud Christianos, neque omnino fuisse neglecta præcepta de cibis puris, & impuris a Mose, ut recte advertunt auctores.

65. Quem morem in quibusdam Latinis Ecclesiis viguisse usque ad decimum, & undecimum æræ Christianæ sæculum docet Calmet, aliique; & revera in veteri Pœnitentiali Romano injunguntur pœnitentiæ ei, qui ediderit *piscem in piscina mortuum* v. *titulum de Laceratis*.

66. Usus hic prorsus est abolitus in Latina Ecclesia, non in Græca, quæ laudi duxit sequi sæcula Apostolica in disciplina; Non ita apud Armenos, qui Ecclesiam Latinam omnino sequuntur,

67. *Tertia propositio est*; ne Græci si quos cibos non adhibent, ut præscribitur in lege Mosaica, ideo ab iis abstineant, quod Lex Mosaica id jubeat, sed quia vetus consuetudo sitæ Ecclesiæ id vult.

68. Etiam huic quarto monito appendicem quandam adjicit Benedictus.

69. Levitici c. 12. jubetur femina, quæ masculum peperit septem dies ut sit immunda, & alius triginta tribus maneat *in sanguine suæ purificationis*; si feminam, duabus hebdomadibus sit immunda, & sexaginta sex dies maneat *in sanguine suæ purificationis*.

70. Per aliquod tempus in Ecclesia hoc præceptum viguit, sed paulatim in Ecclesia Latina abiit in desuetudinem; sin aliquibus tamen Ecclesiis servatus fuit mos, ut post puerperium femina procedat ad Ecclesiam, & Sacerdos ei obviam ad portam eat, illaque tenens partem Stolæ Sacerdotis ducatur ad Altare majus, ibique Sacerdos quasdam preces dicat. Ritus descriptus est in Rituali Romano jussu Pauli V. edito. Sed hoc non præcipitur in Ecclesia Latina.

71. Præcipitur in Græca de puerperis, & de menstruatis observandus ritus, quem ex veteribus auctoribus exponit Benedictus.

72. Et de puerperis quidem apud Græcos præceptum est *ita, ut obedientiam illam ex debito requirant*. Ita Goarius. Proinde in Euchologio preces ad hoc apponi voluit Pontifex.

73. Fuit quidem addubitatum a Sacra Congregatione, num immutari deberent preces, quæ respiciunt spatium dierum puerperii, quia videbantur sapere ritus Mosaicos.

74. Sed cum adverterit eadem Congregatio, quosdam cæremoniales ritus veteris legis observari posse impune, censuit nihil innovandum.

75. Græcos demum hortatur Pontifex, ut juxta hanc correctionem tanto cum labore confectam ritus suos conficiant.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die I. Mart. P. a. XVI. a. D. 1756.

DE IMPERIO NICÆNO.

Capitula proposita ab Imperatore Nicæno.

ALEXANDER IV. Episcopo Urbevetano A. S. L. I. ex Rayn. ad ann. 1256. §. 49.

Inc. *Hæc sunt, &c.*

JOanni Ducassi, seu Vatacio anno superiore repentino morbo sublato e vivis successerat Filius Theodorus in Imperium Nicænum.

Ad eum Legatuum suum misit Alexander, ut res componeret pro Imperatore Constantinopolitano, cui bellum jam moverat Vatacius.

Quia vero sæpe tentaverat Prædecessor Alexandri ad unitatem cum Ecclesia Romana Vatacium pertrahere, Varaciusque quasdam proposuerat conditiones, easdem proposuit etiam Theodorus Legato Urbevetano Episcopo, quoniam etiam de hac conjunctione jussus fuerat ab Alexandro agere cum Theodoro.

Proposuerat ergo Joannes Vatacius Capitula hæc Innocentio.

I. *Romanæ Sedi, ejusque Summo Pontifici præ cæteris Patriarchalibus Sedibus summi recognitionem, ac professionem in Ecclesia Catholica principatus,*

II. *Canonicam obedientiam præfato Prædecessori* (Innocentio) *ejusque successoribus canonice intrantibus exhibendam,*

III. *Prærogativam appellandi Romanam Ecclesiam, cum sacræ personæ Ecclesiasticæ Græcorum a superioribus suis crediderint se gravari,*

IV. *Liberum recursum ad Sedem Romanam in quæstionibus, quas inter prælatos, & alias personas Ecclesiasticas Græcas contigerit suboriri,*

V. *Obedientiam quoque in sententiis, quas Romanus Pontifex Sacris non adversas Canonibus promulgabit,*

VI. *In Conciliis insuper eidem Pontifici primam Sedem, & primam subscribendi vicem, cum subscriptiones fuerint faciendæ:*

VII. *In quæstionibus fidei, si quæ ibidem fortassis emerserint, præ aliis dare sententiam, sueque voluntatis proferre judicium, quod dummodo Evangeliis, & Canonicis non obviet institutis, obedienter cæteri suscipient, & sequentur:*

VIII. *In aliis vero Ecclesiasticarum personarum causis, & negotiis, quæ in Conciliis tractabuntur, sententiis, quas Romani Pontificis dictabit auctoritas, dummodo sacrorum non adversentur Conciliorum decretis, cæteri acquiescent.*

Postulabat autem Vatacius

1. Ut Constantinopolitanæ Civitatis Imperium sibi restitueretur,

2. Ut Patriarchis Græcis ibidem, & alibi Patriarchalium Sedium jura redderentur,

3. Ut Imperator & Patriarchæ Latini ab iisdem Civitate, & Sedibus amoverentur *Antiocheno Patriarcha in illa Ecclesia, dum viveret tolerato.*

Et

Et Capitula, & poſtulata, ut tandem aliquando vera concordia firmaretur, approbarat Innocentius.

Interea cum juxta oblationem a Vatacio exhibitam, ut omnis cauſa diſcordiæ amputaretur, Pontifex dixiſſet, ſe velle in Concilio, quod indicturus erat, ſe velle definiri quæſtionem de proceſſione Spiritus S. a Filio, reſpondit Imperator, Eccleſiam Græcam hanc definitionem non eſſe admiſſuram, niſi ea proceſſio oſtenderetur S. Scripturæ auctoritatibus. Quæ cauſa erat, cur Eccleſia Græca in omnibus aliis fidei articulis teſtaretur ſe acquieturam Pontificis deciſionibus, in hac materia ejus ſententiæ ſtare nollet?

Innocentius pro bono concordiæ etiam conceſſit, *in Concilio imminenti tenorem ſymboli Nicæni adjectione qualibet* (adjecta enim fuerat a Latina Eccleſia FILIOQUE) *niſi forte de mutua convenientia, non mutari*; dummodo Græci recte de Trinitate ſentirent, quod ſentit Eccleſia Romana.

De reſtitutione Imperii Conſtantinopolitani reſpondebat Pontifex, ſe non poſſe quicquam pronuntiare, niſi prius audito Imperatore Latino; non enim in ſua eſſe poteſtate adigere Balduinum ad has, illaſque partes amplectendas, teſtabatur, ſe curaturum ſedulo, ut partes convenirent ex æquo & bono.

De reſtitutione Sedium Patriarchalium Græcis reſpondit Innocentius, hoc definiendum eſſe in Concilio: Quoad Sedem Conſtantinopolitanam dixit, ſe permittere, ut eligeretur Patriarcha Græcus, qui præeſſet Græcis ſuis per Diœceſim Conſtantinopolitanam conſtitutis; ſicut Latinis præeſt Patriarcha Latinus; teſtatuſque eſt, ſe appellaturum eſſe illum Patriarcham Conſtantinopolitanum.

Quæ acta ſub Innocentio fuerint, Legato expoſitis, eum Alexander monet, ut ſi poteſt ab Imperatore Theodoro quædam alia utiliora Romanæ Sedi extorquere, curet; ſin minus, concordiam ſecundum vota Innocentii faciat.

Si Græci voluerint quid amplius ſibi conceſſi, & omnia ſub eo firmare, ſi viderit iis non læſi Romanæ Eccleſiæ primatum, & eos agere bona fide, ne dicatur, per Romanam Eccleſiam ſtetiſſe, quominus pax fieret, concordiam ineat, obedientiamque nomine Pontificis accipiat.

Si multa poſtulabunt quæ prolixiorem tractatum requirant, jubeat, Nuncios ſolemnes Imperator, & Eccleſia Græca mittat ad S. Sedem.

Si omnia proſpere illi evenient, in iis partibus vel in finitimis indicat celebrandum Concilium intra competens temporis ſpatium.

P. a. II. a. D. 1256.

Concordia hæc ob obſtinatam Græcorum pervicaciam fieri non potuit.

Theodorus hic mortuus eſt an. 1259.

Ejus ſucceſſor fuit Joannes filius nondum octennis.

Græci donec Joannes pubeſceret rei gerendæ præfecerunt Michaelem Palæologum, qui licet juraſſet, adulto Joanni Laſchari ſe daturum Imperium, tamen juramento violato illud ſibi retinuit, Joanne obcæcato.

An. 1330. Nicæam devicit Turca.

DE IMPERIO TRAPEZUNTINO.

Ad conjunctionem cum Eccleſia Romana invitatur Imperator.

I. Ad ann. 1329. §. 25. JOANNES XXII. Trapeſundarum Imperatori.

Inc. *Licet votis, &c.*

STudium ſuum ſignificat Joannes Imperatori quam plurimos poteſt ad veram Chriſtianam Fidem adducendi mortales, imitans in hoc Chriſtum, cujus vices in terris gerit, qui pro humani generis redemptione mortem ipſam ſubire immaniſſimam non reformidavit.

Cum autem una tantum fides hæc vera ſit, nempe Catholica Romana, in qua ſalus æterna haberi poteſt, obſecrat per viſcera Chriſti Jeſu Imperatorem, ut hanc fidem amplectatur.

Si æternæ vitæ conſequendæ illum deſiderium tangit, ut revera tangere debet, e Græcorum Schiſmate recedat.

Cumulet meritum hoc novo merito, & populos ſibi ſubditos ad eandem conjunctionem verbis, exemploque potentiore verbis provocet.

D. Avenione Cal. Dec. P. a. XIV. a. D. 1329.

Imperator Trapez. invitatur ad unitatem Fidei.

II. In appendice Conc. Eccl. EUGENIUS IV. Morami Megatoneno Imperatori Trapezundarum.

Inc. *Cum nos, &c.*

CUm jam inibi res eſſet, ut conveniretur cum Græcorum Imperatore de concordia facienda inter Eccleſias Latinam, Græcamque in Oecumenico Concilio ad id convocando, excitat Eugenius prædictum Imperatorem ad redeundum ad Eccleſiam, abjurandumque ſchiſma.

Ut eum ad hoc excitet, argumenta petit

I. E veteribus temporibus, quibus unita fuit utraque Eccleſia. Latina ſemper idem credidit, non Græca, ſe ergo Græca a Latina ſeparavit; redeat proinde nunc ad unitatem, quam diſſolvit;

II. A malis, quæ ex hoc Schiſmate & plurima, & luctuoſiſſima ſunt derivata, in quæ Imperium Græcum, Aſiaque non fuiſſent prolapſa, ſi unitas fidei fuiſſet conſervata;

III. Ab jactura animarum; cum enim in una Eccleſia Catholica detur ſalus, qui ab illa aberrant, eam ſalutem habere non poſſunt;

IV. A bonis hanc unionem conſequuturis; jam ſuperius pluries dictis;

V. Concilium erit liberum, licebit cuique ſua dubia proponere, ageturque in eo, juxta formam veterum Conciliorum.

Ne deſit igitur Imperator ex iis malis populos ſuos eripere, ac tota bona iis comparare.

D. Florentiæ XVII. Cal. Junii P. a. IV. a. D. 1434.

His Eugenii litteris reſpondit Imperator, *ſe accepiſſe per Galeam Venetorum binas ſuæ Sanctitatis litteras ſingularem Romæ datam, alteram quoque Florentiæ;*

Se cum ſuo Imperio paratum eſſe cum gaudio conjunctionem eam facere;

Rogat Deum, ne incœptum opus interrumpatur.

Die XVIII. Octobris.

„ David Trapezundarum Imperator ſcripſit Burgundiæ Duci ut cum orientalibus bellum contra Turcas
„ faceret. Illi recenſet omnes reges, qui fœdera inie-
„ runt, & quiſque milites conferent. Timebant nimi-
„ rum Principes Orientis, ne Turcæ jam viribus aucti,
„ & Imperio præda tandem aliquando eſſent.

„ Irritum fœdus fuit. Nihil enim profecerant ii
„ principes, & unum poſt alios Turca vicit.

Litteræ Davidis ſunt apud Rayn. ad ann. 1459. §. 49.

„ Imperium hoc an. 1461. occuparunt Turcæ, quod
„ a Comnenis e ruinis Imperii Conſtantinopolitani,
„ cum a Francis, & Venetis occupatum fuit an. 1204.
„ excitatum fuerat.

„ Steterat per annos ducentos, & quinquaginta
„ ſeptem.

DE ACHAJA.

Conventio Principis Achajæ Arduini cum Epiſcopis confirmatur.

I. B. R. t. 3. p. 1. p. 227. C. C. HONORIUS III. Archiepiſcopis, Epiſcopis &c.

Inc. *Sedis Apoſtolicæ, &c.*

SOlebant Principes Græci Imperii retinere ſibi fructus beneficiorum, Abbatiarum &c. & paucos admodum ex iis dare Eccleſiaſticis.

Nobilis vir Ganfridus de Villa Arduini factus Achajæ Princeps hunc abuſum ſequebatur. Admonitus de illo tollendo conventionem cum Archiepiſcopis, Epiſcopis &c. in Achaja conſtitutis cum interventu Legatorum Pontificis inivit:

I. Ut prælati liberas ab omni exactione haberent Eccleſias, *quas habuiſſe dignoſcuntur a tempore coronationis Alexii Bambacoratii, ſalvis juſtis & debitis acroſticis;*

II. *In*

II. *In Caſali XXV. & altera uſque ad LXX. lares* habendi duo erunt Papates cum uxoribus, & filiis ſuis. *Quilibet Papas unum ennicarium in ſcatia ſua liberum habeat;*

III. Si habeantur plures LXX. lares, quatuor erunt Papates; & ſic proportione habita;

IV. Clerici Græci Eccleſiarum Cathedralium erunt omnino liberi; perſolvent tamen laicis antiquum acroſticum;

V. Reſtituet Princeps omnia bona mobilia erepta Eccleſiis, vel eorum pretium;

VI. Pro damnis Eccleſiis illatis juſtam det ſatisfactionem;

VII. Quale acroſticum quælibet Eccleſia Cathedralis debeat principi ſolvere, ſtatuitur;

VIII. Apponitur reſignatio *Ravenicæ* dicta facta ſub Innocentio III. a Guillelmo Principe, & legatis Apoſtolicis apud Ravenicam an. 1210.

In ea vetatur princeps exigere ab Epiſcopis, Clericis, Eccleſiis quicquam aliud quam acroſticum;

Vetatur dare beneficia Baronibus ſuis, ſed ea conferre debet Clericis.

IX. Clerici Græci debent frui iiſdem privilegiis ac Latini.

Si tamen Clerici Græci colant bona, quæ non ſint Eccleſiarum, ſolvant idem, ac ſi colerentur a laicis.

Et capitula ſuperiora, & reſignationem Ravenicæ confirmat Pontifex.

Si qua igitur, &c. Concil. autem, &c.

D. Signiæ II. Non. Sept. P. a. VIII. a. D. 1223.

Principem Achajæ orat Pontifex, ut opem ferat Balduino II.

II. Ex Rayn. ad ann. 1244. §. 15. INNOCENTIUS IV. Achajæ Principi.

Inc. *Inter cætera, &c.*

CUm in dies ſingulos Imperium Conſtantinopolitanum a ſuis hoſtibus detrimenta acciperet, non poterat quin imminueretur, & concuteretur, & ruinam tandem aliquando ſubiret.

Ejus conſervatio ſummopere cordi eſſe debebat omnibus Chriſtianis principibus: ita enim ſchiſmatici vires non acquirebant, ita facile poterat Terra S. recuperari.

Hæc omnia ſignificat Innocentius Achajæ principi, ut illum moveat ad auxilium Balduino præſtandum.

Sed principem alia potior ratio movere debet; nempe propinquitas loci. Ne ſperet, hoſtes, capto Imperio Conſtantinopolitano, depoſituros eſſe arma, victorias proferent, eaſque omnes regiones, quæ ſub illo ſunt, occupare nitentur. Ingenium hoſtium Balduini videt, novit Græcorum ingenium. Ille aviditſimus regnandi eſt, hi cupiditſimi omnes Chriſtianos principes, qui Romanam Eccleſiam colunt, deprimendi. Ditionem ergo ſuam princeps defendit, cum auxiliatur Balduino.

Ne autem recuſet, differatque auxilium ferre, illi ad annos viginti concedit vectigalia illa, quæ colligit in ejus ditione Conſtantinopolitana Eccleſia, *modo* centum Cataphractos equites in illius Imperii ſubſidium anno integro ſuſtentet.

D. Later. XVII. Cal. Janu. P. a. I. a. D. 1244.

Ne princeps bellum inferat Palæologa.

III. Urb. ep. 185. l. 2. URBANUS IV. Achajæ principi.

Inc. *Bonum pacis, &c.*

UT illata ſibi a Palæologo damna repararet Achajæ princeps (ab illo enim prælio victus, captuſque ut e captivitate ſe redimeret, illi quinque munitiſſimas urbes dederat) & ut dedecus deleret, exercitum pararat, ut eum aggrederetur.

Bonis Palæologi verbis allectus Urbanus, ſicut eum monuerat, ne Achajæ principem aggrederetur, ita mandat Principi, ne bellum in Michaelem moveat,

I. Quia agendum eſt de pace Palæologum inter, & reliquos Catholicos principes, ipſo Urbano mediatore,

II. Quia per pacem certam recuperabit, quod forte non eſt recuperaturus per bellum, cujus exitus ſunt incerti;

III. Quia ſi vincitur, alium exercitum reparare non poteſt;

IV. Quia non ſemel, ſed ſæpe debet vincere Palæologum, ut ſua recuperet, cum Palæologus a Græcis dilectus poſſit amiſſos milites & facile, & cito reparare.

V. Quod ſi pax non fiet, cum Veneti, & Balduinus Palæologum aggredientur, tunc ille quoque eum impugnabit; probabilius eſt, tunc Michaelem diſtractum reſiſtereque multis ab ipſo poſſe vinci.

D. apud Urbem veterem III. Cal. Janu. P. a. III. a. D. 1263.

Trajectenſi Epiſcopo mandatur, ut in Græcos ſacrum bellum indicat.

IV. Ad ann. 1264. §. 56. URBANUS IV. Epiſcopo Traject.

Inc. *Sane Græci, &c.*

EX capta Conſtantinopoli ferociebant Græci, dumque bona verba pacis dabat Pontifici Palæologus, ejus duces provincias Latinorum devaſtabant, ſed Achajam præcipue, cujus Princeps, ut pareret Pontifici, vix ſe iis opponebat.

Se tandem experientia Urbanus edoctus, ſe a Græcis illudi pacis ſpe, ut tutius res ſuas peragerent, cum accepiſſet, eos irrupiſſe in Achajam, ejus principatus arces obſidere, abigere prædas, comburere domos, devaſtare agros, & incolas captivos ducere, prædicto Epiſcopo præcipit,

Ut cruciatam contra Græcos ſchiſmaticos in defenſionem Achajæ publicet cum ſolitarum indulgentiarum elargitione;

Videbat enim diu defendi viribus unius ejus Principis non poſſe.

D. apud Urbem veterem III. Id. Maji P. a. III. a. D. 1264.

Cogant Patriarcha Conſtantinopolitanus, Epiſcopus Patracenſis Latinos Achajæ non adhibere ritus Græcorum.

V. Ad ann. 1322. §. 48. JOANNES XXII. Patriarchæ Conſtantinopol. & Epiſc. Patr.

Inc. *Ut ſplendor, &c.*

IN principatu Achajæ (ita ſignificatum fuerat Joanni) Latini converſantes cum Græcis ſchiſmaticis, infidelibuſque, ſicut eorum uxores cum uxoribus iſtorum imprudenter addiſcebant ritus Græcos, iiſque utebantur in præjudicium ſuarum animarum grave.

Latini interveniebant miſſis Græcorum, & oblationes faciebant, Latinique in ſuas Eccleſias admittebant Græcos, qui poſtea cæremonias, officiaque Romanæ Eccleſiæ irridebant.

Hæc, quæ in dedecus Religionis, in damnum animarum cadunt, cum permittere Pontifex non poſſit, mandat præfatis præſulibus, ut jubeant Latinis ab iis ritibus prorſus abſtinere;

Parere nolentes cenſuris in officio retineant.

D. Aven. Cal. Oct. P. a. VII. a. D. D. 1322.

Iidem præſules coerceant Societatem Catalanam affligentem Achæos.

VI. lb. §. 49. JOANNES XXII. Patr. Conſtantinop. & Epiſc. Patr.

Inc. *Ad noſtrum, &c.*

DUx Alphonſus, aliique rectores Catalani ſocietatem inierant quandam, quæ dicebatur magna ſocietas Catalana. Hi navibus ſuis inſulas Græciæ circumagebantur, ubi præcipue erant Latini, inopinatiſque excurſionibus illos agredientes prædas hominum, pecudumque abigebant, domos ſpoliabant, incendebant, naves etiam aggrediebantur, eaque omnia contra Latinos faciebant Græcis parentes, & Achajam præſertim affligere velle modis omnibus videbantur, cujus incolas Latinos vendebant Turcis.

Societatem hanc Catalanam diſſipare volens Joannes, eodemque tempore Chriſtianis Achajæ conſulere, mandat præfatis præſulibus,

Ut a tanto ſcelere ducem deterreant.

Quem ſi verbis abſterrere non poterunt, cenſuras in eum, ſocioſque expediant.

D. Aven. Cal. Oct. P. a. VII. a. D. 1322.

Sacræ

Sacræ expeditionis in Achaſam jubetur prædicatio.

VII. Ad ann. 1330. §. 54. JOANNES XXII. Patriarchæ Conſtantinopolitano (Latino) Corinthi, Patracen. & Hydrunt. Archiep.

Inc. *Dilecti filii, &c.*

VValterus Dux Athenarum Brenæ, & Livii comes graviter conqueſtus eſt apud Pontificem, Catalanam ſocietatem Athenas, quod eſt antiquum patrimonium ſuæ familiæ, ejectis præfectis, occupaſſe, & minari etiam alias regiones occupaturam.

Quare oravit Pontificem, ut Crucem in eam prædicari juberet, promittens, ſe quoque viribus omnibus enixurum Athenas recuperare, & cohibere tam peſtiferam ſocietatem.

Præfatis ergo prælatis mandat Joannes, ut ſtudioſe, ſolliciteque fideles ſuarum partium accendant in defenſionem Ducis contra prædictam ſocietatem;

Et ut fideles facilius moveant, publicent ſolitas indulgentias, &c.

D. Aven. XVIII. Cal. Jul. P. a. XIV. a. D. 1336.

Conſulitur Achajæ principi homagium præſtare Principi Tarentino.

VIII. Ad ann. 1332. §. 18. JOANNES XXII. Joanni Achajæ principi.

Inc. *Utinam filii, &c.*

MOrtuus erat Philippus Tarentinus princeps, reliqueratque filium ex parte materna Imperii Conſtantinopolitani heredem ex parte Balduini II. Hic erat nepos Joannis Principis Achajæ, quæ provincia erat feudum ejuſdem Imperii, cujuſque principes homagium præſtare conſueverant Imperatoribus Conſtantinopolit.

Recuſabat Joannes illud præſtare, ſenex juveni, patruus nepoti. Hinc ortæ erant inter utrumque diſſenſiones. Quas ut ſedet Pontifex, ſcribit Joanni,

Submittendam eſſe voluntatem divini numinis diſpoſitioni, illud hunc orbem regere, cui quicumque reſſtit, gravem injuriam illi facere.

Cum ergo Deus conſtituerit Philippum Conſtantinopolitanum Imperatorem, eumque Achajæ principem, ne recuſet homagium illi præſtare,

Ne recuſet id facere, propter quod præmium a Deo ſperet, timeat autem de non facto pœnam. Deus enim, & miſericors eſt, & Deus ultionum.

D. III. Non. Dec. P. a. XVII. a. D. 1332.

Excitentur fideles ad ferendum auxilium Achajæ.

IX. Ad ann. 1365. §. 26. URBANUS V. Archiepiſcopo Patracenſi, & fidelibus, &c.

Inc. *Cum nuper, &c.*

DEſcenderant in Achajæ principatum Turcæ, Thebas occuparant, aliaſque ejus provinciæ urbes, videbanturque victorias velle proſequi.

His nunciis territus Urbanus Archiepiſcopo Patracenſi mandat, ut fideles ſuæ provinciæ in Turcas accendat, iiſque elargiatur conſuetas indulgentias,

Etiam fideles Urbanus in Turcas excitat; namque niſi nunc eos aggrediantur, cum non multi numero ſunt, fruſtra iis auctis viribus reſiſtent;

Præterea niſi viriliter ſe nunc iis opponunt, ſciant a Turcis poſt devictum Achajæ principatum ſe eſſe ſubigendos, ſubeundumque duriſſimi ſervitii jugum.

D. Aven. V. Cal. Jul. P. a. IIs a. D. 1365.

Civibus Philadelphiæ conſulitur unio cum Rom. Eccleſia, promittiturque auxilium.

X. Ex Rayn. ad ann. 1353. §. 20. INNOCENTIUS VI. Clero, & populo civitatis Philadelphiæ.

Inc. *Felicis recordationis, &c.*

MIſerant Philadelphii oratores ad Clementem VI. eum orantes, ut liberarentur a Turcarum vexationibus, & irruptionibus, promittentes ſe, ſuaque daturos Pontifici, & illi parituros eſſe.

Interea temporis Clemens moritur, ſufficiturque Innocentius, qui ad ſe vocari fecit oratores, interrogavitque, an ſchiſmate relicto vellent agnoſcere proceſſionem Spiritus S. etiam a Filio, an vellent conſiteri primatum Eccleſiæ Romanæ, an venirent ſponte, & libere ad unitatem Eccleſiæ, an in unitate ſeneel facta vellent conſtantes perſiſtere?

Primum enim quærenda ſunt ſpiritalia, tum temporalia. Si ex corde ſchiſma abjurarent, Deum ipſum ſuſcepturum eorum defenſionem, renovaturumque in illis eſſe prodigia illa, ut pauci ſuperarint plurimos, debiles repulerint fortes, victoreſque vincantur.

Irent ergo felices domum ſuam, & cum ejuraſſent ſchiſma, tunc ſe ad illos miſſurum auxilium pollicetur.

D. Aven. XIV. Cal. Febr. P. a. I. a. D. 1353.

DE INSULA SMYRNÆ.

De Smyrna liberata gratulatio.

XI. Ex Rayn. ad ann. 1348. §. 27. CLEMENS VI. Archiepiſcopo Smyrnenſi, & Barnabæ de Parma domicello Parmenſi.

Inc. *Gratia, &c.*

MArbaſſanus Copiarum Turcarum Dux Smyrnam obſidebat. Facta eruptione Barnabas de Parma ingentem hoſtium ſtragem fecit, ipſumque Ducem occidit.

De hac victoria litteras miſit ad Pontificem.

Qui gratulatur prædictis de illa relata, & de Duce Marbaſſano interfecto,

Eos hortatur, ut levent ad Deum manus, illique debitas gratias agant.

Eos etiam monet, ne ſe allici ſinant ſpe treguarum, & pacis; neque ut hac ſpe allecti urbis monimenta imperfecta relinquant. Sciunt enim quam ſubdoli hoſtes ſint, & quam infideles.

D. Aven. XVI. Cal. Sept. P. a. VII. a. D. 1348.

Proceſſus jubetur contra Archiepiſcopum Smyrn.

XII. Ad ann. 1351. §. 12. CLEMENS VI. Morinorum Epiſcopo A. S. L.

Inc. *Licet adverſus, &c.*

PArum affuit quin a Turcis capta Smyrne fuerit.

Proditionis reus traducebatur Archiepiſcopus.

Quamvis autem non tam facile contra Paſtores admittendæ accuſationes ſint, quia tamen de re nimis gravi agitur, & de inſulæ magni momenti cuſtodia,

Mandat prædicto Antiſtiti Pontifex, ut quoniam hæc latere Epiſcopum tam proxime poſitum non poſſunt, inquirat, an delata ad Pontificem de Archiepiſcopo vera ſint.

Quæ ſi vera compererit, *tanto ſtudeat ſuper* hoc celerius providere deputando ejuſdem urbis aliquem fidelem, ac ſtrenuum Capitaneum.

D. Aven. Id. Jan. P. a. IX. a. D. 1351.

DE REGNO CYPRI.

De juribus Mariæ in regnum Cypri.

I. Ex Rayn. ad ann. 1272. §. 19. GREGORIUS X. Archiepiſcopo Nazareno, Bethlemitano, & Paneadenſi Epiſcopis.

Inc. *Expoſuit nobis, &c.*

MAria Domicella nata Boemundi principis Antiocheni queſta fuit ad Pontificem, titulum regis Hieroſolymitani datum fuiſſe a Gregorio Hugoni regi Cypri.

Cum vacaret regnum, Patriarcha Hieroſolymitanus ut eligeretur ſtrenuus vir ejus regni, quod indigebat rege potente, validoque, duxit eſſe ad regnum vocandum Hugonem regem Cypri. Erat is e Domo Luſiniana; & Epiſcopus Liddenſis juſſus a Patriarcha Hieroſolymitano eum jam in regem Hieroſolym. coronarat.

Maria, quæ jus habebat in regnum illud cum eſſet filia Mileſandæ natæ Iſabellæ magnæ Reginæ Hieroſol. ad Pontificem ſe contulit, illique ſupplicavit, *ut faceret ſibi de prædicto Rege Cypri ſuper iis apud prædictam Sedem juſtitiam exhiberi.*

Quare

Quare mandat præfatis preſulibus Gregorius, ut citent intra novem menſes præfatum, ut compareat coram eis cum documentis, &c.

Quidquid in hoc negotio egerint, reſcribant.

D. apud Urbem veterem IX. Cal. Nov. P. a. I. a. D. 1272.

Per titulum regis Hieroſolym. non intendit Pontifex ullum jus datum Regi Cyprio.

II. Ib. §. 18. GREGORIUS X. Mariæ, &c.

Inc. *Cum ſub Bulla, &c.*

APpellaverat Gregorius Hugonem regem Hieroſolym. in quadam Bulla.

Cum de hoc conqueſta eſſet Maria, quæ dicebat ad ſe ſpectare illud regnum, non ad Hugonem Cypri regem, declarat Gregorius

Non fuiſſe, nec eſſe ſuæ intentionis, ex titulo dato Hugoni quicquam juris, quod habere in illud poſſit eadem, adimere; nec quicquam juris Hugoni dare.

D. Later. Id. Apr. P. a. I. a. D. 1272.

Decreta pro conſervanda pace in inſula Cypri.

III. Ex Rayn. ad ann. 1299. §. 37. BONIFACIUS VIII. ad ſ. r. m.

Inc. *Ordinamus, &c.*

AMiſſa Terra ſancta locus nullus ſupererat Chriſtianis ubi ſiſtere poſſent pedem, ut inde in eam terram trajicerent, niſi Cypri regnum.

Multum ergo intererat, ut inſula illa conſervaretur.

Cum natæ autem eſſent ſuper quibuſdam talliis diſcordiæ regem inter, & Equites Hieroſolymitanos, ac Templarios, & Eccleſiaſticas perſonas cum gravi inſulæ detrimento, pacem conciliavit, haſque conditiones appoſuit Bonifacius:

Ne tallia illa, quæ dicebatur impoſita, & recepta a Rege pro defenſione regni *amplius exigatur a perſonis non ſolum Eccleſiaſticis, religioſis, & ſæcularibus, & nihilominus vel advenis regni, ſed nec in poſterum perſonis ipſi regi ſubjectis ſine Ap. Sedis licentia imponatur.*

Et ut ſcrupulus tollatur omnis declarat Bonifacius, tallias, exactiones, tributa, quocumque nomine appellentur, a rege imponenda non extendi ad prælatos magiſtros hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani & domus militiæ templi, & Eccleſiaſticas, & religioſas alias perſonas, non ad bona, ſervos, ſclavos earundem militiarum; ſed debere prælatos, magiſtros, &c. frui ſuis immunitatibus, libertatibus, &c.

Debebit ipſe Rex, ejuſque ſucceſſores eas militias benigne tractare, &c.

Ita enim regnum roborabitur contra Saracenos.

Rex, & milites juſſi fuerunt jurare, ſe mutuo non eſſe ſemet læſuros.

D. Anagniæ III. Id. Janu. P. a. V. a. D. 1299.

Monetur Cyprius Rex, ne ſevere interpretetur legem.

IV. Ib. §. 38. BONIFACIUS VIII. Henrico Cypri regi.

Inc. *Pro bono, &c.*

UT conſuleret Pontifex regni Cypri incolumitati, edixerat ne quiſquam ad infideles ferre poſſet arma, lignamina, ferrum, & alia prohibita.

Regem rogat Bonifacius ut hanc legem non interpretetur contra ſe factam, ſed potius pro ſe, pro ſui regni conſervatione.

Rex autem decreverat, ne militiæ Templi, & S. Joannis bona ſtabilia acquirere poſſent in Cypri inſula niſi de licentia S. Sedis, vel ipſius Regis.

Hanc quoque legem Rex benigne interpretetur. Si enim aliquam portiunculam terræ acquirant eæ militiæ ut domos ſuas dilatent, ut commodius habitent; hoc quia cedit in decus, & utilitatem regni, non debet a Rege vetari.

Equites humaniter habeat, cum ſtrenui in bello ſint, poſſintque illi maximo eſſe adjumento.

D. Anagniæ IV. Id. Junii P. a. V. a. D. 1299.

Mittuntur in Cyprum duo Præſules, qui regios fratres concilient.

V. Ad ann. 1308. §. 37. CLEMENS V. Archiepiſcopo Thebano, & Raymundo de Pinibus Canonico Vaſatenſi.

Inc. *Ad Apoſtolicæ, &c.*

COntentio fervebat inter fratres Germanos Henricum regem Cypri, & Almaricum Tyri principem. Queſtus fuerat apud Pontificem Henricus, ſibi, qui Rex Cypri erat, Cypri adminiſtrationem a Fratre uſurpari, & ſe ab illo opprimi: Princeps reſpondebat, Henricum implicitum graviore morbo adeo ſub regni mole ſuccubuiſſe, ut ſceleri frœna laxarit, ſe illo aſſentiente, rogatumque a magnatibus regni habenas ſuſcepiſſe; oſtendebatque litteras patentes.

Clemens, qui metuebat, ne hujuſmodi diſcordiis uterentur regni hoſtes ad illud invadendum, præterea a Rege rogatus, prædictos præſules eo mittit, ut auditis fratrum rationibus eos concilient.

Quod ſi eos conciliare non poſſint, negotium penitus inquirant, audiant magnates, interrogent populos, examinent rem demum omnem, & ad curiam mittant.

D. Pictavis X. Cal. Febr. P. a. III. a. D. 1308.

Hic Henricus Famaguſtam munimentis, & propugnaculis cinxit; Pontifexque indulgentias propoſuit iis, qui eleemoſynas in tam pium opus erogaſſent.

Ad conſtantiam excitatur Rex Henricus.

VI. Ad ann. 1323. §. 12. JOANNES XXII. Henrico regi.

Inc. *Diſplicenter audivimus, &c.*

REgi Armeniæ, quem Soldanus Babyloniæ fuerat aggreſſus, opitulatus fuerat Rex Cypri Henricus. Victus Soldanus iram ſuam effundere in regnum Cypri videbatur. Trepidus proinde Pontifici ſcripſit, opemque poſtulavit.

Joannes illi permittit exactionem ſex decimarum e bonis Eccleſiaſticis illius regni;

Tum illum monet, placandam primum omnium eſſe divinam iram, a Deo enim veniunt victoriæ, cladeſque; placari autem converſione morum, boniſque pœnitentiæ operibus.

Præterea coerceat ſuos a ferendis armis, aliiſque ad bellicos uſus neceſſariis ad Saracenos, quibus poſtea contra Chriſtianos Saraceni utuntur.

D. Aven. V. Id. Apr. P. a. VII. a. D. 1323.

Novas cum Armeno conditiones inire poteſt rex Henricus.

VII. Ib. §. 134. JOANNES XXII. Henrico, &c.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

RIxæ plurimæ, & aſperrimæ fuerant inter Henricum hinc Armeniæque regem inde; tandem jurarat uterque Rex conditiones, quæ initæ fuiſſent, ſe ſervaturum.

Dum fiebant hæ conventiones, moritur Rex Armeniæ;

Quia fieri poteſt, ut novus rex Armeniæ velit immutare conditiones a ſuo prædeceſſore appoſitas, neſciebat Henricus, quid ſibi eſſet faciendum; juramento enim eas firmarat.

Qui confugit ad Pontificem, orans ut conſuleret.

Qui decernit, Henricum poſſe novas conditiones cum novo rege inire, nulla habita ratione jam initarum.

D. Aven. V. Id. Apr. P. a. VII. a. D. 1323.

Gratulatur Pontifex Regi de relata e Turcis victoria.

VIII. Ad ann. 1338. §. 72. BENEDICTUS XII. Hugoni Regi Cypri.

Inc. *Fili cariſſime, &c.*

SCripſerat Hugo Rex Benedicto, ſe pulcherrimam victoriam retuliſſe e Turcis.

Gratulatur illi Pontifex etiam, atque etiam;

Inſignioreſque illi a Deo ominatur, quas etiam conſequetur, ſi eas Deo acceptas referet, & in quibuſcun-

que bellis cum infidelibus suscipiendis unam Dei gloriam, ejusque fidei propugnationem sibi proponet.

Ne moveatur exemplo quorundam impiorum Christianorum eo nomine indignorum, qui lucrandi spe obcæcati fœdera cum Turcis faciunt contra Catholicos, quos tamen Deus ut pulverem disperget.

D. Aven. V. Id. Febr. P. a. IV. a. D. 1338.

De pravo Soldani Babyloniæ consilio.

IX. Ad ann. 1349. §. 29. CLEMENS VI. Hugoni, &c.

Inc. *Serenitatis tuæ, &c.*

„ ODio tanto ferebatur in Christianos Babyloniæ, „ Syriæ, & Ægypti Dominus, ut in animum „ induxerit sicarios mittere in aulas singulorum chri„ stianorum principum, qui eos interimerent, magno „ proposito interfectoribus præmio.

„ Impium hoc, & immane Soldani consilium simul „ ac scivit Hugo Cypri rex per litteras Clementi pa„ tefecit, eumque admonuit, ut sibi caveret.

De hac sollicitudine regis illi gratias agit Clemens, Speratque fore ut Deus hujusmodi conatus tam improbos suffocet, refundat in caput ipsius Soldani illud exitium, quod in unctos Domini molitur.

Se demum paratum esse quamlibet arripere occasionem testandi regi benevolentiam suam illi pollicetur.

D. Aven. XVII. Cal. Jul. P. a. VIII. a. D. 1389.

De indulgentiis Jubilæi non concedendis Regi.

X. Ad ann. 1350. §. 2. CLEMENS VI. Hugoni, &c.

Inc. *Scire te, &c.*

„ REduxerat Clemens annum Jubilæi ab annis cen„ tum ad annos quinquaginta, suaque bulla in„ vitarat omnes Principes, & Christi fideles ad visita„ tionem Basilicæ Lateranensis Romam, ut indulgen„ tias propositas fidelibus eam visitantibus lucrarentur.

„ Quidam principes Romam iverant, quidam au„ tem regni curis impediti cum illuc ire non possent „ Pontificem alii per litteras, alii per oratores rogarant, „ ut permitteret Clemens, se posse earum indulgentia„ rum esse participes, quin eam Basilicam visitarent. „ Hugo Rex Cypri de hoc supplicaverat per Percival„ lum oratorem suum Clementi.

Regi respondet Pontifex, se de principum desiderio colloquutum cum Cardinalibus fuisse, qui censuerunt non esse id principibus concedendum.

Cum enim peregrinatio Romam usque sit unum ex operibus injunctis ad eas indulgentias acquirendas, non potest neque debet concedi iis, qui domi suæ remanent.

Præterea si hoc principibus concedatur, concedendum etiam erit eorum aulicis, nobilibus regnorum &c. Paucique proinde Romam ibunt.

Ne iniquo animo igitur rex ferat, si hoc illi non concedit.

Sed credit, quod cito convenietur via, per quam & ille, & ejus subditi poterunt eamdem indulgentiam consequi, Duce Deo.

D. Aven. XIX. Cal. Sept. P. a. IX. a. D. 1350.

Fœdus, & conditiones fœderis Regis Cypri confirmantur.

XI. Ib. §. 33. CLEMENS VI. Hugoni, &c.

Inc. *Convenientibus, &c.*

COram Pontifice oratores Regis Cypri, magistri hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, & Ducis Venetorum convenerant,

Ut fœdus contra Turcarum impetus inirent his conditionibus, ut Rex armaret duas galeas, magister tres, tres Dux, *quæ infra Calendas Januarii proxime futuri apud insulam Nigripontis convenirent*,

Atque ut hoc fœdus per decennium servaretur, *pro custodia & defensione fidelium orientalium partium* contra Turcas.

Fœdus, conditionesque fœderis confirmat Clemens.

Tum significat regi, se jussurum prædicationem cruciatæ, & concessurum solitas indulgentias fumentibus arma in favorem fœderatorum, mittentibus pecuniam, militesve, &c.

D. Aven. XIV. Cal. Sept. P. a. IX. a. D. 1350.

Auxilium det Rex Imperatori Græcorum Joan. Cantacuzeno.

INNOCENTIUS VI. Hugoni Regi Cypri.

XII. Ad ann. 1353. §. 24.

Inc. *Audivimus, &c.*

SE audivisse, scribit Regi Innocentius, meditari Joannem Cantacuzenum Græcorum Imperatorem abjurare schisma, & ad Ecclesiam Rom. venire.

Regem orat, ut pro amore, quo in Romanam Ecclesiam matrem suam fertur, si ab eodem Joanne orabitur, ut ad hoc auxilium sibi præstet, illi opituletur,

Nihil hoc gratius facturus Deo est.

D. Avin. Cal. Apr. P. a. I. a. D. 1353.

In eandem sententiam scripsit Venetorum Duci, & Januensium communitati, aliisque.

De Galeis ducendis Smyrnam, &c.

INNOCENTIUS VI. Hugoni, &c.

XIII. Ad ann. 1356. §. 36.

Inc. *Quot, & quanta, &c.*

GAleas, quas conjunxerant Veneti, militia Hierosolymitana, & Rex Cypri effecisse, ut tam audaces Turcæ non essent, ut illa maria infestarent, lætatur Innocentius.

Quia vero minabatur Turca se inhiare insulæ Smyrnæ, e cujus possessione expulsis Christianis bona plurima esse in rem suam redundatura sperabat, Hugoni scribit Pontifex,

Ut si fieri commode potest, infra Calendas Novembris easdem triremes ad insulam Smyrnæ ducat, eatque ibi detineat, & consilium Turcarum dissipet.

Ait, se scripturum de hoc Venetis, & Militiæ.

D. apud Villamnovam Aven. Diœc. XII. Cal. Apr. P. a. IV. a. D. 1356.

Solatur Pontifex Petrum, cui pater reliquerat regnum, de parentis morte.

INNOCENTIUS VI. Petro Cypri Regi.

XIV. Ad ann. 1362. §. 13.

Inc. *Licet prius, &c.*

RE novatum sibi fuisse dolorem, quem antea conceperat e rumore mortis Regis Hugonis, cum accepit Petri oratores, litterasque, scribit Innocentius.

Nulla justior dolendi causa Ecclesiæ, quam mors Regis tam pii, tam devoti, tamque fidi & Reip. totius Christianæ dignitatem commodaque procurandi ita studiosi fuit.

Ideo Deus omnipotens usque ad extremam senectutem regni vivere voluit, qua ejus operam ita Ecclesiæ suæ fructuosam vidit, ejus studium, zelumque in Catholicam fidem remuneravit, cum voluit eum Sacramentis omnibus munitum emigrare ex hac vita, ut eum in beatorum patriam exciperet.

Hæc sicut solatio esse debent Petro, ita etiam debent esse stimulo, ut eum imitetur.

Illi gratias agit, quod operam suam, se, summque regnum S. Sedi obtulerit; se quoque profitetur Pontifex paratum opportunis consiliis, auxiliisque ejus dignitatem, ejusque commoda curare.

Eum hortatur ad pietatem, Dei timorem, justitiamque. Justitiæ in laudes digreditur Pontifex; hæc una virtus fulcit solium, hæc subditos populos in officio retinet.

Quam quidem justitiam servet Petrus etiam *in causa* nepotis sui Hugonis, sitque in semetipsum censor justus.

D. apud Villamnovam Aven. Diœc. VI. Cal. Jul. P. a. VIII. a. D. 1360.

Hortatio ad Petrum, ut regnum det Hugoni.

INNOCENTIUS VI. Petro, &c.

XV. Ib. §. 45.

Inc. *Nuper dilectus, &c.*

PEtrus erat filius secundo genitus defuncti nuper Regis Hugonis. Hugo erat filius Guionis primogeniti Regis Hugonis, qui Parenti suo præmortuus fuerat.

I. Hugo Hugonis Regis e filio nepos ajebat, sibi succedendum esse in regnum. Si enim pater suus Guido non

non fuisset mortuus, Guido utpote primogenitus successisset, se repræsentare patrem, & sicut in alia patris jura successit, ita in hoc succedere debere;

II. Ad hæc Rex Hugo promisit, juravitque, & in matrimonialem contractum deductum fuit pactum hoc, cum ille despondit Mariam Imperatricem, ejus filium primogenitum successurum in regnum; se autem esse ejusdem Mariæ primogenitum; proinde, &c.

1. Reponebat Petrus in regna succedere proximiorem regi recens defuncto; jam se esse filium Hugonis, Hugonem nepotem; proximiorem esse patri filium, quam avo nepotem.

2. Præterea se inivisse regnum, & esse in possessione, conditionem autem possessoris esse meliorem.

Hugo confugerat ad Pontificem, eumque arbitrum delegerat, testatusque fuerat, se velle quacumque ratione jura sua conservare.

Verens Innocentius, ne bellum excitaretur inter Petrum patruum, Hugonemque nepotem, intestinæque discordiæ occasionem arripientes Turcæ regnum invaderent, Petro scribit,

Illum hortatur, ne velit denegare jus successionis Hugoni, ponit illi ob oculos bellum oriturum, non defuturos fœderatos Hugoni, pro quo ratio militat; Petrum hoc effecturum, ut in insulam descendant Turcæ, expellantque Lusinianam domum eo regno, quo nec ipse, nec Hugo fruetur; longe multo præstare genus vitæ privatæ quietum, tranquillumque regio titulo, qui ut conservetur semper in armis vivendum sit, desudandum, pericula diu noctuque subeunda; jam ut umbram vitam hanc transire, cujus reddenda est Deo ratio eo gravior, quo conspectiorem locum in terris quis tenuit.

Testatur demum Innocentius, se neutrius respectu habito, quoniam judex electus fuit, eam esse pronuntiaturum sententiam, quam justitia dictabit.

Petrum monet, ut per latorem præsentium *litteras responsales* mittat.

D. apud Villamnovam Aven. Diœc. IX. Cal. Junii P. a. VIII. a. D. 1360.

„ Petrus Coronatus fuit Rex Hierusalem & Cypri a „ B. Petro Thomo Episcopo Coronensi A. S. in orien„ te legato. Erat ex ordine FF. Carmelitarum.

Gratulatio de pace inita cum Januensibus, & de adventu Crucesignatorum in Cyprum.

XVI. Ad ann. 1365. §. 18. URBANUS V. Petro Cypri Regi.

Inc. *Per litteras, &c.*

LEgatus Ap. significarat Urbano initam fuisse pacem inter Regem Cypri, & Gabrielem Adurnum Ducem, & Commune Januensium; & in singulos dies cruce-signatos descendere in Cyprum.

Petro regi gratulatur de his nuntiis Urbanus.

Regem itaque hortatur, ne differat in Saracenos copias suas, & Cruce-signatos movere;

Illique exitus prosperos, & e votis ominatur.

D. Aven. II. Cal. Maji P. a. III. a. D. 1365.

Qui tamen exitus fuere infelices.

De pace facienda cum Soldano Ægypti, & de subsidiis in Cyprum mittendis.

XVII. Ad ann. 1366. §. 13. URBANUS V. Petro, &c.

Inc. *Litteras tuas, &c.*

ORatores cum litteris miserat ad Urbanum Rex Petrus, qui illi significarant, Soldanum Ægypti, eo quod Cyprii, & Rhodii ejus provincias maritimas devastarant, velle iras suas in Cyprum effundere.

Quare rogarat Pontificem, ut in regni propugnationem & aurum, & milites mitteret.

Rescribit illi Urbanus, se scire, & scire universos Catholicos principes, Petrum dignum esse auxilio. Impavidus enim primo impetu Alexandriam expugnavit, sed præ nimia magnitudine eam retinere non potuit, coactusque fuit inde discedere;

Regnum suum objecit Saracenorum iræ, & incursionibus, ut reip. Christianæ utilitati consuleret.

Hæc omnia cum nota sint principibus Latinis facile erit eos permovere, ut illi auxilientur. Interea tamen dum cogunt copias, Regi consulit, ut pacem cum Soldano pangat vel saltem inducias ad aliquod tempus, ut imminens periculum avertat.

Ut autem melioribus conditionibus pacem, vel inducias faciat, & ut Soldanus credat, regem pacem amare, quædam privilegia, quæ concessit Venetis, & Januensibus suspendantur.

Pontifex de hac suspensione ad utramque populum scribet, eumque orabit, ut gravate eam suspensionem ferant;

Scribet etiam regibus, principibusque, ut festinent auxilium ad eum mittere.

Ne cadat animis, Deus cujus causam suscepit propugnandam illi præsto erit.

D. Aven. X. Cal. Nov. P. a. IV. a. D. 1366.

De adulterio arguitur Rex.

URBANUS V. Petro Regi;

XVIII. Ad ann. 1367. §. 14.

Inc. *Amara nimis, &c.*

ABjecta propria consorte illustri genere, ac morum elegantia decorata non erubescebat quandam adulteram publice detinere Rex.

Gravitatem hujus criminis regi exponit Urbanus, institutionem enim matrimonii offendit, animam laqueo damnationis involvit, regiam claritatem obnubilat, & populum suum tristem facit, hostes crucis lætificat, &c.

Quare regem hortatur, ut ex hujusmodi cœno exeat; aperiat oculos, videbitque in quam grave peccatum sit prolapsus, & contritione tactus pœnitentia lavet tam grande scelus.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Non. Dec. P. a. VI. a. D. 1367.

Joanni principi Antiocheno commendatur Rex Cypri.

URBANUS V. Joanni Antiocheno principi.

XIX. Ad annos 1370. §. 13.

Inc. *Hortamur, &c.*

SAraceni, Turcæque Cyprum vastabant, cui ut opitularentur, & Venetos, & Januenses, & Rhodios excitarat Urbanus argumentis deductis a gratitudine, cum plurima beneficia ab iis regibus ii populi accepissent, & ab utilitate, quam ii ex eo regno percipiebant.

Cæterum, arripuerant Saraceni illud regnum infestandi tempus. Mortuo enim Petro regi successerat Petrus, qui erat adhuc tenellus, dictusque fuit Petrinus.

Cura illius demandata fuit Joanni principi Antiocheno, Petrique matri.

Urbanus rogat Principem, *ut ab omnibus noxiis Petrum servet illæsum, & circa ejus coronationem tempore debito faciendam, necnon dicti regni defensionem contra suos, & cruces æmulos adhibendam sinceræ affectionis, & efficacis sollicitudinis studium adhibere conetur.*

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Febr. P. a. VIII. a. D. 1370.

Monita Regi Petro dantur.

GREGORIUS XI. Petro Regi.

XX. Ad ann. 1372. §. 31.

Inc. *Excellentiam tuam, &c.*

JAm id ætatis erat Petrus ut monita intelligere posset, & memoria retinere.

Quædam igitur illi dat Pontifex,

Ut secundum disciplinas illi tradendas suos mores componat ad honestatem,

Ut fidem Catholicam fundamentum regnorum; sine qua impossibile est placere Deo, in suo regno servet,

Comprimat Schismaticos,

Ecclesias, Ecclesiasticosque ne lædat;

Justitiam, quæ una virtus Reges a tyrannis distinguit, colat, servetque.

Prudentium virorum consiliis acquiescat, nihilque ad libidinem suam agat.

Mater Ecclesia si ita se geret, illi semper præsto erit.

D. Aven. Id. Junii P. a. II. a. D. 1372.

Dehortatur Pontifex Januenses, ne bellum in Cyprios moveant.

XXI. Ibid. GREGORIUS X. Dominico de Campo Fregoso Duci, & Consilio Antianorum.

Inc. *Fide digna, &c.*

„ NAta erat æmulatio utri prætores, qui dicebantur Bajuli, Veneti, an Januenses locum digniorem deberent habere in Cypro. Lis adjudicata „ fuit Venetis. Januenses quidam simul cum quibusdam Venetis solemni accumbentes convivio procacia „ verba ira, vinoque calentes jecerunt in Venetos; „ alteroque die cum reconditis sub vestibus sicis ad epulas regias accesserunt, ubi erant nonnulli Veneti. „ Armis detectis, quasi rei conspirationis in regem, „ quin examinarentur, quin audirentur, octo numero „ e turri regia præcipites dejiciuntur; tum etiam alio„ rum Januensium insontium facta cædes ingens est. „ Imprudenter nimis. Namque valde probabile est, „ eos arma secum gestasse contra Venetos, quibuscum „ recens rixa illis erat.

„ Re perlata Januam, enimvero indignum facinus „ Januenses rati milites colligere, arma parare, & „ classem in Cyprios;

„ Prævidens Pontifex quantum hoc bellum perniciosum futurum esset non solum Cypriis, & Januen„ sibus, contra quos etiam Veneti bellum instruebant, „ sed toti Christianæ Reip. eo præcipue tempore, quo „ Saracenorum, Turcarumque vires ita Christianis erant „ superiores, dehortari a bello nititur Januenses Grego„ rius; „

I. Bellum hoc fieri tempore alieno ab Januensibus provocatis ad arma, quia invalescent interea Turcæ, & contra ipsos Januenses spoliatos fœdere regis Cypri potentiores futuri erunt.

II. Quas vires adimunt regi Cypri, adimere sibimetipsis, cum regni Cypri *viribus tamquam suis utantur*;

III. Oratores regis appulisse Venetias, inde venturos ad Pontificiam Curiam, fortasse eos ferre *talia quod* Januenses *poterunt contentari*;

IV. Ex hoc bello alia bella enasci posse, quibus adincitas rediguntur Januenses; non enim Cyprius Rex caret confœderatis.

D. Aven. VI. Cal. Jan. P. a. II. a. D. 1372.

„ Regis Cypri propugnationem Veneti susceperunt. „ Hinc acerrimum inter eos, Venetosque exortum bel„ lum.

„ Januenses expugnarunt Famagustam, patruumque „ regis Jacobum captivum in carcere tenuerunt, do„ nec mortuo Petrino rege eum liberarunt, ut Rex „ Cypri fieret. „

De morte Regis Jani solatur filium Pontifex.

XXII. Ad ann. 1431.§.35. EUGENIUS IV. Joanni Cypri Regi.

Inc. *Rem sane, &c.*

„ MOrtuus erat Janus rex Cypri strenuissimus in „ bello, qui ab Ægypti Soldano captus per „ aliquot annos in carcere detentus fuit, a qua ut li„ beraretur, ac postea obsides datos Ægyptio vindica„ ret in libertatem, Eugenius concesserat illi centesi„ mam super omnibus beneficiis Angliæ, Hispania„ rum, Galliæ, Italiæque, successeratque filius Joan„ nes.

De morte Jani maxime dolet Eugenius, ejusque mortem ab universa Ecclesia deflendam esse dicit.

Cum enim meditaretur expeditionem Sacram in Saracenes, foederati Catholici exercitus nullus Jano fuisset aptior Dux.

Sed aliter visum superis. Nunc sane constantiæ, patientiæque, laborumque in propugnationem fidei latorem equum est credere cum uberrima mercede in cœlis frui.

Quo se soletur hoc illud est, quod accepit, ejus filium Joannem ferri suapte natura in pietatem, & in justitiam. Habet pulcherrimum domesticum in patre exemplum quod imitetur;

Sic porro pergat, & auxilium Dei, quod semper ejus Pater sensit etiam in maximis calamitatibus, illi non deerit.

D. Romæ. Desunt notæ temporis. A. 1431.

Assignatur Regi pecuniæ summa ad conficienda Nicosiæ mœnia.

NICOLAUS V. Joanni Regi. XXIII. Ad ann. 1451.§.45.

Inc. *Attendentes quod, &c.*

UT reprimeret Joannes Turcarum incursiones quas identidem in regnum faciebant, & inde homines captivos, animalia, prædamque omnium generum asportabant,

Et ut averteret periculum, quod imminere poterat urbi Nicosiæ, cum esset sine mœnibus,

Supplicavit Pontifici, ut sibi aliquam pecuniæ summam submitteret, ut eos muros construere posset, cum opes suæ diutinis bellis essent exhaustæ.

Motus his regis calamitatibus Nicolaus illi permittit, ut dimidiam auri vim, quæ colligetur e stipe, quam Incrari indulgentias volentes conferent in Galliis, colligere possit.

Illa utatur Rex tantummodo in præfatæ urbis murorum constructione.

D. Romæ apud S. Petrum III. Cal. Junii P. a. VI. a. D. 1452.

„ Joannes ob ignaviam conspicuus moritur a. 1458. „ Permisit secundam uxorem Helenam Palæologam „ schismaticam omnia agere, quæ fere totam Catholi„ cam religionem extinxit.

„ Reliquit Carolam heredem, quæ nupsit Ludovico „ Sabaudo, & regni pestem Jacobum spurium.

Subsidia pro hoc regno decreta.

PIUS II. ad p. r. m. XXIV. Ad ann. 1459.§.25.

Inc. *Attendentes quod, &c.*

„ JAcobus Joannis regis filius nothus, qui regnum „ affectabat contra filiam legitimam ejusdem Joan„ nis, ut regno potiretur, confugit ad Ægypti Solda„ num ei spondens se fore illius vectigalem si sibi da„ rentur ab illo auxilia contra Carlottam; se esse „ masculam prolem, ad se regnum spectare. Constituit „ Soldanus illi auxiliari. Ludovicus igitur Carolæ vir „ confugit ad Pontificem, ut auxilium haberet. „

Pius attendens hoc quoque regnum tandem deventurum esse in potestatem infidelium, si eorum copiæ semel admitterentur in insulam, cum inde expelli nunquam posthac possint improbato Jacobi facto, qui honore postposito, religione contempta foedus cum Ægyptio iniverat,

Decimas collectas in Sabaudia ex decreto Mantuæ bello gerendo in Turcas concedit Ludovico

Tum indulgentiam plenariam elargitur, qui vere confessis, & pœnitentibus nummos erogarint Ludovico, *ita tamen* ut nobiles singuli dent tres Florenos auri de Camera, mercatores, & mediocres homines duos, plebeji inferioresque unum, pauperes dimidium.

Electus autem ab iis idoneus confessarius possit eos absolvere a quibuscumque casibus, & commutare vota peregrinationis, &c. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Senis Cal. Aug. P. a. II. a. D. 1460.

„ Ceterum S. Sedes nunquam voluit Jacobo titulum „ regis dare, serius venerunt Ludovico Jubilia. Inte„ rim Jacobus cum classe Ægyptii ingressus Cyprum „ regnum occupavit, excepta Cerine, quo adhærentes „ Ludovico se receperant. „

Imploratur Regis Aragonum auxilium pro Cypro.

PIUS II. Archiepiscopo Terraconensi, Episcopis, &c. XXV. Ad ann. 1461.§.35.

Inc. *Cum non sine, &c.*

ANgebatur Pius, Jacobum cum Soldano fœdus pepigisse, verebaturque, ne infideles, qui in regno erant, vellent illud sibi retinere, expulso Jacobo.

Ut illos inde expellat, detque insulam Ludovico Archiepiscopo præfato, duobusque nuntiis mandat,

Ut regem orent, ut auxilium ferat Ludovico; ut permittat colligi in suo regno decimas ex omnibus Ecclesiasticis beneficiis, quibus nanis comparari classis possit, infidelesque regno expelli.

Dat facultates illis opportunas decimas colligendi.

Dat. Romæ apud S. Petrum Cal. Febr. P. a. II. a D. 1461.

„ Jacobus nupsit Catharinæ Corneliæ, quæ vidua „ relicta, mortuoque filio tenello, regnum Reipublicæ „ Venetæ dedit. Ludovicus erat Sabaudus. „

DE ECCLESIA IN INSULA CYPRI.

In Insula Cypri aut Græci Episcopi subsint Episcopis Latinis, aut unius ritus sint omnes.

I. B.R. t.3. p.1.p.222. & 6. HONORIUS III. A. . . Reginæ Cypri,

Inc. *Licet diligentia, &c.*

I. COmpositionem Honorius approbat factam inter Cypri Reginam, & Episcopos ejus Regni. (Curaverat Regina Episcopos Latini ritus in insula collocare.)

II. Deinde illi ostendit, quam sit monstrosum, in una, eademque diœcesi duos esse Episcopos, Latinum unum, Græcum alterum, pari auctoritate utrumque.

III. Ubi ergo sunt Episcopi Latini, Episcopi Græci Latinis pareant, ut ita Ecclesia videatur, sicuti est, esse una; vel Græci Episcopi ibi esse non possint, ut mala semina omnino exstirpentur discordiarum.

D. Later. III. Cal. Jan. P. a. VI. a. D. 1222.

Archiepiscopus Nicosiensis Græcorum Ecclesias det Latinis.

II. Ex Rayn. ad ann. 1240.§.45. GREGORIUS IX. Archiepiscopo, &c.

Inc. *Ex parte, &c.*

ARchiepiscopus Nicosiensis in Insula Cypri Græcis consulebat assidue, eosque hortabatur, ut Ecclesiæ Romanæ semet subjicerent, ut ejus primatum agnoscerent, ut processionem Spiritus S. a Filio crederent; cum plurimi laici ita fecissent, Clerici tamen, & Monachi obstinati in suis erroribus persistebant. Iis ergo minitatus est Archiepiscopus Anathema.

Græci expetierunt aliquod temporis spatium ab Archiepiscopo polliciti, se suas sententias correcturos esse.

Sed expilatis magna ex parte Ecclesiis, raptis monasteriorum suorum opibus, in Armeniam profugerunt.

Interrogavit Pontificem Archiepiscopus, quid sibi esset faciendum de iis Ecclesiis, monasteriisque?

Respondet Pontifex, ea det Clericis Latinis, & in iis Latinos ordinet.

D. Later. Id. Apr. P. a. XIV. a. D. 1240.

Postulata Archiepiscopi Græcorum insulæ Cypri.

III. Ad ann. 1240.§.45. INNOCENTIUS IV. Episcopo Tusculano A. S. L.

Inc. *Venerabilis Fratris, &c.*

„ USus facultatibus sibi datis a Pontifice Laurentius „ L. A. (*v. Ecclesiam Constantinopolitanam De circumspectione, &c.*) revocarat ex exilio Archiepi„ scopum Græcorum in Insulam Cypri injuria ex Insu„ la in exilium opera Episcoporum Latinorum actum. „

Is restitutus Pontifici scripsit, illique gratiis actis, quædam ab illo postulavit fieri, ut pax inter Clerum Græcum Latinumque in illo regno perpetuo servaretur.

I. Quatuordecim sint Græci Episcopatus in regno, sicut semper ab antiquis temporibus fecerunt;

II. Iis Episcopis liceat in clerum, & populum sui ritus jurisdictionem ordinariam exercere, sicut exercebant *antequam ab Ecclesia Romana resilirent*; populus iis obedientiam præstet, *inconcussa sit apud eos canonum susceptio, & libera monasticæ professionis electio*, sicut erat antea.

III. Ne Episcopi Latini ab Ecclesiis, & Monasteriis Græci ritus e bonis, quæ excoluntur propriis manibus, vel expensis per Græcos decimas exigant, sed deutur Archiepiscopo, & Episcopis Græcis;

IV. Facultas detur Episcopis Græcis causas Græcorum illis subditorum audiendi, decidendique; & a reis appelletur non ad Latinos, sed ad Legatum A. in eo regno;

V. In manu Legati hujus detur ab Episcopis Græcis juramentum fidelitatis.

Revocentur omnes pœnæ in Episcopos, & laicos, & clerum Græcos statutæ a Legato A. Episcopo Albanensi.

Quia Pontifex nescire poterat quid respondere Archiepiscopo deberet, quid concedere, quid negare, mandat Legato prædicto Episcopo Tusculano, ut inquirat, ut hæc postulata examinet, ut consuetudines, & jura expiscetur, & referibat.

D. Lug. XII. Cal. Aug. P. a. VIII. a. D. 1250.

Quæ Græci, quæ Latini in regno Cypri facere debeant.

IV. B.M t.1. p. 100. B.R. t.3. p.1.p.348. & C.C. INNOCENTIUS IV. Episcopo Tusculano A. S. L.

Inc. *Sub Catholicæ, &c.*

QUia nonnulli Græcorum ad unitatem Ecclesiæ redierant; & quia quædam contentiones erant ortæ inter Archiepiscopum Nicosiensem ejusque suffraganeos Latinos ex una parte, & Episcopos Græcos ex alia in hoc regno, ut omnem rixandi materiam in posterum amputet Innocentius præscribit & quæ credenda sint, & quæ peragenda ab iis Episcopis.

I. Græci *in unctionibus, quæ circa Baptismum fiunt, morem Ecclesiæ Romanæ* teneant, si modo eorum ritus ungendi totum corpus baptizati sine scandalo tolli nequit;

II. Soli Episcopi confignent in fronte baptizatos; quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, manus imponebant; singulique Episcopi Oleum, & Chrisma in die Cœnæ Domini conficiant; sed si suum ritum sequi volunt; soli Patriarchæ, & Archiepiscopi cum assistentia suorum suffraganeorum illa conficerent. Unctio tamen in confessione dari non possit loco pœnitentiæ. *Infirmis juxta verba Apostoli* (S. Jacobi) *unctio extrema detur.*

III. In sacrificio Missæ nihil refert, utrum aqua frigida, an calida admisceatur vino, *modo credant* Græci *quod de utraque materia*, vino, & aqua conficiatur sacramentum sed Eucharistiam conservatam in die Cœnæ Domini dandam infirmis per annum totum non fervent; sed in singulos quindecim dies vetus sacratus consummetur, consecreturque novus panis; ne per diutinum tempus *alteratis speciebus minus habilis ad sumendum sit.*

IV. Sequantur consuetudinem suam in Missis solemnibus dicendis, *modo consecratio non transgrediatur horam nonam.*

V. Sacerdotes dicant officium more suo, sed non *præsumant celebrare priusquam officium matutinale non compleverint.*

VI. Promovendi ad Sacerdotium, & ad regimen Ecclesiarum prius examinentur, num *sint sufficienter instructi de horis Canonicis, & de officiis Missarum.*

VII. Celebrent solum in Calice, vel aureo, vel argenteo, vel stanneo, & Corporale sit ex lino candidum.

VIII. Mulieres non audeant ministrare altari.

IX. *De jejunio die Sabbati tempore quadragesimæ servent morem suum.*

X. Sacerdotes conjugati, & alii, quibus Episcopus dedit animarum curam possint confessiones audire, & pœnitentias injungere. Possint tamen Episcopi dare Parochis coadjutores ad animarum curam.

XI. Peccare mortaliter solutum cum soluta rem habentem docet Apostolus, cum ait & fornicatores, & adulteros excludendos esse e regno cœlorum.

XII. Septem ordines conferant Episcopi secundum consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, quatuor minores, non unum tantum, & tres majores. Ordinati tamen propter multitudinem magnam ordinatorum non teneantur accipere tres ordines minores prætermissos.

XIII. Mulier mortuo marito est libera, & teste Apostolo, potest nubere. Ne reprehendant ergo Græci posthac tamquam peccatum secundas, tertias, & ulteriores nuptias.

XIV. Vetat Innocentius fieri apud Græcos matrimonia in octavo gradu, qui apud Latinos respondet quar-

to;

to; diſpenſat tamen eos, qui in gradu illo matrimonium contraxerunt.

XV. Cum Apoſtolus *dicat*, uniuſque opus probandum eſſe per ignem, Græci debent credere, dari Purgatorium, in quod deſcendunt morientes pœnitentes ſine peccato mortali, ſed cum venialibus: & poſſe animas ibidem ſe purgantes per ſuffragia fidelium adjuvari; & hanc pœnam habituram eſſe finem;

XVI. Morientes cum peccato mortali cruciari æternum in inferno;

XVII. Animas parvulorum poſt baptiſma, & adultorum etiam in caritate decedentium, qui nec peccato, nec pro ipſo ad ſatisfactionem tenentur, *ad patriam protinus tranſvolare ſempiternam*.

XVIII. Monachi, & Abbates inviolabiliter ſervent inſtituta regularia SS. Patrum de vita Monachali.

XIX. Hortatur Pontifex Legatum ſuum ad efficiendum, ut Græci Epiſcopi hæc exequantur, inhibeatque etiam per cenſuras, Epiſcopos Latinos in his moleſtiam Græcis afferre.

XX. Non obſtantibus, ſi Epiſcopi habeant privilegium, *quod non poſſint interdici, & excommunicari, &c.*

D. Later. II. Non. Mar. P. a. XI. a. 1254.

Decreta, ut pax ſervetur inter Archiepiſcopos Græcum, & Latinum in hoc regno.

V. Ad ann. 1260. §. 37. ALEXANDER IV. ad ſ. r. m.

Inc. *Græcorum Archiepiſcopus, &c.*

NIcoſienſis Archiepiſcopus Latinus ajebat, unum tantum debere eſſe in illa inſula Archiepiſcopum, qui Græcis imperaret, Latiniſque, & Germanum Græcum Archiepiſcopum non eſſe; eſſe vitio creatum, neque ejus habendam eſſe rationem.

Germanus ergo pluribus injuriis a Nicoſienſi affectus confugit ad Alexandum; *illique ſignificavit*,

I. Innocentium IV. *Epiſcopis ejus regni facultatem* dediſſe ſibi Archiepiſcopum eligendi, *non obſtante Conſtitutione Generalis Concilii*; ſe proinde fuiſſe electum; proinde ſe eſſe Canonice electum, & eſſe Archiepiſcopum,

II. Epiſcopum Albanenſem tunc in iis partibus A. S. L. electionem examinaſſe, & confirmaviſſe,

III. Per aliquot annos ſe pacifica poſſeſſione exercuiſſe jura ſua Metropolitica in Epiſcopos Græcos Cyprios.

Procuratores Archiepiſcopi Nicoſienſis ajebant,

1. Cum electio Germani facta fuit, Epiſcopi Græci erant excommunicati; id adeo verum eſt, ut ipſe Nicoſienſis per Vicarios ſuos indixerit Epiſcopis illis, ne ad electionem procederent.

2. Coeleſtinus propter inobedientiam Epiſcoporum Græcorum in inſula, juſſit eos inde expelli, & quatuor ſedes Epiſcopales Latinorum erigi mandavit, & Metropolitam eſſe debere Nicoſienſem: ſed cum Græci *multi eſſent*, Cardinalis Albanenſis A. S. L. inſtituit quatuor Epiſcopatus ritus Græci in illa, qui intra diœceſes Latinorum reſiderent, hoc ſcilicet conſilio, ut ſubeſſent Archiepiſcopo Nicoſienſi, & Epiſcopis Latinis. Quæ omnia Legati acta S. Sedes confirmavit.

Pontifex cum videret niſi certi limites diœceſum ponerentur, præſcribereturque, Latinorum auctoritas quo pertineret, ſemper ſuburituras eſſe cauſas litium, hæc decernit:

I. Ut quatuor tantum poſſint eſſe in regno Cypri Epiſcopales ſedes Græcæ, in Nicoſienſi diœceſi apud Soliam, in Paphenſi apud Archinos, in Famaguſtana apud Carpaſiam, in Nimoſienſi apud Lefacaram,

II. Quoties Eccleſia vacabit, eligatur aliquis Clericus vacantis ſedis in Epiſcopum; & Epiſcopus Latinus, intra cujus diœceſim eſt ea ſedes, lectionem examinet, inventamque Canonicam confirmet auctoritate ordinaria, tum advocatis Epiſcopis Græcis faciat illi munus conſecrationis impendi; & recipiat a novo Epiſcopo juramentum fidelitatis, cujus apponitur formula, quæ eſt eadem, ac Epiſcoporum Latinorum,

III. Si minus Canonicam eam electionem invenerit, eam caſſet; Epiſcopi autem Græci vocati ad conſecrationem electi ſine moræ diſpendio veniant;

IV. Græcorum Epiſcoporum depoſitio, & translatio, & ceſſio Pontifici Romano reſervetur. Nullus Epiſcopus Latinus auctoritate ſua præficiat Epiſcopum Græcum vacanti Eccleſiæ, niſi forte per negligentiam Clerus per trimeſtre eum eligere diſtulerit: tunc enim per generalis Concilii decreta electio devolvitur Latino Epiſcopo, Sedis Græcæ vacantis fructus Decanus, & Capitulum futuro Epiſcopo reſervent, & tradant.

V. Sic electi, ſic ordinati habeant *jura* omnia Epiſcopalia in Eccleſias, monaſteriaque ſui ritus, neque Metropolita Latinus in eorum juribus eos perturbet, niſi in iis caſibus, in quibus de jure juriſdictionem ſuam exercere debet, & poteſt.

VI. Cauſæ inter Græcos, devolvantur ad Græcum Pontificem inter Græcos, & Latinos: ſit Latinus actor, vel reus cauſa devolvantur ad Latinum Epiſcopum, ſalva ſedis Romanæ præeminentia, ad quam Græcus immediate confugere poterit; appellatio detur ad Epiſcopum Latinum, intra cujus diœceſis fines eſt Epiſcopus Græcus, tum ulterior inſtantia ad Archiepiſcopum Nicoſienſem;

VII. In diœceſi Epiſcopi Latini nullum aliud conciſtorium juriſdictionis ordinariæ habeatur inter Græcos, niſi forte in aliqua Eccleſia Græcorum ejuſdem regni ſit Archidiaconatus, vel alia dignitas annexum habens ordinariæ audientiæ conciſtorium ab antiquo, a quo ad ejuſdem Eccleſiæ ſedis Græcum Antiſtitem Græci provocabunt, & ſic gradatim;

VIII. Archiepiſcopo, & Epiſcopis Latinis competat animadvertendi facultas in iis tantum caſibus, in quibus eis de jure competit in Latinos.

IX. Epiſcopus Græcus vocatus ad Synodum ab Epiſcopo Latino, in cujus diœceſi eſt, veniat cum Abbatibus, & Sacerdotibus ſuis, decretaque ſynodalia, quæ non adverſentur ſuæ Eccleſiæ ritibus jam approbatis obſervari faciat; ſed non poſſint ii Epiſcopi cogi ire ad *Synodos provinciales*.

X. Epiſcopi Latini in viſitatione ſuarum diœceſum habeant in Eccleſiis Græcis eas facultates, quas habent Metropolitæ in Eccleſias ſuorum ſuffraganeorum;

Præſcribit modum procurationum dandarum a quovis Epiſcopo Græco Latino Epiſcopo annuatim Alexander.

XI. Quia autem Eccleſiæ Græcæ ſunt pauperes, ſi pluries eas viſitare Latini voluerint, viſitent ſuis ſumptibus, imitenturque S. Paulum, qui labore manuum ſuarum victum ſibi comparabat.

XII. Jus percipiendi decimas pertineat ad Epiſcopos Latinos, & Clericos, & eas percipiant, quæ ſunt de more.

XIII. Licet in hac inſula nullus in poſterum futurus ſit Græcus Metropolita, vult tamen Alexander, Germanum donec vixerit *dignitatis Archiepiſcopalis nomine, & honore potiri*, eumque proinde eximit omnino ab juriſdictione Archiepiſcopi Nicoſienſis; eo cedente, vel decedente, nullus Græcus Archiepiſcopus in eo regno ſit.

XIV. Archiepiſcopus autem Nicoſienſis in viſitatione ſuorum ſuffraganeorum Græcorum procurationum nomine non exigat plus quam LX. ſolidorum turonenſium ſummam.

XV. Statuta hæc vult etiam ad Syros, qui ſunt in eodem regno, extendi Pontifex.

XVI. Mandat ea obſervari ab omnibus &c. *Amen*.

Dat. Anagniæ per manum Magiſtri Jordani S. R. E. Vice-Cancellarii, & Notarii V. Non. Julii Indict. II. Incarnationis Dominicæ anno MCCLXX. Pontificatus vero Domini Alexandri Pp. IV. anno VI.

Permittatur Archiepiſcopo Nicoſienſi corrigere, & punire vitia.

VI. Ad ann. 1264. §. 66. URBANUS IV. Bajulo, & Magiſtratibus, &c.

Inc. *Quamquam a tempore, &c.*

ALexandri Conſtitutio (eſt proxime ſuperior) nedum pacem concordiamque foveret inter Epiſcopos Latinos, Græcoſque, hos etiam audaciores fecerat, ita ut magis quam antea Metropolitæ Nicoſienſi parere detrectarent.

Imo eo audaciæ devenerant, ut cum Laici Cyprii Græci, Syrique, qui in illo regno erant, dediſſent ſe vitiis omnibus etiam turpiſſimis, dieſque in ludis conſumerent hæreticas blaſphemias in Deum, in Mariam evomentes, ſi eos pro ſuo munere Archiepiſcopus corrigere volebat, eum irriderent, Bajuluſque, qui erat ſupremus magiſtratus inter eos, ceterique magiſtratus inferiores vetarent, ne illos tam gravia peccantes, punire poſſet.

Graviter de hoc cum Pontifice queſtus eſt Archiepiſcopus.

Quæ quidem res gravi dolore Urbanum perculit, qui proinde his litteris mandat Bajulo, & Magiſtratibus,

Ne in tam ſalutari opere, quod Archiepiſcopo ex officio incumbit, illi adverſentur;

Mirari ſe, ſcribit, eos, qui deberent auctores eſſe Archiepiſcopo, ut eos blaſphemos, ſodomiticos, aleatores compeſceret, & puniret, ſemet eidem opponere punire tam atrocia crimina volenti: hoc eſſe animos peccantibus addere, ut crimina infanda majoribus criminibus accumulent, gravioremque in dies ſingulos in ſe, in illos, in regnum Dei iram, ultionemque provocent.

Quare eos monet, ut auxilio ſint Archiepiſcopo;

Quod niſi fecerint, cenſuras jactas ab illo A. Sedes confirmabit, augebitque.

Deſunt notæ. A. 1264.

Errores Græcorum in Regno Cypri.

VII. Ad ann. 1326. §. 28. JOANNES XXII. Patriarchæ Hieroſolymitano.

Inc. *Trahimur in amara, &c.*

SE affici ingenti mœrore, ſcribit Joannes, quod audivit, quot, quantiſque erroribus Eccleſia Græca in inſula Cypri ſit infecta.

Multi Græcorum ſequuntur Neſterianorum, & Jacobitarum errores. Neſtoriani dicunt duas eſſe in Chriſto perſonas, *& ipſum per inhabitantem gratiam adoptivum Dei filium exiſtere*; Jacobitæ, in Chriſto unam tantum fuiſſe naturam.

Utrique ſuos aſſeclas habent, ſicut habent diſtinctas Eccleſias; & utrique cum Latinorum magno periculo dogmatizant;

Alii Græci negant aperte purgatorium, inferumque,

Alii docent, Sanctos non ituros in cælum niſi poſt extremi judicii diem, intereaque temporis in quodam degere loco ſine ulla pœna,

Multi non communicant de ſacramento altaris, niſi ad ſe afferatur Conſtantinopoli.

Nonnulli etiam illud dant jumentis in medicinam morborum, quibus afflictantur.

Quibus erroribus remedium afferre volens Pontifex, hanc provinciam demandat præfato Patriarchæ. Illa omnia peragat, quæ illam Eccleſiam purgare poſſint.

D. Aven. Cal. Oct. P. a. XI. a. D. 1326.

Regi Joannes ſcripſit, eum orans, obteſtanſque, ut in tam ſalutari opere Patriarchæ auxilio eſſet.

Curet Epiſcopus Coloſſenſis, ut Epiſcopi Latini non ſe ſeparent a Græcis.

VIII. Ad ann. 1441. §. 6. EUGENIUS IV. Archiepiſcopo Coloſſenſi.

Inc. *Oblata nobis, &c.*

QUeſti fuerant Græci Epiſcopi hujus inſulæ, nunc unione facta multo minus quam antea ſe admitti in conſortium ab Epiſcopis Latinis in *proceſſionibus, matrimonialibus, funeralibus, & aliis quibuſcumque legitimis actibus*, imo etiam eos vetare, ne Græci invitentur.

Quare ſupplicarunt Eugenio, ut indiceret Latinis, ut in prædictis actibus *benigne, & caritative* Græcos *recipiant, & admittant*.

Libellum ſupplicem Græcorum mittit Pontifex ad prædictum Epiſcopum, illique mandat,

Ut inquirat, an expoſita a Græcis vera ſint. Et ſi vera invenerit, qua meliori ratione poterit efficiat, ut Latini in conſortium Græcos admittant juxta libelli ſupplicis tenorem.

D. Florentiæ V. Id. Nov. P. a. XI. a. D. 1441.

Schiſmatici in Cypro reducuntur ad unitatem.

IX. Ad ann. 1445. §. 10. EUGENIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Benedictus Deus, &c.*

PRædictus Epiſcopus in Cyprum deſcenderat, ut Pontificis mandatis obtemperaret. Reperit in illa inſula Armenos, & Jacobitas, & Græcos infectos aliis erroribus Neſtorii, qui aſſerebant Mariam non eſſe Matrem Dei, alios adhærentes opinioni Machaitæ docentis in Chriſto unam tantum eſſe voluntatem unamque proinde operationem; Univerſim autem proceſſionem Spiritus S. a Filio negantes.

Adhortamentis, prædicationibus, doctrina ſua pervicit, ut illi ſynodo coacta hæreſim abjurarent, vellentque cum Sancta Romana Eccleſia ſe conjungere, ſicut fecerant Armeni, Jacobitæ, Græcique.

Quare Timotheus Archiepiſcopus Tharſenſis Chaldæorum qui in Cypro ſunt, & Elias Epiſcopus Maronitarum ibidem degentium Romam ad Pontificem nuntios ſuos miſerunt, qui obedientiam illi præſtarent, veram fidem profiterentur, formulamque credendorum expoſcerent.

Ad eorum adventum quis gaudium Pontificis explicare queat? ivit præ gaudio fuſe in lacrimas, laudeſque Deo perſolvit de hujuſmodi felici exitu.

Eos benigne, lætanterque Eugenius excepit, privilegiiſque eos Prælatos, eoſque populos ornavit,

I. Nemo audeat eos dicere hæreticos, vel Neſtorianos, qui tales eos dixerit, excommunicetur ab Ordinario,

II. Idem Metropolita, & Epiſcopus, eorumque ſucceſſores omnibus Epiſcopis ſeparatis a Romanæ Eccleſiæ communione præferantur,

III. Poſſint in ſuos ſubditos cenſuras jacere, & iis uni eos ab illis abſolvere,

IV. Ii præſules, eorumque Clerici poſſint in Eccleſiis Catholicorum divina celebrare, & Catholici in Eccleſiis illorum,

V. Tam Clerici, quam laici eorum poſſint mortuos ſuos in Catholicorum Eccleſiis ſepelire, cum Catholicis inire matrimonia, omnibuſque privilegiis, & gratiis perfruantur, quibus Catholici laici, clericique gaudent.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. Petrum VII. Non. Aug. P. a. XV. a. D. 1445.

Mendacia a Græcis in hoc regno contra Latinos conficta.

X. Ad ann. 1447. §. 27. NICOLAUS V. Archiepiſcopo Nicoſienſi A. S. L.

Inc. *Cum te, &c.*

GRæci adhuc in ſuo ſchiſmate obſtinati ut alios qui jam ſchiſma abjurarunt, ad illud revocarent, alios, qui non abjurarant adhuc ab illo abjurando abſterrerent, dicebant, Græcos in Concilio Florentino non fuiſſe confeſſos articulos, ſuper quibus fuerat controverſia, imo Latinos Græcorum opinionibus adhæſiſſe,

Latinos in eo Concilio didiciſſe a Græcis, in Chriſto eſſe duas voluntates,

Capitula, de quibus erat conventum inter Græcos, & Armenos in eodem Concilio, eſſe contraria Catholicæ fidei, & nullo modo eſſe recipienda.

Et alia talia mendacia multa Græci in hac inſula contra Latinos diſſeminabant.

Pontifex mala, quæ ex iis naſcebantur, volens tollere prædicto Epiſcopo, quem Legatum A. S. crearat per inſulam Rhodi, Cyprique, mandat, ut inquirat, quinam ſint harum calumniarum auctores, repertoſque moneat, ut deſinant ab iis, nolentes cenſuris compeſcat, invocato ſi opus fuerit etiam brachio ſæculari. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum III. Non. Aug. P. a. I. a. D. 1447.

Chaldæos a fide deſciſcentes excommunicet Epiſcopus.

XI. Ad ann. 1450. §. 14. NICOLAUS V. Archiepiſcopo Nicoſienſi.

Inc. *Ut bonum, &c.*

QUoſdam Chaldæos, qui Eccleſiæ Romanæ dogmata ſe profeſſuros per nuntios teſtati fuerant, rediiſſe ad ſchiſma, Nicolaus acceperat.

Ut illi ad unitatem fidei redirent, & alii deterrerentur ab illa deficere, mandat Urbanus prædicto Archiepiſcopo, ut qui reſilierunt ex articulis, eos profiteri cogeret;

Si

Si qui id facere contempſerint, eos excommunicet, & declaret, ut vitentur.

Dat. Romæ apud S. Petrum IV. Id. Jul. P. a. IV. a. D. 1450.

Episcopus Paphienſis ſit adminiſtrator Eccleſiarum Latinarum in Cypro.

XII. URBANUS VIII. Epiſcopo Paphienſi.

B.R. t.6. p. 1. p. 197. C.C. Inc. *Felici ac proſpero, &c.*

UT Chriſtiani illi, qui in hac inſula ſunt, ſuperiorem aliquem habeant, a quo pendeant, & confugere poſſint, ſi licentiæ matrimoniales ſint petendæ, &c.

Et ut Clerici ſubſint alicui Epiſcopo, a quo ordinationes petant, olea ſacra, &c.

Cum omnibus facultatibus, & juribus in ſacris Canonibus datis omnes Eccleſias Latinas in hoc regno exiſtentes ſubjicit Urbanus Epiſcopo Paphienſi.

Epiſcopum hortatur, ut earum Eccleſiarum adminiſtrationem ſuſcipiat, & earum felici, proſperoque ſtatui conſulat.

Clero autem, populoque Latino præcipit obedientiam, & reverentiam erga Epiſcopum. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Romæ apud S. M. Maj. die II. Oct. P. a. VII. a. D. 1629.

DE REGNO GEORGIÆ.

Rogat Avogniæ, ſeu Georgiæ Regem Pontifex ut terræ S. opem ferat.

I. INNOCENTIUS III. Illuſt. Regi Avogniæ.

Ex Rayn. ad ann. 1211. §. 26. Inc. *Rex noſter, &c.*

CHriſtus in cælum aſcendens, terram illam, in qua natus, altus, mortuuſque eſt, hereditariam populo ſuo Chriſtiano reliquit.

Eam ita exigentibus peccatis hominum idem populus amiſit jam antea recuperatam. Eam nunc Saraceni gens Chriſtiano nomini inimica tenent per ſummum Chriſtianæ Religionis dedecus.

Se ſe excuſſere Chriſtiani principes, propoſueruntque e manibus perfidæ infidæ gentis extorquere.

Rex Avogniæ inſiſtens ſuorum majorum veſtigiis, Chriſtumque colens nolet certe hujus tantæ gloriæ, tantique meriti eſſe expers.

Colligat ergo exercitum, & quoniam Chriſtiani Principes eo ituri ſunt, ipſe quoque illuc eat; ſic particeps gloriæ hic in terris ſocius etiam erit gloriæ in cælis.

D. Later. VII. Id. Junii P. a. XIV. a. D. 1211.

Ruſſutana ſignificavit Pontifici Fratrem ſuum Urgianorum, ſeu Avogniæ regem cum milites legebat, ut terræ S. ſuccurreret, mortuum fuiſſe.

Sed cum intellexiſſet Imperatorem (Fridericum II.) parare magnum exercitum, ut illuc deſcendat, rogat Pontificem, ut certiorem eam faciat de hoc tranſitu. Mittet enim tunc acies ſuas.

Litteris Reginæ reſpondetur.

II. Ad ann. 1224. §. 21. HONORIUS III. Ruſſutanæ, &c.

Inc. *Multum gaviſi, &c.*

LÆtitiam ſe ſummam percepiſſe e litteris Reginæ, reſpondet Honorius. In iis enim vidit paritatem Chriſtianæ fidei, dilatandæ religionis Chriſtianæ zelum, pietatemque eximiam.

Pergat ita de religione benemereri, ſciatque mercedem maximam ſibi eſſe apud Deum repoſitam.

Felicia cuncta illi Deus dabit, reget quiete imperium ſuum.

Anno proximo venturo a die S. Joannis Baptiſtæ Imperator ſe ad iter accinget.

Ad illud ergo tempus regina paret exercitum ſuum.

Tum illi exponit quas indulgentias conſequantur euntes in eam expeditionem.

Eam demum rogat ut has litteras legat ſubditis ſuis populis, ut indulgentiis allecti alacrius iter ſuſcipiant, promptiuſque rem agant.

Dat. Laterani IV. Idib. Maji Pontif. an. VIII. an. Dom. 1224.

Commendantur Regi quidam Fratres Minoritæ.

GREGORIUS IX. Regi, &c. III. Ad ann. 1233. §. 35.

Inc. *Latore præſentium, &c.*

VAſtiſſimas Aſiæ provincias peragrabant plurimi viri Religioſi, Minoritæ præcipue, ut eos populos fidei Chriſtianæ docerent elementa.

Sciens Gregorius Georgianos cum Rege Chriſtianos eſſe, & viros religioſos fovere, verbi Dei præcones, qui ad ejus regnum devenient, illi commendat.

Ne reſpiciat Rex eorum paupertatem; quo enim pauperiores pro Chriſto ſunt, eo admirabilioribus miraculorum ſignis Deus eos exaltat; Deus, inquam, qui ſicut ſuperbis reſiſtit, ita humiles ſuperextollit.

Datum Laterani Idib. April. Pontif. a. VIII. a. D. 1233.

Se excuſat Pontifex, cur non poſſit regi auxilium mittere.

GREGORIUS IX. Ruſudæ Reginæ, & David nato ejus Georgianorum Regi illuſtribus. IV. Ad ann. 1239. §. 30.

Inc. *Gaudemus pro vobis, &c.*

TArtari irruptionem in Georgiam fecerant, pluraque mala incolis intulerant, & magnas prædas abegerant, ſicut irruperant in Poloniam, & in Pruſſiam.

Regina Roſudes, quæ per ea tempora ſuorum majorum veſtigiis inſiſtens ſe ſubmiſerat, petiit a Pontifice auxilium, ut iis reſiſtere poſſet, ſi alias in Georgiam vellent deſcendere.

Primum quidem lætatur Gregorius de Georgianorum fide, Reginæque gratulatur, quod veram Religionem ſit confeſſa; eamque laudat quod Chriſti Vicarium in Romano Pontifice agnoſcat.

Dolet, Georgiam fuiſſe devaſtatam a Tartaris; ſed gaudet, quod Georgiani eos inſequuti gravi prælio fuderint, & victoriam de illis reportarint.

Hanc inſectationem eorum barbarorum ferat æquo animo Regina immiſſam a Deo, ut eorum populorum fidem probet, & conſtantiam; Eccleſiam quoque Romanam graviter lædi, vexarique ab eo, qui ex officio deberet eam tutari (Fridericum II. Imperatorem intelligit Gregorius.)

Præterea Saraceni invaſerunt Hiſpanias, tenent Hieroſolymam, & loca ſancta, & contra utroſque armandi ſunt exercitus, inſtruendæ Cruciatæ, utrinque ſunt expellendi; utrobique iis reſiſtendum.

Utinam tantum virium ſibi eſſet, quibus poſſet Georgiam a Tartarorum incurſionibus eximere.

Tum Reginæ probat Primatum Eccleſiæ Romanæ, ejuſque veritatem,

Deinde, Eccleſiam eſſe unam:

Reges autem huic Eccleſiæ ſe ſubmittentes minimam quidem ſuæ dignitatis jacturam faciunt, immo lucrantur plurimum; Deus eorum devotionis, obſequiique in ſuam ſponſam Eccleſiam rationem habens illorum regnis felicitates plurimas elargitur.

Ne reginam ergo pigeat Eccleſiam R. venerari, illi parere, ſe illi ſubjicere.

Illi demum ſignificat ſe mittere in Georgiam octo viros probos, doctoſque ex ordine Prædicatorum, qui ibidem fidem Catholicam populis tradant.

Eos regina, rexque benigne recipiant, putentque ſe perſonam Chriſti in iis recipere, eorumque monita exequantur.

Dat. Laterani Idib. Januar. Pontif. ann. XIII. ann. Dom. 1240.

De unitate Eccleſiæ, de Primatu Eccleſiæ Romanæ.

V. Ad ann. 1321. §. 8. JOANNES XXII. Georgio Regi Georgianorum, ejuſque Baronibus.

Inc. *Cum ſimus, &c.*

UT a ſchiſmate Græcorum Georgianos revocet, hæc regi, & regni magnatibus ſcribit Joannes de Unitate Eccleſiæ;

Multa ſunt, quæ probant unam debere eſſe Eccleſiam, ac proinde unum tantum ejus eſſe debere caput.

Una fuit arca: unus cuſtos Paradiſi Adam, una ejus uxor; Hierarchia ipſa docet unum debere eſſe caput;

Ex Evangelio deſumptæ auctoritates probant unum eſſe caput: unum eſt ovile, unus eſt paſtor. Chriſtus fuit unus, iturus in Cœlum ſoli Petro dixit, *Paſce oves meas, confirma Fratres tuos.*

Multum abludit ſecundum eorum temporum more ſuper hac voce *Petra*.

In Petro ipſe D. Paulus, qui vas electionis dictus fuit, agnovit officium auctoritatis, & ideo poſt aliquot annorum prædicationem a ſe peractam *ad Petrum tanquam Primatem, & Evangelii Dominici fontem* Hieroſolymam venit; *ne in vacuum curreret; vel etiam cucurriſſet.*

Soli Petro dictum fuit *Duc in altum*: reliquis Apoſtolis *laxate retia*; ſoli Petro datæ ſunt claves: ſoli Petro dictum a Chriſto, *ego pro te oravi Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos;*

Amore quo proſequitur Joannes Georgianos, deſiderio eorum ſalutis motum ſe hæc illis ſcripſiſſe, ait.

Illis commendat aliquot Minoritas, qui ituri ſunt ad Tartaros verbum Dei prædicaturi.

D. Aven. Id. Oct. P. a. VI. a. D. 1321.

In Regno Georgiæ Tephelicenſis Epiſcopatus erigitur.

VI. Ad ann. 1329. §. 94. JOANNES XXII. Joanni de Florentia electo Tephelicenſi.

Inc. *Nuper ad dilatationem, &c.*

UT magis, magiſque divinus cultus propagaretur in Georgiæ Regno, *ſuadentibus etiam aliis rationabilibus cauſis, locum inſignem Tephelicienſem nuncupatum in regno Georgianorum conſtitutum de Fratrum ſuorum conſilio, & de plenitudine poteſtatis A.* erigit Joannes in Civitatem, eamque perpetuo nominari civitatem jubet.

In illa autem erigit Sedem Epiſcopalem, quam vult gaudere omnibus privilegiis, indultiſque, quibus Epiſcopales Eccleſiæ fruuntur.

Epiſcopum præficit F. Joannem de Florentia ex inſigni, adeoque de Eccleſia benemerito Prædicatorum Ordine.

Motus fuit virtutibus pluribus, & eximiis, quibus Joannes ornabatur Pontifex ad illum huic novo Epiſcopatui præficiendum.

Eum monet, ut recte Epiſcopalia munera obeat &c.

D. Aven. XIV. Cal. Nov. P. a. XIV. a. D. 1329.

Litteris regis reſpondet Pontifex.

VII. Ad ann. 1496. §. 21. ALEXANDER VI. Conſtantino Georgianorum Regi.

Inc. *Accepimus, &c.*

AD Alexandrum Oratorem miſerat Conſtantinus Rex Nilum Confeſſorem ſuum Monachum Ord. S. Baſilii cum litteris,

In quibus gratulabatur de obtentis ab Hiſpanis regibus victoriis e Saracenis;

Offerebat auxilia Chriſtianis Principibus pro recuperatione Conſtantinopolitani Imperii, & Terræ S.

Petebat ad ſe mitti decretum unionis Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ factæ in Concilio Florentino, præſtita prius Pontifici obedientia.

Reſpondet Alexander, ſibi gratiſſimum fuiſſe adventum Nili, litteraſque regis, illique gratias agit de præſtita obedientia;

Gaudet eum quoque lætari de triumphis Chriſtianorum ex infidelibus relatis;

Sperat ſe poſſe tollere diſcordias, quæ ſunt inter Chriſtianos Principes, quibuſcum ut arma ſua conjungat, & in propoſito perſtet, eum rogat,

Ait, ſe ad illum mittere Eugenii decretum; quod curet promulgandum ad omnium notitiam.

Senſa Pontificii animi ad illum referet idem Orator Nilus.

D. Romæ apud S. Petrum III. Non. Jul. P. a. IV. a. D. 1496.

Decretum unionis Eccleſiarum Latinæ Græcæque.

ALEXANDER VI. ad p. r. m. VIII. Ib. §. 21.

Inc. *Proviſionis noſtræ, &c.*

AVebat Conſtantinus reintegrare unitatem ſui regni cum Eccleſia Romana; proinde rogaverat Alexandrum, ut Nilo daret decretum unionis.

Illud Nilo dedit Alexander exſcriptum fideliter ex regeſto Eugenii IV.

Inc. *Conſentiente, &c.*

Illud vide inter Bullas de Imperio Græco.

Teſtatur autem Alexander, eſſe illud fideliter exſcriptum,

Vultque illud habere eandem auctoritatem ac ſi publicatum fuiſſet ab Eugenio IV.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

D. Romæ apud S. Petrum III. Non. Junii P. a. IV. a. D. 1496.

DE BULGARIÆ REGNO.

Nuntii mittuntur ad Dominum Blacorum, & Bulgarorum.

INNOCENTIUS III. Domino &c. I. ex Rayn. t. 13. p. 38.

Inc. *Reſpexit Dominus, &c.*

GRatulatur Pontifex Domino Blacorum, quod Deus inter tot bellicos motus non ſolum eum defendat, ſed etiam ejus dominium dilatet.

Tum illi ſignificat, ſe audito trahere *de nobili urbis Romæ proſapia progenitores ejus originem*, & eum ab iis ducere nobilitatem, & amorem in Romanam Eccleſiam, voluiſſe ad eum ſcribere, ſed pluribus negotiis fuiſſe impeditum.

Nunc mittit ad illum litteras, & *Nuncium Archipresbyterum Biſuntinum virum in Græca, & latina lingua peritum*, ex quo intelliget quanto in amore eum habeat Pontifex.

Illi commendat in Chriſtiana Religione perſeverantiam.

D. Laterani P. a. II. a. D. 1199.

Reſpondetur Litteris Domini Blacorum &c.

INNOCENTIUS III. Calo Joanni &c. II. Ib. p. 82.

Inc. *Petiſti humiliter, &c.*

BLacorum Dominus rogavit Innocentium, ut mitteret ad ſe regium diadema, quo coronaretur, ſicut multi alii in eadem terra fuerant coronati tempore Nicolai, qui ad Bulgarorum dubia reſpondit. Rex Michael Hadriano dona miſit, & legatum.

Ait Pontifex, ſe perlegiſſe regeſta, & inveniſſe, Hadrianum eo miſiſſe Cardinalem Legatum; duoſque Epiſcopos; ſed Bulgaros donis Græcorum victos, Romanis ejectis, Græcos presbyteros accepiſſe.

Quæ quidem levitas abſterrere debet Pontificem a mittendo illuc Cardinalem.

Mittit tamen Capellanum ſuum Sedis A. Legatum virum probum, & prudentem, cui mandavit, ut terram viſitet, & corrigat, quæ ſunt corrigenda, & ſtatuat, quæ expedire crediderit.

Eum hortatur, ut benigne eum excipiat, eumque audiat.

D. Laterani V. Cal. Dec. P. a. V. a. D. 1202.

Diadema & Sceptrum mittit Pontifex ad regem.

XII. B.M t.1. p. 56. E. R. t. 3. P. I. P. 107. C. C. INNOCENTIUS III. Calojanni Regi Bulgarorum, & Blachorum.

Inc. *Rex regum, &c.*

CAlojanni Regi Bulgarorum fuse explicat Innocentius, quæ quantaque sit Romani Pontificis dignitas e sacris litteris, quæque ejus potestas.

Cum ergo Pontifex sit Vicarius ejus, qui est rex regum, ad eum mittit regium diadema, & sceptrum per Cardinalem Legatum, qui eum coronet, & ab eo coronato accipiat juramentum fidelitatis, & obedientiæ præstandæ S. Sedi.

Deputat Archiepiscopum Innovitanum pro tempore, qui reges Bulgariæ, & Blachiæ coronet nomine Sanctæ Sedis;

Quem Archiepiscopum vult etiam esse primatem in Bulgaria, & Blachia juxta formam Canonicam.

Nulli ergo &c. Si quis autem, &c.

D. Anagniæ per manum Joannis S. R. E. Subdiac. & Not. VI. Cal. Martii Indict. VII. Incarn. Dom. anno MCCIII. Pontif. vero D. Innocentii PP. III. anno VII.

Scripserat antea Rex Pontifici, se Regem, & Imperatorem totius Bulgariæ, & Blachiæ inquisivisse antiquorum suorum Scripturas majorum, & inveniisse, eos accepisse *coronam Imperii, & Patriarchalem benedictionem a Sanctissima Dei Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede Principe Apostolorum Petro*; se quoque velle & coronam, & benedictionem accipere a S. Sede; & velle omnes Episcopos, & Sacerdotes sui Imperii subesse S. Sedi; Testatur Imperium suum nunquam ab hac obedientia discessurum esse, & quascumque terras Paganorum occupabit, se eas subjecturum S. Sedi; *Et ut præsens sui Imperii Chrysobolum ratum, & firmum haberetur, se dedisse Imperium suum in manibus Reverendissimi viri Joannis Sacrosanctæ Romanæ Sedis Legati, & Domini Papæ Capellani.*

Anno sex millesimo septingentesimo duodecimo. Indictione septima.

Lunig. t. 4. p. 13.

Oratur Calojannes, ut Balduinum Imperatorem liberet.

IV. ex Rayn. ad ann. 1205. §. 21. INNOCENTIUS III. Bulgarorum Regi &c.

Inc. *Ex illa, &c.*

CApta occasione ex missione diadematis & vexilli facta a Pontifice ad Regem hunc illi in hanc sententiam scribit.

Se, quia cupit Regi omnia prospera, illi consulere, ut curet cum Latinis pacem statuere. Præter exercitum enim illum Latinorum, qui est in Imperio Græco alius brevissime venturus est in eas partes. Si Latini ineant societatem cum Hungaris, & utrique eum aggrediantur, difficillime regnum suum tutari contra eosdem poterit;

Ratio regnum suum liberandi ex his hostibus hæc una est, si dimittat Imperatorem Balduinum, quem fama refert apud illum esse captivum; ita habebit Latinos amicos.

Ad eum igitur dimittendum hortatur.

D. Romæ. Desunt notæ Chronologicæ.

Causam conjecit Rex in Balduinum; se, scribit ad Pontificem, invitum arma sumpsisse; sed cum videret Latinos etiam Bulgariam invadere, non potuit quin regnum suum tutaretur.

Scribit etiam Pontifici, se mittere Romam adolescentes, ut Grammaticam addiscant, & linguam Latinam, cum Grammatici in suo regno non sint.

De missione Legati A. & de auxilio ferendo Imperio Constantinopolitano.

V. Ad ann. 1217. §. 76. GREGORIUS IX. N. V. Assano Domino Blachorum, & Bulgarorum.

Inc. *Nobilitatis tuæ, &c.*

SUspecta inceperat esse Assano Vatacii potentia, cui in dies singulos accessio alicujus terræ Imperii Constantinopolitani fiebat.

Ergo ab illius fœdere recessit, sæpe cum Latinis conjunxit.

De hac conjunctione Pontifici scripsit, rogavitque ut mitteret Legatum A. quicum agere posset de rebus Constantinopolitani Imperii.

Illi gratias agit Pontifex, ejusque magnanimitatem laudat, quod Ecclesiæ Romanæ se subjecerit.

Scribit, se ad illum mittere Episcopum Perusinum virum prudentiæ, integritatisque laude præstantem. Is instructus fuit a Pontifice de rebus ad Terram S. & ad Imperium Constantinopolitanum spectantibus.

Assanum rogat, ut benigne Legatum excipiat, illique animi sui sensa aperiat, sicut ille omnia consilia sua aperiet ei.

D. Viterbii XII. Cal. Junii P. a. XI. a. D. 1237.

Brevi tempore fuit Assanus cum Latinis conjunctus, Hoc enim eodem anno iterum ad Græcos defecit.

Invitatur Bulgarus ad conjunctionem cum Romana Ecclesia.

VI. Ad ann. 1245. §. 31. INNOCENTIUS IV. Colmanno in Bulgaria imperanti.

Inc. *Cum Dei, &c.*

SCiens Colmannus, sive Callimanus avum suum Calojoannem unitum fuisse cum Ecclesia Latina, & se conjungere eidem optasse etiam partem suum Assanum meditabatur se, Ecclesiamque suam Romano Pontifici submittere.

Quod cum accepisset Pontifex, illi scribere præoccupat;

Se magno cum dolore videre quosdam orbis regiones ejus fidei esse expertes, extra quam salus non est; multo vero magis affligi, cum mente revolvit quosdam populos, qui erant cum Romana Ecclesia conjuncti, nunc ab illa recessisse, Schisma fovere, &c. esse miserrime æternum damnandos.

Quare Colmannus, qui hæc scit, properet conjunctionem hanc facere, ne diutius a sinu illius matris Ecclesiæ, quo fovebatur illius ayus, abesse velit.

Quod si putat, unionem hanc Græcæ Ecclesiæ cum Latina fieri sine Concilio non posse, se paratum offert Pontifex illud cogere;

Si vult Colmannus mittere Procuratores, Nuntios, quoscunque benigne a Pontifice excipientur, difficultates tollet, objecta solvet, perstringet repagula, modo conjunctio hæc fiat.

Illi significat se mittere ad illum nonnullos Minoritas viros doctos, probosque, eumque rogat, ut eos benigne excipiat, illosque audiat; *ac proficiscentium ad Tartaros, aliasque gentes remotissimas diplomate regio securitati cavere velit.*

D. Lugduni XII. Cal. Apr. P. a. II. a. D. 1245.

Eum immatura mors rapuit annos natum octodecim.

Usus Vatacius occasione contra fidem expugnavit Serras, & Melenicum, sæque ditioni adjecit.

Bulgarorum Rex provocatur ad conjunctionem cum Romana Ecclesia.

VII. Ad ann. 1291. §. 38. NICOLAUS IV. Georgio Bulgarorum Imperatori.

Inc. *Ad curam, &c.*

MUnus Pontificatus sibi divinitus impositi, scribit Nicolaus, exigit, ut quibuscunque modis possit, hominum saluti consulat.

Cum una autem sit salutis consequendæ ratio, nempe Catholicæ Fidei professio, eam pro amore illo paterno, quo Imperatorem prosequitur, ei proponit sequendam.

Tum elogia fidei adnectit Pontifex, quæ Georgio explicat.

Ad illum mittit formulam fidei *credimus Sanctam &c.* missam ad Imperatorem Palæologum Michaelem.

Dat. apud Urbem Veterem X. Cal. Apr. P. a. IV. a. D. 1291.

Ad eandem conjunctionem invitatur Archiepisc.

VIII. Ib. §. 37. NICOLAUS IV. Archiepiscopo Bulgarorum.

Inc. *Misericors, & miserator, &c.*

ARchiepiscopo etiam causam reddit Nicolaus, cur eum ad conjunctionem cum Romana Ecclesia excitet, nempe ex munere Pontificio,

Ejusdem fidei elogia affert;

Illi significat se per litteras adhortatum fuisse Imperatorem, ut hanc conjunctionem faceret; nullus dubitat Nicolaus, quin Archiepiscopus sit illum ad hoc adhortaturus.

Renovet memoria præsul, se in Palatio de Blacherna, (si modo tunc erat Archiepiscopus Bulgarorum) vivo Michaele Palæologo Græcorum Imperatore coram eodem Nicolao, qui tunc erat unus ex Pontificiis Nuntiis, fassum fuisse *vivæ vocis oraculo, se Romano Pontifici immediate subesse.*

Quod ergo tunc promisit, nunc persolvat.

Ad eum mittit formulam fidei *credimus Sanctam &c.* quam jam se tenere ibidem tunc professus fuerat Archiepiscopus.

D. ut supra.

De redacta ad fidem Bulgaria Hungariæ Regi grates aguntur,

IX. ad ann. 1268. §. 28. URBANUS V. Ludovico Hungariæ Regi.

Inc. *Replevit ingenti, &c.*

USus facultate sibi data a Pontifice Ludovicus persequendi hæreticos in regionibus suo regno finitimis, etiam in Bulgariam descenderat, in qua plures errores præter schisma grassabantur; brevique tempore urbes munitissimas expugnavit, hæreticos expulit, & ejus incolas Catholicam religionem profiteri justit.

De his victoriis gratulatur Regi Pontifex;

De Catholica Fide propagata nomine universæ Christianæ Reip. illi gratias agit.

Eum jubet a Deo præmia maxima expectare, cujus puritatem fidei per tot curas laboresque restituere studet.

Scribit, se mandasse Archiepiscopo Colocensi, & Episcopo Cenadiensi, ut doctos, probosque viros in Ecclesiis Bulgariæ collocent, e quibus discedere hæretici, & Schismatici a Ludovico coacti fuerant.

Propagationem Ecclesiæ illi Urbanus commendat.

D. apud Montem Flasconem II. Id. Jul. P. a. VI. a. D. 1368.

Moldoblachiæ Archiepiscopus reducat ad Ecclesiam Bulgaros, & Valachos.

X. Ad ann. 1416. §. 27. EUGENIUS IV. Archiepiscopo Moldoblachiæ.

Inc. *Cum fuerimus, &c.*

GRegorius Archiepiscopus Schismaticus humanissime ab Eugenio receptus, *in Pontificis præsentia Romanæ Ecclesiæ ritum in cunctis articulis expresse professus fuerat.*

Non levis spes tunc incessit Eugenium, fore ut Archiepiscopo subditi Græci populi eandem fidem induci ad profitendam possint.

Eandem ergo professionem a suis populis fieri curet Gregorius & quoad processionem Spiritus S. & quoad primatum Romanæ Ecclesiæ,

Abjurantes schisma a censuris absolvat, recipiatque ab illis juramentum, se non esse ad idem schisma reversuros,

Eos per chrismatis unctionem confirmet.

Facultatem illi dat Eugenius dispensandi ordinatos super irregularitate &c. agendique quæcunque huic unioni faciendæ expedire crediderit.

D. Florentiæ VI. Id. Mart. P. a. V. a. D. 1435.

DE VALACHIA.

Laudatur Valachiæ Regina.

XI. ex Rayn. ad a. m. 1370. §. 5. URBANUS V. Claræ relictæ q. Alexandri VVeydæ in Valachia Viduæ.

Inc. *Lætamur in Domino, &c.*

JUre ac merito laudat Urbanus principissæ Claræ pietatem, quia non solum ipsa Catholicam religionem profitebatur, sed etiam Imperatricem Bulgariæ filiam suam ad abjurandum schisma pertraxerat.

Eam orat Urbanus ut & alteram filiam Ancham Serviæ reginam ad Catholicam Fidem profitendam perducat.

Non desistat, sed quos potest plurimos ad eandem Latinam Ecclesiam excitet. Cumulatiora quo fuerint ejus merita, ampliora expectanda illi erunt a Deo præmia.

Illi gratias agit de calicibus aureis, & de paramentis pretiosis, quibus pro divinis obsequiis honoravit BB. AA. Petrum, & Paulum.

D. Romæ apud S. Petrum XIII. Cal. Febr. P. a. VIII. a. D. 1370.

VVayda Valachiæ excitatur ad fidem Catholicam.

XII. Ib. §. 6. URBANUS V. Latitzlao VVaydæ Valachiæ.

Inc. *Fide dignorum, &c.*

SChisma fovebat hic princeps, qui cæteroquin erat strenuissimus, valideque pugnabat in Turcas.

Miserei se Urbanus ejus sortis scribit, qui putat pro Christo certare, qui putat se vere Christianum esse; tamen ea certamina, ii labores, quæ præfatur, quos facit, qui per schisma est a vera Ecclesia separatus, nihil illi prosunt ad vitam æternum consequendam.

Quare ut vere dicatur verus Dei pugil, per instructionem Religiosorum, quorum multi erant per illius provinciam, addiscat Catholicam religionem; audiat documenta Novercæ suæ Claræ; veniat ad ovile Christi, & quoniam tantum laborat, ut gloriam nominis sibi comparet, multo magis laboret, ut æternam gloriam consequatur.

D. Romæ apud S. Petrum VI. Id. Apr. P. a. VIII. a. D. 1370.

DE MOLDAVIA.

Ad preces Moldaviæ principis instituitur Episcopatus Ceretensis.

XIII. ex Rayn. ad ann. 1372. §. 7. URBANUS V. Archiepiscopo Pragensi, VVratislaviensi, & Cracovienli Episcopis.

Inc. *Nobilis vir, &c.*

LAtzko Moldaviæ Dux cum quosdam Fratres docentes Religionem Catholicam audivisset gratia Dei motus cum quibusdam aliis schisma abjuravit, eamque profiteri voluit.

Is supplicari Pontifici fecit, ut in oppido Ceretensi, quod est Halecensis Diœcesis in Russiæ partibus, cujus Episcopus est Schismaticus, Episcopum Catholicum poneret, illa Ecclesia in Episcopalem erecta.

Oppidum est insigne, populosum, dignumque, quod insigniis civitatis decoretur.

Cum de his, quæ sibi fuerant expolita nullam notitiam haberet Pontifex, prædictis prælatis mandat, ut inquirant, an hæc vera sint;

Si vera repererint, auctoritate Apostolica juxta tenorem Bullæ, quam ad illos mittit, erigant oppidum Ceretense in urbem, & Ecclesiam in Cathedralem.

Separent a Diœcesi Halecensi totum Ducatum, qui subest Duci Latzkoni, sitque Ceretensis Episcopatus Diœcesis.

Ecclesiam, si in oppido non fuerit, magnificam exstrui faciant sub ejus Sancti nomine, quod Moldavis placuerit.

Moneant Ducem ut Sacerdotia instituat, & Episcopo assignet convenientem mensam.

Gaudeat Episcopus super sua Diœcesi omnibus Episcopatus juribus &c. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. apud Montem Flasconem IX. Cal. Aug. P. a. VIII. a. D. 1370.

Latzko excitatur ad constantiam in fide.

XIV. GREGORIUS XI. Latzkoni Duci Moldavienſi. Ad ann. 1372. §. 32.

Inc. *Litteras tuæ, &c.*

LAudat Pontifex Latzkonis converſionem ad Catholicam Eccleſiam, de qua admodum lætatur, ſicut doleat de pertinacia ejus uxoris in ſchiſmate.

Curet Latzko monitis ſalutaribus, & tedulis, & præclaræ, ac ſinceræ fidelitatis exemplis ad fidem convertere eandem; *non intendit tamen* Pontifex, *illum cogere ad eam quocunque tempore dimittendam.*

Videat, ne propter aſſiduam cohabitationem divellatur a ſaſcepto propoſito; retrahaturque ad ſchiſma.

D. Aven. VIII. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1372.

DE REGNO RASCIÆ.

Laudatur Rex quod velit Schiſma Græcorum deſerere.

I. ex Rayn. ad ann. 1308. §. 3. CLEMENS V. Magnifico Viro Uroſio Raſciæ Regi.

Inc. *Benedictus Deus, &c.*

URoſius, re ſerio examinata, vidit ſe tuta conſcientia vivere in ſchiſmate diutius non poſſe. Miſit proinde ad Pontificem oratores, ut illi ſignificarent hoc ſuum deſiderium, ſimulque formulam fidei popoſcit, & quoſdam doctos viros Religioſos, *quibuſcum* poſſet de hoc convenire, & *ab iis* erudiri.

Clemens gratias ingentes Deo agit de hoc deſiderio in rege excitato, lætitiamque ſuam ex hoc nuntio conceptam Regi ſignificat,

Se illius oratores accepiſſe ſcribit, & quæ iis promiſit ore, ſcriptis etiam confirmat, nempe Eccleſiam nunquam eſſe illi defuturam.

Ad illum fidei formulam *credimus in Sanctam &c.* mittit (eſt illa quam ad Michaelem Palæologum Clemens IV. miſerat.)

Canendum eſſe, ait, in Eccleſia Symbolum cum adjectione *Filioque*, ut quoniam una eſt utriuſque Eccleſiæ Fides, hæc concordia etiam exterius appareat;

Primatus Romanæ Eccleſiæ ſuper Græcam, & ſuper quaſcunque alias eſt a rege agnoſcendus;

Epiſcopi Raſciæ Regni accipiant a ſuis Metropolitis confirmationem, & conſecrationem, Metropolitæ autem poſtulent, obtinebuntque a Romano Pontifice pallium, *ſine præjudicio Conſtantinopolitanæ Sedis, & Patriarcharum cum Romana Eccleſia communionem habentium,*

Latinorum Eccleſias in Raſciæ regno poſitas occupatas a Græcis dimitti libere faciat;

Latinos in honore habeat, & præcipue Sacerdotes; eorum ab illo & ab hominibus ejuſdem regni non declinentur Miſſæ, neque Sacrificia; ſed pro loco, & tempore cum omni reverentia audiantur.

Patriarcham Gradenſem duoſque Fratres unum ex Prædicatorum, alterum ex Minoritarum Ordine ad eum Clemens mittit.

Eos benigne Rex excipiat, eorumque prudentia conſilia ſequatur Rex,

Cui fauſta, feliciaque ominatur.

D. Pictavis Cal. Apr. P. a. III. a. D. 1308.

Quædam privilegia jubentur Pontificii Nuncii concedere Regi.

II. Ib. §. 29. CLEMENS V. Patriarchæ Gradenſi &c.

Inc. *Diſcretioni, &c.*

NUntios edocet Clemens quæ facere debeant, cum in Raſciam ad regem pervenerint;

Eum inducant ſalutaribus monitis ad communionem cum Romana Eccleſia, & recipiant cum, aliaſque perſonas.

I. Si rex omnia præſtiterit, illum, illiuſque familiam, regnum auctoritate Apoſtolica recipiant in protectionem B. Petri, & Romanæ Sedis,

II. Eadem auctoritate *vexillum ab eo ex devotione petitum contra infideles illarum partium ſine alterius præjudicio, uſque ad beneplacitum Apoſtolicæ Sedis illi tradant;*

III. Regem, aliosque abjurantes ſchiſma, agnoſcenteſque primatum R. Sedis abſolvant a cenſuris;

IV. Græci Sacerdotes rite ordinati poſſint conſecrare in fermentato;

V. *Et tolerat, quod idem Rex intereſſe poſſit iiſdem Miſſis.*

D. ut ſupra.

Fœdus principum Albaniæ in ſchiſmaticum Uroſium regem approbatur.

JOANNES XXII. Guillelmo Bleniſte Protoſervatoni, Guillelmo Comiti, Paulo Materango &c. III. Ad ann. 1318. §. 35.

Inc. *Ex fide, &c.*

PRæter ſchiſma, in quod erat relapſus Uroſius, immanitate barbara fœdatus erat, per quam in ſuos ſubditos ferociebat.

Ejus ſævitiam ulterius cum perferre populi non poſſint, fœdus inierunt eum regno expellendi magnates quidam.

Conſilium hoc aperierunt Pontifici, qui illud approbat,

Imo eos accendit ad illud perficiendum,

Polliceturque illis A. Sedis auxilium.

Confugiant ad Epiſcopum Circenſem, cui Pontifex mandavit iis dicere, quid opus factu ſit.

D. Aven. XV. Cal. Julii P. a. III. a. D. 1318.

Litteras ſcripſit multis primoribus Albaniæ, & Macedoniæ Joannes eos hortans, ut excuterent jugum Uroſii, teſtans eos opus gratum Deo eſſe facturos.

Cum accepiſſet, Albaniæ proceres in Uroſium inſurrexiſſe,

Laudat expulſores Regis Pontifex.

JOANNES XXII. Guillelmo &c. IV. Ibid.

Inc. *Inducti fortitudine, &c.*

INducti fortitudine curaſtis opportunitate captata conſurgere, & jugo ſuæ tyrannidis, ex iniqua converſatione, Uroſii ſcilicet, *abjecto in libertatem, & confeſſionem fidei proſilire, laudabiliter educentes in publicum, quod quandoque latuerat de ſinceritate veſtræ fidei, ac devotionis introrſum.*

Et ad judicium plenius devotionis veſtræ laudabilis de Romana Eccleſia matre veſtra, quæ caput eſt omnium fidelium, & magiſtra, & quæ defidelium ſalute lætatur, filiali ſecuritate confiſi, eam fidenter in veſtrum auxilium advocaſtis.

Addit, omnes Chriſtifideles ingenti perfuſos fuiſſe lætitia, cum ipſos ſervitutis ſchiſmaticæ jugum e ſuis cervicibus depulſiſſe acceperunt,

Neque illis eos opera ſua defuturos.

D. a. 1318.

Eo ſæculo ejuſmodi erat ſententia.

Sæculis ante ſuperioribus, & XV. aliter ſentiebatur.

Magna clade affectus fuit Uroſius a Carolo Hungariæ rege an. 1322. rediitque ad Eccleſiæ Romanæ conjunctionem.

Se paterne recepturum regem redeuntem ad fidem Pontifex ſpondet.

CLEMENS VI. Stephano Raſciæ Regi. V. Ad ann. 1347. §. 19.

Inc. *Cum ſicut, &c.*

PEr Epiſcopum Scutarenſem ſignificari fecerat Stephanus Pontifici, ſe deſiderare, depoſito ſchiſmate ad Eccleſiam Romanam redire.

Regi ſcribit Pontifex, ſe lætiorem nuntium accipere non potuiſſe quam quem retulerat prædictus Epiſcopus;

Regique gratulatur, eum Divino lumini, motuique nolle reſiſtere, ſed obſequi.

Se eum excepturum eſſe, ſicut paſtor ille Evangelicus

eus amiſſam ovem repertam ſuper humeros ad præſepe reportavit, excepturum illi pollicetur.

D. Aven. VI. Non. Mart. P. a. VI. a. D. 1347.

Corrigantur errores graſſantes in Raſciæ, provinciiſque finitimis.

VI. Ad ann. 1351. §. 36. CLEMENS VI. Duracenſi, & Ragufino Archiepiſcopis, & Epiſcopo Tragurienſi.

Inc. *Inter cætera, &c.*

PErlatum ad Pontificem fuerat quoſdam iniquitatis filios nomen Chriſtianorum præferentes, ſed fidei Chriſtianæ inimicos *in nonnullis regni Raſciæ, Albaniæ, & Sclavoniæ, & aliis circumadjacentibus partibus* ſuſcitare nova ſchiſmata, & varios errores diſſeminare;

I. Nempe Spiritum S. procedere a Patre, ſed non a Filio, non attendentes ſe repugnare Sacræ Scripturæ, Patribus cum Latinis, tum Græcis, qui id docuerunt, & Sacri Concilii auctoritati, quod declaravit, *quod idem Spiritus S. æternaliter ex Patre, & Filio tanquam ex uno principio unica ſpiratione procedit.*

II. Corpus Chriſti eſſe in fermentato, non in azymo, & in azymo non confici Corpus Chriſti, illudque in azymo confectum *deturpare manibus, & quod ſceleratius eſt conculcare pedibus non verentur;*

III. Baptiſma, & Confirmationem juxta ritum, quem Romana in illis Sacramentis dandis ſeryat Eccleſia, collata non eſſe Sacramenta, baptizatoſque, & confirmatos eo modo eſſe rebaptizandos, confirmandoſque denuo;

IV. Eccleſiam Romanam *in pleriſque aliis a veræ fidei tramite deviare.*

Perlatum etiam ad illum fuerat, Epiſcopos in iis partibus Sacros ordines indecenter, & contra Sacrorum Canonum ſtatuta conferre,

Et diſpenſare ſuper matrimoniis contrahendis in gradibus affinitatis, & conſanguinitatis vetitis;

Et regulares quamplures Ordinum Mendicantium aſſerere minus veraciter legationis munus ſibi eſſe demandatum ab A. Sede in præjudicium animarum, & magnum fidelium ſcandalum.

Cupiens Pontifex hæc mala ex iis regionibus tollere mandat prædictis præſulibus, ut omnes, vel duo, vel unus ad ea loca ſe perſonaliter conferentes hos errores evellere, & exceſſus corrigere valeant,

Iiſdem dat facultatem hæc diſſeminantes falſa dogmata citandi, puniendi per cenſuras Eccleſiaſticas &c. N. O.

D. Avin. Cal. Sept. P. a. X. a. D. 1351.

Miſit ſucceſſor Innocentius VI. Internuntios in hoc regnum, ut prædictas hæreſes exſtirparent. Bulla convenit cum proxime ſuperiore.

Laudatur Rex quod Eccleſiam Latinam tutetur, promittitur illi Capitaneatus contra Turcas.

VII. Ad ann. 1354. §. 28. INNOCENTIUS VI. Stephano Raſciæ Regi.

Inc. *Per dilectos, &c.*

MUlta Chriſtianæ pietatis ſigna dederat Stephanus, quæ illius Oratores Pontifici ſignificarunt.

Cum enim multi Catholici, qui erant in hoc regno, conjecti fuiſſent in carcerem, cum multi paſtores ejecti e ſuis Eccleſiis, ſubſtitutique Schiſmatici, multi Abbates, prioreſque Conventuum & Monaſteriorum privati dignitatibus aliique in eorum loco a ſchiſmaticis poſiti, multi, qui Baptiſmum, & Confirmationem ſuſceperant Romano ritu, iterum ritu Græco fuiſſent baptizati confirmatique, gravioſimis indictis pœnis juſſerat, expulſos paſtores reſtitui, ablatas Eccleſias reddi, Abbates, prioreſque poni in ſuis monaſteriis, Conventuſque, neque baptizarentur, confirmarenturque in poſterum qui a paſtoribus Latinis ea Sacramenta ſuſcepiſſent.

Laudat ſummopere Regem Innocentius, jubetque illum expectare præmia grandia a Chriſto, cujus Sponſæ tam præſens attulit auxilium.

Literis etiam ſuis certiorem fecerat Pontificem, ſe optare ad Eccleſiam Latinam redire, ſuoſque ſubditos populos ad eam ducere.

Hac etiam de cauſa illum magnopere commendat Innocentius, illique gratulatur, quod nolit gratiam Dei eſſe vacuam. Maturet reditum; Eccleſia eum expanſis brachiis ut dilectiſſimum filium amplectetur.

Etiam ſcripſerat Pontifici, ſe ardere deſiderio Chriſtianis a Turca oppreſſis ferendi opem; illique ſupplicaverat, ut ſi unquam exercitus Chriſtianus contra illum eſſet conſcribendus, ipſe eidem Dux præficeretur.

Summis laudibus hoc Stephani deſiderium Innocentius extollit: enimvero res Chriſtianorum orientales in dies ſingulos ruebant in pejus.

Non ſolum efficiet Pontifex, ut Rex exercitus Chriſtiani Imperator fiat, ſed in quibuſcumque occaſionibus, in quibus regis dignitas augeri poſſit, illius potiſſimum rationem Innocentius ſe habiturum perſancte teſtatur.

D. Aven. IX. Cal. Jan. P. a. II. a. D. 1354.

„ Deſcivit ab Schiſmatis ejurandi conſilio Stepha„ nus: ideoque ab Hungaro Rege Ludovico bello im„ petitus fuit, attritusque.

Hungariæ Regi mandatur ut in Raſcios Hæreticos arma moveat.

INNOCENTIUS VI. Ludovico Regi Hungariæ. VIII. Ad ann. 1356. §. 27.

Inc. *Per venerabilem, &c.*

ZAgabrienſis Epiſcopus Pontifici dixit Raſciæ regnum eſſe hæreticis, & ſchiſmaticis refertum, nullamque illud purgandi potiorem eſſe rationem, quam Hungariæ regi mandare, ut arma in illud moveat.

Hoc igitur Pontifex, Ludovici pietate laudata, Regi mandat; ſumat vexillum Eccleſiæ, hæreticos, ſchiſmaticoſque domet, nec arma deponat, niſi prius omnes inimicos Crucis ſubegerit.

Dat. apud Villam novam Aven. Diœc. P. a. IV. a. D. 1356.

DE REGNO BOSNIÆ.

Banus Boſnenſis recipitur in tutelam S. Petri.

GREGORIUS IX. Nobili viro Zibliſcao. I. Ex Rayn. ad ann. 1236. §. 67.

Inc. *Te qui, &c.*

OMnes Boſniæ Principes erant erroribus infecti ſimul cum ſuis ſubditis populis. Zibliſcaus puram, integramque Catholicam ſervabat fidem, *quaſi lilium* inter ſpinas; imo pro marte ſuo curabat ejus puritatem propagare in finitimas regiones.

Propter hoc egregium meritum cum *ſinceræ caritatis brachiis amplexans* Gregorius, *perſonam, & terram ejus cum omnibus bonis, quæ in præſentia rationabiliter poſſidet, & juſtis modis poſſeſſurus eſt ſub B. Petri, & ſua protectione recipit, & præſentis ſcripti patrocinio munit.*

Si quis ergo, &c. Cunctis autem, &c.

D. Reate VI. Id. Aug. P. a. X. a. D. 1236.

Laudatur Colomanus, quod Boſniam ab hæreſi purgarit.

GREGORIUS IX. Colomano Ruthenorum regi, Sclavoniæque Duci. II. Ad ann. 1238. §. 33.

Inc. *De ſuperni, &c.*

ACceperat Colomanus in Boſniam terram ſuam quoſdam Valdenſes hæreticos penetraſſe, & ſuam hæreſim diſſeminaſſe, & multos Boſnenſes eſſe illa infectos.

Valida collecta militum manu eo perrexit Colomanus, hæreticoſque, eorum receptores, fautoreſque gravibimis affecit ſuppliciis, brevique tempore terram ſuam purgavit.

Laudat præclarum hoc facinus Gregorius: in illo ſiquidem elucet verus amor Dei, proximique, in illo verus illibatæ religionis zelus.

Jubet illum ideo expectare a ſupremo Numine hujus facti pulcherrimam mercedem.

D. Later. XI. Cal. Jan. P. a. XII. a. D. 1238.

Bosniæ præficitur Episcopus.

III. Fb. §. 54. GREGORIUS IX. Episcopo Cumanorum,

Inc. *Cum summæ, &c.*

SCripserat Colomanus Pontifici, jam deletos prorsus esse in Bosnia hæreticos, sed ut ea provincia semper pura esset, opus esse Episcopum in ea creare, qui muneribus boni pastoris fungens in vera fide exemplis, & hortationibus Bosnenses firmaret.

Vitus est Pontifici F. Ponsa ordinis Prædicatorum vir doctus, probus, prudensque ejusmodi, qui huic Ecclesiæ præficeretur.

Mandat igitur Cumanorum Episcopo, ut auctoritate Apostolica eum præficiat, illiusque Ecclesiæ administrationem in temporalibus, & spiritualibus det.

Si recuset munus hoc Ponsa, illum per censuras compellat.

Tum illi consecrationis munus impendat; recepto solito fidelitatis juramento.

Episcopum, usque ad beneplacitum S. Sedis immediate subjectum eidem S. Sedi declarat.

Ei commendat, ut jubeat Episcopum specialem curam gerere de terra Cholim, quæ jam fuerat a Rege purgata, sed in ea latebant hæretici.

D. Later. VI. Cal. Maji P. a. XII. a. D. 1238.

Cruciatam in Bosnenses publicari mandatur.

IV. Ad ann. 1243. §. 37. INNOCENTIUS IV. Archiepiscopo Colocensi A. S. L.

Inc. *Ad aures, &c.*

LIcet Rex severissime hæreticos puniviset, licet Valdenses e Bosniæ regno migrassent, licet sedulo invigilaret Episcopus, neque laboribus parceret, ut suam diœcesin purgaret, hæresis tamen tam altas radices jecerat, ut pullularit.

Archiepiscopus Colocensis A. S. L. in Hungaria Dei zelo accensus cum id accepisset, significavit Pontifici, nullam potiorem esse rationem hæresim inde evellendi, quam Cruciatam in hæreticos Bosniæ indicere.

Id illi injungit Innocentius; eam per se, & alios prædicet.

Promulget solitas exemptiones, consuetasque dari indulgentias crucem sumentibus.

D. Lugduni III. Id. Aug. P. a. IV. a. D. 1246.

Clerus reprehenditur, quod hæresim grassari permittat.

V. Ad ann. 1319. §. 14. JOANNES XXII. Maladino Comiti, alias dicto Bano Croatorum, & Bosniæ.

Inc. *Multa nec immerito, &c.*

DOlorem suum ingentem significat Joannes prædicto Comiti ex nuncio conceptum, in Bosnia, & Croatia, regionibus quondam, in quibus puritas fidei florebat, debacchari impune hæreticos.

Sed Clerus in culpa est, cur ibidem sint hæreses; si enim animarum rectores invigilassent, non ita excrevissent.

Neglectæ relinquuntur Ecclesiæ, Clericalis ordo est pene extinctus, Christi sacra irrisione sacrilega conculcantur; nulla est ibi reverentia crucis, non vivifici Sacramenti communio; *ipsius etiam baptismi, quod est religionis initium, nomen in plerisque partibus ignoratur.*

Banum igitur, quem nobilitas generis, & morum probitas, & orthodoxæ fidei professio commendant, enixe rogat Joannes, ut ad purgandas eas regiones *dexteram potentiæ suæ sollicitudine religiosa convertat.*

Consideret, quanta merces illum in cœlis maneat a Deo, si hoc præstiterit.

D. Aven. XV. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1319.

Stephanus Bosniæ Banus excitatur ad constantiam.

URBANUS V. Stephano, &c. VI. Ad ann. 1369. §. 12.

Inc. *Confortare, &c.*

BAnus senior Frater Stephani erat schismaticus; proinde persequebatur Stephanum qui Catholicam professebatur Religionem.

De hac infectatione Pontificem certiorem fecit, scripsitque se iturum esse Romam, ut illum veneraretur.

Ad constantiam eum Pontifex hortatur. Christus, inquit, beatos dicit, qui persequutionem patiuntur propter justitiam. Quanam major justitia esse potest, quam propugnatio illius fidei, sine qua impossibile est placere Deo, illius fidei, ex qua justus vivit?

Gaudeat Stephanus nomen suum scriptum esse in libro vitæ, reputetque non esse condignas passiones hujus sæculi ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.

Cæterum cum nil tale opinabitur, Deus illum ab hac infectatione vindicabit,

Si Romam veniet, benigne, & paterne excipietur.

D. Romæ apud S. Petrum XIX. Cal. Jan. P. a. VIII. a. D. 1369.

„ Piissimo Regi Hungariæ Urbanus scripsit de hac „ infectatione, & de hæresi, quæ in Bosnia erat. Ste„ phani clientelam suscepit Ludovicus, a Fratris infe„ statione eum liberavit, & hæreticos e Bosnia ejecit.

Justorum natalium honore decoratur Rex.

EUGENIUS IV. Stephano Thomæ Bosniæ Regi. VII. Ad ann. 1445. §. 23.

Inc. *Attendentes, &c.*

REx Thomas jam anno proxime superiore agnoverat Pontificem primum omnium Episcoporum, seque ab omnibus hæresibus impollutum servarat, nullique parcebat labori, ut ad unitatem cum Romana Ecclesia subditos suos perduceret.

Natus hic erat a Rege Ostoya uxorato, & ex conjugata cum alio; supplicavitque Pontifici, ut jura legitimorum natalium sibi daret.

Motus virtutibus, meritisque in Ecclesiam Eugenius Thomæ concedit, ut non secus ac si natus esset e legitimo thoro possit in regnum Bosniæ, jura, privilegia, bona omnia succedere, ad quæ succedunt legitimi filii, ita ut omnia bona percipere possit tam ex testamento, quam ab intestato, & succedere non solum Patri sed etiam agnatis; & cognatis;

Et in regnum nullus ex agnatis, & cognatis regis jus habere possit.

Omnia acta, gestaque a Thoma, agenda, gerendaque, quæ requirant legitimitatem natalium ad validitatem, confirmat Eugenius, ut rescindi ex defectu Thomæ natalium nullo unquam tempore possint. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Junii P. a. XV. a. D. 1445.

Idem Rex commendatur Hungaris.

EUGENIUS IV. Regni Hungariæ prælatis, principibus, &c. VIII. Ib. §. 24.

Inc. *Gloriosa Dei, &c.*

NOta esse debet Hungaris, quippe qui sunt regno Bardaniæ, nunc Bosniæ finitimi illustris conversio illius regni regis, & Bosnensium ad Catholicam religionem, schismate abjurato.

Præterquam quod Eugenius grates de hac conversione debitas Deo reddit, ut sentiant Bosnienses quam grata sua conversio Ecclesiæ fuerit,

Eos, Regemque Hungaris commendat, eos suscipiant in amicitiam, necessarios favores requisiti illis dent. Hoc ipsum ab Hungaris dandum prædidium eos magis in vera fide solidabit.

D. R apud S. Petrum III. Cal. Aug. P. a. XVI. a. D. 1446.

In hæreticos Bosniæ procedat Episcopus Pharensis.

NICOLAUS V. Episcopo Pharensi in regno Bosniæ, & circumvicinis partibus A. S. L. IX. Ad ann. 1452. §. 18.

Inc. *Cum prout, &c.*

PErsistebat in religione Catholica Stephanus Thomas Rex, sed ejus socer Stephanus VVaivoda amplexatus

xatus, professusque triennium ante catholicam Religionem, licet oratores ad Nicolaum misisset, qui testati fuerant, eum esse Catholicum, in hæresim reciderat: idem fecerat etiam Joannes Pausonich VVaivoda, & alii bene multi, qui dicebantur religiosi, in abjuratam hæresim fuerant relapti (erat hæresis Manichæorum.)

Sæpius provocati fuerant ab Episcopo Pharensi ad disputationem, dieique jam præstituti fuerant, sed nunquam disputare voluerant.

Quare prædicto legato mandat Nicolaus, ut prædictum Stephanum VVaivodam, & Pausonich, & eorum complices, fautores &c. & religiosos declaret excommunicatos, infames, intestabiles, indignos Ecclesiastica sepultura;

Eorum terras, castra, fortalitia &c. publicet danda invadentibus, & occupantibus illa, &c. solutis subditis ab juramento fidelitatis,

Vetet quibuscumque sub iisdem pœnis ferre ad eos, eorumque complices panem, vinum, oleum, &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1449.

Proponuntur indulgentiæ adjuvantibus Regem.

X. Ad ann. 1450. §. 13. NICOLAUS V. Stephano Thomæ Regi,

Inc. *Debita ex caritate, &c.*

IN sua hæresi ita obdurnerant Bosnenses, ut ad eos domandos confugiendum ad arma regi fuerit. Bosnenses invitarunt Turcarum præsidium, ut se tutarentur.

Ut ergo eorum Catharorum, seu Manichæorum obstinationem Rex superare posset, omnibus, qui in exercitu regi militabunt pro tam pia causa sive Clerici fuerint, sive laici, confessis contritisque remissionem plenariam omnium peccatorum largitur Nicolaus.

D. Romæ apud S. Petrum Id. Junii P. a. IV. a. D. 1450.

Se restituturum omnia loca Regni Bosniæ Pontifex promittit Regi.

XI. Ad ann. 1455. §. 24. CALLIXTUS III. Stephano Thomæ, &c.

Inc. *Decet Romanum, &c.*

QUam primum accepit Stephanus Callixtum esse Pontificem electum, oratorem ad illum misit; per quem illi testatus fuit suam obedientiam Romanæ Ecclesiæ, & Pontifici, promisitque se non destiturum a belligerando contra Turcas.

Illi gratias agit Callixtus, eumque commendat quod tam bene animatus in Ecclesiam sit, ut pro illius defensione a bellis cessare nolit; ad quod agendum illum hortatur.

Pontifex, qui sperat recuperandam esse Constantinopolim, & Imperium Græcum e Turcis, Stephano promittit, se effecturum, ut omnia bona a regno Bosniæ, quæ ad illud pertinere vel pertinuisse noscantur, sive distracta bello ex illo fuerint, sive occupata, & possessa a baronibus sint, illi iterum uniantur.

Illi ejusque successoribus auxilium præsidiumque S. Sedis promittit, si in Catholica fide persistent.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Romæ apud S. Petrum prid. Cal. Maji P. a. I. a. D. 1455.

„ Alia bulla recepit Callixtus in protectionem S. Sedis hoc regnum. Convenit cum Bulla Gregorii IX. *Te qui, &c.* v. supra. Ideoque prætermittitur.

De sacro vexillo Regi dando.

XII. Ad ann. 1457. §. 17. CALLIXTUS III. Stephano, &c.

Inc. *Ad perditionem, &c.*

UT divinum auxilium sibi contra Turcas pugnaturo adesset, supplicarat Rex Pontifici, ut vexillum cum cruce benediceret Pontifex, benedictumque ad se mitteret.

Scribit Pontifex, regem illud accepturum esse a Pontificis legato, cui mandavit, ut illud auctoritate Ap. illud benedicat, ac regi det.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Apr. P. a. III. a. D. 1457.

Laudatur Rex, quod Religionem tueatur.

CALLIXTUS III. Stephano, &c. XIII. Ib. §. 20.

Inc. *Intelleximus, &c.*

SCripserat Legatus Ap. Pontifici, ad principium mensis septembris statuisse regem movere copias suas in Turcam.

Laudat Callixtus hoc Regis consilium, laudat fervorem fidei, & animi magnitudinem;

Illumque hortatur ut laboribus non se vinci sinat, sed habeat ante mentis oculos Deum, cujus causam tutatur;

Sumat animos; aderit illi adjutor Deus; aderit quibuscumque auxiliis poterit etiam Pontifex.

Interim ille accipiet e Dalmatia copias Cruce-signatas, quas ipse excitari per Episcopos fecit, aurum subsidiarium collectum e bonis Ecclesiasticis accipiet; festinet ergo arma movere animi plenus, fiduciæque.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Aug. P. a. III. a. D. 1457.

Quidam Bosnenses principes ad Ecclesiam reducuntur.

PIUS II. Georgio Cuchignich, Stoysano Tunchonich, & Radonilo Vecichinich. XIV. Ad ann. 1461. §. 136.

Inc. *Pia mater, &c.*

TRes prædicti viri jussu Regis Bosniæ capti fuerant, ductique Romani, eo quod Manichæorum hæresim in regno disseminabant, Cardinalis Turrisremata errores eorum iis ostenderat, ut eos abjurarint, promiserintque se in pœnitentiam reversuros in Bosniam contra Manichæam hæresim prædicaturos; & ædificaturos esse Ecclesias de bonis suis; easque dotaturos.

Pontifex Ecclesiæ clementia exposita, quæ peccatores redeuntes, utcumque gravia sint eorum peccata, semper materno affectu recipit, eos laudat, quod Spiritui S. non obstiterint, suique criminis eos pœnituerit, erroremque abjurarint.

Quoniam autem reverti in Bosniam nullum judicem, nullumque superiorem habent, eos vult subjectos regi Stephano; ille inspiciat, an ad veteres errores redeant, an quæ promiserint se præstituros in suorum peccatorum pœnam præstent; illique pareant.

Iis dat facultatem prædicandi contra Manichæorum hæresim; & construendi Ecclesias sub Sanctorum, quos voluerint nomine, easque dotandi, ponendique in iis Clericos, qui in divinis serviant, facultatem dat. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis, &c.

D. Tybure IV. Non. Aug. P. a. III. a. D. 1461.

Anno sequenti 1462. Jaiza Bosniæ Metropolis capta a Turcis fuit.

Anno 1463. captus quoque fuit Rex, necatusque. Regina post varios errores fe Romam contulit, Pontifex ei assignavit quandam pecuniæ quantitatem, qua viveret. Moriens legavit Bosniam S. Sedi.

Veneti transtulerunt e Bosnia Venetias corpus S. Lucæ, utrum autem illud corpus sit S. Lucæ Evangelistæ, an sit Patavii in Ecclesia S. Justinæ, quæstio est.

DE REGNO SERVIÆ.

De litteris missis ad Bulgarorum Regem.

NICOLAUS IV. Helenæ Serviæ Reginæ. I. Ex Rayn. ad ann. 1291. §. 40.

Inc. *Gaudemus filia, &c.*

HElena Regina, quæ vere Christianam Religionem profitebatur per Archidiaconum Antibarensem Nicolaum rogaverat, ut scriberet Regi Bulgarorum de conjunctione Bulgaricæ Ecclesiæ cum Latina; promiseratque se collocuturam cum eodem Rege ventura proxima æstate de conjunctione eadem, inducturamque eundem ad illam faciendam.

Primum quidem laudat zelum Reginæ Nicolaus, eamque rogat, ut eam semper fervet, felicia cuncta a Deo illi promittens.

Tum eam certiorem reddit, se Regi Georgio de con-

jun-

junctione &c. scripsisse. (v. de Bulgaria *Ad curam &c.*)
Se scripsisse etiam de eadem concordia Archiepiscopo (v. *16. Misericors, & miserator*)
Eam demum rogat, ut cum rege hanc conjunctionem urgeat.
D. apud Urbem veterem X. Cal. Apr. P. a. IV. a. D. 1291.

Assistat Regina Inquisitoribus fidei in Bosnia.

II. Mic. Ep. 23. l. 9. NICOLAUS IX. Helenæ, &c.

Inc. *Cum nos, &c.*

PUllulabat in Bosniæ regno hæresis, & in dies singulos serpebat latius.
Episcopus licet laboribus non parceret, ut eam evelleret, tamen avulsa in parte una non deficiebat erumpere in parte alia.
Rogavit proinde Pontificem, ut provideret, consuluitque, ut mitteret Inquisitores, quorum cum sit de hæresi cognoscere, facilius eam exstirpabunt; ipse enim cum pluribus detineatur curis, totus in illud negotium incumbere non potest:
Misit igitur eo Nicolaus Inquisitores viros probos, prudentesque.
Ut autem negotium felicius eveniat, eos Reginæ Elenæ Pontifex commendat.
Cum sciat ejus zelum in Catholicam religionem, supervacaneum ducit eam pluribus hortari, & monere.
D. apud urbem veterem IV. Non. Jul. P. a. IV. a. D. 1291.

Serviæ regnum suscipitur in tutelam B. Petri.

III. Ad ann. 1290. §. 41. NICOLAUS IV. Stephano Serviæ Regi.

Inc. *Quanto devotiori, &c.*

UT remuneret Nicolaus devotionem Regis Stephani, qua excolebat Romanam Ecclesiam.
Et ut *sentiat manum Pontificis in suis opportunitatibus adjutricem*,
Ejus personam, regnum cum civitatibus, castris &c, juribus &c. quæ possidet, & legitime possessurus est in suam, & B. Petri protectionem suscipit.
Nulli ergo, &c. Si quis, &c.
D. apud Urbem veterem Id. Mar. P. a. IV. a. D. 1291.

In urbe Sava constituitur Episcopus.

IV. Ib. §. 42. NICOLAUS IV. Archiepiscopo Antibarensi.

Inc. *Per tuas, &c.*

SIgnificavit Pontifici Archiepiscopus prædictus simul cum Helena Regina in Albaniæ partibus juxta Sclavos esse quamdam urbem, Savam nomine, quæ jam destructa fuerat, sed reparatam fuisse, & esse populosam, & quamplurimos Catholicos cives in illa esse, qui postularunt, Episcopum sibi constitui; imo Clerum elegisse sibi quendam Petrum virum probum, fidelemque in Catholicum.
Proinde supplicabat Archiepiscopus cum Regina, ut vellet Pontifex, Petrum confirmari, quem Archiepiscopus licet Metropolita confirmare noluerat, nisi super hoc obtenta a Pontifice licentia.
Jubet igitur Nicolaus, Archiepiscopum examinare electionem, quam repertam Canonicam, & de persona idoneam factam cum consilio Prioris Prædicatorum, & Guardiani Minorum confirmet, Episcopumque ordinet:
Si ejusmodi electio non fuerit, pro hac vice tantum cum consilio tamen eorundem fratrum ipse Archiepiscopus alium nominet, & consecret.
Contradictores pœnis Ecclesiasticis compescat, &c.
D. apud Urbem veterem III. Id. Junii P. a. IV. a. D. 1291.

Inquisitores deputantur in regno Serviæ.

V. Ib. §. 43. NICOLAUS IV. Stephano regi, &c.

Inc. *Quoniam inter, &c.*

UT fidei puritas in suis ditionibus esset, Stephanus, & Helena rogarant Pontificem ut in regno Bosniæ, quod erat iis subjectum Inquisitores constitueret,
Quos & constituit;
Ne autem in Serviam quoque perreperet hæresis, qua fidelium animi fœdarentur, rogarant iidem rex, reginaque Nicolaum, ut Inquisitores deputaret,
Laudat summopere utriusque zelum integræ pareque Religionis Catholicæ servandæ Nicolaus; cujus quidem zeli amplam remunerationem a Deo iis pollicetur.
Illisque significat se mandasse supremo Magistro FF. Minoritarum Sclavoniæ, ut duos viros religiosos sui ordinis ad illud munus obeundum idoneos deligat;
Quos regi, reginæque commendat.
D. apud Urbem veterem X. Cal. Apr. P. a. IV. a. D. 1291.

Antibarensis Archiepiscopus corrigat vitia in ditionibus Regis Serviæ, & Andronici Imperatoris Constantinopolitani grassantia.

VI. Ad ann. 1291. §. 58. BENEDICTUS XI. Martino Antibarensi Archiep.

Inc. *Ad audientiam, &c.*

ACceperat Pontifex in pluribus locis subjectis Imperatori Constantinopolitano, & Regi Serviæ esse Prælates, Clericos, & Religiosos enormibus infectos vitiis.
Dolet Benedictus hæc vitia esse enata e pestifero Græcorum schismate.
Deplorat præcipue Simoniam ita familiarem esse, ut nullum beneficium conferatur, nisi interveniente pecunia.
Uxorati inducunt, viventibus uxoribus, alias feminas, quibuscum nefarie vivunt; matrimonia ineuntur in gradibus vetitis affinitatis, & consanguinitatis;
Bona Ecclesiæ diripiuntur; violantur Ecclesiastica jura;
Et cum ob ejusmodi crimina in sententias excommunicationis rei incurrant, tamen ab iis nulla postulatur absolutio.
Quæ vitia exstirpare volens Benedictus mandat præfato Archiepiscopo, ut hæc omnia in præfato regno, & locis *hac vice corrigat, & emendet, & reformet; censuris implicitos solvat viteque expiet.*
D. XIV. Cal. Dec. P. a. I. a. D. 1303.

Provocatur Rex Serviæ ad abjurandum schisma.

VII. Ib. §. 55. BENEDICTUS XI. Regi Serviæ Orosio.

Inc. *Romana mater, &c.*

SIcut valde queritur Ecclesia, cum aliquis filius suus ab ea desistit, ita lætatur de ejus reditu.
Mœrorem magnum Orosius ab Ecclesia recedendo eidem Ecclesiæ attulit, redeundo ad illam lætitiam summam pariet,
Jam accepit Pontifex, ardere illum desiderio relinquendi Græcorum schisma, & rursus cum Ecclesia se conjungendi, ne paveat, redeat, Ecclesiæque illum *tamquam filium prædilectum sinceræ dilectionis brachiis amplecteturi.*
D. Later. X. Cal. Janu. P. a. I. a. D. 1303.

Rex Serviæ redit ad unitatem cum Ecclesia.

VIII. Ad ann. 1323. §. 15. JOANNES XXII. Orosio, &c.

Inc. *Nuper dilectus, &c.*

ORosius volebat in uxorem ducere Blancham filiam principis Tarentini; recusavit Pater eam illi dare, quia separatus per schisma ab Ecclesia Romana erat.
Orosius itaque testatus est se abjuraturum schisma, & ad Ecclesiæ conjunctionem esse reversurum; rogavitque ut in Serviæ regnum ad hoc mittantur Nuntii Pontificii.
Ex hoc nuntio a principe Tarentino (Princeps enim hæc

hæc omnia Pontifici scripserat) accepto, se lætitiis omnibus incessisse scribit Joannes Orosio.
Ejus propositum laudat, a quo ne alias unquam discedat, eum monet.
Se missurum legatos requisitos, illi significat, qui formulam fidei eum edocebunt,
In quorum manibus ejurato prius schismate, Blancham filiam principis in uxorem ducat, ex quo matrimonio nascituræ soboli parentibusque felicia omnia adprecatur a Deo.
D. Aven. II. Id. Junii P. a. VII. a. D. 1323.

Legati mittuntur in Serviam.

IX. Ib. §. 17. JOANNES XXII. Brundusino Archiepiscopo, Bernardo e Parma Canonico Adversano, & Joanni Dominici Fratri ex Ord. Prædic.

Inc. *Discretioni vestræ, &c.*

HIs legatis deputatis mandat Joannes, ut in Serviam eant,
Regem formulam fidei Catholicæ edoceant,
Juramentum de abjurato schismate ab eo rege recipiant (cujus juramenti illis dat formulam Pontifex)
Post abjurationem a censuris eum absolvant.
D. ut supra.

Fustorum natalium dignitate Rex ornatur.

X. Raid. JOANNES XXII. Brundusino, &c.

Inc. *Discretioni vestræ, &c.*

REx hic natus erat e muliere soluta, cum suus pater uxorem vivam reginam haberet.
Cum rogasset Pontificem, ut natalium legitimorum dignitate ornaretur, mandat iisdem legatis Joannes.
Ut hujusmodi non obstante defectu libere ad quemlibet honorem, seu dignitatem serenitati regiæ congruentem, & quoslibet actus legitimos admittatur, & quod filii sui legitimi sibi in dominio, & honore succedant.
D. ut supra.

Serviæ Patriarcha invitatur ad concordiam cum Ecclesia Latina.

XI. Ad ann. 1354. §. 47. INNOCENTIUS VI. Serviæ Patriarchæ.

Inc. *Mediator Dei, &c.*

IN *Petri petra* Christus Ecclesiam suam fundavit, tamque stabili firmavit fundamento, ut nullæ potestates eam hactenus dimovere potuerint, aut sint concussiræ.
Petra autem hæc cum una sit, una sit oportet etiam Ecclesia; estque Ecclesia Catholica, & Apostolica.
Cum hac arctissimo fœdere conjuncta quondam erat Græca Ecclesia; sed ab humani generis hoste vinculum hoc dissolutum fuit.
At populus ex parte culpa caret, si ab illa desciviť, sequitur enim pastores suos, quos scit esse sibi divinitus datos, ut viam ad salutem perveniendi ostendant, & illæ ab iis ducantur.
Cum Patriarcha optime norit, Ecclesiam debere esse unam, cum sciat ab illa una Ecclesia desciviisse Ecclesiam Græcam, ne velit diutius differre ad Latinam reditum, in qua una novit salutem æternam comparari.
Ergo per monstratam viam sic Patriarcha *incedens puris, & rectis gressibus eidem gregi vita, moribus, & doctrina ducatum præbeat ad salutem, sicque illum ad æternæ vitæ pascua introducat.*
D. Aven. IX. Id. Janu. P. a. II. a. D. 1354.
Georgius Serviæ Despota an. 1443. partes Turcarum sequi cœpit.

DE ALBANIA.

Ad conjunctionem cum Romana Ecclesia recipitur hæc Ecclesia, subjicitur que immediate S. Sedi.

INNOCENTIUS IV. Archiepiscopo Antivarensi. V. Ex Raynaldo ad ann. 1250. §. 44.

Inc. *In Græciæ, &c.*

ALbaniæ Episcopus cum agnovisset, se esse schismaticum, & schismaticum populum suum, petiit ab Innocentio absolutionem, & communionem cum Romana Ecclesia, pollicitus se ad hanc conjunctionem reducturum oves suas.
Prædicto Archiepiscopo mandat Innocentius, ut inquirat, an præfatus Episcopus sit alicui Latino Episcopo subjectus. Si nulli sit, eum absolvat, eum ad communionem cum Ecclesia Latina admittat, & juramentum fidelitatis ab illo accipiat nomine Pontificis.
Episcopum hodiernum, & successores declaret immediate soli S. Sedi subjacere.
D. Lugduni VI. Id. Aug. P. a. VIII. a. D. 1250.

Aliæ provinciæ ad unitatem cum Romana Ecclesia redeunt.

II. Ib. §. 45. INNOCENTIUS IV. Summo in Hungaria Prædicatorum Magistro.

Inc. *Quasdam amplas, &c.*

QUasdam amplas, & populosas provincias Philos, *Arbaniam*, seu Albaniam, & *Unaviam prope Hungariam sitas, in quibus sunt aliqui Episcopi, & Clerici sub Græcorum dominio constituti*, Græci ritus, acceperat Innocentius, erroribus suis cognitis avere cum Romana Ecclesia conjungi.
Quare mandat eidem Magistro Pontifex, ut illuc mittat strenuos doctosque viros e suo ordine, qui populum illum doceant; Clericos Græcos vel censuris innodatos absolvant, vel irregulares dispensent; quod si aliquid prætermissum sit ab Episcopis Græcis in eorum ordinatione per Episcopos Latinos suppleatur.
Fratres prædicti populis accedentibus ad prædicationem elargiri possint indulgentiam de injunctis pœnitentiis dierum quadraginta.
D. ut supra.

Quidam Albaniæ principes admittuntur ad Ecclesiam.

III. Ad annos 1368. §. 19. URBANUS V. Strazimiro, & Georgio, ac Balsæ Fratribus Zapanis Zeute.

Inc. *Spiritus noster, &c.*

MUltis erroribus infecta Albania erat hæreticorum, & schismaticorum. Pontifex curam demandarat Ludovico Hungarico Regi, ut in provincias hæresi fœdatas suo regno finitimas arma converteret, sicut jam converterat in Rasciam, Bulgariam, & Bosniam.
Præfati ergo principes sive perterriti Ludovici armis, sive Dei inspiratione moti, schisma abjurarunt, postularuntque a Pontifice in Ecclesiam admitti.
Suum gaudium iis significat Pontifex,
Eos hortatur in hoc proposito firmi persteut, constanteque.
Eos benigne excipiet, modo desinant Catharenses molestare sicut antea fecerant.
D. apud Montem Flasconem Balneo reg. Diœc. VIII. Cal. Junii P. a. VIII. a. D. 1368.

Excitantur Christi-fideles ad opem ferendam Albanensibus.

IV. Ad ann. 1437. EUGENIUS IV. Universis, & singulis Christi-fidelibus.

Inc. *Cum dilecti, &c.*

MUlti nobiles viri, *principes, Domini, barones, comites, populi, & particulares personæ de natione Albanensi*, fœdere inter se percusso Deo fidentes ad ejus gloriam, & ad defensionem Catholicæ fidei aggredi Turcas, & ex finitimis occupatis locis eliminare constituerunt.

Eos laudat Eugenius; ſtimuloſque iis addit in ſuſcepto conſilio ut perſtent.

Ut autem illis auxilia comparet, quo feliciùs poſſint ſuperare hoſtes, omnes Chriſti-fideles hortatur, ut Albanenſibus auxilium dent.

Dantibus pecuniam, vel commeatus, armatis ad illos euntibus, milites mittentibus conſuetas indulgentias dari Cruce-ſignatis pro Terra S. elargitur.

D. Florentiæ V. Id. Sept. P. a. IV. a. D. 1434.

Albanenſes, & Raſcios Epiſcopus Albanenſis abſolvat.

V. Ad ann. 1443. §. 20. EUGENIUS IV. Epiſcopo Arbanenſi.

Inc. *Apoſtolicæ Sedis, &c.*

SIgnificavit Pontifici prædictus Epiſcopus, in urbibus, & locis in provinciis Albaniæ, & Raſciæ, quas pro magna parte Turca occuparat, quoſdam committere homicidia, etiam perſonarum Eccleſiaſticarum, facere mutilationes membrorum, ut evitarent majora mala quoſdam dare filios ſuos Turcis, quoſdam eos illis vendere, quoſdam ignoranter in tertio, quartoque affinitatis, & conſanguinitatis gradu conjunctas in uxores ducere non obtenta Apoſtolica diſpenſatione;

Has autem perſonas vel propter locorum diſtantiam, vel propter ignorantiam, vel propter egeſtatem non poſſe, vel contemnere Romam venire, ut a Pontifice abſolvantur.

Rogavit ergo ut conſuleret earum animarum ſaluti.

Ergo facultatem dat Pontifex Epiſcopo abſolvendi a cenſuris hujuſmodi homines, & cum illis diſpenſandi ſuper impedimentis matrimonialibus.

Hæc autem facultas per biennium valere debet.

D. Senis Non. Apr. P. a. XIII. a. D. 1443.

„ Hoc anno Georgius Scanderbeghus Albanenſium „ princeps qui anno ſuperiore e Turcarum cuſtodia fue„ rat elapſus præclaram e Turcis retulit victoriam. „ Aliam inſignem retulit victoriam an. 1448. Ducem „ enim exercitus cepit.

Diſcordiæ inter Georgium, & nobiles ſedentur.

VI. Ad ann. 1452. §. 19. NICOLAUS V. Epiſcopo Drimaſtenſi, A. S. N.

Inc. *Intelleximus gravia, &c.*

RElatum fuerat Pontifici de diſcordiis graviſſimis quæ erant inter Georgium Scanderbeghum Epiri principem hinc, & Paulum, ac Nicolaum Ducagninos in Albania dominos inde.

Verens itaque ne hujuſmodi rixæ erumperent in bellum, unde occaſionem caperet Turca novam regionem invadendi, occupandique, mandat præfato Epiſcopo,

Ut omnibus privatis reſpectibus rejectis ſolum Dei honorem præ oculis habeus, ſe conferat ad dictos dominos, & omni diligentia curet pacem inter eos componere.

D. Romæ apud S. Petrum XIII. Cal. Aug. P. a. VI. a. D 1452.

Scanderbeggus commendatur, auxiliaque illi promittuntur.

VII. Ad ann. 1454. §. 21. CALLIXTUS III. Scanderbeggo Albaniæ domino.

Inc. *Binis litteris, &c.*

STatuerat Mahumetus Scanderbeggum prorſus opprimere. Quare magnas collegit copias quas in eum moveret.

Princeps Pontificem de hoc Turcico apparatu certiorem fecit, & ab illo auxilia poposcit.

Callixtus commendat initio ſtatim Principem de Religione Catholica ita benemeritum, præter famam nominis immortalem quam ſibi comparat, etiam meritum ſummum apud Deum ſibi conciliat.

Ne cadat igitur animis, experietur in eo quoque bello divinum auxilium, ſicut expertus fuit in aliis. Ne terreatur Turcæ minis; jam ejus potentia maximo fuit percuſſa ictu in Hungaria, ubi florem ſui exercitus amiſit, collectitius miles eſt, quem contra illum duxet, rei militaris prorſus ignarus.

Quamprimum ad illum mittet *optime inſtructam, atque armatam galeam, & ſubinde mittere nonnullas alias procurabit.*

D. Romæ apud S. Petrum Die IX. Junii P. a. III. a. D. 1457.

Auxilium pecuniarium ad Principem mittitur.

CALLIXTUS III. Georgio, &c. VIII. Ib. §. 25.

Inc. *Maximum certe, &c.*

PUlſus intra caſtra a Turcis fuerat Scanderbeghus. Tanta erat eorum multitudo, ut licet plura eorum millia occidiſſet, tamen bene multos e ſuis militibus amiſerit, & referre pedem in caſtra coactus fuerit.

De hoc graviſſimo diſcrimine admonitus non potuit non dolere maximopere, doloremque ſuum eidem ſignificat Papa; *jubet tamen illum bene ſperare; non* permittet ſiquidem Deus propugnatorem tam ſtrenuum ſuæ Eccleſiæ hoſtibus ſuccumbere.

Mittit ad illum partem auri, *ad quod animos adhibuerant Hungariæ, & Boſniæ reges*, collecti ex decimis beneficiorum Ragulii, & per Dalmatiam.

Sit conſtanti animo; ſtrenuitas, & magnanimitas ipſa proſternet Turcas.

Pauliſper reſiſtat; ſe ſcripſiſſe, ait, Legato ſuo ut cum claſſe maritima ad eas oras appellat, illique ſubſidium ferat.

Jam principes Orientales & occidentale fœdus in Turcas inierunt; *terra marique confluent ad eam peſtem exterminandam.*

D. Romæ apud S. Petrum Die XI. Sept. P. a. III. a. D. 1457,

„ Erumpens poſtea Princeps Turcas ingenti clade „ devicit; quidam tamen Epirotæ principes ad Tur„ cas defecere; etiam Epiſcopus Crojenſis defecit ad „ Turcas; nepoſque principis in patruum conjuravit. „ Aliquot Inſulas Claſſis Pontificia recuperavit hoc „ anno e Turcis.

Aliud pecuniarium ſubſidium mittitur ad Principem.

CALLIXTUS III. Georgio, &c. IX. Ad ann. 1458. §. 14.

Inc. *Fuerunt apud nos, &c.*

ORatores principis ſe recepiſſe ſignificat Callixtus Georgio;

Se affectum fuiſſe magno dolore ex vaſtatione ejus provinciæ a Turcis facta, & ſimul lætitia e ſignificatione ejus fortitudinis,

Eum, ut par eſt, laudat, velletque plures principes hujuſcemodi eſſe in Chriſtiana Rep. Tunc enimvero Turcæ delerentur penitus.

Ad eandem ſervandam conſtantiam hortatur illum.

Subventionem quinque millium florenorum de camera ad illum mittit, ſperatque fore ut propediem majorem ſummam mittere poſſit;

Illi ſignificat, aliquot ex excitatis Catholicis principibus jam arma ſumpſiſſe.

Fidat ergo Domino, conſtantique ſit animo,

D. Romæ apud S. Petrum Die VI. Febr. P. a. IV. a. D. 1458.

Laudatur conſilium principis auxiliari Regi Ferdinando volentis.

PIUS II. Scanderbegho, &c. X. Ad ann. 1460. §. 6.

Inc. *Veniens ad nos, &c.*

BElligerabant inter ſe in regno Neapolitano Galliæ. Hiſpaniarumque Reges.

Scanderbeghus munere fidelis ſubditi fungens volens volebat auxilium Ferdinando Hiſpaniæ regi ferre. Sed cum non poſſet tuto e regno ſuo abeſſe neceſſum habebat cum Turca paciſci, aut ſupplicare Pontifici, ut abſentiæ tempore legatum in Albaniam mitteret, qui illam a Turcarum aggreſſionibus defenderet.

Reſpondet Pontifex, quem Princeps conſuluerat, ſe non poſſe illi conſulere, ut paciſcatur cum Turca fidei hoſte; eſſe Venetos non procul inde cum ſua claſſe bene armata, inſtructaque, eos interea temporis poſſe illam defendere.

Fer-

Ferdinando fore id gratiſſimum, & non poſſe fidem hanc non magnopere commendare, & præmio afficere.

D. XXIX. Junii P. a. II. a. D. 1460.

In Turcarum fautores contra Scanderbeghum cenſuræ jaciantur.

XI. Ib. §. 103. PIUS II. Duracenſi, & Antibarenſi Archiepiſcopis.

Inc. *Nuper non ſine, &c.*

LEcas Ducagninus, & Fratres Polacenſes *majores in Albania Domini* Chriſtianæ fidei, quam profeſſi ſunt, obliti, fidelitatis in Dominum ſuum Georgium Scanderbeghum obliti fœdus cum Turcis pepigerant, tranſitum iis dederant, commeatu, auxilioque eos juvabant, Venetiſque furto Caſtrum Daginem ſurripuerant.

Cum hujuſmodi fœdus ſit maximo Reip. Chriſtianæ detrimento, cum ſit exemplo peſſimo omnibus ſubditis, mandat Pius prædictis Archiepiſcopis, ut

Lecæ, & Fratribus Polacenſibus indicant, ut infra quindecim dies a fœdere cum Turca recedant, ſeque Georgio domino ſuo ſubjiciant; niſi id fecerint eos, eorumque complices excommunicent, loca eorum interdicto ſupponant, ſolvant populos eiſdem ſubditos a fidelitate, &c. N. O.

Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

D. Senis IV. Id. Febr. P. a. II. a. D. 1460.

DE REGIONIBUS IN AFRICA.

Reſpondetur Regi Mauritaniæ Sitifenſis provinciæ.

I. Ex Baron. ad ann. 1076. §. LXX. GREGORIUS VII. Auzir Regi, &c.

Inc. *Nobilitas tua, &c.*

MIſerat Rex ad Pontificem Servandum ut Epiſcopum ſecundum Chriſtianam conſtitutionem ordinaret.

Reſpondet Pontifex, quia regis petitio juſta erat, ſe id facere ſtuduiſſe.

Miſerat Rex ad Gregorium munera, & Chriſtianos, quos tenebat captivos, *reverentia B. Petri, & amore* Gregorii dimiſerat.

Ei gratias agit Gregorius, & hanc mentem a Deo eſſe illi inſpiratam dicit. Nam licet & Rex, & Gregorius diverſo modo Deum colant, tamen uterque eum auctorem boni, & remuneratorem credit; præterea uterque illud præceptum commune habet, quod tibi fieri vis, alteri feceris.

Plures Romanorum hanc bonitatem regis audientes eum laudarunt. Immo duo familiares Pontificis ad regem mittunt e ſuis quoſdam, ut explorent ejus voluntatem, quid fieri velit in his terris Europæ pro ſe. Eos illi commendat.

Atque ut ipſe Deus in ſignum beatitudinis Sanctiſſimi Patriarchæ Abrahæ poſt hujus vitæ ſpatia illum perducat corde, & ore rogat Gregorius.

D. Romæ P. a. IV. a. D. 1076.

DE BABYLONIA, ÆGYPTOQUE.

Miſſio Nuntii ad Sultanum, &c.

II. Ex Rayn. ad ann. 1429. §. 21. MARTINUS V. Proſperlaſſerat Babyloniæ Ægyptique Soldano.

Inc. *Multa jam dudum, &c.*

CUm multi Chriſtiani captivi eſſent, Martinus rogat Soldanum, ut eos benigne tractet,

Ut benignitate etiam clareſcat, ſicut claret præſtantia rerum geſtarum.

Faciet id in obſequium Dei, quem enixe Pontifex orabit, ut illum illuminet, & ad veritatis lumen perducat.

Mittit ad illum Fratrem Minoritam, latorem harum, quem humaniter excipiat.

D. Ferentini X. Cal. Sept. P. a. XII. a. D. 1429.

Miſſus fuerat cum magna auri vi hic Frater, ut eos Chriſtianos captivos liberaret.

Sollicitantur ad defectionem quidam maritimi principes Soldano ſubditi.

III. Ad ann. 1457. §. 69. CALLISTUS III. Nobilibus viris Deruſorum, Macademis, aliiſque ducibus per loca maritima Soldani commorantibus.

Inc. *Omnibus gentibus, &c.*

COgitanti Eugenio IV. Terram S. recuperare ex infidelium manibus, neque per ſe aptitum virium

habenti ad hoc opus conficiendum, implorantique principum auxilia prædicti principes operam ſuam fuerant polliciti.

Mors Eugenii conſilium reſcidit; quod renovare cupiit Callixtus.

Excitatis igitur principibus ad opem ferendam Eccleſiæ, cum ipſe jam ejuſdem Eccleſiæ ſumptibus claſſem pararit, ad prædictos nobiles confugit, quos putat in eodem conſtare propoſito; eoſque his argumentis excitare ſtudet;

I. Sæpe Soldanus in eorum dominiis eos *vexat; non debent igitur* dubitare adverſus communem inimicum vires ſuas cum Eccleſiæ viribus conjungere.

II. Conjuncti cum Eccleſia utpote validiores effecti Soldanum ſuperabunt;

III. *Summam militiæ laudem inter alias eſſe perhibent, quæ ab inferentibus propulſat injuriam, ſumma militiæ merita ab occupatoribus vindicare, quæ illicite ſunt occupata,*

IV. *Fortitudo quæ patriam tuetur juſtitia eſt.*

Jam Soldanus eos affligit, Terram S. injuſte detinet. Ergo, &c.

Pontifex claſſem paravit, & in dies ſingulos fortiorem facit, inſtructioremque; ſi idem, qui fuerat, eſt iis animus, colloquantur cum Moiſe Archidiacono Antiocheno; *cui fidem præſtent indubiam.*

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1457.

Litteris Soldani reſpondet Pius.

IV. Ad annos 1460. §. 55. PIUS II. Cultor Dei omnipotentis, & alumnus Jeſu Chriſti.

Inc. *Si deſiderat, &c.*

„ SOldanus Ægypti, & Babyloniorum erat Apoſtata „ a religione Chriſtiana: auxilio fuerat Jacobo fi„ lio notho Joannis regis Cypri in occupando regno „ illo, Gallis fuſis. Hac victoria elatus Barbarus te„ merarias litteras, injurioſaſque Pio ſcripſit, illi reſ„ pondet Pius. „

Quicumque ſalvari deſiderat, in unigenitum Dei Filium hominem factum, paſſum, ſepultumque, judicemque hominum futurum credere debet.

Soldanus vero ab hac fide alienus æternam damnationem debet timere.

Injurias, quas ipſe ſcripſit, ſilentio præterit, ne videatur iis pondus addere, & fuiſſe iis tactus, ſi ſuper iis reſponderet.

Ne ſe erigat in ſuperbiam ex obtenta victoria; exitum Goliæ, qui Davidis Deo maledixerat, pertimeſcat. Ne fidat ſuis copiis; quas, ſicut ventus pulverem, Deus diſſipare poteſt.

Etiamſi majorem victoriam e Chriſtianis obtinuiſſet, ſemper Chriſtiani victores dicendi erunt, cum per illatam mortem regnum Dei acquiſiverunt. Non debet Soldanus ignorare, Chriſtianos eſſe ſemen ſanguinis martyrum.

Quoniam Ægyptum regit, proponat ſibi ante oculos Antiochi exemplum, qui erat Ægypti Rex. Devicta Hebræa gente, ſe felicitimum dicebat; cum gravatam ſuper ſe manum Dei ſenſit, & inter acerrimos cruciatus effata impia anima in infera detruſus fuit æternum cruciandus.

Ne comparet Christianos cum *pugillo, & gutta roris*, Parent Crucifixo & plura, & amplissima regna, Gallia, Hispania, Anglia, Germania, Italia &c. propagaturque in dies singulos Christiana Religio.

Aperiat veritati mentem, lucique ita enicanti oculos, neque in idololatria velit obstinatus persistere.

D. Senis in aula Episcopali V. Cal. Junii P. a. II. a. D. 1460.

Quid Rex Aragonum Mauris vetuerit in Hispaniis.

V. Ad ann. 1483.§.55. SIXTUS IV. Magno Soldano Babyloniæ,

Inc. *Acceptis litteris, &c.*

QUestus Soldanus apud Pontificem fuerat, Regem Aragonum Ferdinandum Maurorum in Hispaniis existentium templa e fundamentis disjici jussisse; eumque rogabat, ut eumdem Ferdinandum rogaret, ut permitteret illa reædificari.

Respondet Soldano Pontifex, relata ad Soldanum falsa omnino esse; ita se rem habere; cum prælatas turres prope suas Meschitas Mauri erexissent præter morem, & ex iis turribus elatissima voce Mahumetem invocarent, jussisse Regem Mauris turres illas demoliri, eosque antiquos ritus sequi; fierique solitam invocationem *nonnisi cum voce tubæ corneæ fieri juxta vetus institutum*;

Eodem modo agere Soldanum cum Christianis in suis ditionibus morantibus, quibus inhibet Campanilia erigere, & Campanas pulsari.

Ne igitur in sui contemptum a Rege id factum credat, neque fidem temere mendaciis, rumoribusque vulgi præstet.

Illi commendat Christianos in ejus provinciis degentes.

D. Romæ apud S. Petrum die VIII. Apr. P. a. XII. a. D. 1483.

Soldano promittuntur auxilia.

VI. Ad ann. 1524.§.76. CLEMENS VII. Achmas Beg Soldano.

Inc. *Magnam lætitiam, &c.*

„ REbellarat a Turcarum Domino Solymano Achmatus, quia in obsidione Rhodii mortem illi „ minitatus fuerat, atque Alcairum in defectionem tra„ xerat, & Mamalucorum, Christianorumque præsidiis „ fultus bellum Turco indixerat. „

De hoc eventu lætatur maximopere Clemens, & Achmatem laudat, a quo licet alienetur fide, tamen non potest non eum valde amare, quia uterque depressum vult Turcarum Tyrannum.

Illi Christianorum principum pollicetur subsidia, quos sperat ad concordiam pertrahere posse.

Ne ergo ab hoc proposito deficiat, cum videat se in eum conjecisse statum, ut non possit sine armis salvus esse.

Deum rogat, ut sicut Achmas motus fuit ad persequendum communem hostem, ita Deum Patrem communem omnium agnoscat.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Id. Octob. P. a. II. a. D. 1524.

DE ECCLESIA MARROCHITANA.

Episcopus præficitur huic Ecclesiæ.

VII. Ex Rayn. ad ann. 1237.§.28. GREGORIUS IX. Christi fidelibus, &c.

Inc. *Lætamur quod, &c.*

GAudium suum significat universis Christifidelibus Gregorius, quod tenebræ e regno Marrochitano sint piorum virorum (FF. MM. Ord. S. Francisci præcipue) sudoribus dissipatæ.

Jam terra illa, quæ fuit hactenus synagoga malignantium, conversa est in sponsam Christi; Babylon illa errorum plena, erroribus abjuratis, veritatem agnovit, & profitetur.

Quia vero rursus possent errores irrepere in illam, nisi bonus pastor præficeretur, pastorem illi præficit Gregorius, *quem ad ejus Ecclesiæ consecravit titulum*, (nomen Episcopi non apponit.)

Eum ut doctum, pium, probumque laudat.

Eumque hortatur, ut Episcopalia munia qua solet prudentia, & sedulitate exerceat.

D. Viterbii II. Id. Junii P. a. XI. a. D. 1237.

Marrochitanus Episcopus fit Legatus A. per totam Africam.

ALEXANDER IV. Christifidelibus per Africam constitutis. VIII. Alex lib. I. ep. 239.

Inc. *Summi Dei, &c.*

LUpus strenuissimus Episcopus jam facultates plurimas habebat a S. Sede, ut adversus Africæ Mahumetanos posset accendere populos.

Ut autem rem Christianam in regnis Africæ posset erigere, Legatum A. deputarat eumdem, quibus dederat solitas Legatorum facultates Alexander.

Id significat his in litteris universis Christifidelibus in Africa constitutis: *ipsum in Africam universam ad cultum divini numinis ampliandam, commisso plenæ legationis officio, ut juxta datam sibi a Deo prudentiam evellat, & dissipet, ædificet, & plantet, providimus de fratrum nostrorum consilio deputandum.*

Fideles ergo monet, ut illi pareant, eum obsequio prosequantur, & quæ iis consuluerit, prædicaveritque peragant.

D. Neapoli Id. Maji P. a. I. a. D. 1255.

Rodericus Minorita fit Episcopus Marrochitanus, & Legatus A. in Africa.

NICOLAUS IV. Baronibus, proceribus, militibus, ceteristque Christianis in Marrochitani, Tunisii, & Tremisii regum servitio constitutis. IX. Ad ann. 1290.§.48.

Inc. *Etsi omnes, &c.*

UBique necessaria est Episcoporum opera, sed in iis regionibus præcipue, in quibus Christiani viyunt inter infideles, ne eorum exemplis corrumpantur, ne a recta fide deficiant.

Ut igitur Christianis in supradictis regionibus consulat Nicolaus, Marrochitanum Episcopum F. Fridericum ex ordine Minoritarum creat.

Vir erat ille pietate, & doctrina inclitus, plura passus fuerat in verbi Dei prædicatione, &c.

Eum etiam Legatum Sedis A. in iis regionibus deputat.

Nobiles, &c. hortatur Pontifex, ut illi tamquam parenti, & Pastori animarum suarum obedientiam præstent, & obsequium, illique auxilium præbeant.

D. Romæ apud S. M. Maj. V. Id. Febr. P. a. II. a. D. 1290.

Fratres Prædicantes in regno Marrochitano non tenentur gestare habitum ordinis.

HONORIUS III. FF. Prædicatoribus, & Minoribus in regno Marrochitano. X. B.R. t. 3. p. 1. p. 244. C.C.

Inc. *Ex parte, &c.*

SCrupulus angebat prædictos Fratres, qui erant in præfato regno ut verbum Dei prædicarent, vel redimerent e captivitate fideles ibidem detentos, ne in crimen Apostasiæ lapsi censerentur, vel haberentur transgressores suarum regularum. Habitum enim ordinis non gestabant, non barbam, comam nutriebant, & nummos habebant.

Ut ab hoc scrupulo liberarentur, confugerunt ad Pontificem.

Honorius, videns utilitatem magnam, quæ redundabat in Catholicam fidem ex iis Fratribus ibidem prædicantibus, præterea considerans, si habitum ordinis gestarent, eos vitæ gravissimum periculum amittendæ incurrere,

Derogat in his, nempe in gestatione habitus, barbæ tonsura, & pecuniæ usu regulis,

Eosque liberat a crimine Apostasiæ.

D. Later. XVI. Cal. Apr. P. a. X. a. D. 1226.

Abda-

Abdalas excitatur ad suscipiendam Catholicam fidem.

INNOCENTIUS VI. Abdalæ Regi montium clarorum.

XI. Ad ann. 1354.§.23. Inc. *Ex carissimis, &c.*

„ MAurus erat Abdalas, agitaveratque consilium „ cum Alphonso Castellæ, & Legionis rege „ amplectendi Christianam fidem; ac deinde in pia „ suscepta sententia constans missis oratoribus datoque „ filio suo obside Petrum regem ad sacram expeditio„ nem suscipiendam incitaverat. „

De his omnibus certiorem Rex Petrus fecit Innocentium; cui hæc significavit ipse Abdalas per litteras, quas attulit ad Pontificem Didacus Garsiæ socius Ecclesiæ Hispalensis.

Laudat Pontifex Abdalæ consilium, illique gratulatur, quod divino lumini obsecundare constituerit.

Pergat porro Rex, & quod animo concepit tandem parturiat. Grata Deo est voluntas, sed opera multo longe sunt illi gratiora.

Quæ laus illum manet? prudentissimus habebitur ab omnibus. Sicut enim prudentiæ laudem is sibi conciliat, qui tutiora consilia in Reip. regimine sequitur, ita ille cum saluti animæ suæ provideat, merito dicendus erit prudentissimus.

Tum ob oculos illi ponit præmia ingentia, quibus a Deo afficietur eo quod tot animas ad illum adduxerit.

D. Aven. VIII. Cal. Apr. P. a. II. a. D. 1354.

Objurgatur Tripolitanus Comes ob injurias illatas Tripolitano Episcopo.

XII. Ex Rayn. ad ann. 1279.§.49. NICOLAUS III. Boamundo Tripol. Comiti.

Inc. *Ad audientiam, &c.*

BOamundus juvenis correctionem Episcopi sui perferre non valens Episcopum, qui erat domi suæ, congregato exercitu Saracenorum, & Christianorum, & admotis machinis obsedit, eumque ex illa ejecit, & irruptione in domum facta, eam diripuit, Reliquias partim confregere Saraceni, partim asportarunt, blasphemiis, terrore, & sanguine eam fœdantes.

Familiam etiam est insequutus, clientes Episcopi vexavit.

Episcopus ipsum, ejusque fautores, complices, consiliarios excommunicavit, & civitatem interdixit.

Neque his contentus Boamundus, non permittit Græcos redire ad unitatem fidei; Iralos eosque, quorum opera usus fuerat ejus Pater Princeps Antiochenus, persequebatur, & injuriis afficiebat; quosdam levibus de causis occidi fecerat.

Ecclesiasticos in carcere detinebat, Ecclesias spoliabat, vim inferebat Monialibus; eaque patrabat, quæ Saracenis ipsis horrorem incutiebant.

In Templariorum, Hospitaliorumque domos, bona impetum faciebat.

Eum objurgat acerrime Pontifex;

Quia in illa terra hæc facit, in qua utpote nomine Christianus deberet optime vivere,

Quia indiget auxilio Ecclesiæ, cum undique sit circumseptus hostibus, tamen eam lædit,

Quia potest ab Ecclesia detrimenta plura accipere.

Exemplum capiat a tot regibus, & principibus, qui longe potentiores illo hostes Dei facti regna amisere, vixeruntque miserrimi;

Exempla domestica eum cautum faciant. Ejus majores imperitabant Antiochiæ; Eo principatu illius pater exutus fuit, illique nudus principatus titulus supererat.

Ne putet, quia longinquus est, manum Pontificis non posse eum apprehendere.

Removeat a se malos consiliarios, bonosque audiat,

Intra octo menses reparet damna illata Ecclesiis, familiæ Episcopi, Templariis. &c.

Nisi id fecerit Templarios, Hospitalariosque, & Catholicos principes in eum armabit.

Dat. Romæ apud S. Petrum Cal. Junii P. a. II. a. D. 1279.

De capta urbe Tripoli.

NICOLAUS IV. Episcopo Tripolitano. XIII. Ex Rayn. ad ann. 1289.§.66.

Inc. *Egressus de partibus, &c.*

SOldanus Melech Mescor Babylonis grave bellum dedit civitati Tripoli, & turrim Episcopi, quæ magnos habebat muros usque ad mediatatem machinis diruit. Sustinuerant Christiani usque ad nonam. Postea Saraceni, qui quasi per totum occupaverant muros, pedites cuneis cœperunt usque ad mare se retrahere; & tandem equites non valentes ictus lapidum sustinere, occisi gladio, aut submersi usque ad septem millia æstimati: multi navigiis sunt salvati. Captam autem civitatem Soldanus jussit dirui, & cremari; & post paucos dies pro paucis captis recepit, ac diruit Castrum Nephy, & mandavit civitatem ædificari in loco vocato mons Peregrinus. Ita Jordanus apud Rayn. ib. §. 65.

Ad dedecus hoc abluendum, ad reparandam jacturam hanc gravissimam Christianæ Reip. mandat eidem Episcopo Nicolaus,

Ut *prædicationem Crucis in Sclavonia, & Marchia Tarvisina partibus, ac in Venetiarum, & Ferrariensi civitatibus, ac earum, & Marchiæ Anconitanæ ripariis contra Saracenos* fieri faciat;

Solitas indulgentias nomine Pontificis concessas sumentibus arma significet.

D. Reate Cal. Sept. P. a. II. a. D. 1289.

Capta Tripolis fuit die XXVII. Aprilis.

Ipse quoque Pontifex Bulla sua cruciatam in Soldanum Babyloniæ indixit. Extat apud Rayn. ad a. 1290. §. 2.

DE ECCLESIIS IN PARTIBUS INFIDELIUM.

Ecclesiæ Lumensi Episcopus præficitur.

I. Ex Rayn. ad ann. 1551.§.81. JULIUS III. Comiti Gregorio Lumensi, & Comiti Paulo Volchonith, eorumque natis civitatis Lumensis, ac universo populo.

Inc. *In summo, &c.*

LUmensis populus misit ad Julium F. Danielem Ord. MM. S. Francisci, qui illi significaret, se undequaque infidelibus, hæreticisque circumsideri, multos etiam hæreticos in eam regionem venire, conarique corrumpere Catholicam religionem, & sub principis infidelis jugo se gemere.

Necessarium proinde esse mitti ad se Episcopum, a quo confirmentur fideles in fide, & volentes ab ea deficere retineantur; optimumque patrem futurum præfatum P. Danielem.

Primum quidem Pontifex eorum sortis se misereri scribit, qui sub hujusmodi principe vivant,

Tum se designasse in Episcopum prædictum F. Danielem;

Demum eos hortatur, ut fortes in fide perstent. Fidant Domino, a quo liberabuntur; sciant ita Deum homines consuesse tentare, ut videat, an fideles sint; plures alios in majoribus angustiis fuisse versatos, tandemque a Deo vindicatos fuisse in libertatem; illud sibi persuadeant, levé esse quidquid hic toleratur præ gloria illa, quæ patientia comparatur, & constantia.

Pollicetur illis, se pro iis facturum quidquid solatio, levaminique iis esse posse videbit.

D. Romæ apud S. Petrum die XXIV. Dec. P. a. II. a. D. 1551.

Tunen-

Tinnenſes in ſua inſula poſſint accipere Jubilæum Anni Sancti.

II. B.R. t.5. p. 5. p. 592. C.C. URBANUS VIII. Univerſis Chriſti fidelibus in Tinnenſi inſula,

Inc. *Salvator noſter*, &c.

ET ob magnam longinquitatem, & ob aſia legitima impedimenta non poterant inſulani Tinnenſes Romam accedere ad lucrandas Anni Sancti indulgentias.

Urbanus, ne tanti theſauri ſint expertes, iis injungit, ut per quindecim dies continuos, vel interpolatos juxta placitum Epiſcopi viſitent Eccleſias deputandas ab Epiſcopo, jejunium ſervent tribus diebus, communionem faciant, præmiſſa confeſſione, & vult, eos lucrari eaſdem indulgentias, non ſecus ac ſi Romam veniſſent.

Epiſcopo dat auctoritatem imminuendi numerum dierum viſitationis,

Confeſſariis impartitur ſolitas facultates,

Per duos menſes a die publicationis ibidem hæ literæ valere debeant.

D. Romæ apud S. Petrum die IV. Mart. P. a. II. a. D. 1625.

Committitur Nuntio apud Imperatorem faciendi proceſſus contra Epiſcopum Tinnenſem facultas.

III. B.R. t.6. p. 2. p. 140. C.C. INNOCENTIUS X. Nuntio A. apud Imperatorem,

Inc. *Cum ſicut*, &c.

ACcuſatus fuerat Georgius de Boſna Ord. FF. MM. de Obſervantia S. Franciſci Epiſcopus Tinnenſis monetam falſam cudere.

Quamobrem mandat Nuntio A. apud Imperatorem Innocentius, ut contra eum, & ejus ſocios inquirat, proceſſumque faciat, *inventiſque legitimis indiciis* eum vel in aliquem ordinis conventum, vel alium in locum tutum detrudat, proceſſumque confectum Romam mittat. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXIII. Mart. P. a. III. a. D. 1647.

Præcipitur Epiſcopo Chienſi informatio ſuper exceſſibus Archiepiſcopi Naxienſis.

IV. B.R. t.6. p. 4. p. 15. C.C. ALEXANDER VII. Epiſcopo Chienſi,

Inc. *Pervenit ad aures*, &c.

VAria magna crimina ab Archiepiſcopo Naxienſi perpetrata fuerant in ſcandalum gravem & Fidelium, & Græcorum Schiſmaticorum, & Turcarum in illa inſula ſimul degentium.

Delata fuit Romam relatio ad Alexandrum,

Qui ideo motus fuit ad demandandam Archiepiſcopo Chienſi provinciam proceſſus ſuper his exceſſibus ſecreto faciendi;

Quos confectos juridice Romam mittat.

Opportunas facultates ei dat, citandi teſtes, &c. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XV. Junii P. a. I. a. D. 1655.

Dotatio Eccleſiæ Babylonienſis.

V. B.R. t.6. p. 2. p. 143. C.C. URBANUS VIII. ad p. r. m.

Inc. *Super univerſas*, &c.

QUædam mulier natione Galla Romam miſit *ſex millia duplarum Hiſpaniarum*, ut dotaretur aliqua Eccleſia in partibus infidelium ad arbitrium Pontificis.

Urbanus de conſilio Cardinalium dotat Eccleſiam Babylonienſem, ad quam pro hac prima vice nominabit ipſa mulier, deinde Pontifex pro tempore.

Vult, pecuniam hanc collocari in tot locis montium, fructuſque eſſe dotem hujus Eccleſiæ.

Epiſcopatus Babylonienſis, & Epiſcopus pro tempore ſubjiciuntur Congregationi de Propaganda. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die IV. Junii P. a. XV. a. D. 1635.

Dotatio Eccleſiæ Porphirienſis.

URBANUS VIII. ad p. r. m. VI. Ib. p. 409.

Inc. *Super univerſas*, &c.

QUædam piæ perſonæ nomine Clementis del Pezzo Presbyteri Congregationis Cler. RR. Theatinorum ſex millia ſcuta monetæ Romanæ inveſtiverunt ſuper locis montium, ut ex eorum reditu dotaretur aliqua Eccleſia Cathedralis in partibus Infidelium ad placitum Pontificis.

Eligit Urbanus Eccleſiam Porphirienſem, de qua proviſo Epiſcopo dabuntur præfati fructus.

Hujus autem Eccleſiæ proviſionem ſibi, & ſucceſſoribus ſuis Urbanus reſervat. N. O.

Dat. Romæ apud S. Petrum die XVI. Febr. P. a. XXI. a. D. 1644.

Epiſcopus Scutarenſis deputatur adminiſtrator trium Eccleſiarum in partibus Infidelium.

INNOCENTIUS X. Epiſcopo Scutarenſi, VII. B.R. t.6. p. 3. p. 35. C.C.

Inc. *Indemnitati Eccleſiarum*, &c.

FRetus Innocentius probitate, & prudentia Scutarenſis Epiſcopi illi demandat adminiſtrationem Eccleſiarum Dulcini, Sfaciæ, & Drivaſtenſis in partibus Infidelium,

Cui proinde dat facultates citandi, corrigendi, &c. in ſpiritualibus, in temporalibus, & coercendi per cenſuras inobedientes. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die X. Mar. P. a. I. a. D. 1645.

Epiſcopo Thermiæ datur adminiſtratio duarum Eccleſiarum in partibus Infidelium.

INNOCENTIUS X. Epiſcopo Thermiæ. VIII. Ib. C.C.

Inc. *Indemnitati Eccleſiarum*, &c.

ECcleſiæ Syphri, & Zeæ in partibus infidelium dantur ab Innocentio adminiſtrandæ Epiſcopo Thermiæ, & quia hæ Eccleſiæ ſunt vicinæ, & quia probitate, & prudentia polleт Epiſcopus.

Dantur proinde illi neceſſariæ ad hanc adminiſtrationem facultates. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XII. Mart. P. a. I. a. D. 1645.

Antibarenſis Archiepiſcopus fit adminiſtrator Eccleſiarum in Regno Serviæ.

INNOCENTIUS X. Archiepiſcopo Antibarenſi, IX. Ib. p. 26. C. C.

Inc. *Indemnitati Eccleſiarum*, &c.

ADminiſtratorem Eccleſiarum, quæ ſunt in Regno Serviæ in partibus Infidelium deputat Innocentius Antibarenſem Archiepiſcopum, eo quod non valde diſtat ab iis Eccleſiis, & quia zelo, pietate, & prudentia eſt præditus.

Annectit facultates ad id neceſſarias pro regimine, & in ſpiritualibus, & in temporalibus. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XIX. Mar. P. a. I. a. D. 1614.

Epiſcopus Cherſonenſis declaratur adminiſtrator quarumdam Eccleſiarum in Infidelium partibus.

INNOCENTIUS X. Epiſcopo Cherſonenſi. X. Ib. p. 174. C. C.

Inc. *Indemnitati Eccleſiarum*, &c.

VOlens Pontifex conſulere Eccleſiis exiſtentibus in utraque Circaſſia, & in Mengrelia, eas dat in adminiſtrationem Epiſcopo Cherſonenſi in Tartaria, cui proinde impartitur facultates opportunas;

Mandatque Catholicis Laicis, & Clericis, ut illi Epiſcopo pareant. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die XXII. Mar. P. a. I. a. D. 1645.

R. gu-

Regulares in partibus Infidelium ſubſint in iis, quæ ſpectant ad animarum curam; Archiepiſcopo Sardicenſi, & Sophienſi, & Epiſcopo Boſnenſi.

XI. B.R. t.6. p. 5. p. 114. C.C. ALEXANDER VII. ad p. r. m.

Inc. *Alias emanavit*, &c.

NE oriantur dubia, ad quæ extendatur Ordinariorum juriſdictio ſuper Regulares, qui ſupplent vices Sacerdotum ſæcularium in partibus Infidelium, hæc decernit Congregatio de Propaganda,

I. In iis, quæ ſpectant ad animarum curam omnimode ſubſint juriſdictioni Archiepiſcopi Sophienſis, & Epiſcopi Boſnenſis reſpective,

II. Archiepiſcopus, & Epiſcopus poſſint alios eorum regularium removere, & ſubſtituere alios,

III. Debeant habentes animarum curam intra Miſſarum ſolemnia rudimenta fidei docere diebus dominicis, convenire ad Synodum, accedere ad congregationes caſuum conſcientiæ, &c.

IV. Sub pœnis &c. in dubiis circa matrimonia ne agant quicquam inconſultis Epiſcopis;

V. Archiepiſcopus, & Epiſcopus poſſint viſitare Eccleſias, Sacriſtias, ſcire onera Miſſarum, legata &c.

VI. Et regulares debeant Archiepiſcopo, & Epiſcopo reſpective, & famulo, & alteri Sacerdoti commodare de habitatione, quam ipſi incolunt, in viſitatione;

VII. Liceat Archiepiſcopo, & Epiſcopo in ſuis Diœceſibus quemnam ex Fratribus voluerint eligere in Vicarium,

VIII. Cum autem Fratres vivant magna ex parte ex queſtibus Parochialibus, & ſæpe ideo a Turcis vexentur, Congregatio monet Archiepiſcopum, & Epiſcopum, ut hos Fratres paterno animo proſequantur, protegant, adjuvent.

Hæc Congregationis decreta confirmat Alexander. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVIII. Nov. P. a. VI. a. D. 1660.

Aſſignatio penſionum Epiſcopis inter Infideles.

XII. B.R. t.5. p. 1. p. 350. CLEMENS VIII. ad f. r. m. M. P.

Inc. *In Apoſtolicæ*, &c.

OB ſummam paupertatem Epiſcopi Latini Inſularum Maris Ægæi in ſuis Eccleſiis reſidere non poterant,

Aut ſi reſidebant, vilia miniſteria indigna charactere Epiſcopali, ut vitam ducerent, cogebantur exercere.

Ut eorum paupertatem ſublevet, ac proinde reſideant, neque vilia munia obeant, ſtatuit Clemens penſionem annuam duobus terminis die S. Joannis Baptiſtæ, & in Nativitate Domini ad eos mittere ex pecuniis Cameræ A. donec aliter iis provideatur.

Mandat ergo Theſaurario, & Camerario has penſiones ſolvere exemptas a quovis onere, Epiſcopo Haxi, & Adrienſi in Arcipelago ſcuta auri ducenta cuique; Epiſcopo S. Irenos ibidem totidem, Epiſcopo Bottinenſi ſcuta 100. Epiſcopo Argenti in Valachia, & Moldavia ſcuta 150. Epiſcopo Scirenſi in Arcipelago 150. N. O.

Dat. Romæ apud S. Petrum Die XXX. Apr. P. a. I. a. D. 1592.

Correctio quorumdam abuſuum in Eccleſiis in partibus Infidelium.

XIII. B.M.t.16. p. 173. BENEDICTUS XIV. Archiepiſcopis, Epiſcopis, Parochis, Clero, & populo Regni Serviæ, & regionum adjacentium.

Inc. *Inter omnigenas*, &c.

MUltos abuſus introduci in eas Eccleſias, quæ ſunt circumdatæ Infidelibus, non eſt mirum; ſed ſpectat ad Ordinarios, & Parochos irrepentes eos tollere.

Ob hanc cauſam Albanum Concilium fuit habitum a Primate regni Serviæ, & Albaniæ pro reformatione morum, & pravarum conſuetudinum Cleri, & populi earum regionum ſub Clemente XI.

Sed cum ab eo tempore novi fuerint abuſus introducti, & veteres mores plerique aboliti, Pontifex hæc addit decreta ad pravas conſuetudines tollendas funditus.

Non ita eſt diſſimulanda a Fidelibus profeſſio Catholicæ Fidei, ut Mahometiſmi ritum ſequi videantur; multi enim frequentant Moſcheas, profanant jejunia eſu carnium, & alia ejuſmodi patrant, ut credantur Turcæ; multo vero minus licet fingere Mahometiſmum, ſi interrogentur in judicio.

Corrigendus eſt abuſus quorundam, qui volunt ſepeliri in monumentis Turcarum. His & in vita, & in morte ſunt deneganda Sacramenta. Ita deneganda ſunt iis mulieribus, quæ nuptiarum nomine in contubernium Turcarum admittuntur, & ibi vitam ſpecie tenus inſtar Turcarum degunt; iis utique denuntiandum eſt ad veram fidem requiri etiam opera. Hæ mulieres tradunt filios ſuos baptizandos in mortis periculo; quos Parochus baptizet quidem, ſed matres admoneat, eos eſſe educandos in Religione Catholica;

Decreta Concilii Tridentini circa matrimonium ſpernuntur omnia, & matrimonia fiunt coram Cadi, vel etiam tacite inter ſponſum, & ſponſam. Hi admonendi ſunt ita viventes, ſe vivere in concubinatu; matrimonium rite contractum non liceat renovare more Turcico, niſi ritus ſit mere civilis; fiant denuntiationes, niſi neceſſitas urgeat, eas intermitti; quæ matrimonia non diſſolvantur, etiamſi mulier fugiat ad Turcas; arceantur a ſacramentis mulieres viventes in concubinatu cum Turcis; neque diſpenſationes concedantur iis; qui ſimulant ſe Turcas, nec iis, qui matrimonium Romano ritu inire nolunt; Parochi meminerint, ſe non habere facultatem diſpenſandi ſuper impedimento publicæ honeſtatis proveniente ex matrimonio rato, *quod alias inter alterutram partem, & alterius conſanguineum in primo gradu interceſſerit*, Obſerventur in celebratione matrimonii tempora præſcripta ab *Eccleſia*. *Si* autem Chriſtiani invitentur his vetitis temporibus ad nuptias Turcarum modeſte interſint. Etiam advertantur cognationes ſpirituales præſcriptæ a Concilio Tridentino; & cæremoniæ fiant juxta Rituale Romanum, & in dando baptiſmate, in quo adhibeatur aqua benedicta juxta ritum Romanum, pariter ſerventur.

Pro adimplendo præcepto de Communione Paſchali cum tempus fuerit ſtatutum a Dominica Palmarum uſque ad octavam Paſchæ inclusive, ſi poteſt intra id tempus communio commode fieri, fiat, ſecus fiat in quadrageſimo, vel alio tempore ad arbitrium Sacerdotis. Euchariſtia deferatur ad infirmos cum luminaribus, ſi non ſit periculum; ſecus cum ſtola ſubtus habitum, cum pyxide collo appenſa, & Clerico uno comite, vel ſaltem cum Fideli.

Denique in ſepeliendis cadaveribus reſpuantur infidelium ſuperſtitiones.

Monet in fine Ordinarios, ut Parochos admoneant Chriſtianæ fortitudinis, neque vanis terroribus concutiantur; alacres hæc juſſa adimpleant, neque ea negligendo velint innodari peccatorum laqueis.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die II. Febr. P. a. IV. a. D. 1744.

Interrogatoria facienda Epiſcopis in partibus Infidelium.

BENEDICTUS XIV. ad p. r. m. XIV. B.M.t.19. p. 264.

Inc. *Graviſſimum Apoſtolicæ*, &c.

SIcut Congregationem ſtatuit Benedictus, cujus munus eſſet inquirere qualitates promovendorum ad Epiſcopatus, ſicut etiam inſtructiones dedit, quomodo ſtatus Eccleſiarum ab Epiſcopis deſcriptiones faciendæ eſſent, ſic, ne derelinquere videatur Eccleſias poſitas in partibus infidelium, hic præſcribit formulam, juxta quam Epiſcopi debent earum ſtatus exponere, & quæ inquiri debeant de perſonis ad eas Eccleſias promovendis.

Ad Epiſcopos ergo habentes Eccleſias in Albania, Macedonia, Servia, Bulgaria, Perſide, Armenia hæc interrogatoria, quibus reſpondeant, mittuntur.

I. In qua provincia ſit civitas, cujus magnitudinis, qualitatis, frequentiæ, quot ibi ſint Catholici?

II. An ibi ſit Eccleſia, & qualis, Cathedralis, Metropo-

tropolitana, ſub qua invocatione, cujus ſtructuræ, an indigeat reparatione?

III. Si eſt Archiepiſcopalis, quos, & quales ſuffraganeos habeat; ſi Epiſcopalis, cui Metropolitæ ſubjaceat?

IV. An ibi ſit cura animarum? an in ea ſit fons Baptiſmalis, num cuſtodiatur ibi Euchariſtia?

V. Num Sacrarium ibi ſit ſufficienter inſtructum?

VI. Num in ea ſint Corpora, vel Reliquiæ inſignes Sanctorum?

VII. Num, & qualis Epiſcopi ſit habitatio?

VIII. Quales ſint redditus veri menſæ Epiſcopalis?

IX. Num aliæ ſint ibi Eccleſiæ, & quæ? num ſint Regulares ibi, num Confraternitates?

X. Quantum ſit ampla Diœceſis?

XI. Qualiter permittatur apud infideles exercitium Catholicæ Religionis?

XII. Quot ibi ſint Sacerdotes, quot indigenæ, quot advenæ?

XIII. Num ſit ibi Magiſter, qui adoleſcentes doceat?

Porro eadem interrogatoria debent fieri *ſuper ſtatu Eccleſiarum Maris Ægæi*.

Tum exponit requirenda de eo, qui promoveri debet ad aliquam ex his Eccleſiis; ſi Romæ ſint, fiant ſoliti proceſſus, ſi extra, ſaltem interrogentur duo teſtes.

1. Num cognoſcant promovendum? num ſint ejus propinqui?
2. Ubi natus ſit promovendus, a quibus parentibus?
3. Num ex legitimo matrimonio?
4. Num complerit annum trigeſimum?
5. Num ſit conſtitutus in ſacris Ordinibus?
6. Num fuerit diligens in ſacris functionibus?
7. Num ſemper Catholice ſenſerit?
8. Quos mores habeat?
9. Num ſit vir gravis?
10. Num gradum in aliqua ſcientia habeat?
11. Num exercuerit aliquod *munus Eccleſiaſticum*?
12. Num dederit aliquod *publicum ſcandalum*?
13. An eum *Epiſcopatu dignum putent*?

Poſtea *exponit* interrogatoria facienda de Epiſcopo transferendo, quæ verſantur circa prudentiam, caritatem, attentionem, & cæteras Epiſcopales virtutes in regimine Eccleſiæ.

Demum exponit inquirenda de Vicariis Apoſtolicis charactere Epiſcopali inſignitis.

Quod examen teſtium fiet coram Auditore Sanctiſſimi.

Et hæc omnia firma eſſe vult. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die XVIII. Jan. P. a. XVII. a. D. 1757.

Nomina Mahometana ne imponantur infantibus Chriſtianis.

XV. BENEDICTUS XIV. Epiſcopis, Parochis, & Miſſionariis provinciæ *Albaniæ*.

Inc. *Quod provinciale, &c.*

JAm provinciale Concilium Albanum ſtatuerat a. 1703. ne nomina Mahometana imponerentur infantibus Chriſtianis, quod approbarat Clemens XI. & laudat Benedictus.

Quia tamen audiverat, quoſdam hoc ſtatutum non ſervare, illud Pontifex renovat, jubens Epiſcopis &c. ne permittant, ut in baptiſmate aſſumantur nomina Turcica.

Si genitores velint ea imponere, licet admoniti, adhibeantur pœnæ ab eodem Concilio ſtatutæ.

Si ipſe autem ideo hæc nomina aſſumit, ne cognoſcatur Catholicus ob timorem, confugiat potius in Chriſtianorum terras, quam hoc grave mendacium patret.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die I. Aug. P. a. XIV. a. D. 1754.

Reſponſio ad dubia circa bona Eccleſiarum retenta vel ab infidelibus, vel a Chriſtianis.

XVI. BENEDICTUS XIV. ad Rev. P. Nicolaum Lercari Sacræ Congregationi de Propaganda Fide Secretarium.

Inc. *Urbem Antibarum &c.*

ANtibarum, ita dictum quod ſit Urbs in regionis, quæ Albania dicitur, parte, quæ eſt contra Barium in Apulia, ab an. 1571. eſt ſub ditione Turcica, *neque Venetis datum fuit illam recuperare magno licet virtutis conatu* an. 1648. & an. 1617. Eo translata fuit Sedes Archiepiſcopalis, quæ erat Dioceſis jamdiu jacentis, ab Alexandro II.

Archiepiſcopus cum viſitaſſet ſuam Diœceſim, & de more miſiſſet acta viſitationis ad Sacram Congregationem, duo quæſivit, ut ſciret, quomodo in poſterum ſe gereret.

I. Turcæ potiti ſunt in Albania bonis quarumdam Eccleſiarum, quæ poſtea Chriſtianis vendiderant alia, alia eiſdem colenda dederunt. Quid agendum?

II. Quidam Chriſtiani habentes domos contiguas Eccleſiis, & prædia prædiis occuparant & areas Eccleſiarum, & prædia. Quid agendum?

Congregatio de Propaganda reſpondit, ab Epiſcopo Miſſionarios, Parochos, & Confeſſarios vocandos, injungendumque iis, ut his Chriſtianis indicant, ſalva conſcientia eos detinere non poſſe, quocunque modo ad ſe pervenerint, Eccleſiarum bona; tum vocandos omnes poſſeſſores, & iis injungendam deſcriptionem omnium bonorum, ut ſciat, num ad Eccleſias ſpectarent, & permittendum prudentiæ Epiſcopi, ut utilitati Eccleſiarum conſulat.

Pontifex ipſe voluit rem examinare, & methodum agendi Epiſcopo tradere;

Jam novit quiſque quidquid in bello capitur tranſire in poteſtatem victoris, quod erat victi, modo tamen bellum ſit juſtum. Hinc res acquiſitæ bello juſto non ſunt reſtituendæ, ſed reſtituendæ acquiſitæ bello injuſto. Ita docet D. Thomas 2. 2. q. 66. a. 8. ad 1. ex hoc efficitur, ut Chriſtiani victi a Turcis in bello injuſto, nunquam tamen ad res ſuas deperditas injuſte jus ſuum amiſerint.

Hoc idem dicendum de jure Eccleſiarum in ſua bona hoc modo uſurpata, & jam ab injuſto uſurpatore divendita, ac proinde injuſte empta, & poſſeſſa injuſte.

Nam ſi bona peregrinorum, qui ſunt partes Reip. inferentis bellum, vel propulſantis, ſunt immunia ab hac captura, ut in decretali *innovamus de tregua, & de pace*, multo magis id ſentiendum eſt de bonis Eccleſiarum, præcipue cum Sacri Canones cenſuras infligant iis, qui quocumque modo Eccleſiaſtica bona retinent. Quæ huc uſque dixit Benedictus auctoritatibus Sacrorum Canonum confirmat.

Hic objici poterant duo decreta Congregationis ad quæſita Patris Longobardi Tuneti Miſſionarii. Is quæſiverat a Sacra Congregatione, num mercatores exiſtentes Tuneti ementes a Piratis illius urbis bona rapta a Chriſtianis, vel dono accepta reſtituere dominis antiquis tenerentur? reſponditque non teneri; teneri tamen, ſi pretium a dominis emptoribus reſtituatur, quod probat etiam Grotius de jure belli & pacis L. 2. c. 10. §. 9. n. 1. Ita in jure civili ſtatutum eſt de ſervo capto, & divendito, reſtituendo, ſi pretium perſolvatur. Jam non ita ſentiendum eſt de rebus immobilibus, ut in l. *ſi quis bello* §. *de re militari*, & in l. *ſi captivus* eod. t. *expulſis hoſtibus ex agris, quos ceperunt, conſtitit, dominia eorum agrorum ad priores dominos redire, nec aut publicari, aut prædæ cedere*. Ex quo videtur poſſe colligi bona immobilia occupata ab hoſtibus injuſtis vendita, aut derelicta retineri tuto non poſſe.

Id docent etiam Morales Theologi aſſerentes nec bona retineri poſſe, nec fructus percipi: inter quos tamen ſunt, qui rentur, fructus poſſe percipi, donec eos dominus bonorum repetat; alii reſpondent, bona rapta Catholicis ab hæreticis poſſe emi, & retineri, ſi voluntas adſit dominorum, ſi Pontifex aſſenſum præbeat, ſi principes inter ſe de hoc conveniant.

Tum affert Benedictus rationes P. Caroli Franciſci a Breno Ord. S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ, qui omnium optime de hac re ſcripſit, aſſerentis, probantiſque, bona Eccleſiæ recuperata ab infidelibus reſtituenda eſſe, vel tranſactiones faciendas.

Satis ergo fundata videtur opinio, bona immobilia reſtituenda eſſe ſine pretio ad differentiam bonorum mobilium.

Id ſatis ſuperque evincitur a more majorum Tribunalium quæ cenſent bona Eccleſiaſtica vix ac exierunt ab hæreticorum manibus redire ad Eccleſias. Innocentius III. pariter ita reſcribit in c. *ſæpe, de reſtitutione ſpoliorum*.

Quod ſi hæc locum habent in bonorum Eccleſiaſticorum

corum emptoribus bonæ fidei, ut debeant hæc reſtituere, multo magis locum habebunt in furtivis raptoribus, in emptoribus malæ fidei.

Neque iis ſuffragari poteſt excuſatio, ea bona derelicta eſſe, ac proinde a ſe occupata. Nam ideo Eccleſia ea bona non recuperat, non quia velit ea derelinquere; ſed quia recuperare nequit, eo prorſus modo, quo non cenſentur derelictæ merces in mare turbidum jactæ, & ſunt reſtituendæ heris.

Hæc vult Pontifex nota fieri Congregationi.

Cæterum ſi ex hac reſtitutione bonorum, & fructuum imminet ingens periculum Religioni in iis regionibus, teſtatur Pontifex, ſe uſurum plenitudine ſuæ poteſtatis, & abſoluturum poſſeſſores a poſſeſſione bonorum, & fructuum perceptione, cum cauſæ ſibi innoteſcent.

Simile indultum conceſſit Julius Cardinali Polo in Angliam miſſo, ut ſi poſſet fieri, reſtituerentur Eccleſiarum bona, ſi jurgia, & diſcordiæ naſcituræ eſſent, poſſeſſores abſolveret. Ita ſtatuit Clemens XI. & Clemens XII. de Bonis Eccleſiaſticis occupatis in Electoratu Saxoniæ, & in Palatinatu. Quod ii Pontifices egerunt, ut errantes in viam reducerent, aget Benedictus, ut nutantes in fide confirmet.

D. R. apud S. M. M. Die XIX. Mar. P. a. XII. a. D. 1752.

Permittitur Epiſcopis tranſigere cum poſſeſſoribus bonorum Eccleſiarum.

XVII. BENEDICTUS XIV. Nicolao Lercari Congregationis de Propaganda Fide Secretario. B. M. t. 9. p. 101.

Inc. *Cum Encyclicas, &c.*

VIx ac pervenerunt proxime ſupradictæ Benedicti Epiſtolæ ad Antibari Archiepiſcopum, alioſque Albaniæ præſules reſcripſerunt Sacræ Congregationi, neutrum ex his malis evitari poſſe, ſi poſſeſſores cogantur ad reſtitutionem, aut turbas a Turcis in damnum Eccleſiarum, aut ad Mahometiſmum converſionem poſſeſſorum, ſi ſe videant privandos iis bonis, quæ jure hereditario acceperunt, aut coemerunt magnis cum impenſis.

Ut igitur aut perſequutio evitetur, aut apoſtaſia, permittit Pontifex iis Præſulibus, ut cum poſſeſſoribus tranſigant, ut ſaltem aliquam partem reſtituant; ſi id obtineri nequit, omnia retineant; ſed caveant Epiſcopi, ne poſſeſſores hanc S. Sedis facilitatem cognoſcant, tunc enim, & qui parati ad reſtituendum eſſent, negabunt.

Totus autem in eo eſt hic Benedictus, ut oſtendat poſſe Pontificem poſſeſſores diſpenſare ab hac reſtitutione. Nam licet omnium bonorum Eccleſiaſticorum Pontifex non ſit dominus, & poſſeſſor *eſt tamen ſupremus, & principalis diſpenſator*, ut docet D. Thomas 2. 2. qu. 100. a. 1. ad ſeptimum, & cum illo Cajetanus. Quidam Canoniſtæ faciunt etiam dominum horum bonorum.

Methodus præſcripta a Benedicto, ut pertententur prius hortationibus, monitionibus poſſeſſores ad reſtituendum, tum ut eiſdem permittatur poſſeſſio ſi mala gravia ex reſtitutione ſunt naſcitura, adhibita fuit oblata a Carolo V. Paulo III. fuit approbata a Cardinalibus Legatis Concilii Tridentini, & fuit præſcripta ab Julio III. Cardinali Reginaldo Polo ituro Legato A. Sedis in Angliam, & Sacra Pœnitentiaria judicavit poſſe Pontificem diſpenſare Catholicos, ut emant, & retineant ab hæreticis bona Eccleſiarum empta.

Jam ſi Pontifices illi id agere potuerint, ut ab hæreſi retraherent ad fidem populos, cur non poterit agere id Benedictus ut fideles in fide retineat?

Certe Martinus V. in Synodo Conſtantienſi permiſit nationi Germanicæ, ut gauderent beneficiis ſimoniace comparatis Eccleſiaſtici, ut in fide perſiſterent,

S. Nicolaus I. quaſdam elargiones bonorum Eccleſiaſticorum factas a principibus non reſcidit;

Illa tamen felicia tempora viderunt Principes cumulate reſarcire Eccleſiis illata damna.

Pericula imminentia a Turcis, pericula imminentia ab *agreſtibus, miſerrimiſque hominibus* ad ita agendum cogunt Pontificem.

D. R. apud S. M. M. Die XXIV. Mart. P. a. XIV. a. D. 1754.

DE ARMENIÆ REGNO.

Confirmatio coronationis regis Armenorum.

INNOCENTIUS III. Leoni Armenorum Regi. I. B. M. t. 1. p. 56. B. R. t. 3. p. 1. p. 96. C. C.

Inc. *Is Eccleſiam, &c.*

EXplicato fuſe a Pontifice Leoni Armenorum Regi textibus e Sacris Litteris depromptis de Primatu Eccleſiæ Romanæ,

Approbat, confirmatque coronationem ejus in Regem Armeniæ per Archiepiſcopum Moguntinum Epiſcopum Sabinenſem factam;

Eumque laudat, quod velit reducere regnum ſuum ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ, rogatque ut id perficiat.

Hortatur eum etiam ad opem ferendam Terræ S.

Dat. Laterani VII. Cal. Dec. an. II. a. 1199.

Ne Rex poſſit excommunicari.

INNOCENTIUS III. Leoni Armenprum Regi. II. Ib. p. 104. C. C.

Inc. *Regiæ Serenitatis, &c.*

OB devotionem Armeniæ regis in S. Sedem concedit eidem hoc privilegium, Innocentius,

Ne quiſquam poſſit in eum, & in regnum ejus cenſuras excommunicationis, & interdicti ferre, niſi de ſpeciali mandato S. Apoſtolicæ.

Nulli ergo &c. Si quis &c.

Dat. Laterani Cal. Junii a. 1202.

Armeniæ Rex oratur, ut contra Soldanum Ægypti arma moveat.

III. ex Rayn. ad ann. 1265. §. 40. CLEMENS IV. Aytono Armeniæ Regi.

Inc. *Quanto te, &c.*

SOldanus Ægypti Cæſaream expugnaverat, & Azotum ceperat, multoſque fecerat captivos, & plurima damna Hoſpitalariis S. Joannis intulerat;

Longius victorias ſuas protendere videbatur, niſi obices opponerentur.

Quare Clemens, his Sultani victoriis Aytono ſignificatis, eum etiam, atque etiam rogat, ut Hoſpitalariis, qui *amiſerant maximam conventus ſui partem*, opem ferat, arma in Saltanum movendo.

Novit Clemens quo amore proſequatur Rex Hoſpitalarios, novit quantum Dei honor, Chriſtianæque fidei incrementum illi cordi ſint, ac proinde inducit animum credere, annixurum regem his monitis parere;

Ex hoc ſummam gloriam apud homines, præmium ſummum a Deo ſibi comparabit.

D. Peruſii Cal. Aug. P. a. I. a. D. 1265.

Conſolatur Pontifex Regem de accepta clade.

CLEMENS IV. Regi Armeniæ &c. IV. Ad ann. 1267. §. 68.

Inc. *Injunctæ nos, &c.*

AGreſſi fuerant Armeniam Saraceni, magnaque clade regem afficerant;

Ejus filium unum necarant, alterum captivum duxerant (quem poſtea pater magna mercede liberavit.) Plures urbes ceperant, maximam prædam abduxerant.

Infelicem regem conſolatur Clemens, cui hærebat in mente illud Apoſtoli, *flere cum flentibus*.

Ac primum illi ſignificat, memorem eſſe Eccleſiam, eum auxiliatum ſæpius fuiſſe Latinis, eos in ſuum regnum accepiſſe, attuliſſe præſidio Civitati Antiochenæ, præſtuliſſe amicitiam Gallorum omnibus; incrementum Catholicæ fidei ſemper illi ſummopere cordi fuiſſe;

Deinde eum certiorem facit, Latinos crucem ſumpſiſſe, ut eum defenderent, regem ipſum Galliæ in regiones illas cum ſtrenuis copiis eſſe defecturum;

Si malos ſuperexaltatos videat, ſciat eorum felicitatem cito evaneſcere, tanquam florem.

Deo confidat.

Ajt, ſe recepiſſe ejus apocriſarios.

D. Viterbii XVI. Cal. Junii P. a. III. a. D. 1267.

Excitatur Rex ad conjunctionem cum Romana Ecclesia.

V. Ad ann. 1289. §. 57. NICOLAUS IV. Armeniæ Regi.

Inc. *Gerentes in terris, &c.*

MOrtuo Regi Livoni, qui erat Catholicus, successit Filius, qui maximo cultu prosequebatur Catholicam Religionem.

Ad illam igitur profitendam Nicolaus hortatur primum quidem exemplo patris, qui Catholicus vixerat, mortuusque fuerat; tum e cura, quam quisque habere debet æternæ consequendæ salutis.

Testatur Pontifex, se illum conjungentem cum Romana Ecclesia paterne excepturum; Ecclesiam nunquam illi defuturam consilio, auxilioque, sicut semper ejus majoribus præsto fuit.

Illi prospera cuncta in regimine populorum adprecatur a Deo.

Gratias agit quod benigne recipiat Fratres Minoritas ibidem prædicantes.

Formulam fidei ad illum mittit.

D. Reate Non. Jul. P. a. II. a. D. 1289.

Oratur Rex Galliæ, ut Armenorum Regi auxilium det.

VI. Ad ann. 1292. §. 1. NICOLAUS IV. Galliarum regi.

Inc. *Regni Armeniæ, &c.*

„ EJectis e Syria Europæis, vel servitute oppressis, „ latius extendebant Saraceni suas victorias, & „ Armeniam, quæ hactenus Principum Occidenta„ lium munita præsidiis eorum aggressionibus obsti„ terat; armis circumfuderant.

Rex eorum *impetus se frangere posse desperans*, rebus, regnoque *suis auxilium* petiit a Nicolao.

Qui *motus* infelicitate Regis vere Catholici, cujus *majores* semper eam fuerant professi, eum Regi Christianissimo commendat.

Eum rogat ut ejus regis Nuntios admittat, eisque, *prout regiam decet mansuetudinem, aurem pietatis adhibeat, & animum regiæ propitiationis impendat.*

D. Romæ apud S. M. Maj. X. Cal. Feb. P. a. IV. a. D. 1292.

Excitantur fideles ad Armeniæ defensionem.

VII. Jb. §. 22. NICOLAUS IV. Universis Christifidelibus.

Inc. *Pia mater, &c.*

SUmmopere cordi esse debebat omnibus Catholicis Principibus Armeniæ conservatio, *quia Rex* ille semper Europæos amavit, summopere Romanam Ecclesiam, quia semper Regis progenitores devoti in Ecclesiam fuerant.

Ergo Pontifex omnes fideles excitat, ad subveniendum illi regno ita de Europa, ac de Ecclesia benemerito.

Solitas elargitur indulgentias euntibus, mittentibus milites, pecuniam &c.

D. Romæ ut supra.

„ Visus est Deus Armeniam protegere. Namque Sa„ racenis fame, & peste vexatis, exercitus dissipatus „ fuit.

Auxilium promittitur Armeniæ Regi.

VIII. Ad ann. 1298. §. 16. BONIFACIUS VIII. Secubat Armenorum regi.

Inc. *Regiæ serenitatis, &c.*

CIrcumfuderant se Armeniæ regno Saraceni, & undique illud oppugnabant.

Ad Bonifacium Nuntios Rex misit auxilium ab illo exposcens, exponensque actum esse de Terra S. si Armenia amittatur; dum autem illud regnum subsistit in Catholicorum manibus, sperandum esse de illius terræ recuperatione.

Pontifex illum ad constantiam hortatur.

Illique pollicetur ad auxilium illi ferendum se excitaturum Latinos Principes;

Jam Reges Galliæ, & Angliæ pacem inter se fecerunt, eosque milites in præsidium Armeniæ mittent.

D. Reate III. Non. Oct. P. a. IV. a. D. 1298.

Idem scripsit Armenorum Patriarchæ, justitque eum ad fortitudinem accendere populum, ostentata mittendi subsidii spe.

De auxilio mittendo Armenis.

CLEMENS V. Gregorio Patriarchæ, & Leoni Regi Armenorum. IX. Ad ann. 1300. §. 13.

Inc. *Sicut primo, &c.*

SIgnificat Clemens prædictis Patriarchæ, Regique, se motum esse ejus regni calamitatibus.

Proinde iis se pollicetur daturum operam, ut generale passagium in ejus subventionem fiat.

Sint bono animo.

D. Bardigalæ VI. Non. Jul. P. a. II. a. D. 1306.

Redintegratur Armenorum cum Ecclesia Rom. conjunctio.

JOANNES XXII. Ossinio Armeniæ Regi, X. Ad ann. 1318. §. 8.

Inc. *Fili Carissime, &c.*

TRes Oratores pro regni sui negotiis miserat ad Pontificem Ossinius.

Quidam Joanni dixerunt, Armenos in quibusdam articulis fidei discrepare a Romana Ecclesia. Per interpretem igitur iis Joannes explanavit, quid Romana Ecclesia crederet.

Tum interrogavit Episcopum Cabanensem, qui erat unus e legatis, quid Armeni crederent? reperitque eos recte credere; & in hoc tantum discrepare a Romana Ecclesia, & aberrare in ritibus, quod simplices Sacerdotes apud eos Sacramentum Confirmationis conferunt; præterea iidem Sacerdotes oleum Sacramenti Extremæ Unctionis consecrant, quod consecrant apud Latinos soli Episcopi.

Idem Episcopus tradidit etiam Pontifici formulam fidei, quam Armeni profitentur; Pontifexque ad Ossinium eam mittit, quam tenet Romana Ecclesia; eique illa Clementis IV. data Imperatori Michaeli Palæologo, *credimus in Sanctam, &c.*

Tum hortatur regem, ut populos sibi subditos ad hanc fidem secundum missam formulam profitendam excitet, quod illi summo erit decori.

Regi etiam significat, se ad hæc maxime lætatum fuisse, majorique gaudio fuisse perfusum, cum intellexit caritatem, qua flagrabat in Deum.

Curet, ut Sacramentum Confirmationis detur tantum *ab Episcopis*. Legimus enim in actibus Apostolicis evocatum fuisse Petrum, & Joannem in Samariam ab Hierosolymis, ut confirmarent baptizatos; *quod utique Sacramentum post tempus illorum fuit solis Pontificibus in eorumdem Apostolorum locum succedentibus reservatum. Licet namque Sacramentum ipsum non sit a fidelibus contemnendum, tutius tamen est illud sine periculo, quod necessitatem non habet, omittere, quam si ab iis, a quibus illud conferri non licet, ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine gravi periculo inaniter conferatur, cum umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.*

Efficiat etiam, ut simplices Sacerdotes desistant a consecratione olei pro Extrema Unctione, sed illud consecrent Episcopi.

Etiam profiteri debet Rex, se credere Primatum Romanæ Ecclesiæ super alias omnes, eam esse magistram aliarum, ad eam esse confugiendum &c.

Quibus omnibus, ait, assensum fuisse Cabanensem Episcopum.

Quibus peractis gratias summas Deo Joannes egit, qui puritatem suæ fidei in iis regionibus Armeniæ Saracenorum erroribus circumseptis conservet.

Datum Avenio. III. Calen. Maji P. a. III. a. D. 1318.

Pon-

Pontifex vult in Armenia Gymnasia instituere linguæ Latinæ.

XI. Jb. §. 15. JOANNES XXII. Armeniæ regi, &c.

Inc. *Quoniam majestatis, &c.*

FIdes, *testante* Apostolo, *est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Proinde *necessarium est, ut linguarum confusionem, quam superborum hominum insolentia meruit, diversorum idiomatum peritia suppleat.* Quis licet accensus desiderio verbi Dei prædicandi, vel illius audiendi, nisi auditorum linguam calleat, poterit sensa sua illis explicare, aut præconis Evangelii loquelam ignorans poterit quæ dicuntur ab illo intelligere?

Hinc ut puritas fidei semper in Armeniæ regno conservetur, optimum factu putat quædam gymnasia aperire, Papa in quibus viri docti probique ordinis Prædicatorum linguam Latinam Armenos gratis doceant.

Hinc fiet, ut Armeni eos intellecturi sint verbum Dei prædicantes, ut plures Religiosi eo mitti possint, cum omnes fratres Latinam linguam calleant, fratres ipsi qui ob inscitiam linguæ Armenæ illuc ire non possunt, cæteroquin navi, & docti mitti posthac possint uberrimos reportaturi fructus.

Rex loca assignet fratribus præcipue in urbe Ajacii.

Ad hoc salubre exercitium juvenilis, atque puerilis manus est per regis diligentiam inducenda, ac etiam, si opus fuerit compellenda; quoniam hæc ætas varietates idiomatum & facilius capit, & tenacius servat, & suavius, atque efficacius promendo refundit.

D. Avenione VI. Id. Junii P. a. II. a. D. 1318.

Aramanus Turcarum Princeps una cum Saracenis aggreditur Armenos a. 1322. Joannes Crucem in eorum auxilium prædicari jubet.

De auxilio ferendo regi.

XII. Ad ann. 1334. §. 12. JOANNES XXII. Leoni Armeniæ Regi.

Inc. *Ecce fili, &c.*

INstabat apud Pontificem Leo de auxilio contra Saracenos, qui bellum atrox parabant mittendo.

Despondet illi Joannes, sit bono animo rex; anno siquidem proxime venturo ad eas partes veniet Rex ipse Galliæ cum valido exercitu, quem ipse ducet; mittentur etiam naves;

Ita ut spes effulgeat, ut ipse, & omnes Christicolæ in iis regionibus victores existant.

Ne igitur de promisso præsidio amplius dubitet.

D. Aven. Non. Mart. P. a. XVIII. a. D. 1334.

Reginam ad constantiam hortatur Pontifex.

XIII. Ad ann. 1336. §. 40. BENEDICTUS XII. Constantiæ Reginæ Armeniæ.

Inc. *Rumores infesti, &c.*

IRruperant in Armeniæ regnum Saraceni, & magnam partem ejus qua ferro, qua igne vastarant.

Consolatur Pontifex Reginam, postquam dolorem sum ex hoc tristi nuncio conceptum illi significavit.

Aurum probat ignis, tribulatio homines. Tunc videt Deus, an ab hominibus ametur: non desperet, Deus mortificat, & vivificat; veniet optatum, promissumque auxilium.

D. Aven. XVI. Cal. Maji P. a. II. a. D. 1336.

Conqueritur Pontifex de hæresibus, quibus Armeni infecti erant.

XIV. Ad ann. 1341. §. 45. BENEDICTUS XII. Leoni Armeniæ regi.

Inc. *Nuntios patienter, &c.*

LEgatos miserat Rex ad Pontificem, per quos petebat auxilium regno suo a Saracenis undique divexato.

Respondet Pontifex Regi: se summo cum dolore accepisse regni ejus pericula; sed majore cum dolore accepisse numero ingenti errorum Armeniam superiorem, inferioremque infici, se proinde hominibus ita ab Ecclesia aberrantibus auxilium præbere non posse;

Pollicetur tamen, se regi auxiliaturum, si efficiat ut ad puritatem fidei rursus sui populi redeant.

Putat autem redeundi ad eandem hos unos esse modos,

I. Si habeatur Synodus nationalis, in qua errores examinentur, & proscribantur;

II. Si admittantur decretales, legantur, explicenturque, & secundum eas credatur, agaturque,

III. Si rex mittat aliquot Armenos ad Pontificiam curiam, in qua addiscant, quæ ad fidem ritusque pertinent.

Mittit ad illum libellum errorum, quibus fœdantur Armeni; ad Pontificem fuerant delati; jussit examinari Armenorum libros, interrogari, qui in Armenia fuerant, inquiri Nuntios ipsius regis, reperitque eos errores revera in Armenia grassari.

D. Aven. Cal. Aug. P. a. VIII. a. D. 1341.

Hortatur Pontifex regem, ut errores tollat, illique auxilium pollicetur.

CLEMENS VI. Guidoni Armeniæ Regi. XV. Ad ann. 1344. §. 7.

Inc. *Quamvis fili, &c.*

SUccesserat in regnum Guido, qui statim misit ad Pontificem oratores suos pollicitusque illi est, se sublaturum esse errores; eumque rogavit, ne præsidio suo deesset Armeniæ regno.

Regem de hoc studio commendat Pontifex, tum omnia prospera a Deo esse illi danda propter hoc studium scilicet, ei promittit.

Pontifex quoque illi non decrit *consiliis, auxiliis, favoribus opportunis.*

D. apud Villamnovam Aven. Dicec. III. Id. Sept. P. a. II. a. D. 1344.

Novus Rex excitatur ad errores tollendos.

CLEMENS VI. Constantio Regi Armeniæ. XVI. Ad ann. 1347. §. 29.

Inc. *Rogamus serenitatem, &c.*

CUm altas radices errores in Armenia jecissent, ut ad eos evellendos labores non pauci, nec parvi requirerentur,

Regem admonet Clemens, ut totus in eo sit, ut illos penitus eradicet, & quoniam Catholicam fidem ipse ejusque populus profitetur, quæ nec maculam, nec rugam habet, efficiat ut pura in Armenia sit.

Ne putet sine præmio futuros labores, quos in hoc opere impendet. Deus siquidem præter spiritalem mercedem ejus regnum ab hostium aggressionibus defendet.

Auxilium, præsidiumque suum novo regi Pontifex pollicetur.

D. Aven. III. Cal. Oct. P. a. VI. a. D. 1347.

De auxilio pecuniario misso ad Regem.

CLEMENS VI. Archiepiscopo Nicosiensi. XVII. Ad ann. 1350. §. 37.

Inc. *Constantinus Rex, &c.*

CUm accepisset Pontifex adhuc inter Armenos esse errores non paucos, miserat ad illos legatos AA. quorum unus jam mortuus ibidem fuerat.

Supplicaverat Pontifici interea Constantinus Rex de auxilio contra Saracenos, quod Clemens mittere noluit, donec Armeni errores non corrigerent.

Rursus rex ad Clementem scripsit de auxilio supplicans, pollicens se daturum operam, cum ex angustiis, quibus afflictabatur emerserit, se errores sublaturum.

Misertus Pontifex eorum populorum infelicis conditionis, scribit Archiepiscopo prædicto, se mandasse Odoni Episcopo Paphensi A. S. Nuncio ut eidem numerari faciat sex millia florenorum auri de pecuniis Cameræ Ap.

Hanc pecuniam det Archiepiscopus Regi, eumque moneat, ut hæreses e suo regno tollat.

D. Aven. XVI. Cal. Oct. P. a. IX. a. D. 1350.

Constantinus efficiat, ut Armeni veram fidem profiteantur.

XVIII. Ad ann. 1351. §. 18. CLEMENS VI. Regi Constantino, &c.

Inc. *Dei, cujus, &c.*

SIgnificat Pontifex regi, ex formula fidei a Catholicon missa se collegisse non omnes errores in habita synodo fuisse sublatos;

Quare se misisse ad illum horum errorum correctionem, illique jussisse, ut formulam faceret claram, nitidam, apertamque. (Vide de Ecclesia Armena *Super quibusdam, &c.*

Rex auctoritate sua efficiat, ut formula hæc fiat factaque observetur.

Namque Armeni pertinaces nimis in suis erroribus sunt. Legatus eos illis detexerat, eos hortatus fuerat, ne ita sentirent, tamen parere noluerant.

Rex videt, quam opportunis subsidiis Romana Ecclesia illi opituletur, æquum est, & illum laborare pro ejusdem fidei puritate, pro conjunctione Ecclesiæ Armenæ cum Romana.

Pollicetur se missurum ad illum auxilia.

D. apud Villamnovam Avin. Diœc. XVIII. Cal. Oct. P. a. X. a. D. 1351.

De viro dando Armeniæ Reginæ.

GREGORIUS XI. Philippo Imperatori Constantinopolitano Principi Tarentino. XIX. Ad ann. 1372. §. 30.

Inc. *Celsitudinis tuæ, &c.*

VAstarant Saraceni Armeniam. Regina Maria misit ad Pontificem oratorem Archiepiscopum Sitiensem.

Pontifex has Reginæ angustias significat prædicto Philippo, qui erat illius Patruus; eumque rogat, ut ad Neptem auxilium mittat.

Se tamen, ait Gregorius scripturum esse Venetis, Januensibus, Regi Cypri, & Militibus S. Joannis Hierosolymitani.

Quia autem Archiepiscopus dixerat Gregorio, consulendi Armeniæ regno nullam esse potiorem rationem, quam dare Reginæ in virum principem prudentem, strenuumque in bello, Philippo Pontifex proponit Othonem Ducem Brunsvicensem; est de genere Imperiali Othonum de Saxonia, est consanguineus Marchionis Montisferrati, *consanguineus regalium Cypri, cujus Othonis frater habet in consortem matrem claræ memoriæ Petri Regis Cypri, ab his auxilia habere poterit Otho, qui est multum providus, ac magnificus, aliasque virtuosus fama celebri reputatur. Et licet non sit potens de se ipso, tamen cum sua prudentia, & sollicitudine* poterit Armeniæ regno esse utilis.

Philippus eligat, quid sit in hoc agendum.

D. Aven. XI. Cal. Febr. P. a. II. a. D. 1372.

DE ECCLESIA ARMENA,
VEL PATRIARCHATU ANTIOCHENO.

„ CAtholicus Armeniæ scripsit ad Innocentium III. „ ei testans se velle suam Ecclesiam pendere a „ Romana, *illique obedientiam præstare; pollicitus est* „ se singulis quinquenniis missurum legatos Romam, „ ut veram doctrinam a Magistra omnium Ecclesiarum Romana Ecclesia addiscat.

„ Patriarcha etiam scripsit ad Pontificem, se accepisse pallium, eique gratias agit, & nomine omnium præsulum obedientiam Romanæ Ecclesiæ promittit, & conjunctionem hanc nunquam esse interituram ei pollicetur. Addit, *se institutiones Romanæ Ecclesiæ partim suscepisse, partim suscipiendas distulisse, ut res in solemni Armenorum præsulum Concilio perficeretur.*

Ita Armenæ Ecclesiæ conjunctio cum Romana redintegrata fuit.

Hortatio, ut Gregorius perserveret in fide.

I. B. M. t. I. p. 55. B. R. t. 3. p. 95. C. C. INNOCENTIUS III. Gregorio Catholico Armenorum.

Inc. *Ex eo, &c.*

LAudat Pontifex Gregorium Armenorum Catholicum, quod confessus fuerit, Pontificem esse Christi Vicarium, caputque visibile universæ Ecclesiæ; de qua confessione, ait, se magnopere lætari.

Laudat eum quoque, quod mandata exposita ab Archiepiscopo Moguntino Episcopo Sabinensi uno e septem Episcopis, *qui Pontifici in Ecclesia Romana collaterales existunt, susceperit, & observare promiserit.*

(Quæ fuerint hæc mandata non exponit Pontifex; respiciebant certe disciplinam Ecclesiasticam.)

Eum hortatur ad perseverandum in hac fide, & in obsequio erga R. Pontificem,

Et ad subveniendum Terræ Sanctæ.

D. Later. IX. Cal Dec. P. a. II. a. D. 1199.

Antiochenus Patriarcha commendatur Soldano de Alapia.

II. Ex Rayn. ad ann. 1211. §. 27. INNOCENTIUS III. Nobili Viro Soldano de Alapia.

Inc. *Sicut veridica, &c.*

FIdem Christi non profitebatur Soldanus, sed eam summopere venerabatur, & Christianis multum deferebat.

Hinc animos sumit Innocentius commendandi illi P. . . , Antiochenum Patriarcham, quem plurimi faciebat Pontifex ob ejus insignem pietatem.

Ne patiatur ergo Soldanus, tam pium hominem vexari, vexatoque auxilio suo opituletur.

Nihil hoc gratius facere Pontifici potest, qui se illi de hoc beneficio semper maxime obstrictum profitebitur.

D. Later. VII. Junii P. a. XIV. a. D. 1211.

Patriarcha Hierosolymitanus cum suis suffraganeis oratur, ut efficiat ut Armeni recipiant ejectos Clericos Latinos.

HONORIUS III. Patriarchæ, &c. III. Ad ann. 1224. §. 27.

Inc. *Cum adhuc, &c.*

„ EXpulerant Armeni Tarsensem, & Mamistanum „ Archiepiscopos, cæterosque earum regionum Latinos Clericos.

Scripserat ad Catholicum Armeniæ, ut operam interponeret suam, ut ii in suas sedes revocarentur; scribit una & ad Patriarcham Hierosolym. & ejus suffraganeos Honorius,

Magnum se dolorem percepisse ex illa ejectione;

Cum quia cadit in dedecus omnium Latinorum, qui ubique gentium sunt, & maxime Clericorum,

Tum quia videt præconibus veræ fidei in iis locis non existentibus, cito illa esse inficienda erroribus;

Se quidem scripsisse ad Catholicum, sed cum nihil hactenus responderit, timet, ne ipse quoque hanc ejectionem approbet.

Igitur dent operam Patriarcha, & Episcopi, ut suæ Ecclesiæ, sua Capitula Latinis restituantur.

Quod si adhortamentis hujusmodi parere nolint, Episcopis, & Clericis, & auxilium dent, & consilium, quo possint Ecclesias suas recuperare.

D. Later. XVI. Cal. Janu. P. a. IX. a. D. 1224.

DE

DE ECCLESIA ARMENA MARONITICA.

Catholicus Armeniæ declaratur subjectus Patriarchæ Antiocheno.

IV. Ex Rayn. ad ann. 1238. §. 34. GREGORIUS IX. Apamiensi, & Mancestano Archiepiscopis.

Inc. *Venerabilis Frater, &c.*

QUestus fuerat per litteras ad Pontificem Patriarcha Antiochenus, Armenorum prælatum, *qui Catholicos vulgariter appellatur*, debitam illi, & Ecclesiæ Antiochenæ reverentiam præstare renuere,

Quare supplicarat Pontifici, ut procedi contra eundem secundum statuta generalis concilii mandaret.

Gregorius reputans, *quod in uno, eodemque patriarchatu duo capita esse non debeant*, mandat eisdem Archiepiscopis, ut *ad ipsum personaliter accedentes, eum moneant*, ut Patriarchæ pareat, & subsit

Si parere noluerit, proponatque cur non pareat causam, litteras mittant ad Pontificem, ut videat quid sit agendum.

D. Later. VI. Cal. Jul. P. a. XII. a. D. 1238.

Ad Catholicon mittitur pallium.

V. Ad ann. 1239. §. 83. GREGORIUS IX. Catholico Armeno.

Inc. *Ut sacrosanctam, &c.*

CUm intellexisset Gregorius a Nuntiis Catholicis, qui semper fidelis extiterat Pontifici, & ejus prædecessoribus, illius pallium esse vetustate pene consumptum,

Aliud ad illum mittit, *nec non stolam, mithram, & annulum in signum Apostolicæ prædilectionis, & gratiæ, ac illius devotionis.*

Illi velut honorabili membro Ecclesiæ Armenæ semper propitium, & favorabilem se futurum pollicetur Gregorius.

D. Later. VI. Id Mar. P. a XII. a. D. 1239.

Cum litteras Pontificis Laurentius legatus Apostolicus dedisset Catholico, quibus invitabatur ad conjunctionem cum Ecclesia Romana, rescripsit Catholicus Pontifici Innocentio IV.

Se recepisse summa cum reverentia ejus litteras; illique de hac bonitate gratias agit;

Eum rogat ut Imperatori Friderico II. parcat, adimpleatque illud Christi præceptum datum Petro, qui interrogaverat, quoties absolvere deberet fratrem suum? num septies? *Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies.*

Illi testatur dolorem suum e sepulcro Christi Domini profanato ab infidelibus.

Ad illum mittit professiones fidei Christianorum orientalium, Antiochiæ, Tripoli, & Accon, & Archiepiscopi Nisibini. (V. Ecclesiam Jacobiticam) apud Raynaldum ad an. 1247. §. 32.

De reintegrata conjunctione Ecclesiæ Armenæ cum Romana.

VI. Ad ann. 1318. §. 42. JOANNES XXII. Patriarchæ, & Clero Regni Armeniæ, &c.

Inc. *Venerabili fratre, &c.*

PRo negotiis sui regni Armeniæ Rex miserat tres oratores ad Pontificem, narrat Joannes Patriarchæ & Clero, &c.

V. Bullam *Fili carissime* C. de Armeniæ regno. Eadem enim quæ regi Pontifex scripserat, scribit & Patriarchæ.

Eos hortatur, ut constantes in fide sint;

Iis gratulatur, quod cum undique sint perfidis Saracenis circumfusi tamen servent integram fidem.

Populum doceant agnoscere, & confiteri primatum Ecclesiæ Romanæ super omnes alias Ecclesias.

D. Aven. II. Cal. Maji P. a. III. a. D. 1318.

De auxilio mittendo Armenis, de constantia ab iis habenda.

JOANNES XXII. Archiepiscopis, & Episcopis per regnum Armeniæ constitutis, VII. Ad ann. 1323. §. 4.

Inc. *Relatio nuntiorum, &c.*

E Litteris, quas a multis acceperat Joannes, cum cognovisset, Armeniæ regnum circumsideri a gravissimis hostibus Saracenis, non potuerat quin dolorem ingentem percepisset.

Quem dolorem significat Archiepiscopis, &c.

Se tamen, scribit, quin ab Armenis rogaretur, excitasse omnes principes orientales ad opem iis offerendam.

Sed sicut res Armenorum agitur, ita eos præcipue fortitudinem suam in se rebusque suis, regnoque tutandis explicare, pericula adire, laboribus non parcere debere;

Illud in mente habeant, se pro causa Dei pugnare, se pugnando spirituales indulgentias consequi, mori in hoc bello gloriosum esse.

D. Aven. Cal. Apr. P. a. VII. a. D. 1323.

Prælati excitent populos ad pœnitentiam.

JOANNES XXII. Archiepiscopis, &c. VIII. Ib. §. 6.

Inc. *Non dubitamus, &c.*

QUidquid mali pœnæ in hoc terrarum orbe accidit, ob peccata hominum evenit.

Jam Prælati Armeniæ hoc sciunt. Mala omnia quæ patitur humanum genus, a peccato originem duxerunt;

Quia castigatiores in moribus suis Infideles Christianis sunt, ideo Deus hos illis subjicit, eos bonis, hos malis cumulat.

Prælati hæc non ignorantes rationem etiam non ignorant Dei iram a populis suis avertendi, quæ hæc est; pœniteat populum suorum peccatorum; & sicut malis facinoribus iram Dei accenderunt, bonis extinguant.

Ad hanc pœnitentiam eos excitare debent animarum pastores.

Placatus Deus a periculis, in quibus nunc est, regnum subtrahet.

Eos præcipue moneant, ne commercia cum Saracenis exerceant; multi enim sunt, qui spe lucri allecti arma Saracenis vendunt, quæ deinde in ipsorum necem illi convertunt.

D. Aven. Cal. Apr. P. a. VII. a. D. 1323.

Litteris in eandem sententiam scriptis excitavit ad pœnitentiam Regem Leonem, primoresque regni.

Cum Romana Ecclesia conjunguntur populi Armeniæ inferioris.

JOANNES XXII. Constantino Patriarchæ Armenorum. IX. Ib. §. 7.

Inc. *Agimus in humilitate, &c.*

QUod enixis votis a Deo poposcerat Pontifex, ut Armeni omnes idem cum Romana Ecclesia sentirent, cum acciderit de Armenis inferioris Armeniæ, gratias quam maximas potest agit supremo Numini.

Jam petierant a Pontifice ii populi, ut aliquis prælatus eo mitteretur, a quo de Romana fide eruditi possent eam profiteri.

Quare ad illos se misisse Archiepiscopum Soltaniensem Patriarchæ scribit.

Eum rogat, ut Patriarchæ opus conjunctionis sedulo urgenti assistat, populisque illis mandet, ut Archiepiscopo dicto audientes sint, ut eum venerentur, colantque.

Ipse quoque Patriarcha populos moneat, ut libentes se cum Romana Ecclesia conjungant, abjuratoque schismati ne unquam posthac adhæreant.

D. Avenione Cal. Junii P. a. VII. a. D. 1323.

De tol-

De tollendis erroribus, & errorum catalogus.

BENEDICTUS XII. Catholico Armenorum.

Ad ann. 1341. §. 46.

Inc. *Dudum ad audientiam, &c.*

PLures errores eſſe in Armenia relatum Benedicto fuerat.

Is examinari voluit Armenorum libros, examinari teſtes eos, qui in iis regionibus fuerant, & Legatos Regis Leonis, qui per eos dies in Curiam a Rege miſſi fuerant ad poſcendum auxilium contra Saracenos.

Eorum Catalogum mittit ad Catholicum.

Tres modos proponit eidem Catholico eos extinguendi,

I. Cogendi nationalem Synodum, in qua examinentur, & proſcribantur,

II. Publicandi decretalium libros, ut ex iis addiſcatur quid credendum ſit, quid agendum, & quomodo,

III. Mittendi aliquot probos, ſapienteſque viros ad Pontificiam Curiam, ut puritatem fidem edocti eam reverſi in Armeniam diſſeminent.

D. Aven. Cal. Aug. P. a. VIII. a. D. 1341.

Hic autem eſt longiſſimus errorum Catalogus:

I. A ſexcentis, & duodecim annis factum fuit Concilium in Armenia, in quo ſtatutum fuit, ne amplius diceretur, & crederetur, Spiritum S. procedere a Patre, & a Filio, damnatique fuerunt ſuperiores Epiſcopi, qui illud dogma docuerant;

II. Reſpuitur Concilium Chalcedonenſe, in quo licet non definiatur Spiritum S. procedere a Patre, & a Filio, *ſed hoc fuerat determinatum in Conciliis* Conſtantinopolitano, & Epheſino, quia tamen Chalcedonenſe confirmat illa duo Concilia, hoc reſpuendo doctrina in illis contenta reſpuitur.

III. Rejecerunt in ſua Synodo Armeni Concilium Chalcedonenſe *ex eo principaliter, quod in eo fuit determinatum* duas naturas eſſe in Chriſto humanam, & divinam, unamque perſonam, divinam nempe. Damnarunt in eo Concilio B. Leonem, & ejus epiſtolas, & canonizarunt Dioſcorum in eo Concilio damnatum; *& adhuc ter in anno faciunt feſtum de eo ſicut de Sanctо, & maledicunt B. Leonem, & Concilium Chalcedonenſe.*

IV. Dicunt peccatum Adæ fuiſſe perſonale; Et pueros fuiſſe damnatos ante Chriſti paſſionem non propter hoc peccatum, quod in eos non extendebatur, ſed quia Chriſtus paſſus non fuerat; nunc autem pueros ſalvari, quia Chriſtus paſſus eſt, etiamſi ſine baptiſmate decedant.

V. Armeni provinciæ Agricienſis doctrinam cujuſdam Mechatiæ ſequuntur, docentis animas humanas propagari a parentibus, ſicut propagatur corpus;

VI. Credunt animas puerorum natorum e Chriſtianis decedentium ſine baptiſmate ire in paradiſum terreſtrem, ubi erat Adam, natos a parentibus non Chriſtianis ire ubi ſunt fiorum genitorum animæ;

VII. Animas adultorum, qui moriuntur poſt Chriſti paſſionem, ire per aera, aut per terram, quæ eſt juxta paradiſum terreſtrem uſque ad diem judicii, ſive ſint Chriſtianæ, ſive non: poſt diem judicii ibunt ad loca iis deſtinata; puerorum animæ in paradiſum terreſtrem;

VIII. In paradiſo animas non viſuras Deum facie ad faciem, ſed tantum carituras *omni pœnali hujus vitæ*:

IX. Pueros, non baptizatos, homines, qui non pervenerunt ad perfectionem Apoſtolorum, & martyrum ituros ad paradiſum terreſtrem, in quo carebunt molestia corporali; adultos non perfectos, & pueros Chriſtianorum non baptizatos habituros in capite coronam de ignis lumine, quo tota terra comburetur; & prout erunt magis minuſque boni, has coronas futuras eſſe magis, minuſque lucidiores,

X. Homines Chriſtianos mediocriter bonos poſt judicium permanſuros eſſe in hac terra arboribus conferta, non comeſturos tamen, neque bibituros. Viros uxoratos dicunt mediocriter malos.

XI. Dicunt infideles, & Chriſtianos inſigniter malos poſt judicium ituros in oceanum, qui fiet igneus, ibique excruciandos eſſe a Draconibus variorum generum, & magnitudinis, prout majora, vel minora, diverſarumque ſpecierum fuerint eorum peccata; nullum infernum dari; Chriſtum deſcenſu ſuo ad inferos eum deſtruxiſſe; alij putant, unumquemque cruciandum eſſe a ſuis peccatis diverſimode pro eorum graviore, vel leviore pondere,

XII. Judicium malorum mediocriter faciendum eſſe per ſtatueram: ſi mala præponderabunt bonis operibus, dejiciendos eſſe in dictum oceanum; ſi bona, in terram hanc ituros; ſi hæc, & illa æque ponderabunt, per preces Beatæ Mariæ, & Sanctorum ponendos eſſe in terra hac;

XIII. Baptiſmum dari pueris, non ut purgentur a peccato originis, ſed ut ſint Chriſtiani, & ut poſt generale judicium eant cum ſanctis.

XIV. Docent, Chriſtum prædicaſſe damnatis, & juſtificaſſe animas illas, quæ illi crediderunt, non credentes relictas fuiſſe in ſuo peccato, egreſſumque deſtruxiſſe infernum; omnes tamen animas eduxiſſe, & eas poſuiſſe in aere, ut acciperent præmium, vel pœnam poſt judicium, ituras bonas, &c. *ut dictum eſt ſupra,*

XV. In aere eſſe etiam dæmones, in quo non patiuntur niſi carentiam gloriæ, poſt *generale judicium* eos eſſe conjiciendos cum malis in igneum oceanum paſſuros dracones, &c.

XVI. Armenorum alii putant, Angelos creatos fuiſſe ante mundi creationem, alii cum mundo. Creati ſunt juſti; fuerunt in cælo per quatuor dies, vel ſex; peccantes deciderunt per eum cæli tractum, qui dicitur Galaxia, ſeu via lactea; cum iis cecidit bonus Angelus, ſed ad preces S. Baſilii fuit reſtitutus in gloriam.

XVII. Communiter purgatorium negant; dicuntque confeſſis crimina dimitti culpam, & pœnam; non orant pro defunctis, ut peccatorum macula iis deleantur, ſed pro omnibus defunctis æque, pro Maria, Apoſtolis, &c. Animas infidelium dicunt eſſe in ſepulcris una cum corporibus, hinc in ſepulcris Saracenorum audiri voces, ſtrepitus, &c.

XVIII. Dicunt Chriſtum incarnatum fuiſſe non ut deleret peccatum originis, quod fuit perſonale, ſed ut deſtrueret infernum.

XIX. Poſteri Adami non patiuntur, quia ſint ejus peccati participes, ſed ob peccati Adami gravitatem. Per illud peccatum excitata fuit concupiſcentia in hominibus, quæ erit etiam in Sanctis, uſque ad diem judicii; Si Adam, & Eva non peccaſſent, non generaſſent per commixtionem ſexuum, ſed ſicut generat lumen de lumine, & ideo Deus eis fecit genitalia, quia prævidit eos peccaturos eſſe.

XX. Putant poſt unionem divinæ naturæ cum humana in Chriſto unam tantum coaluiſſe naturam, humana in divinam converſa, qui eſt Eutychetis error; damnantque contra ſentientem, & licet baptizatus ſit, cum ut paganum habent.

XXI. Dicunt eamdem naturam humanam in Chriſto factam divinam ex unione divinæ, paſſam fuiſſe, fuiſſe mortuam; credunt proinde in Chriſto fuiſſe intellectum unum, voluntatem unam, unam operationem.

XXII. Fructus ejus paſſionis fuit ſecundum eos deſtructio inferni, & damnatorum eductio, & eorum collocatio in aere.

XXIII. Illud verbum *hodie* quod dixit Chriſtus Latroni *hodie mecum eris* in paradiſo diverſimode explicant; ſignificat diem judicii, qui antonomaſtice dicitur *dies*; vel dicunt Latronem iviſſe ad portas paradiſi terreſtris, ut viveret in eo, ſicut illi promiſerat Chriſtus, ſed Enoch, & Eliam portis cuſtodes noluiſſe illum admittere, Chriſti in triduo mortis animam fuiſſe admiſſam, quia oſtendit iis vulnera.

XXIV. Negant animas malorum ante judicii diem ire in infernum: eſt enim per eos a Chriſto deſtructus: dicunt eas interea nec pati, neque cruciari.

XXV. Non audent aſſerere, vel negare in Chriſto animam humanam fuiſſe;

XXVI. Natura divina, quæ una erat in Chriſto, faciebat opera carnis, & opera animæ;

XXVII. Credunt Chriſtum reſurrexiſſe die Sabbati poſt paraſcevem hora ſexta, quia ita acceperunt a Gregorio antiquo eorum Catholico; poſt eam horam comedunt ova, & caſeum. Tres dies integros, treſque integras noctes volunt Chriſtum fuiſſe mortuum; idque ſe habere dicunt a S. Silveſtro Papa.

XXVIII. In contraria abeunt, cum iis objicitur Chriſtum,

ſtum poſt ſuam reſurrectionem verum corpus habuiſſe, & pugnantia dicunt;

XXIX. Voluntati Chriſti ſubjecta erat divina natura; illa huic imperabat, & hæc ejus exequebatur juſſa.

XXX. Ut probent naturam humanam in Chriſto non fuiſſe, dicunt, cum aſcendiſſe in cælos, quo non aſcendiſſet, ſi habuiſſet naturam humanam, ſed iviſſet in paradiſum terreſtrem;

XXXI. Verba illa Apoſtoli, *Chriſtus aſcendens in altum captivam duxit captivitatem* intelligenda eſſe de ejus reditu ab inferis, unde eduxit eos captivos in aera.

XXXII. Dicunt Chriſtum tunc ligaſſe dæmones, ut non poſſent tentare homines; Armenos de Armenia minori a triginta annis, & Armenos ab annis viginti quinque cum incœperunt ponere aquam in vino in ſacrificio Miſſæ ſolviſſe eos dæmones; proinde nunc ab iis tentari;

XXXIII. Non ſtatim Chriſtus a ſua aſcenſione in cælos ſedit ad dexteram Dei, ſed per dies decem fuit inter Angelos, & in die Pentecoſtes ivit ad dexteram Dei.

XXXIV. Eccleſiam Armenam dicunt eſſe Eccleſiam Catholicam, & ideo *Catholicus* in ipſa eſt; Eccleſiam Græcam non eſſe Catholicam, quia in ea ponitur aqua in vino; ob eamdem cauſam Eccleſia Romana non eſt Catholica; Eccleſia Romana, & Græca definent ante adventum Antichriſti, Armena perdurabit uſque ad judicii diem;

XXXV. Fides vera corrupta fuit, ut illi dicunt in Concilio Chalcedonenſi, quia in illo definitum fuit duas eſſe in Chriſto naturas,

XXXVI. Errant Armeni dicentes apud ſe tantum eſſe veram fidem, ſe unos habere verum baptiſma, quia non receperunt Concilium Chalcedonenſe.

XXXVII. A tempore Heraclii Imperatoris citra fuerunt in Armenia tres *Catholicon* tenentes diverſam fidem: Catholicus Columbarum dicit, tres divinas perſonas fuiſſe in Cruce paſſas, & ibi baptizatur in aqua, Catholicon medius, & ſubditi dicunt ſolum filium paſſum, & baptizant in aqua, multi etiam in vino; Catholicus tertius tenet quod tenent Græci.

XXXVIII. In ſola Eccleſia Armena datur remiſſio peccatorum, & ſunt vera ſacramenta; non in aliis, quia receperunt Chalcedonenſe Concilium. Ideo recipientes ſacramenta in aliis Eccleſiis ea non recipiunt.

XXXIX. Epiſcopi, & Presbyteri unius Catholici non poſſunt recipere ſacramenta ab Epiſcopis, & Preſbyteris aliarum Catholici, & accepta ſunt nulla.

XL. Armeni non poſſunt accipere remiſſionem peccatorum ab Epiſcopis, & Presbyteris aliarum Eccleſiarum; hæc eſt vera forma hujus ſacramenti, quam adhibent Armeni, *Deus tibi dimittat peccata tua*; vel *ego tibi dimitto peccata tua in terra, & Deus dimittat tibi in cœlo.*

XLI. Homo qui amiſit gratiam, nunquam eam recuperat in æquali gradu,

XLII. *Sine alio omni dono* per ſolam Chriſti paſſionem remittuntur peccata; non requiritur *gratia Dei juſtificans, vel gratificans;* neque ulla gratia ejuſmodi datur in ſacramentis novæ legis.

XLIII. *Liberum arbitrium non ſufficit ad peccatum*, ſed requiritur tentatio dæmonis, qui ſi non eſſet, nunquam homo peccaret,

XLIV. Armeni orant in Miſſa pro conſequendis bonis, & avertendis malis, *pro mortuis non orant ut in præſenti requiem obtineant, ſed tantummodo in futuro.*

XLV. Cum aliquis moritur, fero ducant ad portas Eccleſiæ animalia munda ex Lege Moiſis cooperta pannis fericis; Clerici benedicunt talem, quem ponunt in ore animalium, ea ungunt oleo de lino, & ea occidunt, & comedunt; Sacerdos celebraturus mane pro defuncto carnes manducat poſt miſſam; effuſionem ſanguinis animalium credunt neceſſariam cum ſanguine Chriſti ad remiſſionem peccatorum defuncti; quod probant verbis Chriſti, ajentis ſi non veniſſe, ut ſolveret legem. Ideo etiam in quibuſdam tribus judaizant.

XLVI. Etiam circa diſtinctionem ciborum judaizant, cum putent alios mundos, alios immundos. Manducant carnem ſuillam; ſed ea interdicta eſt presbyteris quia, ut putant, ſi de iis ederent, non poſſent expellere dæmones;

XLVII. Diebus jejunii manducantes piſces, & oleum, & ova dicunt peccare, & ideo non comedunt niſi herbas;

XLVIII. Dicunt eadem crimina, quibuſdam exceptis, abſolvi *bis* ab Eccleſia non poſſe.

XLIX. Dicunt tertias nuptias non eſſe permittendas, & ter ducentem uxorem non abſolvunt; ſi tamen tertiam uxorem dimittat, eum abſolvunt.

L. In ordinatione requiritur Confeſſarius ordinandi, an peccarit peccatum luxuriæ? Confeſſarius ſi reſpondet, ita, Epiſcopus eum non ordinat; Sacerdos confitens peccatum luxuriæ a ſe commiſſum deponitur a Confeſſario ab executione ordinis. Hinc manifeſtatur confeſſio; & audiunt ſæpe mulieres, quibuſcum ii Sacerdotes rem habuerunt, dicere, *ego depoſui talem Sacerdotem, &c.*

LI. Peccatum luxuriæ commiſſum in ore hominis, vel mulieris eſt irremittibile, ſicut etiam blaſphemia in Chriſtum, & fidem Chriſtianam.

LII. Adulteri, peccatum beſtialitatis facientes, homicidæ, apoſtatantes a fide abſolvuntur, ſed non communicant niſi in fine vitæ.

LIII. Apud eos Sacerdos habens uxorem, & cum illa ſodomiam committens non peccat.

LIV. Epiſcopi, & presbyteri excommunicant, quin excommunicatus peccarit, nulla monitione præmiſſa; ſi hic excommunicatus moriatur, paciſcuntur cum propinquis de pretio, ut poſſit ſepeliri ſepultura Eccleſiaſtica;

LV. Sentiunt excommunicatum legitime non excidere e regno Dei, nihilique excommunicationem ducunt.

LVI. Si aliquis Armenus ſe convertat ad Judaiſmum, vel ad Saracenos rediens ad Eccleſiam ſuam non rebaptizatur; ſi convertatur ad Græcos, vel Romanos, & poſtea revertatur ad Eccleſiam ſuam, rebaptizatur.

LVII. Plures flores colligunt Sacerdotes Armeni, & eos decoquunt *in vino dicentes* interea orationes: in die Cœnæ ponitur hoc vinum ſimul cum oleo in vaſe, & dum Epiſcopus hoſtiam elevat, elevat hoc vas Sacerdos; dicunt hoc oleum conſecratum; quod ponitur in pluribus vaſibus, diſtribuiturque adhibendum in baptiſmate, eo deficiente, verum baptiſma non confertur.

LVIII. Liquefaciunt ſpecies ſacramenti Euchariſtiæ in aqua, vel vino, & aquam, vel vinum dant baptizato. Putant hoc de eſſentia baptiſmatis.

LIX. Varia apud illos eſt forma baptiſmatis, alii dicunt *ego te baptizo*, alii *baptizetur iſte*, alii *baptizetur talis;*

LX. Baptizatus in aliis Eccleſiis ſi velit ad Armenos tranſire rebaptizatur, quia putant ſolum chriſma confectum a ſuo Catholico eſſe adhibendum in baptiſmo, quo oleo carent aliæ Eccleſiæ.

LXI. Baptizatus vix ac moritur non intrat in cælum, ſed *intrabit poſt judicii diem;*

LXII. Baptiſmus, qui confertur pueris infra annos duodecim, non iis confertur pro peccatis, quorum ſunt incapaces (quia eos reputant innocentes,) cum non commiſerint luxuriam, quod eſt apud eos peccatorum maximum. Adultis, qui luxuriati ſunt, datur etiam propter peccata;

LXII. Sacramentum Confirmationis non agnoſcunt. Philippus, qui erat Diaconus baptizavit Eunuchum Reginæ Candacis, ſed eum non confirmavit.

LXIV. Sacramentum Confirmationis nihil apud eos valet. Catholicus dedit presbyteris facultatem illud conferendi.

LXV. In baptiſmate inungunt Armeni corpus in novem locis, & dicunt eas unctiones valere pro omnibus, quæ fieri poſſunt, ſolentque in Eccleſia Latina. Cum Epiſcopi, & presbyteri mortui ſunt, tunc eorum capita, & frontes, & manus dexteræ inunguntur.

LXVI. Putant conſecrationem ſanguinis non fieri per verba Chriſti *hic eſt ſanguis, &c.* ſed per illa, quæ ipſi dicunt ſuper calicem, & vinum, *ſanguinem veraciter efficies Domini noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti.* Quidam panem ponunt in calice, qui eſt vel ligneus, vel terreus; quidam celebrant communibus in veſtibus ſuis, quidam excluſo populo,

LXVII. Nonnulli tenuunt, in Euchariſtia non fieri tranſubſtantiationem, ſed eam eſſe exemplar, & ſimilitudinem, figuram corporis, & ſanguinis Chriſti, ideo hoc ſacramentum illi non vocant corpus, & ſanguinem, ſed hoſtiam, & communionem. Quidam Nares

eorum

eorum magister scribit, cum dicitur *hoc est corpus meum*, esse ibidem Christi corpus mortuum, & vivificari ad illa verba *per quem panis benedictus*, &c.

LXVIII. Sacerdos, vel Episcopus fornicans in secreto perdit facultatem conficiendi, & ministrandi sacramenta.

LXIX. Fornicatio secundum Armenos est Apostasia gravius peccatum.

LXX. Nullam vim conferendæ gratiæ in Eucharistia agnoscunt.

LXXI. Sexcenti, & duodecim anni sunt cum celebratum fuit Concilium Manesgnerdense, in eo vetitum fuit miscere in Calice aquam vino, in eo fuerunt excommunicati qui illam in eo ponunt.

LXXII. Se jure odisse Græcos, & Latinos putant Armeni, quia illi presbyteri aquam vino immiscent.

LXXIII. Si quis tenens duas esse in Christo naturas petit communionem ab aliquo presbytero Armeno, illa ei non datur, nisi prius abjuret suam opinionem de naturis duabus, & baptismum acceptum, & rebaptizetur.

LXXIV. In majori Armenia non tenetur imago Crucifixi, nec Sanctorum.

LXXV. Dicunt non esse ostendendam populo Eucharistiam.

LXXVI. Latinorum baptisma damnant, appellantque balneationem,

LXXVII. Catholicon quosdam Armenos baptizatos in Ecclesia Latina fecit dehonestari, hoc est voluit iis abradi totum caput, mediamque barbam, & in carcere poni,

LXXVIII. Duo Archiepiscopi jussi fuerunt a Catholico non celebrare missam latinam, baptizare baptismate Armenorum, quod est melius baptismate Latinorum, ne docerent populum Latinorum fidem; anathematizat Catholicus omnes Latinos; non agnoscit primatum Pontificis, sed se primum in Ecclesia facit,

LXXIX. Punit Armenos ritus Latinorum observantes,

LXXX. In quadragesima, quæ apud illos incipit in Dominica Quinquagesima, non celebratur nisi in Sabbato, & die Dominica; omnes dies festi transferuntur in Sabbatum, exceptis Assumptionis Beatæ Mariæ, & Exaltationis Crucis,

LXXXI. Non communicant nisi in vigilia Epiphaniæ, & in die; quidam die Cœnæ.

LXXXII. Confessio generalis apud eos fit, neque peculiaria peccata dicuntur, & fit a toto populo; quare dicit, *ego dimitto vobis peccata vestra*.

LXXXIII. Cum sunt valde morti proximi affertur ad eos communio, & interdum fit Eucharistiæ super iis benedictio, cum communicari non possint.

LXXXIV. Presbyteri Armeni dicunt, se habere æqualem potestatem absolvendi; quam habuit a Christo Petrus.

LXXXV. Concilium Nicænum, dicunt, dedit Papæ potestatem super alios Episcopos; quam amiserunt post Concilium Chalcedonense, quia Leo Papa voluit definiri in eo, duas naturas in Christo esse.

LXXXVI. Dicunt, Papam non habere plus potestatis, quam ille qui præest Nestorianis super Nestorianos.

LXXXVII. Catholicon dixit Armeniæ Regi, non posse illum a Papa excommunicari;

LXXXVIII. Confirmationem petit Catholicus ab Imperatore Tartarorum, qui mos fuit introductus a rege Sapore, ab illo deponitur, eidem Imperatori tributa solvit. Sacramenta apud Armenos non dantur, nisi per pecuniam.

LXXXIX. Rex minoris Armeniæ eligit Episcopos, & presbyteros, accepta pecunia, eosque mittit ad Catholicon jubens ei ut illos ordinet.

XC. Potestatem ligandi, &c. dicunt datam fuisse soli Petro a Christo,

XCI. Potestas super totam Ecclesiam Christi non fuit data Petro, neque ejus successoribus a Christo, sed a Concilio Nicæno.

XCII. Tres ordines agnoscunt Armeni Acolythatum, Diaconatum, & Presbyteratum; hic a solo Catholicon confertur; in majori Armenia in collatione ordinum, & Episcopatus utuntur vestibus communibus.

XCIII. Diaconis ordinatis datur facultas ducendi uxorem virginem, & promoventur ad sacerdotium; sed si ducant secundam uxorem, non promoventur.

XCIV. In conferendis ordinibus diaconatus, & presbyteratus errant Armeni in non danda materia, & adhibenda forma.

XCV. Armeniæ Catholicon cuidam Presbytero facultatem dedit ordinandi diaconos;

XCVI. Solus Catholicon ordinat Episcopos, non adhibitis aliis Episcopis, & si qui ibi sunt, eos non admittit;

XCVII. Catholicon instituit, destituitque Episcopos pacta pecunia, nulla judiciali forma in destitutione servata,

XCVIII. Catholicon minoris Armeniæ ponit super caput ordinandi Episcopi ulnam, & brachium B. Gregorii, qui fuit Catholicon, asserens nisi eæ reliquiæ super ordinandis non ponerentur, nullam futuram consecrationem; & putat nullos Episcopos esse ordinatos, nisi iis hæc manus imponatur;

XCIX. Armeniæ Episcopi cum veniunt ad Latinos, dicunt, se fuisse expulsos a Saracenis, cum tamen hoc verum non sit; & ita multam pecuniam colligunt;

C. Matrimonia jungunt rogati a *parentibus*, quin habeant assensum partium;

CI. Gradus affinitatis, & consanguinitatis apud Armenos servantur; si tamen aliqui intra prohibitos gradus contraxerint, sinunt Episcopi eos in matrimonii vivere,

CII. Si tamen viro non placeat uxor, vel uxori vir, etiam suscepta prole, data pecunia, matrimonia dissolvuntur,

CIII. Multi Armeni plures uxores habent; exercentes enim mercaturas in iis locis variis, ubi eas exercent, & quo identidem se conferunt, uxores habent; spurii filii patribus succedunt juxta ac si legitimi essent;

CIV. Dicunt Christum appariturum in *judicio* in *forma divina*, *non humana*;

CV. Dicunt beatitatem in paradiso non consistere in Dei visione faciali;

CVI. Quidam Catholicon scripsit, omnes quidem mortales esse resurrecturos, sed nullam futuram post resurrectionem sexuum distinctionem.

CVII. Docent si aliquis morti proximus non habens tempus communicandi, si faciat manu crucem in terra, & ex quolibet brachio ejusdem crucis comedat modicum quid illius terræ idem facere, ac si communicaret,

CVIII. Quidam magni homines in Armenia dixerunt, sicut bestiæ moriuntur, ita mori homines; ideoque negant resurrectionem corporum, & animæ immortalitatem;

CIX. Nemo punitur apud Armenos quemcumque errorem teneat.

CX. Multi alii errores sunt inter Armenos, qui continentur in decem, & octo *libris* quorum titulos affert Pontifex,

CXI. Dicunt *quod Christus non deposuit superfluas naturæ, quia corruptio talium superfluitatum est peccatorum generatio*:

CXII. Docent in circumcisione non fuisse Christi præputium amputatum.

CXIII. Dicunt, *quod Deus propter amorem hominis victus fuit, quia in suis comminationibus non fuit inventus verax, sed semipartialis*; dixerat hominem moriturum, & ejus anima vivit, & vixit primus homo usque ad annum nonagesimum trigesimum tertium;

CXIV. Dicunt, Deum posuisse signum in Cain, ut nemo eum occideret: ipse se precipitem dedit. Ergo fallitur scriptura, quæ dicit eum fuisse occisum a Lamecho.

CXV. Duos Episcopos cum persequeretur Catholicon, confugerunt ad Regem, ut liberarentur ab hac infectatione, quibus respondit se imperare Armenis, non Latinis, rejecitque eos ad Catholicon, qui voluit eos signare chartam, in qua jubebantur jurare nullum esse baptismum, nisi confectum a Catholicon, Catholicon esse solum caput eorum loco Dei,

CXVI. Rex Ethom ut dijudicaret utra Ecclesia vera esset, congregavit Episcopos suos, & voluit eos disputare cum Legatis Pontificis, cognovitque Ecclesiam Latinam esse veram, non Armenam, proinde voluit Armenos eam profiteri; sed Magister Varthan de Nigromense scripsit librum contra Papam, in quo eum appellat superbum Pharaonem, ait Romanam Ecclesiam esse deceptam, &c.

CXVII. Armeni blasphemant Sanctam Romanam Ecclesiam, Papam, Cardinales, Catholicon minoris Armeniæ dicit, *quod Papa, & Cardinales qualibet die plures, quam ipse habeat capillos in capite faciunt homines occidere*; damnant simoniam, & omnia simoniace faciunt.

Cum superiorum errorum Catalogus perveniisset in manum Regis, tulit gravi animo, tot, tamque graves errores esse in suo populo, & Armenos haberi ut hæreticos. Voluit, ut quidam Daniel Monachus Armenus ab iis erroribus Armenos non infici probaret.

Armeniæ præsules monentur, ne Fraticellis *credant.*

XI. Ad ann. n344.§.8. CLEMENS VI. Archiepiscopis, Episcopis per Armeniam, & Persidem constitutis.

Inc. *Habet fide, &c.*

IMpiæ *Fraticellorum* sectæ nonnulli alumni irrepserant in Armeniam, & Persidem.

Verens Pontifex, ne veneno suo eos populos inficerent, Prælatos ejus nationis admonet, Fraticellos eo venisse, & hos errores prædicare,

I. Romanam Ecclesiam non esse sanctam,

II. Clementem V. Joannem XXII. & Benedictum XII. & se non fuisse, & esse veros pastores, ac proinde eorum acta nihili esse facienda,

III. Ecclesiam redactam esse ad paucos, nempe ad sectam suam.

Hujusmodi errores Christiani omnes abhorrent.

Sciant Prælati, hujusmodi homines, esse proditores fidei, esse hostes Christianæ Religionis, esse hæreticos declaratos; ne permittant eos prædicare; populis vetent iis subsidium, & favorem impendere, eos persequantur, eos e suis provinciis exterminent.

D. Aven. IV. Cal. Junii P. a. III. a. D. 1334.

Episcopus Soltanensis ne spargi permittat per Armeniam, & Persidem postillam Archiepiscopi Seleucensis.

XII. Ad ann. 1346. §. 70. CLEMENS VI. Archiepiscopo Soltanensi, ejusque suffraganeis.

Inc. *Molesta, & displicens, &c.*

POntius Archiepiscopus Seleucensis Fraticellorum hæresim hauserat, & ut in eam pertraheret alios *postillam quandam super Evangelium S. Joannis* composuerat, & in linguam Armenam transtulerat, & in vulgus eam spargebat.

In ea probare volebat Christum & Apostolos *nec in communi, nec in speciali quicquam habuisse* contra ac decreverat Prædecessor Joannes XXII. (v. de Fratribus Observantibus S. Francisci *Cum inter nonnullos* &c.)

Ne igitur hac hæresi inficerentur Armeni tanto facilius, quia Archiepiscopi dignitate ornatus erat, & commendabatur Pontius, supradicto Archiepiscopo, & suffraganeis ejus mandat,

Ut hujusmodi postillam denuncient populis hæreticam esse, & fuisse ab Ecclesia damnatam; vetent sub pœnis Ecclesiasticis eam legi, detinerique;

Cogant eundem Archiepiscopum coram Clero, & populo congregatis eam postillam abjurare.

Quod si obedire recuset, vel post abjurationem factam eam disseminet, ejus doctrinam doceat, eum citent, ut intra quatuor menses a die citationis computandos Curiæ Pontificiæ se sistat.

D. Aven. II. Cal. Aug. P. a. V. a. D. 1346.

De Synodo ab Armenis habita, & de missione librorum Decretalium.

XIII. Lib. 8. 68. CLEMENS VI. Consolatori, dicto Catholicon Armenorum, Archiepiscopis, Episcopis &c.

Inc. *Quia divinæ, &c.*

PAruerant Armeni monitis Benedicti XII. Synodum celebrarunt; errores, quibus inficiebantur, damnarunt, ejurarunque;

Tum miserunt Oratores ad Pontificem, qui hoc ei nunciarent, rogarentque eum, ut decretalium librum mitteret.

Laudat Armenorum præsulum pietatem Pontifex, qui tam prompte Pontifici paruerint.

Suamque lætitiam ad hujusmodi Nuncium conceptam iis significat, polliceturque se iis favoribus, gratiis, auxiliis opportunis nunquam defuturum.

Eos monet, ne permittant eas perversas sententias renasci, renatasque statim evellant.

Videant, an alii errores in natione sint, eosque corrigant.

Requisitos decretalium libros ad illos mittit per Legatos duos Sedis A.

Eos in linguam Armenam transferant, ut vulgatiores sint, & ab eorum doctrina ne discedant; cum Ecclesia Latina doctrina illa universa utatur.

D. Aven. II. Cal. Sept. P. a. III. a. D. 1346.

De Armenorum fidei formula nitide facienda.

XIV. Ad ann. 1351.§.2. CLEMENS VI. Consolatori dicto Catholicon Armenorum,

Inc. *Super quibusdam, &c.*

DUos legatos miserat ad Catholicon Clemens, ut quoniam habita Synodus fuerat ab iis Episcopis, formulam fidei ab illis elicerent, mitterentque Romam.

Episcopus Ceronensis, postea Pisarum Archiepiscopus (quoniam alter erat mortuus) formulam factam ab Armenis ad Pontificem misit;

Quam examinari jussit Clemens, quæ in quibusdam locis ambigue reperta est, non omnes sunt correcti, quædam necessario exprimenda tacentur.

Pontifex ergo mandat Catholicon, ut fidei formulam claram, distinctam, non restrictam mittat, non ambiguam. Ut autem defectus missæ formulæ ostendat Clemens, aliquot articulos tangit, in quibus non dilucide explanatur, quid Armeni credant.

Ex iis articulis, quos breviter asseremus, colliget Lector, in quo missa fidei formula deficiebat.

I. Nemo sine fide solam Ecclesiam Catholicam, Apostolicam Romanam esse veram Ecclesiam, in qua una detur salus, salvari potest.

II. Plenitudo potestatis est agnoscenda in Romano Pontifice; proinde credendum est, omnes illi subjici Ecclesiæ prælatos, sicut Apostoli subjecti Petro erant; quam potestatem habuit Petrus, habent ejus successores Romani Pontifices; Romanus Pontifex de omnibus Christianis judicari potest; ipse a nemine est judicandus; potest Patriarchas, & Episcopos ex una ad aliam transferre Ecclesiam; condere Canones, dare indulgentias; Catholicam Fidem impugnantes, morientesque impœnitentes damnantur; potest Papa, salvis essentialibus, quosdam ritus in administratione Sacramentorum permittere; possunt Armeni ritus suos peculiares, quin peccent, dimittere, & amplecti ritus R. Ecclesiæ; ad solum Pontificem spectat definire dubia circa fidem.

III. Armeni putabant, doctrinam quam profitebantur, se accepisse ab Apostolis Thadæo, & Bartholomæo.

Apostoli hi non docuerunt aliam fidem ab ea, quam docuerant alii Apostoli; nec ulla scripta habet Ecclesia horum duorum Apostolorum, nec præfuerunt, Petro excepto, aliis Apostolis.

IV. Est necessarium ad salutem credere, Spiritum S. a Patre, & a Filio procedere, eundem esse Deum æqualem Patri, & Filio, idque explicite credendum est.

V. Necessarium quoque est ad salutem, credere in Christo fuisse duas naturas perfectas, distinctas, divinam, & humanam, non unam ex utraque natura confusa coalescentem; hæresis Macarii Antiocheni Patriarchæ est asserere, in Christo fuisse voluntatem unam, operationem unam, fuerunt duæ voluntates, humana, & divina, duæ operationes humana, & divina; namque illæ duæ erant perfectæ, & natura humana habebat animam cujus est velle, & operari, & habebat corpus, cujus est animæ imperanti parere.

VI. Rejiciendi sunt errores Varthan, quem plurimi Armeni faciebant. Is docuit orandum esse pro Sanctis, & Christum qua hominem fuisse æqualem Deo, errores sunt.

VII. Distinguenda sunt peccata in Adamo, aliud est personale, aliud originale. Originale est illud, quod primum commisit Deo vetanti ne ederet de arbore scientiæ boni, & mali non parendo; si quod aliud peccatum post illud fecit, fuit personale. Ex illo participabant omnes mortales, dicturque originis, quia Adam, qui fuit primus mortalium, dicitur origo peccati; hoc

ab illo peccatum incœpit, vel quia cum illius peccati reatu nascimur; de personali non participat genus humanum, hoc peccatum dicitur etiam actuale.

VIII. Animæ Sanctorum in cœlis vident Deum facie ad faciem, & cum Scriptura dicit, neminem videre Deum, intelligenda est loqui de hominibus viatoribus, qui oculis corporeis mortalibus Deum non viderunt. Felicitas Sanctorum est æterna; & in eam beatitatem eunt animæ justorum decedentium ex hac vita sine reatu peccati mortalis, prius ejusdem peccati macula in purgatorio purgata, quam maculam si non habent, recta ad illam admittuntur. Animæ infidelium, morientiumque in peccato letali excluduntur ab hac felicitate, & in infernum descendunt cruciandæ æternum igne, & carentia visionis facialis Dei.

IX. Christus secundum humanitatem fuit inferior Deo, tanto inferior, quantum est discrimen inter increatum, & creatum, inter immensum, & angustum, inter infinitum, finitumque, inter Deum, & hominem. Quatenus homo tamen fuit perfectus.

X. Qui maculam culpæ habet, debet eam purgare igne purgatorii; quæ pœna finem habet ad distinctionem pœnæ in inferis, quæ est æterna.

XI. Non errant, qui conferunt baptisma per formam, quam adhibet Romana Ecclesia; illud delet peccatum originis, & actualia, si infans in baptizato. Cum hoc Sacramentum characterem imprimat, si rite collatum semel fuit, nefas est illud iterare.

XII. Matrimonium est Sacramentum novæ legis verum, ideoque *actus matrimonialis si congruo modo fiat, meritorius est*; per carnalem copulam consummatum est indissolubile; parte una mortua, superstes potest transire ad secundas, tertias, quartas &c. nuptias, neque peccat.

XIII. Potest Pontifex Romanus ordinare Clericos subjectos cuicumque Ecclesiæ Prælato, omnesque Clerici tenentur potius obtemperare Pontifici, quam suo Episcopo, *immediatius, & principaliter*.

XIV. Abstinentia ab esu pisciun, ovorum, lacticiniorum *diebus jejunii*, non est de jejunii essentia; cibi enim illi edi possunt, quin jejunium violetur.

XV. Non debent Armeni dicere in Symbolo Fidei, & *in hanc Sanctam Catholicam Ecclesiam*, quasi Ecclesia Armena sit Catholica; vera Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana non est Armena.

XVI. Transubstantiatio vera, ac realis sit in Eucharistia non cum dicuntur preces, sed cum pronuntiantur verba Christi *hoc est &c. hic est &c.*

XVII. Oleum Sanctum non est consecrandum a simplici Sacerdote; solusque Romanus Pontifex urgentibus de causis potest dare facultatem simplici Sacerdoti conferendi Sacramentum Confirmationis.

XVIII. In eadem infirmitate semel tantum est administrandum ægroto Sacramentum Extremæ Unctionis.

XIX. Baptisma a quocunque datum fuerit, modo rite collatum fuerit, non est iterandum.

XX. Armeni parati esse debent celebrare dies festos etiam eorum Sanctorum, quorum memoriam facit Romana Ecclesia.

XXI. Armenos, quos Ecclesia Romana damnavit & habet ut hæreticos, etiam Armeni hæreticos censere debent.

XXI. Libros quoque Armenorum, quos Ecclesia Romana suspectos, hæreticos, erroneosque habet, tales habere debet Armena Ecclesia.

XXII. Quia ad quædam Capitula non respondet Catholicon (recensentur Capitula hæc) vult Pontifex, Catholicon respondere, & respondere clare, ac dilucide.

XXIII. Declarare utrum aliquis sit colendus ut Sanctus spectat, ad Romanam Ecclesiam.

XXIV. Increpat Clemens Armenos, quod promissa non servarint; promiserant enim se errores esse emendaturos, & alios in formula Fidei addiderunt.

XXV. His ergo erroribus a mandatis, aliam formulam conficiant, prout in his articulis traditur cum consilio, interventuque Nuntiorum AA. eamque se servaturos jurent.

D. Apud Villam Novam Aven. Diœc. III. Cal. Oct. P. a. X. a. D. 1351.

Episcopi Cypri mittant aliquem sapientem virum in Armeniam, &c.

CLEMENS VI. Archiepiscopo Nicosien. Paphen. & Nimotien. Episcopis. XV. Ib. §. 49.

In. *Qui ab illo, &c.*

NArrat Clemens præfatis prælatibus de forma Armenorum quæ superius exposuimus.

Tum iis mandat, ut eligant aliquem doctum, sapientem, & veræ Catholicæ doctrinæ desiderio inflammatum virum, qui in Armeniam ad Catholicon se conferat, eumque super articulis, de quibus in proxime superiori constitutione errant Armeni, interroget, eum admoneat, ubi hallucinatur, illum edoceat, ubi ignorat, & formulam Catholicam ei tradat;

Juramentumque nomine Pontificis tanquam S. Sedis Nuncius ab illo, & ab Episcopis accipiat, eos secundum prædictam formulam credituros, acturosque.

D. apud Villam novam Aven. Diœc. X. Cal. Oct. P. a. X. a. D. 1351.

Nerses rogatur, ut in Armeniam se transferat.

INNOCENTIUS VI. Nerseti Archiepiscopo Mamestuerdensi. XVI. Ad ann. 1353. §. 25.

Inc. *Dudum sicut, &c.*

NArrat Pontifex Archiepiscopo de formula Fidei facienda ab Armenis jussu Prædecessoris Clementis VI.

De mandato dato Episcopis Cypri inquirendi virum doctum, quem nomine S. Sedis in Armeniam mitterent.

Mortuo Clemente, rescripserunt Innocentio Cypri Episcopi, se facta diligenti perquisitione neminem reperire potuisse, quem in Armeniam mitterent.

Pontifex itaque scribit supradicto Nerseti Arch. ut quoniam callebat utramque linguam Armenam originariam sibi, & Latinam ad Catholicon se conferret, & nomine Pontificis faciendæ formulæ interpres esset.

Curet ab Archiepiscopo, & Episcopo Cypri ad se mitti articulos, & si quem aut si quos illius Insulæ Episcopi mittent, cum illo, vel illis hanc negotio conficiendo navet diligentem operam.

D. Aven. Cal. Oct. P. a. I. a. D. 1353.

Hortatio ad Armenos, ut jugum Saracenicum excutiant, eligantque Regem Catholicum.

URBANUS V. Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & universis Fidelibus in Armeniæ Regno. XVII. Ad ann. 1365. §. 35.

Inc. *Dum in Apostolicæ, &c.*

„ EXcitarat Pontifex Latinos ad recuperandam Terram S. (Jamque tenebant Alexandriam, victoriamque e Saracenis reportarant, cum Angli recessérunt ab exercitu, magno prælio fuere victi.)

Ut plures hostes in Saracenos Pontifex compararet, Armenos monet, nunc advenisse tempus eorum immane jugum excutiendi, cum contra illos Latinorum exercitus descensurus propediem est.

Mente revolvant Armeni quam male fuerint hactenus a Saracenis habiti, videant conditionem luctuosissimam, rerumque statum considerent, in quo luctantur; arma igitur in tyrannos expediant.

Quia vero hujusmodi recuperandæ libertatis effectus nequit obtineri, nisi Regem verum sibi præficiant, qui sit Catholicus, iis contulit sibi in regem creare Livonem Latinianum consanguineum Petri Regis Cypri, ad quem Livonem regnum illud de jure spectare nosscitur.

Ille utpote qui strenuus est eos in libertatem asseret, & juste reget;

Sedes autem A. favoribus, & auxiliis opportunis iis assistere non desistet.

D. Aven. III. Non. Apr. P. a. III. a. D. 1365.

„ Pontifex Eugenius misit Oratorem Christophorum „ Garatonum in Armeniam, ut eos præsules ad uni„ tatem cum Romana Ecclesia invitaret.

„ Apocrisarii Patriarchæ Armenorum paulo ante„ quam Imperator Florentia discederet, ad Concilium „ venerunt; qui etiam Imperatorem rogarunt, ut pro „ Armenis ad pacem cum Romana Ecclesia redigendis „ suam operam interponeret.

„ Dederat iis litteras Patriarcha, ut solutis contro„ versiis, & objectis suæ Ecclesiæ concordiam nomine „ suo confirmarent.

„ Disceptatum cum apocrisariis fuit, tandem lumine veritatis illustrati a Pontifice, & a Synodo Ca„ tholicæ fidei formulam in sessione publica IV. Id. De„ cembris celebrata religiose professi sunt, suscepe„ runtque.

Unio Ecclesiæ Armenæ cum Latina omnibus significatur.

XVIII. B.M. t. I. p. 337. B.R. t. 3. P. 3. p. 23. C.C. EUGENIUS IV. Universis, & singulis Christi fidelibus.

Inc. *Exultate Deo, &c.*

AD lætitiam, & ad laudandum Deum excitat Christifideles Eugenius, eo quod Deus sui Vicarii preces enixas exaudierit Armenamque, Ecclesiam, multis gravibusque erroribus jamdiu a vera sua Catholica Ecclesia disjunctam cum illa conjunxerit, sociaritque.

Clarissime in hac unione opus Dei eluxit; simul enim atque ad Concilium Armeni invitati fuerunt, accesserе, veramque fidem sunt professi;

A qua ne unquam discederent, Pontifex credendorum compendium iis dedit.

I. Dat illis symbolum Nicænum cum explicatione additionis eidem factæ in Concilio Toletano vocis *Filioque*;

II. Illis explicat doctrinam de duabus naturis in Christo divina, & humana in una hypostasi, seu persona traditam a Concilio Chalcedonensi contra Nestorium, & Eutychetem.

III. Exponit etiam doctrinam duarum voluntatum, & duarum operationum in Christo, quæ in eodem Concilio Chalcedonensi tradita, & decreta fuit credenda contra Monothelitas;

IV. Præter synodos Nicænam, & Constantinopolitanam, & Ephesinam primam nullas alias ii noverant in Ecclesia habitas; alias celebratas illis Eugenius explicat;

V. Ecclesiæ doctrinam de Sacramentiis iis declarat, quæ septem sunt;

VI. De Baptimo circa ministrum, materiam, & formam,

VII. De Confirmatione; hujus quoque Sacramenti materiam, formamque eos edocet, & ministrum ait esse debere Episcopum;

VIII. De reliquis Sacramentis, quorum explanat quæ scitu digna sunt; præcipue explicat partes pœnitentiæ, & causam efficientem matrimonii, quæ est *regulariter mutuus consensus per verba de præsenti expressus*.

IX. Dat illis *compendiosam regulam fidei per B. Athanasium editam quicunque vult, &c.*

X. Quos dies, & quibus mensibus festos agat Ecclesia Latina in honorem Christi, Mariæ, & Sanctorum eos docet.

Quæ omnia se credere, & credituros esse testati sunt Armeni.

„ Strictim præter morem hæc attulimus, quia jam fusius exposuimus supra.

D. Florentiæ in publica sessione synodali solemniter in Ecclesia majori celebrata anno Dom. MCCCCXXXIX. XV. Cal. Decemb. Pontificatus an. IX.

Quædam dubia Patriarchæ Antiocheni solvuntur.

XIX. Ad ann. 1470. §. 28. PAULUS II. Petro Patriarchæ Maronitarum Antiocheno.

Inc. *Quia doctrinæ, &c.*

QUia dubitabat Patriarcha non recte se, populumque suum credere de Trinitate, & de Incarnationis mysterio, supplicavit Pontifici, ut explicaret quid sibi esset credendum.

Ergo credendum est, rescribit Paulus, in Trinitate esse unam essentiam, unam naturam, unam potentiam, unam operationem, unam voluntatem; ita esse definitum in Concilio Nicæno, ita docere S. Augustinum, S. Basilium, ita quartum Concilium Chalcedonense;

In Christo Domino duas naturas perfectas humanam, ac divinam *fuisse*, & utramque naturam suas habuisse proprietates, proinde in Christo fuisse duas voluntates divinam, & humanam, & duas operationes, qua erat Deus, & qua erat homo, ita docuisse quartum Concilium itidem Chalcedonense, ita Leonem M. ita Athanasium, ita Cyrillum Alexandrinum.

Hæc credat, hæc doceat, hæc edi faciat.

Confirmat ejus electionem factam in Patriarcham Antiochenum Maronitarum;

Quod si aliqui defectus in eadem electione intervenerunt, eos supplet.

Confirmat ejusdem Ecclesiæ omnia jura, & laudabiles consuetudines.

Eum hortatur ad constantiam in adversis, quæ Deus mittit, ut probet homines; quam habebit, si illud Pauli habuerit in mente, non esse condignas hujus vitæ passiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

D. Romæ apud S. Petrum Non. Aug. P. a. VII. a. D. 1470.

De professione fidei Maronitarum, & de ritu eligendi Patriarcham.

LEO X. XX. Ad ann. 1514. §. 83.

Inc. *Quem cœlum, &c.*

PRosequuturus Leo Concilium Lateranense indictum, incœptumque ab Julio II. misit ad Armenos Maronitas, sicut & ad Æthiopes nuntium A. qui eorum Patriarchas ad Concilium invitaret; aut saltem, ut eos excitaret ad mittendam professionem fidei ad Concilium.

Exceptus fuit humanissime Pontificius Nuntius a Maronitis, qui in monte Libano degunt. Is erat e Franciscana familia. Litteræque Leonis juxta gentis consuetudinem postquam deosculatas est, suo capiti Patriarcha imposuit in honoris, reverentiæque argumentum.

Tum professionem fidei misit ad Leonem.

I. De uno, trinoque Deo cath hice credit Maronitarum natio „ omnia exponuntur secundum loquendi modum Orientalium verbis translatis, ampullosisque.

II. De Incarnatione Verbi,

III. De B. Mariæ virginitate idem cum Romana Ecclesia sentit;

VI. Idem sentit de passione, & morte, resurrectione, & in cœlum ascensu, quod Catholici;

V. Futurum judicium confitetur,

VI. Agnoscit unam Ecclesiam, in qua est peccatorum remissio,

VII. Resurrectionem mortuorum,

VIII. Æternam vitam.

IX. Quomodo apud Armenos conficiatur Chrisma (*quod cum sancto Baptismate liberat a periculo*, sicut Dominus Jesus Christus dixit, *qui baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non, minime videbit gloriam Dei*) explicat. Balsamum sumitur illud quod est ex urbe *magna, & inclita, quæ Cayro dicitur, quod impositum manui ad alteram usque partem penetrat, & missum in aquam tendit ad fundum, nasciturque ex arboribus, quæ in eo loco adoleverunt, in quo vestes D. N. Jesu Christi pueri abluebantur, quodque superat omnia balsama quæ uspiam terrarum inveniuntur*.

Tum explicat ritus adhibitos in consecratione (res est minuta nimis, quæ in epilogum redigi possit; exscribenda tota esset Epistola longissima.)

His cæremoniis, quas diximus, sanctum oleum consecramus pauperes Maronitæ derelicti, spreti, subjugati ab infidelibus, oblivioni traditi, a regnis, atque a dominiis Christianorum longissime distantes, & semper obedientes sanctæ matri Ecclesiæ Romanæ, & Papæ; quin etiam observamus, & custodimus ea omnia, quæ sancta Mater Ecclesia Romana instituit, pro qua, proque Domino nostro Beato Patre nostro Papa Deo dilecto, Dei vices in terra gerenti Deum Dominum nostrum semper in horis sanctis oramus, & ex corde sanctam Sedem glorioſi Petri diligimus, quam Deus exaltet.

X. Describit Patriarcha, ut jussus fuerat, ritum electionis Patriarchæ.

Sede vacante duodecim Sacerdotes ad id jam antea constituti claudunturr singuli in singulis cellulis, ut nullus alium videre, & alloqui possit in Monasterio S. Mariæ, quod est in usum hunc.

Dantur singulis duodecim folia, singuli singulis diebus scribunt in folio nomen electi a se in Patriarcham; *quando omnes in unum conveniunt, confestim congregantur prælati, Diaconi, & Subdiaconi, & universi*

presbyteri, totaque Resp. & electum constituunt in sede felici.

XI. *Ritus divinorum officiorum* (apud Armenos) *est similis per omnia ritui omnium Ecclesiarum, quæ ordinem matris Ecclesiæ Romanæ sequuntur.*

XII. Tradit etiam Patriarcha ritum conſecrandi Patriarcham.

Usque ad primum proximum Paſcha, ex quo creatus est, confirmatur, & juratur, daturque ei ab omnibus obedientia. Die Sancto Paſchæ post celebratas tres Miſſas Magiſter chori, & omnes diacones, & presbyteri ſedere eum faciunt ante altare; deinde induunt ipſum veſtibus ſacris, imponentes novam capiti mithram exuto prius veſtibus, quibus antea utebatur.

Magiſter chori, cum univerſo Clero, & populo ante electum genuflexus ita illum alloquitur: *Spiritus S. voluit te Patriarcham, patremque ſuper omnes patres eſſe in dignitate Sedis benedictorum prophetarum, obtinereque locum Chriſti, & Vicarii ſui S. Petri; tuque eris pater ſuper nos.* Patriarcha genuflectitur, fateturque humilitatem ſuam, elevant eum Diacones, & in quodam loco abſcondunt, a quo ab uno prælatorum extractus ducitur ante altare majus, & ibi eo ſtante canitur miſſa; qua finita omnes prælati illi imponunt unus poſt alium ſecundum ſuæ dignitatis gradum manum ſuper caput his verbis: *ſit ille laudatus, qui tibi contulit gratiam.* Illi datur baculus hoc modo; ultimus prælatorum apponit manum ſuam baculo inferius, alius ponit manum ſuam ſuper manu ultimi, & ſic deinceps, ita ut manus Patriarchæ tenentis baculum ſit ſupra omnes manus prælatorum eundem baculum tenentium.

His peractis magiſter Chori coram Patriarcha ſe ſiſtit, qui humiliter magiſtrum audit; magiſter illum monet de officiis Patriarchalibus, &c. illi ea peracturo æterna pollicetur præmia, negligenturque æterna minatur ſupplicia.

XIII. Veſtes quibus utitur in ſacrificio Miſſæ, earumque myſteria Patriarcha *deſcribit* Leoni; ſuntque 1. Planeta alba, 2. cingulum, 3. amictus, 4. ſtola, 5. manipuli pendentes e brachiis, 6. camiſum, 7. Mithra, 8. baculus.

XIV. Petit a Pontifice ſuæ electionis confirmationem Patriarcha Petrus; & quoniam alii quoque Pontifices ad Eccleſiam Maroniticam miſerunt veſtes, & ornamenta, quibus utuntur Patriarchæ in Pontificalibus eas & hæc a Pontifice petit, tum quia quas, & quæ habet detrita ſunt, parumque decentia, tum quia ita pauper Eccleſia ſua eſt, ut comparari ab illa non poſſint.

XV. Eum rogat, ut quoniam in regno Cypri Eccleſia Maronitica habet quaſdam Canonicas ad Patriarcham ſpectantes eas Eccleſiæ reſtitui faciat.

XVI. Confirmationem Eccleſiæ Maroniticæ poſſeſſionis Montis Libani, *quem David propheta in ſuis pſalmis & nominavit, & honoravit*, inſtanter a Leone petit.

XVII. Eum rogat, ut oret Deum, ut ab infidelibus ſua Eccleſia liberetur, a quibus opprimitur;

XVIII. Illi etiam ſupplicat, *ut ad Venetorum Ducem litteras det, ut pauperes Maronitas qui in ſua Cypro ſunt, a tributis, quæ ſolvunt, liberos eſſe faciat*;

XIX. De aliquibus indulgentiis etiam ſupplicat Pontifici,

XX. Supplicat ut ſcribat ad Dominum Maronitarum Commendatitias litteras; *vocatur Elias filius Tymes filii Jacob, deſideratque litteras ſuæ ſanctitatis, quæ ei apprime placebunt.*

Scripta eſt Epiſtola in ædibus noſtris anno Incarnationis Chriſti quartodecimo ſupra milleſimum & quingenteſimum octava die præſentis menſis Martii.

Pontifex Patriarchæ reſcripſit, illumque docuit,

I. Sacrum chriſma ex oleo tantum eſſe conficiendum & balſamo ſine aromatibus,

II. Non eſſe expectandum quadrageſimum diem ad expiandos baptiſmatis undis infantes; quod faciebant Maronitæ, cum interea plures moriantur, & damnentur, ſed baptizandos eſſe ſtatim poſt ortum;

III. Quibus verbis fit facienda Euchariſtiæ conſecratio;

IV Matrimonia non eſſe diſſolvenda,

V. Non eſſe damnandas ſecundas, tertiasque nuptias;

VI. Peccata cum ſuis circumſtantiis ſingillatim, non generice eſſe exprimenda in confeſſione,

VII. Paradiſi gloriam morientibus ſine maculis non eſſe differendam poſt extremi judicii diem, ſed ſtatim poſt mortem iis dari;

VIII. Eſſe purgatorium, in quo maculæ peccatorum per ignem abſterguntur, quibus abſterſis, animas in paradiſum ire

IX. Spiritum S. procedere a Patre, & a Filio non tanquam a duobus principiis, & duabus ſpirationibus, ſed uno, & unica;

X. Euchariſtiam, præmiſſa exomologeſi, eſſe a fidelibus ſaltem in Paſchate quotannis in ſua parochiali Eccleſia ſumendam,

XI. Primatum Pontificis, Eccleſiæque Romanæ eſſe credendum;

D. Romæ apud S. Petrum V. Id. Oct. P. a. II. a. D. 1514.

Patriarcha miſit ad Pontificem litteras ſuas, quibus illi

Grates agebat de miſso ad ſe, ſuamque nationem internuntio,

Abjurat errores, quos hactenus foverat, putans eos errores non eſſe (ſunt autem ii, quos Leo illi explicuerat de chriſmate, baptiſmo, &c.)

Teſtaturque ſe, ſuam nationem credere, quod juſſit Leo.

Die XIV. Febr. a. 1515.

Litteræ ſunt apud Rayn, ad an. 1515. §. 7.

Maronitis auxilium ſpondetur.

CLEMENS VII. Maronitarum Patriarchæ. XXI. Ad ann. 1516. §. 79.

Inc. *Omni ſtudio, &c.*

MAronitæ montis Libani cum tyrannidis Turcarum jugum ferre non poſſent, ſupplicarunt Clementi, *ut ſibi auxilium ſuppeditaret.*

Iis reſcribit Clemens, annitantur ſervare eam fidem puram integramque; quam ſe ſervaturos Innocentio III. & Eugenio IV. promiſerunt, Deumque eos liberaturum e Turcarum præpotenti dominio;

Se propediem Chriſtianos principes ad pacem eſſe permoturum, ſe ex iis eſſe obtenturum auxilia, quibus in libertatem vindicabuntur.

Curet Patriarcha, ne ſuæ oves inficiantur hæreſibus quæ multæ numero, & quantitate magnæ Chittianam Religionem inficere poſſunt.

D. Romæ apud S. Petrum Die III. Jul. P. a III. a. D. 1526.

De Armenis reverſis ad unitatem fidei.

PIUS IV. Nicolao Frydo Archiepiſcopo Nachiſavienſi Majoris Armeniæ. XXII. Ex Rayn. ad ann. 1562. §. 30.

Inc. *Dominus, & Deus, &c.*

ABdu-Iſu *Archiepiſcopus Geziræ Civitatis in inſula Tigris poſitæ vir religioſus & doctus* iter periculoſum, & longinquum in ſenectute ſuſcipere non dubitaverat, ut obedientiam S. Sedi præſtaret.

De hoc adventu ſe maximopere lætatum fuiſſe ſcribit Pius, & gratias maximas Deo egiſſe, qui januam aperuerit ad ſectam Neſtorianorum, quæ vigebat in Armenia, Eccleſiæ Catholicæ reconciliandam.

Itaque fidei ſuæ libellum Pontifici porrexit Archiepiſcopus, in quo damnabat Neſtorii errores, ſicut damnat Romana Eccleſia, recipere ſe teſtatur concilium Chalcedonenſe, & Epheſinum primum, & *in cæteris S. Romanæ Eccleſiæ fidem atque doctrinam firmiter tenere, & perpetuo ſequi*; & velle hanc illibatam fidem tradere gregi ſuo.

Cum ergo Pius eum Catholicum eſſe comperiſſet, illum civitatis Muzal in Aſyria jam ante a fel. rec. Julio III. primatiæ dignitate decoratæ Patriarcham, ſive Primatem conſtituit, palliumque inſigne plenitudinis paſtoralis officii de more illi tradidit, multiſque honeſtatum gratiis in Aſyriam illum remiſit.

Hortatur autem prædictum Archiepiſcopum Nachiſavienſem, ut in diſeminanda vera fide Catholica Patriarcham adjuvet.

Eum etiam hortatur, ut aliquem virum probum, & navum, & callentem linguam Chaldaicam, peritumque ſacrorum rituum ad eum mittat, qui Patriarchæ aſſiſtat conſilio, doctrina, prædicatione.

In ſummo honore miſsus ille vir a Patriarcha habebitur.

Ne ve-

Ne velit Archiepiſcopus occaſionem hanc ita apud Deum promerendi prætermittere.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXIII. Jul. P. a. III. a. D. 1562.

„ Patriarcha creatus ab Julio III. a. 1553. erat Fra„ ter Sulabe de Domo Danielis Bella. Affertur ejus „ fidei profeſſio a Raynaldo ad an. eumdem §. 44. „

Anno 1563. Michael Armenorum Patriarcha miſit ad Pium IV. Nuntium cum litteris, in quibus agnoſcit cum omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis nationis Armenæ Primatum Pontificis.

Petit confirmationem *Condacii, quod ſcriptum fuit ſanguine Chriſti pretioſo in æternum inviolabili*; cujus exemplum mittit ad Pium.

Mittit etiam ad Pium *Miron, crucem auream, anzulum benedictum, & Reliquias S. Theodori Martyris, paginam quoque omnium locorum, ac monaſteriorum populorum ſuæ nationis Armenorum.*

Suam inopiam, infelicitatemque ſub Turcarum dominio illi ſignificat.

Suam fidei profeſſionem ad eundem Pium miſit, quæ convenit cum aliis hujus generis. Apud Rayn. ad an. 1564. §. 51.

Admonentur Prælati Maronitæ, ut eligant probum Patriarcham, mittiturque ad illos Jubilæum.

XXIII. B.R. t.5. p. 3. p. 350. C.C. PAULUS V. Archiepiſcopis, Epiſcopis, Clero, & populo Maronitarum.

Inc. *Benedictus Deus, &c.*

LAudatos prius Maronitas, quod conſtantes in Catholica fide perſtent, hortatur Paulus, ut, quoniam eligendus erat Patriarcha ab illis, ſepoſitis partium ſtudiis, prudentem, & probum virum eligant.

Significat iis, ſe recepiſſe Sergium Archiepiſcopum Damaſcenum, lætatumque valde fuiſſe, cum eum, eoſque conſtantiſſimos in fide eſſe intellexit.

Ut ab ea ſe concuti, dimoverique nullis ærumnis, nullis adverſitatibus patiantur, hortatur, rogatque eos in Domino.

Mittit ad illos Jubilæum, quod indixerat pro neceſſitatibus Eccleſiæ.

Ut pie, ut devote illud ſuſcipiant, eos hortatur.

Opera facienda, facultates confeſſariorum exponit, quæ ſunt jam conſuetæ.

D. Romæ apud S. Petrum IV. Cal. Dec. P. a. IV. a. D. 1608.

Patriarcha jubetur retinere antiquos ritus.

XXIV. Ib. p. 442. PAULUS V. Petro Patriarchæ Maronitarum Antiocheno.

Inc. *Fraternitatis tuæ, &c.*

PRædeceſſor Petri Patriarcha quoſdam antiquos ritus hujus Eccleſiæ cum fidelium ſcandalo immutarat.

Archiepiſcopis enim, & Epiſcopis eſum carnium iis interdictum conceſſerat,

Populo dederat facultatem in Quadrageſima veſcendi piſcibus, & vinum bibendi. Utrumque iis erat vetitum,

Tempus Adventus, quod apud eos populos eſt dierum quadraginta, imminuerat;

Jejunium dierum triginta fieri ſolitum ante feſtum BB. Petri, & Pauli redegerat ad dies quindecim;

Hebdomada antecedente Quadrageſimam conſuetudinem veſcendi lacticiniis ſuſtulerat, permiſeratque eſum carnium;

Morem, quo Sacerdos in menſa primam benediceret panem, & diſtribueret aſtantibus, ſuſtulerat,

Jam licet hi mores immutati non ſint contra fidem, quia tamen hæ ſunt antiquiſſimæ Eccleſiæ conſuetudines, præterea quia nulla urgens cauſa erat eas immutandi, Petro mandat Paulus, ut eos reſtituat.

Tum anathemate percelluit, qui per violentiam cogere voluerit Patriarcham promovere aliquem ad dignitates Eccleſiaſticas. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum XVI. Cal. Mar. P. a. VI. a. D. 1610.

Patriarchæ datur facultas benedicendi populo Pontificali benedictione.

PAULUS V. Patriarchæ Maronitarum Antiocheno. XXV. B.Bu. t.3. p. 9. B.R. t.5. p. 46. C.C.

Inc. *Quoniam fraternitatis, &c.*

PEtro Patriarchæ Maronitarum petenti a Pontifice facultatem benedicendi Pontificia benedictione populum, eam illi Paulus impartitur;

Concedit præterea, ut Archiepiſcopi, & Epiſcopi ejus nationis clerum, & laicos utriuſque ſexus, agros, domos, &c. poſſint benedictione Apoſtolica benedicere;

Clerici autem, & laici confeſſi, & ſanctiſſima Euchariſtia paſti benedictionem hanc accipientes indulgentiam plenariam conſequantur.

D. Romæ apud S. Petrum X. Cal. Dec. P. a. VIII. a. D. 1612.

Armeniæ Chriſtifidelibus conceditur Jubilæum.

GREGORIUS XV. Univerſis Chriſtifidelibus in Armenia conſtitutis. XXVI. B.R. t.5. p.5 p.91. C.C.

Inc. *Paſtoris æterni, &c.*

PRofecturi erant propediem in Armenia nonnulli Fratres ex ordine Prædicatorum, ut verbum Dei ibidem prædicarent.

Ut Armeniæ populi attentius eos audiant, majoremque fructum ex eorum Fratrum prædicationibus percipiant,

Iis populis concedit Gregorius Jubilæum conſequendum præmiſſis ſolitis operibus jejunii, viſitationis Eccleſiæ, & eleemoſynarum.

Conſuetæ facultates dantur Confeſſariis, &c. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum die IV. Febr. P. a. II. a. D. 1623.

Innocens declaratur Patriarcha Antiochenus.

CLEMENS XI. Decretum. XXVII. B.M.t.8. p. 425.

Inc. *In cauſa, &c.*

PAtriarcham Antiochenum plures Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ſynodo coacta, propter crimina illi imputata depoſuerant.

Is ad ſacram Congregationem appellavit, quæ deputavit quemdam delegatum Apoſtolicum, qui ſe conferret ad Montem Libanum, & examinaret teſtes, & proceſſus faceret, & fideliter Romam tranſferret.

His delatis Romam actibus, proceſſibusque, ac teſtimoniis, & depoſitionibus a ſacra Congregatione examinatis, declaratur Patriarcha innocens.

Hoc decretum Arabice ſcriptum jubet ſacra Congregatio diſſeminari per Patriarchatus Antiocheni provincias in Patriarchæ innocentiæ argumentum, & teſtimonium.

D. Romæ die IV. Apr. a. 1713.

Patriarcha reſtituitur in ſua jura.

CLEMENS XI. Decretum. XXVIII. Ib. p. 426.

Inc. *Referente, &c.*

DEclaratus innocens ab affictis criminibus Patriarcha reſtituitur in priſtinam dignitatem, & in jura patriarchalia, remoto adminiſtratore, quem interim lite pendente ſacra Congregatio deputaverat.

Præcipit igitur eadem Congregatio omnibus Maronitæ nationis Chriſtifidelibus, ut ſuum Patriarcham reverenter excipiant, ei ſubſint, obedientiam, & obſequium illi præſtent,

Silentiumque imponatur rebus omnibus de hoc negotio tractatis.

Inobedientibus refractariis cenſuræ Eccleſiaſticæ indicantur.

Die VIII. Maii a. 1713.

Confir-

Confirmatio Synodi Nationalis in Monte Libano.

XXIX. B.M.t.16. p. 95. BENEDICTUS XIV. ad ſ. r. m.

Inc. *Singularis Romanorum, &c.*

INter alias rationes adhibitas ab Eccleſia ab uſque ſuis primis exordiis ad diſſeminandam puritatem fidei, ad tollendos abuſus, ad ſedanda ſchiſmata fuere, & ſynodi provinciales, & generales. Ad laborantem, indigentemque remediis provinciam Legatos S. Sed, eo mittebat, congregatiſque Epiſcopis, & Abbatibus, & præcipuis ex clero, communicatis opinionibus, auditiſque ſententiis, quid decernendum foret, ſtatuebatur. Ideo Tridentinum Concilium ſynodos ſæpe convocandas eſſe edixit:

Experta eſt ingentem hanc utilitatem *inclita natio Maronitarum*, quæ ab ipſa prima origine orthodoxam fidem impollutam ſervavit ab eorum infidelium, & ſchiſmaticorum, quibus circumdatur, erroribus. Patriarchæ enim Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſentientes in diſciplinam abuſus irrepere, antequam latius ſerperent, ad eos reprimendos ſynodum nationalem indixerunt,

Scripſit illa Eccleſia ideo ad S. Sedem eximiæ reverentiæ teſtes litteras, quibus ſupplicavit Pontifici, ut quemdam delegaret, qui illi præſideret. Delegavit Clemens XII. (eo enim regnante coacta fuit Synodus) Joſephum Simonium Aſſemanum, & probitatis, & doctrinæ notis omnibus ornatum, honoribus etiam in Romana Curia inſignitum.

Perrexit ad Montem Libanum Aſſemanus cum mandatis Pontificis; coacta fuit Synodus, & habita in Eccleſia B. Mariæ Virginis Immaculatæ Monaſterii de Louiſa ordinis S. Antonii Congregationis montis Libani. Convenere Patriarcha unus, Archiepiſcopi, & Epiſcopi quatuordecim, duo Syri, totidem Armeni, Abbates Monachorum Montis Libani, & S. Iſaiæ, Miſſionarii in Syria, & Palæſtina Ordinis S. Franciſci, & Carmelitæ Excalceati, Patres Societatis Jeſu, Presbyteri, Theologi Collegii Pontificii de Roma alumni, tum Principes, & Magnates Gazeni, Hebeiſcii Familiarum Libani, & Antilibani.

Fuere edita decreta juxta inſtructiones Aſſemano Delegato datas, quæ Synodus acceptavit.

Controverſiæ fuere ſuper diſtributione pecuniæ, quæ conferebatur in diſtributionem Sacrorum oleorum, in collationem ordinum, *de incardinatione firma cujuſcumque Epiſcopi*, de reductione Epiſcopatuum ad certum numerum, de quibus ſcriptum fuit Romæ, & ſtatutum,

Interim miſſa fuere ad Congregationem de Propaganda acta ſynodi, a qua fuere diſcuſſa hæc dubia

I. *An conſtet de legitimitate Synodi?*

Congregatio reſpondit, *Conſtare.*

II. *An Canon quoad cohabitationem Monialium, ſeu mulierum ſit ſubſtituendus, an amandandus?*

C. R. *pro approbatione Canonis, citra tamen approbationem monaſteriorum.*

III. An Canon vetans Patriarchæ exactionem in diſtributione olei Sancti ſit ſubſtinendus, an reprobandus?

C. R. *approbandum.* Pontificis erit providere alio modo ſubſtentationi Patriarchæ.

IV. An Canon quoad reſidentiam Epiſcopalem in ſuis diœceſibus ſit approbandus, cum præfixo numero Epiſcoporum?

C. R. confirmandum quoad reſidentiam, quoad numerum Epiſcoporum, & limites Eccleſiarum, videnda ſunt contenta in appendice c. 41. ubi ponuntur Sedes Epiſcoporum.

V. Num ſit ſupplicandum Pontifici pro approbatione dictæ Synodi facienda per Breve Apoſtolicum?

C. R. Ita.

Rogatus ergo fuit Pontifex ſynodi decreta confirmare.

Quod hic facit Benedictus.

Per hanc tamen confirmationem non intendit derogare quibuſdam ritibus particularibus quorumdam Epiſcoporum in ſuis diœceſibus, qui interfuerunt ſynodo, qui ritus jam alias fuerunt approbati ab Apoſtolica ſede.

D. Romæ apud S. M. Maj. die I. Sept. P. a. II. a. D. 1741.

Jubetur reſidentia; præfinitio Eccleſiarum numeri; damnatur retributio pecuniæ pro Sacramentorum adminiſtratione.

BENEDICTUS XIV. ad p. r. m. XXX. lb. p. 66.

Inc. *Apoſtolicæ Prædeceſſorum, &c.*

LAudatis decretis Synodi Maronitarum, reſpondet Pontifex ad ea, quæ Congregatio ad eam remiſerat, & circa reſidentiam, & circa exactionem pecuniæ in diſtributione oleorum, &c.

Jubet ergo Benedictus reſidentiam, & Eccleſiam unam Patriarchalem, & ſeptem ſedes Epiſcopales cum ſuis diœceſibus, & limitibus, vult eſſe,

Sed abolet contributionem pecuniæ, quæ fiebat in adminiſtratione Sacramentorum.

Ne tamen deſtituatur Patriarcha neceſſariis alimentis, ait, ſacram Congregationem impoſituram taxam Epiſcopis, & Monaſteriis conſtituendam Patriarchæ dominica infra octavam B. Mariæ Aſſumptæ ſingulis annis, quod ſubſidium appellabitur.

Circa jura Patriarchæ exponit Pontifex, quæ jam ſunt communia. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XIV. Febr. P. a. II. a. D. 1742.

Nullæ declarantur electiones duorum Patriarcharum factæ.

BENEDICTUS XIV. ad p. r. m. XXXI. lb. p. 146.

Inc. *Quod non, &c.*

EPiſcopi Maronitæ inter ſe diviſi, ita ut ex una parte eſſent ſex, ex altera pauciores, elegerunt in Patriarcham illi Archiepiſcopum Arcenſem, hi Archiepiſcopum Neapoloſiæ.

Omnes hi duo electi appellarunt Romam, & uterque pallium petiit.

Delegata fuit cauſa ſacræ Congregatioæi de Propaganda, quæ auditis partibus, cenſuit neutrum eſſe confirmandum.

Cui conſilio adhærens Benedictus, nullas declarat has electiones, inhibetque utrique ſub cenſuris Eccleſiaſticis, ne quicquam agere præſumant ex officio Patriarchatus, electionem ejus dignitatis ſedi Apoſtolicæ reſervans. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XIII. Mart. P. a. III. a. D. 1743.

Eligitur a Pontifice Archiepiſcopus Damaſcenus in Patriarcham.

BENEDICTUS XIV. Simoni Archiepiſcopo Damaſceno. XXXII. lb. p. 147.

Inc. *Nuper ad nos, &c.*

ARchiepiſcopo Damaſceno Benedictus narrat ſchiſma enatum inter Epiſcopos Maronitas ſuper electione Patriarchæ, & ita electionem devolutam fuiſſe ad S. Sedem;

Benedictus eligit Archiepiſcopum Damaſcenum, quem prius liberat a vinculo ſuæ Eccleſiæ, cui erat deſponſatus; injungens ei, ut vix ac hæ ad illum litteræ pervenerint, novæ dignitatis poſſeſſionem capiat.

Eum monet, ut quoniam ad altiorem Eccleſiam promotus eſt, magis etiam pro ea elaboret;

Tum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Capitulo, officialibus, vaſſallis Eccleſiæ Antiochenæ mandat, ut electum Patriarcham reverenter ſuſcipiant, colant, illique dicto audientes ſint.

Mittit ad electum profeſſionem fidei faciendam, quam juramento ſuo firmatam remittet ad Congregationem de Propaganda.

Pallium ſe illi miſſurum teſtatur, cum Patriarcha mittet nuntium, qui illud humiliter poſtulet. N. O.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XVI. Mart. P. a. III. a. D. 1743.

Ele-

Electio Ablegati A. ad Maronitas.

XXXIII. lb. p. 150. BENEDICTUS XIV. Jacobo a Luca Ord. FF. Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia, Conventus Sancti Sepulcri, ejuſque dependentium Viſitatori, & Commiſſario Apoſtolico.

Inc. *Nuper ad ſedandas, &c.*

VIſitatorem præfatum navum hominem, & induſtrium, & de Chriſtiana religione meritum, poſtquam ei expoſuit Pontifex de ſchiſmate in electione, de proviſione a S. Sede facta, creat ablegatum Sanctæ Sedis ad nationem Maronitarum ad peragenda infraſcripta.

Ac primum dat facultatem quoſcumque decretis Apoſtolicis non obtemperantes cogendi ad obedientiam per cenſuras Eccleſiaſticas;

Tum ut omnes litteras Apoſtolicas datas Eliæ Velici Romam miſſo a Joſepho Patriarcha, ut peteret confirmationem ſynodi nationalis, & alias Apoſtolicas ordinationes ab eodem Elia recuperet;

Omnes demum facultates, quæ neceſſariæ eſſe poſſunt, ad ea, ad quæ peragenda eo mittitur, illi concedit Pontifex.

Hæc autem ſunt mandata;

I. Ut ſignificet antiſtitibus nationis per electionem factam a Pontifice, nullam injuriam illatam eſſe in poſterum eorum juri; ita egiſſe Pontificem, quia appellatio ad eum facta eſt;

II. Eum habere facultatem abſolvendi quoſcumque a cenſuris;

III. Firmandi, vel infirmandi actus emanatos ab utroque electo ante factam Pontificiam proviſionem,

IV. Condonandi omnes exactiones pecuniarum factas ab utroque electo, modo non fuerint exactæ a ſede Patriarchali, nam tunc reſtitui ab utroque debent;

V. Supprimendi omnes ſcripturas factas pro & contra ab electoribus, & ab electoribus editas,

VI. Abſolvendi Epiſcopos illicite conſecratos ab Archiepiſcopo Soriano ſuper irregularitate contracta, & abſolvendi eumdem Archiepiſcopum Sorianum,

VII. Extendendi privilegium altarium portatilium ad eas Cathedrales, quæ illa non habent, juxta litteras Benedicti XIII., & Benedicti XIV.

Sed præcipue ei commendat reconciliationem duorum competitorum inter ſe, & Epiſcoporum inter ſe diſſidentium in electione.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XVI. Mart. P. a. III. a. D. 1743.

Maronitæ monentur de adventu Ablegati.

XXXIV. B.M. t.19. p. 152. BENEDICTUS XIV. Simoni translato ad Patriarchatum Maronitarum, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ejus nationis.

Inc. *Magna non, &c.*

ADmiratum ſe fuiſſe, ait Pontifex, cum ab inclitæ Maronitarum nationis Epiſcopis intellexit, factam fuiſſe ſciſſuram cum bonorum ſcandalo in electione Patriarchæ.

Sed factum fuit bene, quod veræ religionis amor electos monuit, ut ad S. Sedem confugerent, quæ, examinatis omnibus patratis in electione utriuſque, rata eſt, ſe debere eligere tertium, virum ſpectatæ virtutis.

Non idcirco tamen, ait, velle S. Sedem quicquam juribus Antiſtitum Maronitarum derogatum; id actum ideo fuiſſe, ne diſcordiæ protraherentur, ſi alteruter eorum confirmaretur;

Venire ad eos ablegatum Sedis A. Jacobum ab urbe Luca cum magnis facultatibus, ut confirmet acta in ſynodo nationali, & ea obſervari faciat,

Ait demum, ſibi eſſe perſuaſum, eos illum benigne excepturos, neque diœceſituros unquam ab ea obedientia, quam ſemper S. Sedi Maronita præſtitit Eccleſia.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XVI. Mart. P. a. III. a. D. 1743.

Mittitur Pallium ad Patriarcham.

XXXV. lb. p. 207. BENEDICTUS XIV. Simoni Evodio Patriarchæ Antiocheno Maronitarum.

Inc. *Litteras fraternitatis, &c.*

SCripſerat Simon Evodius Pontifici, ſe accepiſſe ab eo litteras perlatas ſibi a Commiſſario Apoſtolico Jacobo de Luca tanquam S. Sedis Ablegato,

Ei gratias agit de collata ſibi Patriarchali dignitate,

Illi ſignificat, ſe conſtituere procuratorem ſuum Joſephum Aſſemanum pro impetratione pallii, quem honorem humillime poſtulat.

Ait, ſe intellexiſſe ab Ablegato, Pontificem confirmaſſe ſynodum nationalem habitam in monte Libano, & acta in ea;

Ait, ſe dediſſe juramentum fidei, adhæſionis, & obedientiæ eidem Ablegato;

Curat purgare apud Pontificem Aſſemanum procuratorem ſuum de quibuſdam criminibus illi affictis turpiter, & falſo.

D. in Conventu Ariſſæ in Koſtoano die XII. Oct. a. 1743.

Benedictus laudat illius pietatem, & religionem;

Gaudet, extinctum eſſe ſchiſma inter Epiſcopos nationis electores.

Confirmat electionem Archiepiſcopi Tyri factam a præſulibus Maronitis;

Tranſmittit ei pallium,

Datque illi facultatem benedicendi ſemel populo benedictione Pontificia, cui qui interfuerint confeſſi, & communicati indulgentiam plenariam conſequantur.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XI. Aug. P. a. IV. a. D. 1744.

Reſponſio Epiſcoporum ad Pontificem; & reſponſio hujus ad illos; narratio actorum pro pallio obtinendo.

BENEDICTUS XIV. Archiepiſcopo, & Epiſcopis Maronitis. XXXVI. lb. p. 208.

Inc. *Eximii erga, &c.*

ETiam Epiſcopi Maronitæ ſcripſerant Pontifici, ſe vix ac audierunt Ablegatum S. Sedis F. Jacobum de Luca, & legerunt epiſtolam Pontificis, depoſuiſſe quidquid in corde habebant in obſequium S. Sedis;

Se agnoſcere electum a Pontifice in Patriarcham;

Pro S. Sede paratos eſſe ſanguinem fundere;

Illi gratias agere, quod Libaniticham ſynodum approbavit;

Se, ſuam Eccleſiam illi commendare;

D. eodem an. & die.

Pontifex contra laudat obedientiam Maronitarum S. Sedis decretis,

Laudat Epiſcopos, quod tam cito, tam facile acquieverint electioni proditæ a S. Sede,

Ait, ſe mittere pallium Patriarchæ,

Et eos ad concordiam hortatur.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XI Aug. P. a. IV. a. D. 1744.

Pontifex acceptis litteris præfatis proceſſit in Conciſtorium, & Advocatus conciſtorialis petiit nomine Patriarchæ Pallium.

Pontifex expoſita patria Maronitarum, qui ſunt Syri, qui habitant Syriam, & Phœniciam, Palæſtinam, Cyprum, Ægyptum, & alias Orientis oras; quorum maxima pars vivunt in monte Libano, narrat,

Cum in Patriarchatum Antiochenum introducta eſſet hæreſis Monothelitarum, multi volentes ſe integre conſervare Chriſtianos elegerunt ſibi Patriarcham confirmatum poſtea a Pontifice Romano.

Cum Saraceni occupaſſent Antiochiam, & Latini confugiſſent in montem Libanum, Alexander IV. eorum Patriarcham titulo Antiocheni decoravit.

Sunt optimi Catholici.

Tempore Clementis XI. fuit depoſitus Jacobus Patriarcha, poſtea reſtitutus.

Tum narrat ſciſſuram factam in electione duorum Patriarcharum, & quamvis Pontifex ſe geſſerit, ut eam ſedaret, & Patriarcha a Benedicto electus fuit acceptatus ab omnibus Epiſcopis. Eſt inſtrumentum hic appoſitum,

ſUPo

Post hæc Pontifex concessit petitum pallium.

Tum procurator Generalis conversus ad Protonotarios iis injunxit, ut instrumentum de hac concessione facerent; cui eorum Decanus respondit, *conficiemus*.

In fine Assemanus procurator Patriarchæ gratias pro tot beneficiis nationi, & Patriarchæ Maronitarum collatis a Benedicto verbis amplissimis illi egit.

Quæ gratiarum actio est p. 213.

Actorum Consistorialium pro pallii petitione.

XXXVII. BENEDICTUS XIV.
B. M. t. 1. p. 273.

Inc. *Acta Consistorialia, &c.*

MOrtuo Simone Patriarcha Antiocheno, convenerunt Archiepiscopi, & Episcopi in ædem Sancti Josephi apud Auturam, elegerunt in Patriarcham Tobiam Petrum Gazenium Archiepiscopum Armenorum Cypri.

Electus deputavit Arsenium Heliopolitanum Archiepiscopum procuratorem suum, qui Romam ad Pontificem litteras perferret, peteretque humiliter ab illo pallium.

Summa epistolæ Patriarchæ est hæc;

Significat Tobias Pontifici, Patriarcham Simonem die XII. Februarii obiisse; se unanimi consensu Archiepiscoporum, & Episcoporum electum fuisse in Patriarcham die XXVIII. ejusdem mensis;

A Pontifice instanter, & humillime se pallium petere;

Ideoque se Romam mittere procuratorem suum Archiepiscopum Heliopolitanum, quem ob eximias virtutes Patriarcha summopere commendat.

Mittit simul etiam fidei professionem,

Die XX. Martii an. 1756.

Scripsit etiam idem Patriarcha ad Cardinales Congregationis de Propaganda.

Iis notam facit suam electionem,

Missionem Archiepiscopi Heliopolitani procuratoris sui Romam, ut pallium a Pontifice petat,

Quos orat, ut procuratorem adjuvent ad illud consequendum.

D. eodem die, annoque.

Etiam Archiepiscopi, & Episcopi, qui sunt quatuordecim, 1. Listræ, 2. Botri, 3. Ptolemaidis, 4. Laodiceæ, 5. Tripolis, 6. Damasci, 7. Arcæ, 8. Tyri, 9. Pomeadis, 10. Sidonis, 11. Beryti, 12. Eden, 13. Tagriti, 14. Cypri scripserunt Pontifici, se elegisse Patriarcham Tobiam Petrum,

Eumque orant, ut pallium ad eum mittat.

Postulationem hanc pallii factam a Patriarcha examinandam demandavit Pontifex sacræ Congregationi de Propaganda;

Quæ censuit, consulendum esse Pontifici de admissione supplicationis.

Die ergo XXVII. Martii a. 1757. Pontifex progressus in Consistorium ait, quadraginta jam, & ultra effluxisse annos, ex quo Patriarchæ Alexandrino ritus Græci, ejurato ab eo schismate Clemens XI. dedit pallium; tunc Benedictus erat Advocatus consistorialis.

Ipse Benedictus dedit pallium Patriarchæ Armeniæ minoris, & Ciliciæ.

Illud etiam dedit Petro Evodio Patriarchæ Maronitarum, tantoque lætior dedit, quia Maronitæ in Sacramento Eucharistiæ utuntur azymo pane, & quia addictissimi sunt Romanæ sedi, quod ostenderunt, cum prædictum Petrum electum a S. Sede alacres susceperunt.

Electus Tobias cum instanter pallium petat, videri æquum illud ei concedere.

Tunc Advocatus Consistorii simul cum procuratore Patriarchæ humillime pallium exposcit.

Hic Pontifex pallium procuratori dedit.

Apponitur gratiarum actio facta a procuratore Pontificis p. 276. de collato hoc beneficio suo Patriarchæ, & de pluribus aliis universæ nationi datis.

De missione Pallii, de amore Pontificis in Patriarcham, & nationem.

BEDEDICTUS XIV. Tobiæ Petro Patriarchæ Antiocheno Maronitarum. XXXVIII. Ib. p. 276.

Inc. *Et Venerabilem, &c.*

SE recepisse procuratorem Patriarchæ, & litteras ejus, scribit Benedictus Tobiæ; se valde fuisse lætatum ejus obsequium, reverentiamque in S. Sedem audiendo ex procuratore, & legendo in litteris.

Approbat confirmatque electionem ejus, cujus de virtutibus, meritisque jam certior erat.

Mittit ad illum pallium, &c.

Eum hortatur ad pugnandum bonum certamen pro sua Ecclesia,

Polliceturque Patriarchæ, & Maronitarum nationi, se nullam in eum, & in illam amorem suum testandi occasionem esse prætermissurum.

D. Romæ apud S. M. Maj. die XXX. Apr. P. a. XVII. a. D. 1757.

Hortatio ad obedientiam, obsequiumque erga Patriarcham.

BENEDICTUS XIV. Archiepiscopis, & Episcopis nationis Maronitarum. XXXIX. Ib. p. 277.

Inc. *Non possumus, &c.*

PAtriarchatus Antiocheni prælatis significat Benedictus dolorem suum e morte Patriarchæ Simonis, & ex electione Tobiæ ab iis tanta animorum concordia facta lætitiam.

Scribit, se ad illum pallium mittere, &c.

Eos hortatur ad obedientiam Patriarchæ præstandam,

Et ad conservandam in populis sibi a Deo commissis Catholicam fidem impollutam.

D. eodem die.

Laudantur Maronitarum Proceres.

BENEDICTUS XIV. Proceribus Maronitis. XL. Ib. p. 278.

Inc. *Quam præclaram, &c.*

MAronitas laudat Pontifex, quod constantes in fide sint, quos ut semper in ea perstent immoti, hortatur,

Quod tam reverenter electum Patriarcham susceperint,

Ad eum semper colendum, ad illi parendum eos excitat,

Fausta cuncta a Deo illis adprecatur, benedicitque.

D. eodem die.

DE ECCLESIA ARMENA CAPHENSI.

Armeni Caphenses cum Romana Ecclesia sentiunt.

JOANNES XXII. Archiepiscopo Armenorum, & presbyteris per Caphensem diœcesim constitutis. XLI. Ex Rayn. ad ann. 1318. §. 15.

Inc. *Exultavit cor, &c.*

ESuis sedibus expulsi hi Armeni a Saracenis confugerunt in Tauricam Chersonesum. Credebant idem quod Armeni, qui erant, suntque in Cilicia, & in Armenia.

Hi quoque Caphensi Episcopo Latino Romanæ Ecclesiæ nomine obsequium devoverunt, & Catholica dogmata se professuros promiserunt.

Eos summopere Joannes commendat, eosque ne ab hac fide umquam deficiant hortatur.

Quia vero in vino consecrando non solebant aquam ponere, quam admoniti de errore ponere cœperunt, iis probat Pontifex esse aquam vino admiscendam.

Quis credere potest, Christum adeo temperantiæ amantem vinum purum adhibuisse in illa ultima cœna?

Salomon hunc calicem consecrandum prædixit, *venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.*

Aqua

Aqua in vino posita significat aquam e latere Christi egressam; ideo hoc Sacramentum dicitur *memoriale* Christi passionis;

Significat aqua populos, qui per passionem ad Christi fidem tracti sunt, S. Joannes id clare dixit, *Aquæ, quas vidisti, populi sunt.*

„ Ad probandum id, satis est animadvertere, Calicem a Christo consecratum fuisse illum, quem He-
„ bræi dicebant *poculum benedictionis*, in quo ponenda
„ erat aqua ex lege.

„ *De poculo benedictionis* dissertationem pereruditam
„ edidit Daniel Gottfridus VVerner.

Eos hortatur Joannes ut hunc ritum a Romana Ecclesia semper servatum sequantur.

D. Avenione Cal. Apr. P. a. II. a. D. 1318.

Formula fidei credenda ab Armenis inter Tartaros dispersis.

XLII. Ad ann. 1321. §. 21. JOANNES XXII. Armenis Clero, & populo per Tartarorum Imperium degentibus.

Inc. *Nequaquam, &c.*

SUmmo dolore Joannes afficitur cum videt quædam membra divisa a capite suo in magno æternæ damnationis versari periculo.

Quare ita munere suo exigente enitendum sibi est, ut ea ad unitatem cum suo capite revocentur.

Ad Armenos ergo degentes in Imperio Tartarorum formulam fidei mittit, quam & ad Armenos Ciliciæ, Armeniæque miserat.

Est formula Clementis IV.

His Armenis explicat de præcepto semel saltem in anno faciendam esse exomologesim proprio Sacerdoti, sumendamque Eucharistiam.

Quos dies festos celebret R. Sedes in honorem Domini, Mariæ, Sanctorumque, illis percenset Joannes.

Mittit ad eos duos Fratres Minoritas peritos in fide, benigne eos excipiant, & eorum prædicationibus assistant.

D. Aven. X. Cal. Dec. P. a. VI. a. D. 1321.

Armeni Saracenses de Episcopo expulso reprehenduntur.

XLIII. Ib. §. 23. JOANNES XXII. Dilectis filiis populo Armenorum per Saracensem Civitatem, & Diœcesim constitutis.

Inc. *Nuper non sine, &c.*

HI Armeni simul cum quibusdam Saracenis Stephanum Episcopum Saracensem expulerant injuriis, contumeliisque affectum.

Plures sunt in hoc facinore circumstantiæ, ex quibus singulis dolorem ingentem se percipere, Joannes iis scribit. Cum *fœtida gente Saracenorum* hostium Dei, hostium Ecclesiæ, hostium ipsius nationis Armenæ se conjunxerunt;

Expulerunt eneratum injuriis pastorem suarum animarum, pro cujus honore tuendo, pro cujus liberatione ab injuriis sanguinem ipsum effundere debuissent, quem ille effundere ut verus, bonusque pastor pro iis paratus erat,

Expulerunt eum, quem per vim retinere debuissent, si sponte ab iis voluisset recedere.

Omnes hæ circumstantiæ mirum quantum illos coram Deo reos facit.

Hæc una igitur via superest tam enormis criminis luendi; restituant Episcopum in suam dignitatem, & quam injuriosi ei fuerunt antea, tantumdem eum colant, & honore prosequantur in posterum, illiusque monitis, doctrinisque acquiescant.

D. Aven. X. Cal. Dec. P. a. VI. a. D. 1327.

E Syria adventus Legati Romam: Syrorum errores.

XLIV. ex Rayn. ad ann. 1444. §. 15. EUGENIUS IV. ad p. r. m.

Inc. *Multa, & admirabilia, &c.*

MUltas, & magnas lætandi causas dat quotidie Christus Ecclesiæ suæ. Cum tot populi ad uni-

tatem Ecclesiæ venissent, Deus tamen etiam Syrorum cor tetigit, ut redirent ad veram Ecclesiam.

Quare iterandæ sunt Deo laudes, iterandæ grates, dandæ sese supereffundentis lætitiæ significationes.

Habitant hi, qui venerunt Mesopotamiam inter Tygrim, & Euphratem; eorumque Patriarcha Ignatius Abdalam Archiepiscopum Edessæ Legatum suum, & totius suæ nationis ad S. Sedem misérat, postulans, ut *fidei regulam, quam Sacrosancta Romana professetur Ecclesia, eisdem (Syris) Eugenius traderet.*

Accersitis igitur quibusdam peritis rerum Theologicarum magistris Archiepiscopum de rebus fidei eruendi demandata provincia fuit. At cum illum interrogassent, repererunt, eum recte de fide sentire; præterquam in tribus articulis

I. De processione Spiritus Sancti,

II. De duabus in Christo naturis,

III. Et de duabus in illo voluntatibus, & operationibus.

Cum quædam Archiepiscopi objecta solvissent, & dubia explicassent, traditæ doctrinæ ille acquievit, explicatamque rectam Ecclesiæ Romanæ fidem de tribus illis articulis professus est nomine Patriarchæ, nationisque.

Explicat fuse Pontifex doctrinam eorum trium capitum.

Præterea jussit Pontifex profiteri Archiepiscopum se credere, quæ tradita fuerant Græcis, & Armenis, & Jacobitis. Quæ in Arabicum versa cum Archiepiscopus legisset, & laudasset, ea professus est nomine ejusdem Patriarchæ, & nationis se credere, & creditурum esse.

Quos habet Ecclesia Romana doctores, quos eadem Ecclesia damnat, professus est se habere, se damnare nominibus suprædictis.

Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

D. Laterani in publica sessione Synodali an. Incarn. Domin. MCCCCXLIII. pridie Cal. Octobris Pontificatus nostri anno XIV.

„ Anno 1562. Patriarcha Syrorum Orientalium trans
„ Euphratem limina Apostolorum *visitatum Romam* ve-
„ nit, oblatusque Pontifici perpetuam obedientiam illi
„ est professus, subjecitque Romanæ Ecclesiæ omnes
„ Metropolitas, & Episcopos sibi subditos.

„ Professus est, se accipere omnia Concilia, quæ
„ accipit Romana Ecclesia, & adhærere decretis Con-
„ cilii Tridentini.

„ In Concilio Tridentino cum lectæ fuissent litteræ
„ Patriarchæ, in quibus asserebat, se habere subjectas
„ Ecclesias Cuschin, Cananor, Goa, Calecut, & Ca-
„ rougel, Orator Lusitanus professus est; asserens eas
„ Ecclesias esse sub Metropolita Goensi, qui est Primas totius Indiæ.

Responsio ad dubia Missionariorum.

BENEDICTUS XIV. ad Missionarios per Orientem deputatos. XLV. B. M. t. 1. p. 151.

Inc. *Allatæ sunt, &c.*

MIssionarii *in Civitate Balsorensi* Congregationi de Propaganda scripserunt, in ea urbe commorari Catholicos Armenos nempe, & Syriacos, qui carentes templo proprio in templo Missionariorum juxta ritus suos offerunt, Laici autem ab iisdem Sacerdotibus Sacramenta percipiunt; quæsierunt ergo utrum melius esset eos Sacerdotes sequi Calendarium novum, relicto veteri, in iis quæ pertinent ad solemnitates.

Præterea scripserunt, cum Armeni, & Syriaci diebus jejunii piscibus vesci non possint, multos tamen ex iis vel fragilitate, vel quia Latinorum vident contrariam consuetudinem, iis diebus piscibus vesci; conveniens proinde videri dari facultatem Missionariis cum iis dispensandi super hoc.

Missionariis respondit Sacra Congregatio nihil super his esse innovandum; quod decretum editum fuit ann. 1755. congruitque cum alio emanato ab eadem Congregatione an. 1702.

Ideo autem Benedictus encyclicam hanc Epistolam ad Missionarios in iis partibus commorantes mittit, ut quandam regulam habeant, juxta quam sese dirigant, *quoties Orientales ad Catholicam Fidem convertuntur; & quæ servanda cum Orientalibus Catholicis, qui versantur in locis, ubi aut nulli degunt Latini, aut Latini Catholici simul cum ipsis Orientalibus Catholicis commorantur.*

Ex Historia Ecclesiastica multa erudite more suo depromit Benedictus, ut ostendat Romanorum Pontificum curam, ut unirent Ecclesiam Orientalem cum Occidentali, unionemque factam in Concilio Florentino perpetuam conservarent; quæ quia jam supra attulimus ne actum canere videamur, fatigemusque lectores, iis nunc afferendis supersedemus.

Jam omnium Pontificum una fuit cura, ne ullus Orientalis Ecclesiæ ritus immutaretur; proinde studuerunt, *ut typis Congregationis de Propaganda Missalia Copticum, Maroniticum, Illyricum, Euchologium prodirent*. Examen horum operum incœptum fuit sub Urbano VIII. & completum sub Clemente XII.

Ex his, quæ laxiori calamo a Pontifice *velata sunt, plura facile inferri possunt* a Missionariis, quomodo se gerere debeant *ad Orientales Schismaticos, & Græcos ad fidem convertendos*.

Inhæreant ergo his libris, ex quibus argumenta eruere poterunt Missionarii ad refellendos errores Lutheranorum, & Calvinistarum, quarum sectarum discipuli totis viribus conati sunt Orientales in suos errores perducere.

Vix ac unio in Florentina Synodo sub Eugenio IV. peracta fuit, vetuit successor Eugenii Nicolaus V. Latinis transire ad Græcum ritum, & Græcis amplexatis ritum Latinum remeare ad ritum Græcum absque licentia S. Sedis, quod confirmavit & Benedictus XIV. in Constitutione *etsi Pastoralis*, quod intelligendum est etiam de aliorum rituum Catholicorum sectatoribus.

Quia autem quædam argumenta pro hoc transitu videntur afferri posse, ea diluit Pontifex.

Aliqui ritus Latini permittuntur Orientalibus.

Respondet Pontifex, Orientales, & Græcos duas efformare classes; *alii non contenti iis, quæ permittuntur ab Apostolica Sede extra honestatis limites impudenter feruntur ... Jam Græci, & Orientales ut Catholici sint debent fateri, tam azymum panem, quam fermentatum, materiam esse aptam Eucharistiæ, & quemlibet Ecclesiæ suæ ritum sectari oportere.*

Altera classis est eorum qui cum ritibus suis aliquem Latinum ritum conjungunt; tales sunt Armeni, & Maronitæ qui ritum consecrandi in fermentato deseruerunt, & consecrant in azymo, quæ disciplina a quo incœperit quærunt, nec conveniunt auctores, alii hunc, alii alium auctorem facientes.

Investigat etiam Pontifex unde incœperit mos communionem dandi infantibus post Baptisma statim: an. 1314. hic error invaserat Armenos, ad æternam salutem præter Baptisma necessariam esse infantibus Eucharistiam, qui mos apud Græcos paulatim abiit in desuetudinem ob inconvenientia quæ enascebantur;

Quærit etiam, unde fuerit incœptus mos communicandi sub utraque specie, qui servatur etiam nunc in Seminario Græco a Gregorio XIII. Romæ erecto; panis enim fermentatus intingitur in Calice, & parvo cochleari porrigitur communicantibus; Sed incertum est, varia sentientibus auctoribus.

Mos est etiam Ecclesiæ Orientalis post consecrationem admiscendi aquam tepidam in Calice; Rutheni tamen an. 1720. hunc morem sustulerunt.

Quæ quidem exempla, ut astruatur permissio transitus ab uno ad alium ritum, nihil efficere, ait Benedictus. Namque interdum Ecclesia Romana quosdam ritus, quos permisit, revocavit etiam, si vidit aliquod enasci inconveniens, ipsa ritum hunc ab hac Ecclesia in aliam transtulit, sic morem recitandi symbolum in Missa Ecclesia Occidentalis desumpsit ab Orientali, patresque Toletani Concilii fuere primi, *qui se ad ritum Orientalem retulerint*; ita desumptum fuit trisagium ab Ecclesia Orientali; mos exponendi adorationi crucem a Græca Ecclesia promanavit; & alia multa, vel in Ecclesiam universalem, vel in aliquam particularem invecta.

Ita Ecclesia Orientalis permissu Romanæ Sedis multa desumpsit ab Ecclesia Occidentali.

Post tot digressiones redit Pontifex ad id quod dedit Missionariis Sacra Congregatio responsum, nimirum *nihil esse innovandum*.

Nimirum si Sacerdotes Orientalis ritus in Ecclesiis Latinorum Sacra faciunt, faciant ritu suo, & Latini ritu itidem suo sacra peragant in Ecclesiis Orientalium;

Neque admisceantur ritus; ita capta Constantinopoli Græci, qui inde aufugerunt, alii digressi Romam, alii Venetias, cum Ecclesias nullibi haberent, utrobique in Latinis Ecclesiis sacra facientes suo ritu faciebant, ita nunc in Russia, ubi paucissimæ sunt Ecclesiæ Latinorum, sed pleræque Ruthenorum, Latini suo ritu in Ruthenorum Ecclesiis celebrant, Rutheni suo in Ecclesiis Latinorum.

Quærit Benedictus, num sicut in Ecclesia Orientali in quolibet templo unum est altare, ita fuerit unum in Ecclesia Occidentali?

Sed probat semper plura altaria in templis Occidentalis Ecclesiæ fuisse; ideo autem Græci unum tantum sacrificium eodem die super eodem altari offerunt, quia erronee putant Sacerdotem induentem paramenta adhibita ab alio Sacerdote, qui celebravit, frangere jejunium; cæterum in utraque Ecclesia antiquitus una tantum dicebatur Missa, quia omnes Sacerdotes simul cum Episcopo concelebrabant; Non ideo tamen, quod falso colligunt Lutherani, in Orientali Ecclesia damnantur Missæ privatæ, ut ostendit *Schelestratus ex actis Ecclesiæ Orientalis contra Lutheranos c. 1. de Missis privatis in Ecclesia Græca*. Ut autem Latini Sacerdotes in Ecclesiis ritus Orientalis celebrare possint, in iis adest alterum altare, super quo Latini celebrent.

Conveniens ergo est, ut sicut Græci de suis Ecclesiis commodant Latinis, ubi Latinæ Ecclesiæ desunt, ita Balteræ Latini commodent Armenis, & Syriacis, ut ritu suo divina in illis peragant.

Venit nunc Benedictus ad solvendam alteram quæstionem, num Armeni celebrantes in Ecclesiis Latinorum (nam si celebrent in suis nulla est quæstio) uti debeant Calendario correcto a Gregorio XIII. a. 1582.

Sed respondet Pontifex, *hic quoque nihil esse innovandum*. Italo-Græcis, qui subjiciuntur Latinis Episcopis indictum fuit, ut servent novum Calendarium, quod faciunt, ut videre est Messanæ; sed non adeo tamen severe iis injunctum est, ut si ab eo recedant, Ecclesia Romana iis subirascatur; ita Sacra Congregatio respondit de Armenis Liburni commorantibus Ecclesiamque propriam habentibus. Orientalibus injuncta fuit observatio Calendarii novi, sed ita injuncta fuit; ut si periculum tumultus adesset, ea non exigatur.

Negat demum Pontifex, facultatem dari posse Missionariis dispensandi cum Armenis, & Syris tempore jejunii, ut piscibus possint vesci. Nunquam enim Sedes A. passa est disciplinam veterem infringi; præcipue cum allatæ a Missionariis rationes pro dispensatione parvi, ne dicam nullius, sint roboris.

Dat. Romæ apud S. M. Maj. Die XXVII. Jul. P. a. XV. a. D. 1755.

DE ECCLESIA JACOBITICA-MARONITICA.

De reditu Patriarchæ ad Romanam Ecclesiam.

GREGORIUS IX. Patriarchæ Jacobitarum Orientalium. I. ex Rayn, ad ann. 1237. §. 88

Inc. *Digne, imo &c.*

„ DUo sunt Patriarchæ Jacobitarum; unus in Ægypto, & alius in Oriente.
„ Patriarcha Orientalis cum suis populis infectus est
„ Nestoriana hæresi. Ipse præest Chaldæis, Medis, Persis,
„ & Armenis; Ægyptius habet cum suis populis erro-
„ res multos; negat confessionem auricularem, neces-
„ sariam ad salutem dicit circumcisionem simul cum
„ baptismate, & est infectus hæresis Euthychiana, agno-
„ scitque unam tantum naturam in Christo. Præest In-
„ diæ Minori, Æthiopiæ, & Lybiæ, Ægyptoque.

Jam Patriarcham Orientalem cupido incesserat loca sacra videndi. Eum benigne exceperunt Fratres Ord. Prædicatorum, qui loca illa custodiebant.

Ut fit, longo sermone errores, quibus erat infectus, illi ostenderunt. Is eos abjuravit, & Religionem Catholicam professus est, promisitque se eam prædicaturum per suam provinciam, & habitum Prædicatorum assumpsit, quod fecerunt alii ejus Comites.

De hac conversione factus certior Gregorius, non distulit illi scribere.

Gaudium ergo suum illi significat Pontifex, & ex conversione ejus, sociorumque & ex habitu sumpto, *cui Petri clavis habetur assidue gratiosa*.

In hoc admiratur Pontifex divinam gratiam.

Deumque rogat ut quod incœpit perficiat.

Eum rogat ut in suscepta fide persistat, eamque disseminet,

D. Viterbii V. Cal. Aug. P. a. XI. a. D. 1238.

Sed cito in pristinos errores est relapsus.

Cum Innocentius Legatum A. misisset in eas partes, qui ad Catholicos Jacobitas litteras Pontificis detulerunt, quibus invitabantur ad conjunctionem cum Ecclesia Romana, uterque Catholicus Jacobita scripsit ad Pontificem, suamque fidei formulam misit; quæ quidem & quoad Trinitatem, & quod Mysterium Incarnationis cum doctrina Catholicæ Ecclesiæ convenit; in ea damnantur omnes a fide Romanæ Ecclesiæ, & a Concilii Nicæni decretis aberrantes; agnoscitur primatus Sedis Romanæ. Dicit, ita credere Ægyptios, Armenos, Lybios, & Æthiopes.

Unitatem cum Ecclesia Romana uterque amplectitur.

Quatuor a Pontifice fieri postulat;

I. Ut mortuo Patriarcha suo, congregentur Archiepiscopi, & alium eligant secundum Canones, & consuetudines suæ Ecclesiæ;

II. Ut Patriarcha, Archiepiscopi, & Episcopi Latini, qui sunt in iis partibus non judicent super Patriarchas & Episcopos nationis, sed super Prælatos latinos tantum,

III. Ne Prælati latini exigant censum ab Ecclesiis, & Monasteriis, quæ sunt ritus Jacobitici; sed Latini cum Jacobitis communicent libertates Ecclesiæ, & sicut Jacobitæ non exigunt a Latinis, ita decet Latinos non exigere ab Jacobitis.

IV. Ut qui ex Jacobitis contrahunt cum Latinis, non teneantur ad confirmationem secundam, *cum sint insigniti charactere baptismali, & confirmati fuerint una vice*.

Etiam Archiepiscopus Nisibinus qui præsidebat Jacobitis Nestorianis misit ad Pontificem formulam suæ fidei, abjuratis Nestorii erroribus: *Maria peperit Christum; intelligitur quod ipsa peperit Deum filium, unam trium personarum unitam homini uni, de quo dicitur in Evangelio, quod ipse est Filius David, & filius Abraham, & est Filius Mariæ Virginis, & Dei Patris.* Ipse quoque amplectitur cum Catholica Romana Ecclesia conjunctionem. Hæ formulæ sunt apud Raynaldum ad an. 1247. a §. 32. usque ad 44.

Excitatur Patriarcha ad se conjungendum cum Romana Ecclesia.

II. Ad ann. 1289. §. 56. NICOLAUS IV. Patriarchæ Jacobitarum.

Inc. *Disponente summi, &c.*

ACceperat Nicolaus, Jacobitarum Patriarcham piis operibus vacare, benigne excipere Minoritas Fratres, qui in iis regionibus Christianam Catholicam Religionem disseminabant, iisque præsidio esse.

Hac igitur causa motus supradicto Patriarchæ scribit,

Se ex munere suo non posse quominus salutem æternam populorum defendat, se proinde mittere Sacros Ministros, ut prædicando Catholicam fidem rationem eandem vitam consequendi iisdem populis ostendant;

Se scire, Patriarcham, cui multitudo magna populi subjacet, eodem ardore æstuare, & suscepti muneris ejus ratio postulat.

Quare ne differat ostensam a Fratribus illis viam inire; conjungat se, suosque populos cum Romana Ecclesia, quæ una est Magistra veritatis, una vera Ecclesia, extra quam nulla datur salus.

Accipiat adhortamenta hæc sincera animo æquo.

Ut autem sciat Patriarcha, quid credere debeat, ut possit esse cum Romana Ecclesia conjunctus, mittit ad illum formulam fidei *Credimus in Sanctam, &c.* (v. supra de Imp. Græco *Magnitudinis tuæ, &c.*)

D. Reate Non. Jul. P. a. II. a. D. 1289.

Plures litteras ejusdem tenoris scripsit Nicolaus ad Jacobitarum primores.

Hyabalaba Patriarcha totius Orientis scripsit ad Benedictum XI. a. 1304. testatusque est se agnoscere Romanæ Ecclesiæ primatum.

Exponitque suæ fidei formulam, quæ est omnino Catholica apud Rayn. a. 1304. §. 23.

Provocatur Patriarcha ad conjunctionem suorum populorum cum R. Ecclesia.

JOANNES XXII. Marforiano Jacobitarum Patriarchæ. III. Ad ann. 1330. §. 57.

Inc. *Circumspectionem, &c.*

DEmonstrata Patriarchæ unitate Ecclesiæ argumentis jam superius dictis, eum monet, ut ad conjunctionem cum R. Ecclesia populos sibi commissos inducat.

Ad hanc conjunctionem faciendam eo mittet aliquot Fratres Ordinis Prædicatorum, & Guillelmum de Cigiis Episcopum Taurisiensem.

Eos benigne recipi faciat Patriarcha.

Conjunctione peracta alias in partes ituri erant.

D. Aven. X. Cal. Febr. P. a. XIV. a. D. 1330.

„ Albertum Fratrem Minoritam miserat Eugenius ad
„ Jacobitarum Patriarcham cum litteris, quibus eum
„ invitabat ad Concilium Oecumenicum, in quo quo-
„ niam erat facienda concordia Ecclesiæ Græcæ cum
„ Latina, fieret etiam eadem concordia Ecclesiæ illius.

„ Lecta Pontificia Epistola ingenti gaudio omnes perfu-
„ dit, Patriarcha misit ad Concilium Abbatem S. Antonii,
„ cui mandaverat, ut conjunctionem faceret. Abbas
„ coram Pontifice & patribus agnovit Primatum Ro-
„ manæ Sedis, quem Jacobitæ non agnoscebant *post-*
„ *quam anno nongentesimo a vobis fuimus separati*.

„ Abbas hic Andreas erat etiam Orator Imperatoris
„ Æthiopum Constantini, qui postea misit & alios.

„ Etiam misit Oratorem *Nicodemus Abbas pro Æ-*
„ *thiopum Imperatore super Æthiopibus Hierosolymis*
„ *commorantibus*.

„ Hic quoque orationem habuit ad Pontificem, in
„ qua explicat gaudium totius Abyssiniæ regni pro hac
„ unione, cujus constantiam in fide Catholica narrat,
„ quod si ab illa defuit, non malo animo defecisse di-
„ cit, sed ob nimiam distantiam, quanta sit reverentia
„ Imperatoris erga S. Sedem exponit. Etiam litteras
„ ejusdem Abbatis attulit, quibus veniam petit, si
„ non venit ad Concilium, seque venerari Pontificem
„ testatur.

Litteræ encyclicæ super unione Ecclesiæ Jacobiticæ.

EUGENIUS IV. Universis, & singulis Christifidelibus. IV. B.M. t. 4. p. 344. B. R. t. 3. p. 3. p. 37. C.C.

Inc. *Cantate Domino, &c.*

„ ETiam Ecclesia Alexandrina, quæ comprehendit
„ totam Ægyptum, cum concordia facta fuit in
„ Concilio Florentino Ecclesiæ Græcæ cum Latina,
„ adhæsit huic unitati; & Philoteus, qui se inscripsit
„ *Papam, & Patriarcham magnæ Civitatis Alexandriæ*,
„ ac totius Ægypti, scripsit Eugenio,

Se ab Alberto F. Minorita misso a Pontifice fuisse invitatum ad Concilium, in quo audivit factam fuisse unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina, intervenientibus Concilio plurimis patribus.

Promittit se in Dyptichis positurum nomen Pontificis supra omnia alia nomina, se recipere decreta in Sancta Florentina Synodo.

Se scripsisse ait, *ad Imperatorem, & quosdam Pontifices Constantinopolim, & si quis ea, quæ in Sacra Synodo decreta, ac definita sunt non recepit, tanquam tyrannus, & hæreticus habeatur, decidatque a communione Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ*.

„ Oratores Imperatoris Constantini, & Patriarchæ
„ Alexandrini, qui dicitur a Pontifice Presbyter Joan-
„ nes iverunt cum Pontifice Romam, quo transtulit
„ Concilium; habuitque aliquot sessiones in Ecclesia La-
„ teranensi.

Ergo ad lætitiam, & ad persolvendas Deo grates fideles omnes excitat Eugenius, quod etiam Armeni unitatem cum R. Ecclesia fuerint amplexati.

Postquam igitur Abbas S. Antonii professionem veræ fidei edidit Pontifex illi dedit fidei formulam; cujus hæc est summa.

§. IV. Docet Pontifex mysterium Ss. Trinitatis, & processionem Spiritus S. a Patre, & a Filio non tanquam a duobus principiis, sed ab uno,

V. Rejicit errores Arii, Sabellii, Macedonianiorum de hoc mysterio,

VI. Deus creavit omnia visibilia, & invisibilia, res corporales, spiritalesque, agit Eugenius de Vetere, & Novo Testamento, opera in utroque volumine contenta recenset,

VII. Explicat errorem Manichæorum, qui duo ponebant principia, seu Deos; Deum unum faciebant auctorem bonorum, Deum alterum malorum auctorem;

VIII. Etiam Mysterium SS. Incarnationis,

IX. Christi Passionem, Resurrectionem, Ascensionem in Cœlum, faciendum ab illo universale judicium.

X. Monet de erroribus fugiendis in hoc mysterio damnatis ab Ecclesia, Ebionis, Cherinti, Marcionis, Pauli Samosateni, Fotini, Nestorii, Eutychetis;

XI. Docet per hunc hominem Jesum Christum factam fuisse humani generis reparationem;

XII. Docet veteris legis cæremonias, sacrificia abolita esse in nova lege.

XIII. Damnat errorem dicentium, observantiam Legis Mosaicæ rituum esse necessariam ad salutem; explicatque credenda de Sacramento baptismatis.

XIV. Exponit, quæ credat Fides circa esum ciborum;

XV. Ostendit, extra Ecclesiam Catholicam nullam esse salutem,

XVI. Explicat quorum Conciliorum sequenda sint decreta,

1. Concilii Nicæni sub Sylvestro, & Constantino.
2. Constantinopolitani sub Damaso, & Theodosio Seniore,
3. Ephesini sub Cælestino, & Theodosio juniore,
4. Damnata fuit secunda Synodus Ephesina,
5. Concilii Chalcedonensis sub Leone, & Marciano,
6. Constantinopolitani secundi sub Vigilio, & Justiniano,
7. Tertii Constantinopolitani sub Agathone,
8. Omnium demum Synodorum auctoritate S. Sedis coactarum.

XVII. Explicat formam *consecrationis panis*, & vini in Sacrificio Missæ,

XVIII. *Et qualis* panis esse debeat, & conversionis substantiæ panis, & vini in corpus, & in Sanguinem doctrinam explanat;

XIX. Docet nuptias secundas, tertias, quartas &c, non esse peccatum,

Hæc omnia lecta, & explicata Abbas nomine Patriarchæ, & Jacobitarum dixit se acceptare, & credere.

D. Florentiæ in publica sessione Synodali solemniter in Ecclesia Domus S. Mariæ Novellæ celebrata ann. Incarn. Dom. 1442. Pridie Non. Febr. P. a. XI.

Primas Jacobitarum invitatur ad fidei unitatem.

V. ex Rayn. ad ann. 1562. §. 31.

PIUS IV. Neemæ Patriarchæ, seu Primati Jacobitarum,

Inc. *Dilectus hic*, &c.

APostolorum limina veneraturus Romam advenerat Joannes Abrahim Cassa, dictus Episcopus Harradi; quem ut sciyit Pius ex Natione Jacobitarum, comiter, & benigne eum excepit. Visus fuit Pontifici pastor probus, & Religiosus, qui cum multa præclara de Neema prædicasset, illi in Patriam revertenti litteras ad Neemam dedit Pius,

His in litteris salutem plurimam Neemæ Pius dicit, Desideriumque suum summum illi significat, quo vellet, ut Jacobitarum natio in illa Fidei Catholicæ unione permansisset, in qua se permansuram promiserat in Florentino Concilio sub Eugenio IV.

Cum Patriarcha autem sciat unam tantum veram esse debere Fidem, nec plures esse posse simul veras, cum omnia testentur, hanc veram Fidem esse Catholicam Romanam, recte faciet, & optime suæ nationi consulet, si eam agnoscet, si eam prædicabit, docebitque, efficietque, ut hæc una a suo grege colatur, credaturque, ut damnet, ut recipiat, quæcumque Romana Catholica Ecclesia damnat, recipitque.

Si forte Patriarcha ab hac fide descivit, si ab hac unione Jacobitæ recesserunt, redeant ad matrem suam, & ille, & hi benigne ab ea recipientur, hujusque sui reditus amplissimum fructum consequentur.

D. Romæ apud S. Marcum Die XXIII. Jul. P. a. III. a. D. 1562.

DE ECCLESIA ÆGYPTIO-COPTICA.

Nuntius A. invitet ad Tridentinum Concilium Coptorum Patriarcham.

PIUS IV. Christophoro Rodriquez Societatis Jesu Professori A. S. in Ægypti partibus Nuncio. I. ex Rayn. ad ann. 1560. §. 77.

Inc. *Difficultatibus quibusdam*, &c.

SUmmotis difficultatibus quibusdam, quæ per aliquot menses celebrationi Tridentini Concilii moram attulerant, omnes Episcopi Romanæ Ecclesiæ subjecti venturi ad illud erant invitati.

Opportunum itaque duxit Pius etiam Patriarcham Alexandrinum ad illud invitare, ut veniat vel ipse, vel aliquem nomine suo illuc mittat.

Litterarum, quas illi scribit, exemplum ad Nuntium mittit, simul cum ejusdem Concilii indictionis Bulla.

Ne statim Nuntius eas Patriarchæ tradat, *sed cum semel, iterumque* cum illo colloquutus fuerit, ejusque voluntatem explorarit,

Eum hortetur, quam enixe potest, ut unum, pluresve cum mandatis Tridentum ad Synodum mittat.

Nuncius, cum Alexandriam pervenerit, scribat Romam de suo adventu, & quid de Patriarcha speret.

D. Romæ apud S. Petrum P. a. I. a. D. 1560.

„ Non misit quidem Patriarcha Coptorum ad Con„ cilium procuratorem, quin *consueto gentis more aliæ* „ *cogitantis, alia simulantis* (A. Hirtius de Bello A„ lexandrino) Romanæ Ecclesiæ non se conjunxit, „ Raynal. ib.

Jurisdictio Episcopi Hierosolymitani ritus Coptici in Ecclesia Copticam.

BENEDICTUS XIV. Athanasio Episcopo Hierosolymitano ritus Coptorum. II. B.M.t.18. p. 38.

Inc. *Quemadmodum ingenti*, &c.

QUamplurimi ritus Coptici fideles tam sæculares, quam Ecclesiastici carebant pastore; aliis eorum utentibus autistitibus hæresis labe infectis, aliis in schismate obstinatis. Hi Copti per inferioris, & superioris Ægypti partes diffusi sunt.

Volens Pontifex Antistitem iis dare de Consilio Congregationis de Propaganda respexit Episcopum Hierosolymitanum vere Catholicum, & propagandæ Catholicæ fidei cupidissimum.

Eum igitur constituit pastorem super eos Christianos, omnimodam illi impartiens super eos jurisdictionem.

Hortatur demum eum, ut demandatum opus strenue perficiat, neque se a labore vinci permittat.

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Aug. P. a. I. a. D. 1741.

Instructio super dubiis spectantibus ad ritus hujus Ecclesiæ.

BENEDICTUS XIV. Julio Moraghi in Ægypto Vicario Generali, Jacobo a Cremisir Ord. S. Francisci strictioris observantiæ præfecto Missionis Apostolicæ in Ægypto, cæterisque Missionis Copticæ Missionariis. III. B.M.t.16. p. 191.

Inc. *Eo quamvis tempore*, &c.

JAcobus a Cremisir præfectus Missionum in Ægypto quædam dubia enodanda proposuit, ut posset missiones eo loci regere inoffenso pede.

Pontifex, meritis laudibus exornata Coptorum natione, quæ semper specialis reverentiæ signa in Romanam Ecclesiam præstitit, præsertim in Concilio Florentino, in quo magnopere studuit unionem inter Ecclesias stabilire, & justis laudibus datis Missionariis Ord. S. Francisci strictioris observantiæ, ait Pontifex, se demandasse ea dubia examinanda Congregationi Cardinalium Inquisitorum, & de eorum consilio hæc responsa dedit.

Hæc porro sunt dubia.

I. Copti ideo abhorrent a Baptismate collato ritu latino, quia non statim etiam confirmantur; petitur, an in

an in casu, quo Sacerdos ritus Coptici adiri nequeat, Sacerdos Latinus Missionarius illico post baptismum possit dare & confirmationem?

R. Multa more suo erudite affert Pontifex de more Ecclesiæ Orientalis, quæ infantibus dat confirmationem; sed duo sunt ministri, alius confert baptismum; alius confirmationem, ita fit cum Græcis in Italia; in oriente autem in Ecclesia Græca Sacerdos baptizans dat & confirmationem.

Jam si Copti putant, baptismum latino ritu datum ideo non habere suum valorem, quod in eo non detur confirmatio, sunt corrigendi; errant enim; & iis persuadendum est, hoc fieri ex lenitate Apostolica, ut detur in baptismate Confirmatio; & docendi, multo rectius Ecclesiam Occidentalem agere; quæ solum ex infantia egressos confirmat pueros, tunc enim sciunt, quid accipiant; præsertim cum hoc sacramentum non sit de necessitate medii.

Examinanda est igitur a Missionariis opinio Coptorum; si revera putant, non posse salvari infantes, nisi habeant, & Sacramentum Chrismatis, non est eis dandum; namque falluntur, & obstinatiores in suo errore fiunt; secus, nisi adsit præsentia Parochi, est dandum.

II. An parochis ritus Coptici redeuntibus ad fidem Catholicam sit danda facultas administrandi Sacramenta parochialia Catholicis, ut dabant Schismaticis, quamvis nullo parocho catholico existente, demandata sit Missionariis?

R. Affirmative Pontifex ait; & suæ responsionis fundamenta desumit a praxi Ecclesiæ, quæ lapsis parcit, & promovet; hoc experti sunt Donatistæ. Cæterum Vicarius Generalis per plura experimenta fiat certior de vera eorum conversione.

Cæterum is debet esse spiritus Missionariorum Ord. S. Francisci, ut non graventur interdum cedere juribus suis; ita eos monet S. Franciscus institutor Ord. ita D. Bonaventura.

III. An Coptis ætate puerili ad Diaconatum promotis liceat, cum advenerit ætas idonea, contrahere semel, & bis matrimonium ex vi dispensationis obtentæ a Missionariis absque ullo speciali apostolico indulto?

IV. An dicti Diaconi officium divinum recitare teneantur?

R. Ad hæc duo dubia Pontifex. Mos est Coptis infantulis dare ordines omnes præter presbyteratum, & cum debeant promoti servare castitatem, & abstinentiam, scilicet jejunare diebus Mercurii, & Veneris, & in adventu, & quadragesima ante Pascha, & quadragesimis Apostolorum, & Mariæ assumptæ, pro eis patres spondent, & patres jejunant; & hæc observant Patres, usquedum pervenerint pueri ad ætatis annum decimum sextum. Quam ordinationem nemo non videt esse illicitam, sed validam.

Jam hoc obsolevit in Ecclesia occidentali, & ideo in ea præfixa sunt tempora ordinibus suscipiendis; immo si quis per vim sit ordinatus non censetur subjectus oneribus ordinis. Ita apud Coptos ordinatio facta infantulis nescientibus onera non injungit iis onera annexa acceptis ordinibus; & ideo bene agitur, si eorum voluntas in anno decimosexto exquiratur; proinde qui noluerit ratam habere ordinationem, non est repellendus a secundis nuptiis; est repellendus, qui eam eo anno ratam habuerit.

Data occasione, disputat quædam Pontifex de nuptiis diaconorum.

Jam utraque Ecclesia jusit Diaconibus cœlibatum; progressu temporis factum est, ut Ecclesia Orientalis discederet ab hoc more, occidentalis tamen semper eum servavit. Sed Græci in minoribus ordinibus constituti possunt nubere, si cœlibes diaconatum suscipiant, non possunt amplius nubere. Ita Concilium Ancyranum, ita sextus Canon synodi quinisextæ in Trullo, proinde invalidum, & nullum est matrimonium initum a Diacono; quod multis auctoritatibus probat Pontifex, immo est nullum etiamsi Græcus sit Schismaticus.

Venit deinde Benedictus ad recitationem officii, quod erat dubium quartum. Onus hoc incumbit in Ecclesia occidentali, Subdiaconis, Diaconis, Sacerdotibus, & mos hic desumptus est ab immemorabili consuetudine.

Copti non habent ullum præceptum scriptum de recitatione officii, sed & ipli habent immemorabilem consuetudinem, quæ consuetudo certe debet habere vim legis; ita profecto observatur apud Maronitas.

Hinc oritur aliud dubium; quidam non expresse approbat suam ordinationem, sed tacite, administrans sæpe quæ sunt sui muneris, & fuit ordinatus a schismatico, debetne separari a nuptiis?

Respondet Pontifex, ita; namque ita jubet ea Ecclesia, cujus unionem hic schismaticus amplexus est: præterea actu ipso dum administrat, probat se ordinationem approbare. Data quidem fuit interdum ab Apostolica Sede dispensatio, ut Ecclesiastica docet Historia.

Tum injungit his Missionariis, ut super hæc capita referant,

I. Num sit spes, aliquem Episcopum schismaticum redire ad fidem?

II. Num expedjat in præsenti rerum statu tribui pluribus Sacerdotibus facultatem administrandi sacramentum Confirmationis?

III. An sint hi sacerdotes monendi, ne statim post baptismum confirmationem conferant?

IV. Num Diaconi Copti sint tanto numero, qui profertur immensus a Scriptoribus?

V. An sit modus aliquis tollendi morem conferendi ordines in tenella ætate?

VI. An dispensatio facta Diaconis super matrimonio sit allatura fidei plus boni quam detrimenti?

D. Romæ apud S. M. Maj. Die IV. Maji. P. a. V. a. D. 1745.

Solutio dubiorum.

BENEDICTUS XIV. Fratri Jacobo a Cremisir ord. MM. S. Francisci strictioris observantiæ, &c. IV. B.M.t.18. p. 165.

Inc. *Anno vertente*, &c.

REcenset Pontifex dubia proposita sacræ Congregationi, de quibus in fine proximæ præcedentis constitutionis fuit sermo, & ad duo tantum congregatio respondet.

I. Dubium; *an expediat dare facultatem dandi confirmationem uni, vel pluribus Presbyteris Missionis?*

II. *Num monendi sint ii Sacerdotes, ut hoc Sacramentum dent statim post baptismum, an in ætate, in qua confirmatus possit scire vim Sacramenti?*

Congregatio decidit, *esse consentaneum delegare præfecto Missionum Ægypti facultatem extraordinariam conferendi chrismate tamen ab Episcopo benedicto Sacramentum Confirmationis illis, qui a latinis Sacerdotibus fuerint baptizati.*

Caveat Præfectus Missionum, ne det hoc Sacramentum infantibus minoribus annis septem, nisi periculum mortis immineat, & illud non conferat, si Episcopus Latinus sit in Ægypto.

Cæterum etiamsi Chrisma sit vetus, possit adhiberi; idem dic & de oleo.

Plura hic repetit Pontifex e suo tractatu de synodo Diœcesana edito a. 1748. de ætate, de necessitate olei benedicti ab Episcopis.

Solvitur aliud dubium, num diaconi, qui apud Coptos ordinantur ab infantia jam adulti, si ordinem exerceant, censeri debeant, se cœlibatum professuros?

Respondet Pontifex, si ii ordine funguntur post annum decimum sextum, ita censendum est, si ante, nequaquam. Nam duplex est religiosa professio, alia expressa cum petitur, & accipitur, servatis quæ præscripta sunt; alia tacita, cum fiunt ea, quæ indicant, professionem jam approbari.

Quæ tacita professio certe a Tridentino Concilio non rejicitur, ut docent multi Theologi, qui hic recensentur.

Ergo debebit præfectus missionum ordinatos Diaconos in ætatis anno XVI. conituros interrogare, num velint esse diaconi; nec nec? Ante annum cum ergo actus ordinis exerciti non valent ad declarandum, eos velle esse diaconos, sicut nec ante eum annum valeret interrogatio iis facta, datæque responsio, se velle esse diaconos.

Restabat tertium dubium, an plus commodi, & utilitatis, quam scandali sit rei Catholicæ allatura dispensatio super matrimonio dispensando cum initiatis ordinibus sacris?

Re sedulo expensa, Congregatio censuit, dispensationem esse petendam in hoc casu a Sede Apostolica.

D. ex arce castri Gandulphi Die XIX. Junii P. a. X. a. D. 1751.

DE

DE REGNO ÆTHIOPIÆ.

Excitat Pontifex regem in Mahumetanos, de victoria ab Hungaris facta, & mittit quasdam sanctorum lypsanas ad illum.

I. Ex Rayn. ad ann. 1456. §. 41. CALLIXTUS III. Zara Jacob Regi Æthiopiæ.

Inc. *Qui cœlorum*, &c.

OMnia fausta adprecatur Callixtus a Deo regi, ejusque uxori, familiæ, regnoque.

Tum illi narrat, antequam exiret e conclavi se votum edidisse suscipiendi bellum contra Turcas, & infideles. Sed cum vires Ecclesiæ huic bello non sufficiant, necessum habet ad principes Catholicos confugere.

Inter eos cum sit Rex, sicut jam per suos oratores professus est in synodo Florentina sub Eugenio PP. IV. ad eum quoque preces suas effundit, ut arma cum Catholicis principibus in Turcas sumat; jam multi principes arma sua obtulerunt tam ex occidentalibus, quam orientalibus, quod Turca expavescens vires Soldani, Scytarumque sibi unire satagit.

Cum satis virium collectarum videbit Callixtus Turcam aggredietur, & ex eo terram S. recuperabit. Rex interea, qui Dominus est Nili, qui suis undis fertilitatem hostium agris parit, derivet eum alio (nempe in mare rubrum.)

Fama tenet, olim Judæum quendam regnasse in quadam insula Æthiopiæ vicina, eumque morti dedisse omnes Christianos Æthiopas quos ibidem reperire potuit. Quod ubi Imperator Constantinopolitanus rescivit, Regi Æthiopiæ scripsit, ne tantum facinus vellet impune. Rex bellum Judæo movit, neque a bello destitit, priusquam Judæum totamque ejus nationem in illa insula prorsus deleverit.

Multo magis bellum parare debet Rex, qui rogatur a Pontifice, cum non pauci Christiani, sed innumeri trucidentur a Turcis.

Tum illum certiorem facit de insigni victoria prope Albam Juliam, seu Belgradum relata ab Hungaris e Turcis. Ad octoginta millia Turcarum ab Hungaris Duce Hunniade, & crucis vexillifero Joanne de Capistrano Minorita (nunc inter cœlites) fuere occisa. Turcarum dominus vel occisus in prælio fuit, vel præ rubore latet; nescitur enim ubi sit.

Quem gladium tradidit Jeremias Machabæorum Duci; *accipe sanctum gladium munus a Deo, quo dejicies adversarios populi tui*; arripere jubet Pontifex Regi, illoque cinctum in hostes progredi victorias, triumphosque illi pollicens;

Mittit ad illum venerandas reliquias, nempe de reliquiis SS. AA. Petri, & Pauli, S. Joannis Baptistæ, de brachio S. Andreæ Apostoli, de reliquiis A. S. Jacobi Zebedæi, de ligno Crucis, in qua suspensus fuit B. Petrus.

D. Romæ apud S. Petrum Cal. Dec. P. a. II. a. D. 1456.

Propagatio Catholicæ fidei commendatur regi.

II. Ad ann. 1514. §. 102. LEO X. Davidi Æthiopiæ regi.

Inc. *Proficiscenti*, &c.

SIgnificat Leo Davidi amorem suum in illum, & quia ab illo colitur, diligiturque, & quia religionem Catholicam profitetur, & fovet.

Eum rogat, ut hujus cultus argumentum det eam propagando, & extendendo;

Pro hoc labore speret a Deo fausta cuncta, propitiaque,

D. Romæ apud S. Petrum VI. Id. Oct. P. a. II. a. D. 1414.

Rex miserat oratorem ad Pontificem Andream Corsalum Florentinum, cui Pontifex dedit has litteras.

Natio Hebræorum Arabum commendatur Regi.

CLEMENS VII. Davidi Alnazarani Abbatiæ, & Æthiopiæ Regi. III. Ad ann. 1525. §. 93.

Inc. *Ductus est*, &c.

DAvid Salomonis Hebræus ex Arabia deserta, ac monte Thabor regio ortus sanguine, & regis ejus regionis frater Romam progressus significavit Pontifici, populum Arabem bello vexari a Mauris, & Arabibus Mahumetis cultoribus; populumque suum inferiorem iis esse, quia caret instrumentis bellicis æneis, quibus illi utebantur, quæ si haberet, facile eos superari ab illo posse.

Rogavit ergo Pontificem ut aliquot sibi hujusmodi instrumenta præberi juberet, pollicitusque est magnam utilitatem in Ecclesiam redundaturam e suis victoriis; interea etenim principes Christiani aggredi Turcas possent opitulantes Mauris, Arabibusque; periculum quod a Mauris, & Arabibus imminet Ægypto, eversum iri.

Pontifex cum ejus regionis rerum statum nesciret, litteras Hebræo dedit ad Portugalliæ, Æthiopiæque reges. Hic vicinus est illi provinciæ, Lusitani navigant per Erithæum, sinumque Persicum; facile nosse rem omnem possunt.

Igitur his litteris Regem rogat Pontifex, si vera sunt, quæ Hebræus narrat, si aliqua utilitas in Christianam Religionem est proventura, ne petita instrumenta illi deneget.

D. Romæ apud S. Petrum Die IV. Febr. P. a. II. a. D. 1525.

In hanc eandem sententiam scripsit etiam ad Portugalliæ Regem.

„ Rex Athani Tinghil in regnum Davidis successor
„ misit oratorem ad Clementem, ei promisit reveren-
„ tiam, & popóscit internuntium in Æthiopiam mitti,
„ qui explicet credenda; sicut miserat ad Æthiopas
„ Eugenius,
„ Postulat Sacras imagines,
„ Postulat viros sacrarum litterarum peritos,
„ Artifices pictores sculptoresque, & fabros ferrarios,
„ qui arma conficiant, cœlatores auri, & argenti,
„ fabros lignarios, architectos, *qui domos ex lapide*
„ *construant*, & *tegulas ex plumbo*, *cuprove ducere*
„ *sciant*, *quibus domorum tecta protegantur*, *qui vi-*
„ *trum conflare*, *organaque musica scite facere*, & *do-*
„ *cte pulsare sciant*, *itemque fistulatores*, & *tibicines*.
„ Eos vellet ex domo Pontificia; vel si tantam co-
„ piam eorum non habet, ex aulis aliorum regum.
„ Pollicetur, se illos habiturum in honore, & mer-
„ cedem amplam iis daturum, & si domum redire vo-
„ luerint, præmia, muneraque largiturum.
„ Pontificem demum rogat, ut Principes Christianos
„ inter se dissidentes conciliet, excitetque contra Tur-
„ cas, quos ipse quoque bello aggredietur. apud Ray,
„ ad an. 1533. §. 24.
„ Alias litteras per oratorem Franciscum Alvarez
„ misit ad Clementem, cui præstat obedientiam, am-
„ plitudinem suorum regnorum describit; in quibus
„ Christiana religio floret,
„ Iterum exstimulat Pontificem ad excitandos prin-
„ cipes in Turcas, contra quos ipse quoque arma so-
„ ciabit sua, ut recuperetur Terra S. ib. §. 27.
„ Pontifex collaudat Regem, lectis litteris in con-
„ cistorio, eum rogat ut fidem tueatur, spondetque se
„ conciliaturum principes inter se, & institurum, ut
„ arma in Turcas moveant. §. 30.

De oratore regis, de zelo regis, de fratribus in Æthiopiam mittendis.

PAULUS III. Claudio Æthiopiæ regi. IV. Ad ann. 1545. §. 01.

Inc. *Dilectus filius*, &c.

SIgnificat Paulus regi se accepisse a Priore conventus Monachorum Æthiopum Hierosolymis existentium litteras ejusdem, quas alius orator regius cum illo simul pertulisset, nisi fuisset in itinere defunctus.

De

De cujus morte dolorem summum se percepisse, eidem testatur;

Quam tamen mœstitiam ipsius regis litteræ imminuerunt, e quibus accepit, eum successisse Davidi genitori suo in regnum; accepit, eum velle desendere Catholicam religionem, eamque per suum regnum propagare.

Quod ut felicius faciat, ad illum industrios, & navos viros mittet, qui & regem, & ejus subditos eandem fidem docebunt.

Remittit eundem Priorem Paulum ad illum cum his litteris, illique omnia fausta, feliciaque a Deo adprecatur.

D. R. apud S. Pet. Die XXIII. Aug. P. a. XI. a. D. 1545.

DE ECCLESIA ÆTHIOPICA.

Facultates dantur novo Æthiopiæ Patriarchæ.

I. Ex Rayn. ad ann. 1554. §. 25. JULIUS III. Joanni electo Æthiopiæ & regnorum Aznaf Saguad Pretioso Joanni Æthiopiæ Imperatori illustri subditorum.

Inc. *Cum nos*, &c.

„ ÆThiopes, seu Abyssini infecti erant erroribus
„ Dioscori, & Eutychetis, atque a Coptorum
„ Patriarcha Alexandrino petebant sacra. Quia Impe-
„ rator adjutus fuerat a Lusitanis ostenderat se cupi-
„ dum Catholicæ Religionis amplectendæ. Joannes III.
„ Lusitaniæ Rex primum cum Paulo III. deinde cum
„ Julio III. de creando in illo Imperio Patriarcha egit,
„ tum egit cum Ignatio Loyola de mittendis eo mis-
„ sionariis duodecim.
„ Inter hos misit Ignatius Joannem Nonnium Bar-
„ retum Lusitanum, Andream Oviedum Castellanum,
„ & Melchiorem Carnerum Lusitanum. Rex eligi Joan-
„ nem Nonnium Patriarcham curavit, supplicavitque
„ de hoc Pontifici.

Julius igitur eligit prædictum Joannem in Patriarcham Æthiopiæ jamdiu destitutæ pastore;

Ad illum mittit pallium, quod Joannes per Nuntium humiliter exposcerat.

Diversas facultates eidem confirmat quas aliis litteris, quæ desunt, illi dederat.

Neque solum Patriarchalia jura illi dat pro Æthiopia, sed pro omnibus regnis prædicti Aznaf Pretiosi Joannis Imperatoris, non secus ac si singula ea nominata fuissent. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XV. Febr. P. a. V. a. D. 1555.

Patriarchæ dantur adjutores.

II. Ibid. JULIUS III. Joanni Patriarchæ Æthiopiæ, & Andreæ Hieropolitano, & Melchiori Nicensi electis, & eorum cuilibet.

Inc. *Cum nos*, &c.

A Se electum fuisse Patriarcham Æthiopiæ Joannem significat Julius.

Sed cum messis sit multa, neque possit ille unus omnia officia adimplere, Andream Oviedum eligit Hieropolitanum Episcopum, & Melchiorem Episcopum Nicensem, ut sint coadjutores Joannis.

Vult autem ut in patriarchalem sedem mortuo succedat superstes.

Unicuique eorum opportunas, necessariasque impositio muneri dat facultates.

Ut autem quietius possint Evangelii propagationi incumbere, eos liberat ab onere visitandi per se, vel per alios Apostolorum limina, de quibus visitandis in consecratione daturi sunt juramentum. N. O.

D. Romæ apud S. Petrum Die XXI. Febr. P. a. V. a. D. 1555.

Commendantur prædicti præsules.

III. Ib. ad an. 1556. §. 44. PAULUS IV. Claudio, seu Sandio Petregiano Æthiopiæ Regi.

Inc. *Dominus noster*, &c.

PRimum quidem commendat Pontifex Regis cupiditatem, qui velit religionem Catholicam addiscere, et [illegible] regnis suis disseminari; cujus zelum jam laudavit plurimum, cum ejus litteræ a suo prædecessore Julio III. lectæ fuerunt.

Tum illi significat tres viros præstantissimos (suntque supradicti) fuisse electos e Societate Jesu qui in Æthiopiam venirent. Cum etenim illius regna amplissima sint, nec unus tanto oneri visus fuisset sufficere, duo alii fuere adlecti illius coadjutores.

Mutationes factas in Pontificatu in causa fuisse, Paulus scribit, cur nondum in Æthiopiam properarint. Namque vix atque electi fuerunt, mortuus est Julius; paucis diebus post mortuus est Marcellus II. Tum ipse electus fuit. Inter curas suscepti Pontificatus prima hæc fuit, adlectos viros commonere quid esset agendum, & eos illuc transire jubere.

Se scripsisse, ait, Portugalliæ Regi, ut quamprimum illos ad eum dimitteret.

Non dubitat quin rex eos benigne sit excepturus, sicut instanter illos a S. Sede efflagitavit.

Quare supervacaneum eos illi est commendare.

Eum rogat, ut per Regem Portugalliæ scribat de illorum adventu, quem sperat futurum felicem, de progressu Religionis, & de iis, quæ ab Apostolica Sede sibi fieri cupiat, cum nihil magis illa optet, quam devotis filiis suis gratificari.

D. Romæ apud S. Petrum Die X. Mart. P. a. II. a. D. 1556.

Invitantur Æthiopes ad concilium.

PIUS IV. Andreæ Episcopo Hieropolitano. IV. Ib. ad an. 1561. §. 63.

Inc. *Audimus te*, &c.

AUdierat Pius præfatum Episcopum esse apud Mennam Æthiopiæ Imperatorem.

Quare magnopere lætatur, Deoque gratias agit, quod efficeret, ut ille gratiam coram illo inveniret.

Hoc motus per Antonium Pintum Lusitanum Regis Sebastiani Portugalliæ ibidem oratorem significat Pius se scripsisse imperatori Mennæ, ut Imperatori salutem plurimam dicat, illique suadeat, ut oratorem saltem unum ad Concilium mittat, cujus indictionis Bullam ad illum mittit.

Andreas autem opportuna oratione hæc Pontificis hortamenta adjuvet;

Ad illud omnes Europæ principes esse missuros oratores suos, etiam Regem Lusitaniæ misisse, & Oratores, & Episcopos suorum regnorum. Etiam Patriarcha Constantinopolitanus dicitur eo missurus esse Archiepiscopum Galatiæ, qui ejus nomine illi intersit; dicitur idem facturus Patriarcha Coptorum, qui nuper obedientiam Romanæ Sedi præstitit per litteras, & oratorem, testaturque se cupidissimum antiquæ unionis.

Pontifex certe ex hoc concilio uberrimos in Rem Christianam redundaturos esse fructus sperat.

Andreas non indiget stimulis ut excitetur ad ea suscipienda, quæ videt in emolumentum Christianæ Religionis cadere.

Sibi persuadeat præter meritum, quod sibi apud Deum promerebitur, etiam gratiam maximam apud S. Sedem se esse initurum.

D. Romæ apud S. Petrum Die XX. Aug. P. II. a. D. 1561.

Indicitur Jubilæum pro Æthiopibus.

URBANUS VIII. ad p. r. m. V. B. R. t. 4. p. 5. g. 80. C. C.

Inc. *Pastoralis officii*, &c.

PRopter maximam ab Urbe distantiam, quo accedere nonnisi difficillime Æthiopes possunt, indulgentias anni sancti lucrari n[illegible]

Ne Christi fideles commorantes in Æthiopia, [illegible]que locis Sultani Seguel Æthiopiæ Imperatoris tanti thesauri [illegible] expertes,

Iis concedit Urbanus Jubilæum.

Tem-

Tempus ejus durationis poſt ſuſceptionem harum permittit ſtatuendum iis paſtoribus.

Opera facienda pro illius conſequutione,

Facultates confeſsariorum ſunt eadem, eademque, quæ in hujuſmodi Bullis præſcribi ſolent.

D. R. apud S. M. Maj. Cal. Sept. P. a. V. a. D. 1627.

Commendatur Congi Rex, quod Chriſtianam fidem ſit amplexus, eamque diſſeminet.

VI. PAULUS III. Alphonſo Congi Regi.

Ex Rayn. ad ann. 1535. §. 59. Ing. *ſumma cum, &c.*

MUltæ lætandi cauſæ erant Pontifici; primum quia Congi Rex fidem Catholicam in iis regnis prædicatam amplexatus fuerat,

Deinde, quia Miſſionarii munere fungens *continuis adhortationibus, prædicationibuſque* impellebat populos ſuos ad profitendam Chriſti fidem *propagationemque Religionis in iis locis inceſſanter procurabat hortando, monendo, & alios reges infideles, ubi opus fuerit cogendo.*

Tantum zelum non poteſt Deus non æquis oculis reſpicere, mercedemque ampliſſimam dare Regi, dare ejus filiis quos idem fervor accendit.

Pontifex ſe gratum illi teſtatur, polliceturque ſe arrepturum occaſionem quamlibet ſuæ gratitudinis argumenta illi dandi.

D. Romæ apud S. Petrum Die V. Maji P. a. II. a. D. 1535.

„ Sancta propagatio fidei Catholicæ in Africa reſo„ renda eſt piiſſimis Luſitanis Regibus,

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

FINIS TOMI SECUNDI.